Digitized by Google

NOVISSIMA PRAXIS THEOLOGICOLEGALIS IN ALIAS DE MATRIMONIO CONTROVERSIAS

AVCTORE

D. GREGORIO ROSIGNOLO

Ex Cler. Reg. S. Pauli Nouarienſi,

Et in Arcimboldia D. Alexandri Mediolani Vniuerſitate Publico Moralis Theologiæ Profeſſore,

Opus omnibus Theologiæ Sacræ, & Moralis, iuris vtriuſque DD. nedum vtile, ſed penè neceſſarium,

Cum duplici Indice, altero Titulorum, altero rerum locupletiſſimo.

Bibliothecæ S. Pantaleonis Scholarum Piarum



MEDIOLANI, 1687.

Typis Camilli Conradæ.

Digitized by Google

INDEX

Titulorum, Prænotionum, Diſquiſitionum, & Paragraphorum.

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio III.

Præn. I. *QVid propriè ſit diſpenſatio, & quænam ipſius conditiones.* 2.

2. *De cauſis legitimis diſpenſationis.* 7.

3. *De cauſis legitimis diſpenſandi in impedimentis matrimonij.* 9.

4. *An diſpenſatio ſit ſtrictè interpretanda, an amplianda.*

5. *An diſpenſationes in cauſis matrimonialibus ſint ſtrictè, an latè interpretandæ.* 19.

6. *An in diſpenſationibus fiat extenſio à paritate rationis, & à maiori ad minus.* 21.

7. *Vtrum diſpenſatus ſine legitima cauſa ſit tutus quoad Deum.* 23.

8. *An, & quomodò ceſſante cauſa diſpenſationis ceſſet diſpenſatio.* 25.

9. *An in dubio, quod ceſſarit cauſa diſpenſationis ceſſet diſpenſatio.* 28.

10. *Quiſnã poſſit diſpenſare in iuribus diuinis.* 31.

11. *An, & quando poſſit Epiſcopus diſpenſare in iuribus diuinis, & Pontificijs.* 37.

12. *An, & quando Prælati Regulares poſſint in ordine ad ſuos ſubditos, & quid poſſint Regulares ex ei privilegiorum.* 58.

13. *De poteſtate Nuntij Apoſtolici, & Legati à latere ad diſpenſandum.* 66.

14. *De poteſtate Principis ſecularis ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis in ordine ad temporalia.* 69.

15. *An Pontifex poſſit diſpenſare in radice matrimonij, & ad quem effectum.* 72.

16. *An potentes diſpenſare intelligantur propriè diſpenſare, ſi ſcientes admittant ad aliquem actum habentes impedimentum ad ipſum.* 79.

17. *An potens diſpenſare cum alijs poſſit cum ſe ipſo diſpenſare.* 82.

18. *An Epiſcopi, ſeu Prælati inferiores poſſint diſpenſare, ſi diſpenſatio fuerit petita à Pontifice, & denegata.* 85.

19. *An facultas diſpenſandi ſit ſtrictè, an latè interpretanda.* 88.

20. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum forenſibus, & Peregrinis, etiam ſi pro breui tempore in ipſius Diœceſi commorentur.* 92.

21. *An taciturnitas veri, vel falſi expreſſio vitiet diſpenſationem.* 93.

22. *Nonnulla corollaria ad præcedentem prænotionem.* 111.

23. *Quænam ſint neceſſariò explicanda in impetratione diſpenſationum in impedimentis matrimonij.* 117.

24. *An diſpenſatio impetrata abſque mandato eius, cui impetratur, teneat, & an valeat ante literarum expeditionem.* 130.

25. *Explicantur clauſulæ, quæ apponi ſolent in diſpenſationibus quoad impedimenta matrimonij pro foro interno.* 132.

26. *Explicantur notabiliora circa clauſulas diſpenſationum pro foro externo.* 158.

27. *An, & quomodo diſſoluantur huiuſmodi diſpenſationes ante expeditionem.* 164.

DISQVISITIONES I.

A prima ad decimam prænotionem incluſiuè.

§. 1. *AN facultas teſtandi conceſſa Epiſcopis extendatur ad teſtamentum iam factum per eoſdem.* 169.

2. *An commiſſio operis trahat ſecum commiſſionem eius, ſine quo illud opus haberi nequit.* 170.

3. *An diſpenſatio ſuper principali trahat ſecum acceſſorium.* 172.

4. *An diſpenſatio commiſſa inferiori expreſſo nomine diſpenſandi nulla cognitionis cauſa facta mentione teneat, ſi commiſſarius cauſæ cognitionem non præmiſerit.* 173.

5. *An diſpenſatio cum aliquali cauſa, non tamen ſufficienti in lege ſuperioris teneat.* 175.

6. *Qualiter intelligenda ſit cauſa, qua dicuntur contrahentes eſſe nobiles, aut ex principalioribus talis vrbis.* 176.

7. *An ſubſiſtat diſpenſatio, in qua dictum fuit fœminam innuptam remanſuram defectu dotis, cum tamen non præcisè dotis ratione, ſed ex*

aliò capite proueniat timor nuptiarum non futurarum. 178.

8. An proles ex conſanguinea ſuſcepta ſit iuſta cauſa diſpenſationis. 179.

9. An ob compoſitionem pacitè pecuniariam poſſit diſpenſari in voto caſtitatis ſimplicis, & Religionis. 181.

10. An in votis ante pubertatem emiſſis poſſit ſemper diſpenſari. 182.

11. An Epiſcopus poſſit in illo voto emiſſo ante pubertatem diſpenſare. 184.

12. An error circa cauſam impulſiuam in voto præſtet cauſam ſufficientem diſpenſandi. 185.

13. An difficultas, & periculum tranſgrediendi votum conſurgens ex malitia, & prauo vouentis habitu præſtet cauſam diſpenſationis. 186.

14. An exiſtente iuſta cauſa diſpenſationis teneatur Prælatus diſpenſare, & an, ſi nolit, poſſit ab eo appellari. 187.

15. An diſpenſatio ad percipiendos fructus in abſentia cauſa ſtudiorum ſit latè, vel ſtrictè interpretanda. 188.

16. An diſpenſatus in irregularitate ſine addito intelligatur diſpenſatus ad omnia. 189.

17. An diſpenſatio ex eo, quod ſit facta à legiſlatore, ſit latè interpretanda. 191.

18. An diſpenſatio concesſa Epiſcopo electo, vt ad tres menſes differat conſecrari, ſuſpendat dimiſſionē beneficiorum vſque ad conſecrationem. 192.

19. An diſpenſatio concesſa Monachis, vel Epiſcopis ad teſtandum intelligatur de primo teſtamento, an de alijs ſucceſſiuè. 194.

20. An diſpenſatio, vt Nouitius ante annum profeſſionis, vel ante annum decimum ſextum emittat profeſſionem trahat ſecum, vt poſſit de bonis ſuis diſponere per bimeſtre antecedenter ad eandem profeſſionem. 197.

21. An diſpenſatio concesſa Subdiacono, vt poſſit nubere, liberet ipſum ab onere recitationis horarum Canonicarum. 198.

22. An diſpenſatio in voto, vel aliquo alio impedimento poſſit fieri inuito eo, cum quo diſpenſatur. 200.

23. An diſpenſatio illegitimi ad beneficia extendatur ad beneficia Cathedralis. 202.

24. An in correlatiuis diſpenſatio quoad vnum trahat diſpenſationem quoad alterum. 203.

25. An priuilegium conceſſum filijs trahatur etiam ad adoptiuos. 204.

26. An in priuilegio Principis ſuccedat naturalis primo natus, & poſteà legitimatus, an vero ſecundo natus, & legitimus ex legitimo matrimonio. 208.

27. An nullo exiſtente legitimo filio, ſi plures naturales ſimul legitimentur, vel per ſubſequens matrimonium, vel per reſcriptum Principis, vel per oblationē Curiæ primogenitus ex illis ſit præferendus in priuilegio conceſſo primogenito. 215.

28. An falſa latinitas vitiet reſcriptum Pontificis quoad priuilegia, & diſpenſationes. 217.

29. An diſpenſatio ſuper matrimonio inito ſcienter in gradu prohibito de iure poſitiuo eximat etiam à cenſuris, quæ impoſitæ ſunt aduerſus ſic contrahentes. 219.

DISQVISITIONES II.

A decima ad vigeſimam quintam prænotionem excluſiuè.

§. 1. AN priuilegium Pontificis conceſſum cum expreſſione patriæ beneficiarij, ſed cum errore eiuſdem teneat. 222.

2. An vigore facultatis commutandi vota poſſint relaxari iuramenta, in quibus eſt turpitudo ex parte recipientis. 224.

3. An facultas diſpēſandi cum certis, & determinatis perſonis ſit latè, an ſtrictè interpretanda 226.

4. An commiſſarius Cruciatæ, cui conceſſa eſt poteſtas diſpenſandi in primo, & ſecundo gradu affinitatis ex copula fornicaria, & legitimandi prolem ſuſceptam poſſit prolem legitimare non diſpenſando in matrimonio. 228.

5. An Regulares ex vi priuilegiorum poſſint diſpenſare in matrimonio ſcienter, vel ignoranter contracto cum impedimento affinitatis. 229.

6. & 7. An diſpenſatio ſuperueniens reualidet actus præcedentes irritos. 230.

8. An diſpenſatio ſub conditione reſolutiua ſuſpendat actum. 233.

9. An Pontifex poſſit diſpenſare contra ordinationem Apoſtolorum. 236.

10. An Pontifex poſſit ſe ipſum abſoluere à iuramento obligatorio, quod præſtitit, ſiue ante, ſiue poſt Pontificatum. 237.

11. An diſpenſatus ad beneficium ſimplex intelligatur diſpenſatus ad alia omnia in tali genere. 239.

12. An Epiſcopus in dubio, an res egeat diſpenſatione, poſſit declarare non indigere, an verò teneatur ad cautelam diſpenſare. 241.

13. An quandò diſpenſatio in voto poteſt eſſe ab Epiſcopo poſſit ſcholaris diſpenſari ab Epiſcopo loci, in quo ſtudet. 243.

14. An alienigena, ſi ſe transferat extra proprium domicilium animo ibi permanendi, ibique incipiat habitare, & poſtea animum mutet poſſit per Epiſcopum illius loci diſpenſari in voto. 245.

15. An Epiſcopus loci originis poſſit diſpenſare in voto. 246.

16. An, ſi mulier eadem die, qua contrahit nuptias, ſit tranſitura ad domum mariti, validè contrahat coram Parocho proprio domicilij, quod debet deſerere, & ſi inualidè contraxit matrimonium, quod eadem die eſt ratificandum, poſtquam tranſijt ad domum mariti, illud ratificare poſſit coram prioris domicilij Parocho. 249.

17. An facultas, ſiue ordinaria, ſiue delegata commutandi, ſeu diſpenſandi in votis extendatur ad vota in fauorem tertij, ſiue acceptata, ſiue nondum acceptata. 251.

18. Quid operetur diſpenſatio præuentiua. 255.

19. An conceſſa per Pontificem generali facultate diſpenſandi in votis ſine exceptione cenſeatur conceſſa facultas quoad vota caſtitatis, & Religionis. 257.

Index Titulorum, Prænotionum, &c.

20. *An facultas diſpenſandi quoad votum caſtitatis intelligatur etiam quoad votum religionis.* 260.

21. *An conceſſa facultate quoad omnia vota reſeruata, excepto voto triplicis peregrinationis, intelligatur conceſſum votũ caſtitatis, & Religionis.* 261.

22. *An vota caſtitatis, & Religionis ita ſint reſeruata Pontifici, vt ſine ipſius auctoritate, ſeù commiſſione nequeant in melius commutari.* 262.

23. *An diſpenſatio ſuper voto, vel ex obliuione, vel ex alia cauſa non petita tempore Iubilæi peti poſſit tranſacto Iubilæo.* 266.

24. *An vota commutata, ſeù diſpenſata vigore Iubilæi reuiuiſcant eo poſtea non obtento.* 268.

An qui tempore Iubilæi non confeſſus eſt, cum nullius peccati lethalis ſibi conſcius eſſet, nec petijt diſpenſationem ſuper voto poſſit poſtea à quocunque confeſſario à ſe electo à peccatis reſeruatis inculpabiliter oblitis pro tempore Iubilæi abſolui, & diſpenſari. 270.

25. *An diſpenſatio reſtringatur tantum ad tempus conceſſum, quandò ex errore petentis minus petitũ eſt, & concedens æquè maius conceſſiſſet.* 272.

26. *Cuius expenſis impetranda ſit diſpenſatio.* 274.

27. *An impetrata diſpenſatione poſita conſenſu vtriuſque ad matrimonium, ſi alter reſiliat, teneatur ad integras expenſas diſpenſationis.* 276.

28. *An deflorans Virginem bona fama, aut eam infamans fide data matrimonij poſſit ingredi Religionem, & an tunc teneatur expenſas diſpenſationis integras perſoluere.* 278.

29. *Quomodò oriatur obligatio reſarciendi expenſas ex promiſſione matrimonij inter cõſanguineos.* 280.

30. *Exponitur caſus, & quæritur, an in eodem duplex interueniat affinitas vtraque in impetratione diſpenſationis explicanda.* 281.

31. *An in ſuppoſitione, quod fœmina ſit affecta affinitate ex duplici titulo cum aliquo, teneatur vtrumque titulum exponere.* 283.

32. *An facultas diſpenſandi in certo aliquo gradu etiam cum perſona determinata extendatur ad diſpenſandum cum eadem in eodem gradu duplicato.* 284.

33. *An error communis circa gradum reddat validam diſpenſationem.* 285.

34. *An priuilegium conceſſum Indis noui orbis, vt poſſint nubere in tertio, & quarto gradu extendatur, quandò alter diſtat ſolummodò in ſecundo gradu à ſtipite, alter in tertio, vel quarto.* 287

35. *An in impetratione diſpenſationis in publica honeſtate neceſſario facienda ſit mentio, an proueniat ex matrimonio rato, vel ex ſponſalibus.* 288.

36. *An in poteſtate diſpenſandi in affinitate includatur etiam poteſtas diſpenſandi in publica honeſtate.* 290.

DISQVISITIONES III.

Ad reliquas omnes de matrimonio III. prænotiones.

§ I. **A**N *habens beneficium Parochiale, cuius officium occultum incapax eſt, poſſit expedire literas pro foro interno, ſi cæteras habeat qualitates ad hoc munus requiſitas.* 291.

2. *An reſpectu Religioſorum, quibus ex priuilegio competit huiuſmodi literas expedire, dummodò ſint ad confeſſiones approbati ab ordinario, requiratur approbatio, antequam literæ datæ ſint, an verò ſufficiat, quod præceſſerit ad expeditionem ipſarum.* 293.

3. *An, ſi officialis, vel ordinarius, qui ex vi commiſſionis diſpenſauit in matrimonio inualido, omiſit decernere prolem legitimam, poſſit poſteà decernere.* 294.

4. *An non recepta executione commiſſionis ſuper impedimento matrimonij poſſit exigi decretum ſuper legitimatione prolis.* 295.

5. *An proles concepta ante diſpenſationem, ſi ea iam impetrata naſcatur, habeatur pro naturali, & legitimetur per ſubſequens matrimonium.* 297.

6. *An diſpenſationes, vt validæ ſint, debeant ordinario præſentari.* 299.

7. *Inſtructiones quædam pro obtinenda diſpenſatione pro foro interno relatiuè ad prædicta.* 301.

8. *Inſtructiones pro diſpenſationibus impetrandis pro foro externo in forma pauperum.* 303.

9. *Inſtructiones in genere pro obtinendis diſpenſationibus matrimonialibus pro foro externo.* 303.

10. *Quomodò ſint exponendi gradus cõſanguinitatis, & affinitatis in impetratione diſpenſationis.* 305.

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio IV.

Præn. I. **E**Vincitur aduerſus nonnullos hæreticos ſecundas, & vlteriores nuptias diſſolutis primis licitas eſſe omni iure 308.

2. *Qualis certitudo requiratur de morte alterius coniugis, vt alter licitè poſſit tranſire ad ſecundas nuptias, & quos effectus pariat.* 310.

3. *De pœnis iure ciuili impoſitis aduerſus contrahentes nuptias intra annum luctus.* 316.

4. *Quid ſentiendum ſit, quandò mulier feſtinanter tranſiuit ad ſecunda vota alterum tamen ex duobus matrimonijs fuit inualidum, vel poſterius non fuit conſummatum.* 325.

5. *De pœnis mulierũ abſolutè ſecundo nubentium* 328.

6. *De alijs pœnis contra ſecundo nubentes in fauorem filiorum.* 344.

7. *De quibuſdam pœnis, quæ ex iuribus municipalibus Mediolani ſtatuuntur contra fœminas ſecundo nubentes.* 351.

8. *De pœnis conuentionalibus contra ſecundo nubentes.* 353.

9. *De pœnis improprijs, hoc eſt de non acquirendo reſpectu ſecundo nubentium.* 354.

10. *An pœna contra feſtinanter nubentes correcta ſint iure canonico.* 363

11. *An pœnæ ciuiles contra ſecundo nubentes inducta in fauorem filiorum prioris matrimonij ſint correcta per ius Canonicum.* 365.

12. *An pœnæ municipales, & conuentionales contra ſecũdo nubentes ſint iure Canonico correctæ.* 367.

13. An

Index Titulorum, Prænotionum, &c.

13. *An pœna impropria, ſeù de non lucrando corrigantur per ius canonicum.* 368.

DISQVISITIONES I.

A prima ad ſextam prænotionem incluſiuè.

§. 1. *AN ſecundæ nuptiæ poſſint benedici quando neuter ex coniugibus fuit in primis benedictus.* 369.

2. *An ſecundæ nuptiæ poſſint benedici, quandò primæ irritæ fuerunt benedictæ.* 371.

3. *An vxor tranſiens ad ſecundas nuptias amittat quartam ſibi debitam ex vi* auth. præterea C. vnde vir, & vxor. 372.

4. *An non extantibus filijs prioris matrimonij, extantibus verò aſcendentibus vxor ſuperſtes inops acquirat quartam bonorum partem viri prædefuncti diuitis, & an teneatur eandem eiſdem aſcendentibus reſeruare.* 374.

5. *An non extantibus filijs, nec aſcendentibus mulier inops ſuperſtes ſuccedat in toto, an tantum in illo quarta bonorum partis.* 375.

6. *An extantibus filius, vel aſcendentibus, qui repudient hæreditatem patris diuitis prædefuncti hæreditas accreſcat vxori pauperi.* 37 .

7. *An vxor pauper ſuperſtes marito diuiti prædefuncto ius habeat ad illam quartam bonorum partem, & habeat Patrem diuitem.* 3 7.

8. *An ea, quæ hactenus dicta ſunt de vxore paupere ſuperſtite in ordine ad bona mariti diuitis prædefuncti intelligenda ſint de marito paupere ſuperſtite in ordine ad bona vxoris prædefunctæ & diuitis.* 377.

9. *An hodie vitentur pœnæ iuris contra nubentes intra annum luctus, quantumvis pro quacunque anni parte ſecundæ nuptiæ ſequantur.* 379.

10. *An correctio pœnarum ciuilium per ius canonicum non ſolum proſit quoad forum conſcientiæ, ſed etiam quoad forum ciuile.* 380.

11. *An per ius canonicum correcta intelligatur* auth. cui relictum de ind. vid. tol. & auth de nuptijs §. quæ vero vnde ſancimus. 381.

12. *An correcta ſit pœna qua mulier ſuſcepta tutela præſtito iuramento de non tranſeundo ad ſecunda vota tranſiens ad ſecunda vota non petito tutore ſubditur eiſdem iuribus ciuilibus afficientibus tranſeuntes ad ſecundas nuptias intra annum luctus.* 382.

13. *An pœnæ ſecundarum nuptiarum afficiant viduam fornicantem.* 383.

14. *An vidua ſic fornicans intra annum luctus in foro conſcientiæ ſubeat illas pœnas ipſo iure non expectata Iudicis ſententia.* 384.

15. *An vidua fornicans poſt annum luctus contrahat pœnas ſecundo nubentium intra annum luctus, vel poſt annum eiuſdem luctus.* 385.

16. *An vidua ſemel fornicans amittat dotem.* 386.

17. *An mulier vidua in eaſdem pœnas incidat per ſolos actus inhoneſtos præparatorios ad fornicationem.* 387.

18. *An Amaſius fornicans cum vidua ſubijciatur pœnis iuris contra ſecundo nubentes.* 388.

19. *An vidua, quæ iam ſecundo nupſerat, incurrat pœnas anni luctus, ſi poſt eaſdem ſecundas nuptias intra tamen annum luctus ab obitu prioris mariti fornicata fuerit.* 390.

20. *An pœnæ contra viduas fornicantes intra annum luctus intelligantur per ius canonicum correctæ, ſicuti pœnæ contra ſecundo nubentes intra annũ eiuſdem luctus.* 391.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de Matrimonio IV. prænotiones.

§. 1. *AN attento iure communi præcisè vidua tranſiens ad ſecundas nuptias exiſtentibus filijs, ſed profeſſis in Religione poſſit in vltima voluntate diſponere liberè de bonis ſuis.* 392.

2. *An ſi viuente matre binnuba filia ante profeſſionem iuribus ſuis renuntiauerit in fauorem tertij teneatur mater renuntiatario reſeruare proprietatem bonorum à priori marito eidem liberaliter relictorum.* 393.

3. *An mater binnuba poſſit fraudare filiam prioris matrimonij in Religione profeſſam legitima, & an filia ante profeſſionem viuente matre eidem legitimæ potuerit renuntiare in fauorem alterius* 395.

4. *An ſtante ſtatuto, quod mulier nequeat fraudare ſuos deſcendentes vtriuſque ſexus, ſed eiſdem relaxare totam ſuam hæreditatem poſſit eadem extante vna tantum filia, eademque profeſſa de bonis ſuis pro libertate diſponere.* 396.

5. *An primo matrimonio non conſummato vxor tranſiens mortuo altero coniuge ad ſecundas nuptias teneatur reſeruare filijs antecedenter ad illud primum matrimonium ſuſceptis bona quæ à marito prædefuncto liberaliter accepit.* 397.

6. *An, ſi maritus in ſuo teſtamento aliquid vxori reliquerit data etiam licentia tranſeundi ad ſecundas nuptias, hæc amittat relictum, aliaſque pœnas iuris ſubeat, ſi ſecundo nubat intra annum luctus.* 399.

7. *An mater binnuba, quæ de licentia prioris coniugis tranſijt ad ſecunda vota teneatur reſeruare filijs prioris matrimonij ea, quæ ex legis decreto, vel ex ſucceſſione filij alterius coniugis prædefuncti adepta eſt.* 400.

8. *An vxor per tranſitum ad ſecundas nuptias amittat proprietatem ſecundæ partis augmenti dotis, quem elegit ex vi ſtatuti tribuentis eidem, vel vſumfructum totius augmenti, vel dimidium proprietatis eiuſdem.* 401.

9. *An in ſuppoſitione, quod illam medietatem proprietatis per tranſitum ad ſecundas nuptias amitteret vxor, eandem etiam amitteret, ſi filij conceſſiſſent, vt libere haberet, & de illa diſponeret.* 402.

10. *An vxor teneatur reſeruare mulctam filijs primi matrimonij, qua Iudex condemnauit homicidam mariti agente eadem vxore, & proprio,*

& filiorum nomine. 404

11 An uxor pupillariter ſubſtituta à marito filio impuberi ſuccedat etiam in bonis, quæ filius aliunde acquiſiuit. 405

12 An fructus pendentes à proprietate ad obitum matris binnubæ cedant hæredibus eiuſdem Matris, an verò filijs prioris matrimonij. 406

13 An parens tranſiens ad ſecunda vota teneatur bona, quæ conſecutus eſt per filij renunciationem, reſeruare filijs prioris matrimonij. 406

14 An parens tranſiens ad ſecundas nuptias teneatur reſeruare filijs prioris matrimonij portionem illam, quam acquiſiuit ex bonis alterius coniugis ex eo, quod filia excluſa ſit per ſtatutum à ſucceſſione parentum. 409

15 An fœmina tranſiens ad ſecunda vota euitet pœnas, ſi fuerit minor. 410

16 An uxor ſecundo nubens ſubiaceat pœnis, quas primo viro promiſit, ſi ad ſecundas nuptias tranſierit. 411

17 An legato uſusfructu uxori, ſi castè vixerit in viduitate, & centum, ſi nupſerit, uxor acquirat centum, ſi poſt inhoneſtam vitam nubat. 412

18 An emphyteuſis habita à primo coniuge pro ſe, & filijs ſuis, ſiue maſculis, ſiue fœminis extante ſtatuto excludente fœminas à ſucceſſione debeatur filiæ primi matrimonij, etiam ſi ex ſecundo habiti fuerint maſculi. 413

19 An legatum à marito factum uxori in dubio ſit interpretandum pro, an contra uxorem binnubam. 414

20 An Tutores conſentientes ſecundis nuptijs Matris præiudicent filijs, quorum tutelam adminiſtrant. 415

21 An filius in ſuo teſtamento poſſit præterire matrem binnubam. 416

22 An filia, quæ fauore Patris renunciauit bonis paternis, & maternis excludatur à bonis, quæ proprio iure eidem ſpectant propter tranſitum Patris ad ſecunda vota. 417

23 An filia, quæ per renunciationem excluſa eſt à bonis maternis propter fratrem moriente fratre admittatur excluſis fratribus conſanguineis. 418

24 An legatum factum à conſanguineis uxoris eidem ſub conditione castè, & honeſtè viuendi poſt diſſolutum primum matrimonium amittatur, ſi eadem uxor nubat perſonæ infimæ conditionis. 419

25 An legatum relictum pro maritandis fœminis honeſtis, & honeſtè viuentibus poſſit dari fœminæ, quæ ſemel fornicata eſt. 420

26 An legatum pro fœminis maritandis poſſit tradi viduis ſecundo nupturis. 421

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio V. hoc eſt de donatione inter coniuges.

Præn. 1. AN donationes inter virum, & uxorem conſtante matrimonio ſint validæ. ſeq. 424

2 An futurus maritus ante contractum matrimonij poſſit dotem validè conſtituere futuræ uxori, illique augmentum irreuocabiliter facere. 427

3 An donatio remuneratoria inter virum, & uxorem conſtante matrimonio teneat, & irreuocabilis ſit. 428

4 An uxor omnia ſua obſequia debeat marito. 431

5 An fructus dotis promiſſæ poſſint à marito donari uxori. 432

6 An pactum, ut maritus lucretur dotem, ſi uxor præmoriatur ſine filijs teneat, & quid ſentiendum ſit in hoc caſu, ſi dos fuerit tantum promiſſa. 434

7 An uxor lucretur donationem propter nuptias ſtante pacto de illius lucro, ſi maritus præmoriatur uxori, ubi hæc dotem non tradidit marito, ſed tantum promiſit. 435

8 An ſi maritus conſtante iam matrimonio conſtituerit dotem uxori nobili, vel iuueni, dum ipſe eſſet ignobilis, vel ſenex dos ipſa ſic conſtituta teneat. 438

9 An confeſſio viri de dote recepta, quam recepiſſe minime conſtat cenſeatur donatio, & valida ſit. 440

10 An dos conſtituta per virum uxori minuat legitimam debitam aſcendentibus, vel deſcendentibus. 443

11 An valeant donationes inter coniuges, ex quibus donans non efficiatur pauperior. 444

12 An in alijs caſibus ab enumeratis poſſit eſſe valida donatio inter coniuges. 446

13 An donationes inter coniuges non veræ, ſed putatiuæ teneant. 447

14 An donatio inter coniuges confirmetur iuramento. 450

15 An donatio inter coniuges confirmetur morte naturali donantis. 454

16 An ſicuti donatio inter coniuges confirmatur morte naturali donantis, ita confirmetur morte ciuili eiuſdem. 458

DISQVISITIONES I.

A prima ad octauam prænotionem incluſiuè.

§. 1. AN donatio facta ante nuptias, ſed eadem die, quâ nuptiæ fuerunt initæ, teneat. 459

2 An donatio per coniugem conſtante matrimonio facta tertio cum eo onere, ut diſſoluto matrimonio fiat alterius coniugis, teneat. 461

3 An ſit donatio prohibita inter coniuges illa, quæ maritus volenti ſibi donare, roget, donare propria uxori. 463

4 An augmentum dotis factum conſtante matrimonio à viro ignobili, aut ſene uxori nobili, aut iuueni gaudeat dotis priuilegijs. 465

5 An uxor conſtante matrimonio poſſit marito conſtituere dotem, ſeu augmentum dotis. 466

6 An mulier diues, quæ ſine promiſſione, ſeu ſtipulatione dotis nupſit poſſit cogi dotem marito conſtituere. 468

7 An

Digitized by Google

7 *An donatio cauſa mortis inter coniuges ea adiecta conditione, vt ſit irreuocabilis, teneat.* 469

8 *An donatio facta per ſocerum Genero, aut Nurui confirmetur morte eiuſdem ſoceri.* 470

9 *An valeat donatio, qua coniuges ſibi mutuo donant ea lege, vt ſuperſtes ad alterius obitum eius bonis fruatur, donec vixerit.* 471

10 *An donatio cauſa mortis inter coniuges eueniente morte donatoris retrotrahatur ad tempus, pro quo facta eſt.* 472

11 *An teneat donatio, ſi vir donet vxori, quid annuũ ad alimenta.* 473

12 *An pactum, quod fructus dotis tranſeant in augmentum dotis non obſtante, quod alimenta per maritum erogentur vxori, teneat.* 476

13 *An teneat pactum, vt ſocer, ſeu mulier promittens dotem teneatur alimenta præſtare ipſi vxori, donec dos ab illis detineatur, teneat.* 477

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas de Matrimonio V. prænotiones.

§. 1. *AN, ſi coniux leges coniugi, qua prius ei donauerat, videatur à donatione receſſiſſe.* 478

2 *An donatio inter coniuges ſicuti confirmatur iuramento ita etiam firmetur homagio.* 479

3 *An iuramentum contra iuramentum de non contraueniendo, quando prius iuramentum nullum ius tertio induxit, firmet donationem.* 480

4 *An contractus iure inualidus firmetur iuramento contra prius iuramentum de non contrahendo, quando is, cum quo contrahitur, non erat conſcius prioris matrimonij.* 481

5 *An donatio inter coniuges morte confirmata retrotrahatur tam quoad fructus induſtriales, quàm quoad naturales.* 482

Don Mauritius Arpaud Congregationis Cler. Reg. S. Pauli Vicarius Generalis.

CVM Librum, cui titulus eſt, *Nouiſſima praxis Theologicolegalis in alias de Matrimonio Controuerſias*, à Patre Don Gregorio Roſignolo Congregationis noſtræ Presbytero Profeſſo compoſitum duo eiuſdem Congregationis eruditi Viri, quibus id commiſimus, accurata lectione, & graui iudicio recognouerint, & poſſe in lucem edi probauerint. Nos vt Typis mandetur, quantum in Nobis eſt, facultatem facimus. Dat. Romæ in Collegio noſtro SS. Blaſij, & Caroli die 26. Ianuarij 1686.

Don Mauritius Arpaud Vic. Gen.

Locus ✠ Sigilli.

D. Antonius Maria Buruntius Cancell.

NOuiſſimam Praxim Theologicolegalem, inſcriptam in alias de Matrimonio controuerſias, ſed vniuerſaliùs effuſam, *Auctore Adm. Reu. Patre D. Gregorio Roſignolo*, quam ex officio cenſui, ſolidâ vbique doctrinâ refertam inueni. Qua propter typis illam concedere, non ſolùm eſt ſingulari eiuſdem Auctoris merito ſubſcribere, verùm etiam literatorum virorum commodo inſeruire.

Ita ego D. Hieronymus Meazza Sacra Theologia Profeſſor, Clericorum Regularium, vulgò Theat. Viſitator, pro Sanctiſſima Inquiſitione Cenſor librorum. Dat. ex ſacris noſtris D. Antonij Mediolani Ædibus decimo ſeptimo calendas Maij, anno MDCLXXXVI.

Die Aprilis 1686.

Attenta præfata atteſtatione

Imprimatur Fr. Sixtus Cerchius Inquiſitor Generalis Status Mediolani.

Iacobus Saita S. T. D. Canonicus Baſilica S. Ambroſij pro Eminentiſs. D. D. Cardinali Vicecomite Archiep.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

CON-

Digitized by Google

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio III. hoc eſt de Diſpenſationibus.

IMpedimenta, ſi de iure diuino, vel naturæ, non dirimant matrimonium, vtique ſunt per Summi Pontificis auctoritatem diſpenſabilia, & propterea congruo quidem ordine procedimus, ſi poſtquam de huiuſmodi impedimentis fuſis paginis diſſeruerimus, de diſpenſationibus immediata methodo diſſeramus. Apprimè vtilis materia hæc eſt, nam viam pandit multis difficultatibus dirimendis, quæ mentes hominum obruerent, & dubijs plurimis fatigarent, quibus turpiſſimè laberentur, niſi præuia, & exacta cognitio erroribus omnibus obuiaret. Series diſputationum hæc erit, vt primò inueſtigemus naturam, & conditiones diſpenſationis, & poteſtatis diſpenſandi; ſecundò cauſas, ob quas licitè fiat diſpenſatio; tertiò defectus, qui contingere poſſunt ex parte diſpenſantis ex negatione legitimæ poteſtatis, vel ex parte impetrantis, quatenus in petitione, vel vera non exponat, vel exponenda taceat, vel iuſto titulo petendi careat; quartò cauſas, ob quas diſſoluatur diſpenſatio iam legitime conceſſa; quintò clauſulas, quæ apponi ſolent in reſcriptis diſpenſationum iuxta ſtilum Curię Romanę, à qua emanent. Sedulò his quęſtionibus incumbamus, cum multum conferant non ſolum in hac materia, ſed etiam in quacunque, in qua contingat de diſpenſationibus agitari.

PRÆNOTIO I.

Quid propriè ſit diſpenſatio, & quænam ipſius conditiones.

SVMMARIVM.

Ethimon nominis diſpenſationis. 1.
Quid propriè ſit diſpenſatio quoad præſens inſtitutum. 2.
Quomodo differat ab irritatione, interpretatione, abrogatione, & à priuilegio. 3.
Exigit iuſtam cauſam, ſiuè fiat à ſuperiore in lege propria, ſiuè ab inferiore in lege ſuperioris. 4.
Si ſuperior diſpenſet in ſua lege ſine cauſa valida eſt diſpenſatio. 5.
Si inferior diſpenſet in lege ſuperioris ſine cauſa inualida eſt diſpenſatio. 6.
Pontifex nequit ſine cauſa validè diſpenſare in votis. 7.
Epiſcopus nequit ſine cauſa validè diſpenſare in lege Pontificis. 8.
Superior diſpenſans in ſua lege ſine cauſa ex genere ſuo peccat lethaliter. 9.
Etiam petens diſpenſationem ſine legitima cauſa peccat lethaliter. 10.
In vſu diſpenſationis ſine cauſa non committitur diſtinctum peccatum ab ipſa iniuſta petitione. 11.
Diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris ſine cauſa reali, putatiua tamen, in rigore iuris non tenet, tenet tamen ex æquitate. 12.
Diſpenſatio facta ab inferiore ſine cognitione cauſæ non tenet. 13.

1 Ethimologia nominis, & preſſa ipſius ſignificatio.

DISPENSATIO ſecundum primariam ſuam originem ſumpta nihil aliud importat, quam pecuniariam diſtributionem pluribus factam deſumpta ethimologia à verbo *diſpenſo*, quod idem ſonat, ac *diuerſis penſo*, prout rectè adnotauit *Siluester verb. diſpenſatio in princip.* ex hac tamen primaria, & propria ſignificatione translatum eſt nomen diſpenſationis ad ſignificandam quamcunque rerum diſtributionem ſecundum ordinem diſtributiuæ iuſtitiæ. Preſſius tamen hic ſumitur pro exemptione alicuius ab onere legis, ſeù iuris, cui adſtringitur; vnde diſpenſare in iure dicitur quodammodo ius vulnerare *c. ipſa pietas 23. q. 4.* Iuxta hunc ſenſum ſit

2 Definitio diſpenſationis propria.

Aſſertio I. Optimè definitur diſpenſatio per hoc, quod ſit *rigoris iuris per eum, ad quem ſpectat, miſericors, & canonicè facta relaxatio*. Conſentiunt in hanc definitionem *Gloſa in c. requiſitis § niſi rigor verbo, vt plerique q. 7. ArchiDiaconus c. licet canon n. 2. de elect. in 6. Immola l. quidam conſulebat n. 8. ff de re iudic. Graffius 1. part. deciſ. lib. 2. c. 31. n. 1. Siluester verb. diſpenſatio nu. 1. Sanchez de matrimon. lib. 8 diſp. 1. n. 2.*

Explicatur definitio per ſuas partes.

Probatur, & explicatur definitio per particularum diſcuſſionem. Dicitur, *rigoris iuris*, per quam particulam innuitur, quod adhoc, vt propriè fiat diſpenſatio, requiratur, quod ille, ſupra quem eadem cadit, aliquo iure obſtringatur: non enim dicitur relaxari, qui obſtrictus non eſt; vndè optimè dicitur, quod diſpenſatio ſit in diſpenſante poteſtas, ſeù vſus poteſtatis iure conceſſus, in diſpenſato vero ſit ius priuatum, ſeù permiſſio facta contra rigorem iuris, non verò ius commune per textum *in c. interfectores 32. q. 2.* Dicitur, *per eum, ad quem ſpectat*, quæ particula explicat cauſam efficientem idoneam diſpenſationis: non enim quilibet habilis eſt ad diſpenſandum, ſed ille dumtaxat, cui à iure conceditur poteſtas ad diſpenſandum. Dicitur *miſericors, & canonicè facta relaxatio*; ex quibus particulis plura inferuntur, & primo per ly *miſericors*, quod nullum ſit onus in diſpenſante ad largiendum beneficium diſpenſationis, ſed conceſſio ſit cum pleno, & libero iure concedentis. Secundò per ly *canonicè facta*, quod debeat fieri ſeruatis iuribus, inſpecta ſcilicet cauſa, quæ mouet ad diſpenſandum; non enim congruè ſit, quando fit ſine cauſa, alijsque, quæ in hoc genere attendenda ſunt, de quibus infra; per ly tandem *relaxatio* importatur exemptio, quam diſpenſatus ſortitur ab onere communis iuris, non quia ius ipſum abſolutè ſecundum ſe perimatur, ſeù abrogetur; ſed quia eodem manente ſecundum ſe illa ſo ipſe ſubtrahitur ab eodem, nec onere illius afficitur.

3 Eius differentia ab irritatione.

Per hanc definitionem ſic explicatam optimè conſtat, quomodo diſpenſatio differat tum ab irritatione, tum ab interpretatione, tum ab abrogatione, & derogatione legis, tum tandem à priuilegio. Differt primo ab irritatione, quià hæc importat legis caſſationem, quatenus non habeat vim legis, nec obliget, cum non habuerit, quo firmaretur; illa vero adhuc remanet in vigore legis obligantis, ſed diſpenſatum ex cauſa ab onere illius legis eximit, ſeù ex priuilegio ſubtrahit.

Ab interpretatione

Differt, ſecundò ab interpretatione, quià hæc ſolum importat, vt ille, in cuius fauorem ſit interpretatio, declaretur in tali determinato euentu non ſubijci legi obliganti, nec legem ad illum extendi; diſpenſatio verò ſupponit diſpenſatum ſubdi oneri talis legis, ipſaque obligari, ſed illum ex priuilegio à tali onere eximit, & liberat.

Ab abrogatione, & derogatione legis.

Differt tertio ab abrogatione, & derogatione legis; quià illa ſupponit, quod lex obligandi habuerit vim, ſed quod poſteà fuerit caſſata, & per hoc etiam quodamodò differt ab irritatione, quià hæc ex defectu requiſitorum ad legem conſtituendam non habuit vim

in

In ſua origine ad obligandum, abrogatio autem ſupponit legem habuiſſe vim ad obligandum, ſed poſtea eandem vim fuiſse caſsatam; derogatio verò ſupponit etiam legem habuiſse vim, & eam non in toto tollit, ſed dumtaxat in parte; diſpenſatio autem, nec in toto, nec in parte ipſam legem ſecundum ſe tollit, ſed diſpenſatum tantum ab ipſa, & vi ipſius deobligat. Differt tandem à priuilegio, quià hoc poteſt fieri, & concedi ſine cauſa, non autem illa regularitèr loquendo, prout notarunt *Rebuffas in concordatis in forma mandati Apoſtolici ſuper verbo diſpenſationum verſ. iuſtæ diſpenſationis, Mandoſius in praxi ſignaturæ verb. diſpenſationes verſ. hic quæri poſſet, Manuel qq Regul. tom. 2. q. 46. art. 2.*

A priuilegio.

Aſſertio II. Diſpenſatio ex genere ſuo, & regularitèr loquendo exigit iuſtam cauſam, ſiuè fiat per ſuperiorem in lege propria, ſiuè per inferiorem in lege ſuperioris. Conueniunt communitèr DD. quamuis diſcrepent inter ſe circa validitatem eiuſdem, nam *Vaſquez in 1. 2. tom. 2. diſp. 178. c. 4. per totum* exiſtimat eſſe inualidam, quando ſuperior ſine cauſa diſpenſat, vel in lege propria, vel in lege inferioris; alij verò è contra, & magis communitèr ſentiunt validam eſse, inter quos *Salas de Legibus diſp. 20. ſect. 4. n. 37. Suarez de Legibus lib. 6. c 19. n. 6. Pontius de matrimon lib. 8. c. 14. n. 7. Lorca in 1. 2. tom. 2. diſp. 27. Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 2. dub. 41. n. 5. Diana pars 1. tract. 10. reſol. 32.*, & ità tenendum eſt; Quandò verò inferior ſine cauſa iuſta diſpenſat in lege ſuperioris non ſolum illicita eſt diſpenſatio, ſed etiam inualida *D. Thomas 2. 2. q 88. art. 12. ad ſecundum*, & cum eo conueniunt *omnes Theologi in 4. diſt. 38. Gloſa in c non eſt verb. adimplere de voto*, & ita etiam ſentiendum eſt.

exigit regularitèr iuſtam cauſam.

Probatur primo in genere exigere iuſtam cauſam, ſiuè fiat à ſuperiore in lege propria, ſiuè ab inferiori in lege ſuperioris; & primo, quià per quemcunque fiat diſpenſatio in lege communi fit violatio æqualitatis, quam iuſtitia exigit inter omnes ſeruari, cum inter conditiones iuſtæ legis ſit, vt ſit æqualis omnibus. Secundo, quià poteſtas debet eſſe in ædificationem, non ex deſtructionem teſte *Apoſtolo 2. ad Corinth. 10.*; diſpenſatio autem ſine cauſa eſt potius in deſtructionem, quam in ædificationem, cum potius ſit diſſipatio, quam diſpenſatio, vt notauit *D. Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugenium in fin* Tertio, quià etiam ipſe legiſlator quoad vim directiuam ſubditur obſeruantiæ legis à ſe conditæ, vt ſuppono ex quæſtionibus de legibus, ergò ſicuti quoad talem vim non poteſt ſe ipſum eximere, nec poterit alios ſine legitima cauſa de obligare. Quinto in particulari quoad matrimonia colligitur primo *ex Concil. Trident. c. 5. ſeſſ. 24.*, vbi ſic legitur. *In contrahendis matrimonijs, vel nulla omninò detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa*. Secundò ex eodem Trident. *c.* 18. *ſeſſ. 23. de reformat. Quod ſi vrgens, iuſtaque ratio, & maior quandoque poſtulauerit cum aliquibus diſpenſandum eſſe id cauſa cognita, & ſumma cum maturitate, à quibuſcunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, præſtandum eſt.*

Probatur ſecundo, quod quando ſuperior, vel alter diſpenſat in lege propria, quantumvis illicita ſit diſpenſatio ſine iuſta cauſa, ſit tamen valida; probatur, inquam, quià huiuſmodi leges quoad vim obligandi pendent dumtaxat à voluntate conſtituentis eandem legem, ſeù eaſdem leges, ergò ceſſante tali voluntate per diſpenſationem vtique ceſſabit, & formalis ratio obligandi. Secundo, quià poteſt ſuperior, qui legem condidit etiam ſine cauſa abſolutè eandem legem abrogare, adeovt non amplius eadem lex obliget, & valida ſit abrogatio, ergò etiam poterit ſuper illa in aliquo ſpeciali euentu diſpenſare etiam ſine cauſa, ſed præcisè ex propriæ voluntatis arbitrio, adeo vt non obliget, & valida ſit diſpenſatio.

5 Valida eſt diſpenſatio ſine cauſa in ſua lege.

Dices de iure diuino naturali eſt, quod princeps abſque cauſa nequeat diſpenſare in iure humano, cum ius naturæ dictet partem ſuo toti congruere debere, nec temerè, & imprudenter poſſunt aliqui excipi per diſpenſationem, hocque idem cōfirmat dictum Apoſtoli 2. *ad Corinth* 10. vbi poteſtas debet eſſe ad ædificationem, non ad deſtructionem, eſſet autem deſtructio, ſi diſpenſatio eſſet temerè, & ſine cauſa; ſed diſpenſationes factæ per humanā poteſtatem contra ius naturale diuinum ſunt abſolutè inualidæ, vt patebit ex infra dicendis in probatione ad tertiam partem, ergo &c. Sed contra fateor primo eſſe de iure naturali diuino, vt Princeps non diſpenſet ſine iuſta cauſa in iure humano iuſto; fateor ſecundo non poſſe Principem diſpenſare validè in iure diuino naturali; ſed nego quod Princeps diſpenſans in iure humano, ſeu in propria ſua lege diſpenſet in iure diuino naturali, ſed tantum aſſero, quod violet ius diuinū diſpenſando in lege humana, & quidem quod in iure diuino naturali non diſpenſet ex eo euincitur, quod non tollat ius ipſū diuinum, ſed eidem adhuc obſtrictus remaneat, & non ſeruando illud peccet; quamuis igitur violando tale ius diuinū naturale peccet, factum tamen non redditur nullum, quia lex præcisè prohibet factum illud, non annullat, ſi fiat.

Non diſpēſet in iure diuino naturali, ſed tantum illud violat.

Probatur tertio, quod quando inferior diſpenſat ſine cauſa in lege ſuperioris

Digitized by Google

Diſpenſatio in lege ſuperioris ſine cauſa eſt inualida.

inualida ſit diſpenſatio hoc pacto, quia ſuperior committens propriæ legis diſpenſationem inferiori non intelligitur abſolutè propriæ voluntatis dominium quoad eandem legem transferre in inferiorem, ſed vt tanquam diſpenſator fidelis iuxta dictamen rationis,& regulas fidelis adminiſtrationis circa eandem legem diſponat,& vtique ad ædificationem,non ad deſtructionem; ſed quando diſpenſaret in lege ſuperioris ſine iuſta cauſa vtique de eadem diſponeret non ſecundum dictamen rectæ rationis, ſed vt diſſipator iniquus, & dilapidator alienorum bonorum contra voluntatem Domini rationabiliter præſumptam, ergo ſic diſpenſando inualidè diſpenſaret, adeput nullius roboris eſſet diſpenſatio, & nullum conſequeretur effectum, ſicuti inualidè diſponeret de bonis Domini ſui Economus, qui conſtitutus ad adminiſtranda bona ipſius prodigè illa dilapidaret; Neque dicas, quod etiam ipſe ſuperior in lege ſua diſpenſans ſine legitima cauſa ſit potius diſſipator, quam diſpenſator, & tamen valida ſit ipſi⁹ diſpenſatio, ergo &c.; contra enim impugnaberis, quia ſuperior eſt Dominus propriæ voluntatis, & eorum quæ ab ipſa dependent; inferior autem non eſt, niſi adminiſtrator voluntatis, & bonorum eiuſdem ſuperioris, & ſic ſicuti Dominus, vt bonorum ſuorum moderator, & arbiter poteſt de bonis ſuis diſponere quomodocunque etiam prodigendo, & dilapidando, non tam adminiſtrator hæc poteſt facere, ſed tantum diſponendo iuxta regulas fidelis adminiſtrationis, ita etiam ſuperior vtpotè Dominus propriȩ voluntatis, à qua totam vim habet lex à ſe ipſo condita poterit pro libito de ea diſponere tanquam de re propria etiam in diſperſionem, non tamen hoc poterit præſtare inferior, cum non ſit conſtitutus Dominus, ſed tantum adminiſtrator fidelis, & villicus vtilis.

7 Hinc in particulari habes primo, quod etiam Pontifex ſine legitima cauſa non poſſit validè diſpenſare in iure diuino, & naturali, vt in voto, vel iuramento, quia diſpenſaret in lege ſuperioris, prout ſpecialiter docent *D. Thomas* 2. 2. *q.*88. *art.*12. *ad ſecundum*, & cum eo omnes ferè Theologi *in* 4. *diſt* 38. *Gloſa in c. non eſt verb. adimplere de voto.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Prælatus in ordine ad ſuos ſubditos ita comparetur, ſicuti Dominus ad ſeruos, Pater ad filios, maritus ad vxorem; ſicuti igitur Dominus, Pater, & maritus poſſunt ad libitum irritare vota ſeruorum, filiorum, & vxoris, nonniſi, quia intelligantur huiuſmodi vota emiſſa ſub tacita conditione, ſi illis placuerit; ita etiam poterunt Prælati pro libito per diſpenſationem tollere vota, & iuramenta ſuorum ſubditorum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt bene notat *D. Thomas* 2. 2 *q.* 88 *art.* 12. *ad* 2. diſpar omnino eſt ratio de Domino, Patre, ac marito in ordine ad ſeruos, filios, & vxorem, ac de Prælato in ordine ad ſuos ſubditos quoad irritationem, & diſpenſationem votorum, quandoquidem illi ſunt præditi poteſtate dominatiua, qui propterea voluntatem ſuorum inferiorum infringere, iſti verò ſolummodo gaudent poteſtate adminiſtratoria, & diſpenſatoria ad regulas iuris, & ad normam præſumptę voluntatis Dei, qui propterea diſponere debent de tali poteſtate in ædificationem, non in deſtructionem, hoc eſt ex legitima cauſa, non ſine illa.

Pontifex diſpenſans ſine cauſa in voto, vel iuramento inualidè diſpenſat.

Diſpar ratio de Domino, Patre, & marito in ordine ad ſuos correlatiuos, ac de Prælato in ordine ad ſuos ſubditos.

8 Habes ſecundo, quod Epiſcopus non poſſit validè ſine iuſta cauſa diſpenſare in lege communi Romani Pontificis, puta in lege ieiunij, & celebrationis feſtorum ob eaſdem rationes, quia ita ſe habent Prælati inferiores ad legem Romani Pontificis, ſicuti Romanus Pontifex ad legem Dei, prout optimè notarunt *Speculator tit. de diſpenſatione* §. *dicendum rectas n.* 19. *Innocentius c. cum ad monaſterium n.* 4. *de ſtatu Monachor. Baldus in l. Barbarius n.* 7. *ff. de offic. Prætoris*, *Sotus lib.* 7. *de iuſtit. & iure q.*4 *art.*3. *col* 9. *verſ. rurſus circa eadem*, *Nauarus c fin. n* 4. *de ſimonia Coaruuias in* 4. *decret.* 2. *part. c* 6. §. 7. *n.*11.

Epiſcopus ſine cauſa inualidè diſpenſat in lege Pōtificis.

9 Circa ſecundam partem aſſertionis duo dubia hic conſurgunt examinanda. Primum, an ſuperior in propria lege diſpenſans ſine legitima cauſa peccet læthaliter, an dumtaxat venialiter? Secundum, an ſubditus petens, & vtens diſpenſatione ſine tali cauſa eadem culpa afficiatur, qua ſuperior diſpenſans? In ordine ad primū probabilius exiſtimo ex genere ſuo peccare læthaliter, *Granado controu.* 7. *tract.* 3. *part.* 2. *diſp.* 17. *ſect.* 3. *n.*24. *Caietanus in ſūma verb. diſpenſatio in initio, & ibi Armilla n* 13. *Coaruuias* 4. *decret.* 2. *part c.*6. § 9. *n.* 7. *Petrus de Ledeſma in ſumma ſacrament. vbi de matrimon. c.* 27. *poſt quartam concluſionem dub.*1. hocque probabile etiam exiſtimat *Sanchez lib.*8. *diſp* 18. *n.* 6. quamuis contrariæ ſententiæ ipſe adhæreat. Ratio ex eo deducitur, quia diſpenſator ſine legitima cauſa in iure appellatur potius deſtructor, & diſſipator, quam diſpenſator, & vt concedit *Sanchez loc cit. n.*3. eius poteſtas eſſet potius in deſtructionem, quam in ædificationem, ſed diſſipatores, & violatores legis grauis ex genere ſuo peccāt lætaliter, ergo &c. Neque dicas, hæc verificari, quando legem violat independentem à proprio arbitrio, ſecus quando tota vis legis ab ipſius voluntate deriuat; contra enim impugnaberis, quia non ſolum attenditur culpa per ordinem ad legem quæ violatur, quæque dependens eſt à propria voluntate violantis, ſed etiam per or-

Pontifex ſine cauſa diſpenſans in ſua lege peccat lethaliter.

Digitized by Google

ordinem ad legem naturalem diuinam, qua præcipitur partem debere congruere ſuo toti, nec temerè, & imprudentèr excipiendos eſſe aliquos à communi lege per diſpenſationem, vt vbi non militat diſpar ratio, ſeruetur æqualitas inter omnes, & violare æqualitatem, quam reſpicit iuſtitia, eſt ex genere ſuo lethale, vnde meritò *in Concil. Colonienſi 3. part. 1. c. 33.* dicitur *Impudentiſſimè pleroſque diplomatibus, ac diſpenſationibus apud Sedem Apoſtolicam extortis præter Summi Pontificis mentem (qui & vult, & debet poteſtate ſibi conceſſa non ad deſtructionem, ſed ad conſtructionem vti) abuti*, vbi per ly *impudentiſſime*, & per ly *abuti* importatur noxa pluſquam mediocris, & leuis. In ordine ad ſecundum etiã probabiliter plerique ſentiunt petentem huiuſmodi diſpenſationem ſine legitima cauſa peccare læthaliter, atque ſic expreſſe ſentit *Petrus de Ledeſma in ſumma ſacram. vbi de Matrimon. c. 27. poſt quartam concluſionem dub. 1.* cui videtur adhærere *Coaruuias 4. decret. 2. part. c 6. §. 9. n. 7.* licet dubitanter, quorum opinionem non deſtitutam rationabili fundamento exiſtimo, quandoquidem, vt notat *Sanchez d. lib. 8. diſp. 18. n. 8.* ad normam peccati diſpenſantis ſine legitima cauſa regulatur peccatum illegitimè petentis, quia cooperatur eiuſdem peccato, & ad illud inducit, ergo, ſi illegitimè diſpenſans peccat læthaliter, etiam læthaliter peccabit illegitimè petens; peccans enim, & inducens ad peccatum pari culpa puniuntur. Neque dicas petentem diſpenſationem ſine cauſa petere præcipuè in cauſis matrimonialibus id, quod ſibi de iure naturæ competit, nam præciſis iuribus poſitiuis, vbi non obſtat ius naturæ, cuicunque liberũ eſt cum quacunque contrahere, ergo ſic petendo non peccat, quamuis peccet diſpenſans ſine legitima cauſa, ea proportionali ratione, qua mutuatarius petens mutuum ſub vſura, quando norit mutuantem non eſſe aliter mutuaturum non peccat, quantumuis peccet mutuans ſub tali vſura; contra enim impugnaberis, quia ſtante diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici irretitus aliquo impedimento impotens abſolutè eſt ad contrahendum matrimonium, & impotentia abſolutè ipſum afficit, à qua nequit ſolui, niſi per Romani Pontificis diſpenſationem: mutuatarius verò non eſt ſecundum ſe impotens ad ſibi, rebuſque ſuis ſubueniendum, & iura non obſtant eidem, quin ſibi poſſit conſulere, ſed tantum obſtant mutuanti, ne mutuet ſub vſura; vnde petens mutuum vtitur iure ſuo, cui propterea vſura, quam ſoluit, non eſt ad culpam imputanda; petens verò diſpenſationem ſine legitima cauſa abutitur iure, quo non gaudet, ſicque inducens ſuperiorem ad diſpenſandum ſine legitima cauſa vtique inducit ad peccatum, nec poteſt excuſari ex eo, quod iure ſuo vtatur, cũ nullo iure gaudeat.

10 **Etiam potens diſpẽſationem ſine legitima cauſa peccat læthaliter.**

Diſpar ratio de petente mutuum ſub vſura, ac de petente diſpenſatione ſine cauſa.

Hic alia ſuboritur difficultas, an ſic diſpenſatus ſine legitima cauſa vtendo tali diſpenſatione tot diſtincta peccata committat ab illegitima petitione, quot vicibus tali diſpenſatione vtatur? Sanchez *d. lib. 8. diſp. 18. n. 11.* ſentit probabilius eſſe in vſu talis diſpenſationis etiam peccare, & quidem peccato diſtincto ab eo, quod fuit commiſſum in illegitima petitione; atque pro hac ſententia citat *Abbatem in c. non eſt n. 8. de voto, Additionatorem ad Ioannem Andream c. cum ad monaſterium in fin. de ſtatu monach Rebuffum in praxi beneficior. tit. de diſpenſat. ad plura beneficia n. 55. Coaruuiam 4. decret. 2. part. c 6. §. 9. n. 7. Caietanum 1. 2. q. 96. art. 5. ad fin. Sotum lib. 1. de iuſtit. q 7 art. 3. in fine corporis, & alios plures*. Mouetur ea ratione, quia licet per diſpenſationem ablata ſit legis humanæ obligatio, non intelligitur tamen ſublata obligatio legis naturalis diuinæ, qua præcipitur neminem debere abſque iuſta cauſa à ſuo toto diſcrepare. Nihilominus probabilius ſentio in vſu illius diſpenſationis non committi diſtincta peccata ab eo, quod fuit commiſſum in illegitima petitione *Malderus in 1. 2. q. 97. art. 4. Diana part. 1. tract. 10. reſol. 35. Ancharanus c. non eſt in fin. de voto, Felinus c. cum ad audientiam n. 4. de reſcriptis, Gigas de penſionibus q. 6. nu. 13. Azorius lib. 5. inſtit. mor. c. 15. q. 3. in initio, Palacios in 4 diſt. 15. diſp. 8. col. 17. verſ. quamuis 15. Aragonius 2. 2. q 89. art. 9. ad finem*. Ratio ex illo deducitur, quia per illam diſpenſationem, quæ vtique valida probata eſt, ſublata eſt tota obligatio legis, ergò non peccat poſt conceſſionem vtendo iure, quod ipſi conceſſum fuit, nullum amplius habens reſpectum ad talem legem, ſicuti non peccat contra legem, quando lex penitus ſublata, irritata, ſeù abrogata eſt vtendo iure, quo per talem legem vtebatur; Neque obſtat ratio, qua mouebatur Sanchez ſupra allegatus, quod ſcilicet ceſſante lege humana non ceſſet lex naturalis diuina vetans partem ſine cauſa diſcrepare à ſuo toto; Non obſtat, inquam, quia lex naturalis diuina aduerſatur tantum abrogationi legis humanæ quoad partem ſine legitima cauſa; abrogationi autem ſemel poſitæ non reſiſtit, nec amplius vim aliquam habet; verſatur enim lex illa naturalis diuina circa legem humanam tanquam circa materiam, deficiente autem materia, circa quam lex verſatur, non amplius vim aliquam habere poteſt; in ordine autem ad illam determinatam perſonam, ſupra quã cadit diſpenſatio, lex humana perinde eſt, ac ſi fuerit caſſata.

In vſu diſpenſationis ſine cauſa non committitur diſtinctum peccatum.

Circa tertiam aſſertionis partem duo etiam

Digitized by Google

etiam dubia examinanda occurrunt. Primum eſt, an inferior bona fide diſpenſans in lege ſuperiori exiſtimans ſubeſſe iuſtam cauſam, quæ non ſubeſt, validè diſpenſet, & teneat diſpenſatio? Secundum, an teneat diſpenſatio facta ab inferiori in lege ſuperioris non præcognita prius cauſa, quando re vera cauſa erat iuſta, & legitima? In ordine ad primum aſſero ſtãdo in rigore iuris, diſpenſationem illam nõ tenere, & cognita inſubſiſtentia cauſæ diſpenſatum teneri abſtinere ab vſu, quantumuis illa vtendo ante cognitionem inualiditatis cauſæ non peccarit: attenta tamen æquitate, & præſumpta voluntate ſuperioris diſpenſationem illam tenere. Sic conciliare exiſtimo *Salas de legibus diſp. 20. ſect. 4. n. 35.* cum Sanchez *de Matrimonio lib. 8. diſp. 17. n. 8.* dum ille aſſerit abſolutè non tenere, iſte verò tenere. Ratio primæ partis eſt, quia diſpenſatio ſine legitima cauſa in lege ſuperioris facta per inferiorem per ſuperius allegata, & probata non tenet, ergo nec tenet, quando facta eſt cum cauſa illegitima, quantumuis fuerit per diſpenſantem apprehenſa, vt legitima. Conſequentia tenet, quia bona fides non reddit actum validum, quando alioqui ex ſe inualidus eſt, & ſicuti ſi quis contraheret bona fide matrimonium cum impedimento dirimente, quod arbitraretur non ineſſe, inualidè contraheret, nec excuſaret bona fides, ità qui concederet bona fide diſpenſationem exiſtimans ſubeſſe legitimam cauſam, cum tamen re vera non ſubeſſet, inualidè concederet, cùm ius non haberet concedendi, & ſicuti qui non haberet poteſtatem diſpenſandi inualidè diſpenſaret, ita etiam inualidè diſpẽſare præſumendus eſt, qui quantumuis gaudeat poteſtate diſpenſandi, diſpenſaret tamen ex cauſa illegitima, & inſubſiſtente, cum in ordine ad hanc cauſam non habeat poteſtatem: Neque dicas, quod in ijs, quæ meræ iuriſdictionis ſunt bona fides cum errore, ſeu titulo colorato faciat ius per textum *in l. Barbarius ff. de Offic. Prat.* ergo cum arbitretur poſſe diſpenſare, & bona fide diſpenſet, validè diſpenſare cenſendus eſt: contra enim impugnaberis, quia in primis non eſt error communis, quod inferior valeat diſpenſare in lege ſuperioris ſine legitima cauſa, nec eſt error communis, quod illa cauſa fuerit ſufficiens, ſed tantum error particularis ipſius diſpenſantis, qui propterea non facit ius; Deinde error communis, & titulus coloratus facit ius, quando poteſtas eſt collata ab habente legitimam poteſtatem conferendi in ordine ad ea, ad quæ conceditur talis poteſtas, vt notant *Speculator tit. de inſtrumentor. edit.* §. *reſtat n. 32. Archi-Diaconus c. alienationes paulo poſt principium 12 q. 2 Bartolus l. Adnarios n. 2. C. de numerarijs lib. 12 Baldus in l 2. n. 5. C. de ſent. & interloc. Iaſon l. praſcriptione n. 24. C. ſi contra ius*, cum autem ex communi conſenſu inferior non habeat poteſtatem diſpenſandi ſine legitima cauſa in lege ſui ſuperioris, ideo ille error, ſeu titulus non poteſt eidem conferre legitimum ius. Tãdem non ſufficit error ſolius Principis cõferentis titulum, & exiſtimantis perſonã, cui confertur, eſſe habilem ad hoc, vt geſta per talem perſonam valeant, *Bartolus in l. Barbarius in ſecunda lectura n. 12. ff de offic. Prator. & ibi Baldus in 2. lect. nu. 30. Iaſon n. 65. Maſcardus de probat. concl. 649. n. 64.* ergo neque ſufficit error inferioris de inſufficientia cauſæ, vt diſpenſatio per ipſum facta in lege ſuperioris teneat. Ex quibus omnibus ſequitur, quod poſtea cognita tali inſubſiſtentia cauſæ diſpenſatus teneatur abſtinere ab vſu diſpenſationis non ſubſiſtentis, & cognitæ vt talis; cum quo tamen ſtat, vt antecedenter ad talem cognitionem non peccarit tali diſpenſatione vtendo, cum omnia bona fide peregerit, & rationabiliter operans non eſt reus culpæ.

12 Diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris bona fide non tenet ex rigore iuris, bene tamen ex æquitate.

Explicatur quomodo in hoc error non faciat ius.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod ex begnigna Eccleſiæ gubernatione præſumendum eſt, quod Pontifex circa ſuas leges, & Deus circa ſuas in illa hypotheſi prudentis credulitatis, & bonæ fidei circa ſufficientiam cauſæ nõ ſint rationabiliter inuiti circa illam diſpenſationẽ, & quod ſi in ſimili caſu interrogarentur de propria voluntate, vtique geſtam diſpenſationem ratam haberent, nec obuiarent, ne ſcrupulis aditus aperiatur, & æquum ſit, vt geſta Prælatorum vices Dei gerentium paſſim non infringantur, quod præter Sanchez allegatum clarè ſignificaſſe videtur *Azorius lib. 7. inſtit. moral. c. 29. q. 6.*, vnde in facti contingentia benignè ſic iudicarem; & in hac hypotheſi non compellerem diſpenſatum poſt habitam cognitionem inſufficientiæ cauſæ ad abſtinendum ab vſu talis diſpenſationis, quia ſemel ſublato obice non amplius viget.

Præſumptio ex benignitate Eccleſiæ.

In ordine ad ſecundum probabilius exiſtimo, diſpenſationem illam non tenere, *Nauarrus c. fin. n. 4. de ſimonia, Immola l quidam conſulebat n 7. in fin. & ſeq. ff de re iudic. Azorius lib. 5. inſtit moral c 15 q. 9. & 10. Stunica quaſt. 6 de voto.* Hoc expreſſè colligitur ex *Trident. c 18. ſeſſ. 25. de reformat* vbi ſic legitur. *Sciant vniuerſi ſacratiſſimos canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit indiſtinctè obſeruandos. Quod ſi vrgens, iuſtiorque ratio quandoque poſtulauerit cum aliquibus diſpenſandum eſſe id cauſa cognita, ſummaque maturitate, atque gratis à quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit praſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur*, vbi nota illam particulam *cauſa cognita*, quæ

eſt

Digitized by Google

eſt ablatiuus abſolutè poſitus; ablatiuus, autem abſolutè poſitus facit conditionem & formam, per textum *in l. à teſtatore ff. de condit. & demonſtrat.* Confirmatur, quia inferior in lege ſuperioris diſpenſans non præmiſſa cauſæ cognitione excedit limites propriæ commiſſionis, quandoquidè mandatum Pontificis ad ius referri debet, per textum *in c. de multa de præbend.* & ius exigit, vt inferior in lege ſuperioris non diſpenſet, niſi cognita cauſa; in cauſis autem commiſſis exceſſus in commiſſione inualidat actum, vt eſt in confeſſio apud omnes, cum illud, quod agit, agat ſine poteſtate, nec propria, quam non habet, nec delegata, cum delegatio ad illud non extendatur; neque dicas, quod cauſæ cognitio in tantum requiratur, in quantum exigitur, vt iuſta cauſa interueniat; hæc autem cauſa ſupponitur interuenire, quãtumuis in actu diſpenſationis non fuerit cognita; factum autem, vt benè notat *Menchaca lib. 1. controuerſ. illuſtr. c. 28. n. 6.* & cum eo *Sanchez lib. 8. diſp. 17. n. 11* in foro conſcientiæ tenet, quando finis iuris habetur, quamvis forma, & ſolemnitas eiuſdem iuris prætermittantur, quod etiã notauit, multiſque exemplis illuſtrauit *Bellamera c. veniens n. 18 & ſeq. de filijs presbit.*; contra enim impugnaberis, quia ad conſtituendam validam diſpenſationem non ſolũ requiritur habilitas in ſubiecto, ſupra quod debet cadere, ſed etiam poteſtas in principio diſpenſante, & ſic quantumvis illa cauſa reuera exiſtente in diſpenſato ſit in eodem idoneitas, vt diſpenſetur, quia tamen non eſt poteſtas in diſpenſante, niſi cum tali cognitione cauſæ, ideo defectu poteſtatis in diſpenſante non poteſt eſſe validitas in diſpenſatione, ſicuti non eſt valida diſpenſatio, quando impenditur ab eo, qui non poteſt diſpenſare, quantumuis ſubiectum ſit capax diſpenſationis. Diſpenſatio etenim, prout ſit ab inferiori in lege ſuperioris, debet ex neceſſitate eſſe actus iudicialis, & ad ius relatus; actus autem iudicialis non poteſt eſſe ſine cognitione cauſæ, nec ſufficit exiſtentia cauſæ, quando non cognoſcitur, quia voluntas non fertur in incognitum; vnde meritò docuimus in præcedenti volumine, ꝙ ſi quis falsò credat adeſſe impedimẽtũ dirimens in matrimonio ꝙ cõtrahit, ꝙ tamen reuera nõ adeſt, nõ teneat ille contractus, quia non poteſt eſſe efficax conſenſus ad obiectum apprehenſum, vt impoſſibile; ſic etiam in præſenti hypotheſi, quando inferior concedit diſpenſationem in lege ſuperioris non cognita cauſa, quantumuis illa exiſtat, non poteſt tenere illa diſpenſatio, cum actus, quo cõceditur, non feratur in obiectum cognitũ, vt proportionatum ad eandem diſpenſationem. Verum tamen eſt, quod cognita ſubſequenter exiſtentia illius cauſæ poteſt facilius renouari ſuper illam diſpenſatio, ex vi tamen præcedentis actus ille non poteſt ſubſiſtere. Quamobrem in hoc optimè notauit *Panormitanus in c. diuerſis de cleric. coniug.*, quod diſpenſatio in Principe non requirat cognitionem cauſæ: ſed ſufficiat eius voluntas in ijs, quæ ſunt iuris poſitiui ſolum, vt etiam notat *Innocentius in cap. cum ad monaſterium de ſtat. monach.* benè tamen in inferiori, vt notat *Gloſa ibid. § niſi rigor*, vnde ſi fiat ſine cauſæ cognitione eſt diſſipatio; quæ certè debent intelligi quoad validitatem, non quoad honeſtatem ſimplicitèr; nam ex prædictis quoad honeſtatem etiam Princeps in diſpenſatione debet procedere per cauſam cognitam.

PRÆNOTIO II.

De cauſis legitimis diſpenſationis.

SVMMARIVM.

Aſſignantur in communi cauſa, ob quas poteſt eſſe licita diſpenſatio. 1.
Quomodo cohoneſtetur diſpenſatio ratione temporis. 2.
Ceſſante neceſſitate poſt tempus non euaneſcit diſpenſatio propriè ſumpta. 3.
Cohoneſtatur etiam ratione perſonæ, & quomodo. 4.
Etiam intuitu pietatis, & quomodo. 5.
Item intuitu neceſſitatis. 6., *& vtilitatis.* 7.
Et pro euentu rei. 8.
Etiam iuſta cauſa diſpenſandi in iure communi eſt multitudo. 9.

IN hac prænotione conſiderabimus cauſas legitimas diſpenſationis in communi; in ſubſequenti cauſas diſpenſationis in impedimentis matrimonij in particulari; & quidem circa huiuſmodi cauſas in communi extat integer ferè titulus in iure canonico 1. q. 7., vbi variæ enumerantur, ex quibus validè, & licitè poſſunt fieri huiuſmodi diſpenſationes. Innumeræ ferè ſunt huiuſmodi cauſæ, quæ quia in ordine ad diuerſos caſus quandoque ſufficientes ſunt, quandoque inſufficientes, ideo non admittunt certam, & determinatam regulam, ac proindè in hoc ſtandum eſſe arbitrio boni viri docet *Silueſter verb. diſpenſatio n. 3 q. 1.* Plures, & communiores referam, & ne in immenſum prænotionem protraham reliquas iuxtà regulam Silueſtri ad arbitrium boni viri, qui iuſtà circunſtantias iudicabit, remittam.

Assertio I. Cauſæ diſpenſationis poſſunt eſſe legitimæ, vel ratione temporis, vel ratione perſonæ, vel intuitu pietatis, vel neceſſitatis, ſiuè vtilitatis, & pro 1

1 Cauſæ diſpenſationis in communi aſſignantur.

pro euentu rei *Silueſter verb. diſpenſatio n. 3. q. 1. D. Thomas 2. 2. q 63. art. 2., & q. 67. art. 4. Salas de Legibus diſp. 20 ſect. 8 nu. 75 Reginaldus lib. 13. n. 192. Rodriquez qq regul. q. 22. art. 5.*, & alij magis communitèr.

In vniuerſum colligitur ex textu *in cap. requiſitis 1. q. 7 verſ. niſi rigor*, vbi ſic legitur *niſi rigor diſciplinæ, quandoque relaxetur ex diſpenſatione miſericordiæ*, & poſteà ſubdit. *Quæ Eccleſia tolerat pro tempore, pro perſona, intuitu pietatis, vel neceſſitatis, ſiuè vtilitatis, & pro euentu rei*, & quamuis hic textus videatur ſolummodò loqui de tolerantia, quæ eſt actus merè negatiuus, extendi tamen poteſt etiam ad diſpenſationes, prout notauit *Gloſa in d. c. requiſitis verſ. niſi rigor*, vbi aſſerit per 17. auctoritates probari, quod diſpenſationes fiant ſex modis.

2 Ratione temporis redditur legitima diſpenſatio

Singula iam expendamus in particulari. Dictum fuit primo *ratione temporis*, quæ cauſa indicat, vt quamvis leges pro certo tempore fuerint conditæ, pro quo earum obſeruantia commodè vigere poterat, pro alio tamen, pro quo ex circunſtantijs earum non eſt facilè adimplementum, nō plenam admittant executionem, & propterea maximè æquum, & conueniens ſit, vt ſuper illis diſpenſetur, quod etiam indicatur *in c. neceſſaria 1. q. 7.*, vbi in titulo dicitur *pro temporum neceſſitate Apoſtolicæ ſedis decreta temperantur*. Circa hanc cauſam oritur nunc difficultas, an diſpenſationes, quæ pro remedio, ſeù neceſſitate temporis factæ ſunt, ceſſante tali neceſſitate, ceſſare debeat, & vigere onus, ſuper quod fuit diſpenſatum. Videntur ex textu *in c. quod pro remedio ead. cauſ. & q.* vtique ceſſare, & adhuc reuiuiſcere onus legis, ſupra quam cecidit diſpenſatio. Ibi enim dicitur. *Quod ergo neceſſitas pro remedio reperit ceſſante neceſſitate debet, vtique ceſſare pariter, quod vrgebat, quia aliud eſt ordo legitimus, aliud quod vſurpatio ad præſens fieri tempus impellit*. Nihilominus ſentiendum eſt, quod ſi propriè facta fuerit diſpenſatio, quantumvis poſteà ceſſet neceſſitas non ceſſare diſpoſitum per diſpenſationem; nam diſpenſatio ſemel facta non eſt amplius reuocanda, per textum *c. ſicut de filijs præsbit.* ſicuti, nec in iure reuocatur remiſſio *c. fin. 25. q. 4.*, & notat *Gloſa marginalis in d. c. quod pro remedio 1. q 7.*, quæ etiam reſpondet ad id, quod ex textu afferebatur, quod ſcilicet ſit intelligendum, vt ceſſante neceſſitate ſimilis diſpenſatio non fiat. Dicere etiam poteris, & fore melius, quod ibi non ſit ſermo de diſpenſatione propria, ſed de tolerantia ad tempus, vel ſi de diſpenſatione, non abſoluta, ſed limitata ad tale tempus, ſeù conditionali.

3 Nec ceſſat ceſſante tempore.

4 Etiam ratione perſonæ eſt legitima.

Dictum fuit ſecundo *ratione perſonæ*; ex qua particula plurima inferuntur, & primo, quòd quandoq; ratione fragilitatis in tali perſona attenta in eadem certa qualitate legitimè fiat diſpenſatio, vt colligi videtur *ex c. tanta nequitia 1. q. 7.*, & per textum *in c. antiqui 33. q. 2.* Secundo etiam, quandoque ratione ſenectutis, vt *in d. cap. tanta nequitia*. Ibi in fine. *Simplicitatem tuam cum ſenectute ponimus*; Tertio etiam ratione dignitatis, vt in Principe, & hoc etiam ſine nota, ſeù vitio acceptionis perſonarum, prout docent *Petrus de Ledeſma de matrimon q. 56. art. vlt. ad finem, Salas diſp. 20. ſect. 8. n. 75. Sanchez lib. 8 de matrimon. diſp 19. num 8 Bonacina de legib. diſp. 1. q. 2. punct. 3. prop. 3 n. 20. verſ. tertiò facilius*, nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem, vt plurimū diſpenſationes in huiuſmodi perſonis valde conferunt ad bonum pacis & facilius ad defenſionem Eccleſiæ protrahuntur.

5 Item intuitu pietatis, & quomodo.

Dictum fuit tertio *intuitu pietatis*, ad quam cauſam, ſeù ad quod caput plura etiam poſſunt reduci, & primo pietas reſpectu naturæ, quatenus in aliqua natura fragilis ſit, & propterea exigat pietatem, per textum *in c. fraternitatis diſt. 34.* Secundo pietas ad euitanda ſcandala, quatenus obſeruantia legis vergeret in malum, vel maius bonum impediret *Caietanus 2. 2. q. 79 art. 4. Salas de legibus diſp. 20. ſect. 8. nu. 75. Bonacina de legibus diſp. 1. q. 2. punct. 3. prop. 3. n. 20. verſ. hinc ſequitur primo*. Tertio pietas proptèr innocentiam, vt ſi in iure cautum ſit, quod quis cum certa qualitate non poſſit gaudere certo priuilegio, vt v. g. baptizatus ab hæretico non admittatur ad ſacros ordines, tunc etenim ſi puer non compos rationis ab eodem fuerit baptizatus poterit ex diſpenſatione ad ſacros ordines promoueri titulo pietatis proptèr innocentiam *c. placuit 1. q. 4.* & notat etiam *gloſa in d. c. tanta nequitia 1. q. 7 in verb. pietatis in fine*.

6 Item intuitu neceſſitatis.

Dictum fuit quarto *intuitu neceſſitatis*, quod non ſolum intelligendum eſt proptèr temporum neceſſitatem, vt dictum fuit *ex c. neceſſaria*, & dicitur etiam *in cap. quoniam, quidquid 1. q. 7.*, vbi diſpenſatur ob neceſſitatem temporum Epiſcopus præter notitiam ſui metropolitani promotus, & ordinatus, ſed etiam de alia neceſſitate, modò ſit rationabilis, vel in remedium neceſſarium obuiandi alicui graui delicto *D. Thomas 2. 2. q. 97. art. 4. in corpore*, eo quod præceptum non ſit conueniens huic perſonæ, vel ad euitanda ſcandala per textum *in c. 2. de nou. operis nunciat. Hoſtenſis cap. quia circa in fine de conſanguin. Mandoſius de ſignat. gratia tit. diſpenſationes matrimoniales verb. ad euitanda*, vel ad alios effectus, quos teneamur euitare, nec poſſimus ſine tranſgreſſione legis.

7

Dictum fuit quinto, *ſinè intuitu vtilitatis*,

Et vtilitatis, & quo modo. *tatis*, quod intellige, ſiuè in ordine ad vtilitatem publicam, ſiuè etiam priuatam, prout adnotauit *Bonacina de legib. d. diſp. 1. q 2. punct. 3 propoſ. 3. n. 20.* dummodò talis ſit, vt preponderet diſpenſationi in lege communi; de qua infra latius, dum de diſpenſatione in impedimentis dirimentibus matrimonij in ſubſequenti prænotione.

8 Et pro euētu rei. Dictum fuit tandem, *& pro euentu rei*, quod intellige, quando ex tali diſpenſatione in euentu ſperantur maxima Reipublicæ bona, vel priuatis perſonis, prout colligitur expreſsè *ex d. c. requiſitis 1. q. 7. verſ. niſi rigor, & c. conſtitueretur ead. cauſ., & q.*

9 Etiam multitudo, & quomodo. Assertio II. Iuſta etiam cauſa diſpenſandi in iure communi eſt multitudo.

In hanc aſſertionem expreſsè conſentit *Siluester verb. diſpenſatio n. 3. q. 1. Gloſa in d. c. conſtitueretur 1. q. 7.*

Ratio huius aſſertionis ex eo deducitur, quia cum plures conueniant in aliquo delicto v. g. contra ius commune æquum eſt, vbi agitur præciſè de iure poſitiuo, ne tota gens pereat, benignè per Principem fiat quodamodò per diſpenſationem eiuſdem iuris relaxatio, vbi grauiora damna non timeantur; atque hæc cauſa reducitur ad cauſam neceſsitatis, vtilitatis, & etiam pietatis, ne ſcilicet, quod inductum eſt in medicinam, fiat in venenum, & quod in ædificationem, vergat in deſtructionem.

PRÆNOTIO III.

De cauſis legitimis diſpenſandi in impedimentis matrimonij in particulari.

SVMMARIVM.

Impedimēta alia iuris diuini, alia canonici 1.

In diſpenſationibus in iure diuino ſufficit bonum commune indirectè. 2.

Cauſa ſufficiens reſpectu vnius poteſt eſſe inſufficiens reſpectu alterius. 3.

Diſpenſatio in ſecundo conſanguinitatis gradu regulariter non eſt facienda, niſi inter magnates. 4.

Nomine magnatum veniunt domini titulati, qui habent iura meri, & mixti imperij. 5.

Cauſa, ob quas inter iſtos diſpenſatur ſunt bonum pacis, conſeruatio familiæ &c. 6.

Reſtrictio eſt ſolum quoad ſecundum conſanguinitatis gradum. 7.

Poteſt Pontifex ex cauſa etiam diſpenſare cum inferioribus. 8.

Aſſignantur cauſæ, ob quas Pontifex diſpenſat cum inferioribus. 9.

In cæteris impedimentis, & gradibus remotioribus ex leuiori cauſa fit diſpenſatio. 10.

Quænam veniant nomine qualitatis, ratione cuius fit diſpenſatio. 11.

Si fœmina renuntiauerit bonis liberè, vt facilius conſequeretur diſpenſationem, tenet diſpenſatio, ſecus ſi cum pacto retrodationis. 12.

Si fœmina tempore diſpenſationis abſoluta verè fuerit pauper, & ante contractum matrimonium ex hæreditate facta fuerit diues tenet diſpenſatio, & poteſt validè contrahere. 13.

Si diſpenſatio non fuerit abſoluta, ſed commiſſa ordinario, & ante expeditionem deuenerit fœminæ pauperi magna hæreditas, vel legatum non tenet diſpenſatio. 14

In hac tamen hypotheſi teneret diſpenſatio, ſi fœmina illa renuntiaret hæreditati, ſeu legato. 15.

Quomodo ratione qualitatis temporum concedi poſſint diſpenſationes. 16.

Ratione qualitatis temporum poſſunt permitti diſpenſationes inter conſanguineos in aliquo loco, quamvis in locis circumſitis eſſent alia perſona non conſanguinea paris conditionis. 17.

Etiamſi in tali loco eſſet perſona non conſanguinea æqualis conditionis. 18.

Ratione neceſſitatis licita eſt diſpenſatio, quando fit ad finem conſeruandi diuitias in eadem familia. 19.

Enumerantur alij fines, ex quibus concedi poteſt diſpenſatio. 20.

Etiam per compoſitionem pecuniariam in ordine ad bonum publicum. 21.

Non eſt cauſa ſufficiens diſpenſandi, quando fœmina habet ſufficientem dotem ad nubendum pari, non autem perſonæ præpotenti. 22.

Excipe in caſu, quo eſſet relicta hæreditas, & fœmina, & perſona præpotenti ſub conditione, vt ineant matrimonium. 23.

Si fœmina nihil habeat, quod conferat, habeat tamen parentes diuites, non habet iuſtam cauſam diſpenſationis, ſi habeat ius ad ſuccedendum, & poſſit compellere eoſdem ad congruam dotem, ſecus ſi non poſſit ſuccedere, nec compellere. 24.

Quomodo ex euentu rei cohoneſtetur diſpenſatio. 25.

Contrahens ſcienter cum impedimento dirimente carere debet ſpe diſpenſationis, ſiuè illud impedimentum fuerit conſanguinitatis, ſiuè in quocunque genere. 26.

Quomodo ratio multitudinis cohoneſtet diſpenſationem. 27.

Cauſa diſpenſandi in ijs, quæ ſunt iuris diuini puta voti caſtitatis debet obſtare illius executioni. 28.

IMpedimenta matrimonij dirimentia alia ſunt iuris poſitiui Eccleſiaſtici, in quibus Pontifex poteſt diſpenſare tanquam in lege propria; alia ſunt iuris diuini, in quibus ex legitima cauſa eidem permiſſum eſt poſſe diſpenſare, vt in votis, & in diſſolutione matrimonij rati in bonum pacis; pro quo aduerte, quod 1 Diuerſitas impedimētorum.

2 Ad diſpenſationem ſufficit bonum commune indirectè.

quamuis leges regularitèr inductæ ſint ad bonum commune, non tamen requiratur ad iuſtam diſpenſationem, vt cauſa directè referatur in idem bonum commune, ſed ſatis eſt, quod ad illud referatur indirectè, quatenus bonum partis redundat in bonum totius, vnde plura ex allegatis iuribus in præcedenti prænotione, in quibus conceditur poſſe diſpenſare concernunt bonum priuatum, quod etiam notaſſe videntur *D Thomas 1. 2. q. 97. art. 4 & Sotus lib 1. de iuſtitia q. 7. art. 3. col 4. verſ. cauſas vero*.

3 Cauſa, quę eſt ſufficiens reſpectu vnius perſonæ poteſt eſſe inſufficiēs reſpectu alterius.

Aduerte vlterius, non eaſdem cauſas, quæ ſufficere poſſunt in ordine ad vnum impedimentum, vel in ordine ad vnam perſonam ſufficere in ordine ad aliud, vel in ordine ad quamcunque perſonam; vnde merito *Concilium Tridentinum c. 3. in fin ſeſſ 24 de matrimonio*, ſtatuit quod in ordine ad impedimentum conſanguinitatis non diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam, & *D. Thomas 2.2. q.63. art 2. ad ſecundum, Couaruuias 4. decret 2. part. c.6 §.9. n.7. in fine, Antonius Cucus lib. 5. inſtit maior. tit. 13. n. 15. Petrus de Ledeſma de matrimon q.56. art. vlt. in fin.* docet, quod facilius diſpenſandum ſit in matrimonij impedimentis cū diuitibus, & potentibus, quam cum plebæis, & popularibus, nec incongrua ratione, quia magis conferunt ad Reipublicæ bonum, vt infra videbimus. Ad hoc etiam facit, quod fortior, & vehementior cauſa requiritur ad diſpenſandum in gradu proximiori, quam in remotiori *Callego de cognat. ſpirituali c.23. n.5. Petrus de Ledeſma de matrimon. qu 56 art. vlt ad fin.*, item in conſanguinitate, quam in affinitate, *Manuel primo tom. ſumma in ſecunda edit. c.238. n. 4. Vega ſecundo tom. ſumma c. 34 caſ.167.* His ergo præſupoſitis, difficultates, quæ in hac prænotione examinabuntur erunt in inquirendis cauſis, ob quas fieri licitè poſſunt diſpenſationes in ordine ad quaſcunque perſonas, & in ordine ad quodcumque impedimentum in quocumque gradu.

4 Nonniſi inter magnates regulariter eſt diſpenſandum in ſecundo conſanguinitatis gradu.

Assertio I. Regulariter diſpenſandum non eſt in ſecundo conſanguinitatis gradu, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam. Conſentiunt in hoc communiter DD., & hoc expreſsè definitum eſt *in Concil Trident d. c 3 in fin. ſeſſ. 24 de reformat matrimonij*, & quidem cōgrua ratione hoc ſancitum eſt, quandoquidem in primis hoc vinculum in tali gradu eſt ex ſtrictioribus, cum ipſo quaſi lumine naturali conſanguinitas in tali gradu ingerat quandam intimam, & ſpecialem reuerentiam, qualem non ingerunt alij gradus; & ex alio huiuſmodi perſonæ, non ſolum ratione dignitatis ſūt digni ſpecialiori nota, & priuilegijs, ſed etiam ratione præeminentiæ ad cæteras cauſas ſpecialiores inuoluant valde congruentes communi Reipublicæ bono.

Solum hic remanet difficultas, primo quinam veniant nomine magnorū Principum, qui dignandi ſunt tali priuilegio diſpenſationis. Secundo quænam ſint cauſæ publicæ, ob quas poſſit hoc beneficium impertiri. Tertio an hæc diſpoſitio Tridentini reſtringatur ſolummodo ad ſecūdum conſanguinitatis gradum, an vero etiam ad talem gradum affinitatis, & ad publicam honeſtatem. Quarto, an ex auctoritate Pontificis poſſit extendi ad alias inferiores perſonas, & ob quaſnam cauſas.

In ordine ad primam probabilius ſentio, decretum Tridentini non reſtringi ad ſolos Reges, & Principes, & eorum filios quidquid in contrarium ſenſerint *Suarez 3. part. diſp. 31 ſect 2 col 4. Cardinalis clement. vnica de Baptiſ. n. 8. & ibi Ancharanus etiam n.8* nec ita ampliari, vt reſpiciat etiam principales perſonas, & viros opulentos, quidquid ex aduerſo ſenſerit, *Henriquez lib 12. de matrimon c. 3. n. 6. in clement lit X. Tiraquel. de Nobilitate c.3. n.3., & l. ſi vnquam c & ſi facultatem n. 1. C. de reuocan donat Molina lib. 1. de primogen. c. 2 n 25.*, ſed ſolummodo intelligi de magnis Dominis titulatis, qui certè gaudent prærogatiua magnorum, & ratione dominij, & iuriſdictionis ſaltem meri, & mixti imperij poſſunt dici Principes, prout in ſimili videtur ſentire *Baldus in c. innotuit n. penult. de elect.* 5 Nomine magnatū veniunt titulati habentes iura meri, & mixti imperij.

In ordine ad ſecundam ſentio, cauſas huiuſmodi eſſe bonum pacis, quatenus ratione matrimonij, ſuper quo diſpenſatur cōciliantur regna, & prouinciæ, ſeu populi, cæteroqui diſcordes, vel inter quos, ſeu quæ niſi contraheretur illud matrimoniū imminerent diſſidia mox ſecutura, prout docet *D. Thomas 2.2. q 63. art. 2. ad ſecundum, Paludanus in 4. diſt. 40. q vnica art. 3. n.20. D. Antoninus 3 parte tit. 1. c.14. §. vlt. ad fin*; item conſeruationem talis familiæ, quæ ſine illo matrimonio corrueret cum maximo Reipublicæ detrimento; item euitationem ſcandalorum potiſſimū, ſi illud matrimonium iam foret contractum, cum ſcandala Principum in maximam Reipublicæ cedant pernitiem, & alias huiuſmodi. 6 Cauſę ſunt bonum pacis, conſeruatio familiæ, vitatio ſcandalorū

In ordine ad tertiam ſentio, decretum hoc reſtrictiuum intelligi dumtaxat de diſpenſatione in ſecundo conſanguinitatis gradu, & affinitatis, non autem in quocunque gradu, nec quidem in primo publicæ honeſtatis, nec affinitatis ex copula fornicaria, prout ſentiunt *Nauarrus lib. 4. conſil tit de conſanguin. in prima edit. conſil. 8 in fine, in ſecunda vero edit. conſil. 4. in fine, Sanchez de matrimon. lib.8. diſp. 19. nu 3.* 7 Reſtringitur ad ſolum ſecundum conſanguinitatis gradum

Ratio

Ratio eſt, quia publica honeſtas, & affinitas ex copula fornicaria ſunt impedimentum non ex cauſa ità ſtricta, ſicuti eſt conſanguinitas, & affinitas propria, & iura reſtrictiua poteſtatis ſunt ſtrictè interpretanda, non extendenda.

8 Pontifex ex cauſa poteſt benigne etiã in hoc gradu diſpenſare cũ inferioribus.

In ordine ad quartam ſentio, illud decretum Tridentini in ordine ad Romanũ Pontificem eſſe conſultiuum, non autem coarctatiuum, ita vt ex benignitate non poſſit etiam cum perſonis inferioribus interueniente cauſa legitima quandoque diſpenſare. *Nauarrus lib 4 conſil. tit. de conſanguin. in priori edit. tot. conſ. 6., in poſteriori tot. conſil. 13. Henriquez lib 12. de matrimon. c. 3. n 9. in fine, Manuel primo to. ſummæ in ſecunda edit. c. 237. nu. 3.* Ratio eſt, quia Concilium non eſt ſupra Romanum Pontificem, ergo eidem non poteſt legem imponere, ſed dumtaxat conſilium ferre. Rurſus Romanus Pontifex in ijs, quæ non ſunt, nec iure diuino, nec iure naturæ vetita, habet plenam libertatem, ergo non obſtante illa diſpoſitione Concilij interueniente legitima cauſa ſibi beneuiſa, poterit etiam cum alijs ab enumeratis in Concilio diſpenſare. Verum tamen eſt, quod, cum ipſe approbauerit in omnibus decreta eiuſdem Concilij, cautè debeat procedere in ijs, quæ eidem Concilio aduerſãtur.

9 Cauſæ ob quas diſpẽſat cum inferioribus.

Cauſas autem, propter quas cũ alijs perſonis à magnis Principibus ex benignitatè poſsit diſpenſare, enumerant, *Sãchez lib. 8 diſp. 19. n. 4.*, quæ potiſſimũ reſpiciunt matrimonium iam contractum, atque ſunt ignorantia reſpectu contrahentiũ rigoris prohibitionis Tridentini, cum qua contractum eſt matrimonium, proles iã ſuſcepta, diuturnitas temporis, quo permanſerunt in matrimonio malè contracto, clementia Pontificis per ordinem ad paupertatem puellæ, quæ ex illo matrimonio dotaretur, alioqui indotata maneret.

10 In cæteris gradibus remotioribus ex leuioribus cauſis fit diſpenſatio.

Assertio II. In cæteris impedimentis, & etiam in alijs gradibus conſanguinitatis, & affinitatis remotioribus à ſecundo, quæ ſunt iuris merè poſitiui Eccleſiaſtici poteſt Pontifex ex cauſis leuioribus diſpenſare, quæ cauſæ poſſunt reduci ad eas, quas allegauimus in præcedenti prænot. aſſert. 1. pro diſpenſatione in genere, atque hæ ſunt, qualitas perſonæ, & temporis, neceſſitas, vtilitas, pietas, ſiue hæ fuerint publicæ, ſiue priuatæ, euentus rei, & multitudo.

11 Prima cauſa eſt qualitas perſonæ, ſi ſit benemerita Reipub. & Eccleſię.

Ratione qualitatis perſonę in plerìſque poteſt validè, & licitè impartiri diſpenſatio in impedimentis matrimonij, & primo ſi perſona fuerit magni meriti erga Rempublicam, & Eccleſiam; eximiæ ſcientiæ, quã cæteris præferatur, per textum *in c. tali 1. q. 7. & c. didici ead. conſ. & q.* & quidem æquitas poſtulat, vt qui cæteris præfertur in dotibus, cæteris etiam præferatur in congruis priuilegijs. Secundo, ſi fuerit idonea obſequijs erga Eccleſiam, vt ex illo beneficio excitetur ad eadem impendenda, vt eſt in confeſſo apud omnes. Si fuerit idonea obſequijs Eccleſiæ. Tertio ratione paupertatis, & nobilitatis in fœmina, cui ſubueniatur per talem diſpenſationem, quatenus ſic congruè nuberet, & dotaretur, cæteroqui innupta, & indotata manſura, Si fuerit nobilis, & pauper. *Nauarrus lib. 4. conſil. tit. de conſanguinitate in priori edit. tot conſ. 6. Petrus de Ledeſma in ſumma ſacram. vbi de matrimon. c. 27. immediatè ante quintam concl. Vega ſecundo tom. ſummæ c. 34. reſ. 167* atque ad hanc diſpenſationem non ſolum poteſt mouere titulus qualitatis perſonæ, ſed etiam titulus pietatis, ad quem poteſt reduci.

Circa hanc qualitatem titulo paupertatis in fœmina hic dubium conſurgit, an, ſi eadem fœmina bonis ſpontè renuntiarit eo animo, vt titulo eiuſdem paupertatis facilius diſpenſationem impetraret ad nubendum cum conſanguineo, vel cum alio, cum quo irretita eſt impedimento dirimente teneat diſpenſatio? Item, an ſi verè pro tempore petitionis, & conceſſionis diſpenſationis fœmina fuerit pauper, ſed antequam per ordinarium expeditetur conceſſio, & diſpenſatio, in pinguiorem deuenerit fortunam ex hæreditate tunc eidem relicta, an tunc teneat diſpenſatio? & quid tunc ſi renuntiaret hæreditati ad effectum, vt diſpenſationem illam conſequeretur? In ordine ad primam cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo, vel enim fœmina, quæ ſic renuntiauit, abſolutè renuntiauit ſine pacto, vel expreſſo, vel implicito, vt ſecuto effectu diſpenſationis renuntiatarius retrodonaret bona ſibi renuntiata, vel cum illo pacto expreſſo, vel ſaltem æquiualenti; iuxta primum ſensũ ſentio diſpenſationem illam tenere, & hãc arbitror eſſe opinionem *Nauarri in ſumma c. 18. n. 108. Henriquez lib. 13. de excommunic. c. 56. n 1. in comment. lit. N. Ludouici Lopez prima part. inſtruct. c. 159. in init.* 12 Si fœmina renuntiauerit bonis ſine pacto, vt retrodarentur eo animo, vt facilius diſpenſationem impetraret, tenet diſpenſatio. Iuxta ſecundum arbitror, nec licitam eſſe illam diſpenſationem ex parte petentis, nec validam, atque iuxta hunc ſenſum loquitur *Sanchez de matrimon. lib 8. diſp. 19. n. 26.* Secus ſi cum pacto retrodationis. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia in hac hypotheſi illa fœmina verè eſt pauper, & qualitas paupertatis expoſita in ſupplici libello veritati innititur, ergo nõ erit, cur conceſſio eidem facta non ſit ſubſiſtens, cum diſpenſatio cadat ſuper exiſtentiam paupertatis, non ſupra animum, & finem, ratione cuius facta eſt pauper, nõ enim exponendus eſt modus, quo quis factus eſt deterioris conditionis, nam, vt fatetur ipſe *Sanchez loc. cit. in fin.*, etiam ſi illa fœmina bona ſua turpiter prodegerit, non tenetur turpem illam iacturam exponere,

Digitized by Google

nere, ſed tantum paupertatem, & nihilominus impetrata diſpenſatio vim ſuam, & effectum conſequeretur. Neque dicas, diſparem eſſe rationem, quod turpitèr prodegerit, ac quod prodegerit cum animo, vt facilius impetraret diſpenſationem, quandoquidem in hoc caſu interuenit dolus, & fraus, quæ nequeunt ſuffragari auctori, in primo autem caſu non interuenit, niſi exercitium proprij dominij, & ſicuti alienationes, quæ fiunt in fraudem creditorum nõ tenent in eorum præiudicium, tenent tamen ſi ſimpliciter fiant, ita etiam &c. Contra enim impugnaberis, quia iura attendunt id, quod factum eſt, non animum, quo factum eſt cum reſpiciant præcisè conſulere paupertati fœminæ, ne innupta, & indotata remaneat, nec in hoc currit paritas de debitoribus alienantibus in fraudem creditorum, quandoquidem iſti lædunt per tales alienationes eoſdem creditores, quibus propterea iura conſulere voluerunt, illa vero neminem lædit, niſi ſeipſam, & quod renuntiationem fecerit, vſa eſt iure ſuo, vt inde bonum matrimonij talis conſequi mereretur, quod aliunde non potuiſſet conſequi. Ad hoc maximè facit, quod aſſerunt de eo, qui renuntiauit bonis, vt admittatur ad collegium ſolis pauperibus à fundatore deſtinatum, quæ certè admiſſio valida eſt, quãuis renuntiatio facta fuerit eo animo, vt admittatur, ergo etiam &c.; in vtroque etenim caſu renuntians conſulit bonis, & rebus ſuis, ille, vt educatio ipſius fiat ſtudioſior, & vtilior, iſta vt ipſius cohabitatio fiat decentior, & magis proficua. Quod ſi dixeris, ꝙ in fœmina ille finis ſtudioſus ſit fraudolentus, vtpote, qui eſt ex animo eximendi ſe à lege contra ſacrorum canonum mentem, & ego dicam illam renuntiationem bonorum factam eſſe ex fine ſtudioſo ſe eximendi à voluntate, & lege præſcripta per teſtatorem, qui finis ſicuti non irritat electionem renuntiantis ad tale pauperum Collegium, non obſtante quod illa cedat in detrimentum aliorum pauperum, ita nec irritat diſpenſationem talis renuntiantis ad tale matrimonium, potiſſimum cum talis diſpenſatio in nullius damnum cedat. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi non ſubſiſtit titulus paupertatis expoſitus in ſupplici libello, quandoquidem ex illo præcedenti pacto ius habet ad bona renũtiata repetenda, nec renuntiatarius poteſt ſubterfugere retrodationem illorum bonorum, vnde optimè dici poteſt, quod illa fœmina ſit actu creditrix illorum bonorum, nec eſt neceſſe, vt dicatur verè pauper, vt bona actu non habeat, ſed quod nec habeat credito.

Iura attẽdunt id, quod factum eſt, nõ animum, quo factũ eſt.

Stante pacto retrodationis fœmina illa non eſt pauper.

In ordine ad ſecundam etiam diſtinctione reſpondendum exiſtimo, vel etenim à Romano Pontifice abſolutè conceſſa fuit illa diſpenſatio, & acceptata à contrahentibus, antequam fœmina illa inſtitueretur hæres, ſeu legataria, quamvis eſſet adhuc præſentanda ordinario, ne matrimonio illi obuiaret ex motiuo illius impedimenti propter ignorantiam diſpenſationis ſuper eo impetratæ, vel ab eodem Romano Pontifice commiſſa dumtaxat fuit ordinario poteſtas ad diſpenſandum ſuper illo impedimento. Iuxta primum ſenſum ſentio, quod illa diſpenſatio ſubſiſteret, & validè, quinimmo, & licitè contraherent matrimonium; & ab hac noſtra ſententia exiſtimo non recedere, *Sanchez de matrim lib. 8. diſp. 19. n. 28.* dũ aſſerit, quod ſi fœmina inſtituta fuerit hæres, vel legataria maximæ quantitatis, & ignara talis inſtitutionis impetrarit diſpenſationem ex titulo paupertatis, & nupſerit, & poſtea ei ſuperuenerit notitia inſtitutionis, & teneat diſpenſatio, & matrimonium ex illa initum ſubſiſtat, & quamuis hoc videatur concedere ratione matrimonij iam initi, quod diſſolui non poteſt; nihilominus ex ratione per eum ibi adducta conijcitur mens ipſius, quod voluerit, quod præcisè teneat diſpenſatio, vt infra. Iuxta ſecundum ſenſum abſolutè ſentio, diſpenſationem illam inualidari, nec ex vi illius diſpenſatos poſſe contrahere matrimonium. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia illa diſpenſatio conceſſa eſt ex legitima cauſa, & ſecũdum veram expoſitionem, qua perſeuerante cauſa per acceptationem eſt vere, & legitimè conſummata, & completa, ſed actus iam completus in ſuo eſſe non irritatur ex ceſsatione cauſæ, ob quam fuit conceſsus, vt tradit *Sanchez loc. cit., & cum eo communiter DD.*, ergò &c. Neque dicas ex dictis in præcedenti volumine de matrimonio, quod ſi quis obtenta diſpenſatione, eaque acceptata ad contrahendum cum conſanguinea, vel alia irretita impedimento dirimente ante matrimonium eandem carnalitèr cognouerit, vtique contrahat non ſimplicem fornicationem, ſed inceſtum, ſi illa fuerit conſanguinea, ergò, quià non adhuc intelligitur conſummata diſpenſatio, niſi contracto matrimonio, ſupra quod cadit, ergò ſi antecedenter ad matrimonium contractum deuenerit illi fœminæ pinguis hæreditas ante completam diſpenſationem ceſsabit ratio eiuſdẽ diſpenſationis, adeoque erit inualida; contra enim impugnaberis, quià illa diſpenſatio ad contrahendum matrimonium cum conſanguinea, non ideo non eximit ab inceſtu, quià non fuerit conſummata quoad effectum, ad quem eſt data, ſed quià non eſt data, niſi ad effectum matrimonij contrahendi, vt licitus ſit ipſius vſus, non ad quemcunque effe-

13 *Tenet diſpenſatio, ſi ex interuallo poſt eadem fœmina ex paupere facta fuerit diues.*

14 *Non tamen tenet diſpenſatio, ſi ante expeditionẽ ordinarij facta fuerit fœmina diues.*

Digitized by Google

effectum, & propterea vſus extra matrimonium, ſeu ante illud non poteſt non trahere malitiam inceſtus, cum illa adhuc ſtante diſpenſatione remaneat conſanguinea; hic autem eſt conſummata diſpenſatio, & quidem pro tempore, pro quo vigebat titulus paupertatis, ob quem eſt conceſſa, vnde eodem titulo poſtea ceſſante poſt perfectè conſecutum effectum non eſt, cur debeat extingui eadem diſpenſatio. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià quando facultas diſpenſationis eſt per Romanum Pontificem commiſſa ordinario, hicque hactenus non diſpenſauit, & antecedenter ad diſpenſationem fœminæ deuenit pinguis hæreditas, vel legatum maximæ quantitatis, fœmina illa ante diſpenſationem non eſt verè pauper, ergò non viget titulus, ob quem petita eſt, & concedenda diſpenſatio, ergo, ſi hæc concedatur poſtea, erit abſolutè inualida, vtpote conceſſa ſine ſubſiſtenti titulo, cum eſſet ſubreptitia. Confirmatur, quià diſpenſatio non intelligitur completa, & conſummata, niſi fuerit acceptata, ergò multo minus erit completa, ſi nondum ſit expedita per eum, cui fuit commiſſa. Confirmatur ſecundo, quià Pontifex ſuppponitur committere diſpenſationem ordinario, vt conſtet, an verè fœmina illa ſit pauper, & in caſu, vt poſſit gaudere priuilegio illius diſpenſationis, ergò ſi verè, antequam ordinarius iudicet ipſam eſſe dignam diſpenſatione, eamque illi concedat, illa ex hæreditate, vel legato facta fuerit diues, non poterit tali priuilegio gaudere, vtpotè quod deficit titulus, ob quem petita eſt, & concedenda.

15 In ordine ad tertiam probabilius ſentio, poſſe valide renuntiare illi hæreditati, vel legato ad effectum, vt conſequatur beneficium illius diſpenſationis, prout rectè notauit *Sanchez lib. 8. de matrimonio diſp. 19 n 27.* Ratio eſt primò, quià iuxtà ſuperius dicta poteſt fœmina renuntiare bonis, quæ actu poſſidet ad effectum, vt pauper effecta poſſit conſequi beneficium diſpenſationis, ergò multo magis ad hunc effectum poterit renuntiare hæreditati ſibi delatæ, & nondum aditæ poſt petitam diſpenſationem, & nondum perfectè impetratam. Conſequentia tenet, quià eſt quid magis renuntiare iuri in re, quam iuri ad rem, & acquiſita deponere, quam non acquirere acquirenda. Secundo, quià nemo poteſt compelli ad acceptandam hæreditatem, & iura cuicunque concedunt renuntiationem, & ante acceptationem non acquiritur dominium hæreditatis, ſeù legati, ergò ſi abſolutè poteſt non acceptare, & renuntiare poterit à fortiori hoc præſtare, vt conſequatur alium effectum ſibi gratiorem, & vtiliorem; non enim tenetur diuitias in ſuum damnum acquirere; nec poteſt dici quod talis renuntiatio eſſet in fraudem Pontificis, quandòquidem ipſa renuntiando vtitur iure ſuo, & ſibi conſulit, nec alteri derogat.

Tenetur tamen, ſi fœmina renuntiaret hæreditati.

Ratione qualitatis temporis poteſt iuſtè concedi diſpenſatio ſuper impedimentis matrimonij, quando talia ſunt tempora, vt effrenes hominum libidines eo peruerſitatis ſunt euectæ, vt paſſim irruant in flagitioſiſſima inceſtuum crimina, vel diſpoſitæ ſint irruere, niſi aditus diſpenſationibus in eo genere aperiretur, quod idem dic quoad cætera impedimenta, quando ex qualitate temporis grauiora damna imminerent, niſi diſpenſationes huiuſmodi concederentur. Ratio autem ea eſt, quià valdè congruit bono Eccleſiæ regimini, quod tolerentur minus grauia, quandò ex non tolerantia grauiora irreperent, quinimmò æquitas poſtulat, vt ſuper diſpenſabilibus potius diſpenſetur, quam tolerentur, ſeù permittantur in magnam Reipublicæ perniciem probra deteſtabiliora, queis vix poſſet obuiari ex temporum miſera conditione, & qualitate. Ad hanc etiam cauſam qualitatis temporis poteſt reduci, quando ex aeris intemperie ità ciues in aliqua vrbe, & prouincia defecerunt, vt congruentia coniugia iniri non poſſint, niſi inter irretitos aliquo impedimento dirimente, puta inter conſanguineos, vel affines, *Tiraquel. l. 1. connubial i n. 1., & ſeqq. Nauarrus in ſumma c. 22. n. vlt. Petrus de Ledeſma de matrimonio q. 56. art. vlt. ad finem, & ſumma ſacrament. vbi de matrimonio c. 27. concl. 5. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct., vbi de matrimon. c. vlt. col. penult. Graffius 1. part deciſ. lib. 2. c. 81. n 8. Henriquez lib. 12. de matrim. c. 3. n. 9.*, & ratio eſt, quià maximè expedit, vt inter pares matrimonia contrahantur.

16 *Ratione temporum qualitatis poſſunt cōcedi diſpēſationes.*

Æquitas eſt, vt potius diſpenſentur impedimēta, quam tolerentur crimina.

Circa hanc qualitatem duo dubia potiſſimum excitantur. Primum eſt, an ſi ratione infelicis conditionis illius temporis defecerint in tali loco perſonæ paris conditionis, vt nonniſi inter conſanguineos, ſeu impeditos iniri poſſint æqualia coniugia, ita tamen, vt in locis circumuicinis æquales inueniri poſſint valdè, & licitè poſſit impertiri diſpenſatio? Secundum, an ad hoc, vt verificetur hæc cauſa requiratur abſolutè, vt nullus alius ſit in tali loco paris conditionis ſumendo ly nullus alius metaphiſicè, an vero ſufficiat quod nullus alius ſit moralitèr, quatenus communiter non inueniantur alij ſimilis conditionis? In ordine ad primum abſolutè ſentio validam eſſe illam diſpenſationem, nec irritari, ex eo quod extra talem vrbem, ſeu oppidū poſſint inueniri alij non impediti ſimilis conditionis, *Castro de cognat. ſpirituali c. 22. n. 10. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. n. 9. Manuel primo tom. ſum-*

17 *Poſſunt concedi diſpenſationes inter conſanguineos, vbi aliæ perſonæ æquales conditionis non eſſet in tali loco, quamuis in locis vicinis adeſſent.*

Digitized by Google

ſumma in 2. edit. c. 237. concl. 1. n. 2. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 19. num. 13. hocq; expreſsè declarauit ſacra Cardinalium Congregatio ad inſtantiam Archiepiſcopi Mediolanenſis die 18 Nouembris 1570. in hæc verba. *Clauſula illa, quæ diſpenſationibus occaſione datis incompetentia apponi ſolet videlicet, quià virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis inuenire nequit, verificatur, & iuſtificatur per diligentiam dumtaxat præſtitam in ipſo loco mulieris, & non in circumuicinis.*

18 Etiam ſi in tali loco eſſet vna perſona non conſanguinea paris conditionis

In ordine ad ſecundum ſentio non requiri, quòd metaphiſicè ſumatur illa particula, ſed ſufficit, quòd morali modo verificetur. Conſentiunt *Nauarrus in ſumma c. 22. nu. vlt. Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 56. art. vlt. ad finem Graſſius prima parte deciſ. lib. 2. c. 81. in fin. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimon. c. vlt. col. penult.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quia cum matrimonia debeant eſſe libera non debent ad vnam, vel alteram perſonam coarctari.

Ratione neceſſitatis etiam validè, & licitè poſſunt concedi diſpenſationes; atque vt clarius hic procedamus, & quandonam, ex titulo neceſſitatis diſpenſari poſſit, dignoſcamus, aduertendum eſt difficultatem non procedere de neceſſitate ſimplici, & abſoluta ſecundum ſe, quià nihil ità eſt abſolutè neceſſarium, niſi Deus, ſed de neceſſitate relatiua, & in ordine ad aliquem finem conſequendum; hic autem finis ad rem præſentem, vel poteſt eſſe per reſpectum ad ipſos contrahentes, vel per reſpectum ad alios, vel in ordine ad bona conſequenda, vel in ordine ad mala vitanda.

19 Licita eſt ad finem conſeruandi diuitias in eadem agnatione.

In ordine ad hos omnes fines poteſt quandoque eſſe licita diſpenſatio, quandoque illicita; ſic primo per reſpectum ad ipſos contrahentes eſt licita diſpenſatio, quãdo fit ad conſeruationẽ diuitiarum in eadẽ familia, nec cauſa dotis in aliam cognationem diſtrahantur *Callego de cognatione ſpirituali c. 22. n. 11., & ſeqq. Manuel primo tomo ſumma in ſecunda edit. c. 237. n. 2. concl. 1. Vega ſecundo tom. ſummæ c. 34. c. 167.*, qui finis licèt ſit terminatiuè ad ipſos contrahentes, conſecutiuè tamen, & relatiuè eſt etiam ad Reipublicæ bonum, quià maximè ad Reipublicæ decorem, & ſplendorem ſpectat habere familias locupletes, & præpotentes. Hæc tamen cauſa coincidit cum titulo vtilitatis;

20 Etiam ad finem conſeruandi ſplẽdorem in eodem ſanguine.

ob eandem rationem licitè etiam diſpenſatur ob conſeruationẽ illuſtris familiæ ex eodem ſanguine *Henriquez lib. 12. de matrimon c. 3. n. 9. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 19. n. 31.* atque hoc etiam licet terminatiuè reſpiciat ipſos contrahentes, relatiuè etiam refertur ad bonum publicum. Secundò per reſpectum ad alios concedi poteſt ad magnam litem extinguendam, & ad pacem inter conſanguineos conciliandam *D. Thomas 2. 2 q. 63. art. 2. ad ſecundum Paludanus in 4. diſt. 40. q. vnica art. 3. n. 20. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 14. §. vlt. ad fin. Victoria in ſumma vbi de matrimonio n. 295. Abbas c. quià circa n. 2. de conſanguin. Mandoſius de ſignat. gratia tit. diſpenſationes matrimoniales verſ. iuſta cauſa diſpenſandi*; atque hæc etiam cauſa indirectè etiam ſpectat ad bonum commune, quià Reipublicæ maximè intereſt habere ciues pacificos.

Etiam ad magnam litem ſedandam.

Tertiò per reſpectum ad bonum conſequendum concedi poteſt ex allegata cauſa, vt fœmina nobilis, & pauper æque nubere poſſit, cæteroqui defectu dotis alteri congruè non nuptura.

Etiam ad ſcandalum vitandum.

Quartò per reſpectum ad malum vitandum concedi poteſt ex cauſa vitandi ſcandali inter cognatos, vt ſi poſtquam maſculus fœminam conſanguineam violauerit, timeantur ſcandala à cognatis, niſi illam ducat. *Hoſtienſis c. quià circà in fin. de conſang. Mandoſius de ſignat. gratiæ tit. diſpenſationes matrimoniales verb. ad euitanda Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 13. n. 14.* atque hoc eadem ratione euincitur, quibus præcedentes cauſæ euincuntur; nam ad Reipublicæ bonum ſpectat, vt euitentur ſcandala.

Et delictũ.

Quintò per eundem reſpectum concedi poteſt in remedium obuiandi alicui magno delicto. *D. Thomas 2. 2. q. 97. art. 4. in corpore Callego de cognat. ſpiritual. c. 22. n. 7.*

Ratione vtilitatis poſſunt ex omnibus præallegatis cauſis ſub mox poſito titulo neceſſitatis fieri diſpenſationes. Solum hic remanet dubitandum, an fieri poſſint per ordinem ad vtilitatem præcisè cameræ Apoſtolicæ in ordine ad bonum publicum,

21 Etiam in ordine ad bonum publicum per compoſitionem pecuniariam.

vt ſcilicet, ſi fiant per compoſitionem pecuniariam cum contrahentibus ac augendum errarium Pontificis per ordinem ad bonum publicum, vel ad ſubueniendum Principibus in bello aduerſus Turcas, vel ad ſimiles neceſſitates Eccleſiæ? Affirmatiuè reſpondet *Sanchez d. lib. 8. de matrimonio diſput. 19. n. 35.*, cum hoc conferat bono communi; atque ob hanc rationem redduntur iuſtę conceſſiones indulgentiarum vi diplomatis, quæ iuſtam cauſam expoſtulant, ſi fiant cum onere contribuendi pecuniariam eleemoſinam conuertendã in Eccleſiæ vrgentes neceſſitates, vel in ſubſidiũ aduerſus Turcas &c.

Etiam ratione pietatis, & quomodo.

Ratione pietatis validè conceduntur propter allegatas cauſas paupertatis fœminæ, & nobilitatis, quæ non poſſet aliundè commodè cum æquali nubere; item cum non poſſet alteri commodè nubere, ſubiaceret periculo incontinentiæ *Gutierez qq. canonicarum lib. 2. c. 15. n. 107. Callego de cognat. ſpirit. c. 22. n. 8 Graſſius prima part. deciſ. lib. 2. c. 81 in fin. Nauarrus in ſumma c. 22 n. vlt.*

In

Digitized by Google

22 Ratione pietatis nõ ſufficit, quod habeat dotem ſufficientem ad nubendum pari, non autẽ præpotenti

In ordine ad hanc cauſam multa attigimus in præcedentibus, nunc aliqua pro complemento remanent diluenda; & primò, an iuſta ſit diſpenſatio, ſi fæmina habeat quidem congruam dotem ad nubendum æquali, non tamen ad nubendum præpotenti, qui ſecum inire contendit nuptias? Secundo an talis fæmina ſit talis, vt dignè conſequi mereatur talem diſpenſationem; ſi nihil quidem habeat, quod conferat in dotem, habeat tamen parentes præpotentes, & diuites? Quoad primum regularitèr loquendo exiſtimo non eſſe ſufficientem cauſam, cum nullum concurrat pietatis motiuum ſufficiens, ob quod inducatur illa diſpenſatio: non enim Pontifices ex pietate ſolent in hoc indulgere, vt fæmina virum dignitate, aut diuitijs ſuperiorem quærat, & ſolum ne conditionem ſuam deteriorẽ conſtituat, non autem, vt augeat; atq; ita ſentit *Sanchez lib. 8 de matrim. diſp. 19. n. 17.*, & propter hanc rationem exiſtimo non eſſe competentem cauſam diſpenſationis, ſi indè fæmina ſit augmentum dotis, & patrimonij conſecutura, prout etiam notarunt *Paludanus in 4. diſt. 4. q. vnica art. 3. n. 20., & ibi ſupplementum Gabriellis q. vnica art. 3. dub. 3. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 14. §. vlt. ad fin.* præcipuè cum cauſa pietatis, ob quam concedi ſolet diſpenſatio, reſpiciat cauſam ſpiritualem, ne ſcilicet fæmina innupta, & indotata remanens ſubijciatur periculo incontinentiæ, quæ certè ratio non militat in fine præcisè acquirendi augmentum dotis, & patrimonij.

Limitatio, & eiuſdem reiectio.

Limitat hac in re noſtrum ſenſum *Callego de cognatione ſpirit. c. 22. n. 9.* quando diſpenſatio eſſet facienda in tertio gradu, & mulier eſſet orbata parentibus, quià tunc quantumvis congruam dotem habeat proprio ſtatui, quàm plurimis, ſubeſſet periculis, & pro miſerabilibus reputaretur. Sed non libentèr acquieſcerem huic limitationi, niſi alia adderetur conditio, ſcilicet ſi aliam perſonam æqualis conditionis non inueniret, cui nuberet. Ratio huius reiectionis quoad hanc limitationem hæc eſſe poteſt quià vno viro æquali electo poteſt ſibi conſulere quoad hæc pericula.

23

Niſi eſſet vtriq; relicta hæreditas ſub onere incundi matrimonium.

Limitant alij ſecundò in ea hypotheſi, qua duo ſimul inſtituerentur heredes pinguis hæreditatis ſub conditione matrimonij inter ipſos ineundi, tunc etenim aſſerunt, quod quantumvis hæc cauſa reſpiceret præcisè augmentum patrimonij temporalis, nihilominus inferret ſufficientem cauſam ad diſpenſandum. Quam limitationem non improbarem, quià non ſolum interuenit illud lucrum patrimonij, ſed adimplementum piæ mentis teſtatoris, cuius adimplementi cura maximè ſpectat ad Romanum Pontificem.

24 Si habeat parentes, quibus ſuccedere debeat, quoſque compellere poſſit ad congruam dotem non poteſt dici pauper.

Quoad ſecundum cum diſtinctione reſpondendũ exiſtimo, vel etenim illa fæmina, quãvis actu non habeat bona, habet ius ad ſuccedendũ, & poteſt compellere parentes diuites ad ſibi dotem congruam erogandam, vel non habet ius ad compellendum ad erogandam dotem de facto, cum illi poſſint excipere, quod non habeant ſufficientia bona, queis commodè ſe alere poſſint iuxtà proprij ſtatus, & familiæ decentiam. Iuxtà primum ſenſum aſſero non eſſe iuſtam cauſam diſpenſationis, *Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 146. verſ. illud præterea Sanchez lib. 8 de matrimon. diſp. 19. num 21.* Iuxtà ſecundum arbitror ſufficientem eſſe cauſam diſpenſationis, hancq; tenere *Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. num. 9. in comment. lit. E. Sanchez loc. cit. n. 25.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià illa fæmina non poteſt abſolutè dici pauper, nam ius habet, vt ſibi tribuatur, & ad eam tribuendam compellere poteſt iure ſibi aſſiſtente, vndè nõ verificatur clauſula incompetentiæ dotis. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià quantumvis poſt obitum Patris poſſit habere ius ad dotem, viuente tamen Patre illam non poteſt iuſtè exigere, vndè exponitur periculo, vt à viro contemnatur, & parcè cum ea agatur, ſicque poteſt dici; quod pro tempore matrimonij ſit pauper, eique competat titulus incompetentiæ dotis.

25 Euentus rei quomodo cohoneſtet diſpenſationem.

Ratione euentus rei poteſt iuſtè concedi diſpenſatio, ſi vel ante matrimonium maſculus intuitu matrimonij futuri fæminam defloraucrit, cum qua habeat impedimentum conſanguinitatis, vel aliud dirimens; tunc etenim ad reintegrandam fæminam, eiuſque famæ conſulendum, titulus pietatis videtur interuenire, immò etiam, & neceſſitatis, cum de facili alteri æquali non poſſet nubere: vel ſi matrimonium initum fuerit cum ignorantia rigoris prohibitionis Tridentini, vel ſi proles ex illo matrimonio inualido ſuſcepta fuerit, vel ſi diutius in eodem matrimonio inualido perſeueratum fuerit; vel ſi ex ſeparatione ſcandalum timeatur. *Nauarrus lib. 4. conſil. tit. de conſanguinitate in priori. edit. toto conſ. 6., & in poſteriori toto conſ. 13. Petrus de Ledeſma in ſumma ſacrament. vb. de matrim. c. 27. antè 5. concl. Heriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. n. 9. in fine, & nos ſuprà in principio præſentis prænotionis adnotauimus.*

26 Contrahere ſcienter cum impedimento dirimente in quocunq; genere dirimit ſpẽ diſpenſationis.

In ordine ad hanc cauſam aduertendum eſt, quòd *Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 5. de matrimonio* decreuit, quòd ſi quis ſcientèr contraxerit cum impedimento dirimenti, careat ſpe diſpenſationis per illa verba. *Si quis intra gradus prohibitos ſcientèr matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ*

careat

careat quod decretum aliqui reſtringunt præciſè ad conſanguinitatem, & affinitatem, in quibus præciſè conſiderantur gradus, cum hæc ſit lex pænalis, & in pænalibus non ſit facienda extenſio; Nihilominus abſolutè intelligendum eſt matrimonium extendi ad quodcunque impedimentum dirimens, prout intelligunt in ſimilibus communiter DD. textum *in c. fin. §. ſi quis vero de clandeſtina deſponſ.* propter eandem omnino rationem, quæ militat, ſiuè in impedimento conſanguinitatis, & affinitatis, ſiuè in alio quocunque impedimento dirimente, quandòquidem vbi eſt expreſſa ratio finalis legis, & eadẽ ratio militat in caſu quantumvis non expreſſo fit extenſio *Abbas c. fin. n.* 10. *de reſcriptis, & c. nihil n. 9 de elect. Lambertinus de iure patronatus lib. 2. part. 1. qu. 10. art. 4. in fin. Silueſter verb. lex qu.* 18 *Couarruuias c. alma mater 2. part. §. 4. n. 7. verſ. 2. Antonius Gomez prima var. c. 5. n. 12 Gutierez qq. canon. lib. 1. c.* 10. *nu* 3. *Rolandus conſ. 27. n. 48. vol. 1.*

27 Etiam multitudo cohoneſtat.

Ratione multitudinis quandòque diſpenſatio legitimè concedi poteſt, quando ſcilicet multi contraxerunt matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, vt omnia diſſoluere confuſionem maximam in Republica ingereret, & ſic expedit ad bonum commune ſuper illis diſpenſare.

28 Cauſa diſpenſandi in voto caſtitatis debet obſtare illius executioni.

Assertio III. In impedimẽtis, quę ſunt iuris quaſi diuini puta in diſpenſatione voti caſtitatis requiritur cauſa obſtans illius executioni. *D. Thomas 2. 2. q 88 art. 12. ad ſecundum, & ibi Caietanus col. 2. dub. 2. Sotus lib. 7 de iuſtitia q 4 art 3 col. 7. verſ. ad iſtorum ergo Aragonius 2. 2. q. 88. art. 12 col. 4 verſ. circa ſecundam concl. dict. 2 Valentia 2. 2. diſp. 6 q 6. punct* 7.

Antequam procedamus ad huius aſſertionis probationem ad maiorem eiuſdem dilucidationem aduerte cauſam obſtantem executioni voti, quandòque ſe tenere ex parte materiæ voti quandòque ex parte ipſius vouentis; ex parte materiæ voti tunc eſt primo, quando prudentum iudicio res per votum promiſſa facta eſt inutilis, vel maioris boni impeditiua, quod intellige non quatenus expreſsè ſit inutilis, vel obex ad maius bonum; tunc etenim ex ſe votum illud ceſſat, nec indiget diſpenſatione, vt notat *Nauarrus in ſumma c. 12. n.* 76., ſed quatenus dubium ſit, an res illa facta ſit talis prout notarunt *D. Thomas 2. 2. q. 69 art. 9. ad tertium Sotus lib. 8. de iuſtit. q. 1. art. 10 ad tertium Azorius lib. 11. inſtit. moral. c. 19. q* 17.

Quomodo cauſa obſtare poſſit executioni voti.

Secundo tunc eſt, quando dubium eſt, an ille, qui præſumitur obſtrictus voto, vere votum emiſerit, aut animum ſe obligandi habuerit *Corduba in ſumma q* 147, quod etiam ſenſiſſe videntur *D. Thomas Azorius loc. cit.* quamvis etiam in hoc caſu videatur ceſſare obligatio voti etiam ſine diſpenſatione, quià in dubio ſuſpenſiuo poſſeſſio ſtare videtur pro libertate eius, qui dubitat, an vouerit nec ne; Ex parte vouentis tunc eſt primò, quando non ex matura animi deliberatione illud votum emiſſum eſt, ſed ex leuitate, & animi facilitate, prout colligitur *ex c 2. de voto*, quando autem præſumatur votum illud emiſſum ex leuitate, & animi facilitate explicat latè *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 20. à n. 12. ad* 17. quem tu conſule. Secundò quando vouens ratione ſtatus, in quo reperitur eſt in periculo tranſgreſſionis eiuſdem voti, vel ratione naturæ trahentis ad illam tranſgreſſionem, vel alicuius circunſtantiæ, *Riccardus in 4. diſt. 38. art. 9. q. 1. in corpore Sotus lib 1 de iuſt q. 7 art. 3 col. 6. verſ at ſi percunctaris Valentia 2. 2. diſp. 6. q 6. punct 7. ad fin., & alij magis communiter.* Tertiò quando ratione difficultatis ſuperuenientis ad votum eſt dubium an poſſit ſuper votum promiſſionẽ adimplere, vt ſi vouerit Religionem, & diſtulerit vſque ad ætatem ingraueſcentem in qua dubitatur, an poſſit illius ordinis regulas obſeruare, vel ſi in obſeruantia voti maximis ſcrupulis torqueatur. Quartò, quando ratione boni communis expedit, vt quis non obſtante voto vxorem ducat. His iam ſic præſuppoſitis.

Probatur aſſertio, quià Pontifex, ſeù Prælatus diſpenſans in votis caſtitatis, ſeù Religionis diſpenſat in perſona Chriſti ad quam illa vota fuerunt ordinata, ergò illa diſpenſatio debet in honorem Chriſti, & Eccleſiæ ordinari, arg. eorum quæ habet *D. Paulus 2 ad Corinth* 2 in illis verbis, *nam, & ego, quod donaui ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti*: ſed quando non adeſt cauſa obſtans executioni voti, illius remiſſio, ſeù diſpenſatio ſuper illud non poteſt cedere in honorem Dei, & Eccleſiæ ſiquidem quando adimpleri poteſt, maior eſt honor Chriſti, & Eccleſiæ, quod adimpleatur, quam quod non adimpleatur, ergò &c.

PRÆNOTIO IV.

An diſpenſatio ſit ſtrictè interpretanda, & reſtringenda, an verò amplianda.

SVMMARIVM.

Contraponuntur iura diuerſa, & propoſita. 1.

Diſpenſatio prout eſt relaxatio iuris communis eſt ſtrictè interpretanda. 2.

Sufficit, quod ſit contra ius commune, nec requiritur, quod ſit in præiudicium tertij. 3.

Intel-

Digitized by Google

Intellige, dummodo non ſit conceſſa motu proprio. 4.
Et clauſa in corpore iuris. 5.
Item niſi facta ſit in fauorem communitatis. 6.
Item niſi debita ſit in aliquo euentu. 7.
Vel niſi conſtet de ampla concedentis intentione. 8.
Priuilegium, quod non ſit contra ius commune eſt latè interpretandum. 9.
Illegitimus diſpenſatus ad ordines ſine expreſſione intelligitur de minoribus. 10.
Intellige, niſi iam ſit promotus ad ordines. 11.
Illegitimus diſpenſatus ad ordines ſacros non eſt diſpenſatus ad dignitates, & beneficia. 12.
Secus quoad beneficium ſimplex ad effectum, vt promoueatur ad ſacros ordines requiſitum. 13.
Diſpenſatus ad teſtandum intelligitur diſpenſatus ad donandum cauſa mortis, & ad codicillandum. 14.

1 proponuntur iura in hoc ſibi obuiantia.

DVO potiſſimum iura hac in re adinuenio ſibi ad inuicem obuiantia, & aduerſantia; alterum *in c.1.§. ille verò de filijs præsbiter. in 6.*, cui conforme eſt aliud *in reg., quæ à iure de reg. iuris item in 6.*, quo, ſeu queis deciditur, quod diſpenſationes vtpotè exorbitantes à iure communi ſint ſtrictè interpretandæ, vt minus quam par ſit fiat diſcrepantia à iure communi; alterum *in c. olim de verb. ſignif.*, cui conſonat textus *in l. beneficium, ff. de conſtit. Principum* quo, ſeu quibus dicitur, quod beneficium Principis ſit latè interpretandum, cùm autem diſpenſatio ſit quoddam Principis beneficium vtique latam patietur interpretationem. Ex his iuribus ſibi obuiantibus implexa remanet difficultas, quæ ſub hoc tit. excitatur,

Duplex priuilegiũ Principis exponitur.

Pro cuius ſolutione aduerte primo, Principis beneficium eſſe quaſi in duplici differentia, aliud, quod directè aduerſatur iuri communi, ſeu eſt immediatè contra illud, quatenus eidem derogat; aliud, quod non aduerſatur iuri communi, ſed eſt dumtaxat non contra illud, ſed præter illud, quatenus aliquid concedit, quod non concedit ius commune, non tamen prohibet concedi. Porro beneficium Principis, prout derogat iuri communi, ſeù prout eſt contra ius commune quoad conceſſionem poteſt diuerſimodam induere rationem, & diuerſos effectus operari; vel etenim conceditur motu proprio Principis, & hoc adhuc ſub duplici conſideratione in ordine ad finem, nempe prout reſpicit publicam vtilitatem, vel prout reſpicit vtilitatem eius, in cuius fauorem conceditur; vel conceditur ad inſtantiam partis; latiorem certè admittere interpretationem, ſi fuerit motu proprio conceſſum communitèr admittunt DD.; minus latam, ſi fuerit conceſsum ad inſtantiam partis. Tandem huiuſmodi Principis beneficium, prout eſt contra ius commune, vel tantum eidem iuri communi in ea parte derogat, vel etiam eſt in præiudicium tertij. Quibus ſic breuitèr conſideratis ſit

ASSERTIO I. Diſpenſatio prout formalitèr talis eſt regularitèr non niſi ſtrictam patitur interpretationem, adeoque non eſt extendenda vltra verborum formam, quibus concipitur, & conceditur. Conſentiunt in hoc communiſſimè DD., & quoad hoc expreſsè locum habent præallegata iura *in c. 1. §. ille verò de filijs præſbit. in 6., & in reg. quæ à iure de reg. iur. in 6.*, & ratio, in qua huiuſmodi iura fundantur eſt, quià minus, quã par ſit fieri debet diſcordantia à iure communi: cum etenim hoc ſit in poſſeſſione, non debet eadem ſpoliari, niſi per expreſſa verba, & prout formalitèr ſonant, ab habente poteſtatem in huiuſmodi iure. Dixi *prout formalitèr talis eſt*, quià diſpenſatio ex ſua formali ratione eſt quodamodo derogatio iuris communis, adeoque, vt ſit propriè, & formalitèr talis, debet eſſe contra, ius non præcisè præter ius, & non præcisè Principis beneficium, quod præſcindit ab eo, quod ſit, vel contra, vel præter ius, ſed beneficium cum addito ſcilicet contra ius.

2 Diſpenſatio, prout eſt formalitèr talis, ſtrictè eſt interpretanda.

Neque adhoc, vt huiuſmodi diſpenſatio propriè ſumpta ſtrictè ſit interpretanda requiritur; vt præterquam quod ſit contra ius, ſit etiam in præiudicium tertij, vt ſentiebant *Speculator tit. de diſpenſat. §. vlt. n. 2. verſ. quod ſi diſpenſatum eſt, Archidiaconus c. nos conſuetudinem in fin. diſt. 12., & c. quoniam n. 2. diſt. 69. Valaſcus conſ. 60. n. 3. vol. 1.* Non, inquã, requiritur, quià iura preſcribentia hanc reſtrictionẽ, & ſtrictam interpretationem ſolum conſiderant diſcrepantiam à iure communi, à qua nolunt eſſe recedendum, niſi vbi ſit ſtrictiſſima, & rigoroſa derogatio eiuſdem iuris, prout conſiderarunt, *Antonius c. literas n. 10. in fin. de filijs Præsbit. Felinus c. poſtulaſti n. 8. verſ. vnde dicit de reſcript. Iaſon in l. beneficium nu. 8., ff. de conſtit. Princip.*, prout in ſimilibus euincitur, puta in diſpenſatione illegitimi, in qua nulli præiudicium infertur, præterquam iuri, & tamen non admittit extenſionem *Gloſa c. fin. verſ. ad omnes de filijs præsbyter. in 6. Speculator tit. de diſpenſatione §. vlt. n. 2. Gofredus in ſumma de filijs præsbit. n. 8., & ibi Hoſtienſis §. quis poſſit diſpenſare n. 8. verſ. quid ſi diſpenſatur, Rebuffus praxi benef. titulo de diſpenſatione ſuper defect. natalium n. 47. Angelus verb. priuilegium n. 3.*

3 Non exigit, vt ſit in præiudicium tertij ad ſtrictam interpretationẽ.

Dixi, *regularitèr*, nam multis modis limitari poteſt aſsertio, & primo ſi concedatur motu proprio Principis, & non ad inſtantiam partis *Antonius c. at ſi clerici §. de adulterijs n. 14. de iudic. Hoſtienſis c. cum*

Digitized by Google

4 *Niſi ſit conceſſa motu proprio.*

in cunctis §.*cum vero n* 29. *de elect. Felinus c. poſtulaſti n.*13. *limit.*6.*de reſcript. Rebuffus in concordatis in forma mandati Apoſtolici ſuper clauſula motu proprio in* 4.*effectu*, & ratio eſt, quià, quando Princeps priuilegium motu proprio concedit, præſumitur ex mera ſua liberalitate velle omni meliori modo fauere priuilegiato; Neque in hoc obeſſe poteſt *gloſa in clem. per literas verb. directas de præbendis*, dum aſſerit clauſulam motu proprio in conceſſionibus adiectam non operari, vt gratia extendatur; non, inquam, obeſſe poteſt, quià vt bene hanc Gloſam intelligit *Alexander de Neuo c. quià circa num.* 10. *de conſanguin.* hoc ſolum importat, quod motus proprius non faciat gratiam exire extra terminos, quibus concepta eſt eadem gratia, non autem, quod non poſſit extendi ad quemcunque euentum, ad quem poſſunt extendi termini, ſeù ſignificatio terminorum, quibus concipitur, quantumvis hi latè eſſent accipiendi. Ad hoc autem, vt gratia, ſeù priuilegium dicatur conceſſa, ſeù conceſſum motu proprio, ſufficit, quod Princeps in eadem, ſeù eodem dicat hoc motu proprio præſtare, quantumvis conſtet illam, ſeù illud fuiſſe per impetrantem petitum, ſeù expoſitum, per illa etenim verba indicat Princeps ſe non reſpexiſſe ad petitionem partis in illa conceſſione, ſed ad propriam liberalitatem, & beneficentiam, prout notarunt *Baldus c.niſi nu.*4. *de offic. legat. Decius c.*1. *in noua edit. n.*23. *de reſcript. Rebuffus in concordatis in form. mand. Apoſtol. ſuper verb. motu proprio verſ. notandum eſt, quod hæc clauſula, Anaſtaſius Germonius de indultis, Cardinal.* §.*nos itaque n.*5. *Menochius de arbitrar. lib.*2. *cent.*3.*caſ.*201. *n.*79.

5 *Item niſi ſit clauſa in corpore iuris.*

Secundo limitatur in caſu, quo huiuſmodi diſpenſatio eſſet clauſa in corpore iuris, quià tunc haberet vim legis, quæ propterea explicationem ad inſtar legum fauorabilium admitteret, *Oldradus conſ.* 9. *n.*7. *Antonius c. olim n. vlt. de verb. ſignif. Emanuel qq. regul.* 2. *q.* 46. *nu.* 11. *Felinus c. poſtulaſti n* 13. *limit.* 5. *de reſcript.*

6 *Item niſi ſit facta in fauorem communitatis.*

Tertio limitatur, quando priuilegium conceſſum eſt in fauorem communitatis, ſeù communitati. Ratio ex eo deducitur, quià conceſſio fauorabilis facta communitati habetur pro lege, & debet ad normam legis commenſurari; maximè ſi ſit conceſſa in perpetuum, *Oldradus conſ.*300. *n.*4.*verſ. conſiderandum eſt, Henriquez lib.*7. *de indulgentijs c.* 22. *n.*3., *& c.*24. *n.*4. *in fin.*

7 *Item niſi eſſet debita in aliquo euentu.*

Quarto limitatur in caſu, quo diſpenſatio eſſet neceſſaria, ſeù debita ex aliquo euentu tunc occurrente, quià tunc eſt fauor debitus cauſæ, nec intelligitur conceſſus perſonæ, ſed cauſæ & tunc quodamodo reſpicit bonum publicum *Gambara de auctor. legat. lib.* 10. *n*, 274. Ad hanc limitationem reducitur illa, qua priuilegia extenduntur ad neceſſario connexa, ſeù inſeparabilia *Gloſ. c. non poteſt verb. retinere de præbendis in* 6., *& c. ſi quis in clero verb ſolemnibus* 7. *q* 1 *Iaſon l. beneficium n.* 45 *ff. de conſtit. Princip.*, & ratio eſt, quià fruſtratoria quodamodo eſſet diſpenſatio, ſi ſecum non traheret ea, quæ ſunt neceſſario connexa; hoc tamen non verificatur, quando acceſſoria ſunt ſeparabilia, & principale, ad quod ordinatur diſpenſatio, ſortiretur ſuũ effectum etiam independentèr ab acceſſorijs per textum *in l. fin.* §. *Lucius, ff. de condict. indeb.* arg. eorum, quæ docent *Antonius c. at ſi clerici,* §.*de adulterijs n.* 14. *de iudicijs, Felinus cap. poſtulaſti nu.* 10. *de reſcript.*, quinimmò aliqui aſſerunt, hoc verificari, quantumvis principale, ſupra quod cadit diſpenſatio, non ita plene, & facile eundem effectum conſequeretur *Felinus d.c. At ſi clerici*, §.*de adulterijs num.* 16., *& ibi Aretinus n.* 36. *de iudicijs*, dummodò tamen aliquo modo conſequatur.

8 *Item niſi conſtet de ampla concedentis intentione.*

Quintò limitatur, quandò conſtat de ampla concedentis intentione, tunc etenim diſpenſatio non reſtringitur ad rigoroſa verba, ſed extenditur ad mentem ipſius concedentis per textum *in c.in his de verb. ſignif.*, *& c.* 1. *verſ. ex parte vero tua de conceſ. præb in* 6. *Gloſa cap. ſuper eo verb. intentionis de offic. delegat. Abbas c. quanto n.*3. *de priuileg. Pariſius conſ.* 4. *nu.* 22. *lib.*2. *Mandoſius reg.* 17. *Cancellaria q.* 8. *n.* 3., & licet regularitèr à verbis, & tenore priuilegij non recedatur; fallit tamen, quando conſtat de mente fauorabili concedentis extenſa etiam vltra expreſſa.

9 *Priuilegiũ, quod non ſit contra ius commune late interpretandum.*

Assertio II. Conceſſio fauorabilis, ſeù priuilegium conceſſum, quod non ſit contra ius commune, regularitèr latè eſt interpretandum in fauorem eius, cui eſt conceſſum. In hoc conueniunt communitèr, & in hoc ſenſu intelligenda ſunt communia effata, quibus dicitur, quod fauorabilia ſunt amplianda, odia verò reſtringenda, quod fauores amplam admittunt interpretationem, & ſimilia. Expreſſe aſſertionem euincunt allegata iura *in c. olim de verb. ſignif.*, *& l. beneficium, ff. de conſtit. Princip.*, & adhoc maximè facit id, quod aſſerit *Gloſa in d. l, beneficium*, dum aſſerit *legem communem debere præualere beneficio Principis*, quod certè intelligendum eſt, non quoad expreſsè conceſſa per Principem, cæteroqui nullum poſſet priuilegium concedere contra ius commune, ſed quoad non expreſſa, quià, cum quoad hæc non conſtet de mente principis, ius commune debet manuteneri in ſua poſſeſſione.

Conciliatio iurium oppoſitorum.

Ex his optimè conciliantur iura, quæ videbantur directè oppoſita allegata in principio huius prænotionis; nam *c. pri-*

mum

Digitized by Google

mum, §. *ille vero de filijs presbyt. in 6.*, & *reg. , quæ à iure de reg. iur. in 6.* intelliguntur, quando conceſſio aduerſatur iuri communi; textus verò *in c. olim de verb. ſignif.*, & *l. beneficium, ff de conſtit. Princip.* intelliguntur, quando conceſſiones ſunt præter ius, non autem contra ius ipſum; ſicque omnia comprehenſa in primis duobus textibus ſunt ſtrictiſſimè interpretanda, & reſtringenda, comprehenſa verò in duobus ſubſequentibus latè intelligenda, & amplianda.

10 Ex hac duplici aſſertione, & iuribus pro vtraque allegatis nonnulla in particulari inferuntur ad clariorem vtriuſque explicationem; & primo, quod ſi quis illegitimus diſpenſatus ſit, vt poſsit ad ordines promoueri, nulla facta expreſsione de ordinibus maioribus, vel minoribus, diſpēſatio reſtringenda ſit ad ſolos minores, non amplianda ad maiores, iuxta regulam in prima aſſertione expoſitam, *Gloſa cap. fin. verb. ad omnes de filijs presbit. in 6. Speculator tit. de diſpenſatione* §. *vlt. n. 2. Iaſon in l. beneficium n 42 ff. de conſtit. Princip. Armilla verb. priuilegium n. 4. & verb. Clericus n 4. Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 6. tit. 22. art. 4 q. 6. Henriquez lib. 7. de indulgent. c. 30. n. 2.*, nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod propoſitio indefinita in ſimilibus æquiualeat vniuerſali; adeoque quod ſicuti quādo illegitimus diſpenſatur ad ordines cū ſincategorematicè vniuerſali *Omnes* intelligitur etiam diſpenſatus ad maiores, vt notat *Gloſa in d. c. fin. verb. ad omnes de filijs presbit. in 6.*, ita quando diſpenſatur ad ordines indefinitè intelligatur etiam ad maiores diſpenſatus propter æquipollentiam propoſitionis indefinitæ ad vniuerſalem. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia cum verſemur in exorbitantibus à iure communi propoſitio eſt potius reſtringenda, quando alitèr non conſtat, ad particularem, quam extendenda ad vniuerſalem. Hæc tamen illatio limitanda eſt in duplici præcipuè caſu; in primo ſi illegitimus fuerit iam promotus ad ordines minores, & hoc innuerit diſpenſanti; tunc etenim ne fruſtratoria ſit diſpenſatio, intelligenda eſt referri ad ordines ſacros, per textum *in c. ſi Papa de priuileg. in 6. Hoſtienſis c. literas in fin. de filijs presbit.*, & *ibi Abbas n. 6.*; in ſecundo quando Pontifex ſciens quem illegitimum eſſe promotum ad minores diſpenſat, vt poſsit promoueri ad ordines; tunc etenim intelligenda eſt diſpenſatio non ſolum cadere ſupra ordinem ſubdiaconatus, ſed etiam extendi ad alios ordines ſacros; non enim præſumendum eſt, quod Pontifex velit in ea diſpenſatione, vt ſic diſpenſatus, alligatus maneat oneribus, quibus ſubijcitur ordo ſubdiaconatus, & non poſsit ad alios promoueri.

[Margin, 10:] Illegitimus diſpenſatus ad ordines intelligitur quoad minores.

[Margin, 11:] Niſi iam fuerit promotus ad minores.

Secundo infertur, quod ſi quis illegitimus, ſi fuerit Religioſus factus, fuerit diſpenſatus ad ordines etiam ſacros, non propterea intelligatur diſpenſatus ad dignitates in Religione conſequendas, nec, ſi fuerit clericus ſæcularis, diſpenſatus fuerit ad eoſdem ordines ſacros, intelligatur diſpenſatus ad dignitates Eccleſiaſticas, *Rebuffus praxi benef. tit. de diſpenſat. ſuper defectu naturalium n.* 48. *Suarez de cenſur. diſp. 41. ſect. 3. n. 3. in fin.* propter eandem regulam adductam in prima aſſertione, potiſsimum cum diſpenſatio ad ordines comparatiuè ad dignitates ſit de ſeparabilibus, & non connexis. Limitarem tamē in ordine ad Clericum ſæcularem diſpenſatum ad omnes ordines in ordine ad beneficium ſimplex, quandòquidem eo ipſo, quod debet, & poteſt ad ſacerdotium promoueri, & non poſsit ſine titulo vtiq; debet eſſe capax tituli beneficij ſimplicis, ſicque hæc duo videntur eſſe ex diſpoſitione iuris inſeparabilia, & licet videatur poſſe promoueri titulo patrimonij, hoc temen quando efficitur, efficitur quaſi ex diſpenſatione, vt notat *Sanchez de matrim. lib 8. diſp. 1. n. 27. in fine*, cæterum *Concilium Trident. ſeſſ. 21. c. 2. de reformat.* prohibet, ne quis extra neceſſitatem, ſeu vtilitatem Eccleſiæ promoueatur ad ſacros ordines ſine titulo beneficij.

[Margin, 12:] Illegitimus diſpēſatus ad ordines etiam ſacros non intelligitur diſpenſatus ad dignitates & beneficè Eccleſiaſtica.

[Margin, 13:] Limitā quoad beneficium ſimplex.

Tertio infertur diſpenſatum ad teſtandum intelligi etiam diſpenſatum ad donandum cauſa mortis, & ad Codicillum faciendum, quia quoad hoc rationabiliter conſtat de mente diſpenſantis, & cum ſint partes vltimæ voluntatis veniunt nomine teſtamenti, per textum in *l. Marcellus ff. de donat. cauſa mortis*, *Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 141. ad fin. Mandoſius de ſignat gratia verb. licentia teſtandi verſ. alia etiam ambiguitas, Henriquez lib. 7. de indulgent c. 21. n. 6.*

[Margin, 14:] Diſpenſatus ad teſtandum eſt diſpenſatus ad codicillandum.

Has illationes conſulto poſui ad exemplificandam, & illuſtrandam materiam, de qua agimus. Cæterum plures, & longe plures afferri poſſunt; in quibus quandoque conceſſiones, quia non ſunt contra ius, ſed præter extenduntur, quandoque reſtringuntur, quia eidem iuri aduerſantur. Vos ipſi in ſimilibus iuxta regulas traditas caſus dirimite.

PRÆNOTIO V.

An diſpenſationes in cauſis matrimonialibus ſint ſtrictè, an latè interpretandæ.

SVMMARIVM,

Sententia aſſerens eſſe largè interpretandas. 1.
Prefertur ſententia oppoſita. 2.
Quos effectus præſtet cauſa fauorabilis. 3.

Digitized by Google

Satisfit rationibus oppoſita ſententia. 4.

PAſſim, & crebrò in præcedentibus diximus cauſas matrimoniales eſſe maximè fauorabiles, vtpotè quæ fauent libertati vnicuique à natura inditæ, per textum *in c. videtur, qui matrimon. accuſ. poſſ. c. ex literis de probat., & c. licet ex quadam de teſtib. & atteſt., & c. fin. de ſententia, & re iud. Gloſa in c. vlt. de condit appoſ. Decius in c. dilecti in vlt. notab. de appellat.*, vnde quamplurima in fauorem ipſius ſunt ſpecialitèr conſtituta, reliquoſque contractus antecellit fauoribus, & prærogatiuis, *Felinus in c. 1. vt lite non conteſtata, & in rub. de ſponſalib. n. 6. Gaillius lib. 2. obſeruat. practic. obſer. 94., Aloiſius Riccius collect. pars. 3. collect. 564.* vnde generaliter hanc regulam deducunt DD., quod in dubio ſit iudicandum pro matrimonio, *Panormitanus in c. fin. de ſent., & re iudic. Cardinalis in c. fin. de deſponſ. impub Menochius de arbitrar. Iud. caſ. 475. n. 20., & de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 72. n. 30., & lib. 3. præſumpt. 3. n. 9. Auguſtinus Barboſa collect. ad c. fin. de ſent., & re iudicat. n. 2.*; vnde in obuiantia iterum, & ſibi aduerſantia iura incidimus ex præactis in præcedenti prænotione, ſecundum quæ iura ſtatuunt, quod diſpenſationes in ijs, quæ aduerſantur iuri communi, vtpotè eidem iuri odioſæ ſunt ſtrictè interpretandæ. Quomodo enim ſi ſunt cauſæ ità fauorabiles, vt præfertur, ſunt ſtrictè interpretandæ?

1 Sententia adſtruens largam interpretationem.

Felinus *in c. poſtulaſti n. 13. limit. 7. de reſcriptis Gambara de auctoritate legati lib. 10. n. 262. Loazes de matrimonio Regis Angliæ dub. 2. in ſecundo fundamento pro parte affirmanti n. 29. Veracrux prima parte ſpeculi art. 44 paulo ante ſecundum dubium* ſentiunt huiuſmodi diſpenſationes in his cauſis eſſe latè interpretandas, niſi obſtet ex larga interpretatione, ſeù immineat ſcandalum. Mouentur ad hoc aſſerendum ex duplici iure canonico; altero *in c. quod dilectio de conſanguin*; altero *in extrauag. nuper, quæ eſt Clementis VI.*, In primo dicitur, quod legatus non potuit diſpenſare in certo conſanguinitatis gradu cauſa vitandi ſcandali in caſu, quo vterque æqualiter diſtet à ſtipite, ergò ceſſante cauſa ſcandali vtique potuit &c. argumento à contrario ſenſu; In ſecundo dicitur diſpenſationem conceſſam ad contrahendum in quarto gradu extendi ad quartum cum tertio coniunctum. Nihilominus ſit

2 Sententia negans iustior.

ASSERTIO Diſpenſationes etiam in cauſis matrimonialibus eſſe ſtrictè interpretandas, quotieſcunque aduerſantur iuri communi iuxtà regulam traditam in præcedenti prænotione. Conſentiunt *Hoſtienſis c. quià circa nu. 2. de conſanguine, & ibi Ioannes Andreas n. 6., Dominicus conſ. 33. nu. 8., & ſeqq. Rota Romana in Nouiſſimis tom. 3. lib. 1. deciſ. 117. nu. 3., & lib. 2. deciſ. 70 n. 2.*, & alij, quos refert, & ſequitur *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 1. n. 30.*, qui omnes appellant huiuſmodi diſpenſationes odioſas, & ſtricti iuris.

Ratio ex eo deſumitur quià in hac etiam hypotheſi ſemper militat ratio iuris *in d. c. 1. §. ille vero de filijs presbit. in 6.*, quod ſcilicet in ijs, quæ ſunt aduerſus ius commune propter exorbitantiam à iure facienda ſit ſtricta interpretatio; Neque fauor cauſæ in hoc eximit à iure communi reſtringente priuilegia aduerſantia eidem iuri, quandòquidem cauſa fauorabilis hoc dumtaxat præſtat, vt leges circa ipſam extendantur, & ampliorem admittant interpretationem non autem priuilegia aduerſantia iuri communi; inſuper efficit, vt in ordine ad ipſam plures prærogatiuæ, & priuilegia concedantur, ſeù fuerint conceſſa, non autem, quod eadem priuilegia prout ſunt contrà ius, ſint extendenda vltra propriam verborum, quibus conceduntur, ſignificationem; vnde fit, quod quidem in dubio ſit iudicandum pro matrimonio, quando dubium verſatur circa ius ipſum, an extendatur, vel non extendatur ad talem caſum, non autem quando verſatur circa priuilegium contra idem ius, quod vtpotè exorbitans ſtrictè eſt intelligendum: atque ex his habetur, quid reſpondeas ad ea, quæ afferebàtur in principio huius prænotionis de fauorabilitate cauſarum matrimonialium, & quomodo ea non diſcordent ab ijs, quæ dicebantur in præcedenti prænotione, atque ab ijs; quæ dicuntur in præſenti aſſertione, & ſic conciliantur iura, vt fauores extendantur in ijs, quæ ſunt de iure; reſtringantur in ijs, quæ ſunt contra ius.

3 Quos effectus præſtet cauſa fauorabilis.

Ad rationes oppoſitas adductas per *Felinum, & alios* ex iure *in c. quod dilectio de conſanguin, & in extrauag Nuper Clementis VI.* dicendum eſt, & quidem ad primam aſſerit, & certè congruè *Gutierez qq. canon. lib. 2. cap 15. num. 127., & ſeqq.* fieri prohibitionem diſpenſationis ratione conſuetudinis, & ſcandali in illis gradibus, in quibus loquitur textus; non quià illis gradibus ſit prohibitum contrahi cum diſpenſatione, ſed quià conſuetudo obtinuit, vt in illis non contraheretur, & ſcandalum ex illo contractu inſurgebat; vnde bene dicitur, quod remoto ſcandalo poſita diſpenſatione poſſit contrahi; ex quo non ſequitur, quod fiat extenſio priuilegij, ſeù diſpenſationis, ſed quod remoto obice ſcandali diſpenſatio ſuum conſequatur effectum. Ad ſecundam dicendum eſt illam extenſionem non fieri vigore diſpenſationis, ſed quià natura rei ſic poſtulat; ex alibi enim dictis præcipuè tom. 6. dum de impedimento conſanguinitatis congaſuinitas ipſa quoad impedi-

4 Satisfit rationibus oppoſitæ ſententiæ.

Digitized by Google

pedimentum deſumenda eſt à gradu, quo remotior diſtat à ſtipite, ſicque verificatur, quod gradus mixtus ex tertio, & quarto compræhendatur ſub quarto ſimplici.

PRÆNOTIO VI.

An in diſpenſationibus fiat extenſio à paritate rationis, & à maiori ad minus.

SVMMARIVM.

Proponuntur iura, quæ ſibi extremè ſunt aduerſantia. 1.

Vbi minus, vel ſimile non comprehenditur in maiori tanquam pars in toto, nec in ſimili tanquam in cõnexo non valet argumentum à maiori ad minus nec &c. 2.

Diſpenſatus ad oua tempore quadrageſima intelligitur diſpenſatus ad lac, et caſeum. 3.

Diſpenſatus ad beneficium cum cura animarum intelligitur diſpenſatus ad ſacerdotium. 4.

Impediti duplici impedimento conſanguinitatis altero remotiori, altero proximiori diſpenſati ſuper proximiori nequeunt contrahere matrimonium. 5.

Diſpenſatio impetrata ſuper gradu proximiori, cum conſanguinitas eſſet in gradu remotiori, prodeſt pro remotiori. 6.

Valet argumentum à maiori ad minus quando ratio expreſſa pro maiori æque militat pro minori. 7.

Item quando conceſſiones non proueniunt ab homine, ſed à iure. 8.

Item quando maius, & minus ſunt in eodem genere. 9.

Conciliantur iura oppoſita. 10.

IN hac etiam controuerſia militare videntur iura extremè oppoſita, quæ implexam reddunt difficultatem, & tituli rationem; & quidem in primis quod in eiſdem diſpenſationibus valeat argumentum à maiori ad minus euincitur primo ex textu *in l. neque in ea 22. ff. ad l. Iuliam de adult.* vbi in pænalibus, & in odioſis locum habet hoc argumentum - Ibi - *Sed qui occidere poteſt adulterum multo magis contumelia eum poterit afficere* hoc idem habetur *in l. in ſuis in princip. ff. de lib., & poſth.* vbi dicitur, quod habens poteſtatem vitæ, & necis alicuius habeat etiam poteſtatem in bonis ipſius; & *in c. ex parte de decimis* vbi dicitur. *Quià vbi maius conceditur minus conceſſum eſſe videtur*, quod idem repetitur *in c. per venerabilem. Qui filij ſint legit.* - Ibi - *Quod in maiori conceditur licitum eſſe videtur, & in minori*; Deinde quod valeat etiam argumentum à paritate rationis deducitur ex eodem *c. per venerabilem. Qui filij ſint legit.*, vbi Pontifex non ſolum arguit à maiori ad minus, ſed etiam à ſimili - Ibi - *per ſimilem* Cum autem ex aduerſo dicatur *in reg. quæ à iure de reg. iur. in ſexto*, quod ea, *quæ à iure communi exorbitant, minimè ſunt ad conſequentiam trahenda* implexam ſatis reddunt præſentem difficultatem. Quid igitur concludendum?

1 Iura ſibi extremè in hoc obuiantia.

ASSERTIO. Vbi minus, vel ſimile non compræhenditur in maiori, vel ſimili tanquam pars in ſuo toto, vel cum connexo in diſpenſationibus regulariter non valet argumentum à maiori ad minus, nec à paritate rationis. *Speculator tit. de diſpenſatione §. dicendum reſtat n. 16. Ioannes Andreas c. poſtulaſti nu. 11. de reſcript. Abbas c. Ioannes n 8. de cleric. coniug. Romanus l. 2. in princip. nu. 62. ff. de verb. obligat. Iaſon. in l. beneficium n. 38. ff. de conſtit. Princip. Rebuffus in concordatis tit. de forma mandati Apoſtolici ſuper verb. diſpenſationum verſ. iuſta diſpenſationes. Natta conſ. 179. n. 17. Sylueſter verb. beneficium tertio q. 4. n. 8. in fine, & q. 12. Menochius conſ. 72. nu. 11. vol. 1. Mandoſius reg. 20. Cancellaria q. 7. n. 10., & in praxi ſignaturæ tit. diſpenſationes verb. in materia diſpenſationum Molina tom. 3. de iuſtit. diſp. 191. n. 2. Ludouicus Lopez ſec. part. in inſtruct. vbi de clauibus c. 9., Sanchez de matrimon. lib. 8 diſp. 1. n. 32.*

2 Non valet argumentum à maiori ad minus, nec à ſimili ad ſimile.

Hoc euincunt omnia iura ſupra allegata; in quibus dicitur, quod priuilegia à iure exorbitantia vtpotè odioſa ſint strictè interpretanda, nec extendenda vltra verborum formam, quibus concipiuntur; quibus vnum, vel alterum adde argumentum à iure deſumptum; primum ſit in reſeruationibus, quæ exorbitant à iure communi puta in reſeruationibus actus ſodomitici quæ non extenduntur ad actus grauiores beſtialitatis, non niſi quià ſunt actus odioſi, & exorbitantes à iure, vt eſt inconfeſſo apud omnes; ſed etiam ipſæ diſpenſationes ſunt odioſæ, & æquiparantur pænalibus quoad effectum, licet non ſint tales, iure ergò non ſunt extendendæ ad id, quod minus eſt, vel ſimile in paritate rationis. Secundum ſit *ex c. final de tranſlat. Epiſcop.*, vbi diſpenſatus, vt ad Archiepiſcopatum promoueatur non intelligitur diſpenſatus, vt ad Epiſcopatum transferatur.

Dixi *quando minus, vel ſimile non comprehenditur in maiori tanquam pars in ſuo toto*, quià conceſſo toto intelliguntur etiam conceſſæ partes, quæ in eodem toto continentur, & ſic v. g. diſpenſatus ad ſacerdotium intelligitur etiam diſpenſatus ad cæteros ordines minores, vel quià ſunt partes eiuſdem, vel quia ipſum haberi non poteſt ſine illis, ſicque procedimus à connexis, & inſeparabilibus ſecundum diſpoſitionem iuris. Sic docet *Ioannes Andreas in addit. ad Speculatorem tit. de diſpenſatione*

Conceſſo toto intelliguntur etiam partes conceſſæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſatione §. *fin. verb. diſpenſatum Hoſtienſis ine poſtulaſti n.* 12. *de reſcript. Francus in c. cui de non ſacerdotali n* 5. *de præbend. in* 6. *Maiolus lib.* 5. *de irregul. c.* 51. *n* 10.

Dixi vlterius, *quando ſimile non compræhenditur in ſimili tanquam in connexo*; multipliciter autem poſſunt eſſe connexa; vel ſcilicet quatenus dependent ab vno, & eodem principio; atque vno, & eodem iure prohibentur intuitu identitatis rationis; vel quatenus vnum ſine altero haberi non poteſt, vel quatenus vnum eſt cauſa quodamodo alterius. Ratione primæ connexionis diſpenſatus ad oua pro tempore, quo vetantur, intelligitur etiam diſpenſatus ad lac, & ad caſeum; non quià, vt malè ſentiebat *Henriquez* lac, & Caſeus ſint quid minus *lib.* 7. *de indulg. c.* 30. *n* 4, ſed quià veniunt ſub vna, & eadem indiuidua prohibitione eo quod ſementinam originem à carnibus trahant, ſicuti vna, & eadem prohibitione prohibentur carnes omnium animalium; vndè ſicuti diſpenſatus ad carnes vituli intelligitur etiã diſpenſatus ad aues, & ad aliorum animancium carnes, ita diſpenſatus ad oua, intelligitur diſpenſatus ad lac, & ad caſeum. Ratione ſecundæ connexionis diſpenſatus ad beneficium cum cura animarum, intelligitur diſpenſatus ad ſacros ordines, & ad ſacerdotium, cum illud haberi non poſſit ſine iſto, & qui finem concedit, intelligitur etiam concedere media ad ipſum conducentia. Ratione tertiæ connexionis diſpenſatus ad teſtandum, vt aſſerebam in præcedentibus, intelligitur diſpenſatus ad codicillandum, & donandum cauſa mortis, quod etiam præcedenti ratione euincitur, quià ſcilicet omnes iſtæ actiones ex vna, & eadem cauſa, vna, & eadem prohibitione interdicuntur; vndè merito habetur *in l. Marcellus ff. de donat. cauſa mortis. Nam, & mortis cauſa donare poterit, cui teſtari conceſſum eſt* atque ità docet *Nauarrus apolog. ad lib. de reddit. q.* 3. *monit.* 7 9., *&* 10. *Mandoſius de ſignat. gratia verb. licentia teſtandi verſ. alia etiam ambiguitas.*

3 Diſpenſatus ad oua intelligitur diſpenſatus ad lac, & caſeum.

4 Diſpenſatus ad beneficium curatum eſt diſpenſatus ad ſacerdotium.

Hic oritur difficultas quoad caſum particularem in impedimentis matrimonij, an ſcilicet diſpenſatus in gradu propinquiori conſanguinitatis, vel affinitatis intelligatur etiam diſpenſatus in gradu remotiori. Hæc difficultas ſecundum duplicem ſenſum poteſt examinari; primò quatenus ex duplici titulo ſit conſaguineus, & ratione vnius in gradu proximiori, ratione alterius in gradu remotiori, & iuxtà hunc ſenſum inquiritur, an ſi petita fuerit diſpenſatio, & conceſſa pro gradu proximiori nulla facta mentione de gradu remotiori, nec in ſupplici libello, nec in reſcripto, intelligatur diſpenſatio pro gradu proximiori extendi etiam ad gradum remotiorem; Secundò quatenus ex vno tantum titulo ſit conſanguineus, & tantum in quarto gradu, ſed ex errore, vel alia cauſa petita fuit, & conceſſa diſpenſatio pro tertio gradu, & iuxta hunc ſenſum controuertitur, an illa conceſſio contrahendi in tertio gradu proſit pro contractu, quantumvis contrahentes ſint conſanguinei, in quarto tantum gradu. Iuxta primum ſenſum abſolutè ſentio diſpenſationẽ pro gradu proximiori non extendi ad remotiorem *Rota in Nouiſſimis vol.* 3 *lib.* 1. *deciſ* 117. *n.* 2. *Molina tom.* 1. *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 161. *verſ. illud tamen, Mandoſius in ſignat. gratia verbo diſpenſationes matrimoniales ad fin. Petrus de Ledeſma de matrimon. qu.* 56. *art. vlt. dub.* 2. *difficult.* 3. *corrol.* 5. *Iacobus de Puteo deciſ.* 39. *n.* 1., *&* 3., & in hoc locum habet regula appoſita in aſſertione, quod in diſpẽſationibus quando vnum non includitur, vel tanquam pars, vel tanquã connexum in alio non valeat argumentum à maiori ad minus, nec à paritate rationis, & in hoc verificatur, quod in odioſis, cuiuſmodi eſt diſpenſatio, mixtum non comprehendatur ſub ſimplici *Bartolus in l. Gallus* §. *& quid ſi tantum n.* 3. *ff. de liber., & poſth.*; negari autem non poteſt, quin ſit mixtum, quando concurrit conſanguinitas ex duplici capite, ſeù titulo, quinimmo vna non compræhenditur in altera, cum vna ſine altera ſtare poſſit. Iuxta ſecundum ſenſum abſolutè ſentio, tenere diſpenſationem, & præſtare effectum perinde, ac ſi in illo gradu remotiori, quo verè ſunt impediti, eſſet diſpenſatio petita, & conceſſa *Petrus de Ledeſma in ſumma ſacram. vbi de matrimonio c.* 27. *poſt ſeptimam concluſionem dub.* 1. *Manuel primo tom. ſumma in ſecunda edit. c.* 238. *concl.* 3. *nu.* 3. *Sanchez de matrimon. lib* 8 *diſp.* 24. *n.* 17., & in hoc verificatur, quod in maiori minus includitur, & diſpenſatio conceſſa ſpecificè pro tertio gradu conſanguinitatis, intelligitur conceſſa ſimpliciter pro conſaguinitate à fortiori incluſa in illo gradu expreſſo, nec illa falſa qualitatis expreſsio videtur actũ diſpenſationis vitiare, quandoquidem ſi veritas fuiſſet expreſſa, facilius diſpenſatio fuiſſet conceſſa; Neque dicas, quod ſi quis fuerit dumtaxat affinis, & in petitione diſpenſationis expreſſerit conſanguinitatẽ in eo gradu, in quo eſt affinitas, non teneat diſpenſatio, quantumvis facta expreſsione affinitatis facilior fuiſſet conceſsio, cum fortius ſtringat conſanguinitas, quàm affinitas *Coaruuias quarto decret. prima part. c.* 8. § 8. *nu.* 11. *Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. vbi de clauibus cap.* 9. *col.* 5.; Contra enim impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio, quandoquidem, quando diximus, quod quando qualitatis inexiſtentis expreſſio facilius induceret

5 Extante duplici impedimento conſanguinitatis diſpenſatio ſuper proximiori non prodeſt pro remotiori.

6 Extante vna conſanguinitate diſpenſatio ex errore impetrata ſuper gradu proximiori prodeſt pro remotiori.

Digitized by Google

ret animũ diſpenſantis ad diſpenſationem habeatur pro legitima diſpenſatione, quamvis falſo ſtrictior qualitas fuerit expoſita, hoc intelligendum eſt, quando vtraque illa qualitas in eodem genere continetur, & latior in ſtrictiori comprehenditur; hic autem qualitates conſanguinitatis, & affinitatis non cadunt ſub eodem genere, nec vna in alia includitur, adeoque &c.; ad quod etiam comprobandum maximè facere poteſt id, quod aſſerunt *Coaruuias 4. decret. 1. part. c 8. § 8. nu. 11. Salzedo addit ad reg. 195. Bernardi Diaz ad fin. Sanchez lib. 8 de matrimon. diſp. 24. n. 19.* legitimationem factam ex beneficio diſpenſationis ex ſpurio nato ex inceſtu non tenere, ſi ille fuerit præciſè ex adulterio, quamvis inceſtus grauius ſit delictum, quam adulterium.

Dixi vlterius in aſſertione, *Regulariter*; nam aſſertio ipſa plures admittit limitationes; & primo in caſu, quo in diſpenſatione, ſeù conceſſione maioris ratio exprimeretur conceſſionis, quæ æque militaret in conceſſione minoris, *Abbas c. at ſi clerici §. de adulterijs nu. 8. de iudicijs, Emanuel qq. regul. tom. 2. q. 46. art. 11. Ripa c. ad aures n. 41. de reſcript. Hypolitus in d. c. at ſi clerici nu. 88 Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp 1. n. 34.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem quando ſit expreſſio rationis militantis in vtroque caſu non ſit ſimpliciter extenſio, ſed declaratio incluſionis ex manifeſtata diſpenſantis mente in illa ratione expoſita; vnde quando diximus, quod à maioritate rationis, vel identitate non valeat in odioſis argumentum, hoc intelleximus, quando vel à ſimilitudine, vel à ratione non expreſſa proceditur; cæterum quandò expreſſa eſt ratio conceſſionis, quæ militat in vtroque caſu vtrumque ex mente legiſlatoris comprehendit.

7 Rectè arguitur à maiori ad minus, quãdo exprimitur ratio conceſſionis, quæ æque militat pro vtroque.

Secundò in caſu, quo diſpenſationes ab homine non concederentur, ſed à iure, vel à canone, quià tunc computantur pro legibus, quæ proptereà ſunt extendendæ, non reſtringendæ, *Coaruuias 4. decret. 2 part. c. 8. § 8. nu. 11. Oldradus conſ. 9. n. 7. Antonius c. olim n vlt. de verb. ſignif Felinus c. poſtulaſti num. 13. limit. 5. de reſcript. Galliaula in l 2. n. 13. ff. de verb. obligat.*

8 Etiam, quando conceſſiones proueniunt à iure.

Tertiò in caſu, quo diſpenſationes eſſent in eodem genere, quià tunc iuxtà ſuperius dicta in maiori comprehenditur minus, prout præter præcitatos notarunt, *Oldradus conſ. 215. n. 7. Borgaſius de irregul part. 2. tit. de interpretatione diſpenſationis nu. 17.*

9 Etiam, quandò maius, & minus ſunt in eodem genere.

Ad iura, quæ ex aduerſo in principio prænotionis afferebantur, dicendum eſt, ea rectè procedere, quià ſunt de conceſſionibus à lege, quæ proptereà extenduntur ad normam legis, prout notauit *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 8 § 8. nu. 11.* Ad illud, quod ſubditur *ex c. ex parte de decimis, & c. per venerabilem, qui filij ſint legitimi* dicendum eſt procedere, vel quando minus includitur in maiori tanquam pars in toto, vel quando materia eſt fauorabilis, nec à iure exorbitans.

10 Conciliantur iura oppoſita.

PRÆNOTIO VII.

Vtrum diſpenſatus ſine legitima cauſa ſit tutus quoad Deum.

SVMMARIVM.

Si Pontifex diſpenſat in ſua lege ſine cauſa tutus eſt diſpenſatus, & coram Deo, & coram Eccleſia. 1.

Diſpenſatus in voto per Pontificem ſine legitima cauſa eſt tutus coram Deo, ſi fuerit in bona fide, ſecus ſi in mala. 2.

Diſpenſatus per ſuperiorem in ſua lege ſine cauſa in bona fide ex ſuperuenienti mala fide non priuatur iure diſpenſationis, ſed remanet tutus. 3.

Quæ dicta ſunt de Pontifice diſpenſante, vel in propria lege, vel in lege Dei proportionaliter intelligenda ſunt de Epiſcopo diſpenſante in ſua, & in lege Pontificis. 4.

SEnſus difficultatis non eſt, an tutus ſit coram Deo, qui ſine legitima cauſa diſpenſationem petit, quandòquidem ex præactis *ſub hoc eod. tit. prænot. 1. verſ. circa primam partem aſſertionis prope medium* iam docuimus ſic petentem, ut potè cooperantem peccato diſpenſantis ad normam eiuſdem peccare; nec item eſt, an in vſu talis diſpenſationis peccato diſtincto peccet ab ipſa petitione, ſiquidem de hoc etiam egimus *ſub eod. tit. ead prænot. 1. verſ. hic alia ſuboritur difficultas*. Difficultas igitur ſolum adhoc reſtringitur, an ſuppoſita diſpenſatione etiam ſine legitima cauſa, quomodocunque fuerit conceſſa, diſpenſatus ſit tutus permanendo in eo munere, ad quod fuit diſpenſatus, & hoc ſiuè obtinuerit in bona fide, & in illa permanſerit, ſiuè in bona fide obtinuerit, & poſteà mala ſuperuenerit, ſiue in mala fide obtinuerit, & poſtea eandem depoſuerit.

Senſus difficultatis exponitur.

Conſideranda hic eſt, lex, ſupra quam cadit diſpenſatio, & diſpenſans, qui illam impendit; vel etenim lex eſt Pontificia, & Pontifex ſuper illam diſpenſat, vel Pontificia, & inferior, vel ex commiſſione, vel ex alio titulo diſpenſat; vel diuina, & Pontifex in ea ex commiſſione diſpenſat, vel ſinodalis, ſeù Epiſcopalis, & in ea diſpenſat Epiſcopus, vel ipſa ſinodus. Quibus ſic conſideratis ſit

ASSERTIO I Si lex fuerit Pontificia, & Pontifex in ea diſpenſauerit, ſiue diſpen- 1

Diſpenſatus per Pōtificem in ſua lege ſine cauſa tutus eſt.

penſatus fuerit in bona, ſiuè in mala fide, quatenus nouerit cauſam, ex qua conceditur non eſſe legitimam, & iuſtam, tutus eſt coram Deo, & coram Eccleſia *Innocentius in c. cum ad monaſterium de ſtatu. Monach. Panormitanus in c. non eſt voti de voto Silueſter verb diſpenſatio q. 3. nu. 5., & alij magis communiter.*

Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, quià quantumvis, tàm Pontifex diſpenſans, quàm diſpenſatus illegitime, ſeù ſine cauſa petens diſpenſationem peccent, tenet tamen abſolutè diſpenſatio, quià eius eſt deſtruere cuius eſt condere, nec Princeps quoad valorem ſuis legibus tenetur per textum *en l. digna vox C. de legibus*, ergo eadem diſpenſatione quomodocunque poſita tutus erit diſpenſatus, & hoc ſiuè fuerit in bona, ſiuè in mala fide, quià mala fides efficit quidem, vt peccet petendo, non autem vt inualida ſit diſpenſatio.

Limitant hic aliqui, inter quos *D. Thomas quodlib. 9. q. 7. Silueſter verb. beneficium quarto q. 2. Innocentius in c. cum ad monaſterium de ſtatu Monach. Hoſtienſis in c dudum el ſecundo de elect. Silueſter in verb. beneficium quarto q. 2, & in verb. diſpenſ. q. 3. n. 5.* de diſpenſatione in pluralitate beneficiorum ad inſtantiam partis ſine legitima cauſa, & adducunt rationem, quià in hoc caſu non ſolum alteratur iuris poſitiui diſpoſitio, ſed etiam Chriſti patrimonium iniuſtè diſpergitur; & ſic cum bona Eccleſia Pontifex ſine cauſa non poſſit alienare per textum *in c. non liceat Papa 2 q. 2., & ibi Panomitanus* multo minus poteſt dare ſine cauſa licentiam alteri ipſa diſpergendi per textum *in c. nuper. de dō poſt. diuort. res Innocentius in c. cum ad monaſterium de ſtatu Monac. Hoſtienſis in d. c. dudum.*

2 Diſpenſatus in voto per Pontificem ſine legitima cauſa eſt tutus coram Deo ſi fuerit in bona fide, ſecus ſi in mala.

Assertio II. Si lex fuerit diuina, puta votum, iuramentum, & huiuſmodi, & Pontifex in ea diſpenſauerit ſine legitima cauſa diſpenſatus vtique tutus eſt coram Deo ſi fuerit in bona fide, & in eadem permanſerit, ſecus ſi in mala fide, vel poſt eandem ſuperuenientem. *Silueſter d. verb. diſpenſatio q. 3. nu. 5. Panormitanus in c. non eſt voti de voto Innocentius in d. c. cum ad monaſterium.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià ſtante diſpenſatione per eum, cui poteſtas eſt diſpenſandi, diſpenſatus exiſtimans cauſam eſſe legitimam, & diſpenſationem tenere nulli culpæ ſubeſt, quandoquidem nullus ſine praua conſcientia, & ſine cognitione deordinationis ad Deum conſtituitur reus peccati, cum peccatum non ſit, niſi voluntarium, ergo perſeuerante tali bona fide tutus erit coram Deo, & coram Eccleſia.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur quià poteſtas, quæ conceditur quodamodo ex vi commiſſionis ad diſpenſandum ſemper eſt cum tacito onere, ſeù conditione diſpenſandi cum legitima cauſa; non enim præſumitur, quod ſuperior quoad ea, quæ ſui iuris ſunt in alterum transferat ius pro libito diſponendi, ſed ad normam iuris, ergo ſi diſpenſatus non ignarus illegitimitatis cauſæ obtinuerit diſpenſationem à non habente poteſtatem diſpenſandi ſine legitima cauſa non poterit eſſe tutus, nec corā Deo, nec corā Eccleſia, quādoquidē ex prædictis diſpēſatio ab inferiori ſine legitima cauſa in lege ſuperioris non tenet. Ex quibus etiam habes, quod quantumvis bona fide ſine legitima cauſa diſpenſationem obtinuerit ſuperueniente mala fide non ſit tutus in conſcientia coram Deo, quandoquidem bona fides in radice excuſat quidem à peccato, non tamen reddit validam diſpenſationem eo modo quo contractus matrimonialis bona fide initus cum impedimento eximit quidem ab actione peccaminoſa, non tamen à nullitate actus, ergo ſicuti in hoc caſu ſuperueniente cognitione de impedimento contrahentes non ſunt tuti coram Deo, ità nec erit tutus diſpenſatus ſuperueniente cognitione de illegitimitate cauſæ.

Hinc in particulari deducunt Panormitanus, & alij, quod non ſit tutus in conſcientia Religioſus, qui ſine legitima cauſa diſpenſatus fuit, vt ad laxiorem tranſiret Religionem, & ex non ſit tutus ſi quis præficiatur Eccleſiæ curatæ cauſa legitima non extante, quià non eſt aptus ad exercitium curæ, & eorum, quæ exiguntur ex vi talis muneris: vnde merito dicit, *Gloſa ſingularis in c. Monachi vagantes 26. q.* 1 Religioſum promotum ad Eccleſiam ſecularē non vt proſit, ſed vt præſit, peccare lethaliter.

Illatio ex dictis in caſu particulari deducitur.

Assertio III. Si Pontifex ex cauſa illegitima diſpenſauerit in ſua lege, & diſpenſatus fuerit in bona fide, quando diſpenſationē obtinuit ex ſuperuenienti mala fide, ſeù cognitione illegitimitatis cauſæ, remanet tutus coram Deo. Conſonat cum his, quæ dicta ſunt in prima aſſertione.

3 Ex ſuperuenienti mala fide diſpenſatus non amittit ius diſpenſationis.

Ratio ex eo deducitur, quià valida fuit diſpenſatio, per quam abſolutè abolitum eſt ius, ſupra quod eadem cadit; ius autem ſemel plene abolitū non reuiuiſcit ex ſuperueniente mala fide, ſeù cognitione illegitimitatis cauſæ. Accedit, quod quantūvis diſpēſauerit cōſcius in cōceſſione diſpenſationis, quod fuerit illegitima cauſa, adhuc tamen eſt tutus coram Deo per ea quæ diximus in prima aſſertione, ergo à fortiori erit tutus, quando in conceſſione fuit ignarus, licet poſtea ſuperuenerit cognitio illegitimitatis cauſæ. Neque dicas,

cas,

Digitized by Google

cas, quod petens conſcius diſpenſationem ex cauſa illegitima peccet, ergo etiam non erit tutus perſeuerans in eadem diſpenſatione poſt habitam cognitionem; contra enim impugnaberis quià petens diſpenſationem ex cauſa illegitimà, ideò peccat, quià cooperatur actioni iniquæ diſpenſantis; poſita autem diſpenſatione alicui non cooperatur in actione praua, ſi perſeueret in diſpenſatione, quià vtitur iure, quod ſibi competit.

Hinc ſi ſupponas, quod diſpenſatio in lege ſuperioris ſine legitima cauſa eſſet tantum illicita, & non inualida, quantumvis ad impetrationem eiuſdē concurreret diſpenſatus cum mala fide, tunc non negarem, quod poſita eadem diſpenſatione tutus eſſet diſpenſatus perſeuerando, quià per talem diſpenſationem validam relaxata eſt obligatio, quæ propterea non poteſt amplius vigere.

4 Quæ dicuntur de Pontifice quoad ſuam legem intelligenda sūt de Epiſcopo quoad ſuam.

Assertio IV. Ea, quæ dicta ſunt in diſpenſatione ex cauſa illegitima, ſiuè cognita, ſiuè non cognita à diſpenſato, ſiuè ex ſuperuenienti cognitione facta à ſuperiori in propria lege proportionaliter intelligenda ſunt in diſpenſatione facta ab Epiſcopo, vel à Sinodo in propria, vel in ſinodali, & quæ dicta ſunt de Pontifice diſpenſante in lege Dei, dici proportionalitèr debent de Epiſcopo diſpenſante in cauſa Pontificis.

Ratio eſt, quia ita ſe habet Epiſcopus ad legem propriam, & ſinodalem, & ad legem Pontificis, ſicuti ſe habet Pontifex ad legem propriam, ſeù Concilij generalis, & ad legem Dei, ergo ea, quæ dicuntur de Pontifice in ordine ad ſuas leges, & ad legem Dei, proportionaliter dicenda ſunt de Epiſcopo in ordine ad ſuas, & ad leges Pontificis.

PRÆNOTIO VIII.

An, & quomodò ceſſante cauſa diſpenſationis ceſſet diſpenſatio.

SVMMARIVM.

Cauſa duplex, altera finalis, altera impulſiua. 1.

Ceſſante tempore petitionis ante conceſſionem cauſa impulſiua non ceſſat diſpenſatio, ſi poſtea fuerit conceſſa, bene tamen ceſſante cauſa finali. 2.

Idem dic, quando ceſſat cauſa finalis, vel impulſiua dato iam reſcripto per ſuperiorem, ſed nondum executo per commiſſarium. 3.

Explicatur textus in c. quià circa de conſang, *vt non aduerſans ſenſui noſtro.* 4.

Item textus in l. ſi voluntate, & l. 2. C. de reſcind. vendit. 5.

Ceſſante cauſa finali diſpenſationis, eademque diſpenſatione abſolutè conceſſa, vel expedita per commiſſarium probabilius ceſſat diſpenſatio ſi nondum fuerit deducta ad ſuum vltimatum finem. 6.

Item etiam ſi deducta fuerit ad ſuum vltimum finem, ſed hic patiatur diuiſionem. Ibid.

Ceſſante cauſa finali conſummata iam diſpenſatione in ſuo effectu vltimato non admittente ſucceſſionem non ceſſat diſpenſatio. 8.

Secundum duplicem ſenſum examinari poteſt præſens titulus; vel etenim ceſſaret cauſa diſpenſationis nondum adhuc conſummata diſpenſatione, vel eadem iam perfectè completa, & conſummata quoad ſuum effectum principalem: Porro pro tempore, pro quo adhuc conſummata non eſt diſpenſatio, vel primarius eius effectus completus controuerti poteſt primo, an ſi quando miſſum fuit Romam pro eadem impetranda cauſa verè exiſteret, ſed pro tempore reſcripti defiſerit, teneat diſpenſatio ſuper illa conceſſa, an verò abſolutè ceſſet. Secundò, an ſi quando Pontifex, vel Penitentiarius literas expedit commiſiuas, vel ordinario, vel confeſſori, vt diſpenſet, verè cauſa diſpenſationis militet, ſed antequam commiſſarius commiſſionem expediat cauſa illa euaneſcat, ceſſet quoque diſpenſatio? Tertiò, an ſi quando commiſſarius diſpenſat, verè perſeueret cauſa, ſed antequam executioni mandetur diſpenſatio, ceſſat, poſſit eadem exequi, an vero abſolutè tollatur. Tandem pro tempore, quo iam conſummata eſt perfectè diſpenſatio, & poſitus eius primarius effectus inquiri poteſt, an ſi abſolutè ceſſarit cauſa, ob quam conceſſa eſt, intelligatur, & ceſſare conceſſio.

Varij ſenſus, ſecundum quos poteſt intelligi titulus, & varij articuli examinandi.

1 Cauſa altera impulſiua, altera finalis.

Pro quo aduerte, cauſam, ob quam concedi potuit huiuſmodi diſpenſatio, quaſi duplicem eſſe, alteram merè impulſiuam, alteram verè finalem. Prima eſt, quæ non mouet ſecundum ſe principalitèr, & quoad ſubſtantiam ad ponendam conceſſionem, confert tamen facilitando ad ipſius poſitionem. Secunda eſt, quæ ſecundum ſe, & principaliter mouet ad conferendum beneficium diſpenſationis, & ſine qua regularitèr non concederetur. Quibus ſuppoſitis ſit

2 Ceſſat diſpenſatio ceſſante cauſa finali tempore petitionis, non ſic ceſſante cauſa impulſiua

Assertio I. Ceſſante cauſa impulſiua diſpenſationis, non tamen finali pro tempore, pro quo facta eſt petitio, non tamen poſitum reſcriptum, non ceſſat diſpenſatio, ſi poſita fuerit; bene tamen ceſſat ceſſante cauſa finali. Ita quoad primam partem *Gloſa in reg decet verb. decet de reg. iur. in ſexto Ripa in l. ex facto n. 15. verſ. & ſi replicaueris ff. de vulg. Tiraquel. tract. ceſſante cauſa limit. 1. nu. 18. Couaruuias lib. primo variar. cap. 20. num. 5. verſ. his breuiter.*

Quoad ſecundam omnes, ferè conſentiunt.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià cauſa, ob quam conceſſa eſt huiuſmodi diſpenſatio, & ſine qua non concederetur, adhuc perſeuerat, nec illa cauſa impulſiua, quæ ſupponitur deſiiſſe, eſt cauſa formalis, & finalis conceſſionis, ergo eadem deſinente, & perſeuerante cauſa finali non erit, cur non debeat ſubſiſtere diſpenſatio, ad cuius ſubſtantiam non contulit illa impulſio, ſed tantum ad maiorem facilitatem, & faciliorem executionem. Confirmatur primò, quià ſi non deficiat adæquatè, & in omnibus cauſa finalis, ſed aliquot ipſius reliquiæ permaneant, non ceſſat ipſa diſpenſatio *Gloſa reg. decet verb. decet, & ibi Dinus n. 3. de reg iur. in 6. Rolandus conſil. 52. nu. 55. vol. 2. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 30 n. 8. Tiraquel. tract. ceſſante cauſa limit. 17. n. 1., & ſeqq*, ergo à fortiori ſi perſeueret cauſa finalis in toto, & tantum deficiat cauſa impulſiua, non deficiet ipſa diſpenſatio quoad ſuum robur, & efficaciam. Confirmatur ſecundo, quià per taciturnitatem cauſæ impulſiuæ, vel falſitatem circa illam à principio contingentem, minimè vitiatur diſpenſatio prout habetur *ex c. dudum verſ. nos igitur de præbend. in ſexto, & ibi Gloſa verb. de ipſa, DD. communiter in c. poſt translationem de renunt., & c. & ſi Chriſtus de iureiur, & c. cum ceſſante de appellat., & l. ſi mulier C. de iure dot., & l. 1. §. ſextum ff. de poſtulando Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 21. n 17.*, & nos etiam infrà trademus, ergo à fortiori per ceſſationem huiuſmodi cauſæ impulſiuæ non ceſſabit diſpenſatio.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià ceſſante cauſa finali ante complementum diſpenſationis verè diſpenſatio eſt ſine cauſa, & ſubreptitia, quandòquidem ad efficaciam eiuſdem requiritur, vt cauſæ allegatæ veræ ſint tempore conceſſionis, & pro eo tempore exiſtant, nec ſufficit, quod præexſtiterint, quando illæ ſunt cauſæ finales, prout colligitur *ex c quià circà de conſanguin., & ex c. ſi eo tempore de reſcript. in 6. Hoſtienſis in d. c. quià circa paulo poſt principium verb. ingreſſa, & ibi Ioannes Andreas nu. 8. Rebuffus tom. 2. conſtit. Regiarum tit. de reſcript. in præfatione n. 56. verſ. 14. Corduba in ſumma q. 45. opinione ſecunda punct. primo Petrus de Ledeſma in ſumma ſacrament. vbi de matrim. c. 27. poſt ſeptimam concl. difficult. 4.*, ergo nullo modo ſubſiſtit, nec aliquem poteſt effectū ſortiri. Confirmatur, quià pro tempore, pro quo fit reſcriptum, reuera cauſa enunciata non exiſtit, ergo &c.

3 Assertio II. Ceſſante cauſa impulſiua pro tempore, quo iam datum eſt reſcriptum Pontificis, ſed nondum per commiſſarium executioni mandatum non ceſſat diſpenſatio, bene tamen ceſſante cauſa finali. Pro prima parte conſentiunt DD. omnes allegati pro prima parte aſſertionis præcedentis. Quoad ſecundam *Pariſius conſ. 57. n. 53. vol. 4. Iacobus de Puteo dec. 256. n. 2. lib. 1. Coaruuias quarto decret. ſecunda part. c. 6. §. 9. n. vlt. Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de conſang conſ. 7. in fin. Mandoſius praxi ſignaturæ tit. de diſp. verſ. diſpenſatio eſt mandatum Callego de cognat. ſpiritual. c. 23. n. 2.* Ratio primæ partis deſumitur ex probatione primæ partis præcedentis aſſertionis.

Idem intellige quando emanauit reſcriptum ſuperioris, ſed nondum executum per commiſſarium.

Probatur iam quoad ſecundam, quià quando diſpenſatio committitur ordinario, vel confeſſori exequenda ante talem executionem non intelligitur conſummata, ſed ad ſummum in fieri, non in facto eſſe, cuius rei ſignum euidens eſt, quod ſi matrimonium contrahatur, priuſquam ordinarius, vel confeſſor virtute illius mandati diſpenſet, non teneat matrimonium, vt benè notat *Callego de cognat. ſpiritual. c. 23. n. 2.*, ſed ceſſante cauſa finali, antequam diſpenſatio ſit conſummata, nullum conſequitur effectum, ſed omninò ceſſat, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo &c. Confirmatur, quià Pontifex, ſeù Pænitentiarius committens ordinario, ſeù confeſſori diſpenſationem ſuper petita committit ſub expreſſa, vel tacita conditione, ſi vera fuerint narrata; ad quid etenim committere, non abſolutè diſpenſare, ſi ad illam conditionem non reſpiceret, & cognitionem eiuſdem conditionis, ſeù veritatis narratorum remittit ad eundem ordinarium, ſeù confeſſarium, ergò Pontifex non præſumitur diſpenſare, niſi ſuppoſita purificatione illius conditionis cognoſcibili, ſeù cognoſcenda per ipſum ordinarium, ſeù confeſſorem, ergo antè illam non intelligitur ſubſiſtere diſpenſatio, adeoque ante illam purificationem ceſſante cauſa ceſſare debet, & diſpenſatio, cum hæc non teneat, niſi poſt conditionem; & hinc reſpondere poteris ad illud, quod dicitur, diſpenſationem etiam in ea hypotheſi quoad ſubſtantiam eſſe à Romano Pontifice, & executionem ſolum eſſe ab ordinario, vel à confeſſore; quando autem à Pontifice ponitur, vere adeſt cauſa finalis diſpenſationis; reſpondere, inquam, poteris eſſe à Romano Pontifice quoad ſubſtantiam tantum conditionaliter, ſi ſcilicet pro tempore cognitionis conditionis appoſitæ illa cauſa fuerit, non abſolutè, vel etiam dicas eſſe à Romano Pontifice radicalitèr, & quoad facultatem, non formaliter, & quoad exercitium.

Dices primo, *ex c. quià circa de conſang.*, vbi aſſeritur ſubreptitia diſpenſatio circa quandam conſanguinitatem allegata cauſa prolis iam ſuſceptæ, & ibi redditur

ratio

4 Textus in *cap. quia circa de conſanguinitate* non aduertatur aſſerto.

ratio, quià tempore impetrationis cauſa illa defecerat, cum proles pro illo tempore fuerit mortua, ergò, ſi pro tempore impetrationis cauſa illa extitiſſet, ſeù proles non defeciſſet, non eſſet diſpenſatio ſubreptitia, quià ceſſat ratio, ob quam in primo caſu diſpenſatio dicitur talis. Sed contrà, quià ille textus ſolum aſſerit, quod ſubreptitia ſit, & non teneat illa diſpenſatio, quià pro tempore impetrationis non aderat cauſa, proptèr quam fuit conceſſa, non propterea concludit, quod ſi tunc fuerit illa cauſa, ſed euanuerit ante executionem ab ordinario ponendam; teneat, vndè ſolummodò enuntiat quid factum ſit, & quid ſentiendum in illo facto, non autem determinat quid faciendum ſit in alio caſu. Cæterum cum militet eadem ratio, quando cauſa deeſt, nondū conſummata diſpenſatione, non video &c.

5 Alij textus explicati.

Dices ſecundo, *ex l. ſi voluntate, & l. 2. C. de reſcind. vendit.*, vbi dicitur, quod ad probandam læſionem vltra dimidium ad effectum reſcindendi contractus attendenda res ſit pro tempore contractus, non comprobationis eiuſdem, ergò etiam ad reſcindendam diſpenſationem attendendum erit, an pro tempore impetrationis, ſeù conceſſionis eiuſdem cauſa interuenerit, non pro tempore executionis eiuſdem. Sed contra, quià in eo contractu, de cuius reciſcione agebatur in illis allegatis textibus, cum ſolum penderet à voluntate contrahentium intelligebatur pro illo tempore mutuo conſenſu completus, & pro illo facta traditio, vndè merito pro illo tempore dicitur æqualitas menſuranda; in caſu autem præſenti diſpenſatio non erat completa ante diſpenſationis executionem faciendam per ordinarium ex commiſſione Pontificis, adeoque ponderandum eſt, an ante talem executionem cauſa diſpenſationis extiterit, nec ne, & ſi non extiterit; non erit, cur illa ſuum debeat conſequi effectum.

6 Ceſſante cauſa finali diſpenſationis eadem cauſa abſolutè conceſſa, vel executa per cõmiſſarium ſed non deducta ad vltimatum finem probabilius ceſſat diſpenſatio.

Assertio III. Si cauſa finalis ceſſarit poſt conſummatam diſpenſationem, quatenus abſolutè hæc facta fuerit à Romano Pontifice, & acceptata à diſpenſatarijs, vel conceſſa ab ordinario ad normam commiſſionis Pontificis, ſed antequam deducta ſit ad vltimatum effectum probabilius eſt adhuc illam diſpenſationem ceſſare, quinimmò etiam ſi fuerit deducta ad ſuum effectum vltimatum, ſi hic commodam patiatur diuiſionem. Iuxtà hunc ſenſum præciſè exiſtimo locutos *Gloſſam cap. generalitèr verb. non denegantes 16. q. 1. & reg. decet verb. decet de reg. iur. in 6. Baldum l. generalitèr num. 3. C. de Epiſcopis, & Cleric. Alexandrum in l. filius à Patre §. filius familias nu. 2. ff. de lib.; & poſth. Felinum c. quia in Eccleſiarum nu. 29. de conſtitut. Valaſcum conſ. 69. n. 9. tom. 1. Tiraquel tract. ceſſante cauſa limit. 23. n. 11.*, quantumvis aliqui exiſtiment huiuſmodi DD. abſolutè ſentire ceſſante cauſa finali diſpenſationis, eandem ceſſare quantumvis fuerit ſimpliciter deducta ad ſuum vltimatum effectum.

Ratio ex eo deducitur, quià conceſſa diſpenſatione ob illam cauſam finalem, eaque non adhuc in ſuo vltimato effectu conſummata quoad effectum, ad quem fuit conceſſa, res adhuc remanet integra, nec adhuc plenam conſecuta eſt poſſeſſionem, ergò non eſt, cur non debeat ceſſare ceſſante cauſa finali, intuitu cuius fuit conceſſa, & ſine qua non fuiſſet conceſſa. Conſequentia probatur, quià diſpenſatio ipſa, ſeù animus diſpenſantis refertur ad effectum vltimatum intentum tanquam ad ſuum complementum, non enim intelligitur facta in vago, ſed ſolum per ordinem ad illum, ergò ſicuti ceſſante cauſa finali, quando non eſt completa ex parte diſpenſantis, vel exequentis ex commiſſione ceſſat diſpenſatio, ita eadem cauſa finali ceſſante, quando eſt completa quodamodo ex parte efficientis, non tamen conſummata ex parte effectus, vtique debet ceſſare, cum propriè non fuerit aſſecuta ſuum complementum, ſeù vltimatum actum. Confirmatur primo ex ijs, quæ docuimus *tomo ſexto in diſquiſitionibus ad prænotiones de matrim.* 2. nempe ſi conſanguineus impetrarit diſpenſationem ad contrahendum cum conſanguinea matrimonium, & ante illud initum carnalitèr cognouerit eandem conſanguineam peccare non ſolo peccato ſimplicis fornicationis, ſed peccato proprio inceſtus, quod non alia ratione euincitur, niſi, quià illa diſpenſatio non intelligitur completa, niſi per illum effectum, ad quem ordinatur, & in eo caſu ordinatur ſolummodo ad matrimonium, non ad alios effectus, ergò non conſummata eadem diſpenſatione in vltimato effectu, ad quem ordinatur, & antecedentèr ceſſante cauſa finali ceſſare debet eadem diſpenſatio. Confirmatur ſecundo, quià cauſa finalis non minus eſt ratio, ob quam diſpenſans concedit priuilegium, ſine qua non concederet, ac ſit ratio, ob quam diſpenſatarius poſſit exequi idem priuilegium, & ſine qua non poſſet exequi, ergò ſicuti ipſa cauſa finalis deficiens impedit diſpenſationē fieri, impedire etiā debet eandem exequi quoad illum effectum, qui non eſt in eſſe productus, vel ſi partim productus ſit, & admittat diuiſionem, impediet etiam quoad effectum ſecundum partem illam, ſecundum quam non eſt poſitus, & admittit tractum ſucceſſiuum.

Dices per diſpenſationem verè relaxata eſt lex, ac eius obligatio extincta,

 ergò

ergò non poteſt reuiuiſcere ex eo, quod eadem diſpenſatione iam poſita ceſſet cauſa, ob quam conceſſa eſt. Sed contra aſſumptum verificatur, quando ante ceſſationem cauſæ finalis diſpenſatio eſt conſummata, & quoad principium, & quoad vltimatum effectum, adquem principaliter ordinatur, quia tunc ſortitur complementum, ſecus quandò nondum eſt aſsecuta ſuum effectum, quia non poteſt dici tunc lex quoad exercitium, & in effectu relaxata, nec penitus extincta, quę propterea ceſſante cauſa finali non eſt, cur in ſuo robore non permaneat.

8 *Ceſſante cauſa finali poſt conſummatam diſpenſationem in ſuo effectu indiuiſibili nõ ceſſat diſpenſatio.*

ASSERTIO IV. Ceſſante cauſa finali conſummata iam diſpenſatione in ſuo effectu vltimato non admittente ſucceſſionem, & diuiſionem non ceſſat eadem diſpenſatio. In hoc ſenſu præcisè ſunt intelligendi *Pontius de matrimon. lib.*8 *c.*20. *n.*4. *Salas de legibus diſp.*20. *ſect.* 5. *n.* 64., *& ſeqq. Granado part.*2. *controu.*7. *tract.* 3. *p.* 2. *diſp.*17 *ſect.*4 *n.*36. *Gutierez can qq lib.*2. *c.*15. *num.* 30. *& tract. de matrimon. c.*126. *num.*2. *Tiraquel. tract. ceſſante cauſa tot. limit.* 12. *Menochius de præſumpt. lib.*4 *præſumpt.* 189. *n.*197. *Diana part* 1. *tract.*10. *reſol* 41.

Ad hanc aſſertionem comprobandam locum habet ratio in inſtantia præcedenti adducta, nempe quod per diſpenſationem perfectè conſummatam intelligatur lex abſolutè relaxata, & in ordine ad talem perſonam obligatio eiuſdem penitus extincta, ergo non poteſt amplius reuiuiſcere; Neque dicas, relaxationem illam fuiſſe ſub conditione, ſi ſcilicet cauſa finalis, ob quam facta eſt conceſſio, ſeu relaxatio perſeuerauerit; contra enim impugnaberis, quia illa tacita conditio gratis omnino, & ſine fundamento effingitur; quis enim diceret, quod Pontifex diſpenſans ſuper impedimento matrimonij ex cauſa finali ſibi expoſita animum habuerit in tali diſpenſatione, vt irritetur matrimonium, ſi illa cauſa poſt contractum euaneſcat? Certè matrimonium ſuaptè natura perpetuum nequit iniri virtute diſpenſationis temporaneæ, & pendentis à conditione, quæ pro quocunque tempore poteſt euaneſcere, & ſic matrimonia paſſim legitimè inita, & conſummata diſſoluerentur; & ſic ſentiunt *Antoninus c. per tranſlationem n.*34. *de renuntiatione, & ibi Abbas in* 2 *lectura n.*17. *Tiraquel. tract. ceſſante cauſa in princip. n.*94. *Gutierez qq. canon. lib.* 2. *c.*15. *n.*30.

Gratis confingitur cõditionalis conceſſio.

Confirmari poteſt aſſertio *ex regula factum* 73. *de reg. iur. in* 6., *& regula in ambiguis pro dotibus* 85. § *non eſt nouum ff. eod. tit.* vbi dicitur, quod factum legitimè non debet retractari, quamuis poſtea eueniat, à quo non potuit incohari, quas regulas intelligunt DD., & præcipuè *Gloſa in ea reg. factum in fin.*, *& ibi Dynus n.* 6. *Decius d* §. *non eſt nouum n.*2., quando factum iam eſt conſummatum, à quibus hac in re non diſſentit, *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 30. *n.* 19. dum reſpondens ad argumenta ſibi oppoſita aſſerit doctrinam in illis regulis appoſitam verificari ſolummodo, quando eſt completus vltimatus effectus, ergo cum in propoſita materia diſpẽſatio intelligatur completa in ſuo vltimato effectu, & in diuiſibili legitimè inito nondebet diſſolui ex eo, quod ceſſarit cauſa, quę, ſi ab initio extitiſſet, impediſſet eandem diſpenſationem.

PRÆNOTIO IX.

An in dubio quod ceſſarit cauſa diſpenſationis ceſſet diſpenſatio?

SVMMARIVM.

Dubium duplex aliud ſuſpenſiuum, aliud opinatiuum. ſuſpenſiuum item duplex aliud practicum, aliud ſpeculatiuum. 1.

In dubio opinatiuo, quod cauſa non ceſſarit, non ceſſat diſpenſatio. 2.

In dubio purè ſuſpenſiuo non licitum eſt exequi diſpenſationem. 3.

Excipe in caſu, quo manente dubio ſuſpenſiuo in diſpenſato commiſſarius iudicaret cauſam eſſe ſufficientem. 4.

In dubio merè ſpeculatiuo licitum eſt diſpenſationem exequi. 5.

NON eſt difficultas, quando dubium ſuperuenit conſummata diſpenſatione in ſuo vltimato effectu, quando hic indiuiſibilis eſt, nec admittit tractum ſucceſſiuum; quandoquidem, ſi non ceſſat diſpenſatio, quando expreſsè conſtat de ceſſatione cauſæ finalis, multo minus ceſſare debet; quando ſolummodo ſuperuenit dubium. Difficultas igitur ſolummodo eſt, quando ſuperuenit dubium, vel poſt commiſſionem pro executione factã Ordinario, vel poſt declarationem eiuſdẽ Ordinarij, ſed ante vltimatum effectum, vel etiam ſecuto effectu, quando hic diuiſibilis eſt, & admittit tractum ſucceſſiuum; & potiſſimum ratio dubitandi conſurgit ex eo, quod ſuperius diximus, ſcilicet diſpenſationes à iure communi exorbitantes non admittere, niſi ſtrictam interpretationem, & rigoroſam, quæ non poteſt eſſe pro caſu dubio, cum etenim ius commune ſit in poſſeſſione non videtur eadem ſpoliandum ob cauſam dubiam; item cum impedimentum ſit certum, ſi ſit quoad matrimonium, vel etiam præceptum, ſi quo ad alia, & cauſa, cui innititur diſpenſatio ſit ſolummodo dubia, illud in iure prælationis debet præfici.

In quo ſenſu ſumendus eſt titulus?

Petrus *de Ledeſma in ſumma ſacrament. vbi de matrimonio c.*27. *in fine*, aſſerit quod, ſi du-

Sententia Petri de Ledeſina exponitur.

ſi dubium illud de ſufficientia cauſæ præceſserit contractum matrimonij illud non eſse ineundum; ſi verò ſubſecutum fuerit ad eundem iam initum iudicandum eſse in matrimonij fauorem. Exiſtimo ea ratione procedere, quià nunquam licitum eſt agere cum dubio, & in concernentibus ſtatum, ſeù ſalutem animarum, & de peccatis euitandis tutior ſemper pars eſt eligenda, qua ratione etiam plerique docent non poſse iniri matrimonium in dubio, an impedimentum intercedat, nec ne? ad quod etiam conferunt rationes adductæ mox in ratione dubitandi.

1 Dubium, aliud ſuſpenſiuum, aliud opinatiuum.

Pro quo aduerte, vt alibi paſſim prænotauimus, dubium eſse quaſi in duplici differentia, aliud ſcilicet ſuſpenſiuum, aliud merè opinatiuum. Primum eſt, quod ſui natura talis rationis eſt, vt intellectus ex illo nequeat potius ad vnam, quam ad alteram partem inclinare, ſed ſemper hæreat quaſi in æquilibrio. Secundum eſt, quando rationes, & quidem probabiles pro vtraque parte militant, ita tamen, vt pro vna, vel altera parte poſſint inclinare. Porrò dubium ſuſpenſiuum eſt etiam quaſi in duplici differentia, alterum merè ſpeculatiuum, alterum verò practicum; ſecundum eſt, quando quis dubitans in principio, nec vni potius parti hærens, quam alteri attentat aliquod opus, de quo dubitat. Primum eſt, quando bona fide opus illud aggreſsus eſt, & poſteà ſupervenit dubium, an iuſtè illud opus aggreſsus fuerit. His ſic pro notitia ſuppoſitis ſit

Aliud practicum, aliud ſpeculatiuum.

2 In dubio opinatiuo non ceſſat.

Assertio I. In dubio merè opinatiuo, quod cauſa diſpenſationis ceſsarit, & dubitans adhæreat parti, quod non ceſsarit, probabilius eſt, quod non ceſset diſpenſatio, & quod diſpenſatus poſſit illa vti. Ita in ſimilibus de dubio merè opinatiuo docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contract., vt ſic Prænot. 2. num. 15., & alibi ſparſim*, & ita docent quotquot ſuſtinent licere ſequi ſententiam probabilem relicta alia probabili.

Ratio ex eo deducitur, quià qui operatur iuxta rationes probabiles inclinantes intellectum operantis, operatur iuxta dictamen prudentis rationis, ſed quis operans iuxta dictamen prudentis rationis rectè, & iuſtè operantur, ergò non eſt ipſi ad culpam imputandum, quod ſic operetur, ſed qui habet dubium opinatiuum circà ſufficientiam cauſæ, ob quam diſpenſatus eſt, probabilitèr, & cum dictamine prudentis rationis operatur inclinando, quod non ſit inſufficiens, ergò &c. Neque dicas, iuxta ſuperius dicta in ratione dubitandi, quod vbi agitur de peccatis vitandis, & de ſalute animarum tutior ſemper ſit pars eligenda, ne exponatur periculo delinquendi in illa actione; tutius autem eſt abſtinere ab illo contractu, quā illum inire: contra enim impugnaberis quia non eſt periculum delinquendi, vbi quis procedit cum dictamine prudentis rationis; & illud axioma, quod tutior pars ſit eligenda procedit quoad dubium ſuſpenſiuum, in quo nulla eſt ratio inclinans, non in dubio opinatiuo; in quo quis prudenter operatur, qui operatur ſecundū rationes probabiles inclinantes ad aſſenſum pro ſufficientia eiuſdem cauſæ.

Stricta interpretatio intra eandem verborum formam admittit probabiles rationes.

Quod ſi dicas iuxta ſuperius dicta, quod diſpenſationes non patiuntur, niſi ſtrictam interpretationem, adeoque in rationibus pro vtraq; parte vertentibus potius fauēdū eſſe iuri communi, à quo exorbitant, quā eiſdem diſpenſationibus, quæ exorbitant; ſtatim dicam hanc ſtrictam interpretationem conſiſtere in eo, quod non extendantur vltra verborum formam, quibus concipiuntur, non in eo, quod intra eandem verborum formam excludant probabiles rationes concludentes diſpoſitum in ea diſpenſatione comprehendi. Deindè ſtrictam patiuntur interpretationem in ijs, quæ meri dubij ſunt, non in ijs, quæ ſunt probabilis opinionis, & prudentis credulitatis; cæteroqui neque Iudex poſset in illa quæſtione ſufficientiæ, vel inſufficientiæ cauſæ iudicare.

3 In dubio purè ſuſpenſiuo nō licet exequi diſpenſationem.

Assertio II. In dubio purè ſuſpenſiuo ſufficentiæ, vel inſufficientiæ cauſæ antequam diſpenſatio fuerit in ſuo effectu vltimato completa non eſt licitum ad illum effectum vltimatum deuenire, nec ipſam diſpenſationem in illo complere. In hoc ſenſu præcisè meo videri locutus eſt *Petrus de Ledeſma loco cit. in ſumma ſacram., vbi de matrimon. c. 27. in fine.*

Ratio ex eo deducitur, quià ſtante tali dubio formalitèr ſumpto intellectus in nullam partem inclinat, ſed quaſi hæret in medio, ſed quis conſtitutus in medio, nec pro vna, nec pro altera parte iudicans non iuſtè operatur eligens potius vnam partem ſcilicet pro ſufficientia, quam alteram pro inſufficientia, ſiquidem non operatur cum dictamine prudentis rationis, ergò &c. Confirmatur primo à ſimili in dubio ſuſpenſiuo confeſſionis, vel non confeſſionis factæ de peccato læthali commiſso, vel in dubio ſuſpenſiuo, an aliquid ſit peccatum læthale, nec ne; in primo etenim non eſt licitum dubitanti abſtinere à confeſſione; & in ſecundo non eſt licitum actionem illam exercere, in qua eſt dubium, an peccatum læthale conſiſtat, nec ne? *Suarez in 3. part tom 4 diſp. 22. c. 10. n. 66. Azorius tom. 1. inſtit. mor. lib 11. cap. 4. q. 3. Ouiedo in 1. 2. tract. 5. controu 4. n. 57. Laiman tom. 1. lib. 1. tract. 1. c 5 §. 4. nu 37. Sfortia Pallauicinus lib 7. aſſert. Theologic. n. 306. Lugus de pænitentia diſp. 16. ſect 2. n. 67.* ergò etiam in dubio ſuſpenſiuo ſufficientiæ,

Paritatibus euincitur.

Digitized by Google

tiæ, vel inſufficientiæ cauſæ diſpenſationis non erit licitum deuenire ad effectum vltimatum eiuſdem diſpenſationis. Conſequentia probatur, quià in tantum in præcedentibus caſibus, vel non poteſt abſtinere à confeſſione, vel exercere illam actionem, in quantum poſito certo peccato læthali immediatè conſurgit præceptum illud confitendi, & poſſeſſio ſtat pro præcepto confeſſionis, à quo non debet ſpoliari per dubium ſuſpenſiuum, cum in dubijs melior ſit conditio poſſidentis, & in dubio peccati nullus poſſit attentare actionem, in qua eſt dubium talis peccati; ſed etiam in dubio ſuſpenſiuo ſufficientiæ cauſæ ius commune ſtat in poſſeſſione, qua non debet ſpoliari per idem dubium, & attentans *in tali dubio* effectum vltimatum diſpenſationis actionem exequitur, in qua eſt dubium grauis peccati, ergo &c. Confirmatur ſecundo, quià attentans executionem, ſeù effectû vltimatum talis diſpenſationis in tali dubio illum non attentat bona fide ea proportionali ratione, qua docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic pranot. 2. num. 13.* incipientem poſſidere in tali dubio rem alienam non incipere bona fide poſſidere, quantum ad effectum rem acquirendi per præſcriptionem, quià dubium ſuſpenſiuum non ſtat cum bona fide, ergo iuſtè, & licitè non poteſt illum effectum attentare, quià in actionibus dubijs, in quibus verſari poteſt periculum animæ nemo excuſari poteſt à peccato, niſi illas operetur cũ bona fide; atque ab hac noſtra aſſertione arbitror non diſſidere *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 21. n. 25.* quantumvis aſſerat in dubio præſumi eam diſpenſationem validam; rationes etenim, quas adducit ad intentum comprobandum, potius inferunt pro dubio opinatiuo, quam pro ſuſpenſiuo.

4 Temperarem tamen aſſertionem in hypotheſi, qua commiſsa eſset per Romanum Pontificem Ordinario, qui exiſtenti tali dubio ſuſpenſiuo reſpectu diſpenſati adiudicaret cauſam illam eſſe ſufficientem, & non obſtante tali dubio diſpenſationem expediret ſibi commiſſam; tunc etenim iuſtè effectum illum exequeretur, quià ſententia Iudicis facit de albo nigrum, & de nigro album, & maximum ius pro dubitante conſtitueret, & hac ratione non operaretur cum dubio practico, ſed ad ſummum ſpeculatiuo, quod licitum eſſe tradit *Sanchez loc. cit., & lib. 2. diſp. 41. n. 8.*, & alij communiter.

Niſi commiſſarius iudicaret cauſam eſſe ſufficientem.

5 Assertio III. In dubio merè ſpeculatiuo ſufficientiæ, vel inſufficientiæ cauſæ, ſupra quam cadit diſpenſatio, licitum eſt eandem diſpenſationem exequi etiam in vltimato effectu, dummodo non ſit etiam dubium practicum *Caietanus opuſc. 17. reſponſ. reſp. 12. dub. 7. Metina C. de reſtitutione qu. 17. §. aliter tamen videtur, Sotus in 4. diſt. 27. qu. 1. art. 2. verſ. immo verò Couarruuias reg. poſſeſſor ſecunda part.* § 7. *num* 4. *Molina tom.* 1. *de iuſt. tract. 2. diſp. 113. Salonius 2. 2. poſt quæſtionem 61. q. 5. de dominio art. 6., & qu. 69 art. 2. controuerſia tertia, Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim c. 39.*

In dubio merè ſpeculatiuo licitum eſt diſpenſationem exequi.

Pro clariori tamen notitia aſſertionis aduerte hic dubium ſpeculatiuum non ſumi ſolummodo iuxta ſenſum expoſitum in principio huius, prænotionis quatenus ſcilicet importet, quod dubitans bona fide aggreſſus fuerit diſpenſationem, illamque in effectu vltimato compleuerit, & deindè dubium ſuperuenerit; hac etenim ratione certum eſt, quod validè, & licitè operetur dubitans perſeuerando in illa diſpenſatione, cum iam ſublata ſit omnis legis obligatio; ſed hic ſumitur pro dubio quodammodo in communi, quatenus dubitetur, an opus in illo genere poſſit fieri, vel non fieri, non tamen dubitetur, an opus in particulari hic, & nunc ſit licitum, vel illicitum, quià tunc eſſet dubium practicum, ſicque ſpeculatiuum dicitur quaſi dubium vniuerſitatis, practicum verò ſingularitatis. Huius diſtinctionis author fuit *Caietanus opuſ. 17. reſponſionum reſp. 13. dub. 7.*, quem poſtea DD. plurimi ſecuti ſunt, & præcipuè *Nauarrus c. ſi quis autem de pænit. diſt. 7. n. 61.*

Sumitur pro dubio in communi.

Probatur iam aſſertio, quià dubium ſpeculatiuum nullo modo pugnat cum bona fide, ergo licitum erit operari cum tali dubio, & opus exequi in particulari. Antecedens probatur, quià cum dubio ſpeculatiuo poteſt compati iuditium practicum, quod opus in particulari hic, & nunc cum talibus circumſtantijs non ſit illicitum: ſic v. g. poteſt quis dubitare, an aliqua opera ſeruilia in aliquo determinato genere poſſint licitè in die feſto exerceri, & tamen efformare iudicium practicum, quod ſibi liceant eo, quià egeſtate prematur, ſic poteſt dubitare, an res aliena poſſit detineri, & tamen ſibi ſuadere per iuditium practicum hic, & nunc ſibi licere, eo quià non habeat, quo aliundè ſibi poſſit in egeſtatibus grauibus conſulere, vel quià poſſideat, ergo cum dubio ſpeculatiuo poteſt ſtare bona fides, quæ fundetur in iuditio practico, ergo etiam ſtante dubio ſpeculatiuo, quod cauſa in aliquo genere ſit ſufficiens, vel non ſufficiens ad iuſtam, & validam diſpenſationem poterit in caſu particulari efformari practicum iuditium, quod illa cauſa ſit ſufficiens, & vigore eiuſdem diſpenſatio illa conſummari in ſuo vltimato effectu.

Dubium ſpeculatiuum non pugnat cum bona fide.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIO X.

Quiſnam poſſit diſpenſare in iuribus diuinis.

SVMMARIVM.

Pontifex quando nam poſſit in ijs, quæ iuris diuini ſunt diſpenſare. 1.
Poteſt ex legitima cauſa diſpenſare in matrimonio rato, vt diſſoluatur. 2.
Perpetuitas in matrimonio rato non eſt in ordine ad quamcunq; potentiam. 3.
Indiſſolubilitas ſtricta intelligitur de matrimonio conſummato. 4.
Pontifex non irritat directè ſacramentum, ſed tantum deſtruit materiam ſacramenti. 5.
Pontifex non poteſt diſpenſare in matrimonio conſummato ex præcepto Chriſti Domini. 6.
Pontifex ex iuſta cauſa non ſolum poteſt diſpenſare in voto ſolemni annexo ſacris ordinibus, ſed etiam in voto ſolemni annexo profeſſioni. 7.
Votum ſacris ordinibus annexum non eſt ſubſtantialitèr ſolemne, ſed tantum accidentaliter. 8.
Non obſtat, quod votum ſolemne obliget de iure naturali diuino, & quare. 9.
Non valet argumentum à matrimonio corporali conſummato ad ſpirituale per profeſſionem. 10.
Pontifex poteſt efficere, quod quis deſinat eſſe Religioſus profeſſus, non tamen, quod ſubſiſtat profeſſio ſine voto caſtitatis. 11.
Poteſt dari maius bonum continentia. 12.
Explicantur nonnulla iura, vt non aduerſantia aſſertio. 13.
Ad diſpenſationem voti ſolemnis requiritur cauſa vrgentiſſima boni communis. 14.
In ijs, quæ ſunt iuris diuini independentis ab humana voluntate non poteſt Pontifex diſpenſare, benè tamen interpretari. 15.

AMpliſſimam materiam ſub hac prænotione aggredimur de poteſtate diſpenſandi in communi, quæ vtique in ordine ad diuerſa iura non eſt eadem in omnibus, qui poſſunt diſpenſare.

Vt clarius hac in re, quæ multas trahit controuerſias, procedamus, aduerte iura, ad quæ poteſt eſſe poteſtas diſpenſandi; alia eſſe diuina, alia naturalia, licet non ità ſtrictè, nam in ijs quæ iuris naturalis ſtricti, & rigoroſi ſunt per nullam poteſtatem fieri poteſt diſpenſatio; alia iuris Pontificij, alia Conciliaris, alia Sinodalia, alia Epiſcopalia, alia compræhenſa in corpore iuris, alia ex ſpecialibus diplomatibus, alia iuris gentium, alia de iure ciuili poſitiuo. In ordine ad hæc omnia poteſt eſſe controuerſia per quam nam ſcilicet poteſtatem poſſint per diſpenſationem in caſibus particularibus contingentibus relaxari.

Status controuerſiæ, & rationes dubitandi.

Et quidem dubium non eſt in ordine ad præcepta diuina poteſtatem eſſe in Deo, in ijs, quæ iuris Pontificij ſunt ſiue inſerta in corpore iuris, ſiue non, in Pontifice; in ijs, quæ iuris ſinodalis, vel Epiſcopalis ſunt in Epiſcopo, ſeu Ordinario; in ijs quæ poſitiui iuris ciuilis ſunt in Principe diſpenſandi, ſiquidem eius eſt legem relaxare cuius eſt condere. Difficultas igitur reducitur ad hoc ſolummodo; an, & quando Pontifex poſſit diſpenſare in ijs, quæ iuris diuini ſunt, & naturalis. Secundo, an, & quandonam poſſit Epiſcopus in ijs, quæ ſunt iuris Pontificij. Tertio, an, & quando poſſit Epiſcopus in ijs, quæ ſunt iuris concilij Prouincialis, & an quoad iſta poſſit Archiepiſcopus diſpenſare quoad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, an vero hoc pertineat ad Epiſcopos proprios. Quarto, an facultas, quæ conceditur Epiſcopis diſpenſandi quoad ſuos ſubditos extendatur ad Prælatos Regulares in ordine ad ſuos. Quinto plura controuertibilia veniunt quoad ea, quæ iuris ciuilis communis ſunt, & municipalis. De primo agemus in præſenti, de reliquis in ſubſequentibus.

1 Exponitur poteſtas Pontificis circa ea, quæ iuris diuini ſunt.

ASSERTIO I. Pontifex in ijs, quæ iuris diuini ſunt ex præſumpta Dei voluntate poteſt diſpenſare, vel quando in diſpenſatione maius bonum præualet, vel neceſſitas aliqua vrget, & hoc potiſſimum verificatur in votis, & iuramentis, & in ijs, quę originem trahunt à voluntate humana, & ad Deum referuntur, *Henriquez lib. 8. de Eucharistia c. 13. n. 2. in comment. lit. R. D. Thomas in 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. quæſtiuncula prima in corp., & ibi Riccardus art. 9. q. 1. in corpore, & ad primum. Hoſtienſis in c. non eſt n. 1. de voto, & ibi Abbas n. 5. hocque vniuerſos ſentire aſſerit Sanchez dub. 8. diſp. 6. n. 2.*

Ratio ex eo deducitur primo, quia maximè congruit ſuaui Eccleſiæ gubernationi, ſecundum quam Chriſtus Dominus eandem inſtituit, in huiuſmodi poſſe per diſpenſationem egentibus conſulere, ne in neceſſarijs commune eius bono deficiat remedium, & ſubleuamen, ergo ex pia, & præſumpta Chriſti Domini voluntate præſumendum eſt ineſſe Pontifici hanc poteſtatem diſpenſandi, cum maximè hoc expediat ſuaui, & politicæ eiuſdem regimini, & ex hac poteſtate commiſſa Romano Pontifici tanquam eius Vicario, & legitimo ſuæ voluntatis interpreti nil abſurdi ſequatur, nilque rationi naturali repugnans.

Excluduntur rationes contrariæ.

Hæc conſequentia ſic euincitur, quia ſi quæ eſſet repugnantia, vel ideo eſſet, quia promiſſio per votum iure diuino naturali obligat, vel quia materia eiuſdem eſt continentia, quæ nullo bono compenſari poteſt, vel quia ius diuinum ſub po-

Digitized by Google

teſtate humana non cadit; ſed nulla ex his obſtat; non prima, quia, vt in ſequenti probatione videbimus, Pontifex diſpenſando non tollit ius diuinum, ſed tantum ſubtrahit materiam, quæ ab humana voluntate dependet, ſupra quam cadit ius diuinum; non ſecunda, quia falſum eſt non dari aliud bonum, quo continentia non poſsit compenſari, vt docet *D. Thomas 2.2.q 88.art.11.*; tum quia interueniēte periculo incontinentiæ melius eſt nubere, quam vri; non tertia, quia diſpenſatio non cadit directè ſuper ius diuinum, ſed ſupra materiam eiuſdem, quæ dependet à voluntate humana.

Ratio ſecundo ex eo deducitur, quia Pontifex diſpenſando in huiuſmodi iuribus, ſeu actionibus non attingit directè ius diuinum, ſed ſolummodo vires ſubtrahit actioni humanæ, à qua originalitèr pendet illud votum, ſed in ordine ad actiones humanas Pontifex intercedente iuſta cauſa habet poteſtatem illas irritandi, ergo &c. Minor probatur, quia Pontifex ſtantibus aliquibus circumſtantijs, & conditionibus poteſt perſonas inhabiles reddere ad aliquam actionem, quamuis ad Deum relatam, eamque actionem, ſi fiat, reddere nullam, vt de facto contingit quoad profitentem, & profeſſionem Religioſam emiſſam ante decimum ſextum annum; Neque dicas, Pontificem hoc vtique poſſe efficere antecedenter ad talem actionem elicitam, eo quia adhuc nullum ius Deo quæſitum eſt; non autem poſt talem actionem liberè, & legitimè factam, quia tunc Deus plenum ius acquiſiuit, quod demere non poteſt humana poteſtas; Contra enim impugnaberis, quia nō minus aduerſatur iuri diuino impedire, ne quis ſe obliget Deo, ac ipſum eximere ab obligatione, quam erga eundem contraxit, ſiquidem Deus habet ſupremum dominium ſupra actiones omnes creaturarum, ſiue præſentes, ſiue futuras, & ius diuinum præualet cuicunque poteſtati creatæ; ſicuti igitur ex præſumpta eiuſdē Dei voluntate in ordine ad ſuum Eccleſiæ regimen poteſt Pontifex intercedente iuſta cauſa impedire, ne in tali actione quis Deo ſe obliget, ita etiam interuenientibus legitimis cauſis poteſt iam obligatum eximere à tali obligatione.

Non attingit directè ius diuinū, ſed tantum indirectè.

Ratio tertio ex eo deducitur, quia iurans, ſeu vouens Deo intelligitur tacitè per tale iuramentum, & votum ſe obligare Deo, niſi Pontifex ob maius, vel ſaltem æquiualens bonum, quod maximè conferat in Eccleſiæ vtilitatem obligationem per diſpenſationem relaxet, ergo Pontifex intercedente legitima cauſa poterit tale votum, ſeu iuramentum relaxare. Antecedens probatur, quia voluntas hominis, vt politicè, & ad commune bonum Eccleſiæ ordinati intelligitur ſubordinatā capiti in ijs, quæ ad commune bonum politicum referri poſſunt, ergò præſumendus eſt voluntatem ſuam implicitè, & tacitè ex ordine, quem habet ad commune bonum, ſemper ita dirigere, & attemperare, vt non deflectat à voluntate capitis in ijs, quæ conferunt, vel ad maiorem vtilitatem, vel ſaltem æquivalentem, & magis Eccleſiæ expediunt.

Voluntas hominis, vt politici ſubordinatur capiti.

Ratio quarto, ex eo deduci poteſt, quià quæ Pontifex efficit non temerè efficere præſumendus eſt, vt pote qui in Eccleſiæ gubernatione ſpeciali Spiritus Sancti ductu dirigitur, ſed paſſim Pontifex ex rationabilibus cauſis etiam ſolum indirectè relatis ad bonum commune aſſolet diſpenſare, ergò &c.

Quandonam, & ex quibus cauſis poſſit, & ſoleat Pontifex in huiuſmodi votis, & iuramentis diſpenſare dictum eſt ſuprà. Hic ſolum duplex potiſſimum remanet difficultas examinanda. Prima eſt, an poſſit diſpenſare in matrimonio rato, & legitimè contracto, vt diſſoluatur, & cur non poſſit in conſummato, cum etiam hoc originem habeat à contrahentium voluntate, licet ratione ſacramenti, ad quod eleuatum eſt, referatur ad Deum; ſecunda eſt, an poſſit nedum in votis ſimplicibus caſtitatis, & Religionis diſpenſare, ſed etiam in votis ſolemnibus annexis, vel ſacris ordinibus, vel profeſſioni in Religione approbata emiſſis.

In ordine ad primam abſolutè ſentiendum exiſtimo poſſe diſpenſare *Gloſa cap. ex publico de conuerſ. coniug. in fin.*, & *ibi communitèr ſcribentes*, *ArchiDiaconus cap. qua proptèr* 17. q. 1. *Baldus l. Deo nobis in princip n.7. C. de Epiſcop.*, & *cleric.*, & *l.1. n. 7. C. de ſponſalibus*, *Ancharanus in repetit. ſuper c. canonum de conſtit. n. 30.*, & *c. 2. de conuerſ. coniug. n. 3. Immola cap. fin. n.5. de tranſact. Felinus c. qua in Eccleſiarum n. 20. de conſtitut. Socinus Senior conſ. 28. lib.1.n.6. Curtius Iun. conſ. 179. nu. 28. Angelus verb. matrimonium 3. impedimen. 13. n.3. Silueſter verb. diuortium q. 4. Conradus in templo Iudicum tit. de Pontifice*, *Nauarrus lib. 4. conſil. in 1. edit. tit. de ſponſalib. conſ. 49.*, & *in 2. conſil. 3.*, & *in ſumma c. 22. num. 21.*, & ex Theologis *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 2. n.21. §. 3. Caietanus in opuſcul. tom. 1. tract. 28. de matrimonio q. vnica*, *Bellarminus lib. 2. de monachis cap. 38. §. altera ſolutio iuncto §. ad tertiam dico*, *Philiarchus de offic. ſacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 16. Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 14. n. 2.* & *nos etiam ſupra docuimus*. Rationes, quæ euincunt aſſertionem mox expoſitam euincunt etiam hanc illationem indè deductam, quandòquidem & hic contractus originem trahit ab humana voluntate, & nondum completus eſt per actualem

2 Poteſt in matrimonio rato diſpenſare

De facto plures Pontifices diſpenſarunt.

Digitized by Google

lem traditionem dominij. Nihilominus, vt firmioribus calculis procedamus, placet, & ſpecialitèr illationem comprobare, & aduerſantia argumenta conſtringere, ſaltem principaliora; Probo igitur primo argumento à poſteriori, quià Pontifices plures de facto in huiuſmodi matrimonijs diſpenſarunt, prout refert *D. Antoninus 3. parte tit. 1. c. 21. §. 3.* de Martino V., & Eugenio IV., & *Nauarrus ſumma c. 22. n. 21.* de Paulo III., & Pio IV.; & *Caietanus in opuſculis tom. 1. tract. 28. de matrim. q. vnica* de Pontificibus ſuorum temporum, & *Henriquez lib. 11. de matrimon c. 8. n. 11. in comment. lit. F.* de Gregorio XIII; non eſt autem præſumendum Pontifices, quibus ſpecialiter Spiritus Sanctus aſſiſtit temerè hoc attentaſse. Secundo, quià matrimonium ratum non habet omnimodam indiſsolubilitatem, cum non habeat ſecundum ſe illam ſignificationem indiſsolubilis vnionis Chriſti cum Eccleſia, & in multis ſit diſsolubile, vel per cõuerſionem vnius ab infidelitate, & per ingreſsum in Religionem; quod, ſi Chriſtus de facto hoc conceſſit fauore Religionis, & perfectioris ſtatus, non video, cur interueniente legitima cauſa non poſſit Pontifex ex præſumpta Chriſti voluntate hoc in caſibus particularibus per diſpenſationem præſtare? Maior probatio aſsertionis noſtræ erit confutatio argumentorum, quæ ex aduerſo afferri poſsunt; & quidem principaliora conſiſtunt, vel in eo, quod ex genere, & natura ſua matrimonium etiam ratum eſt vinculum perpetuum, prout conſtat ex ipſius definitione, vel in eo, quod de iure diuino excludente, quamcunque poteſtatem humanam eidem competit indiſsolutio, prout colligitur ex illis verbis Matthæi 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, quæ intelliguntur etiam de matrimonio rato; vel ex eo, quod etiam vt ratum eſt verè, & propriè ſacramentum; circa ſacramenta autem nequit Pontifex diſponere quoad eorum ſubſtantiam; vel ex eo, quod Pontifex nequeat efficere, quod ſemel ſanctificatum deſinat eſse tale, vt v. g. quòd hoſtia conſecrata manentibus ſpeciebus deſinat eſse conſecrata; quod idem verificatur de ſacramentalibus; vel tandem ex eo, quod data noſtra opinione matrimonium ratum diſſolueretur per aliud conſummatum, quià vinculum diſsolubile diſsoluitur per aliud fortius, & indiſsolubile, propter quas rationes Theologi communius ſuſtinent matrimonium ratum eſse etiam per Pontificiam auctoritatem indiſpenſabile *D. Bonauentura in 4. diſt 27 art 3. q 2. Scotus in 4. diſt. 31 q 1. verſ. 3. modo dici poteſt; Paludanus in 4. diſt 27 q. 1. art 1. n. 14. Veracrux 2. part. ſpecul. art. 28. ante 4. concl. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 67. art. 2. dub. 1 Aragonius 2. 2. q 88. art. 11. ante § ante hac argumenta, Couaruuias 4. decret. 2. part. c 7. §. 4. n. 13.*

Argumẽta contra aſſertionem, ſeù illationem.

Sed impugnatur primo primum obiectum, quià perpetuitas poſita in definitione quoad matrimonium ratum non eſt abſoluta in ordine ad quamcunque potentiam, ſed dumtaxat in ordine ad potentiam eorundem contrahentium ſecundum ſe, quod clare ex eo euincitur, quià de facto diſsoluitur per vnius conuerſionem ad fidem, & per ingreſsum in Religionem, ergò nec erit perpetua attenta ſummi Pontificis auctoritate adueniente ante conſummationem legitima cauſa. Confirmatur, quia ex genere ſuo votum dicitur vinculum perpetuum, eo quod vouens propria auctoritate nequit ab illo ſe eximere, & tamen non tollitur, quin poſſit ex legitima cauſa diſsolui per Pontificis auctoritatem, ergò etiam &c. Secundo impugnatur ſecundum; quià illud dictum Matthei 19. *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, eſt præcisè intelligendum de matrimonio conſummato, prout euincunt verba *D. Gregorij* relati *in c. ſunt, qui dicunt 27 q. 2.* quibus dicitur; *ſunt qui dicunt Religionis cauſa connubia debere diſſolui; lex tamen diuina prohibuit, cum veritas per ſe dicat. Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*; ſed hoc nequit intelligi, niſi de matrimonio conſummato nam nulli dubium, quod ſtante matrimonio præcisè rato liceat alteri ex coniugibus ad Religionem tranſire; atque hoc idem confirmari poteſt ex contextu verborum; nam Chriſtus Dominus relatis verbis Geneſeos 2. prius dixerat, *& erunt Duo in carne vna*; & poſteà ſubdidit præceptum: *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*; non conſtituuntur autem in carne vna, niſi per conſummationem, ergò &c. Tertiò impugnatur tertium in primis, quià ex eo, quod ſit ſacramentum non tollitur quin diſſoluatur per ingreſsum in Religionem, vt eſt in confeſso apud omnes, ergò &c. Deindè Pontifex nihil poteſt circà ſacramenta, quæ ſunt independentia à contractu humano, bene tamen circa ſacramenta, quæ fundantur in humanis contractibus non quidem directè illa irritando, ſed deſtruendo materiam circa quam, nempe inhabilitando ipſos contrahentes, & irritando eorum conſenſus. Quartò impugnatur quartum, quià ſacramentum Euchariſtiæ poſita ſemel ritè conſecratione, idem dic de ſacramentalibus, poſita ſemel ritè benedictione non dependent niſi à ſubſiſtentia ſpecierum conſecratarum, & ſubiecti; matrimonium autem non ſolum exigit coniugum ſubſiſtentiam, ſed immutationem voluntatis eorundem, quæ licet ex arbitrio eorundem contrahentium deſinere non valeat ad effectum irritandi matrimonium.

3 Perpetuitas quoad matrimonium non eſt in ordine ad quãcunque potentiam, ſed ad potentiam contrahentium.

4 Indiſſolubilitas præſcripta à Chriſto Domino intelligitur quoad matrimonium conſummatũ.

5 Pontifex tantum ſubtrahit materiam ſacramenti

nium, ex diſpoſitione tamen ſupremi capitis, Romani ſcilicet Pontificis inhabilitari poteſt, ſicuti inhabilitatur ex diſpoſitione eiuſdem ob clandeſtinitatem. Quinto impugnatur vltimum, quià licet matrimonium ratum ex iuſta, & legitima cauſa ſit diſſolubile per poteſtatem ſupremam Romani Pontificis, non eſt tamen diſſolubile vtcumque ex arbitrio contrahentium, niſi per ingreſſum alterius in Religionem ob perfectiorem ſtatum, & ſic ſi illo conſtante nouum adhuc contrahatur, & conſummetur non contrahitur fortius vinculum, cũ ſuperueniens nullum ſit, nulliuſque valoris.

6 Non poteſt diſpenſare in matrimonio conſummato ex præcepto Chriſti Domini.

In ordine ad ſecundum dicendum eſt, quod, licet etiam matrimonium conſummatum habeat originem ab humano contractu, & ab hominum volutate, non poſſit tamen diſſolui per Romanum Pontificem ex diſpoſitione diuina Chriſti Domini excludentis quamcunque humanam poteſtatem per illa verba: *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, ob ſuperuenientem ſignificationem vnionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam. Ratio clarè ex eo deducitur, quià hanc ſignificationem habet matrimonium fidelium nonniſi poſt conſummationem; iuxtà illud Apoſtoli: *Hoc magnum Sacramentum eſt, Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, matrimonium autem ſpirituale Chriſti cum Eccleſia eſt per carnem aſſumptam; qua ſtante ſignificatione maximè congruum fuit, vt Chriſtus Dominus præciperet illam indiſsolubilitatem per quamcunque humanam poteſtatem, cæteroqui aptum non eſset ad illam indiſsolubilitatem repræſentandam; Neque dicas, quod matrimonium ratum, & conſummatum non differant niſi accidentalitèr, & quod propterea, ſi poteſt in illo diſpenſare Romanus Pontifex poſſit etiam in iſto; contra enim impugnaberis, quià dato etiam, quod differant ſolummodo accidentaliter Phyſicè loquendo, differunt tamen ſubſtantialiter moraliter ob ſuperuenientiam illius ſignificationis, quæ fundatur in vnitate carnis, quæ ante conſummationem non aderat.

7 Poteſt diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis.

In ordine ad tertium dicendum eſt, probabilius eſse ex iuſta cauſa nedum Romanum Pontificem poſse diſpenſare in voto ſolemni annexo ſacris ordinibus, ſed etiam in voto ſolemni annexo profeſſioni Religioſæ *D. Thomas in 4. diſt. 28. qu. 1. art. 4. quæſtiuncula prima ad tertiam, & ibi Riccardus art. 9. qu. 1. Paludanus q. 4. art. 4. concl. 11. n. 49. D. Antoninus ſecunda part. tit. 11. c. 2. §. 9., & 3. part. tit. 1. c. 15. §. 3. Caietanus 2. 2. qu. 88. tot. art. 11. Toletus lib. 4. ſummæ c. 18. n. 5. Graffius prima part. deciſ. lib. 2. cap. 31. n. 22., & alij innumeri*, quos refert, tum ex Theologis, quam ex iuriſperitis *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 6. n. 6.*, qui omnes loquuntur quoad poteſtatem Romani Pontificis diſpenſandi in voto ſolemni annexo profeſſioni Religioſæ. Quoad poteſtatem verò diſpenſandi in voto caſtitatis ſacris ordinibus annexo ſuſtinet concors ferè vniuerſorum ſententia. Ratio primæ partis quoad votum ſacris ordinibus adnexum ex eo deducitur, quià dato, quod ſacris ordinibus ſit annexum votum caſtitatis, quod plerique negant, aſſerentes ſolummodo ſic ordinatum obligari ad continentiam ſeruandam ex præcepto Eccleſiaſtico, illud votum non eſt ſubſtantialitèr ſolemne, ſed dumtaxat accidentalitèr tale ad effectum dirimendi ſubſequens matrimonium, & hoc quidem non ex natura ſua, nec de iure diuino, ſed dumtaxat Eccleſiaſtico, ſed in ijs, quæ ſunt iuris merè Eccleſiaſtici poteſt Pontifex diſpenſare, ergo &c. Antecedens probatur, quià Chriſtus Dominus ſacros ordines inſtituendo eiſdem continentiam non adiunxit, nec natura eorundem hoc exigit quoad neceſſitatem, ſed dumtaxat quoad congruam quandam rationem, vt magis expeditè ordinati poſſint ſacris miniſterijs vacare; vndè de facto Græcis conceſſum eſt in matrimonio antecedenter contracto permanere, & *D. Gregorius lib. 1. primo Epiſt. 42.* conceſsit ſubdiaconis Siciliæ poſſe vti matrimonio ante ordines contracto; quod confirmari poteſt, tum *ex Concil. Tridont. ſeſſ. 24. c. 9.* vbi videtur aſſeri, quod lex prohibens ſacris ordinibus initiatis matrimonia ſit merè Eccleſiaſtica; tum ex Caliſto primo relato *in c. presbyteris diſt. 27* appellantem hanc legem Eccleſiaſticam. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod ſupremæ Pontificis auctoritati in votis æquum eſt, vt concedatur quæcunque poteſtas, vbi nulla apparet repugnantia, nec aduerſus ius diuinum, nec aduerſus ius naturæ, ſed ex graui cauſa diſpenſare in votis ſolemnibus Religionis, nec aduerſatur directè iuri diuino, nec iuri naturæ, ergo &c. Minor probatur ſolutione omnium argumentorum, quæ ex aduerſo afferri poſſint.

8 Votum ſacris ordinibus annexum non eſt ſubſtantialiter ſolemne, ſed tantum accidentaliter, & quo modo.

9 Obligatio iuris naturalis diuini non obſtat, & quarè.

Arguunt primo, promiſſio facta Deo ſolemniter per votum obligat de iure naturali diuino ad adimplementum eiuſdem voti, & cum ſit ad omne tempus concepta obligat in perpetuum, & pro omni tempore, ſed Pontifex in ijs, quæ ſunt iuris naturalis diuini non poteſt aduerſus idem ius diſponere, cum ius diuinum naturale ſit ſupra quamcumque poteſtatem creatam, ergo &c. Sed contra primò, quià hac ratione, nec poſſet Pontifex in votis ſimplicibus caſtitatis diſponere, cum etiã ipſa obligent ex iure naturali diuino ad adimplementum, & ſint circa eandem continentiæ materiam; quod tamen abſo-

lutè

Digitized by Google

lutè negant omnes Aduerſarij; nec impotentia diſpenſationis deſumi poteſt præciſè ex vi illius ſolemnitatis, quià illa ſolemnitas per ſuperius latè explicata, nihil aliud importat, quam quod dominium vouentis per actualem traditionem conferatur in Deum, ſed dominium in vnum translatum vrgente graui neceſſitate maximè publica poteſt reuocari accedente Principis auctoritate, ſeù legum diſpoſitione, vt potiſſimum contingit in præſcriptionibus per ordinem ad Reipublicæ tranquilitatem ob lites ſcilicet ſedandas, quibus cæteroqui maximè conturbaretur, ergò &c. Accedit, quod tranſlato ſemel in alterum rerum dominio non repugnet eiuſdem reuocatio conſentiente eo, in quem tranſlatum eſt dominium; ſed accedente graui neceſſitate maximè communi præſumendum eſt Deum, qui maximè proſpicit ſuaui Eccleſiæ regimini non diſſentiri à reuocatione eius, qui vouerat, ergo &c. Contra ſecundo, quià dato etiam, quod Pontifex non poſsit diſponere quoad ea, quæ iuris naturalis diuini ſunt, quando originem non trahunt ab humano contractu; fallit tamen, quando originem trahunt ab humana voluntate iuxtà ſuperius probata.

10 Diſparitas inter matrimonium corporale conſummatum & ſpirituale per profeſſionem.

Arguunt ſecundò. Ita in ordine ſpirituali comparatur ingreſſus in Religionem ad profeſsionem in eadem, ſicuti in ordine corporali ſponſalia ad matrimonium conſummatum, & matrimonium nonniſi formaliter, vt conſummatum æquiparatur profeſsioni, ſiquidem, ſicuti per profeſsionem actualiter transfertur dominium corporis vouentis in Deum, ità non niſi per actualem conſummationem tranſfertur dominium corporis coniugis in alterum coniugem; ſed Pontifex non poteſt per diſpenſationem interueniente quacumque cauſa diſpenſare, quoad matrimonium conſummatum, ergo neque quoad profeſsionem legitimè emiſſam. Sed contra, quià quantumvis quoad eſſe Phyſicum ſeruent aliquam proportionem, & habitudinem, non tamen ſeruant quoad eſſe morale, ſeù quoad ſignificationem, nec propriè ità fit vna caro profeſſus cum Deo, ſicuti quodamodo fit vna caro Chriſtus Dominus cum Eccleſia per carnem aſſumptam, ſicquè profeſsio non eſt inſtituta ad ſignificandam illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, ſicuti eſt inſtitutum matrimonium formaliter conſummatum ad illam ſignificandam; vnde mirum non eſt, quod Chriſtus Dominus ob illam ſignificationem induxerit inſeparabilitatem in matrimonio per illa verba Matthæi 19. *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, quam non conſtat induxiſſe in Religioſa profeſſione, quæ ad ſummum ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia per gratiam.

Arguunt tertiò, quià votum caſtitatis ſicuti cætera vota paupertatis, & obedientiæ ſunt de ratione formali, & eſsentia Religioſi, vt profeſsi, ſed Pontifex non poteſt diſponere in ijs, quæ ſunt de rerum eſſentia manente eadem eſſentia, ergo &c. ſed contra, quià etiam in Religioſo profeſſo, & poteſt conſiderari eſse Phyſicum conſiſtens in eſse humano, & eſse quodamodo morale conſiſtens in illa ordinatione ſpeciali, quam habet ad Deum ratione dominij, quod in ipſum contulit per profeſsionem; hoc autem eſse morale poteſt auferri manente eſsentia Phyſica, ſeù ſecundum eſse Phiſicum. Quamobrem ad argumentum dicò, quod non poſsit quidem Pontifex manente ſtatu Religioſi ipſum de obligare à voto continentiæ cum hoc ſit de eſsentia talis ſtatus; poſſit tamen manente eſſentia Phyſica exiſtentiam moralem exiſtente legitima cauſa tollere, quod vtique fit tollendo per diſpenſationem, ſeù inhabilitando ipſum vouentem, ſeù profitentem ad illud votum, ſeù profeſsionem. Hoc manifeſto exemplo euincitur in calice, alijſque rebus conſecratis, quibus formaliter, vt conſecratis, eſt eſſentialis conſecratio, & ſic non poteſt efficere Pontifex, vt maneant conſecratæ, auferendo conſecrationem; poteſt tamen efficere, vt de conſecratis fiant non conſecratæ per ſolam deſtractionem formæ artificialis calicis, vel alio modo morali auferendo conſecrationem manente eadem materia calicis quoad ſuum eſſe Phyſicum; & per hoc reſponderi poteſt ad aliud argumentum, quod circumferri ſolet, quod ſcilicet Religioſus fiat talis per ſpiritualem quandam benedictionem, in qua voti ſolemnitas conſiſtit; ſicuti autem Pontifex efficere nequit, quod res benedicta, ſeù conſecrata manens talis amittat benedictionem, ſeù conſecrationem, ita nequit efficere &c. Reſponderi, inquam, poteſt iuxtà ſuperius dicta, quod poſſit efficere, quod res illa benedicta fiat non benedicta per ſubtractionem formæ artificialis. Deinde Religioſus per illam benedictionem non conſtituitur formaliter Religioſus, ſed per illã ſubſtantialẽ votorũ emiſsionẽ in manibus ſuperioris acceptantis nomine Dei tanquã miniſtri ab eodem deputati, & ſic illa benedictio eſt ſolummodo quędam inuocatio Dei ad effectum, vt aſsiſtat per ſpecialia auxilia ipſi profitenti ad ſeruanda promiſſa, & ſolum accidentalis eſt, & pertinens ad ritum, non autem ad formam, ſeù ſubſtantiam eiuſdem profeſsionis. 11

Pontifex poteſt efficere, quod quis deſinat eſſe Religioſus profeſſus.

Arguunt quarto, quia non poteſt fieri diſpenſatio ſuper vota ſubſtantialia Religionis, niſi per ordinem ad maius bonum, 12

Poteſt dari maius bonum continentia.

ſed non eſt aſſignabile maius bonum, quod poſſit adæquare continentiam, nedum excedere, ergo &c. Sed contra primo, quia hac ratione nec poſſet fieri diſpenſatio ſuper voto ſimplici caſtitatis, quandoquidem, & hoc inuoluit continentiam, & tamen nemine diſcrepante paſſim fiunt, & quidem licitè in hujuſmodi votis diſpenſationes. Secundo quia, vt aſſerit *D Thomas 2. 2. q. 88. art.* 11. falſum eſt non dari maius bonum continentia; nec obſtare poteſt illud *Eccleſiaſtici* 26. vbi dicitur, *Omnis ponderatio non eſt digna animæ continentis*; nam vt benè explicat ex D. Auguſtino *D. Thomas d. art.* 11. *ad quartum*; ibi ſolummodo fit comparatio continentiæ ad bona externa. Tertio, quia caritas erga commune Reipublicę bonum propter Deum præponderat virtuti continentiæ, vt eſt in confeſſo apud omnes.

13

Explicantur iura, quæ opponuntur.

Arguunt quinto aſſerendo nonnulla iura canonica, & exempla etiam Apoſtolorum, quibus indicatur non ineſſe talem poteſtatem in Romanis Pontificibus diſpenſandi ſuper voto ſolemni caſtitatis in profeſſione Religioſa, & primo *c cum ad monaſterium ad fin. de ſtatu monachorum*, vbi ſic legitur: *Cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa Regulæ monaſticæ, vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Secundo exemplum D. Matthæi Apoſtoli relatum ab Abdia Babilonico in eius vita, qui noluit diſpenſare, vt Iphigenia monialis nuberet cuidam Regi non obſtante promiſſione conuerſionis eiuſdem Regis, & vniuerſi Regni ad fidem, ſi diſpenſatio illa fuiſſet conceſſa; Improbabile autem eſt, quod vrgente tali cauſa Apoſtolus denegaſſet diſpenſationem, ſi potuiſſet diſpenſare. Sed contra. Ad primum deſumptum *ex c. cum ad monaſterium* poteſt reſponderi iuxta ſuperius dicta, quod Pontifex non poſſit indulgere, vt profeſſus non ſeruet caſtitatem, quandiu manet profeſſus, poſſe tamen indulgere, quatenus efficiat ipſum de profeſſo non profeſſum, ſeu de monaco non monacum, & ſic explicat textum *Durandus in 4. diſt. 28 q. 2. n.* 8., *& ibi Riccardus art 9. q. 1. Paludanus ibid. qu. 4. art. 4 concl. 11. n. 49 Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. punct. 7. col. 3.* Dici etiam poteſt Pontificem ibi non loqui de impotentia abſoluta, & Phyſica, ſed de impotentia tantum morali, quatenus ſcilicet nonniſi ex graui cauſa, & præter conſuetum vſum poſſit diſpenſare, prout explicat textum *Abbas in d. c. cum ad monaſterium in fin.*

De negatione nuptiarum Iphigeniæ authenticè non cõſtat

Ad exemplum D. Matthæi dicendum eſt de hoc apertè non conſtare, & ſolum fidem eſſe apud auctorem. Deinde, quod aliquid factum non ſit non arguit impotentiam ad illud efficiendum, nam potuit Apoſtolus ex illa diſpenſatione grauiora damna præuidere, ſeu præuidiſſe, & ex alio ſuperiori fine præuiſo noluiſſe diſpenſare, forte cum inde negando Eccleſiæ tunc naſcenti maius bonum potuerit emergere. Tandem quia, ſi tunc Apoſtolus negauit diſpenſationem illam, Pontifices ſucceſſores, vt refert *Caietanus 2. 2. q. 88. tot art. 11., & in opuſculis tom. 1. tit. 27. de diſpenſatione matrimonij in occidentali Eccleſia qu. vnica verſ. o idetur autem mihi*, exiſtentibus grauibus cauſis diſpenſarunt, quod temerè attentaſſe non ſunt præſumendi.

Profeſſus nõ eſt mortuus, niſi metaphoricè.

Arguunt ſexto, quia profeſſus dicitur abſolutè mortuus ciuilitèr ſæculo, adeout nec habeat velle, nec nolle, ergo ipſius nulla ratio habenda eſt in ordine ad neceſſitates Reipublicæ ciuiles. Sed contrà primo, quia non eſt mortuus, niſi metaphoricè, vnde nõ eſt, cur in ordine ad actiones Phiſicas non poſſit Reipublicæ deſeruire. Secundo, quia ſicuti ex auctoritate Pontificis intercedente legitima cauſa de monaco poteſt fieri non monacus, ità eadem auctoritate poteſt de mortuo ciuiliter fieri non taliter mortuus.

14

Ad diſpenſationem in voto ſolemni requiritur cauſa vrgentiſsima boni communis.

Verum tamen eſt, ad hanc diſpenſationem non ſufficere quamcunque cauſam, ſed requiri cauſam vrgentiſſimam boni communis, prout docent *Metina lib. 5. de ſacror. hominum continentia c. 37. ad fin. Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. punct. 7. col. 9. verſ. reſpondeo hoc argumentum, Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp* 8. n. 8.; Nec incongrua ratione hoc decernitur, quia cum hoc vinculum ſtrictius ſit, quam illud, quod inducitur ex voto ſimplici, vtiq; requirit cauſam vrgentiorem, & cum fieri nequeat diſſolutio, niſi in graue damnum ſtatus Religioſi, quod vtique tale eſt, vt nonniſi ex bono publico poſſit compenſari, certè exigit cauſam publicam.

15

In ijs, quæ ſunt iuris diuini naturalis independentis ab humana voluntate nõ poteſt Põtifex diſpenſare, bene tamẽ interpretari in certis caſibus.

Assertio II. Probabilius eſt in ijs, quæ iuris diuini naturalis ſunt, & independentis quoad originem ab humana volũtate non poſſe Pontificem propriè diſpenſare, bene tamen in certis caſibus interpretari legem diuinam non obligare. *D Thomas quodlib. 4. art. 3. in corp., & ad primum Durandus in 4. diſt. 33 q. 1. n. 15. Almainus de poteſt. Eccl c. 13. Catharinus lib. 6. in Caietanum in q. illa, an Pontifex poſſit diſpenſare in voto ſolemni Religioſorum, Suarez de Eucharistia q. 74. art. 2. diſp. 43. ſect. 4. verſ. tertia ſententia, Cardinalis c. cum ad monaſterium § vlt. n. 6. de ſtatu Monac. Silueſter verb. Papa q. 16. & 17. Nauarrus lib. 4. conſil. in 2. edit. tit. de ſponſalib. conſ. 39. n 16. & in 2. tit. de deſponſ. impub. conſ. 4. nu. 16. Barboſa rub. ff. ſol. matrim. 2. part. nu. 104. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. § 9 nu. 4. Turrecremata c. coniunctiones 35. q. 3. n 3.*

Prima pars ex eo probatur, quia ius naturale diuinum eſt ſupra quamcunque poteſtatem creatam etiam Pontificiam, ergò Pontifex non poteſt abſolutè ſuper eodé diſ-

diſpenſare, quia directè diſpenſatio, ſeu abrogatio tenderet in ius diuinum naturale, ad quod non extenditur eius facultas; Neque dicas, non poſſe quidem Romanum Pontificem ius diuinum abrogare quoad totum, poſſe tamen interueniente cauſa in parte per diſpenſationem quoad caſum ſcilicet particularem in talibus, vel talibus circumſtantijs; contra enim impugnaberis, quia ſemel dato, quod poſſit in parte legi naturali diuinæ abrogare per diſpenſationem non eſt, cur non poſſit iterum, atque iterum abrogare, & ſi poteſt toties quoties, cur non ſemel pro ſemper? Confirmatur, quia eius eſt legem tollere, cuius eſt condere, ergo cum ius naturale diuinum, per quod conditur ſit ſuperius ad quamcunque poteſtatem creatam, non poterit per hanc tolli, nec per diſpenſationẽ abrogari. Confirmatur ſecundo *ex c. ſunt quidam, & c. contra ſtatuta* 25. *q.* 1. Tertio quia lex naturalis diuina eſt omnino immutabilis, ergo per diſpenſationem humanam non poterit mutari.

Pontifex dicitur interpres voluntatis diuinæ.

Secunda pars ex eo deſumitur, quia Eccleſia, cuius eſt caput Romanus Pontifex, dicitur interpres voluntatis diuinæ, & naturalis, ergò ipſe Pontifex tanquam director, & moderator eiuſdem Eccleſiæ in peculiaribus caſibus ſecundum circumſtantias occurrentes poterit interpretari, quod lex diuina, & naturalis ad illos caſus non extendatur; & per hoc optimè occurritur neceſſitatibus Eccleſiæ, & ſuaui ipſius regimini, & ex alio capite iuri ſuperiori non derogatur per poteſtatem inferiorem; Neque dicas, quod hanc ratione poſſet quilibet prudens ſuper lege naturali diuina interpretari; contra enim impugnaberis, quia ex quo Pontifex conſtitutus eſt interpres diuinæ voluntatis ipſi ex officio incumbit ſic interpretari ſuper legem diuinam, & naturalem, adeout per talem interpretationem reddat omnino tutum eum, ſuper quem, ſeu in cuius fauorem cadit interpretatio; Non negauerim tamen, quod in neceſſitate, vbi facilis non eſſet aditus ad Romanum Pontificem, poſſet quiſque prudens interpretari, prout habetur *in c. ſi ergo* 1. *q.* 1. & certè plerique Theologi in pluribus caſibus ſecundum certas & determinatas circunſtantias plures apponunt explicationes circa iura diuina naturalia, & ſecũdum aliquos eximunt ab onere, quod tamen non præſtant ex officio, & auctoritatiuè, ſed tanquam peculiares Doctores.

In quibus poſſit interpretari remiſſiuè.

Hic pro complemento eorum, quæ agitata ſunt ſub hac ſecunda aſſertione inquirendum remanet, an in omnibus iuribus naturalibus diuinis adſit auctoritatiua poteſtas interpretandi, an vero in aliquibus tantum, & cur potius in his, quam in alijs. Pro quo vide regulam, quam tradit *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 6. n. 6.*, qui licet loquatur in terminis diſpenſationis, cum ipſe ſentiat in aliquibus iuris naturalis diuini poſſe Pontificem diſpenſare; regula tamen ab eodem tradita poteſt optimè adaptari terminis etiam interpretationis in ſuppoſitione, quod Pontifex ex officio poſſit in aliquibus interpretari, & non in omnibus.

PRÆNOTIO XI.

An, & quando poſsit Epiſcopus diſpenſare in iuribus diuinis, & Pontificijs?

SVMMARIVM.

In arduis circa ea, quæ ſunt iuris naturalis diuini etiam dependentis ab humana voluntate nequit Epiſcopus diſpenſare, ſic nec in matrimonio rato, nec in votis ſolemnibus. 1.

In votis ſimplicibus caſtitatis, & Religionis regularitèr nequit Epiſcopus diſpenſare. 2.

Impotentia diſpenſandi prouenit praciſè ex iure Eccleſiaſtico. 3.

In caſu neceſſitatis, & vbi ex mora immineat periculum incontinentiæ poteſt Epiſcopus diſpenſare. 4.

Ceſſante neceſſitate recurrendum eſt ad Romanum Pontificem, ſi id, ad quod conceſſa eſt, ſit diuiſibile. 5.

Secus ſi effectus ſit indiuiſibilis. 6.

Vbi non poteſt adiri Pontifex, quamuis poſſit adiri Legatus à latere, poteſt Epiſcopus diſpenſare. 7.

In dubio de valore voti poteſt Epiſcopus diſpenſare. 8.

Item ſi votum illud fuerit metu extortum. 9.

Item ſi fuerit emiſſum cum expreſſa intentione ſe non obligandi ad illud, niſi ſub veniali. 10.

Poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto vouendi caſtitatem, aut Religionem. 11.

Item in voto temporaneo. 12.

Item in voto arctioris Religionis, ita vt poſſit laxiorem ingredi. 13.

Item in voto perſeuerandi in Religione. 14.

Item in voto ſumendi ſacros Ordines. 15.

Item in voto non nubendi, quando non cederet in præiudicium tertij. 16.

Item in voto virginitatis ſimpliciter ſumpto. 17.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in operibus non reſeruatis, in qua Pontifex commutauit votum caſtitatis reſeruatum. 18.

Subrogatum ſapit naturam eius, cui ſubrogatum quoad fauorabilia, non quoad odioſa. 19.

Inferior poteſt mutare pænitentiam à ſuperiore impoſitam. 20.

Poteſt Epiſcopus quoad vota caſtitatis, & Religionis, ſiue conditionalia pænalia ſint, ſiue merè conditionalia diſpenſare, ſiue an-

Digitized by Google

te, ſiuè poſt conditionem adimpletam. 21.

Intellige; niſi conditiones inſint ex natura ſua. 22.

Poſt contractum matrimonium poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis, ſiue ab vtroque, ſiue ab altero tantum emiſſum ad effectum petendi debitum, non abſolutè. 23.

Epiſcopus non poteſt diſpenſare in voto caſtitatis emiſſo ab altero coniuge, conſtante primo matrimonio inconſulto altero in ordine ad aliud matrimonium contrahendũ. 24.

Excipe niſi emiſerit tantum votum de non petendo debito. 25.

Poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto ad petendum debitum, quamuis matrimonium non fuerit conſummatum. 26.

Intellige, dummodo votum illud non fuerit emiſſum cum intentione ingrediendi Religionem. Ibid.

Probabilius poteſt Epiſcopus diſpenſare quoad ius petendi debitum cum eo, qui obſtrictus voto caſtitatis, iniuit matrimonium. 27.

Item cum eo, cui ſuperuenit affinitas, vel cognatio ſpiritualis. Ibid.

Priuilegium diſpenſandi quoad hoc ius petendi debitum inter coniugatos obſtrictos voto caſtitatis, competit etiam Regularibus ex conceſſione Pontificum. 28.

Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in affinitate ſuperueniente ex vtroque latere. 29.

Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare ſuper iuramenta promiſſoria Deo facta, & ſuper vota iuramento firmata. 30.

Poteſt etiam diſpenſare in voto alternatiuo caſtitatis, & alterius operis non reſeruati etiam poſt electionem factam à vouente voti caſtitatis. 31.

Intellige, quando non facta fuerit noua promiſſio Deo materia reſeruata. 32.

Procedit inſuper ſpeculatiuè loquendo, non practicè. 33.

Poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto alternatiuo materia reſeruata, & non reſeruata, quando facta impoſſibili materia non reſeruata votum reducitur ad reſeruatam. 34.

Regulariter loquendo poteſt Epiſcopus diſpenſare in pluribus votis, quæ ſeorſim ſumpta non conſtituunt ſecundum ſe caſtitatem perfectam, & completam, vnita tamen obligant ad caſtitatem perfectam. 35.

In arduis in lege ſuperioris nequit Epiſcopus interpretari in ſua Diœceſi. 36.

In legibus Pontificum, & Conciliorum, in quibus nec expreſsè permittitur diſpenſatio, nec prohibetur, nequit Epiſcopus diſpenſare. 37.

Excipe in caſibus vrgentis neceſſitatis. 38.

In legibus Pontificum, & Concil in quibus in perſonaliter permittitur diſpenſatio, non tamen exprimitur, cui permittatur, regulariter poteſt Epiſcopus diſpenſare. 39.

Excipe in caſu quo lex ad ipſum Epiſcopum dirigeretur. 40.

Et in caſu, quo Pontifex apponeret pœnam, ſibique eam reſeruaret. 41.

In legibus Concilij Prouincialis non poteſt ſuffraganeus quoad ſuos ſubditos diſpenſare, quinimmo, nec Archiepiſcopus quoad ſuos. 42.

Epiſcopus, & Archiepiſcopus poteſt probabilius in decretis ſinodalibus diſpenſare. 43.

Epiſcopus poteſt in decretis ſinodalibus diſpenſare, quando ſunt approbata à Pontifice, non quando ipſis adiecit robur Apoſtolicæ auctoritatis. 44.

Epiſcopus non poteſt diſpenſare in decretis ſinodalibus ſi tranſierint quodamodo in contractum in fauorem tertij. 45.

Quoad iura diuina, ſiue in ijs, quæ originem habent ab humana voluntate, ſiue in ijs, quæ ab eadem ſunt omnino independentia, difficultas eſſe poteſt, an id, quod ex commiſsione quodammodo diuina circa diſpenſationes poteſt Pontifex præſtare in toto orbe; poſsit Epiſcopus præſtare in ſua Diœceſi; & primo circa hoc inquiri poteſt, an Epiſcopus poſsit diſpenſare in votis ſolemnibus caſtitatis annexis ſacris ordinibus, vel profeſsioni, quæ dirimunt matrimonium. Secundo, an in votis caſtitatis ſimplicis Religionis, & non nubendi, quæ ſimplicitèr impediunt. Tertio, an in huiuſmodi votis, quando ſunt præcisè pœnalia, & conditionalia. Quarto, an poſsit diſpenſare in huiuſmodi votis, & præcisè caſtitatis, quando ſunt emiſſa poſt matrimonium iam contractum ab altero coniuge, vel ab vtroque. Quinto, an poſsit diſpenſare in voto caſtitatis, affinitate, & cognatione ſpirituali contractis poſt matrimonium ad effectum petendi debiti coniugalis. Sexto, an in impedimento matrimonij reſultante ex iuramentis caſtitatis, & Religionis, ſiue abſolutis, ſiue pœnalibus. Septimo, an poſsit in iuribus abſolutis interpretari in ſua Diœceſi, ſicuti Pontifex in toto Orbe, & his ſimilia. Articuli examinandi circa præſentem titulum quoad ea, quę ſunt iuris diuini

Quoad iura Pontificia, & Conciliorum inquiri poteſt primo, an diſpenſare poſsit quando in iure, nec expreſsè permittitur, nec prohibetur diſpenſatio; Secundo quando quidem permittitur, non tamen dicitur, cui permittatur; Tertio, an poſsit in lege Concilij generalis, quando nec permittitur, nec prohibetur. Quarto, an in lege Pontificis, quando in tali lege apponitur pœna Pontifici reſeruata. Quinto, an in impedimento dirimente ex iure Pontificio matrimonium iam contractũ, quando impedimentum occultum eſt, nec commodè adiri poteſt pro diſpenſatione Romanus Pontifex. Sexto, an etiam ante contractum, quando in proximo eſt celebran- Articuli quoad iura Pontificia, & Conciliorum.

Digitized by Google

lebrandum, & dilatio ad effectum impetrandæ diſpenſationis à Romano Pontifice eſſet pernitioſa, & ingereret damna, & pericula, & alia huiuſmodi.

1
In arduis nequit diſpenſare, & in quibus.

Assertio I. Nequit Epiſcopus regulariter quoad diſpenſationes in iis, quæ iuris diuini ſunt, & naturalis, quamuis dependentis ab humana voluntate, quandò agitur de re ardua, id præſtare in ſua Diœceſi, quod præſtat Pontifex in toto orbe, & ſingulariter nequit diſpenſare in matrimonio rato, vt diſſoluatur, nec in votis ſolemnibus annexis, vel ſacris ordinibus, vel profeſſioni Religioſæ. Ita expreſsè ſentit *Sanchez de matrimon. lib 2. diſp. 14. nu. 5. ad octauum*, & pro ſecunda parte quotquot ſuſtinent Epiſcopum non poſſe diſpenſare in votis ſimplicibus caſtitatis, & Religionis.

Ratio ex eo deducitur, quià vbi eſt controuerſia, an ipſe Pontifex poſſit diſpenſare, vel non diſpenſare, non eſt dubium, quod Epiſcopis non competat poteſtas diſpenſandi; vbi etenim eſt dubium de poteſtate capitis eſt quaſi certitudo de impotentia membrorum; ſed maxima eſt controuerſia inter DD., an Pontifex quoad enuntiata in aſſertione poſſit diſpenſare, ergò abſolutè Epiſcopus non poterit diſpenſare. Confirmatur primo, quià poteſtas, quàm habet Pontifex quoad huiuſmodi diſpenſationes in iure diuino, & naturali non directè tendit ad idem ius diuinum abrogandum, ſed ad humanas voluntates, ipſas habilitando, ſi inhabiles erant ex profeſſione Religioſa, vel inhabilitando, ſi habiles erant, vt contingit in diſſolutione matrimonij rati per diſpenſationem, ſed Epiſcopus non poteſt inhabilitare ſecundum ſe habiles, nec habilitare inhabiles, prout docent *Victoria de relect. de matrimon. 1. part. 2. part ad fin. Antoninus c. ex fraternitat n 5. de ſponſa dinor., & c. penult in fin de deſponſ. impub., & ibi Abbas in fin Alexander de Neuo n. 21. Couarruuias 4 decret. 2. part c 6 §. 10. n. 16. Paludanus in 4 diſt. 34 q. 1. n. 10. Tabiena verb impedimentum impediment. 13. n. vnico ad finem, Armilla verb. matrimonium n 24.*, ergò &c. Confirmatur ſecundo, quià Epiſcopus non poteſt inducere impedimenta dirimentia ex generali Eccleſiæ conſuetudine id Romano Pontifici reſeruante, ergò nec poterit habiles inhabiles reddere, nec inhabiles habilitare. Confirmatur tertio, quià non eſt præſumendũ, quod Deus in iis quæ ſui iuris ſunt, & ſunt valde ardua voluerit facilem viam aperire relaxationibus concedendò facultatem indiferenter omnibus Epiſcopis quoad ſuos ſubditos diſpenſandi, ſed ſicuti in aliis omnibus res grauiſſimas Romano Pontifici reſeruauit, ita has diſpenſationes, quæ ſunt de rebus magni ponderis,

Epiſcopus nequit habilitare inhabiles.

& momenti eidem reſeruaſſe præſumendus eſt. Accedit, quod ipſe Pontifex hanc facultatem ſibi reſeruauit, vt colligi videtur *ex c. fin. de tranſact., & ex c. ex litteris el 2. de ſponſalibus*.

2
In votis ſimplicibus caſtitatis, & Religionis regulariter nequit Epiſcopus diſpenſare.

Assertio II. In votis ſimplicibus caſtitatis, & Religionis regulariter nequit Epiſcopus diſpenſare, ſi verè & propriè ſint vota caſtitatis, & Religionis. *Sotus lib 2. de iuſt. & iur q 4 art. 3 in fin corporis, Henriquez lib 7. de indulgentiis c. 20. n. 6. in comment. lit. A, Emanuel 2. tom. ſumma c. 97 n 1. concl. 1.*

Diſſident hic DD., an impotentia diſpenſandi in huiuſmodi votis in Epiſcopo proueniat præcisè ex iure naturali diuino ex vi promiſſionis obligante ad adimplementum eorundem, & ſolummodo reſeruante relaxationem ex iuſta cauſa Romano Pontifici, an verò ſolummodò ex iure poſitiuo Pontificio ſibi reſeruante huiuſmodi relaxationes. Cum huiuſmodi relaxationes nõ ſint de re adeo ardua exiſtimo, huiuſmodi impotentiam non prouenire ex iure naturali diuino reſeruante ſolummodò Romano Pontifici huiuſmodi relaxationes ex legitima cauſa; ſed dumtaxat ex iure poſitiuo Pontificio id ſibi reſeruante, vel ex generali Eccleſiæ conſuetudine id eidem Pontifici reſeruante; vnde ſecluſa reſeruatione integrum eſſet Epiſcopis in huiuſmodi votis diſpenſare. Sic expreſsè ſentit *Sotus lib. 7. de iuſtitia q. 4 art. 3. col 4. verſ. qui ſunt autem*, quem communiter omnes ſequuntur; Neque in hoc currit paritas quoad poteſtatem diſpenſandi in votis ſolemnibus annexis, vel ordinibus ſacris, vel profeſſioni, & in matrimonio rato, vt diſſoluatur, quandòquidem huiuſmodi diſpenſationes ſunt de rebus grauiſſimis, quæ non ſolum ſupremam exigunt indaginem, ſed etiam ex præſumptione diuinæ voluntatis ſupremam auctoritatem, cum precipuè inuoluant actualem dominij translationem, vt in votis ſolemnibus, vel rationem ſacramenti, vt in matrimonio rato.

3
Et hoc precisè ex iure Eccleſiaſtico.

Ratio autem aſſertionis non ſolum deducitur ex generali Eccleſiæ conſuetudine habente vim legis, ſecundum quam ſolus Pontifex in iis diſpenſat, ſed etiam ex expreſſa eorundem Pontificum voluntate, qui quando facultatem concedunt ex vi Iubilæi abſoluendi ab omnibus reſeruatis, & diſpenſandi, aut commutandi ſemper reſeruant vota ſimplicia caſtitatis, & Religionis; quod adeo verum eſt, vt exiſtimet Sotus, quod in facultate generali ad omnia vota, ſi excipiatur aliquod puta Hieroſolimitanum, includerentur in exceptione etiam vota caſtitatis, & Religionis, quantumvis non eſſet expreſſa, quià exceptio minoris voti teſtimonium eſſet exceptionis maiorum, atque ita

etiam

etiam docent *Rodriquez in bulla Cruciata* §. 9. n. 124., *& ſecunda part. ſumma c.* 99. *n.* 1. *Henriquez lib.* 7. *ſumma c* 30. §. 6. *lit. A. in gloſ. Vega ſecunda part. ſumma c.* 126. *caſ.* 104 *Suarez lib.* 7. *de vot. c.* 25. *n.* 3. *Sanchez lib.* 4. *ſumma c.* 40 *nu.* 15. *Paulus Laiman. lib.* 4. *tract.* 4 *c* 8. *nu.* 7. *Bonacina in decem præcepta diſp.* 4 *qu* 2. *punct.* 7. §. 4. *n.* 12. *Iulius Laccorius de Iubil. part.* 2. *c.* 27. *n.* 6. *Alphonſus Leo de Iubil. part.* 2. *q.* 13. *n.* 80. *Baſilius Pontius lib.* 8. *de matrim. c.* 10. *n.* 5.

4 In caſu neceſſitatis vbi periculum incontinentiæ immineat poteſt diſpenſare.

Dixi, *regularitèr*; non etenim negauerim, quod ratione ſpecialis iuris, ſeù voluntatis Pontificis rationabilitèr præſumptæ intuitu imminentis neceſſitatis, eo quod Pontifex adiri nequeat, & ex mora immineat periculum incontinentiæ vouentis, vel periculum magni damni tertiæ perſonæ, vel ſcandali, poſſit Epiſcopus diſpenſare *Silueſter verb. votum* 4. *qu.* 4. *Nauarrus in manual. c.* 12. *nu.* 76. *Aragonius* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *verſ. ſi quis quærat Henriquez lib.* 6. *ſumma c.* 14. *n.* 7. *in gloſ. lit. P.*, *& lib.* 7. *c.* 30. *num.* 6. *in gloſ lit. B. Graffius lib.* 2. *deciſ. c.* 31. *n.* 26. *Suarez tom.* 4. *de Relig. lib.* 7. *de voto c.* 26. *n.* 9. *Auguſtinus Barboſa de poteſtate Epiſcopi part.* 2. *alleg.* 37. *n.* 13. *Bonacina in decem præcepta diſp.* 4 *qu* 2. *punct.* 7. §. 4. *n.* 15. *Fillinius part.* 2 *tract.* 26. *c.* 9. *n.* 227. *Paulus Laiman. lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 8. *nu* 16. *Bartholomeus à Sancto Fauſto lib.* 3. *Theſaur. q.* 61. *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuil. ſect* 2 *caſ.* 20. *n.* 23 Ratio deſumitur ex benigna, & præſumpta Pontificis voluntate, qui non eſt præſumendus cum tanto rigore velle ſibi reſeruatam manere priuatiuè quoad ordinarios locorum relaxationẽ huiuſmodi votorum, vt etiam imminente graui periculo, damno, & ſcandalo, nolit, quando ipſe adire non poſſit, obſtrictum tali voto per diſpenſationem à proprio ordinario ab illo periculo imminenti liberari; nec hoc eſſet conſonum fini ejuſdem reſeruationis, qui eſt ad euitanda ſcandala, & pericula, & peccata, non autem, vt eiſdem irretiantur.

Circà hanc limitationẽ duplex hic oritur difficultas. Prima eſt, an diſpenſatus per ordinarium in illa neceſſitate, & imminente illo periculo ceſſante illa neceſsitate, & periculo teneatur adire Romanum Pontificem pro confirmatione, & non adeundo priuetur effectu diſpenſationis. Secunda, an ſi vrgente graui illa neceſsitate obſtrictus talibus votis non poſsit adire Romanum Pontificem pro diſpenſatione, poſsit tamen adire legatum à latere, vel ad habentem ſpeciale priuilegium teneatur hunc adire, an verò poſsit ſine alio à proprio ordinario diſpenſari. Quoad primã iuxta ſuperius dicta aſſerendum exiſtimo, quod ſi effectus, ad quem facta fuit diſpenſatio, admittat tractum ſucceſsiuum, quatenus ſit diuiſibilis, teneatur diſpenſatus adire Romanum Pontificem pro confirmatione, ſecus ſi ille effectus ſit indiuiſibilis, & illum tractum non admittat. Ità quod primam partem *Gloſa c. generalitèr verb. non denegantes* 16. *q.* 1. *Baldus l. generalitèr n.* 3. *C. de Epiſcop., & cler.*, & DD, omnes allegati *ſub hoc eod. tit. de matrimon.* 32. *prænot.* 8. *aſſert.* 3. Quoad ſecundam *Pontius de matrimon. lib* 8 *c.* 10. *n.* 4. *Salas de legib. diſp* 20. *ſect.* 5. *num.* 64., *& alij allegati eod. prænot.* 8. *aſſert.* 4. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià diſpenſatio per ordinarium impertita ſtante illa neceſſitate non extenditur ad effectum vltrà neceſſitatem, quandò ille effectus ante ceſſationem neceſſitatis non eſt acquiſitus, ſed ſtante diuiſibilitate effectus, & ſucceſſione, effectus in parte non eſt acquiſitus ceſſante iam cauſa neceſſitatis, ergo illa diſpenſatio quoad illum effectum, qui adhuc remanet in potentia non extenditur vltra caſum neceſſitatis, extra quem proptereà eſt recurrendum ad Romanum Pontificem. Confirmatur, quià ſi Epiſcopus ob caſum illius neceſſitatis diſpenſet ad ineundum matrimoniũ ceſſante illa neceſsitate diſſoluto illo matrimonio non poteſt aliud inire, niſi ad Romanum Pontificem recurrat, non niſi quià illa diſpenſatio fuit ſolummodo ex cauſa neceſsitatis, qua ceſſante effectus poſterioris matrimonij non eſt adhuc completus, ergo etiam cum non ſit completus effectus quoad omnes partes, quãdo hic eſt diuiſibilis, & patitur ſucceſſiuum tractum, pro eodem quoad illas partes, quæ adhuc ſunt in potentia ceſſante neceſſitate non intelligetur diſpenſatus, ſed tenebitur ad Romanum Pontificem recurrere pro diſpenſatione. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià quando effectus eſt indiuiſibilis, & plenè adimpletus iam in ordine ad illum lex eſt penitus abrogata, eiuſque obligatio extincta, ergo pro eadem non erit amplius ad Romanum Pontificem confugiendum.

5 Ceſſante neceſſitate ob quam cõceſſa eſt diſpenſatio ab Epiſcopo, ſi id, ad quod conceſſa eſt ſit diuiſibile eſt recurrendũ pro confirmatione ad Pontificem.

6 Secus ſi effectus, ad quem conceſſa eſt ſit indiuiſibilis.

7 Poteſt diſpenſare quamvis poſſit adiri legatus à latere.

Quoad ſecundam difficultatem propoſitam abſolutè ſentio, non eſſe ad Nuntium Apoſtolicum, ſeù ad legatum à latere pro diſpenſatione recurrendum, ſed liberum eſſe Epiſcopo diſpenſare. Ità in ſimilibus *Henriquez lib.* 6. *ſumma c.* 10 *n* 1 *lit. D. in textu, & Gloſa. Haila de cenſur. part* 2. *c.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 6. *concl.* 3. *verſ. quarto nota, Paulus Laiman lib* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *c.* 6 *n.* 6. *Duardus in bullam cœnæ lib.* 3. §. 2 *q* 8 *n.* 56. *Ioannes Angelus Boſſius diſcept. moral diſceptat.* 1. *dub.* 5. *n.* 26. Ratio ex eo deducitur, quià hæc reſeruatio quoad diſpenſationem in huiuſmodi votis ad Romanum Pontificem eſt reſpectu Epiſcoporum maximè odioſa, quandoquidem, vt ſuperius diximus, attento iure naturali diuino, quoad

hæc

Digitized by Google

hæc id poteſt Epiſcopus in ſua Diæceſi, quod Pontifex poteſt in toto orbe, ergo ſtrictè eſt interpretandum, adeout, quando adiri non poteſt idem Pontifex, tanquam ad ius ſuum referatur ad Epiſcopum. Confirmatur primo, quià Epiſcopus poſt Papam eſt Paſtor ordinarius, & proprius, eique in ordine ad hæc vota ſublata eſt poteſtas per reſeruationem ſolummodo, quæ eidem de iure ordinario competebat, ſed exiſtente impedimento ad Pontificem recurrendi intelligitur poteſtas reſtituta, quià in tantum ceſſat, in quantum eſt ad Papam confugiendum, ergo, ſi ad Pontificem haberi nequit recurſus, non ceſſabit in eodem poteſtas, ſed abſolutè reſtituetur. Confirmatur ſecundò, quià poteſtas Legati à latere, ſeù Nuntij Apoſtolici non eſt reſtrictiua auctoritatis Epiſcopi, ergo cum de iure naturali diuino hoc in caſu neceſſitatis intelligatur competere Epiſcopo, non obſtante, quod adiri poſſit Legatus à latere, vel Nuntius Apoſtolicus, poterit Epiſcopus ſua auctoritate diſpenſare; Neque obeſſe poſſunt textus *in c. quamvis, & c. ea naſcitur de ſent excommun.* vbi habetur, quod adeundus ſit legatus a Latere, quando commode adiri poteſt, & non poteſt haberi recurſus ad Romanum Pontificem; Non, inquam, obeſſe poteſt; quià illi textus ſolummodo tribuunt facultatem Legato à latere, quando Pontifex adiri nequit, non autem ponunt neceſſitatem ad eundem recurrendi, quando non adeſt recurſus ad eundem Pontificem; ibi etenim erat ſermo ſolummodo de percuſſoribus clericorum, qui dicuntur non ab alio, quam à Romano Pontifice, vel eius Legato abſolui poſſe, præterquam ſi canonico impedimento detineantur quominus Romanum Pontificem adire poſſint; cum igitur ibi non dicatur *ſi Romanum Pontificem, vel eius legatum adire non poſſint*, vtique particola, ſeù clauſula limitatiua, *præterquam ſi canonico impedimento*, ſtat ſolum pro impotentia recurſus ad eundem Pontificem, qua ſtante deuoluitur facultas ad ordinarium. Accedit, quod Legato à latere ex vi ſui muneris non competit facultas diſpenſandi in votis, alijſque impedimentis.

Dixi, *ſi verè, & propriè ſint vota abſoluta caſtitatis, & Religionis*; ex quibus particulis plurimæ inferuntur limitationes; &

8
In dubio de valore voti poteſt Epiſcopus diſpenſare.

primo, quod, ſi fuerit dubium de valore voti perpetuæ caſtitatis, & Religionis poſſit Epiſcopus ſuper illo diſpenſare, & hoc ſiuè dubium fuerit opinatiuum, ſiuè ſuſpenſiuum *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto c. 26. num. 6. Paulus Laiman lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 14. Filliucius to. 2. tr. 26. c. 9. n. 26. Baſilius Poncius lib. 8. de matrimonio cap. 9. n. 14. Aſcanius Tamburinus tom. 2. de iur. Abbat. diſp. 18. q. 8. nu. 18. Bonacina in decem precept. diſp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. n. 17. verſ. tertio quando, Leo de Iubil. p. 2 ſec. 1. n. 96. Bartholomæus à S. Fauſti lib. 3. Theſauri Religioſ. q. 56.* Ratio ex eo deducitur primo, quià votum dubium non eſt verè, & ſimpliciter votum, ſed ſecundum quid, cum abſolutè non aſtringatur tali voto ſecundum ſe, ſed ad ſummum ratione conſcientiæ dubiæ; ſicuti autem reſeruatio non compræhendit delicta dubia, ita nec vota ſimiliter dubia, vt notat *Suarez de cenſuris diſp. 40. ſect. 6. n. 5. Henriquez lib 6. ſummæ c 26. n. 7. Sanchez lib. 4. ſummæ c. 10. n. 34.* Secundo, quià cum reſeruatio ſit odioſa debet ſtrictè intelligi, & reſtringi dumtaxat ad caſus certos; vt videre eſt ferè in omnibus; Neque dicas, quod etiam diſpenſatio ſit ſtricti iuris, & ſtrictè interpretanda, adeoque quod nequeat fieri in caſu dubio; contra enim impugnaberis primo, quià hic non ſit comparatio ad actualem diſpenſationem, quæ vtique intelligenda eſt iuxtà terminos rigoroſos, ſed ad poteſtatem diſpenſandi, quæ vtpote fauorabilis extendenda eſt; vt infrà latius dicemus. Deinde inter duas actiones odioſas illa præferenda eſt, quæ magis fauet reo.

Secundò, quod ſi votum illud fuerit metu extortum, quantumvis ille fuerit leuis incuſſus ad extorquendum, non eſſe reſeruatum Pontifici, ſed poſſe Epiſcopum ſuper illa diſpenſare, *Angelus verb. votum 4. n. 8. Nauarrus in ſumma c. 12. n. 59. Henriquez lib. 11. ſummæ c. 15. n. 8. lit. A. Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 4. dub. 13. n. 106. Bonacina in decem precept. diſp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. n. 17. Paulus Laiman lib. 4. tract. 4. c. 8. n. 11. Bartolomæus à Sancto Fauſto lib. 3. Theſauri Religioſorum q. 69.* Ratio ex eo deducitur, quià dato etiam, quod illud votum teneat, non tollitur tamen, quin plurimum habeat mixtum de inuoluntario, & ſic non eſt ſimpliciter liberum; non eſt autem æquum, quod Pontifex voluerit ſub legibus rigoroſis reſeruationis non operantem liberè alligare. Accedit, quod probabile non eſt, quod Pontifex velit fauere vitio incutientis talem metum cum iniuria paſſi talem metum; vnde in ſuppoſitione, quod tale votum teneat, non poterit vouens ex ſe ipſo illum irritare, poterit tamen auctoritate Epiſcopi per diſpenſationem.

9
Etiam ſi fuerit metu extortũ.

Tertio, quod, ſi votum illud fuerit emiſſum per vouentem cum expreſſa intentione ſe non obligandi ad illud, niſi ſub veniali, poſſit per Epiſcopum diſpenſari, *Sanchez lib. 4. ſummæ c. 40. n. 47. Bonacina in decem præcepta diſp. 4 q. 2. punct. 7. §. 4. n. 2. Tamburinus tom. 2. diſp 18 q. 8. n. 13. Bartolomæus à S. Fauſto lib. 3. Theſauri Religioſorum q 69. Alphonſus Leo part. 2. de Iubilæo q. 13. ſect. 1. n. 93.* Ratio eſt, quia illud votum valdè declinat à perfectione voti, & leuiſſima obligatio

10
Item ſi fuerit emiſſũ cum obligatione ſeruandi tantum ſub veniali

Digitized by Google

ligatio non æque cadit ſub graui reſeruatione.

11 Item in voto vouendi caſtitatem, ſeu Religionē.

Quarto, quod votum vouendi caſtitatem, aut Religionem non cadat ſub Pontificis reſeruatione, ſed poſſit ab Epiſcopo diſpenſari, *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto c.21 n.7. Sanchez in ſumma lib. 4. c. 40. n.70. Ioannes Malderus de virt. tract.10. c 5 dub.10. verſ 6. Laiman. lib.4. tract.4. c.8. n. 8. verſ 6. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia votum de vouendo caſtitatem, & Religionem non eſt propriè votum caſtitatis, & Religionis.

12 Item in voto temporaneo.

Quinto, quod votum caſtitatis, & Religionis ad certum,& determinatum tempus, puta ad annum, vel ad quinquenniũ, poſſit ab Epiſcopo diſpenſari, *Sotus lib. 7. de iuſtit. q.4 art.3. verſ. ex his fit conſequens, Azorius prima part. lib.11. c. 19. q. 6. Henriquez lib.7. c.30. n.6. Sanchez lib.8. de matrimonio diſp.9. n. 6. Suarez tom. 2. de Religione lib.6. de voto c.22. n.9. Sairus lib.6. clauis c. 11. n 48. Aſcanius Tamburinus tom 2. de iure Abbat. diſp.18. q.8. n.7. & alij plures,* quos refert, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius de triplici Iubilæi priuilegio ſect. 2. caſ.18. n.1.* Ratio eſt, quia tale votum non eſt ſimpliciter votum, cum hoc, vt aſſerit *D.Thomas 2. 2. q. 88. art. 11. ad 2.*, & cum eo *Paludanus in 4. diſt.38 q.4. art.4 n.43. D. Antoninus 2. part. tit.11. c.2. § 9.* importet ex genere ſuo perpetuitatem. Limitarem tamen limitationem in caſu, quo votum eſſet ad tantum tempus, vt ſecundum cõmunem curſum excederet tempus regulare vitæ cuiuſcumque hominis, puta ad centum annos, & vltra, quia tunc haberetur pro perpetuo, & contineretur ſub reſeruatione, prout etiam limitant *Leſſius lib.2. de iuſtit. c. 40. n 105. Sanchez lib. 4. ſumma cap. 40. n. 49 Bartholomæus à Sancto Fauſto lib.3. Theſauri q.71. Ioannes Angelus Boſſius loc. cit n 2.*

Niſi tempus eſſet tale, vt excederet vitam vouentis.

13 Item in voto arctioris Religionis, & quomodo.

Sexto, quod votum arctioris Religionis poſſit ab Epiſcopo diſpenſari, adeout vouens poſſit laxiorem ingredi, *Silueſter verb. votum 4. q.3. Aragonius 2.2. q 88. art. 2. paulo ante ſolutionem ad primum, Rodriquez 2. part ſummæ c. 98. concl.5. Sanchez lib.8. de matrim diſp 9. n.17. Ioannes Malderus de virtutib. tract.10. c 5. dub.10. verſ quinto poteſt Epiſcopus, Bonacina in decem præcepta diſp.4 q.2 punct 7 §.4. n.21. verſ. tertio commutando, Baſilius Pontius lib.8. de matrimonio c.8 §.2. n.23. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect.2. c.19. n.1.*, & alij innumeri tum apud eundem Boſſiũ, tum apud Sanchez loc. cit. Ratio ex eo deducitur, quia tunc non fieret diſpenſatio quoad ſubſtantiam Religionis, ſed dumtaxat quoad exceſſum, & qualitatem, quod nullibi reperitur reſeruatum, cum iura reſeruatoria, ſeu conſuetudo Eccleſiæ generalis reſeruans Romano Pontifici hanc diſpenſationem vim obtinuerint dumtaxat quoad vota in ſubſtantia, non aliter.

Septimo, quod votum perſeuerandi in Religione, vel ſimul, vel ſubſequenter emiſſum ad votum eiuſdem Religionis quoad ſubſtantiam poſſit ex legitima cauſa per Epiſcopum diſpenſari, *Sanchez de matrimon. lib.8. diſp.9. n.18. & lib.4 ſumma c 40. n.75. Ioannes Malderus de virtut trac. 10. c 5. dub. 10. verſ. quinto poteſt Epiſcopus, Alphonſus Leo de Iubil. part.2. q.10 ſect.3 an. 114. Bartholomæus à Sancto Fauſto lib 3. Theſauri Religioſ. q.98. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect 2. caſ.19. n. 2.* 14 Item in voto perſeuerandi in Religione.

Ratio ex eo deducitur, quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis quoad ſubſtantiam, ſed dumtaxat quoad qualitatem perſeuerantiæ; votum enim perſeuerandi eſt virtute diſtinctum à voto Religionis,& votum Religionis eſt reſeruatum Romano Pontifici, non votum perſeuerandi in illo; voto autem Religionis ſatisfit, ſi is qui eandem vouit ingreſſus tempore probationis inuenit ſe minus idoneum, ac proinde exeat, *D. Thomas 2.2. q. 89. art. 4. Graſſius prima parte deciſ. lib.2. c.24. n.4., & part. 2. lib. 2. c. 12. n. 32.*; Neque dicas, quod ſicuti votum caſtitatis, vt ſit propriè tale ſecundum ſe, inuoluit perpetuitatem, ita etiam votum Religionis eadem debeat inuoluere, adeout, ſi non inuoluat, non cadat ſub reſeruatione, ſicuti non cadit votũ caſtitatis non perpetuum, vt ſupra dicebamus, ſi vero inuoluat, non poſſit Epiſcopus diſpenſare, quia diſpenſaret in ſubſtantia voti Religionis: contra enim impugnaberis, quia quantum eſt ex ſe votum Religionis obligat quidem ad ingreſſum, & perſeuerandum, niſi vouens iuſta cauſa exeat, ſub quo reſpectu inuoluit perpetuitatem; votum vero diſtinctum perſeuerandi obligat in omni euentu; atque diſpenſare ſuper hoc non eſt diſpenſare ſuper ipſo voto Religionis; ſicque prout obligat ad ingreſſum, & ad perſeuerandũ, ſi legitima cauſa non perſeuerandi non interueniat cadit ſub reſeruatione Pontificis à qua eximitur, ſi iuſta cauſa interueniat non permanendi, vt quod nequeat Religionis auſteritates tolerare; prout vero obligat ad perſeuerandum in omni euentu non cadit ſub reſeruatione, cum ſit votum omnino diſtinctum à voto Religionis, à quo propterea non eſt, cur non poſſit ex iuſta cauſa Epiſcopus diſpenſare.

Octauo, votum ſumendi Ordines ſacros eſſe per Epiſcopum diſpenſabile, *Valentia 2.2. diſp.6. q.6. punct 7. col.3. verſ., & quoad primum, Aragonius 2.2. q 88. art.12. in fine ſolutionis ad primum, Henriquez lib. 7. de Indulgent. c. 30. n. 6. Nauarrus in manual. c 12. n. 47., & lib 3. conſil tit. de voto conſ.18. n.2. in ſecunda edit. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. part.2. alleg. 37. n. 19.* 15 Item in voto ſumendi ſacros ordines.

Bo-

Digitized by Google

Bonacina in decem præcepta diſp. 4. q. 2. punᴄto 7. §. 4. n. 17. Iulius Lauorius de Iubil. part. 2. c. 27. n. 63. Laiman. lib. 4. tract. 4. c. 8. n. 8. Bartolomæus à S. Fauſto lib. 3. Theſauri Relig. q. 94. Ratio ex eo deducitur, quia votū illud ſuſcipiendi ſacros ordines non eſt propriè votum caſtitatis, quamuis ſit de aliquo, cui annexa eſt caſtitas, ergo non eſt, cur Epiſcopus non poſſit ſuper illo diſpenſare; ſicuti etenim votum de vouenda caſtitate, & Religione, quia non eſt propriè caſtitatis, & Religionis, eſt diſpenſabile per ſuperius dicta ab Epiſcopo, quamuis hoc immediatius reſpiciat eādem caſtitatem, & Religionem, quam reſpiciat votū de ſacris ordinibus ſuſcipiendis, ita non erit, cur ab eodem non ſit diſpenſabile votum de eiſdem ſacris ordinibus ſuſcipiendis. Accedit, quod, ſi quis emiſſo tali voto de ſacris ordinibus ſuſcipiendis ante eorundem ſuſceptionem fornicetur, non propriè committat peccatum ſacrilegij, ſed ſimplicis fornicationis, prout docent *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuilegio ſect. 2. caſ. 20. n. 10. Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 9. n. 13.* Ergo, quia non eſt propriè votum caſtitatis, in quo propterea poteſt Epiſcopus diſpenſare.

16
Item in voto non nubendi, quādo hoc nō cederet in præiudiciū tertij.

Nono, probabilius eſſe Epiſcopum poſſe etiam diſpenſare in voto non nubendi, quando hoc non cederet in præiudiciū tertij, *Sotus in 4. diſt. 38. q. 2. art. 2. Nauarrus c. 12. n. 76. Aragonius 2. 2. q. 88. art. 12. poſt ſextam concluſionem verſ. ſi quis, Rodriquez in bullam Cruciatæ § 9. n. 19. Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto c. 21. Barboſa de poteſtate Epiſcop. part. 2. allegat. 37. n. 12.*, & ex noſtris *Homobonus ſecunda part. examin. tract. 12. c. 3. pag. 445. col. 1. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 20. n. 2.* contra *Caietanum 2. tom. opuſc. tract. 11. q. 1. & 2. Valentiam tom. 4. diſp. 10. q. 5. punct. 5. concl. 4.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia illud non eſt votum ſimpliciter caſtitatis, ſeu integræ, & totalis caſtitatis, ſed ad ſummum partis ſcilicet non contrahendi, nec vtendi coniugio; vnde ſi ſic vouens poſt tale votum fornicaretur, non conſtitueretur reus ſacrilegij, cum votum non referatur niſi ad negationem actum coniugalium; Neque dicas votum caſtitatis non poſſe referri, niſi ad talem abſtinentiam à nuptijs, ſiquidem ex alibi dictis votum non poteſt eſſe, niſi de operibus ſupererogationis, & conſilij, non autem de operibus præceptis; opera autem ſupererogationis, & conſilij non poſſunt in hoc aliud eſſe, quam eadem abſtinentia à matrimonio, cum abſtinentia à fornicario coitu ſit de iure naturali præcipiente, & prohibente; contra enim impugnaberis, quia in primis votum caſtitatis ſimpliciter non ſolum quoad opera ſupererogationis, & conſilij obligat ab abſtinentia à nuptijs, ſed etiam ijſdem contra votum contractis ab abſtinentia vſus coniugalis quoad petitionem; votum autem nō nubendi ſolum vetat contractum matrimonij, non autem poſt idem contractum petitionem debiti, vt docent idem *Ioannes Angelus Boſſius, & Sanchez loc. cit.*, nec quidem incongruè quandoquidem votū eſt ſolummodo de abſtinendo à nuptijs, & ſic votum caſtitatis etiam quoad opera ſupererogationis ad longè plura extenditur, quam votum non nubendi, adeoque ſemper verificatur, quod hoc reſpectu illius non ſit integrum, ſed dumtaxat pars. Deinde licet votum qua votum eſt, non poſſet eſſe quoad opus ſimpliciter præceptū, in quo ſenſu procedunt ea, quæ alibi diximus, poteſt tamen eſſe de opere præcepto quando hoc coniungitur cum alio opere ſupererogationis, & conſilij, quia tunc ratione connexionis cum iſto induit rationem iſtius; in quo caſu ſi contingeret legitimè diſpenſari ſuper voto caſtitatis ſimpliciter contingeret diſpenſatio non ſolū quoad opera ſupererogationis, ſed etiam quoad opera præcepta, non quidem quoad præcepti obligationem, ſed quoad vinculum voti ſuperadditum; ſicque etiam verificatur, quod votum ſimpliciter non nubendi reſpectu voti caſtitatis non ſit integrum, ſed pars dumtaxat ipſius. Tandem, quia votum de opere præcepto non irritatur ſimpliciter ſecundum omnem ſui rationem, ſed reſoluitur in vim iuramenti, quod poteſt eſſe de opere præcepto, ſicq; votum caſtitatis ſimpliciter ſumptum ad longe plura extenditur; quam extendatur votum de non nubendo, ſiquidem votum caſtitatis obligat in ratione voti quoad opera ſupererogationis, & in vim iuramenti quoad opera præcepta, votum autem de non nubendo ſolum ab abſtinentia à nuptijs, quæ eſt opus ſupererogationis. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia quando votum eſt in fauorē tertij, ſeu ad petitionem tertij acceptantis iam eidem acquiſitum eſt ius, vt non nubat, ſed aduerſus ius iam perfectè acquiſitum tertio Epiſcopus non poteſt diſpenſare, ergo &c.

Votum caſtitatis etiā quoad opera ſupererogationis ad longe plura extenditur, quam votū non nubendi.

Decimò quod votum virginitatis ſimpliciter ſumptum ſecundum ſe præciſa quacunque intentione reſpectu vouentis ſe obligandi ad caſtitatem diſpenſari poſſit per Epiſcopum, *Rodriquez part. 2. ſumma c. 98. n. 1. Azorius parte prima lib. 11. cap. 19. q. 14. Homobonus ſecunda part. exam. tract. 12. c. 3. p. 445. col. 1.* Ratio ex eo deducitur, quia votum virginitatis ſecūdum ſe ſumptum, & ſimpliciter non eſt votum caſtitatis abſolutæ, ſed tantum limitatæ; cum quodamodo conſiſtat in indiuiſibili, quia ſemel amiſſa integritate virginali per veram conſummationem non amplius di-

17
Item in voto virginitatis ſimpliciter ſumpto.

citur, qui amiſit, Virgo, & poteſt quis velle canere primum actum libidinis, ſeu deflorationem, per quam virginitas deperditur, qua ſemel ſublata poteſt non excludere actus ſecundum ſe licitos in vero matrimonio per copulas coniugales, ergo ſecundum ſe ſumptum tale votum poteſt per Epiſcopum diſpenſari. Confirmatur quia latius patet caſtitas, quam virginitas; omnis quippe virginitas eſt caſtitas, non autem omnis caſtitas eſt virginitas, ergo virginitas ſecundum ſe non eſt caſtitas abſoluta, ſed limitata; Neque dicas, ſeruare virginitatem non conſiſtere in aliqua operatione, ſed in negatione venereæ voluntatis voluntariæ, ſed negatio obligat ſemper, & ad ſemper, ergo &c.; item, quod votum virginitatis comparetur præcepto negatiuo v. g. eſus carnium in die ieiunij, ſicuti enim hoc vetat pro tali die carnes edere, ita illud vetat frui carnalibus voluptatibus; ſed ſemel pro eadem die fracto ieiunio per eſum carnium adhuc vrget præceptum pro eadem die non amplius edendi, adeout, ſi obligatus denuo edat, denuo peccet, ergo etiam ſemel amiſſa virginitate per carnalem concubitum, votum adhuc vrgebit non amplius concubendi, adeout &c. Contra enim impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio de præcepto negatiuo, ac de voto, quia hoc non obligat niſi ſecundum intentionem vouentis ſiue veram, ſiue præſumptam; præceptum autem obligat ad normam mentis legiſlatoris, qui ex quo obligauit per legem negatiuam intelligitur obligaſſe ſemper, & ad ſemper, vouens autem ſimpliciter virginitatem intelligitur, ſeu præſumitur ſolum voluiſſe ſe obligare ad ſeruandam virginalem aureolam, qua propterea ſemel amiſſa non præſumitur ſe voluiſſe priuare vlterioribus actibus licitis in legitimo matrimonio. Dixi *præciſa quacumque intentione vouentis ſe obligandi ad caſtitatem ſimpliciter*, quia votum cum tali intentione emiſſum eſt votum caſtitatis perpetuæ, & abſolutæ, ſeu includit perpetuam caſtitatem, *Sotus lib. 7. de iuſt. q. 2. art 1 Rodriquez parte ſecunda ſummæ c 98. n. 1 Nauarrus in manual c. 12. n. 43. Sanchez lib. 9. de matrimon. diſp. 33. n. 7. Ioannes Baptiſta Conradus part. 1. reſponſ. q. 286.*

Latius patet caſtitas quam virginitas.

Plures, & longe plures afferunt limitationes *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 9. à n. 4. vſque ad n. 32. & Ioannes Angelus Boſſius de triplici Iubilæi priuilegio ſect. 2. à caſu primo vſque ad finem eiuſdem ſectionis*, ſed quia, vel includuntur in præcedentibus, vel venire ex illis poſſunt in conſequentia, vel videri poſſunt apud ipſos, ideo ab vlterioribus abſtineo.

Hic ſolum remanet dubitandum, an ſi votum caſtitatis, & Religionis perpetuum fuerit auctoritate Summi Pontificis in alia pia opera commutatum, quæ ſecundum ſui naturam non cadant ſub reſeruatione, poſſit Epiſcopus in illis operibus, in quæ commutata ſunt illa vota, diſpenſare? Sentio probabilius eſſe, poſſe Epiſcopum diſpenſare, *Gloſa c. tempora verb. tuo iudicio 26. q. 7. Speculator tit. de diſpenſatione § nunc de Epiſcoporum n. 21. Iaſon l. 1. n. 5. C. de precib Imperat. offeren., & l. omnes populi n. 13. ff. de iuſt., & iure Felinus c. accuſaſti in fin. de accuſat.*, & ex Theologis, *Corduba in ſumma caſuum caſ. 150. Arragonius 2. 2. q 88. art. 12. poſt 6 concl. verſ. quando votum, Rodriquez 2. part. ſumma c. 98. n. 5. Henriquez lib. 7. ſumma n. 5. lit. O. Sanchez lib 8. de matrimon. diſp. 9. n. 20. Ioannes Malderus de virtutib. tract. 10. c. 5. dub. 11. verſ. nihilominus verius, Bonacina in decem præcepta diſp. 4. q. 2. punct. 7. § 4. n 18. Baſilius Pontius lib. 8. de matrimon. c. 8. § 2. n. 24. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 12. num. 5.* Probatur primo, quia reſeruatio, quæ inerat in voto præcedenti, quod fuit commutatum in alia opera pia, non erat ratione voti ſecundum ſe, quandoquidem votum, vt votum ex genere ſuo non eſt reſeruatum, ſed ratione materiæ circa quam verſatur votum, ergò deſinente tali materia non amplius remanet reſeruatio, ſed per illam commutationem voti in alia pia opera non amplius remanet materia, circa quam ſuppoſito voto verſabatur reſeruatio, ſed noua ſuccedit, quæ ex genere ſuo non eſt affecta reſeruatione, ergò &c. Secundò, quia illud prius votum eo ipſo, quod Pontificis auctoritate cum vouentis conſenſu commutatum eſt in nouam obligationem quaſi aliud, ſeu nouum euadit, quod non eſt reſeruatum, ergò poteſt Epiſcopi auctoritate diſpenſari. Tertiò, quia peccata, quibus eſt annexa excommunicatio Papæ reſeruata ſublata excommunicatione, circa quam verſabatur reſeruatio, non amplius remanent reſeruata, ergò etiam vota Pontifici reſeruata ratione ſpecialis materiæ ſublata tali materia, circa quam verſatur reſeruatio non amplius remanebunt reſeruata. Sed fortior ratio huius noſtri aſſerti erit ſolutio argumentorum, quæ per aduerſæ partis auctores, qui potiſſimum ſunt, *Azorius tom 1. inſtit. moral c. 18. q. 11. Gloſa c. 1. verb. viſum de ſortileg. ArchiDiaconus c. latorem in fine 33. q. 2.* afferuntur. Primum eſt, quia ſubrogatum ſapit naturam, & conditiones eius, cui ſubrogatur per textum *in l. vnica C. de rei vxor. act.*, ergò, ſicuti votum caſtitatis eſt Pontifici reſeruatum, ità opus, quod per eundem Pontificem eidem ſubrogatur, ipſi reſeruabitur. Secundum, quia confeſſarius inferior non poteſt commutare pœnitentiam à ſuperiore iniunctam, quia iniunctio pœnitentiæ per ſuperiorem habet vim legis;

18 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in operibus, in quibus commutatum fuit votum.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Digitized by Google

legis; inferior autem non poteſt ſe ingerere in lege ſui Superioris, cum eius ſit commutare, cuius eſt legem condere ex vulgatis iuribus. Tertium, quia quamuis illa materia, ratione cuius votum erat reſeruatum, non remaneat amplius actu in ſua formali ratione, remanet tamen virtute in materia illa ſuffecta, in quam quodamodo ex diſpoſitione, & voluntate præſumpta Pontificis commutantis transfunditur. Sed facile his omnibus occurro, & quidem ad primum dicendum eſt ſubrogatum ſapere naturam eius, cui ſubrogatur quoad ea, quæ per ſe, & intrinſece ſpectant ad ſubrogationem, non autem quoad extrinſeca, quæ proueniunt ſolum ex libera voluntate Superioris; ad intrinſecum autem ſubrogationis pertinet, vt potiſſimum id, quod ſubrogatur, ſit in eodem ordine cum eo, cui ſubrogetur, & ad eandem virtutem ſaltem ex motiuo referatur; ſicque cum votum ſit in ordine diuino, & ſpectet ad virtutem Religionis etiam ſubrogatum debet eſse in eodem ordine ſaltem terminatiuè, & ad Religionis virtutem ſaltem ex motiuo pertinere; ad extrinſecum autem ſpectat id, quod adiunctum erat ei, cui aliud ſubrogatur ex voluntate extrinſeca ſuperioris, quod eſt in caſu noſtro reſeruatio, quæ cum ſit odioſa non debet cenſeri incluſa in ſubrogatione, ſeù extendi ad materiam ſubrogatam, niſi expreſsè iterum adiungatur. Dici etiam poteſt ſubrogatum ſapere naturam eius, cui ſubrogatur quoad fauorabilia, non autem quoad odioſa. Ad ſecundum negant in primis confeſsarium, ſeù ordinarium non poſse pænitentiam à ſuperiore iniunctam pro

19 Subrogatū ſapit naturam eius cui ſubrogatur quoad fauorabilia.

reſeruatis mutare *Henriquez lib. 5. ſumma c. 22. §. 1. lit. I. Valentia tom. 4 diſp. 7. q. 14. punct. 4. verſus fin. Vaſquez de pænit. q. 94. art. 2. dub. 3 n. 9 Ioannes Vallerus verb. Iuriſdictio diff. 1. num. 7. Bonacina de ſacrament. diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punct. 2. n. 6. Felinus in cap. atteſtaſti de accuſat. in fin. Speculator tit. de diſpenſat §. nunc de Epiſcoporum num. 21. Zerula in praxi pænitentiali c. 25. q. 10. verſ. dico ſecundo*, quod multis probat rationi-

20 Inferior poteſt mutare pœnitentiam ſuperioris.

bus *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuilegio ſect. 1. caſ. 19. n. 10.* quem tu conſule. Deinde non currit paritas de facultate commutandi pœnitentiam à Pontifice iniunctam pro peccato reſeruato, ac de facultate diſpenſandi in materia non reſeruata reſpectu Epiſcopi, quæ ſubrogata eſt loco voti caſtitatis reſeruati, quandoquidem Pontifex iniungendo talem pœnitentiã vtitur poteſtate ſibi reſeruata, cũ eius ſit pœnã iniungere, cuius eſt abſoluere, & vtendo tali facultate efficit quidẽ per abſolutionẽ, quod illud peccatũ de reſeruato fiat non reſeruatum, ſed poſſit à quocunque abſolui, non tamen efficit, vt illa materia pœnitentiæ iniunctæ, non ſit reſeruata, cum ſit pro peccato reſeruato; At Pontifex commutando votum reſeruatum in materiam non reſeruatam mutat materiam, & conſequenter ceſſat reſeruatio, quæ ab eadem materia dependet. Vno verbo, tam pœnitentia, quam delictum verſatur circa eandem materiã reſeruatam, non ſic autem votum reſeruatum, & commutatio voti, adeoque &c. Ad tertium dicendum eſt, quod nec ex diſpoſitione iuris, nec ex voluntate Pontificis materia voti reſeruati virtute remaneat in materia ſuffecta, cum nullibi in iure hoc reperiatur diſpoſitum, & ſicuti qualitates Phyſicæ non migrant de ſubiecto in ſubiectum, ita nec morales, niſi expreſſe de hoc diſponatur, & voluntas Pontificis non eſt præſumenda reſtrictiuè ſe habere, quando materia hoc non exigit, niſi expreſsè reſtringat.

Materia voti reſeruati non remanet in materia ſuffecta.

Assertio III. Probabilius eſt poſſe Epiſcopum quoad vota caſtitatis, & Religionis ſiue conditionalia pœnalia, ſiue merè conditionalia diſpenſare, ſiue ante, ſiue poſt conditionem adimpletam. Ita quoad vota pœnalia conditionalia *Medina lib. 1. ſumma c. 14 § 6., & in prima ſecundæ q 96. art. 4. ad ſecundum, Henriquez lib. 7. ſumma c. 30. §. 6 lit A. in textu, & in gloſ. Aragonius ſecunda ſecundæ q 88 art 12. poſt concl. ſextam, Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto c. 23. nu. 1 Ioannes Malderus de virtut. tract. 10. c. 5. dub. 10. verſ. nota, Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. part. ſecunda allegat. 37. n. 7. Bonacina in decem præcepta diſp. 4 q. 2. punct. 7. §. 4. n. 17 verſ. dixi modo, & ex noſtris Homobonus prima part examin. tract. 7. q. 57. Ioannes Angelus Boſſius de triplici Iubilæi priuileg ſect. 2. caſ 10. num 29.* Quoad vota mere conditionalia *Sanchez lib. 8. de matrimon diſp. 10. nu 13. Petrus de Ledeſma ſecunda part. ſumma tract. 10 c. 8. Alphonſus Leo de Iubil. part. ſecunda qu. 13. ſect. 1 n. 85 Ioannes Malderus de virtut. tract. 10 c. 5. dubio nota poſt Franciſcum Victoriam Toletus lib. 4. ſumma c. 18. n. 11 Ioannes Angelus Boſſius de triplici Iubilæi priuil. ſect. 2. caſ. 10. n 35.*

21 In votis conditionalibus, & pœnalibus poteſt diſpenſare.

Fuſius paginis explicant Sanchez, & Boſſius naturam, & conditiones huiuſmodi votorum tam pœnalium, quam purè conditionalium, & diſcrimina, quæ inter ipſa interueniunt, ad quos pro clariori intelligentia vos remitto. Breuiter inſinuare nobis ſufficiat vtrorumque eſſentiam, & paſſiones. Vota igitur pœnalia conditionalia illa ſunt, quando quis vouet aliquid, ad quod non habet affectum, ſed illud tantum intendit in pœnam, ſi aliquid fecerit, vel omiſerit, quod omittere, vel facere non intendit; hoc autem duplici modo poteſt contingere; primo, quatenus duplex quodammodo votum emit-

22 Natura, & diſcrimina inter vota merè conditionalia, & conditionalia pœnalia.

emittat; alterum quo voueat aliquid facere, vel emittere, ad quod habet propenſionem, & affectum, alterum quaſi in pœnam, ſi illud non fecerit, vel non omiſerit, quo ſe obliget ad quid aliud, quod directè non habet in votis. V. g. quis vouet abſolutè non ludere, & deindè aliud votum addit, & ſi luſero, voueo Religionem, non quod directè Religionem intendat, ſed in pœnam, quòd prius votum non adimpleuerit. Secundo modo, quatenus vnicum tantum votum emittat de pœna ſubeunda ſub conditione, ſi aliquid non adimpleuerit, ſeù non omiſerit, vt ſi dicat, voueo Religionem, ſi luſero. Votum primo modo ſumptum ex communi DD. conſenſu eſt votum conditionale pœnale; ſumptum verò ſecundo modo erit conditionale pœnale, ſi animus vouentis non ſit affectus ad rem promiſſam, illamque directè non intendat, ſed ſolummodo in pœnam tanquam rem ſibi odioſum eligat, vnde directè vult fugam ludi, quem, vt vitet, proponit ſibi in pœnam Religionem; ſi vero animus vouentis ſit affectus ad rem promiſſam, & ex inclinatione ad Religionem eandem voueat caſu, quo ponatur illa ludi cōditio eligens Religionem non tanquam rem odioſam, ſed tanquam ſibi gratam, vt in eo ſtatu tranquille viuat abſtinens à ludo erit præciſè conditionale. Vota verò purè conditionalia ſunt illa, quæ non gignunt obligationem actualem, & abſolutam, ſed futuram, & dependentem ab euentu conditionis appoſitæ, dum modo ſit vera conditio, & verè ſuſpendat obligationem non præciſè quoad executionem, ſed etiam quoad inductionem eiuſdem obligationis. Propter hanc exceptionem non eſt votum regularitèr loquēdo merè conditionale, quando ex impedimento, ratione cuius non poteſt, niſi ad certum tempus votum exequi, rem aliquam ſibi gratam, & intentam vouet, ſi impedimentum ceſſarit, vt, ſi dicat, voueo Religionem, ſi pater meus obierit, quià tunc præſumitur ex die, qua elicit votum, ſe obligare, quando illud impedimentum ceſſarit, ſeù Pater obierit, & tunc illa particula conditionalis *ſi*, æquiualet particulę determinatiuæ temporis *Quando*.

Probatur iam reſponſio quoad votum conditionale pœnale ante adimpletam conditionem; quià vel huiuſmodi votum duo vota inuoluit iuxta modum expoſitum in explicatione voti pœnalis, alterum de non ludendo, alterum in pœnam, ſi luſerit, de ingreſſu in Religionem, vel vnicum tantum votum de pœna ſubeunda Religionis ingreſſus ſub conditione, ſi luſerit; ſi primo modò ſe habeat, ante impletam conditionem ludi eſt ſolummodo votum de non ludendo, quod vtique non eſt Pontifici reſeruatum, ergo Epiſcopus poterit ſuper illo diſpenſare; ſublata autem materia talis voti per diſpenſationem ceſſat, & obligatio pœnæ, quæ eſt acceſſoria, ergo &c.; ſi ſecundo modo ſe habeat, iam illud votum non habet perfectam, & abſolutam obligationem inducere de facto, ſed ſolummodo imperfectam, ſuſpenſam, & pendentem à futuro euentu, ergo ante talem euentum conditionis appoſitæ non eſt propriè, & rigorosè votum Religionis, ergo non erit propriè reſeruatum, cum reſeruatio vtpotè odioſa non cadat niſi ſupra actum vſquequaque completum, & conſummatum, adeoque Epiſcopus poterit ſuper illo diſpenſare.

Ante adimpletam conditionem non habet perfectam, & abſolutam obligationem.

Probatur quoad huiuſmodi votum conditionale pœnale etiam poſt adimplementum conditionis, ſeù commiſſum delictum, ſeù ludum contra prius votum, quià huiuſmodi vota valde deficiunt à perfecta ratione voti Religionis, ſeù caſtitatis, ergo non cadunt ſub reſeruatione, quæ vtpotè odioſa non comprehendit, niſi actus vſquequaque perfectos ſecundum adæquatam rationem talium actuum. Antecedens probatur, quià votum ex genere ſuo eſt actus Religionis, quo quis rem ſibi gratam, & acceptam offert, & promittit Deo in ipſius cultum, & obſequium, ſed in prædictis votis pœnalibus non promittitur Deo Religio, ſeù caſtitas, vt per ſe, ac directè volita, optata, & grata vouenti, ſed vt quid odioſum ex pœna grauiſſima, ergo non eſt propriè, & perfecta ratio voti Religionis, adeoq; &c.

Poſt adimpletam conditionem deficit à perfectione voti.

Dices, ſi quis voueat Religionem non ſimpliciter ex affectu Religionis, ſed ad euitandam infamiam, vel in ſupplicium peccati commiſſi non poteſt Epiſcopus ſuper illo voto diſpenſare, vt fatentur *Ioannes Angelus Boſſius de triol. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 16. nu. 31. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 10. n. 9.*, & tamen Religio, ſeù caſtitas non eſt ſimpliciter, & directe volita, grata, & accepta vouenti, ſed potius eidem exoſa, & odioſa, ergo &c. Sed contra, quià illa imperfectio, quæ ineſt in caſu propoſito in antecedenti eſt in cauſa præciſa impellente, nec dependet ab aliqua conditione de futuro, non autem in obiecto volito, cum abſolutè in illud feratur, illudque eligat. Deinde illa imperfectio quoad illud votum non includitur in ipſo inter vouendi actu, ſed eſt eidem extrinſeca, cum voluntas perfectè, & abſolutè preſtet conſenſum, illudque obiectū independenter à quacunque conditione eligat; imperfectio vero in votis pœnalibus non eſt præciſè in cauſa impellente, ſed in obiecto volito, cum illud non intendat, niſi dependenter ab euentu conditionis, & ſic eſt intrinſeca illis votis pœnalibus, non merè extrinſeca.

Imperfectio attendi debet quoad obiectū volitum nō quoad cauſam impellentem.

Dices

Digitized by Google

Dices vlterius, quando quis non elicit duo vota, alterum, quo determinet, ſeù promittat vitare aliquam actionem, alterum, quo, ſi illam actionem commiſerit, promittat Religionem, ſeù caſtitatem, ſed preciſè vnicum votum emittit, quo promittit caſtitatem, ſeù Religionem, ſi luſerit, voluntas fertur directè in Religionem promiſſam, non minus, ac quando fit votum Religionis, ſeù caſtitatis ad euitandam infamiam; ergo ſicuti in iſto non poteſt Epiſcopus diſpenſare, nec poterit in illo. Sed contra fateor, quod quando vnicum tantum votum eſt elicitum ſub illa conditione, nullũ aliud ſit obiectum, in quod voluntas feratur, quam ipſa Religio, ſeù caſtitas, in illud tamen non fertur ex affectu tanquam in obiectum ſibi carum, acceptum, ſed tanquam odioſum, & in pœnam; quod, ſi repetas, hoc idem contingere, quandò Religionem vouet ad euitandam infamiam, vel in ſupplicium alicuius criminis commiſſi, quandòquidem ſine illo fine euitandæ infamiæ, & purgandi criminis votum illud non emitteret; ſtatim impugnaberis, quià quantumvis non eligeret Religionem ſine illo fine vitandæ infamiæ, vel ſupplicij purgandi, non tollitur tamen, quin directè feratur in Religionem tanquam in obiectum ſibi carum, & prælectum, ſicuti ſi quis eligeret Religionem ex fine conſequendæ gloriæ æternæ, ſine quo non eligeret, diceretur eligere ex affectu eiuſdem Religionis tanquam medij conducentis ad illum finem, quod idem euenit, quando eligit ad euitandam infamiam, & purgandum crimen commiſſum, quià eligitur tanquam medium proportionatum ad illum finem, & imperfectio, ſi quæ eſt, eſt dumtaxat in cauſa impellente. Res autem ita non ſe habet in voto conditionali pœnali, quandòquidem tunc eligitur in pœnam, & tanquam obiectum odioſum, ſibique non gratum, & ſic imperfectio non eſt ſolum in cauſa impellente, ſed etiam in obiecto volito, hoc eſt ſecundum illam rationem, ſecundum quam eligitur.

Non fertur in religionem tanquam in obiectũ carum, ſed tanquam odioſum.

Probatur quoad votum ſimpliciter conditionale ante adimpletam conditionem, quià ante adimpletam conditionem non habet, niſi imperfectam, & ſuſpenſam voti obligationem, ergò non eſt, cur non poſſit per Epiſcopum diſpenſari, ſiquidem, vt aſſerebam, reſeruatio ſolum extenditur, vtpotè odioſa ad actum abſolutum completum, & perfectè obligantem; Antecedens probatur, quià votum conditionale ſub conditione de futuro non continet ab initio, & ſtatim conſenſum abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſub conditione pendente in futurum, & natura ſua conſenſum ſuſpendente, ergò &c.

Votum conditionale non continet ſtatim conſenſum abſolutè.

Probatur tandem quoad votum conditionale etiam poſt adimpletam conditionem, quià quantumvis adimpleta conditione illud votum tranſeat in abſolutum, non tollitur tamen, quin in ſua radice, & origine inuoluat aliquam imperfectionem, quandòquidem radix illius obligationis fuit imperfecta voluntas à futuro euentu dependens, quæ in ipſa obligatione quaſi imbibita manet, & ſic ſemper dicitur, quod illa obligatio ex conſenſu imperfecto proueniat, ergò cum non inuoluat perfectam, & in radice abſolutam rationem voti, non cadet ſub reſeruatione, quæ vtpotè odioſa reſpicit ſolummodo actus perfectos. Confirmatur, quià etiam votum pœnale conditionale poſt adimpletam conditionem eſt abſolutum, & tamen ratione imperfectionis, quam in radice inuoluit, poteſt per Epiſcopum diſpenſari, ergò etiam poterit diſpenſari per eundem votum ſimplicitèr conditionale poſt adimpletam conditionem, cum etiam hoc inuoluat in radice imperfectionem; Neque dicas, diſparem omninò eſſe rationem de voto pœnali conditionali poſt adimpletam conditionem, ac de voto merè conditionali; quandòquidem illud duplicem quodamodo inuoluit imperfectionem, alteram, quià conceptum eſt ſub conditione de futuro, alteram, quià non eſt, ex affectu Religionis, ſed in pœnam, hoc vero ſi quam inuoluit imperfectionem, eſt ſolummodò ratione conditionis, quæ tamen purgatur per adimplementum eiuſdem; contra enim impugnaberis, quià iam conceditur, quod ratione conditionis appoſitę de futuro inuoluatur imperfectio in radice eiuſdem voti, quo poſito iam ſatis verificatur, quod votum illud non habeat plenam perfectionem voti, adeoque quod non cadat ſub reſeruatione. Quod deinde votum pœnale conditionale inuoluat aliam imperfectionem arguit ſolum, quod ex duplici capite non ſit reſeruatum; non autem tollit, quod, ſi inuoluat ſolam imperfectionem in radice, ratione conditionis, non ſit reſeruatum, cum ſemper verificetur, quod in radice deficiat à vera perfectione actus.

In ſua radice inuoluit imperfectionem.

Dices primo, huiuſmodi vota adimpleta conditione abſolutè obligant vouentem, prout videre eſt in alijs ſimilibus, puta in ſponſalibus initis ſub conditione de futuro, quæ ſtatim ac adimpleta eſt conditio obligant abſolutè in ratione eorundem, perindè, ac ſi ab initio inita fuiſſent abſolutè, ergò non poterit Epiſcopus in illis diſpenſare, ſicuti nequit diſpenſare in huiuſmodi votis abſolutè emiſſis. Sed contra, quià ad præciſè obligandum vouentem ſufficit, quod ſubſiſtat in ratione voti ſimplicitèr; ad obligandum autem ſub reſeruatione requiritur, quod ſit vndequaque

Votum reſeruatum debet eſſe vſquequaque completum.

quaque perfectum, & præcipuè in ſua radice, adeoque &c.

Dices vlterius: Qui curat Clericum occidi, vel ſimoniacè vendit beneficia ſub conditione, purificata conditione, & ſecuta percuſſione, vel venditione non ſolum incurrit excommunicationem, ſed etiam contrahit reſeruationem, & tamen voluntas, qua mandauit, vel vendidit, fuit conditionata, & in radice inuoluit illam imperfectionem, ergò etiam, qui vouit ſub conditione de futuro, quantumvis voluntas in ratione conditionis fuerit imperfecta, purificata conditione obligabitur, & obligatio cadet ſub reſeruatione, cum reſpectu vtriuſque res ſit odioſa, & pœnalis. Sed contrà hac ratione etiam euinceretur, quod Epiſcopus non poſſet diſpenſare in voto pœnali conditionali, quandòquidem per adimplementum conditionis iam completum eſt votum, quod tamen negant auctores huius inſtantiæ. Quamobrem reſpondendum eſt iura in huiuſmodi pœnis attendere ſolam facti veritatem, quæ vtique habetur ſuppoſito adimplemento conditionis; in reſeruatione autem poteſtatis diſpenſandi in votis reſpiciunt perfectionem huiuſmodi votorum non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam quoad radicem, adeoque &c.

Excluditur paritas.

22 Intellige, niſi conditiones inſint ex natura ſua, quia tunc Epiſcopus non poterit diſpenſare.

Hæc, quæ hactenus dicta ſunt de votis conditionalibus pendente conditione de futuro, & etiam purificata eadem conditione, intelligenda ſunt, quando illa conditio ex natura ſua tacitè non ineſt, & non apponitur diuerſo modo ab eo, quo ineſt, ſi enim ex genere ſuo tacitè inſit non ſuſpendit actum, nec propriè conſtituit votum conditionale; hac ratione non eſt votum in rigore conditionale, nec in eo Epiſcopus habet facultatem diſpenſandi, ſi quis ità voueat *Promitto ingredi Religionem, ſi vixero, vel ſi potuero, vel ſi ſuperior conſenſerit*, quià huiuſmodi conditiones tacitè inſunt, vel ex natura rei, vel ex diſpoſitione iuris; tacitæ autem conditiones inexiſtentes, ſiuè exprimantur, ſiuè non exprimantur, dummodò non exprimantur ſub diuerſa ratione, qua inſunt, non ſuſpendunt *l. conditiones extrinſecas, & l. aliquando. ff de condit., & demonſt. Sanchez lib 4. ſummæ c 40. n 94. Filliutius part. 2. tract. 26. c. 6. n. 249.* Item intelligenda ſunt, quando conditio eſt de futuro, non autem, quandò de præſenti, vel de præterito, prout docet *Sanchez de matrimon. lib 8. diſp. 10. nu. 14.*; quià tunc votum eſt abſolutum, nec ab aliqua conditione ſuſpenditur, ſi etenim illa conditio verè ſit, vel fuerit, erit verum, ſi non ſit, vel fuerit, euaneſcet, & hoc verum eſt, ſiuè vouens fuerit conſcius exiſtentiæ conditionis præſentis, ſiuè præteritæ, ſiuè ignarus per textum *in l. cùm ad præſens, & duplici ſequenti ff ſi certum petatur*; & licet hæc appoſitio conditionis videatur aliquam imperfectionem in radice actus apponere, cum tamen non habeat ſuſpendere actum pro nihilo reputatur.

Assertio IV. Poſt contractum matrimonium, ſiuè illud fuerit conſummatum, ſiuè non, poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis, ſiuè ab altero tantum, ſiuè ab vtroque coniuge emiſſum non abſoluiè, ſed quoad effectum petendi debitum, quotieſcunque poſt tale matrimonium non fuerit, ab vtroque emiſſum cum reciproca conuentione ſeù expreſſa renuntiatione iuris petendi debitum. Ità quoad primam partem *Aragonius 2. 2. qu. 88. art. 8. in fin. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 11. à num. 4. ad octauum Bartolomæus à Sancto Fauſto lib 3. Theſauri Religioſ. quæſt. 78. Baſilius Pontius lib. 8. de matrimon c. 9. n 2. Ioannes Angelus Beſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect. 2. caſ. 20. n. 12.*, qui tamen diſcrepant in eo, quòd ſentiunt etiam poſſe abſolutè diſpenſare. Quoad ſecundam, præter mox allegatos DD *Laiman. lib. 4. tract. 4. c. 8. num 15. Sanctarellus de Iubil. c. 9. dub. 3. Nauarrus c. 12. nu. 59. verſ. trigeſimo ſecundo.*

23 Poteſt poſt matrimonium diſpenſare in voto caſtitatis ad effectum petendi debitum.

Vt clarius hac in re procedamus aduertendum eſt cum *Sanchez d. lib. 8. diſp. 11. n. 1.* poſt contractum matrimonij multipliciter poſſe emitti à coniugibus votum caſtitatis; & primo ab altero coniuge tantum ſine licentia alterius; ſecundo ab vno tantum, ſed de licentia alterius. Tertio ab vtroque, ſed ſine licentia reſpectiuè ad vtrumque. Quarto, ab vtroque ſeorſim, & cum licentia alterius, non tamen per modum contractus. Quinto, ab vtroque cum reciproca conuentione, & expreſſa renuntiatione iuris. Prima pars aſſertionis comprehendit quatuor primos modos. Secunda vltimum modum mox expoſitum.

Varij modi, quibus poteſt emitti votū poſt contractum matrimonium.

Ratio primæ partis in vniuerſum eſſe poteſt, quià illud votum quolibet ex illis quatuor modis aſſignatis eſt, votum caſtitatis ſimpliciter perfectæ, & integræ, ſed dumtaxat, quoad effectum petitionis limitatæ, ergò cadit ſub reſeruatione, adeoque non poterit per Epiſcopum diſpenſari. Neque dicas, quod coniux, qui emiſit votum caſtitatis altero inconſulto quamuis non poſſit petere, poſſit tamen, quinimmò alteri petenti teneatur reddere, ergo non obligatur ad omnimodam caſtitatem, ergo votum illud vtpotè non integrum, nec adæquate perfectum non cadit ſub reſeruatione; contra enim impugnaberis, quià quantumvis in ordine ad illud matrimonium teneatur, & poſſit licitè reddere non tamen poſſet in ordine ad aliud matrimonium, ſi forte illud inierit; ex quo ſequitur, quod ſit verum, &

abſo-

Digitized by Google

Solum ſuſpenditur executio quoad petitionem debiti.

abſolutum votum caſtitatis, & quod ſolum ſuſpendatur executio quoad petitionem in illo priori matrimonio ratione iuris alteri acquiſiti in illo matrimonio; votum autem verum, & abſolutum caſtitatis nequit per Epiſcopum diſpenſari. Neque vlterius vrgeas, quod pro ſtatu, quo illud votum emittitur, non obligat plenè ad voti adimplementum ſecundum ea, ad quæ ex genere ſuo obligat ipſum votum, adeoque non eſt, cur pro tali ſtatu non poſſit Epiſcopus in illo diſpenſare; contra enim eſt, quià in radice obligat plenè, ſed tantum ſuſpenditur executio quoad petitionem ratione vinculi præcedentis.

Sed, an Epiſcopus poſſit diſpenſare, quando iam alter coniux, qui facultatem ad votum alterius coniugis non conceſſerat præmortuus eſt in ordine ad aliud matrimonium ineundum. Videtur prima fronte dicendum; vtique poſſe, tum quià in ſua radice integrum, & completum non fuit, tum quià videtur non niſi abſolutum conditionaliter, ſi ſcilicet vouens ſupra vixerit alteri coniugi; in conditionalibus autem Epiſcopus poteſt diſpenſare etiam poſt adimpletam conditionem; tū quià, ſi poteſt diſpenſare abſolutè in illo voto, antequam alter præmoriatur, & non ſolum quoad ius petendi, ſed abſolutè in radice eiuſdem voti; cur non poterit etiam diſpenſare, poſtquam ille alter occubuit? Certè quod deficit à vera ratione in radice deficit à ratione reſeruationis. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, non poſſe abſolutè diſpenſare in ordine ad aliud matrimonium ineundum, vt in illo poſſit ille, qui vouerat, petere debitum; non enim poteſt eſſe dubium circa ad impotentiam diſpenſandi in radice, quandoquidem, ſi non poteſt diſpenſare quoad primum matrimonium, quod iam initum erat, quando contraxit illud votum, multo minus poterit diſpenſare, quando illud iam fuit diſſolutum in ordine ad aliud contrahendum. Ratio autem huius noſtri aſſerti ea eſt, quià in tantum poteſt exiſtente priori matrimonio diſpenſare ſuper iure petendi debitum reſpectu illius, qui ſubſequentèr ad illud matrimonium vouit caſtitatem, in quantum aderat fortius vinculum, & ius reſpectu alterius coniugis, & ratio matrimonij iam exiſtentis, & ſubſiſtentis in ſua ratione formali valdè conferebat ad hanc diſpenſationem, ſed hæc ratio non militat in ordine ad aliud matrimonium contrahendum, vt per ſe patet, ergo &c.; atque hoc expreſsè docent *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 9. n. 26. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilai privilegio ſect. 2. caſ. 20. n. 24.*; Nec obſtant argumenta ex aduerſo appoſita, quandoquidem falſo ſupponunt votum illud in radice deficere, quantum eſt ex affectu vouentis, quandoquidem ille abſolutè quantum eſt ex ſe intendit caſtitatem tanquam obiectum ſibi carum, & amabile, & ſolum ſuſpenditur executio quoad onus reddendi, in quantum obſtat vinculum prioris matrimonij, nec illud votum eſt merè conditionale, quandoquidem, quod non poſſit in toto adimplere eſt ex impedimento præcedentis matrimonij, quod non inducit conditionem per ſuperius allegata, & docent *Sanchez lib. 8. diſp. 10. num. 4. Boſſius d. ſect. 2. caſ. 10. n. 9., & ſeqq.*

24 *Epiſcopus non poteſt diſpenſare in voto in ordine ad aliud matrimonium contrahendum, quando emiſſū fuit conſtante primo matrimonio altero coniuge inconſulto.*

Non negauerim tamen, quod ſi quis conſtante matrimonio non vouerit abſolutè caſtitatem, ſed tantum non petere debitum poſſet, abſolutè Epiſcopus ſuper illo voto diſpenſare, adeout etiam diſſoluto priori matrimonio, & poſita illa diſpenſatione poſſet ille, qui ſic vouerat ad aliud matrimonium tranſire, & in hoc locum haberet ratio aduerſantium, quià illud votum non eſſet caſtitatis integræ, & totalis, cum non obligaret ad id totum, ad quod obligat eadem caſtitas abſolutè ſumpta, in voto autem caſtitatis non integrè, & totalis Epiſcopus ſua auctoritate ordinaria diſpenſat. 25

Excipe niſi emiſerit tātum votū de non petendo debito.

Hæc, quæ dicta ſunt, de voto, quando alter ex coniugibus vouit caſtitatem altero coniuge irrequiſito proportionaliter intelligenda ſunt quoad votum emiſſum alijs tribus modis in prima parte aſſertionis comprehenſum, & quidem, quod non poſſit in illo Epiſcopus abſolutè diſpenſare ipſum penitus abrogando in fortioribus terminis deducitur ex eiſdem dictis; ſi enim non poteſt diſpenſare, quando vnus tantum illud votum emiſit ſine licentia alterius, multo minus poterit diſpenſare, quando illud emiſit de conſenſu alterius, vel vterque emiſit, vel ſine licentia, vel cum licentia &c. Quòd verò poſſit diſpenſare quoad ius petendi debitum in ordine ad illud matrimonium iam antecedenter contractum, probatur primo, quando ab vno tantum emiſſum eſt de licentia alterius adhuc ille, qui vouit ad inſtantiam alterius poteſt, & tenetur reddere, nam licentia ad vouendum non plus tribuit voto, quam illi inſit ex natura ſua; tali autem voto emiſſo ab altero coniuge non ineſt obligatio abſtinendi à reddendo debitum, quando ab altero, vel petitur, vel exigitur, nec licentia præſtita per alterum cogniugem ad vouendum præſtat, vt præbens talem conſenſum priuatur iure ſuo cum per illam licentiam non renuntiare præſumatur, niſi expreſsè egerit; Neque dicas, quod illa licentia debeat aliquem effectum operari; nullum autem alium effectum poteſt præſtare, niſi quod priuet ipſum concedentem iure petendi, vel iure compellendi vouentem ad reddendum; contra enim impugnaberis, quià effectus,

Hæc verificantur, ſiuè conſtante primo matrimonio votū emiſſum fuerit ab altero etiam conſentiente altero coniuge.

quem præſtat illa facultas conceſsa, hic eſt, vt tollatur ambiguitas, quę eſt inter nonnullos exiſtimantes coniuges non poſſe vouere ſine facultate alterius coniugis, & votum ſine tali licentia præſtita poſse per alterum, qui non annuit, reuocari, poſita autem tali licentia non poteſt illud reuocari, non tamen per hoc tollitur, quod præbens talem conſenſum, ſeù licentiam priuetur iure ſuo ad petendum. Hac eadem ratione euincitur, quod poſsit diſpenſare Epiſcopus quoad ius petendi debitum etiam quando vterque emiſit votum caſtitatis, ſed vnus ſine licentia alterius, vel etiam cum licentia, ſed ſeorſim, & ſine mutua conuentione, quandoquidem quod vterque emiſerit votum caſtitatis ſolum efficit, quod neuter poſſit licitè petere, non autem, quod ſi ab altero petatur, poſsit alter debitum denegare, vndè quòd alter petat aduerſus votum caſtitatis, quòd emiſit, efficit quidem, quòd peccet, non autem, quòd alter eximatur ab onere reddendi, cum exigat ius matrimonij, vt ſcilicet neuter ex coniugibus poſsit ſe eximere per votum ab onere reddendi; quo ſuppoſito ſic arguo. Vbicumque pro ſtatu aliquo puta matrimoniali non eſt in coniugibus adæquatum onus, quod eximat ius petitionis, & redditionis poteſt Epiſcopus in tali onere diſpenſare, vt ſcilicet, ſi non ſit ablatum onus reddendi, etiam conferatur ius petendi, cum nullibi hæc poteſtas in Epiſcopo reperiatur denegata, & regularitèr omnes conſentiunt, quòd ſi vnus fuerit voto caſtitatis obſtrictus emiſsæ poſt coniugium poſsit ab eodem diſpenſari, vt petat, cum etenim reſeruatio ſit odioſa non debet intelligi niſi in caſibus à iure expreſsis, ergo &c.

26 **Poteſt Epiſcopus diſpenſare quoad petendum debitum in voto, etiā ſi matrimonium non fuerit conſummatum**

Difficultas ſolummodo quoad primam partem aſsertionis eſt, quando votum illud caſtitatis perpetuæ eſt elicitum poſt matrimonium quidem ratum, ſed ante conſummatum, an ſcilicet poſsit Epiſcopus diſpenſare etiam quoad petitionem debiti reſpectu vouentis. Ratio dubitandi in eo conſiſtit, quod cum ipſe vouens liber ſit ad ſe eximendum ab onere reddendi per ingreſsum in Religionem, & teneatur, quantum poteſt, caſtitatem ſeruare, videtur ex vi voti obligari ad ingreſſum, nec tunc ius matrimonij ius tribuit ad illam diſpenſationem, cum poſſit diſſolui per illum ingreſſum; Nihilominus cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim, qui vouit ante matrimonium conſummatum, animum habuit, & propoſitum in illo voto ingrediendi Religionem, quatenus ſcilicet conſtituerit quaſi vnum votum caſtitatis, & Religionis, & iuxtà hunc ſenſum exiſtimo non poſſe Epiſcopum diſpenſare ſuper iure petendi debitum; vel nec animum, nec propoſitū habuit in illo voto Religionem ingrediendi, & ſic ſentio vtique poſſe Epiſcopum diſpenſare. Ità in vniuerſum ſentire videntur *Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 11. n. 4. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 20. num 15., & 16.*

Dummodo vouens in voto non habuerit animum ingrediendi Religionē.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià illud votum eſt caſtitatis, & Religionis perfectæ, nec pugnat ſimul cum matrimonio, quandoquidem iſtud poteſt diſſolui per ingreſsum in Religionem, quam quodamodo vouit in illo voto caſtitatis perpetuæ, ergo Epiſcopus non poterit quoad illud votum diſpenſare etiam quoad petitionem. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià ex vi illius voti non tenetur ingredi Religionem, nec in illo voto includitur obligatio abſtinendi à redditione debiti, à qua ſolum poteſt ſe eximere per ingreſſum in Religionem, ad quem ex vi illius voti non tenetur, vt docent *Sanchez lib. 9. de matrimonio diſp. 35. n. 23. Baſilius Pontius lib. 8. de matrimon. c. 9. nu. 3. Ioannes Malderus de voto tract. 10. c. 5. dub. 7. §. 2. quæritur verſ. hæc quidem de voto emiſſo, Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuilegio ſect. 2. caſ. 20. nu. 15.*, ergo, cum teneatur reddere, poterit Epiſcopus cum illo etiam diſpenſare quoad petitionem.

Ratio ſecundæ partis aſſertionis, quando ſcilicet vterque votum caſtitatis emiſit cum mutua conuentione, & reciproca renuntiatione iuris petendi debitum ex eo euincitur, quià ex vna parte votum illud caſtitatis eſt votum caſtitatis integræ totalis, & perfectæ etiam quando vnus tantum vouit, & ſolum ſuſpenditur executio quoad onus reddendi debitum ratione vinculi præcedentis matrimonij, & ratione iuris alterius, ſed quando vterque per mutuam conuentionem ſibi adinuicem ius illud remiſit, ius alterius ceſſat, ergo remanet illud votum in ſuo integro eſſe, adeoque nō erit, cur Epiſcopus poſſit diſpenſare, adeoque pro diſpenſatione erit ad ſummum Pontificem recurrendum. Verum tamen eſt, quod ſi vrgeat periculum incontinentiæ in eiſdem coniugibus, nec facilis pateat aditus ad eundem Pontificem poterit Epiſcopus ſuper iure petendi, & reddendi debitum diſpenſare.

Conuentio facit votū remanere in integro ſuo eſſe.

ASSERTIO V. Probabilius poteſt Epiſcopus diſpenſare quoad ius petendi debitum cum eo, qui obſtrictus voto caſtitatis inijt matrimonium; item cum eo, cui ſuperuenit affinitas, & cognatio ſpiritualis cum ſuo coniuge. Ita quoad primam partem *Ioannes Andreas c. rurſus n. 6. Qui cleric. vel vouentes Brunellus de ſponſalib. concl. 31. num. 4. Roſella verb. impedimentum impedim. 4. num. 5. in fin. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 5. num. 3. Vgolinus de matrimonio c. 20. ſ. 10. Maior. in 4.* 27

Etiam ſi emiſerit votum caſtitatis ante cōtractum matrimonium.

diſt.

diſt.37. q.2. art. 2. contra ſecundam concluſionem, D Antoninus 3. parte tit. 1. c. 22 § 2. in fin. Sotus in 4 diſt. 37. q vnica art 1. in fine corporis, VeraCrux 1. part. ſpeculi art 15 in fin. Valentia 4 part. diſp 10 q. 5. punct. 5. in fin.

Item poteſt diſpenſare cum eo, cui ſuperuenit affinitas.

Quoad ſecundam *Paludanus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 3. concl. 2. n. 28., & concl. 3. nn. 29. Sotus in 4. diſt. 37. q vnica art 2. col 4. verſ. dubium autem, Corduba in ſuo quæſtionario lib. 1. q 12 art. 2. diſt 4., & 5. Metina 1. 2. q 97. art. 4. in fin. 3 concl. Petrus de Ledeſma de matrimon q. 58 art 4. dub. 2. verſ in huius rei explicationem, Siluester verb. matrimonium 8. q. 15. dict. 7. Viualdus candelab. ſacramenti 1 part., vbi de matrimon nu. 210. Sorbus in compendio priuileg. mendicant. verbo abſolutio quoad ſeculares 2. in reſolut. quas ibi ponit verſ. tertio aduertendum eſt.*

Et etiam cognatio ſpiritualis.

Quoad tertiam, *Paludanus loc. cit. q. 1 art 1. concl. 1. n. 6. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 15. §. 7., VeraCrux 1. part ſpeculi art. 57. verſ. ſed contra, Valentia 4 part. diſp. 10 q. 5. punct. 5. in fin Ludouicus Lopez 1 part. inſtruct c. 85. col. 2. verſ præterea, ſi coniux, Graffius 1. part. deciſ lib. 2. c. 83. nu. 12. Nauarrus in ſumma c. 16. n 34. verſ. interrogatus autem.*

Prima pars, quæ tamen non procedit de iure ordinario, prout optimè notant *Azorius tom. 1 lib. 11. c 19 q. 8. Toletus lib. 4. c. 18. n 1. diff 2 Graffius in deciſ part. prima lib. 1 c 13 num. 80 Gutierez qq canon lib 1 cap. 29. n 17. Diana part. 1. tract. 11. reſol. 66.*, ſed vigore conſuetudinis, quæ eidem hanc facultatem attribuit, facilè euincitur ex communi praxi, ſecundum quam omnes Epiſcopi ſcientibus Pontificibus, & non reclamantibus quoad hoc ius petendi diſpenſant; conſuetudo autem præſcripta iuriſdictionem præbet per textum *in c. cum coniugati de for compet.*, & quidem iuxta rectam rationem inducta eſt quoad originem, & continuationem hæc conſuetudo, & praxis, quandòquidem paſſim poſſent coniuges periculo incontinentiæ ſubeſſe, ex quo &c.

Hanc etiam facultatem diſpenſandi ex priuilegijs competere inter coniugatos quoad hoc ius petendi debitum non obſtante voto docent communitèr ſcribentes, & inter alios *Sanchez de matrimonio lib. 8 diſp. 13 n 4.*

Solum difficultas hic remanet diſcutienda, an hæc facultas, quæ ex conſuetudine competit Epiſcopis diſpenſandi inter coniuges, quorum alter ante matrimonium obſtrictus erat voto caſtitatis, eidem competat ſolummodò, quandò matrimonium iam conſummatum eſt, an verò etiam, quando eſt ratum. Iuxtà ſuperius dicta exiſtimo extendi etiam, quandò præcisè matrimonium eſt ratum; *Manuel 1 tom ſumma 2. edit. c. 241. num. 2. Sanchez de matrimonio lib 8. c. 12. n. 6.* Ratio ex eo deducitur, quià qui vouit caſtitatem, & poſteà contraxit matrimonium non teneretur ingredi Religionem, quià hanc non vouit, & non ingrediens Religionem teneretur alteri petenti reddere, ergò Epiſcopus poteſt diſpenſare quoad eundem vouentem in iure petendi debitum, ſicuti in alijs ſimilibus in præcedentibus diximus, & exiſtimo etiam quoad hoc etiam conſuetudinem legitimè præſcriptam.

Alia difficultas remiſſiuè ad ſuperius dicta.

Secunda pars ex eo euincitur, quià praxis obtinuit, vt Epiſcopos nullo penitus diſceptante circa huiuſmodi affinitatem ſuperuenientem matrimonio diſpenſet ſic exigente quodamodo fortiori vinculo matrimonij quo perſeuerante æquum eſt, vt Epiſcopus diſpenſare valeat, & paſſim pericula incontinentiæ contingerent, ſi ſemper ad Romanum Pontificem eſset pro hac diſpenſatione confugiendum; Neque ex hoc arbitrandum eſt, quod ſolum in caſu periculi incontinentiæ imminentis poſſit Epiſcopus beneficium diſpenſationis impertiri; Non, inquam, arbitrandum eſt, quià quantumvis fortè conſuetudo initium duxerit ex eo periculo imminenti, vſus tamen ſucceſſiuè inualuit, vt etiam ſine tali periculo, licet facilis eſset aditus ad Pontificem pro diſpenſatione, paſſim diſpenſet; & quidem clarè hoc euincitur, quià, ſi tantum poſset diſpenſare in caſu illo extremæ neceſsitatis ob periculum eo, quià facilis non eſset aditus ad Pontificem, modo nunquam poſset diſpenſare, cum Summi Pontifices Regularibus ſucceſsiuè conceſserint priuilegium diſpenſandi ſuper huiuſmodi affinitate, vndè cum facilis ſit acceſsus ad iſtos, ceſsaret ius in Epiſcopo ſic diſpenſandi. Hoc priuilegium conceſsit *Pius V. ordini Prædicatorum*, vt habetur *in compendio minorum tit. Diſpenſatio poſt adnotationem Capucini, & Iulius II. ordini Sancti Benedicti*, vt habetur *in compendio Societatis Ieſu tit. diſpenſatio §. 3, & in compendio minorum, vbi ſupra*, quo priuilegio gaudent omnes Regulares communicantes. Id ipſum conceſſum eſt ad eundem effectum in foro conſcientiæ cum ijs, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contraxerunt, *Pius V. Franciſcanis de obſeruantia, vt dicitur in compendio Societ. Ieſu tit. diſpenſatio §. 4., & in compendio minorum tit. diſpenſatio poſt adnotationem Capucini.*

28 Competit etiam regularibus ex priuilegio.

Hic oritur ſolummodò difficultas, an ſi contigerit, quod vterque coniux poſt contractum matrimonium contraxerit affinitatem alter ſcilicet per copulam cum conſanguineis alterius, & iſte per copulam cum conſanguineis illius poſſit Epiſcopus cum vtroque diſpenſare. Videtur prima fronte abſolutè dicendum hoc non poſse Epiſcopum præſtare, tum quià conſuetu-

Digitized by Google

29 Poteſt etiã Epiſcopus diſpenſare in affinitate ſuperuenienti in vtroque coniuge.

do hoc non videtur obtinuiſſe; tum quià, quandò alter non habet ius petendi, nec poteſt licitè petere, ceſſat ratio, ob quam Epiſcopi diſpenſant, cum alter etiam ratione ſimilis criminis priuatus intelligatur etiam iure vſus coniugij. Nihilominus abſolutè ſentio, poſſe etiam Epiſcopum in hoc caſu diſpenſare. Ratio eſt, quià adhuc viget vinculum indiſſolubile matrimonij, nec video, cur, ſi poteſt quoad vnum, non poſſit etiam quoad vtrumque; nec ratio oppoſita aliquid euincit, quià licet fortior ratio vrgeat, quandò vnus ius habet ad petendum debitum, cui alter tenetur reddere, non tollitur tamen, quin conſtante matrimonio ſufficiens ſit ratio ad diſpenſandum, licet vterque ius amiſerit ad petendum, quià ratio diſpenſationis eſt ius matrimonij adhuc cõſtantis, ea proportionali ratione, qua diximus poſſe diſpenſare, quando vterque poſt matrimonium contractum vouit caſtitatem, non tamen cum mutua conuentione, & reciproca renuntiatione iuris petendi, vterque etenim ex illo voto priuatur iure petendi, & tamen Epiſcopus cum vtroque diſpenſat.

Tertia pars ex eodem fundamẽto euincitur, quia ita obtinuit conſuetudo, & cõmunis praxis; quinimmo aliqui docent cognationem ſpiritualem ſuperuenientem matrimonio non priuare iure petendi, quod tamen non auſim dicere.

30 Etiam ſuper iuramenta promiſſoria, & vota iuramento firmata.

Assertio VI. Facultas, quæ competit Epiſcopis diſpenſandi ſuper vota, competit etiam eiſdem diſpenſandi ſuper iuramenta promiſſoria Deo facta, & etiam ſuper vota iuramento firmata, quando votũ, & iuramentum comitanter ſe habent, & alterum factum eſt Deo ſine cogitatione alterius, *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6 de voto c 14. n. 19. & ſeq. Baſilius Pontius de matrim. lib 8. c. 11. n. 4., & ſeqq. Sanchez lib. 4 ſummæ c. 35. n 20. & c. 54. n. 21. Fillincius tom. 2. tract. 26. c. 9. n 256.*, & ex noſtris *Hombonus prima part. examinis tract. 7. c. 12. q. 57 Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect. 2. caſ. 5. n. 21.*

Pro notitia aduerte, conuenientiam, & diſconuenientiam, quam ſeruant ad inuicem, & ab inuicem votum, & iuramentum. Conueniunt primo in eo, quod vtrumque reſpicit immediatè honorem Deo debitum, & Dei cultum. Secundò in eo, quod vtriuſque obligatio cauſatur ex aliquo diuino, vt notat *D. Thomas* 2. 2. q 89. *art. 8. in corpore.* Tertio quod vtrumque obligat vouentem Deo, & deficientẽ conſtituit reum ſacrilegij. Quarto, quod vtrumque pertineat ad eandem virtutem Religionis. Differunt verò primo, quod votum eſt eſſentialiter, & per ſe, & directè promiſſio facta Deo; iuramentum autem ex genere ſuo eſt conteſtatio, quæ fit per Deum, ſeu inuocatio Dei in teſtem veritatis, vel promiſſionis etiam factæ homini. Secundo ex parte modi, nam obligatio voti oritur ex fidelitate, ratione cuius tenemur ea, quæ Deo promiſimus obſeruare: obligatio autem iuramenti oritur ex reuerentia, quam ei debemus, ne ſcilicet, quantum eſt ex parte noſtra, eum teſtem falſi conſtituamus.

Cõuenientia, & diſconuenientia iuramẽti cum voto.

Aduerte vlterius quaſi dupliciter poſſe concipi iuramentum; primo prout nec explicitè, nec implicitè inuoluit votum, quatenus quis iurat ſe aliquid facturum non reſpiciendo Deum, quatenus eidem offerat rem iuratam, ſed illum præciſè afferendo in teſtem ſuæ aſſertionis, qua ſe obſtringit ad opus illud efficiendum; ſecundo quatenus vel implicitè, vel explicitè inuoluit etiam votum; hoc autem multis modis poteſt contingere; primo quatenus prius quis iuret aliquod opus ſe facturum, deinde illud idem memor iuramenti voueat. Secundo, quatenus prius iurat, deinde immemor iuramenti voueat opus illud iuratum. Tertio, ſi prius voueat opus pium, deinde in confirmatione etiam iuret. Quarto, quatenus prius voueat opus pium, deinde immemor illius voti, nec de illo cogitans iuret ſe opus illud facturum. His ergo pro notitia ſuppoſitis

Quomodo iuramentũ poſſit concipi.

Probatur primo, quod facultas competens Epiſcopis diſpenſandi in votis, extendatur etiam ad iuramẽta eiuſdem materiæ facta Deo, ſeu in obſequiũ Dei ſine voto, primo ex eo quod relaxare huiuſmodi iuramenta, puta caſtitatis perpetuæ, & Religionis, non eſt Pontifici reſeruatũ, ſicuti eſt reſeruatũ relaxare abſolutè vota caſtitatis, & Religionis, *Malderus de virtutibus tract. 10. c. 6. dub. 11. Bonacina de præceptis diſp 4 q 1. punct 17. n. 9. verſic. additam. Tabiena verb. iuramentum n. 32. Nauarrus lib. 2. conſil. conſ. 1. de iureiuran. edit. 2. Sanchez lib 8. de matrimon. diſp. 13. & lib. 3. ſummæ c. 19. n. 6.* Ergo &c. Antecedens probatur, quia Pontifex ex conſuetudine legitimè præſcripta ſibi ſolum reſeruat vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis; à diuerſo autem ad diuerſum non fit legitima illatio, maximè in odioſis, & à maiori ad minus; in præſenti autem fieret extenſio à maiori ad minus, & vtique in materia odioſa, qualis eſt illa reſeruationis, ſiquidem maior eſt obligatio voti, quam iuramenti promiſſorij, vt latè probat *Ioãnes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi priuil. ſect. 2. caſ. 5. n. 4.*, & præcipuè ex eo, quod erga Deum plus obligat fidelitas, quam reuerentia communi aliquo modo debita argumento à contrario ſenſu deducto, quia ſcilicet infidelitas fidelitati contraria peior eſt quam irreuerentia cõmuni modo dicta; irreuerentia etenim in infideli-

Iuramentũ non ita reſeruatur Pontifici, ſicuti votum.

tate

Digitized by Google

tate includitur.

Probatur ſecundo quoad idem, quia dato etiam quod relaxare huiuſmodi iuramenta Religionis, & caſtitatis perpetuæ eſſet reſeruatum Pontifici, ſicuti eſt reſeruatum eidem relaxare vota in ſimili genere, in ijs tamen caſibus, in quibus eſt conceſſa facultas Epiſcopis diſpenſandi ſuper huiuſmodi vota nō eſt aliqua ratio, quæ excludat in eiſdem facultatem diſpenſandi etiam ſuper huiuſmodi iuramētis, cum votum, & iuramentum pium in iure æquiparentur, pertineant ad eandem virtutem Religionis, & vtriuſque obligatio oriatur erga Deum. Confirmatur, quia propter eandem rationem, propter quam eſt Pontifici reſeruatum diſpenſare ſuper vota Religionis, & caſtitatis perpetuæ, eſt etiam reſeruatum diſpenſare ſuper iuramentis huiuſmodi, ex ſuppoſitione quod hoc ſit reſeruatum, nec aliam rationem aſſignant DD. aſſerentes hoc etiam reſeruari, *Caietanus ſecunda ſecundæ q. 89 art. 9. Sotus de iuſtitia lib. 7. q. 1. art. 9 Rodriguez prima part. ſumma c. 192. n. 10. Azorius prima part. lib. 11 cap. 10 q. 2. Valentia tom. 3. diſp 6 q 7. punct 4. verſ. notandum eſt, Laiman lib 4 tract. 3. c 11. n 4.* ergo in ijs caſibus, in quibus Epiſcopus poteſt diſpēſare in huiuſmodi votis, poterit etiam diſpenſare in iuramentis ſimilis materiæ militantibus eiſdem rationibus, quia ſicuti per eaſdem cauſas, propter quas vinculū inductum eſt, etiam diſſoluitur: ita per eaſdem cauſas, propter quas quid reſeruatur, etiam reſeruatio dimittitur.

Ius diſpenſandi ſuper vota videtur extendi ad iuramenta in eodem genere.

Ex quibus inferes, quod ſicuti Epiſcopus poteſt diſpenſare in votis caſtitatis perpetuæ, & Religionis, ſiue conditionalibus pœnalibus, ſiuè purè conditionalibus, aut ante, aut poſt adimpletam conditionem per ea quæ ſupra probauimus, ita etiam poſſit diſpenſare etiam in huiuſmodi iuramentis pœnalibus, aut conditionalibus ex ſuppoſitione, quod iſta abſoluta reſeruentur Romano Pontifici, nā ſi nō fuerint reſeruata iſta abſoluta, multo minus erunt reſeruata pœnalia, & conditionalia.

Probatur tertio, quando iuramentum inuoluit votum, ſeu illud præſuponit, quia vel eſt acceſſorium voto, quatenus addatur in ipſius confirmationem, vel eſt per ſe adiectum independenter ab illo, quatenus iurans ſit immemor voti antecedēter emiſſi; ſi primo modo ſumatur, tunc non eſt neceſſaria, niſi diſpenſatio ſuper voto, ſiquidem ſublato principali ex natura ſua definit acceſſorium, ergo cum Epiſcopus ſupponatur poſſe in voto diſpenſare vtique per talem diſpenſationem, ſi illam impertiatur, deſtruet & iuramentum per ſubtractionem materiæ illius; ſi ſecundo modo ſumatur, ſicuti poteſt iuramentum per ſe ſolum abrogare per diſpēſationem, ita poterit & votum per ſimilem diſpenſationem tollere, quia neutrum in ea hypotheſi intelligitur reſeruatum. Verum tamen eſt, quod tunc requiratur duplex diſpenſatio, vel formaliter, vel æquiualenter, & tunc ne diſpenſatio ſit ſubreptitia, erit neceſſaria vtriuſque vinculi expreſſio.

31 Poteſt etiā in voto alternatiuo caſtitatis, vel alterius operis diſpenſare

ASSERTIO VII. Poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto diſiunctiuo, ſeu alternatiuo caſtitatis perpetuæ, & Religionis, vel alterius operis non reſeruati, ſiue ante electionem alterius ex illis operibus, ſiuè poſt electionem voti caſtitatis, ſeu Religionis. Ita quoad primam partem *Azorius prim. part. lib. 11. c 19 q. 10. Sairus lib. 7. clauis c. 11. n 61. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto c. 24. n 1 Ioannes Malderus de virtut tract. 10 c. 5. dub 10. verſ 4 quando, Bonacina de preceptis diſp. 4 q. 2 punct 7 §. 4 n. 18. verſ. octauo quando, Bartholomæus à S. Fauſto lib. 3. theſaur. Relig. q 75. Baſilius Pontius de matrimon. lib 8. c. 8. §. 2. num 11. Alphonſus Leo de Iubilæo part. 2. qu. 13. ſect. 1. n. 91. Ioannes Angelus Boſſius de tripl Iubil. priuileg ſect 2. caſ 11. n. 4.* Quoad ſecūdam idem *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. nu. 7.*

Ratio primę partis ex eo deducitur, quia qui vouit diſiunctiuè, vel caſtitatē, vel aliquod opus piū nō reſeruatū nō obligatur determinatè ad caſtitatē, quinimmò illud votum non eſt ſimpliciter caſtitatis, cum ipſe vouens poſſit eligere opus non reſeruatum, quippe in alternatiuis electio eſt debentis, nec vtrumque eſt adimplendū, ſed ſufficit alterum adimpleri per textum *in reg. in alternatiuis de reg iur. in 6.*, ergo Epiſcopus diſſoluendo per diſpenſationē onus ad opus non reſeruatum eximet vouentem ab onere vtriuſque partis diſiunctiuè propoſitæ, ſiquidem poterat eligere partem non reſeruatam.

32 Intelligo quando nō facta fuerit noua promiſſio Deo materię non reſeruatæ.

Ratio ſecundæ partis, quæ tamen procedit in ſuppoſitione, quod non fuerit facta noua promiſſio Deo materię non reſeruatæ, ſic deducitur, quia ſtante illa electione materiæ reſeruatæ cōſiſtente in propoſito licet efficaci, ſine noua tamen promiſſione eiuſdem materiæ, adhuc liberam eſt re integra permanente vouenti, & eligenti à tali electione deſiſtere, quantum eſt ex natura rei, & ex iure naturæ, ergo adhuc Epiſcopus poterit ſuper illo voto diſiunctiuo diſpenſare, ſiquidem redactis rebus in priori ſtatu per illam voluntatis mutationem Epiſcopus poteſt facere quidquid antea poterat efficere. Antecedens probatur, quia nudum propoſitum ſecundum ſe aliquid efficiendi in obſequium Dei, dummodo illud ſit ſine promiſſione non obligat ſub lethali ad illud efficiendum, ergo poſito voto alternatiuo, &

poſteà

poſtea electione ad vnã partẽ per nudum propoſitũ ſine noua promiſſione non obligabitur vouẽs,& eligẽs ſub lęthali ad partem, quam elegit per nudum propoſitũ, ſed mutata voluntate poterit citra peccatũ reaſſumere partem, quam non elegerat, ſiquidem, ſi nudum propoſitum poteſt omitti ſine peccato,cũr non poterit omitti electio facta per nudum propoſitum?

Dices primo, quod dato etiam, quod nudum propoſitum ſine promiſſione non obliget ſub læthali, obliget tamen illa electio materiæ reſeruatæ in voto alternatiuo præcedenti, quandoquidem ipſa electio determinat materiam indifferentem ad reſeruatum,& non reſeruatum ad materiam reſeruatam, & ſic efficit, quod vigeat illa promiſſio præcedens indiferens in materia determinata electa, ſicque fit votum determinatum reſeruatum. Sed contra, quia illa electio, cum conſiſtat in nudo propoſito non obligat eligentem ad perſeuerandum in ipſa, cum ex genere ſuo re integra permanente ſit reuocabilis; nudum enim propoſitum aliquid efficiendi, quantumuis in voluntate efficaci conſiſtat,non obligat ad illud opus, ſicque nec obligat ad partem operis, quod promiſſum eſt ſub diſiunctione. neque obſtat, quod referatur ad promiſſionem præcedentem, quam determinat, quæque propterea vigeat, ac ſi fuiſſet determinata ab initio; Non obſtat, inquam, quia electio non plus præſtat, quam nudum propoſitum, quod, ſicuti quando eſt ſine promiſſione eſt reuocabile circa quodcunque opus propoſitum, ita etiam eſt reuocabile circa electionem operis promiſſi ſub diſiunctione,ſicque poſita reuocatione reducitur ad priorem ſtatum voti diſiunctiui, à quo poteſt Epiſcopus per diſpenſationem liberare.

Nudum propoſitũ eſt reuocabile.

Dices ſecundo. Debitor alternatiuus declarans creditori partem,quam elegerit non poteſt poſtea reſilire per regulam iuris in ſexto: *Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt*, ergo etiam debitor erga Deum ratione voti de opere ſub diſiunctione promiſſo facta ſemel electione, quæ vtique ipſi Deo innoteſcit, non minus,ac creditori homini innoteſcat voluntas debitoris per declarationem expreſſa non poterit amplius ab illa electione reſilire. Sed contra, quia quidquid ſit de iure poſitiuo, certum eſt, quod declaratio etiã facta homini propoſiti electiui,dummodo non ſit cum promiſſione ex natura rei, & ex iure naturæ non pariat obligationem talem, vt re integra non poſſit à tali electione reſilire, vt bene notat *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. n.7.* Quod ſi deinde ius poſitiuum non admittat talem retractationem,hoc eſt,quia præſumit in tali propoſito de promiſſione.

Declaratio propoſiti electiui dummodo non ſit cũ promiſſione non parit obligationem ſtrictam.

Dices tertio,huiuſmodi electio eſt quaſi noua voti reſeruati emiſſio, ergo periude erit, ac ſi votum reſeruatum determinatum eliceretur,ergo non poteſt Epiſcopus in illo diſpenſare. Sed contra gratis omnino dicitur, quando nõ eſt cum noua promiſſione, quod ſit noua voti reſeruati emiſsio,quia non ſtat votum ſine promiſſione, nec propterea noui voti emiſsio, ſine noua promiſsione.

Fateor, quod ſpeculatiuè loquendo ea, quæ dicta ſunt in hac ſecunda parte aſſertionis, poſſint ſubſiſtere; cæterum practicè loquendo non recederem à contraria opinione propter rationes, quas in inſtantijs aduerſus illam inſinuauimus, maximè cum difficile videatur,quod eligens poſſit habere voluntatem efficacem in actu exercito ad partem reſeruatam ſine promiſſione ſaltem implicita eiuſdem, vel ſaltem ſine renouatione prioris promiſſionis ad illam partem determinatam.

33 Procedit ſpeculatiuè,non practicè.

Hic oritur difficultas, an ſi quis vouerit alternatiuè; vel ſub diſiuncto materiam reſeruatam, & non reſeruatam,& antecedenter ad electionem materia non reſeruata facta fuerit impoſſibilis,puta ſi vouerit caſtitatem, vel eleemoſinam pauperibus erogandam, & ante electionem factus fuerit pauper, ita vt nequeat eleemoſinam illã erogare,obligetur determinatè ad caſtitatem ſeruandam, adeout nequeat per Epiſcopum ſuper illa diſpenſari. Exiſtimant *Bonacina de præceptis diſp.4. qu.2. punct.7.§.4.n.18. Alphonſus Leo de iubil.par. 2 q.13.ſect.1.n 91. Fillintius tom 2. tract. 26. c.10. n.172.* non poſſe Epiſcopum in ea hypotheſi diſpenſare, quandoquidem facta impoſſibili materia non reſeruata obligatio reſtringitur ad votum reſeruatum determinatè,quod ex vi ſua eſt adimplendũ: votum autem determinatum caſtitatis eſt Pontifici reſeruatum. Nihilominus probabilius ſentiunt non eſſe reſeruatum,ſed poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, *Ioannes Angelus Boſſius de tripl Iubilæi priuil ſect.2.caſ. 11. n.10. Sanchez lib.8 de matrimonio diſp. 9. n.14. Aſcanius Tamburinus tom.2. de iur. Abbat. diſp.15 q 8. n.5. Paulus Laiman lib. 4. tract.4 c.8. n.12.* Ratio ex eo deducitur, nam in primis certum non eſt,quod tunc vouens præcisè obligetur ad materiam reſeruatam; quandoquidem vouit ſemper cum ordine ad eligendum, quod maluerit, quo propterea ordine ſublato per impoſſibilitatem ſuperuenientem materiæ non reſeruatæ poteſt nolle eligere, & velle materiam reſeruatam, quod confirmari poteſt ex eo,quod ſi vouerit ſub diſiuncto materiam reſeruatam, vel non reſeruatam, & pro eo tempore voti emiſſi materia non reſeruata fuerit inepta,& impoſſibilis non tenetur ad materiam reſeruatam, prout docent *Ioannes Angelus Boſ-*

34 In voto alternatiuo facta impoſſibili materia nõ reſeruata poteſt Epiſcopus diſpenſare in reſeruata.

ſius

ſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 11. n. 12. Bonacina d. diſp. 4. q. 2. punct. 7. §. 5. n. 1. quod non alia ratione ſtatuunt, niſi quia in diſiunctiuis, licet obligatio cadat ſupra vtramque partem, tamen vouenti liberum eſt eligere quamcunq; partem maluerit, nec ad certam partem ſe obligauit præcisè; hæc autem eadem ratio militat etiã, quando ante electionem materia non reſeruata facta eſt impoſſibilis, licet poſt votum, quandoquidem adhuc liber eſt ad eligendum, quæ libertas, cum auferatur ratione inhabilitatis vnius partis ſuperuenientis, æque tollitur, ac tollatur, quando adeſt ipſa inhabilitas in ipſa emiſſione voti, licet fuerit tunc ignorata. Deindè dato etiam, quod obligetur tunc ad materiam reſeruatam id non prouenit ex vouentis intentione, & ex natura eiuſdem votis, quod ex ſe nunquam obligauit ad partem reſeruatam, ſed ſolum per accidens ex impoſſibilitate ſuperueniente materię non reſeruatæ, ergò cum deficiat à vera intentione vouentis, & per conſequens à perfecta ratione voti non cadet propriè ſub reſeruatione, quæ vtpotè odioſa non extenditur vltra actus perfectos in tali ratione.

Adhuc vouens liber videtur.

35 Poteſt diſpenſare in pluribus votis, quæ ſecundum ſe vnitim ſumpta obligant ad caſtitatem perfectam.

Assertio VIII. Regularitèr loquendo poteſt Epiſcopus diſpenſare in pluribus votis, quæ ſeorſim ſumpta non conſtituunt ſecundum ſe caſtitatem perfectam, & completam, vnita tamen ſeù ſimul ſumpta obligant ad caſtitatem perfectam, & ad omnes actus ipſius *Sanchez lib. 4. ſummæ c. 40. nu. 68. Alphonſus Leo de Iubilæo part. 2. q. 13. ſect. 2. n. 104. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 20. nu. 7.*

Ratio ex eo deducitur, quià quodlibet ex illis votis ſeorſim ſumptis eſt per Epiſcopum diſpenſabile, ſiquidem quodlibet ſecũdum ſe non eſt votum caſtitatis integræ, & totalis, ergò omnia, quantumuis vnita, erunt per eundem diſpenſabilia. Conſequentia probatur, quià quantumuis ſint vnita, & omnia ſimul obligent ad caſtitatem perfectam, & ad omnes actus ipſius, nihilominus poteſt ſingula eorum accipiendo ſuper eiſdem diſpenſare; v. g. quis vna vice vouit non nubere, deindè alia vice non fornicari, & alia vice non committere alia peccata venerea; cur accipiendo prius votum non nubendi ſecundum ſe non poterit ſuper illo diſpenſare? poſita autem ſuper hoc diſpenſatione alia vota non obligant ad caſtitatem integram, & perfectam; cur ergò non poterit ſuper illis diſpenſare? Neque dicas, tunc omnia vota ſe habere per modum vnius adæquati, & completi, & ſic quamuis ſingula ſecundum ſe ſint diſpenſabilia, vnita tamen, cum æquivaleant vni voto, non poſſe diſpenſari; contrà enim impugnaberis, quià omnia vota ſucceſſiua per accidens ſe habent ad prius, & ſic per accidens vniuntur, non autem per ſe ad conſtituendum quid vnum per ſe. Verum tamen eſt, quòd, ſi vouens vltimum votum emiſerit hac formali intentione; vt per illud ſe obligaret ad perfectam caſtitatem, tunc non poſſet Epiſcopus ſuper illo diſpenſare, quià in illo vno omnia comprehenderentur, quæ fuerunt in prioribus præhabita, & ſic illud per ſe contineret perfectam caſtitatem.

Poteſt diſpenſare deſtruendo ſingula ſeorſim ſumpta.

Si tamen per vltimũ votum intelligeret ſe ad perfectam caſtitatem, obligare tunc non poſſet Epiſcopus diſpenſare.

Assertio IX. Regularitèr in arduis non poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi interpretari, ſicuti interpretatur Pontifex in toto orbe.

Ratio ex eo deducitur, quia non eſt præſumendum, quod Deus ea, quæ ſibi reſeruauit peculiari iure, quæque ardua ſunt, nec conceduntur niſi grauiſſima ex cauſa, voluerit alijs à Romano Pontifice ſpeciali ipſius voluntatis interprete committere, ergò ex præſumpta Dei voluntate non poſſunt Epiſcopi ſuper ijs interpretari; hac ratione diximus in præcedentibus non poſſe Epiſcopum, ea quoad ſuos ſubditos, quæ poteſt Pontifex in toto orbe circa matrimonium ratum, vt diſſoluatur, vel circa vota ſolemnia annexa, vel ſacris ordinibus, vel profeſſioni Religioſæ, prout ſentit *Sanchez de matrimonio lib. 2. diſp. 14. n. 5. ad octauum.*

36 In arduis non poteſt Epiſcopus in lege ſuperioris interpretari.

Assertio X. In legibus Pontificum, & Conciliorum in quibus, nec expreſsè permittitur, nec prohibetur diſpenſatio regularitèr nequeunt Epiſcopi diſpenſare niſi in caſu vrgentis neceſſitatis, *Lignado c. at ſi clerici, § de adulterijs de iudic., & ibi Abbas n. 9. Baldus l. omnes populi n. 8. ff. de iuſt. & iur. Romanus ſingular. 486. Speculator tit. de diſpenſat. § nunc de Epiſcoporum n. 30. in fin. Felinus c. 1. fallent. 7. de conſtit. Alilis in repert. verb. diſpenſare poteſt Epiſcopus, Lambertinus de iure patronatus lib. 2. part. 1 q. 7. art. 19. n. 2. Gutierez qq. canon. lib. 1. c. 23. n. 18. Gratianus reg. 433. n. 8.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià inferior, vbi eidem non committitur, nullum ius habet in lege ſui ſuperioris, & regula generalis eſt, quod eius ſit ſoluere legem, cuius eſt condere *Archidiaconus in cap. licet caro de elect. in 6. Abbas c. cum dilecti n. 10. de elect. Felinus c. at ſi clerici n. 5. de iudic. Rebuffus tract. nominationum q. 5. nu. 32. Couaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. in princip. n. 15. & §. 10. n. 1. Gutierez lib. 1. qq. canon. c. 5. n. 10.*, ergò Epiſcopus, vtpotè inferior ad Pontificem, & concilium generale non poterit in legibus eorundem diſpenſare, quandò nec expreſsè eidem permittitur, nec prohibetur; Neque dicas, quod vbi Pontifices, & concilia nolunt Epiſcopos in ſuis legibus diſponere, ſeù diſpenſare, expreſſe eis prohibeant, vel ſibi ſpecialitèr reſeruent, vt con-

37 In legibus Pontificũ, & Conciliorum, in quibus nec expreſſè permittitur, nec prohibetur, diſpenſatio, non poteſt Epiſcopus diſpenſare.

Digitized by Google

quaque perfectum, & præcipuè in ſua radice, adeoque &c.

Dices vlterius. Qui curat Clericum occidi, vel ſimoniacè vendit beneficia ſub conditione, purificata conditione, & ſecuta percuſſione, vel venditione non ſolum incurrit excommunicationem, ſed etiam contrahit reſeruationem, & tamen voluntas, qua mandauit, vel vendidit, fuit conditionata, & in radice inuoluit illam imperfectionem, ergò etiam, qui vouit ſub conditione de futuro, quantumvis voluntas in ratione conditionis fuerit imperfecta, purificata conditione obligabitur, & obligatio cadet ſub reſeruatione, cum reſpectu vtriuſque res ſit odioſa, & pænalis. Sed contrà hac ratione etiam euinceretur, quod Epiſcopus non poſset diſpenſare in voto pænali conditionali, quandòquidem per adimplementum conditionis iam completum eſt votum, quod tamen negant auctores huius inſtantiæ. Quamobrem reſpondendum eſt iura in huiuſmodi pænis attendere ſolam facti veritatem, quæ vtique habetur ſuppoſito adimplemento conditionis; in reſeruatione autem poteſtatis diſpenſandi in votis reſpiciunt perfectionem huiuſmodi votorum non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam quoad radicem, adeoque &c.

Excluditur paritas.

22 **Intellige, niſi conditiones inſint ex natura ſua, quia tunc Epiſcopus non poterit diſpenſare.**

Hæc, quæ hactenus dicta ſunt de votis conditionalibus pendente conditione de futuro, & etiam purificata eadem conditione, intelligenda ſunt, quando illa conditio ex natura ſua tacitè non ineſt, & non apponitur diuerſo modo ab eo, quo ineſt, ſi enim ex genere ſuo tacitè inſit non ſuſpendit actum, nec propriè conſtituit votum conditionale; hac ratione non eſt votum in rigore conditionale, nec in eo Epiſcopus habet facultatem diſpenſandi, ſi quis ità voueat *Promittò ingredi Religionem, ſi vixerò, vel ſi potuero, vel ſi ſuperior conſenſerit*, quià huiuſmodi conditiones tacitè inſunt, vel ex natura rei, vel ex diſpoſitione iuris; tacitæ autem conditiones inexiſtentes, ſiuè exprimantur, ſiuè non exprimantur, dummodò non exprimantur ſub diuerſa ratione, qua inſunt, non ſuſpendunt *l. conditiones extrinſecas, & l. aliquando. ff de condit., & demonſt. Sanchez lib 4. ſummæ c 40. n 94. Filliutius part. 2. tract. 26. c. 6. n. 249.* Item intelligenda ſunt, quando conditio eſt de futuro, non autem, quandò de præſenti, vel de præterito, prout docet *Sanchez de matrimon. lib* 8. *diſp.* 10. *nu* 14., quià tunc votum eſt abſolutum, nec ab aliqua conditione ſuſpenditur, ſi etenim illa conditio verè ſit, vel fuerit, erit verum, ſi non ſit, vel fuerit, euaneſcet, & hoc verum eſt, ſiuè vouens fuerit conſcius exiſtentiæ conditionis præſentis, ſiuè præteritæ, ſiuè ignarus per textum *in l. cùm ad præſens, & duplici ſequenti ff ſi certum petatur*; & licet hæc appoſitio conditionis videatur aliquam imperfectionem in radice actus apponere, cum tamen non habeat ſuſpendere actum pro nihilo reputatur.

23 Poteſt poſt matrimonium diſpenſare in voto caſtitatis ad effectum petendi debitum.

Assertio IV. Poſt contractum matrimonium, ſiuè illud fuerit conſummatum, ſiuè non, poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis, ſiuè ab altero tantum, ſiuè ab vtroque coniuge emiſſum non abſolutè, ſed quoad effectum petendi debitum, quotieſcunque poſt tale matrimonium non fuerit, ab vtroque emiſſum cum reciproca conuentione ſeu expreſſa renuntiatione iuris petendi debitum. Ità quoad primam partem *Aragonius* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 8. *in fin. Sanchez lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 11. *à num.* 4. *ad octauum Bartolomæus à Sancto Fauſto lib* 3. *Theſauri Religioſ quæſt.* 78. *Baſilius Pontius lib* 8. *de matrimon c.* 9. *n* 2. *Ioannes Angelus Beſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect.* 2. *vaſ* 20. *n.* 13., qui tamen diſcrepant in eo, quòd ſentiunt etiam poſſe abſolutè diſpenſare. Quoad ſecundam præter mox allegatos DD *Laiman. lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 8. *num* 15. *Sanctarellus de Iubil. c.* 9. *dub.* 3. *Nauarrus c.* 12. *nu.* 59. *verſ. trigeſimo ſecundo*.

Varij modi, quibus poteſt emitti votũ poſt contractum matrimonium.

Vt clarius hac in re procedamus aduertendum eſt cum *Sanchez d. lib.* 8. *diſp.* 11. *n.* 1. poſt contractum matrimonij multipliciter poſſe emitti à coniugibus votum caſtitatis, & primo ab altero coniuge tantum ſine licentia alterius; ſecundo ab vno tantum, ſed de licentia alterius. Tertio ab vtroque, ſed ſine licentia reſpectiuè ad vtrumque. Quarto, ab vtroque ſeorſim, & cum licentia alterius, non tamen per modum contractus. Quinto, ab vtroque cum reciproca conuentione, & expreſſa renuntiatione iuris. Prima pars aſſertionis comprehendit quatuor primos modos. Secunda vltimum modum mox expoſitum.

Ratio primæ partis in vniuerſum eſſe poteſt, quià illud votum quolibet ex illis quatuor modis aſſignatis eſt, votum caſtitatis ſimpliciter perfectæ, & integræ, ſed dumtaxat, quoad effectum petitionis limitatæ, ergò cadit ſub reſeruatione, adeoque non poterit per Epiſcopum diſpenſari. Neque dicas, quod coniux, qui emiſit votum caſtitatis altero inconſulto quamuis non poſſit petere, poſſit tamen, quinimmo alteri petenti teneatur reddere, ergo non obligatur ad omnimodam caſtitatem, ergo votum illud vtpotè non integrum, nec adæquate perfectum non cadit ſub reſeruatione; contrà enim impugnaberis, quià quantumvis in ordine ad illud matrimonium teneatur; & poſſit licitè reddere non tamen poſſet in ordine ad aliud matrimonium, ſi forte illud inierit; ex quo ſequitur, quod ſit verum, &

abſo-

Digitized by Google

Solum ſuſpenditur executio quoad petitionem debiti.

abſolutum votum caſtitatis, & quod ſolum ſuſpendatur executio quoad petitionem in illo priori matrimonio ratione iuris alteri acquiſiti in illo matrimonio; votum autem verum, & abſolutum caſtitatis nequit per Epiſcopum diſpenſari. Neque vlterius vrgeas, quod pro ſtatu, quo illud votum emittitur, non obligat plenè ad voti adimplementum ſecundum ea, ad quæ ex genere ſuo obligat ipſum votum, adeoque non eſt, cur pro tali ſtatu non poſſit Epiſcopus in illo diſpenſare; contra enim eſt, quià in radice obligat plenè, ſed tantum ſuſpenditur executio quoad petitionem ratione vinculi præcedentis.

Sed, an Epiſcopus poſſit diſpenſare, quando iam alter coniux, qui facultatem ad votum alterius coniugis non conceſſerat præmortuus eſt in ordine ad aliud matrimonium ineundum. Videtur prima fronte dicendum; vtique poſſe, tum quià in ſua radice integrum, & completum non fuit, tum quià videtur non niſi abſolutum conditionaliter, ſi ſcilicet vouens ſupra vixerit alteri coniugi; in conditionalibus autem Epiſcopus poteſt diſpenſare etiam poſt adimpletam conditionem; tũ quià, ſi poteſt diſpenſare abſolutè in illo voto, antequam alter præmoriatur, & non ſolum quoad ius petendi, ſed abſolutè in radice eiuſdem voti, cur non poterit etiam diſpenſare, poſtquam ille alter occubuit? Certè quod deficit à vera ratione in radice

24 deficit à ratione reſeruationis. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, non poſſe abſolutè diſpenſare in ordine ad aliud matrimonium ineundum, vt in illo poſſit ille, qui vouerat, petere debitum; non enim poteſt eſſe dubium circa ad impotentiam diſpenſandi in radice, quandoquidem, ſi non poteſt diſpenſare quoad primum matrimonium, quod iam initum erat, quando contraxit illud votum, multo minus poterit diſpenſare, quando illud iam fuit diſſolutum in ordine ad aliud contrahendum. Ratio autem huius noſtri aſſerti ea eſt, quià in tantum poteſt exiſtente priori matrimonio diſpenſare ſuper iure petendi debitum reſpectu illius, qui ſubſequentèr ad illud matrimonium vouit caſtitatem, in quantum aderat fortius vinculum, & ius reſpectu alterius coniugis, & ratio matrimonij iam exiſtentis, & ſubſiſtentis in ſua ratione formali valdè conferebat ad hanc diſpenſationem, ſed hæc ratio non militat in ordine ad aliud matrimonium contrahendum, vt per ſe patet, ergo &c.; atque hoc expreſsè docent *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 9. n. 26. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilai priuilegio ſect. 2. caſ. 10. n. 24.*; Nec obſtant argumenta ex aduerſo appoſita, quandoquidem falſo ſupponunt votum illud in radice deficere, quantum eſt ex affectu vouentis, quandoquidem ille abſolutè quantum eſt ex ſe intendit caſtitatem tanquam obiectum ſibi carum, & amabile, & ſolum ſuſpenditur executio quoad onus reddendi, in quantum obſtat vinculum prioris matrimonij, nec illud votum eſt merè conditionale, quandoquidem, quod non poſſit in toto adimplere eſt ex impedimento præcedentis matrimonij, quod non inducit conditionem per ſuperius allegata, & docent *Sanchez lib. 8. diſp. 10. num. 4. Boſſius d. ſect. 2. caſ. 10. n. 9., & ſeqq.*

Epiſcopus non poteſt diſpenſare in voto in ordine ad aliud matrimonium contrahendum, quando emiſſũ fuit conſtante primo matrimonio altero coniuge inconſulto.

Non negauerim tamen, quod ſi quis conſtante matrimonio non vouerit abſolutè caſtitatem, ſed tantum non petere debitum poſſet, abſolutè Epiſcopus ſuper illo voto diſpenſare, adeout etiam diſſoluto priori matrimonio, & poſita illa diſpenſatione poſſet ille, qui ſic vouerat ad aliud matrimonium tranſire, & in hoc locum haberet ratio aduerſantium, quià illud votum non eſſet caſtitatis integræ, & totalis, cum non obligaret ad id totum, ad quod obligat eadem caſtitas abſolutè ſumpta, in voto autem caſtitatis non integrè, & totalis Epiſcopus ſua auctoritate ordinaria diſpenſat. 25

Excipe niſi emiſerit tantum votũ de non petendo debito.

Hæc, quæ dicta ſunt, de voto, quando alter ex coniugibus vouit caſtitatem altero coniuge irrequiſito proportionaliter intelligenda ſunt quoad votum emiſſum alijs tribus modis in prima parte aſſertionis comprehenſum, & quidem, quod non poſſit in illo Epiſcopus abſolutè diſpenſare ipſum penitus abrogando in fortioribus terminis deducitur ex eiſdem dictis; ſi enim non poteſt diſpenſare, quando vnus tantum illud votum emiſit ſine licentia alterius, multò minus poterit diſpenſare, quando illud emiſit de conſenſu alterius, vel vterque emiſit, vel ſine licentia, vel cum licentia &c. Quòd verò poſſit diſpenſare quoad ius petendi debitum in ordine ad illud matrimonium iam antecedenter contractum, probatur primo, quando ab vno tantum emiſſum eſt de licentia alterius adhuc ille, qui vouit ad inſtantiam alterius poteſt, & tenetur reddere, nam licentia ad vouendum non plus tribuit voto, quam illi ineſt ex natura ſua; tali autem voto emiſſo ab altero coniuge non ineſt obligatio abſtinendi à reddendo debitum, quando ab altero, vel petitur, vel exigitur, nec licentia præſtita per alterum coniugem ad vouendum præſtat, vt præbens talem conſenſum priuatur iure ſuo cum per illam licentiam non renuntiare præſumatur, niſi expreſsè egerit; Neque dicas, quod illa licentia debeat aliquem effectum operari; nullum autem alium effectum poteſt præſtare, niſi quod priuet ipſum concedentem iure petendi, vel iure compellendi vouentem ad reddendum; contra enim impugnaberis, quià effectus,

Hæc verificantur, ſiuè conſtante primo matrimonio votũ emiſſum fuerit ab altero etiam conſentiente altero coniuge.

quem præſtat illa facultas conceſſa, hic eſt, vt tollatur ambiguitas, quę eſt inter nonnullos exiſtimantes coniuges non poſſe vouere ſine facultate alterius coniugis, & votum ſine tali licentia præſtita poſſe per alterum, qui non annuit, reuocari, poſita autem tali licentia non poteſt illud reuocari, non tamen per hoc tollitur, quod præbens talem conſenſum, ſeu licentiam priuetur iure ſuo ad petendum. Hac eadem ratione euincitur, quod poſſit diſpenſare Epiſcopus quoad ius petendi debitum etiam quando vterque emiſit votum caſtitatis, ſed vnus ſine licentia alterius, vel etiam cum licentia, ſed ſeorſim, & ſine mutua conuentione, quandoquidem quod vterque emiſerit votum caſtitatis ſolum efficit, quod neuter poſſit licitè petere, non autem, quod ſi ab altero petatur, poſſit alter debitum denegare, vndè quòd alter petat aduerſus votum caſtitatis, quòd emiſit, efficit quidem, quòd peccet, non autem, quòd alter eximatur ab onere reddendi, cum exigat ius matrimonij, vt ſcilicet neuter ex coniugibus poſſit ſe eximere per votum ab onere reddendi; quo ſuppoſito ſic arguo. Vbicumque pro ſtatu aliquo puta matrimoniali non eſt in coniugibus adæquatum onus, quod eximat ius petitionis, & redditionis poteſt Epiſcopus in tali onere diſpenſare, vt ſcilicet, ſi non ſit ablatum onus reddendi, etiam conferatur ius petendi, cum nullibi hæc poteſtas in Epiſcopo reperiatur denegata, & regularitèr omnes conſentiunt, quòd ſi vnus fuerit voto caſtitatis obſtrictus emiſsæ poſt coniugium poſſit ab eodem diſpenſari, vt petat, cum etenim reſeruatio ſit odioſa non debet intelligi niſi in caſibus à iure expreſsis, ergo &c.

26 Poteſt Epiſcopus diſpenſare quoad petendum debitum in voto, etiã ſi matrimonium non fuerit conſummatum

Difficultas ſolummodo quoad primam partem aſſertionis eſt, quando votum illud caſtitatis perpetuæ eſt elicitum poſt matrimonium quidem ratum, ſed ante conſummatum, an ſcilicet poſſit Epiſcopus diſpenſare etiam quoad petitionem debiti reſpectu vouentis. Ratio dubitandi in eo conſiſtit, quod cum ipſe vouens liber ſit ad ſe eximendum ab onere reddendi per ingreſſum in Religionem, & teneatur, quantum poteſt, caſtitatem ſeruare, videtur ex vi voti obligari ad ingreſſum, nec tunc ius matrimonij ius tribuit ad illam diſpenſationem, cum poſſit diſſolui per illum ingreſſum; Nihilominus cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim, qui vouit ante matrimonium conſummatum, animum habuit, & propoſitum in illo voto ingrediendi Religionem, quatenus ſcilicet conſtituerit quaſi vnum votum caſtitatis, & Religionis, & iuxtà hunc ſenſum exiſtimo non poſſe Epiſcopum diſpenſare ſuper iure petendi debitum; vel nec animum, nec propoſitũ habuit in illo voto Religionem ingrediendi, & ſic ſentio vtique poſſe Epiſcopum diſpenſare. Ità in vniuerſum ſentire videntur *Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 11. n. 4. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 20. num 15., & 16.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià illud votum eſt caſtitatis, & Religionis perfectæ, nec pugnat ſimul cum matrimonio, quandoquidem iſtud poteſt diſſolui per ingreſſum in Religionem, quam quodamodo vouit in illo voto caſtitatis perpetuæ, ergo Epiſcopus non poterit quoad illud votum diſpenſare etiam quoad petitionem. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià ex vi illius voti non tenetur ingredi Religionem, nec in illo voto includitur obligatio abſtinendi à redditione debiti, à qua ſolum poteſt ſe eximere per ingreſſum in Religionem, ad quem ex vi illius voti non tenetur, vt docent *Sanchez lib. 9. de matrimonio diſp. 35. n. 23. Baſilius Pontius lib. 8. de matrimon. c. 9. nu. 3. Ioannes Malderus de voto tract. 10. c. 5. dub. 7. §. 2. quæritur verſ. hæc quidem de voto emiſſo, Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuilegio ſect. 2. caſ. 20. nu. 15.*, ergo, cum teneatur reddere, poterit Epiſcopus cum illo etiam diſpenſare quoad petitionem.

Dummodo vouens in voto non habuerit animum ingrediendi Religionẽ.

Ratio ſecundæ partis aſſertionis, quando ſcilicet vterque votum caſtitatis emiſit cum mutua conuentione, & reciproca renuntiatione iuris petendi debitum ex eo euincitur, quià ex vna parte votum illud caſtitatis eſt votum caſtitatis integræ totalis, & perfectæ etiam quando vnus tantum vouit, & ſolum ſuſpenditur executio quoad onus reddendi debitum ratione vinculi præcedentis matrimonij, & ratione iuris alterius, ſed quando vterque per mutuam conuentionem ſibi adinuicem ius illud remiſit, ius alterius ceſſat, ergo remanet illud votum in ſuo integro eſſe, adeoque nõ erit, cur Epiſcopus poſſit diſpenſare, adeoque pro diſpenſatione erit ad ſummum Pontificem recurrendum. Verum tamen eſt, quod ſi vrgeat periculum incontinentiæ in eiſdem coniugibus, nec facilis pateat aditus ad eundem Pontificem poterit Epiſcopus ſuper iure petendi, & reddendi debitum diſpenſare.

Conuentio facit votũ remanere in integro ſuo eſſe.

ASSERTIO V. Probabilius poteſt Epiſcopus diſpenſare quoad ius petendi debitum cum eo, qui obſtrictus voto caſtitatis inijt matrimonium; item cum eo, cui ſuperuenit affinitas, & cognatio ſpiritualis cum ſuo coniuge. Ita quoad primam partem *Ioannes Andreas c. rurſus n. 6. Qui cleric. vel vouentes Brunellus de ſponſalib. concl. 31. num. 4. Roſella verb. impedimentum impedim. 4. num. 5. in fin. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 5. num. 3. Vgolinus de matrimonio c. 20. n. 10. Maior. in 4. diſt.*

27 Etiam ſi emiſerit votum caſtitatis ante cõtractum matrimonium.

Digitized by Google

diſt. 37. q. 2. art. 2. contra ſecundam concluſionem, D. Antoninus 3. parte tit. 1. c. 22 §. 2. in fin. Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art 1. in fine corporis, VeraCrux 1. part. ſpeculi art 15 in fin. Valentia 4 part. diſp 10 q. 5. punct. 5. in fin.

Item poteſt diſpenſare cum eo, cui ſuperuenit affinitas.

Quoad ſecundam Paludanus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 3. concl. 2 n. 28., & concl. 3. nu. 29. Sotus in 4. diſt. 37. q vnica art 2. col 4. verſ. dubium autem, Corduba in ſuo quæſtionario lib. 1. q 12 art. 2. diſt 4, & 5. Metina 1. 2. q 97. art. 4. in fin. 3 concl. Petrus de Ledeſma de matrimon q. 58 art 4 dub. 2. verſ in huius rei explicationem, Silueſter verb. matrimonium 8. q. 15. diſt. 7. Viualdus candelab. ſacrament 1 part, vbi de matrimon nu. 210. Sorbus in compendio priuileg. mendicant. verbo abſolutio quoad ſeculares 2. in reſolut. quas ibi ponit verſ. tertio aduertendum eſt.

Et etiam cognatio ſpiritualis.

Quoad tertiam, Paludanus loc. cit. q. 1 art 1. concl. 1 n. 6. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 15. §. 2., VeraCrux 1. part ſpeculi art. 57. verſ. ſed contra, Valentia 4 part. diſp. 10 q. 5. punct. 5. in fin Ludouicus Lopez 1 part. inſtruct c. 85. col. 2. verſ præterea, ſi coniux, Graffius 1. part. deciſ lib. 2. c. 83. nu. 12. Nauarrus in ſumma c. 16. n 34. verſ. interrogatus autem.

Prima pars, quæ tamen non procedit de iure ordinario, prout optimè notant Azorius tom. 1 lib. 11. c 19 q. 8 Toletus lib 4. c. 18. n 1 diff 2 Graffius in deciſ part. prima lib. 1 c 13 num. 80 Gutierez qq canon lib 1 cap. 24. n 17. Diana part. 1. tract 11. reſol. 66., ſed vigore conſuetudinis, quæ eidem hanc facultatem attribuit, facilè euincitur ex communi praxi, ſecundum quam omnes Epiſcopi ſcientibus Pontificibus, & non reclamantibus quoad hoc ius petendi diſpenſant; conſuetudo autem præſcripta iuriſdictionem præbet per textum in c. cum coniugati de for compet., & quidem iuxta rectam rationem inducta eſt quoad originem, & continuationem hæc conſuetudo, & praxis, quandòquidem paſſim poſſent coniuges periculo incontinentiæ ſubeſſe, ex quo &c.

Hanc etiam facultatem diſpenſandi ex priuilegijs competere inter coniugatos quoad hoc ius petendi debitum non obſtante voto docent communitèr ſcribentes, & inter alios Sanchez de matrimonio lib 8 diſp. 12 n 4.

Solum difficultas hic remanet diſcutienda, an hæc facultas, quæ ex conſuetudine competit Epiſcopis diſpenſandi inter coniuges, quorum alter ante matrimonium obſtrictus erat voto caſtitatis, eidem competat ſolummodò, quandò matrimonium iam conſummatum eſt, an

Alia difficultas remiſſiuè ad ſuperius dicta.

verò etiam, quando eſt ratum. Iuxtà ſuperius dicta exiſtimo extendi etiam, quandò præcisè matrimonium eſt ratum, Manuel 1 tom ſumma 2. edit. c. 242. num. 2. Sanchez de matrimonio lib 8. c. 12. n. 6 Ratio ex eo deducitur, quià qui vouit caſtitatem, & poſteà contraxit matrimonium non teneretur ingredi Religionem, quià hanc non vouit, & non ingrediens Religionem teneretur alteri petenti reddere, ergò Epiſcopus poteſt diſpenſare quoad eundem vouentem in iure petendi debitum, ſicuti in alijs ſimilibus in præcedentibus diximus, & exiſtimo etiam quoad hoc etiam conſuetudinem legitimè præſcriptam.

Secunda pars ex eo euincitur, quià praxis obtinuit, vt Epiſcopos nullo penitus diſceptante circa huiuſmodi affinitatem ſuperuenientem matrimonio diſpenſet ſic exigente quodamodo fortiori vinculo matrimonij quo perſeuerante æquum eſt, vt Epiſcopus diſpenſare valeat, & paſſim pericula incontinentiæ contingerent, ſi ſemper ad Romanum Pontificem eſset pro hac diſpenſatione confugiendum; Neque ex hoc arbitrandum eſt, quod ſolum in caſu periculi incontinentiæ imminentis poſſit Epiſcopus beneficium diſpenſationis impertiri; Non, inquam, arbitrandum eſt, quià quantumvis fortè conſuetudo initium duxerit ex eo periculo imminenti, vſus tamen ſucceſſiuè inualuit, vt etiam ſine tali periculo, licet facilis eſset aditus ad Pontificem pro diſpenſatione, paſſim diſpenſet; & quidem clarè hoc euincitur, quià, ſi tantum poſset diſpenſare in caſu illo extremæ neceſsitatis ob periculum eo, quià facilis non eſset aditus ad Pontificem, modo nunquam poſset diſpenſare, cum Summi Pontifices Regularibus ſucceſsiuè conceſserint priuilegium diſpenſandi ſuper huiuſmodi affinitate, vndè cum facilis ſit acceſsus ad iſtos, ceſſaret ius in Epiſcopo ſic diſpenſandi. Hoc priuilegium conceſsit Pius V ordini Prædicatorum, vt habe- 28

Competit etiam regularibus ex priuilegio.

tur in compendio minorum tit Diſpenſatio poſt adnotationem Capucini, & Iulius II. ordini Sancti Benedicti, vt habetur in compendio Societatis Ieſu tit. diſpenſatio §. 3, & in compendio minorum, vbi ſupra, quo priuilegio gaudent omnes Regulares communicantes. Id ipſum conceſſum eſt ad eundem effectum in foro conſcientiæ cum ijs, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contraxerunt, Pius V. Franciſcanis de obſeruantia, vt dicitur in compendio Societ Ieſu tit. diſpenſatio §. 4., & in compendio minorum tit. diſpenſatio poſt adnotationem Capucini.

Hic oritur ſolummodò difficultas, an ſi contigerit, quod vterque coniux poſt contractum matrimonium contraxerit affinitatem alter ſcilicet per copulam cum conſanguineis alterius, & iſte per copulam cum conſanguineis illius poſſit Epiſcopus, cum vtroque diſpenſare. Videtur prima fronte abſolutè dicendum hoc non poſse Epiſcopum præſtare, tum quià conſuetu-

Digitized by Google

29 *Poteſt etiã Epiſcopus diſpenſare in affinitate ſuperuenienti in vtroque coniuge.*

do hoc non videtur obtinuiſſe; tum quià, quandò alter non habet ius petendi, nec poteſt licitè petere, ceſſat ratio, ob quam Epiſcopi diſpenſant, cum alter etiam ratione ſimilis criminis priuatus intelligatur etiam iure vſuſ coniugij. Nihilominus abſolutè ſentio, poſſe etiam Epiſcopum in hoc caſu diſpenſare. Ratio eſt, quià adhuc viget vinculum indiſſolubile matrimonij, nec video, cur, ſi poteſt quoad vnum, non poſſit etiam quoad vtrumque; nec ratio oppoſita aliquid euincit, quià licet fortior ratio vrgeat, quandò vnus ius habet ad petendum debitum, cui alter tenetur reddere, non tollitur tamen, quin conſtante matrimonio ſufficiens ſit ratio ad diſpenſandum, licet vterque ius amiſerit ad petendum, quià ratio diſpenſationis eſt ius matrimonij adhuc cõſtantis, ea proportionali ratione, qua diximus poſſe diſpenſare, quando vterque poſt matrimonium contractum vouit caſtitatem, non tamen cum mutua conuentione, & reciproca renuntiatione iuris petendi, vterque etenim ex illo voto priuatur iure petendi, & tamen Epiſcopus cum vtroque diſpenſat.

Tertia pars ex eodem fundamẽto euincitur, quia ita obtinuit conſuetudo, & cõmunis praxis; quinimmo aliqui docent cognationem ſpiritualem ſuperuenientem matrimonio non priuare iure petendi, quod tamen non auſim dicere.

30 *Etiam ſuper iuramenta promiſſoria, & vota iuramento firmata.*

Assertio VI. Facultas, quæ competit Epiſcopis diſpenſandi ſuper vota, competit etiam eiſdem diſpenſandi ſuper iuramenta promiſſoria Deo facta, & etiam ſuper vota iuramento firmata, quando votũ, & iuramentum comitanter ſe habent, & alterum factum eſt Deo ſine cogitatione alterius, *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6 de voto c 14. n. 19. & ſeq. Baſilius Pontius de matrim. lib. 8. c. 11. n. 4., & ſeqq. Sanchez lib. 4 ſummæ c. 35. n 20. & c. 54. n. 21. Fillincius tom. 2. tract. 26. c. 9. n 256.*, & ex noſtris *Homobonus prima part. examinis tract. 7. c. 12. q. 57. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect. 2. caſ. 5. n. 21.*

Pro notitia aduerte, conuenientiam, & diſconuenientiam, quam ſeruant ad inuicem, & ab inuicem votum, & iuramentum. Conueniunt primo in eo, quod vtrumque reſpicit immediatè honorem Deo debitum, & Dei cultum. Secundò in eo, quod vtriuſque obligatio cauſatur ex aliquo diuino, vt notat *D. Thomas 2. 2. q 89 art. 8. in corpore*. Tertio quod vtrumque obligat vouentem Deo, & deficientẽ conſtituit reum ſacrilegij. Quarto, quod vtrumque pertineat ad eandem virtutem Religionis. Differunt verò primo, quod votum eſt eſſentialiter, & per ſe, & directè promiſſio facta Deo; iuramentum autem ex genere ſuo eſt conteſtatio, quæ fit per Deum, ſeu inuocatio Dei in teſtem veritatis, vel promiſſionis etiam factæ homini. Secundo ex parte modi, nam obligatio voti oritur ex fidelitate, ratione cuius tenemur ea, quæ Deo promiſimus obſeruare: obligatio autem iuramenti oritur ex reuerentia, quam ei debemus, ne ſcilicet, quantum eſt ex parte noſtra, eum teſtem falſi conſtituamus. *Cõuenientia, & diſconuenientia iuramẽti cum voto.*

Aduerte vlterius quaſi dupliciter poſſe concipi iuramentum; primo prout nec explicitè, nec implicitè inuoluit votum, quatenus quis iurat ſe aliquid facturum non reſpiciendo Deum, quatenus eidem offerat rem iuratam, ſed illum præcisè afferendo in teſtem ſuæ aſſertionis, qua ſe obſtringit ad opus illud efficiendum; ſecundo quatenus vel implicitè, vel explicitè inuoluit etiam votum; hoc autem multis modis poteſt contingere; primo quatenus prius quis iuret aliquod opus ſe facturum, deinde illud idem memor iuramenti voueat. Secundo, quatenus prius iurat, deinde immemor iuramenti voueat opus illud iuratum. Tertio, ſi prius voueat opus pium, deinde in confirmatione etiam iuret. Quarto, quatenus prius voueat opus pium, deinde immemor illius voti, nec de illo cogitans iuret ſe opus illud facturum. His ergo pro notitia ſuppoſitis *Quomodo iuramentũ poſſit concipi.*

Probatur primo, quod facultas competens Epiſcopis diſpenſandi in votis, extendatur etiam ad iuramẽta eiuſdem materiæ facta Deo, ſeu in obſequiũ Dei ſine voto, primo ex eo quod relaxare huiuſmodi iuramenta, puta caſtitatis perpetuæ, & Religionis, non eſt Pontifici reſeruatũ, ſicuti eſt reſeruatũ relaxare abſolutè vota caſtitatis, & Religionis, *Malderus de virtutibus tract. 10. c. 6. dub. 11. Bonacina de præceptis diſp 4 q 1. punct 17. n. 9. verſic. additam. Tabiena verb. iuramentum n. 32. Nauarrus lib. 2. conſil. conſ. 1. de iureiuran. edit. 2. Sanchez lib 8. de matrimon. diſp. 13. & lib. 3. ſummæ c. 19. n. 6.* Ergo &c. Antecedens probatur, quia Pontifex ex conſuetudine legitimè præſcripta ſibi ſolum reſeruat vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis; à diuerſo autem ad diuerſum non fit legitima illatio, maximè in odioſis, & à maiori ad minus; in præſenti autem fieret extenſio à maiori ad minus, & vtique in materia odioſa, qualis eſt illa reſeruationis, ſiquidem maior eſt obligatio voti, quam iuramenti promiſſorij, vt latè probat *Ioãnes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi priuil. ſect. 2. caſ. 5. n. 4.*, & præcipuè ex eo, quod erga Deum plus obligat fidelitas, quam reuerentia communi aliquo modo debita argumento à contrario ſenſu deducto, quia ſcilicet infidelitas fidelitati contraria peior eſt quam irreuerentia cõmuni modo dicta; irreuerentia etenim in infidelitate *Iuramentũ non ita reſeruatur Pontifici ſicuti votum.*

tate

Digitized by Google

tate includitur.

Probatur ſecundo quoad idem, quia dato etiam quod relaxare huiuſmodi iuramenta Religionis, & caſtitatis perpetuæ eſſet reſeruatum Pontifici, ſicuti eſt reſeruatum eidem relaxare vota in ſimili genere, in ijs tamen caſibus, in quibus eſt conceſſa facultas Epiſcopis diſpenſandi ſuper huiuſmodi vota nõ eſt aliqua ratio, quæ excludat in eiſdem facultatem diſpenſandi etiam ſuper huiuſmodi iuramẽtis, cum votum, & iuramentum pium in iure æquiparentur, pertineant ad eandem virtutem Religionis, & vtriuſque obligatio oriatur erga Deum. Confirmatur, quia propter eandem rationem, propter quam eſt Pontifici reſeruatum diſpenſare ſuper vota Religionis, & caſtitatis perpetuæ, eſt etiam reſeruatum diſpenſare ſuper iuramentis huiuſmodi, ex ſuppoſitione quod hoc ſit reſeruatum, nec aliam rationem aſſignant DD. aſſerentes hoc etiam reſeruari, *Caietanus ſecunda ſecundæ q. 89 art. 9. Sotus de iuſtitia lib. 7. q. 1. art. 9 Rodriguez prima part. ſumma c. 192. n. 10. Azorius prima part. lib. 11 cap. 10 q 2. Valentia tom. 3. diſp 6 q 7. punct 4. verſ. notandum eſt, Laiman lib 4 tract. 3. c 11. n 4.* ergo in ijs caſibus, in quibus Epiſcopus poteſt diſpẽſare in huiuſmodi votis, poterit etiam diſpenſare in iuramentis ſimilis materiæ militantibus eiſdem rationibus, quia ſicuti per eaſdem cauſas, propter quas vinculũ inductum eſt, etiam diſſoluitur; ita per eaſdem cauſas, propter quas quid reſeruatur, etiam reſeruatio dimittitur.

Ius diſpenſandi ſuper vota videtur extendi ad iuramenta in eodem genere.

Ex quibus inferes, quod ſicuti Epiſcopus poteſt diſpenſare in votis caſtitatis perpetuæ, & Religionis, ſiue conditionalibus pœnalibus, ſiue purè conditionalibus, aut ante, aut poſt adimpletam conditionem per ea, quæ ſupra probauimus, ita etiam poſſit diſpenſare etiam in huiuſmodi iuramentis pœnalibus, aut conditionalibus ex ſuppoſitione, quod iſta abſoluta reſeruentur Romano Pontifici, nã ſi nõ fuerint reſeruata iſta abſoluta, multo minus erunt reſeruata pœnalia, & conditionalia.

Probatur tertio, quando iuramentum inuoluit votum, ſeu illud præſuponit, quia vel eſt acceſſorium voto, quatenus addatur in ipſius confirmationem, vel eſt per ſe adiectum independenter ab illo, quatenus iurans ſit immemor voti antecedẽter emiſſi; ſi primo modo ſumatur, tunc non eſt neceſſaria, niſi diſpenſatio ſuper voto, ſiquidem ſublato principali ex natura ſua deſinit acceſſorium, ergo cum Epiſcopus ſupponatur poſſe in voto diſpenſare vtique per talem diſpenſationem, ſi illam impertiatur, deſtruet & iuramentum per ſubtractionem materiæ illius; ſi ſecundo modo ſumatur, ſicuti poteſt iuramentum per ſe ſolum abrogare per diſpẽſationem, ita poterit & votum per ſimilem diſpenſationem tollere, quia neutrum in ea hypotheſi intelligitur reſeruatum. Verum tamen eſt, quod tunc requiratur duplex diſpenſatio, vel formaliter, vel æquiualenter, & tunc ne diſpenſatio ſit ſubreptitia, erit neceſſaria vtriuſque vinculi expreſſio.

31 Assertio VII. Poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto diſiunctiuo, ſeu alternatiuo caſtitatis perpetuæ, & Religionis, vel alterius operis non reſeruati, ſiue ante electionem alterius ex illis operibus, ſiue poſt electionem voti caſtitatis, ſeu Religionis. Ita quoad primam partem *Azorius prim. part. lib. 11. c 19 q. 10. Sairus lib. 7. clauis c. 11. n 61. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto c. 24. n 1 Ioannes Malderus de virtut tract. 10 c. 5. dub 10. verſ 4 quandò, Bonacina de præceptis diſp. 4 q. 2 punct 7 §. 4 n. 18. verſ. octauo quando, Bartholomæus à S. Fauſto lib. 3. theſaur. Relig. q 75. Baſilius Pontius de matrimon. lib 8 c. 8. §. 2 num 21. Alphonſus Leo de Iubilæo part. 2. qu. 13. ſect. 1. n. 91. Ioannes Angelus Boſſius de tripl Iubil. priuileg ſect 2. caſ 11. n. 4.* Quoad ſecũdam idem *Ioannes Angelus Boſſius loc cit. nu. 7.*

Poteſt etiã in voto alternatiuo caſtitatis, vel alterius operis diſpenſare

Ratio primę partis ex eo deducitur, quia qui vouit diſiunctiuè, vel caſtitatẽ, vel aliquod opus piũ nõ reſeruatũ nõ obligatur determinatè ad caſtitatẽ, quinimmò illud votum non eſt ſimpliciter caſtitatis, cum ipſe vouens poſſit eligere opus non reſeruatum, quippe in alternatiuis electio eſt debentis, nec vtrumque eſt adimplendũ, ſed ſufficit alterum adimpleri per textum *in reg. in alternatiuis de reg iur. in 6.*, ergo Epiſcopus diſſoluendo per diſpenſationẽ onus ad opus non reſeruatum eximet vouentem ab onere vtriuſque partis diſiunctiuè propoſitæ, ſiquidem poterat eligere partem non reſeruatam.

32 Ratio ſecundæ partis, quæ tamen procedit in ſuppoſitione, quod non fuerit facta noua promiſſio Deo materię non reſeruatæ, ſic deducitur, quia ſtante illa electione materiæ reſeruatæ cõſiſtente in propoſito licet efficaci, ſine nouâ tamen promiſſione eiuſdem materiæ, adhuc liberam eſt re integra permanente vouenti, & eligenti à tali electione deſiſtere, quantum eſt ex natura rei, & ex iure naturæ, ergo adhuc Epiſcopus poterit ſuper illo voto diſiunctiuo diſpenſare, ſiquidem redactis rebus in priori ſtatu per illam voluntatis mutationem Epiſcopus poteſt facere quid quid antea poterat efficere. Antecedens probatur, quia nudum propoſitum ſecundum ſe aliquid efficiendi in obſequium Dei, dummodo illud ſit ſine promiſſione non obligat ſub lethali ad illud efficiendum, ergo poſito voto alternatiuo, &

Intellige quando nõ facta fuerit noua promiſſio Deo materiæ reſeruatæ.

poſtea

poſtea electione ad vnã partẽ per nudum propoſitũ ſine noua promiſſione non obligabitur vouẽs,& eligẽs ſub lęthali ad partem, quam elegit per nudum propoſitũ, ſed mutata voluntate poterit citra peccatũ reaſſumere partem, quam non elegerat, ſiquidem, ſi nudum propoſitum poteſt omitti ſine peccato,cũr non poterit omitti electio facta per nudum propoſitum?

Dices primo, quod dato etiam, quod nudum propoſitum ſine promiſſione non obliget ſub læthali, obliget tamen illa electio materiæ reſeruatæ in voto alternatiuo præcedenti, quandoquidem ipſa electio determinat materiam indifferentem ad reſeruatum,& non reſeruatum ad materiam reſeruatam, & ſic efficit, quod vigeat illa promiſſio præcedens indiferens in materia determinata electa, ſicque fit votum determinatum reſeruatum. Sed contra, quia illa electio, cum conſiſtat in nudo propoſito non obligat eligentem ad perſeuerandum in ipſa, cum ex genere ſuo re integra permanente ſit reuocabilis; nudum enim propoſitum aliquid efficiendi, quantumuis in voluntate efficaci conſiſtat,non obligat ad illud opus, ſicque nec obligat ad partem operis, quod promiſſum eſt ſub diſiunctione. neque obſtat, quod referatur ad promiſſionem præcedentem, quam determinat, quæque propterea vigeat, ac ſi fuiſſet determinata ab initio; Non obſtat, inquam, quia electio non plus præſtat, quam nudum propoſitum, quod, ſicuti quando eſt ſine promiſſione eſt reuocabile circa quodcunque opus propoſitum, ita etiam eſt reuocabile circa electionem operis promiſſi ſub diſiunctione,ſicque poſita reuocatione reducitur ad priorem ſtatum voti diſiunctiui, à quo poteſt Epiſcopus per diſpenſationem liberare.

Nudum propoſitũ eſt reuocabile.

Dices ſecundo. Debitor alternatiuus declarans creditori partem,quam elegerit non poteſt poſtea reſilire per regulam iuris in ſexto: *Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt*, ergo etiam debitor erga Deum ratione voti de opere ſub diſiunctione promiſſo facta ſemel electione, quæ vtique ipſi Deo innoteſcit, non minus,ac creditori homini innoteſcat voluntas debitoris per declarationem expreſſa non poterit amplius ab illa electione reſilire. Sed contra, quia quidquid ſit de iure poſitiuo, certum eſt, quod declaratio etiã facta homini propoſiti electiui,dummodo non ſit cum promiſſione ex natura rei, & ex iure naturæ non pariat obligationem talem, vt re integra non poſſit à tali electione reſilire, vt bene notat *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. n.7.* Quod ſi deinde ius poſitiuum non admittat talem retractationem,hoc eſt,quia præſumit in tali propoſito de promiſſione.

Declaratio propoſiti electiui dummodo non ſit cũ promiſſione non parit obligationem ſtrictam.

Dices tertio,huiuſmodi electio eſt quaſi noua voti reſeruati emiſſio, ergo perinde erit, ac ſi votum reſeruatum determinatum eliceretur,ergo non poteſt Epiſcopus in illo diſpenſare. Sed contra gratis omnino dicitur, quando nõ eſt cum noua promiſſione, quod ſit noua voti reſeruati emiſſio,quia non ſtat votum ſine promiſſione, nec propterea noui voti emiſſio, ſine noua promiſſione.

Fateor, quod ſpeculatiuè loquendo ea, quæ dicta ſunt in hac ſecunda parte aſſertionis, poſſint ſubſiſtere; cæterum practicè loquendo non recederem à contraria opinione propter rationes, quas in inſtantijs aduerſus illam inſinuauimus, maximè cum difficile videatur,quod eligens poſſit habere voluntatem efficacem in actu exercito ad partem reſeruatam ſine promiſſione ſaltem implicita eiuſdem, vel ſaltem ſine renouatione prioris promiſſionis ad illam partem determinatam.

33
Procedit ſpeculatiuè,non practicè.

Hic oritur difficultas, an ſi quis vouerit alternatiuè, vel ſub diſiunctio materiam reſeruatam, & non reſeruatam,& antecedenter ad electionem materia non reſeruata facta fuerit impoſſibilis,puta ſi vouerit caſtitatem, vel eleemoſinam pauperibus erogandam, & ante electionem factus fuerit pauper, ita vt nequeat eleemoſinam illã erogare,obligetur determinatè ad caſtitatem ſeruandam, adeout nequeat per Epiſcopum ſuper illa diſpenſari. Exiſtimant *Bonacina de præceptis diſp.4. qu.2. punct.7.§.4.n.18. Alphonſus Leo de ſubſl.par. 2 q.13 ſect.1.n 91. Fillintius tom. 2. tract. 26. c.10. n.172.* non poſſe Epiſcopum in ea hypotheſi diſpenſare, quandoquidem facta impoſſibili materia non reſeruata obligatio reſtringitur ad votum reſeruatum determinatè,quod ex vi ſua eſt adimplendũ; votum autem determinatum caſtitatis eſt Pontifici reſeruatum. Nihilominus probabilius ſentiunt non eſſe reſeruatum,ſed poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi priuil. ſect.2. caſ. 11. n 10. Sanchez lib. 8 de matrimonio diſp. 9. n.14. Aſcanius Tamburinus tom. 2. de iur. Abbat. diſp. 15 q 8 n.5. Paulus Laiman lib. 4. tract.4 c.8. n.12.* Ratio ex eo deducitur, nam in primis certum non eſt,quod tunc vouens præcisè obligetur ad materiam reſeruatam, quandoquidem vouit ſemper cum ordine ad eligendum, quod maluerit, quo propterea ordine ſublato per impoſſibilitatem ſuperuenientem materiæ non reſeruatæ poteſt nolle eligere, & velle materiam reſeruatam, quod confirmari poteſt ex eo,quod ſi vouerit ſub diſiunctio materiam reſeruatam, vel non reſeruatam, & pro eo tempore voti emiſſi materia non reſeruata fuerit inepta,& impoſſibilis non tenetur ad materiam reſeruatam,prout docent *Ioannes Angelus Boſ-*

34
In voto alternatiuo facta impoſſibili materia nõ reſeruata poteſt Epiſcopus diſpenſare in reſeruata.

ſius

ſius de tripl. Iubil priuileg. ſect. 2 caſ. 11. n. 12. Bonacina d. diſp. 4. q. 2. punct. 7. §. 5. n. 1. quod non alia ratione ſtatuunt, niſi quia in diſiunctiuis, licet obligatio cadat ſupra vtrãque partem, tamen vouenti liberum eſt eligere quamcunq; partem maluerit, nec ad certam partem ſe obligauit præcisè; hæc autem eadem ratio militat etiã quando ante electionem materia non reſeruata facta eſt impoſſibilis, licet poſt votum, quandoquidem adhuc liber eſt ad eligendum, quæ libertas, cum auferatur ratione inhabilitatis vnius partis ſuperuenientis, æque tollitur, ac tollatur, quando adeſt ipſa inhabilitas in ipſa emiſſione voti, licet fuerit tunc ignorata. Deindè dato etiam, quod obligetur tunc ad materiam reſeruatam id non prouenit ex vouentis intentione, & ex natura eiuſdem votis, quod ex ſe nunquam obligauit ad partem reſeruatam, ſed ſolum per accidens ex impoſſibilitate ſuperueniente materię non reſeruatæ; ergò cum deficiat à vera intentione vouentis, & per conſequens à perfecta ratione voti non cadet propriè ſub reſeruatione, quæ vtpotè odioſa non extenditur vltra actus perfectos in tali ratione.

Adhuc vouens liber videtur.

35 Poteſt diſpenſare in pluribus votis, quæ ſecundum ſe vnitim ſumpta obligant ad caſtitatem perfectam.

Assertio VIII. Regularitèr loquendo poteſt Epiſcopus diſpenſare in pluribus votis, quæ ſeorſim ſumpta non conſtituunt ſecundum ſe caſtitatem perfectam, & completam, vnita tamen ſeù ſimul ſumpta obligant ad caſtitatem perfectam, & ad omnes actus ipſius *Sanchez lib. 4. ſummæ c. 40. nu. 68. Alphonſus Leo de Iubilæo part. 2. q. 13. ſect. 2. n. 104. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 20. nu. 7.*

Ratio ex eo deducitur, quià quodlibet ex illis votis ſeorſim ſumptis eſt per Epiſcopum diſpenſabile, ſiquidem quodlibet ſecũdum ſe non eſt votum caſtitatis integræ, & totalis, ergò omnia, quantumuis vnita, erunt per eundem diſpenſabilia. Conſequentia probatur, quià quantumuis ſint vnita, & omnia ſimul obligent ad caſtitatem perfectam, & ad omnes actus ipſius, nihilominus poteſt ſingula eorum accipiendo ſuper eiſdem diſpenſare; v. g. quis vna vice vouit non nubere, deindè alia vice non fornicari, & alia vice non committere alia peccata venerea; cur accipiendo prius votum non nubendi ſecundum ſe non poterit ſuper illo diſpenſare? poſita autem ſuper hoc diſpenſatione alia vota non obligant ad caſtitatem integram, & perfectam; cur ergò non poterit ſuper illis diſpenſare? Neque dicas, tunc omnia vota ſe habere per modum vnius adæquati, & completi, & ſic quamuis ſingula ſecundum ſe ſint diſpenſabilia, vnita tamen, cum æquivaleant vni voto, non poſſe diſpenſari; contrà enim impugnaberis, quià omnia vota

Poteſt diſpenſare deſtruendo ſingula ſeorſim ſumpta.

ſucceſſiua per accidens ſe habent ad prius, & ſic per accidens vniuntur, non autem per ſe ad conſtituendum quid vnum per ſe. Verum tamen eſt, quòd, ſi vouens vltimum votum emiſerit hac formali intentione, vt per illud ſe obligaret ad perfectam caſtitatem, tunc non poſſet Epiſcopus ſuper illo diſpenſare, quià in illo vno omnia comprehenderentur, quæ fuerunt in prioribus præhabita, & ſic illud per ſe contineret perfectam caſtitatem.

Si tamen per vltimũ votum intelligeret ſe ad perfectam caſtitatem obligare tunc non poſſet Epiſcopus diſpenſare.

Assertio IX. Regularitèr in arduis non poteſt Epiſcopus in ſua Diæceſi interpretari, ſicuti interpretatur Pontifex in toto orbe.

36 In arduis non poteſt Epiſcopus in lege ſuperioris interpretari.

Ratio ex eo deducitur, quia non eſt præſumendum, quod Deus ea, quæ ſibi reſeruauit peculiari iure, quæque ardua ſunt, nec conceduntur niſi grauiſſima ex cauſa, voluerit alijs à Romano Pontifice ſpeciali ipſius voluntatiſq; interprete committere, ergò ex præſumpta Dei voluntate non poſſunt Epiſcopi ſuper ijs interpretari; hac ratione diximus in præcedentibus non poſſe Epiſcopum, ea quoad ſuos ſubditos, quæ poteſt Pontifex in toto orbe circa matrimonium ratum, vt diſſoluatur, vel circa vota ſolemnia annexa, vel ſacris ordinibus, vel profeſſioni Religioſæ, prout ſenſit *Sanchez de matrimonio lib. 2. diſp. 14. n. 5. ad octauum.*

Assertio X. In legibus Pontificum, & Conciliorum in quibus, nec expreſsè permittitur, nec prohibetur diſpenſatio regularitèr nequeunt Epiſcopi diſpenſare niſi in caſu vrgentis neceſſitatis, *Lignado c. at ſi clerici, § de adulterijs de iudic. & ibi Abbas n. 9. Baldus l. omnes populi n. 8. ff. de iuſt. & iur. Romanus ſingular. 486. Speculator tit. de diſpenſat. § nunc de Epiſcoporum n. 30. in fin. Felinus c. 1. fallent 7. de conſtit. Milis in repert. verb diſpenſare poteſt, Epiſcopus, Lambertinus de iure patronatus lib. 2. part. 1 q. 7. art. 19 n. 2, Gutierez qq canon. lib. 1. c. 23. n. 18. Gratianus reg. 433 n. 8.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià inferior, vbi eidem non committitur, nullum ius habet in lege ſui ſuperioris, & regula generalis eſt, quod eius ſit ſoluere legem, cuius eſt condere *Archi-Diaconus in cap. licet caro de elect. in 6. Abbas c. cum dilecti n. 10. de elect. Felinus c. at ſi clerici n 5. de iudi. Rebuffus tract. nominationum q. 5. nu 32 Coaruuias 4. decret. 2. part c. 6 in princip n 15., & §. 10. n. 1. Gutierez lib. 1 qq canon c. 5. n. 10.*, ergò Epiſcopus, vtpotè inferior ad Pontificem, & concilium generale non poterit in legibus eorundem diſpenſare, quandò nec expreſsè eidem permittitur, nec prohibetur; Neque dicas, quod vbi Pontifices, & concilia nolunt Epiſcopos in ſuis legibus diſponere, ſeù diſpenſare, expreſsè eis prohibeant, vel ſibi ſpecialitèr reſeruent, vt con-

37 In legibus Pontificũ, & Conciliorum, in quibus nec expreſſe permittitur, nec prohibetur, diſpenſatio, non poteſt Epiſcopus diſpenſare.

poſtea electione ad vnã partẽ per nudum propoſitũ ſine noua promiſſione non obligabitur vouẽs,& eligẽs ſub lęthali ad partem, quam elegit per nudum propoſitũ, ſed mutata voluntate poterit citra peccatũ reaſſumere partem, quam non elegerat, ſiquidem, ſi nudum propoſitum poteſt omitti ſine peccato, cũr non poterit omitti electio facta per nudum propoſitum?

Dices primo, quod dato etiam, quod nudum propoſitum ſine promiſſione non obliget ſub læthali, obliget tamen illa electio materiæ reſeruatæ in voto alternatiuo præcedenti, quandoquidem ipſa electio determinat materiam indifferentem ad reſeruatum,& non reſeruatum ad materiam reſeruatam, & ſic efficit, quod vigeat illa promiſſio præcedens indiferens in materia determinata electa, ſicque fit votum determinatum reſeruatum. Sed contra, quia illa electio, cum conſiſtat in nudo propoſito non obligat eligentem ad perſeuerandum in ipſa, cum ex genere ſuo re integra permanente ſit reuocabilis; nudum enim propoſitum aliquid efficiendi, quantumuis in voluntate efficaci conſiſtat, non obligat ad illud opus, ſicque nec obligat ad partem operis, quod promiſſum eſt ſub diſiunctione. neque obſtat, quod referatur ad promiſſionem præcedentem, quam determinat, quæque propterea vigeat, ac ſi fuiſſet determinata ab initio; Non obſtat, inquam, quia electio non plus præſtat, quam nudum propoſitum, quod, ſicuti quando eſt ſine promiſſione eſt reuocabile circa quodcunque opus propoſitum, ita etiam eſt reuocabile circa electionem operis promiſſi ſub diſiunctione, ſicque poſita reuocatione reducitur ad priorem ſtatum voti diſiunctiui, à quo poteſt Epiſcopus per diſpenſationem liberare.

Nudum propoſitũ eſt reuocabile.

Dices ſecundo. Debitor alternatiuus declarans creditori partem, quam elegerit non poteſt poſtea reſilire per regulam iuris in ſexto: *Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt*, ergo etiam debitor erga Deum ratione voti de opere ſub diſiunctione promiſſo facta ſemel electione, quæ vtique ipſi Deo innoteſcit, non minus, ac creditori homini innoteſcat voluntas debitoris per declarationem expreſſa non poterit amplius ab illa electione reſilire. Sed contra, quia quidquid ſit de iure poſitiuo, certum eſt, quod declaratio etiã facta homini propoſiti electiui, dummodo non ſit cum promiſſione ex natura rei, & ex iure naturæ non pariat obligationem talem, vt re integra non poſſit à tali electione reſilire, vt bene notat *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. n. 7.* Quod ſi deinde ius poſitiuum non admittat talem retractationem, hoc eſt, quia præſumit in tali propoſito de promiſſione.

Declaratio propoſiti electiui dummodo non ſit cũ promiſſione non parit obligationem ſtrictam.

Dices tertio, huiuſmodi electio eſt quaſi noua voti reſeruati emiſſio, ergo perinde erit, ac ſi votum reſeruatum determinatum eliceretur, ergo non poteſt Epiſcopus in illo diſpenſare. Sed contra gratis omnino dicitur, quando nõ eſt cum noua promiſſione, quod ſit noua voti reſeruati emiſsio, quia non ſtat votum ſine promiſſione, nec propterea noui voti emiſsio, ſine noua promiſsione.

Fateor, quod ſpeculatiuè loquendo ea, quæ dicta ſunt in hac ſecunda parte aſſertionis, poſsint ſubſiſtere; cæterum practicè loquendo non recederem à contraria opinione propter rationes, quas in inſtantijs aduerſus illam inſinuauimus, maximè cum difficile videatur, quod eligens poſſit habere voluntatem efficacem in actu exercito ad partem reſeruatam ſine promiſſione ſaltem implicita eiuſdem, vel ſaltem ſine renouatione prioris promiſſionis ad illam partem determinatam.

33 **Procedit ſpeculatiuè, non practicè.**

Hic oritur difficultas, an ſi quis vouerit alternatiuè; vel ſub diſiunctio materiam reſeruatam, & non reſeruatam, & antecedenter ad electionem materia non reſeruata facta fuerit impoſſibilis, puta ſi vouerit caſtitatem, vel eleemoſinam pauperibus erogandam, & ante electionem factus fuerit pauper, ita vt nequeat eleemoſinam illã erogare, obligetur determinatè ad caſtitatem ſeruandam, adeout nequeat per Epiſcopum ſuper illa diſpenſari. Exiſtimant *Bonacina de praeceptis diſp. 4. qu. 2. punct. 7. §. 4. n. 18. Alphonſus Leo de iubil. par. 2 q. 13 ſect. 1. n. 91. Fillincius tom. 2. tract. 26. c. 10. n. 171.* non poſſe Epiſcopum in ea hypotheſi diſpenſare, quandoquidem facta impoſſibili materia non reſeruata obligatio reſtringitur ad votum reſeruatum determinatè, quod ex vi ſua eſt adimplendũ; votum autem determinatum caſtitatis eſt Pontifici reſeruatum. Nihilominus probabilius ſentiunt non eſſe reſeruatum, ſed poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilai priuil. ſect. 2. caſ. 11. n. 10. Sanchez lib. 8 de matrimonio diſp. 9. n. 14. Aſcanius Tamburinus tom. 2. de iur. Abbat. diſp. 15 q. 8. n. 5. Paulus Laiman lib. 4. tract. 4 c. 8. n. 12.* Ratio ex eo deducitur, nam in primis certum non eſt, quod tunc vouens præciſè obligetur ad materiam reſeruatam; quandoquidem vouit ſemper cum ordine ad eligendum, quod maluerit, quo propterea ordine ſublato per impoſſibilitatem ſuperuenientem materiæ non reſeruatæ poteſt nolle eligere, & velle materiam reſeruatam, quod confirmari poteſt ex eo, quod ſi vouerit ſub diſiunctio materiam reſeruatam, vel non reſeruatam, & pro eo tempore voti emiſſi materia non reſeruata fuerit inepta, & impoſſibilis non tenetur ad materiam reſeruatam, prout docent *Ioannes Angelus Boſ-*

34 **In voto alternatiuo facta impoſſibili materia nõ reſeruata poteſt Epiſcopus diſpenſare in reſeruata.**

ſius

Digitized by Google

ſius de tripl. Iubil priuileg. ſect. 2 caſ 11. n. 12. Bonacina d. diſp. 4. q. 2. punct 7. §. 5. n. 1. quod non alia ratione ſtatuunt, niſi quia in diſiunctiuis, licet obligatió cadat ſupra vtrã-que partem, tamen vouenti liberum eſt eligere quamcunq; partem maluerit, nec ad certam partem ſe obligauit præcisè; hæc autem eadem ratio militat etiã, quando ante electionem materia non reſeruata facta eſt impoſſibilis, licet poſt votum, quandoquidem adhuc liber eſt ad eligendum, quæ libertas, cum auferatur ratione inhabilitatis vnius partis ſuperuenientis, æque tollitur, ac tollatur, quando adeſt ipſa inhabilitas in ipſa emiſſione voti, licet fuerit tunc ignorata. Deindè dato etiam, quod obligetur tunc ad materiam reſeruatam id non prouenit ex vouentis intentione, & ex natura eiuſdem votis, quod ex ſe nunquam obligauit ad partem reſeruatam, ſed ſolum per accidens ex impoſſibilitate ſuperueniente materię non reſeruatæ; ergò cum deficiat à vera intentione vouentis, & per conſequens à perfecta ratione voti non cadet propriè ſub reſeruatione, quæ vtpotè odioſa non extenditur vltra actus perfectos in tali ratione.

Adhuc vouens liber videtur.

35

Poteſt diſpenſare in pluribus votis, quæ ſecundum ſe vnitim ſumpta obligant ad caſtitatem perfectam.

Assertio VIII. Regularitèr loquendo poteſt Epiſcopus diſpenſare in pluribus votis, quæ ſeorſim ſumpta non conſtituunt ſecundum ſe caſtitatem perfectam, & completam, vnita tamen ſeù ſimul ſumpta obligant ad caſtitatem perfectam, & ad omnes actus ipſius *Sanchez lib. 4. ſumma c. 40. nu. 68. Alphonſus Leo de Iubilæo part. 2. q 13. ſect. 2. n. 104. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 20. nu. 7.*

Ratio ex eo deducitur, quià quodlibet ex illis votis ſeorſim ſumptis eſt per Epiſcopum diſpenſabile, ſiquidem quodlibet ſecũdum ſe non eſt votum caſtitatis integræ, & totalis, ergò omnia, quantumvis vnita, erunt per eundem diſpenſabilia. Conſequentia probatur, quià quantumvis ſint vnita, & omnia ſimul obligent ad caſtitatem perfectam, & ad omnes actus ipſius, nihilominus poteſt ſingula eorum accipiendo ſuper eiſdem diſpenſare; v. g. quis vna vice vouit non nubere, deindè alia vice non fornicari, & alia vice non committere alia peccata venerea; cur accipiendo prius votum non nubendi ſecundum ſe non poterit ſuper illo diſpenſare? poſita autem ſuper hoc diſpenſatione alia vota non obligant ad caſtitatem integram, & perfectam; cur ergò non poterit ſuper illis diſpenſare? Neque dicas, tunc omnia vota ſe habere per modum vnius adæquati, & completi, & ſic quamuis ſingula ſecundum ſe ſint diſpenſabilia, vnita tamen, cum æquivaleant vni voto, non poſſe diſpenſari; contrà enim impugnaberis, quià omnia vota ſucceſſiua per accidens ſe habent ad prius, & ſic per accidens vniuntur, non autem per ſe ad conſtituendum quid vnum per ſe. Verum tamen eſt, quòd, ſi vouens vltimum votum emiſerit hac formali intentione; vt per illud ſe obligaret ad perfectam caſtitatem, tunc non poſſet Epiſcopus ſuper illo diſpenſare, quià in illo vno omnia comprehenderentur, quæ fuerunt in prioribus præhabita, & ſic illud per ſe contineret perfectam caſtitatem.

Poteſt diſpenſare deſtruendo ſingula ſeorſim ſumpta.

Si tamen per vltimũ votum intelligeret ſe ad perfectam caſtitatem obligare tunc non poſſet Epiſcopus diſpenſare.

Assertio IX. Regularitèr in arduis non poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi interpretari, ſicuti interpretatur Pontifex in toto orbe.

36

In arduis non poteſt Epiſcopus in lege ſuperioris interpretari.

Ratio ex eo deducitur, quia non eſt præſumendum, quod Deus ea, quæ ſibi reſeruauit peculiari iure, quæque ardua ſunt, nec conceduntur niſi grauiſſima ex cauſa, voluerit alijs à Romano Pontifice ſpeciali ipſius voluntatis interprete committere, ergò ex præſumpta Dei voluntate non poſſunt Epiſcopi ſuper ijs interpretari; hac ratione diximus in præcedentibus non poſſe Epiſcopum, ea quoad ſuos ſubditos, quæ poteſt Pontifex in toto orbe circa matrimonium ratum, vt diſſoluatur, vel circa vota ſolemnia annexa, vel ſacris ordinibus, vel profeſſioni Religioſæ, prout ſentit *Sanchez de matrimonio lib 2. diſp. 14. n. 5. ad octauum.*

Assertio X. In legibus Pontificum, & Conciliorum in quibus, nec expreſsè permittitur, nec prohibetur diſpenſatio regularitèr nequeunt Epiſcopi diſpenſare niſi in caſu vrgentis neceſſitatis, *Lignado c. at ſi clerici. § de adulterijs de iudic., & ibi Abbas n. 9. Baldus l. omnes populi n. 8. ff de iuſt. & iur. Romanus ſingular. 486. Speculator tit. de diſpenſat. § nunc de Epiſcoporum n. 30. in fin. Felinus c. 1. fallent 7. de conſtit. Milis in repert. verb diſpenſare poteſt Epiſcopus, Lambertinus de iure patronatus lib. 2. part. 1 q. 7. art. 19. n. 2, Gutierez qq canon. lib. 1. c. 23. n. 18. Gratianus reg. 433 n. 8.*

37

In legibus Pontificũ, & Conciliorum, in quibus nec expreſſe permittitur, nec prohibetur, diſpenſatio, non poteſt Epiſcopus diſpenſare.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià inferior, vbi eidem non committitur, nullum ius habet in lege ſui ſuperioris, & regula generalis eſt, quod eius ſit ſoluere legem, cuius eſt condere *Archi-Diaconus in cap. licet caro, de elect. in 6. Abbas c. cum dilecti n. 10. de elect. Felinus c. at ſi clerici n 5. de iudic. Rebuffus tract. nominationum q. 5. nu 32 Coaruuias 4. decret. 2. part c. 6. in princip n 15., & §. 10. n. 1) Gutierez lib. 1 qq canon c. 5. n. 10.*, ergò Epiſcopus, vtpotè inferior ad Pontificem, & concilium generale non poterit in legibus eorundem diſpenſare, quandò nec expreſsè eidem permittitur, nec prohibetur; Neque dicas, quod vbi Pontifices, & concilia nolunt Epiſcopos in ſuis legibus diſponere, ſeù diſpenſare, expreſsè eis prohibeant, vel ſibi ſpecialitèr reſeruent, vt

con-

contingit in pluribus excõmunicationibus, quarũ abſolutiones, quià nolunt Epiſcopos impertiri, ſibi priuatiuè quoad alios reſeruant, ergò vbi nulla aderit expreſſio prohibitionis, nec ſpecialis, & priuatiua reſeruatio, poterunt Epiſcopi diſpenſare; contra enim impugnaberis, quià eo ipſo, quod lex eſt ſuperioris, ſeù à ſuperiore emanans eſt ſupra inferioris poteſtatem, adeoque ipſo iure reſpectu eiuſdem inferioris ſatis intelligitur reſeruata; quod ſi quandoque Pontifices, ſeù Concilia ſibi

Eo ipſo, quod lex eſt ſuperioris eſt ſupra inferioris poteſtatem.

ſpecialitèr reſeruent hoc eſt in ordine ad priuilegiatos per Pontificum diplomata, ne ſcilicet ex priuilegio in huiuſmodi legibus ſpecialiter reſeruatis ſe ingerant. Deinde aliud eſt diſpenſare in lege ſuperioris eam abrogando, quatenus reſpectu diſpenſati non amplius obliget, aliud abſoluere à pœnis, quæ in tranſgreſſores huiuſmodi legum irrogantur; in primo ex genere ſuo nequeunt inferiores propter generalem regulam, quod eius ſit tollere legem, cuius eſt condere; in ſecundo autem, vbi non fit reſeruatio, vtique poſſunt, quià hoc non eſt in lege ſuperioris ingerere ſe eã immutando, vel abrogando, ſed noxam præcisè remittendo, quæ conſurgit ex eiuſdem legis tranſgreſſione, ad quod non requiritur Pontificia poteſtas, niſi pœna illa ſit reſeruata; cæteroqui ferè in nullo caſu poſſent Epiſcopi auctoritate ordinaria à peccatis læthalibus abſoluere, cum regularitèr iſta ſint vel contra legem diuinam, vel Pontificiam; vnde quando Pontifices ſibi aliquid reſeruant in huiuſmodi proprijs legibus intelliguntur reſeruare abſolutionem à cenſuris, vel noxis, quę per tranſgreſſionem huiuſmodi legum contrahuntur, quæ abſolutio etiam ad Epiſcopos deuolueretur, ſi non reſeruaretur; cæterum in legibus quoad ſubſtantiam non reſeruant, quià ex iure ſuo intelliguntur reſeruatæ.

38 **Excipe in caſibus vrgentis neceſſitatis.**

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, quod ſcilicet in vrgentibus neceſſitatibus, vbi non adeſt facilis aditus ad Romanum Pontificem, non præſumitur rationabiliter inuitus idẽ Pontifex, quod Epiſcopus tanquam iudex ordinarius diſpenſet, ne illi, qui tali neceſſitate premuntur, quiq; Romanum Pontificem adire nequeant, deſtituti remedio remaneant, ergo ex præſumpta eiuſdem Pontificis voluntate poterunt in ſimilibus caſibus diſpenſare.

Assertio XI. In legibus Pontificum, & Conciliorum, in quibus imperſonalitèr permittitur, diſpenſatio, non tamen exprimitur, cui permittatur, regularitèr poſſunt Epiſcopi diſpenſare *Gloſa in c. in qui-*
39 *buſdam in fine de pœnis Io. Andreas in fin. Innocentius c. poſtulaſti in initio de clericis excomm. miniſt. Gloſ. c. ſi quis verb. fiat de elect. Archidiaconus c. licet canon. nu. 3 de elect. in ſexto, Abbas c. veniens n. 3. de eo qui congn. conſang Gambara de auct. leg. lib. 10. n. 411., & ſeqq., Cucus lib. 2. inſtit. maior. tit. 6. nu. 240. D. Antoninus prima part. tit. 17. c. vnico §. 20. Enriquez lib. 14. de irregul. c. 19. nu. 2. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 5. n. 1.*

In caſibus, in quibus permittitur imperſonalitèr diſpenſatio, poſſunt Epiſcopi diſpenſare

Ratio primæ partis quoad leges Pontificias ex eo deſumitur primo, quià illa clauſula permiſſiua diſpenſationis debet eſſe alicuius effectus operatiua, & non fruſtraneè appoſita, ſed ad alium effectum referri non poteſt, niſi quod Epiſcopus poteſt diſpenſare, ergo &c. Minor probatur, quià nulli dubium eſt, quin ipſe Pontifex in ſuis legibus poſſit diſpenſare, & quod tunc contraueniens non delinqueret, ergo referri debet ad eum effectum, vt Epiſcopus poſſit diſpenſare, cæteroqui eſſet fruſtratoriè appoſita. Secundo, quià diſpenſationes quantumvis ex genere ſuo odioſæ, ſi tamen fuerint clauſæ in corpore iuris, ſunt extendendæ per ea, quæ ſupra probauimus, ergo à fortiori erit extendenda poteſtas diſpenſandi, quæ ex infra dicendis eſt fauorabilis, quæque in ipſa lege includitur.

Diſpenſationes clauſæ in corpore iuris ſunt extendendæ.

40 **Excipe niſi lex dirigeretur ad ipſum Epiſcopum.**

Nonnullas tamen patitur hęc aſſertio limitationes, & primo in caſu, quo lex ad ipſos Epiſcopos dirigeretur; non enim æquum eſt, vt quis legem aduerſus ſe latã ex ſe poſſit abrogare *Hoſtienſis in c. 1. ſuper gloſam penult. n. 3 de ſuppoſ. negl. prælat. in ſexto Antoninus c. at ſi clerici §. de adulterijs nu. 17 de iudic.* Secundo in hypotheſi, qua Pontifex apponeret in lege pœnam, quam ſibi reſeruaret, quia reſeruando ſibi pœnam videtur implicitè etiam reſeruare legem, ex qua talis pœna emanat, & regularitèr illius tantum eſt abſoluere, cuius eſt condemnare per textum *in l. 3. ff. de re iudic., & c. cum inferior de maior., & obed.*

41 **Et niſi apponeretur pœna reſeruata Pontifici.**

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià non maior ineſt vis in legibus conciliorum, ac inſit in legibus Pontificijs, ergo, ſi quando apponitur imperſonaliter poſſe diſpenſari in legibus Pontificijs, quantumvis non exprimatur, cui concedatur facultas diſpenſandi, poteſt Epiſcopus diſpenſare, etiam quando eodem modo apponitur poterit diſpenſare in legibus conciliorum; Neque dicas, diſparem eſſe rationem in legibus conciliorum, ac in ſanctionibus Pontificum, quandoquidem, cum Concilia ſancita ſint maxima ponderatione, expreſſa indigent derogatione; tum quià denegata Epiſcopis poteſtate adhuc clauſula diſpenſationis in decretis conciliaribus appoſita poſſet effectum aliquem ſortiri, & primo, quod non egeant ſpeciali mentione, vt derogentur; Secundo, quod facilius in eis Pontifices diſpenſent, ac diſpenſant in alijs, in quibus clauſula diſpenſationis

Etiam in legibus cõciliorum, quando cõceditur imperſonalitèr diſpenſatio, poteſt Epiſcopus diſpenſare.

non

Digitized by Google

non apponitur; contra enim impugnaberis, quia hæc diuerſitas gratis omnino confingitur, ſiquidem, cum Pontifex ſit ſupra omnia concilia, poteſt æque in eorum legibus diſpenſare, ac in proprijs, nec verum eſt, quod ſtante tali clauſula non ſit neceſſe, vt fiat mentio de decreto concilij in illius derogatione.

Remanerent hic diſcutiendæ duæ vltimæ difficultates propoſitæ in principio tituli, an ſcilicet poſſit Epiſcopus diſpenſare in matrimonio iam contracto cum impedimento occulto, maxime ſi adſit periculum incontinentiæ in recurſu ad Romanum Pontificem, vel facilis non adſit aditus ad eundem, & an in contrahendo, quando in proximo eſt celebrandum, & dilatio ad effectum impetrandæ diſpenſationis à Pontifice eſſet pernicioſa, & ingereret damna, & ſcandala; ſed quia de his iam actum eſt in præcedenti volumine, ideo ad vlteriora progredior.

42 **In legibus Concilij Prouincialis nequit ſuffragane' quoad ſuos ſubditos diſpenſare, nec Archiepiſcopus quoad ſuos**

ASSERTIO XII. In ijs, quæ Concilij Prouincialis ſunt non poſſunt Epiſcopi ſuffraganei quoad ſuos ſubditos diſpenſare, quinimmo nec Archiepiſcopus quoad ſuos regulariter loquendo, & multo minus quoad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum. Ita ſentire videntur *Nauarrus lib. 1. conſil. in prima edit. tit. 31. de offic. Ordinarij conſ. 7. in poſteriori tit. de maior. & obed. conſ. 6. Gloſa fin. c. à collat. de appell. in 6. Hoſtienſis c. graue in fin. de prabend. Cardin. clement. 1. §. quod etiam in interdictis n. 1. not. 1. de ſententia excommunic.* quamuis hi DD. non loquantur ita latè, qui tamen poſſunt reduci ad ſanum ſenſum huius noſtræ aſſertionis.

Ratio in vniuerſum ex eo poteſt deduci, quia nec Epiſcopus, nec Archiepiſcopus eſt ſupra Concilium Prouinciale; ab Archiepiſcopo etenim datur appellatio ad ſinodum prouincialem, prout tradit *Gloſa fin. in c. à collat. de appellat. in 6.*, nec aliam habet præeminentiam in tali ſinodo, niſi quia eandem habet conuocare, & in ea præſidere, ſeu primum locum tenere *Nauarrus lib. 1. conſil. in prima edit. tit. 31. de offic. ordinarij conſ. 7.*; Neque obeſſe poteſt textus *in c. graue de prabend.* vbi dicitur, quod metropolitanus non poſſit per ſinodum puniri, ex quo eruitur, quod non ſit inferior reſpectu ſinodi prouincialis; non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quod nequeat puniri, non infert ſupranitatem, ſed quandam decentiam ratione dignitatis, & præſidentiæ. Confirmatur, quia Archiepiſcopus non poteſt condere leges per ſe, quæ obligent vniuerſam prouinciam, niſi ſimul cum aſſenſu Epiſcoporum ſuffraganeorum, per textum *in c. nullus primas q. qu. 3. & c. ſicut olim de accuſat.*, ergo ſecundum ſe non poteſt illas abrogare per diſpenſationem, quia eius eſt tollere, cuius eſt cõdere ex vulgatis iuribus. Quod ſi Archiepiſcopus non poteſt, à fortiori, non videtur poſſe Epiſcopus quoad ſuos ſubditos.

Archiepiſcopus non eſt ſupra concilium Prouinciale.

Dixi, *& multo minus quoad ſubditos ſuorum ſuffraganeorum*, quandoquidem dato etiam quod poteſtatem haberet Archiepiſcopus diſpenſandi in huiuſmodi legibus conciliorum Prouincialium quoad ſuos ſubditos, nõ extenderetur tamen hæc poteſtas quoad ſubditos ſuffraganeorum, quandoquidem ius non habet in illos, niſi in caſibus appellationum, & propterea dixi in aſſertione *regulariter loquendo*.

ASSERTIO XIII. Probabilius eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare in conſtitutionibus ſinodalibus Diœceſanis reſpectiuè ad ſuos ſubditos, *Boſſaus de ſinodo Epiſcop. part. 2. art. 4. n. 9. Nauarrus in ſumma c. 25. n. 74. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 18. nu. 33.* & alij magis communiter. 43

43 Probabilius Epiſcopus, & Archiepiſcopus poteſt diſpenſare in decretis ſinodalibus

Ratio ex eo deducitur, quia Epiſcopus in deciſionibus ſinodalibus eſt verè ſuperior, & ipſe ſolus fert votum deciſiuum, reliqui verò ſolummodo aſſident conſiliũ præbentes, nec reliqui ſubſcribunt, ſed ſolus Epiſcopus, in quo eſt diuerſa ratio in concilijs prouincialibus, in quibus non ſolus Archiepiſcopus ſubſcribit, ſed etiam Epiſcopi omnes tanquam ſuffragium, & votum deciſiuum ferentes, ergo cum ſit ſuperior poterit vtique in illis diſpenſare: Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod Epiſcopus in ſinodo Diœceſana comparetur ad ibi congregatos, ſicuti comparetur Decanus ad capitulum Eccleſiæ cathedralis, prout docent *Medina prima ſecunda q. 96. art. 5. dub. 2. concl. 1. Manuel primo tomo ſumma in 2. edit. c. 237. n. 1. in fin.* ſed Decanus non poteſt diſpenſare in decretis capituli cathedralis, ergo nec &c. Non, inquam, obſtare poteſt, quia falſum omnino eſt, ita adinuicem comparari Epiſcopum ad ſinodum Diœceſanam, ſicuti Decanus ad capitulum, nam in iſto omnes ferunt ſuffragium, & votum deciſiuum, non ſic in illo, vnde Epiſcopus quoad vim coercitiuam non ſubeſt decretis ſinodorum, ſed tantum quoad vim directiuam.

Epiſcopus in deciſionibus ſinodalibus eſt verè ſuperior.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi decreta ſinodalia fuerint auctoritate Pontificis confirmata, poſſint per Epiſcopum diſpenſari. Secunda eſt, an etiam poſſint per eundem diſpenſari, ſi tranſierint quodamodo in contractum in commodum alterius. In ordine ad primam ſentiunt *Dominicus c. 1. in princip. nu. 11 de fil. presbyter. in 6. Boſſaus de ſinodo Epiſcop. ſecunda part. art. 4. n. 12. Sclaeſler verb. beneficium 3. q. 9 n. 13.*, & alij plures quos citat, & ſequitur *Sanchez lib 8. diſp. 18. n. 30.* Epiſcopum tunc non poſſe diſpenſare, quia non poteſt derogare confirmationi Pontificis. Nihilominus reſpondendum exiſtimo cum diſtinctione, vel etenim præciſè

Digitized by Google

44 Pontifex approbauit decreta ſinodi Diœceſanę mandans eadem executioni mandari; vel confirmauit, & Apoſtolicæ auctoritatis robur adiecit; ſi primo modo crederem adhuc Epiſcopum in talibus decretis diſpenſare poſſe, quia remanent in puro eſſe decretorum ſinodalium; nec approbatio Pontificis aliud addit, niſi quod eadem commendat, & approbat poſſe exequi, & mandat, vt decreta ſinodalia, non ſub alia ratione; ſi ſecundo modo, tunc habet locum ſenſus præcitatorum DD. & ratio ipſorum. In ordine ad ſecundum exiſtimo non poſſe diſpenſare, quia iam ius eſt illis acquiſitum, in quorum fauorem decretũ illud iuductum eſt per modum conuentionis, *Antonius c. at ſi clerici §. de adulterijs n.17. de iudicijs, & c. qua in Eccleſiarum n.30. de conſtitutionibus, Abbas in c. dilectus n.7. de tempor. ordin. Francus c. licet canon. in princip. n.4. de elect. in 6.*

Epiſcopus poteſt in decretis ſinodalibus diſpenſare, quando sũt approbata à Pontifice, ſecus, ſi auctoritatis Apoſtolicæ robur adiecit.

Nec ſi tranſierint in contractũ in fauorem tertij.

PRÆNOTIO XII.

An, & quando Prælati Regulares poſſint in ordine ad ſuos ſubditos diſpenſare, & quid poſſint Regulares ex vi priuilegiorum?

SVMMARIVM.

Prælati Regulares regulariter loquendo poſſunt in ijs diſpenſare quoad ſuos ſubditos, in quibus Epiſcopus quoad ſuos. 1.

Etiam in ijs, in quibus Epiſcopi diſpenſant ex vi Tridentini. 2.

Item in omnibus votis emiſſis ſiue in Religione, ſiue ante. 3.

Et hoc etiam ex ſpeciali priuilegio Pij V. 4.

Etiam in votis iuratis. 5.

Etiam in ijs, in quibus non patet aditus ad Papam. 6.

Non tamen in ijs, in quibus Epiſcopi diſpenſant ex vi ordinationis. 7.

Generales diſpenſationes cum ſuis ſuper interſtitijs. 8.

Probabilius Prælati Regulares non poſſunt abſoluere ab hæreſi occulta. 9.

Ex vi priuilegiorum poſſunt Prælati regulares plura quoad ſuos ſubditos, quæ non poſſunt Epiſcopi. 10.

Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, in irregularitate etiam Papæ reſeruata. 11.

Etiam in inhabilitate, & infamia. 12.

Etiam ſuper defectu naturalium. 13.

Diſpenſatus per ingreſſum ad ordines, non eſt ad dignitates. 14.

Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper bigamia ſimilitudinaria. 15.

Forte etiam in vera, & interpretatiua. 16.

Etiam in irregularitate ex defectu corporis, & quomodo. 17.

Etiam à ſuſpenſione, & irregularitate contracta ob ſuſceptionem ſacrorum ordinum ante legitimam ætatem. 18.

Præpoſitus Generalis noſtræ Congregationis poteſt diſpenſare quoad ſuos ſubditos, vt valeant ſuſcipere ſacros ordines extra tẽpora à iure ſtatuta tribus diebus Dominicis, vel feſtiuis. 19.

Prælati Regulares facultates, quas habent, poſſunt committere ſuis ſubditis. 20.

Prælati Regulares nequeunt abſolutè irritare vota Nouitiorum vel emiſſa ante ingreſſũ, vel in anno probationis, ſed tantum ſuſpendere vſque ad profeſſionem, qua emiſſa tolluntur, non emiſſa in egreſſu reuiuiſcunt. 21.

Neque etiam poſſunt ſuper eiſdem diſpenſare. 22.

Neque item poſſunt diſpenſare ſuper alijs notis contractis, puta infamia iuris, bigamia, &c. ſed tantum ſuſpendere vſque ad profeſſionem. 23.

Poſſunt tamen abſoluere eoſdem Nouitios à caſibus reſeruatis, & à cenſuris, alijſq; quæ ſe habent per modum actus. 24.

Poſſunt regulares diſpenſare cũ Laicis ſuper votis, exceptis quinque reſeruatis. 25.

Et etiam abſoluere à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. 26.

Regulares poſſunt etiam commutare, & diſpenſare ſuper votis, quantumuis fuerint iurata, dummodo non ſint ex illis quinque. 27.

In omnibus caſibus, in quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare cum ſuis ſubditis in votis caſtitatis, & Religionis, poſſunt etiam Regulares. 28.

Non tamen in ijs, in quibus ſolum Epiſcopus diſpenſat ex neceſſitate. 29.

Regulares non ſolum poſſunt diſpenſare quoad ſubditos illius Diœceſis, in qua degunt, ſed etiam quoad forenſes accedentes ad ipſos pro peccatis expiandis. 30.

Probabilius extra ſacramentum nequeant diſpenſare. 31.

Confeſſarij Regulares ex commiſſione Prouincialis poſſunt diſpenſare ſuper petitione debiti in ijs, qui cum voto ſimplici caſtitatis contraxerunt matrimonium, & in ijs, qui poſt matrimonium contraxerunt affinitatem. 32.

Modo tamen videntur non poſſe. 33.

DVplicem habet partem titulus propoſitus, vt ex ſe patet, & ex ipſis terminis. Prima eſt de facultate Prælatorum Regularium in ordine ad ſuos ſubditos. Secunda de auctoritate Regularium vi priuilegiorum in ordine ad ſæculares. De prima primo agemus, ſubſequenter ſub hoc eodem titulo de ſecunda.

Duplex ſtatus difficultatis.

1 Assertio I. Regulariter loquendo poſſunt Prælati Regulares quoad ſuos ſub-

ſubditos in ijs, in quibus poſſunt Epiſcopi quoad ſuos, diſpenſare. Ità in ſimilibus terminis *Henriq. lib. 7. ſumma c. 25. §. 3. lit. Q. in comment.*, *Rodriquez tom. 1. qq regul. q. 62. art. 9. Suarez de panit. diſp. 30. ſect. 2. n. 7.*, *Ludouicus Beia p. 4. caſ. 37. in princip. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 2. n. 13.*, *& lib. 2. ſumma c. 11. n. 7.*, *Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcopi part. 2. alleg. 39. n. 18.*, *Ioannes Angelus Boſſius de tripli-ci Iubilai priuileg. ſect. 1. cap. 10. §. 10. num. 220.*

1 Prælati regulares diſpenſant quoad ſuos ſubditos, in quibus Epiſcopus quoad ſuos.

Ratio ex eo deducitur, quià Prælati Regulares ſunt exempti, & in ordine ad ſuos ſubditos habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & etiam proprium territorium, quod non eſt pars Diœceſis Epiſcopi, ſed veluti propria Diœceſis diſtincta à Diœceſi Epiſcoporum, ergo non eſt, cur in ijs, in quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare quoad ſuos ſubditos, non poſſint Regulares diſpenſare in ordine ad ſuos. Confirmatur, quià negata Prælatis Regularibus facultate diſpenſandi in ordine ad ſuos ſubditos in ijs in quibus poſſunt Epiſcopi quoad ſuos, ſubditi Regulares, quibus maximè ratione perfectionis ſtatus fauent Pontifices eſſet in deteriori conditione, ac ſint ſubditi ſæculares quandoquidem eiſdem non eſſet prouiſum de opportuno ſuarum animarum remedio, ſi tenerentur in huiuſmodi caſibus ad Sedem Apoſtolicam pro diſpenſatione confugere; neque arbitreris, quod in ſimilibus caſibus teneantur, ſeù poſſint ad Epiſcopum Diœceſanum recurrere; non, inquam, arbitreris, quandoquidem reſpectu Epiſcopi non ſunt ſubditi.

2 Etiam in ijs, in quibus Epiſcopi diſpenſant ex vi Trid.

Hinc in particulari deduces primo, quòd Prælati Regulares poſſint diſpenſare, & abſoluere quoad ſuos ſubditos in ijs caſibus, in quibus poſſunt Epiſcopi ex vi Tridentini *in c. 6. ſeſſ. 24. de reformatione*, quandoquidem ipſis competit iuriſdictio quaſi Epiſcopalis in ordine ad ſuos regulares ſibi ſubiectos.

3 Etiam in omnibus votis.

Deduces ſecundo, poſſe diſpenſare quoad omnia vota, in quibus poſſunt Epiſcopi, & non ſolum, ſi hæc fuerint emiſſa conſtante ſtatu Religionis, ſed etiam antecedentèr ad illum ſtatum, hocque non ſolum euincitur ex auctoritate quaſi Epiſcopali, quam habent ipſi Prælati in ſuos ſubditos, ſed etiam ex defectu poteſtatis ſubditorum, ſi iam fuerint profeſſi ad ipſa elicienda ſine auctoritate, & conſenſu prælatorum, vel ſi elicuerint talia vota, antecedentèr ad ſtatum Religioſorum ſuſceptum ex vi eiuſdem ſtatus, ſecundum, quem ſubduntur plenè auctoritati Prælatorum, adeout, nec habeant velle, nec nolle, quo ſtatu conſiſtente debent in omnibus, quantumuis antecedenter elicitis ſubeſſe nutibus eorundem Prælatorum.

Deduces tertio Prælatos Regulares non ſolum poſſe in prædictis diſpenſare ex vi eiuſdem Tridentini, ſed etiam ex ſpeciali priuilegio *Pij V. in conſtit. incipiente Romani Pontificis edito anno 1571. relato à Rodriquez tom. 1. qq. 61. art. 9.*, *& à Suarez de panit. diſp. 30. ſect. 2. n. 7.* 4 Etiam ex ſpeciali priuilegio.

Deduces quarto poſſe, Prælatos Regulares in ordine ad ſuos ſubditos diſpenſare in omnibus votis non exceptis, quantumuis illa fuerint iurata ex priuilegio *Gregorij XIII in conſtit. edita anno 1575 incipiente Decet Romanum Pontificem in fauorem Societatis Ieſu*, quo priuilegio gaudent omnes communicantes; ſi autem per hoc priuilegium poſſunt Prælati Regulares diſpenſare quoad ſæculares, de quibus loquitur Bulla, ſibi non ſubditos, non eſt, cur in fortioribus terminis non poſſint diſpenſare quoad ſuos ſubditos Regulares. 5 Etiam ſi vota fuerint iurata

Deduces quinto, in ijs omnibus caſibus Pontificijs, in quibus ex ſuperimminenti periculo, vbi facilis non adeſt aditus ad Romanum Pontificem, poteſt Epiſcopus diſpenſare, poſſit etiam Prælatus Regularis in ordine ad ſuos ſubditos; & hoc ex interpretatiua mente eiuſdem Pontificis propter æqualem ſubiectionem, quam habent Regulares ad ſuos Prælatos, ac habeant ſubditi ad ſuos Epiſcopos. 6 Etiam in ijs, in quibus non patet aditus ad Pontificem.

Reſtringe tamen primo aſſertionem in caſibus, in quibus Epiſcopi diſpenſant ex vi ſpecialis ordinationis Epiſcopalis, quià in huiuſmodi caſibus Prælati Regulares defectu illius ſpecialis ordinationis vtique nequeunt diſpenſare, vt ex ſe patet; Hic tamen aduerte, quòd poſſint ſuperiores præcipuè Generales diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper interſtitia, vt ſcilicet ſui ſubditi poſſint promoueri ad ſacros ordines non interiecto anno inter ſuſceptionem vnius, ſeù alterius ordinis. 7 Non tamẽ in ijs, in quibus Epiſcopi diſpenſant ex vi ordinationis.

Reſtringunt ſecundo aliqui, vt non poſſint Prælati Regulares, nec ex vi Tridentini, nec ex vi conceſſionis factæ à Pio V. in conſtitutione ſupra allegata abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi occulta inter quos *Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 2. c. 11. n. 7. Sanctarellus tract. de hereſi c. 5 dub. 1. n. 9 Diana part. 1. tract. 5 reſol. 6. verſ. ſed his minimè ſuffragantibus*, & adducunt rationem, quià in conceſſione facta per Pium V. non fit ſpecialis mentio de hereſi, & in nulla Generali conceſſione cenſetur hæreſis abſolutio comprehendi. Addunt vlterius, quod in ordine ad abſolutionem ab hoc crimine omnia Regularium priuilegia intelligantur reuocata per bullam cænæ, vt ſentiunt *Suarez tom 4. de Religione tract. 9. lib. 2 c. 21. n. 10. Portellius in dubijs regul. verb. Abbas n. 11.* Adducunt vltimo, ita fuiſſe declaratum per ſacram Cardinalium Congreg. tionem ſub die 17. Nouembris 1628., ſed hanc reſtrictionem 8 Benè tamẽ ſuper interſtitijs.

Digitized by Google

reijciunt *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg.*, *&* *Laurentius de Portel. in ſuis dub. regul. verbo hæreſis* § 4., *&* *verb. Prælati n.* 24.; & præcipuè hoc docent ex quodam Priuilegio Pij V. apud Rodriquez in bullario, cuius etiam meminit *Portellius in dub. Reg. verb. Abbas nu.* 6. *Sanchez de matrimonio tom.* 2. *lib.* 8. *diſp.* 2. *n.* 3. vbi tribuitur PP. Dominicanis, ac proindè alijs Regularium ſuperioribus erga ſuos ſubditos in foro conſcientiæ omnis facultas abſoluendi, & diſpenſandi, quam habent Epiſcopi vigore concilij Trident. ſeſſ. 23. c. 6. Quamobrem ad ea, quæ opponuntur, reſpondent, & quidem ad primum aſſerunt in illa conceſſione compræhendi abſolutionem ab hæreſi occulta tum implicitè, & virtualitèr, tum explicitè, & formaliter; implicitè quidem, quia quando Pontifices volunt à generali conceſſione excipere abſolutionem ab hæreſi illam nominatim excipiunt, prout docent *Suarez*

9
Probabilius non poſſunt Prælati regulares abſoluere ab hæreſi occulta,

tom. 4. *de Religione lib.* 2. *c.* 20. *num.* 10., *&* *ſeqq. Portellius in dub. Reg. verb. Abbas n.* 6., vt conſtat ex conceſſione Gregorij XIII. fratribus S. Bernardi in Hiſpania; explicitè verò, quià expreſsè Pius V. conceſſit Prælatis Regularium caſus conceſſos Epiſcopis *in d. c.* 6. *Trident.*, inter quos numeratur hæreſis occulta; Ad ſecundum dicunt per Bullam cœnæ non derogari priuilegijs Regularium, quòd ex eo colligitur, quòd paſſim Pontifices innouant Regularium priuilegia, quod fruſtrà fieret, ſi in die cœnæ, quod fit ab omnibus Pontificibus, eſset reuocanda. Deinde Gregorius XIII. anno 1564. die 18. Martij indulſit Societati Ieſu, vt conceſſiones illi factæ non cenſeantur per Bullam cœnæ reuocatæ, vt habetur *in compendio priuilegiorum eiuſdem Societatis Ieſu verb. Bulla cœnæ* §. 2., *Suarez de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 9. *c.* 20. *n.* 18. *Portellius in dub. Regul. verb. Bulla cœnæ n.* 2., quo priuilegio gaudent omnes communicantes; Ad tertium aſſerunt de tali declaratione non conſtare authenticè; & vbi conſtaret, non habere vim legis, Quid ergo concludendum? Tu cogita, Probabilius crederem non poſſe Prælatos Regularium à tali hæreſi occulta abſoluere maximè propter declarationem eiuſdem ſacræ Congregationis, de qua arbitror ſatis conſtare.

10
Per priuilegia plura poſſunt, quæ non poſſunt Epiſcopi,

Asserτio II. Ex vi priuilegiorum in longe pluribus poſſunt Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis ſubditis, in quibus non poſſunt Epiſcopi quoad ſuos. Aſsertio fiet plena per enuntiationem eorum; in quibus poſsunt ijdem Prælati Regulares in ordine ad ſibi ſubditos diſpenſare.

11
Primo in irregularitate etiam præ reſeruata,

Primò diſpenſare poteſt Generalis in foro conſcientiæ quoad irregularitatem cum perſonis ſibi ſubditis in omni irregularitate etiam in caſibus reſeruatis Pontifici, ſcilicet in homicidio, in membrorum obtruncatione, & enormi ſanguinis effuſione contracta, dummodo non ſit notorium factum *Iulius II. Ordini Prædicatorum*, vt habetur *in lib. priuilegior. eorundem fol.* 173., *&* *in compendio minorum tit. Diſpenſatio poſt adnotationem Capucini*. Sed, an poſſit diſpenſare in irregularitate contracta ex homicidio voluntario affirmant plures ex conceſſione Pij V. Congregationi Caſſinenſi cum clauſula: *Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac prouincialibus, vel ſinodalibus concilijs* edita anno Domini 1571. Idibus Ianuarij. Quinimmo aliqui addunt per Priuilegium Martini V. factum Priori S. Benedicti Valliſoleti hanc facultatem extendi ad omnes ſuperiores locales, vt habetur *in compendio minorum tit. Diſpenſatio* §. 24.

12
Etiam in inhabilitate, & infamia.

Secundo poſsunt Generales, vel per ſe, vel per alios per eum pro tempore deputandos eos, qui ſub eius obedientia degunt, ſi inhabilitatis, & infamiæ notam., vel ante, vel poſt ingreſsum in Religionem contraxerunt rehabilitare, & cum abſterſione inhabilitatis, & infamiæ maculæ diſpenſare *Pius V. Abbatibus*, *&* *Prælatis Congregationis Caſſinenſis anno* 1571. *Idibus Ianuarij*, *&* *Gregorius XIV. Clericis Regularibus miniſtrantibus infirmis Anno Domini* 1591. *Vndecimo Calendas Octobris.*

13
Etiam in defectu natalium ex adulterio, inceſtu.

Tertio, Generales, alijque ſuperiores locales de eorundem Generalium licentia poſſunt diſpenſare cum perſonis ſibi ſubditis ſuper defectum natalium etiam ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quouis alio nefario, illicito, & damnato coitu prouenienté: poſtquam in eo ordine vota emiſerint, adeout eodem defectu non obſtante poſſint ad quoſcunque ſacros etiam Præsbiteratus ordines promoueri, quinimmo ad quaſcunque etiam adminiſtrationes, perſonatus, præminentias, & officia *Gregorius XIV. Clericis Regul. miniſtrantibus infirmis anno Domini* 1591. *vndecimo Calendas Octobris*, *&* *Paulus III. Societati Ieſu*, *vt habetur in eorum compendio tit. Diſpenſatio* §. 5., *&* *Sixtus IV. ordini minorum*, & quamvis Sixtus V. prædictam facultatem per ſuam Bullam, quæ incipit *cum de omnibus* reuocauerit; Gregorius tamen XIV. per aliam bullam, quæ incipit *circumſpecta* ad priſtinum ſtatum reuocauit. Nota hic tamen, quòd quantumvis ingreſſus in Religionem abſque diſpenſatione habilitaret ingredientem illegitime natum ad ordines ſuſcipiendos; non tamen habilitet ad dignitates, & offi-

14
Diſpenſatus per ingreſſum ad ordines nõ intelligitur diſpenſatus ad dignitates.

cia ſine diſpenſatione, prout clare euincitur *ex gloſ. in c. fin. de filijs Presbiterorum*. Vnde electio ad officia facta non habita prius diſpenſatione eſſet omnino inualida per textum *in c. innotuit de elect.* quinimmo diſpenſatio ad dignitatem, & of-

ficium

ficium inferius non eſt ſufficiens, vt promoueri poſſit ad ſuperius, *Panormitanus in c. innotuit de elect.*, *Hieronimus Sorbus Capucinus in ſuis annotat. in compendio minorum tit. diſpenſatio*.

15 Item in bigamia ſimilitudinaria

Quarto, poſſunt Generales, alijque prælati Regulatores diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper bigamia ſimilitudinaria ex priuilegio Sixti IV. apud *Dianam part. 4. tract. 2. reſol. 63.*, ſed, an poſſint in vera, & interpretatiua negat *Bononia de elect. part. 2. c. 4 dub. 71 nu. 2*, ea motus ratione, quia in priuilegijs nunquam intelligitur hæc conceſſa, niſi exprimatur; nullibi autem expreſſa cernitur. Sed affirmat *Auila part. 7. diſp. 8. dub. 4. concl. 8* ex eodem priuileg. Sixti V., quòd tamen priuilegium non eſſe ita clarum aſſerit *Tamburinus tom. 2. diſp. 17. q. 3. n. 2* Aliud priuilegium, quoad hoc adducit *Rodriquez compen. reſol. 16. nu 14.*, quòd eſt Pauli III. conceſſum Religioſis D. Benedicti Montis Oleti, & *Portellius verb. diſpenſare in compendio Societatis Ieſu verb. diſpenſare §. 5., & 6.* refert cóceſſionem Sixti IV. factam Cartuſienſibus.

16 Forte etiã in vera, & interpretatiua.

Quinto, poſſunt Generales, alijq; Regulares Prælati diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate ex defectu corporis, niſi defectus tantus ſit, vt pariat ſcandalum *Villalobos tom. 1. tract. 22 diff. 9 n 21.*, & in particulari ſi careat pede, & ambulet pede ligneo, itẽ ſi careat oculo dextero *Vacchius diſp. 9 dub 20. num. 3.*, quinimmo etiam ſiniſtro dummodo in dextero ita ſit perſpicax, vt ſine notabili conuerſione ſacrum canonem poſſit inſpicere *Laiman Theol. moralis lib 2 tract. 5. part. 5 c. 7. n. 2.*

17 Etiam in irregularitate ex defectu corporis, niſi defectus pariat ſcãdalum.

Sextò poſſunt Generales ordinum communicantium cum priuilegijs aliorum ſuos ſubditos à ſuſpenſione contracta ob ſuſceptos ſacros ordines ante legitimam ætatem, & ſuper irregularitatem ex eodem capite prouenientem diſpenſare, vt non ſolum in ſuſceptis miniſtrent, ſed etiam ad omnes alios etiam præsbiteratus ordines promoueantur, vel poſtquã promoti fuerint in altaris miniſterio miniſtrent, ac miſsas, aliaque diuina officia celebrare liberè poſsint *Sixtus IV. Oliuetanis priuileg. 36. fol. 120*; Neque obſtare poteſt Bulla Sixti V. contra Clericos male promotos, quæ incipit *Sanctum, & Salutare*; non obſtat, inquam, quia reuocata eſt per Clementem VIII. in ſua Bulla, quæ incipit *Romanum Pontificem decet*.

18 Etiam à ſuſpenſione contracta ob ſuſceptionem ſacrorum ordinum, & irregularitate ante legitimam ætatem.

Septimò poteſt Præpoſitus Generalis Congregationis noſtræ diſpenſare cum ſuis ſubditis, vt valeant ſuſcipere ordines etiam ſacros, & præsbiteratus extra tempora à iure ſtatuta tribus tamen diebus Dominicis, vel alijs feſtiuis etiam continuis à quocunque Antiſtite non obſtante Concilij Tridentini decreto Eugenius IV. Monachis Sancti Benedicti apud *Rodericum qq canonic., & Regul. q 22. art 4 tom. 3.* idemque indultum Alexander VI. conceſſit Religioſis S. Hieronimi. Nec obſtat Concilium Trident. ſeſs. 23. de reformat. c. 8., quia non reuocat priuilegia Regularium, prout reuocat alia quantum ad ætatem d. ſeſſ. c. 12., & quantum ad recipiendum eodem die duos ſacros ordines c. 13. Nec obſtat ſeſſ. 25. de Regul. c. 22., quia ibi reuocantur ſolum decreta, quæ ſunt contraria ſancitis in ead. ſeſs. 25. Nec paritèr obſtat, quod Gregorius XIII., & Sixtus V. Reliogionum priuilegia confirmauerint, dummodò non ſint contraria decretis Concilij Trident., nam ſolum ſequitur noluiſse ea confirmare, ſed relinquere in vi, quam habebant, nec conſtitutio Sixti V. contra male promotos comprehendit Regulares, vt ex proemio colligitur, & deinde reuocata eſt, vt ſupra, & quamvis Gregorius XIII. conceſſerit Religioſis ſocietatis Ieſu, vt promoueri valeant extra tempora, & prohibuerit huius gratiæ communicationem, tamen id non impedit, quominus alij Pontifices nequeant hanc conceſſionem per viam communicationis ad alias Religiones extendere. Deinde Clemens VIII priuilegia Fratrum minorum confirmauit, & innouauit conceſſiones, & indulta a S. Sede reuocata, & ſic reualidauit indultum conceſſum Benedictinis; idem firmat *Portellius verb. ordines ſacri nu 4 de dubijs Regul. Thomas Tamburinus lib. 7. de ordinan. 16 vſque ad finem Marchinus de ſacris ordin. in com. part 8. de impedim. ex delict. c. 7. Diana in ſumma verb ord. miniſt n. 35.* Quare Mendicantes, & qui eorum gaudent priuilegijs poſſunt frui indultis huiuſmodi, *Rodericus tom. 2. qu. 55. de commun. priuileg. art 17.*, atque ita practicatur in pluribus Diœceſibus, & præcipuè Bononiæ &c

19 Etiam, vt ſui ſubditi valeãt tribus diebus feſtis ordinari etiam extra tempora à iure ſtatuta.

Concil. Trid in hoc non obſtat.

Alia plura ex priuilegijs poſſunt in ordine ad ſuos ſubditos diſpenſare Prælati Regulares, quæ videri poſſunt in eorum compendijs; non enim hic vacat ſingula recenſere.

Assertio III Poſsunt regularitèr loquendo Prælati Regulares omnimodam facultatem, quam habent conceſsam à Romanis Pontificibus committere ſuis ſacerdotibus inferioribus, ex priuilegio Eugenij IV. Prioribus S. Hieronimi Hiſpaniæ. Idem conceſſit Iulius III. Societati Ieſu, vt habet priuilegium, quòd incipit *ſacræ Religionis* &c. ſub num. 70 conceſsum die 22 Octobris 1552. Pontificatus ſui anno 3., vnde huiuſmodi Prælati Regulares poſsunt ſibi eligere confeſſarium, & mutare, qui eis beneficium abſolutionis, & diſpenſationis impendat in omnibus caſibus, quibus ipſi auctorita- 20

Prælati Regulares poſſunt has facultates committere ſuis ſubditis.

te Apoſtolica cæteros ſibi ſubditos abſoluere, & reſpectiuè diſpenſare poſſunt, Eugenius IV. Prioribus S. Hieronimi Hiſpaniæ, vt habetur in eorum compendio priuilegiorum *tit. priores* §. 1., *& tit. Eligere* §. 2.

21 *Nequeunt vota nouitiorum irritare, ſed tantum ſuſpendere, vſque ad profeſſionem,*

Assertio IV. Regularitèr loquendo Prælati Regulares nequeunt abſolutè irritare vota Nouitiorum ante profeſſioné, quæ emiſerunt ante ingreſſum, vel tempore Nouitiatus, ſed tantum ſuſpendere eorum executionem, vſquequo per profeſſionem irritentur, vnde eiectis eiſdem, vel egreſſis è Religione ante profeſſionem adhuc huiuſmodi vota reuiuiſcunt. Idem proportionaliter intelligendum eſt quoad irritationem in alijs per diſpenſationem. *Nauarrus in ſumma c. 12. n. 65. Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 48. §. materia voti; Manuel 1. tom qq. regular. q. 25. art. 8. in fin.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia Nouitij non ſubduntur ſuperiori quoad omnia, ſed tantum vt probentur, & inſtruantur in Religionis regulis, & inſtitutis, nec tenentur ex voto obedire, ſed ſpontè ſe ſubijciunt ad obediendum, ergo ſuperiores non poterunt quoad illos vota, vel antecedenter, vel in nouitiatu emiſſa irritare per diſpenſationem, quandoquidem facultas ipſis conceſſa per Romanos Pontifices extenditur dumtaxat quoad ſuos ſubditos. Confirmatur, quia huiuſmodi priuilegia conceſſa Prælatis Regularibus intelliguntur intuitu ſtatus perfecti Religionis, vt commodius Religioſi vacare poſſint ijs, quæ ſunt de inſtituto, & ratione talis ſtatus, non quatenus inſeruire poſſint extra talem ſtatum, quem Pontifices non reſpexerunt; quinimmò hoc eſſet aditum aperire affectis huiuſmodi notis, vt diſpenſationem obtineant, ingredi Religionem, & poſtea ea obtenta egredi.

Difficultas hic oritur, an poſſint ſaltem Prælati Regulares ſuper vota Nouitiorum ante ingreſſum, vel in Nouitiatu emiſſa diſpenſare? Affirmare videntur *Henriquez lib. 7. de indulgentijs c. 22. n. 7. Manuel qq. Regul. tom 1. qu 25. art. 8. Silueſter verbo diſpenſatio q. 14. dict. primo, & ibi Angelus n. 8.* ea moti ratione, quia quouſque Nouitius perſeueret in Religione quamuis, Prælatus non habeat poteſtatem dominatiuam, habet tamen ſpiritualem iuriſdictionem, vt

22 *Neque etiā poſſunt ſuper eiſdē diſpeaſare.*

tradit *Nauarrus in ſumma c. 12. n. 65.* Negát, & melius *Angles Floribus 2. part q. de voto art. 8. poſt decimam difficultatem dub. 3. Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 47. §. ſed vtrum.* Ratio eſt, quia nequit huiuſmodi vota irritare, ergo nequit ſuper illis diſpenſare, quandoquidem diſpenſatio ex genere ſuo eſt irritatio iuris quoad illam perſonam, ſuper quam cadit eadem diſpenſatio; vnde neſcio, qua ratione *Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 39. n. 43.* aſſerit ſolum Prælatos poſſe ſuſpendere vota nouitioru vſque ad profeſſionem, qua non emiſſa, ſi egrediantur, reuiuiſcant, dum poſtea *n. 44.* abſolutè aſſerit poſſe ſuper illa diſpenſare. Quomodo autem poſſunt reuiuiſcere, ſi ſuper illis cecidit abſolutè diſpenſatio. Certè, & ipſe aſſerit per diſpenſationé ius abrogari. Dicere deinde quod in eiſdem Prælatis inſit iuriſdictio quædam ſpiritualis, licet non poteſtas dominatiua, non facit ad rem, ſiquidem, ſi hæc iuriſdictio, ſi verè in eiſdem detur, non eſt ſufficiens ad irritandum, nec videtur ſufficiens ad diſpenſandum.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Nouitij in fauorabilibus gaudeant priuilegijs profeſſorum, & veniant propriè nomine Religioſorum, vnde primo gaudent priuilegio canonis, fori, & exemptionis gabellarum, *Molina tom. 3. tract. 2. diſp. 671. n. 2., & omnes fere Theologi, cum Graſſo de offic. Cleric. effect 3. n 13., & alijs iuriſconſultis;* ſecundo non ſubſunt Iuriſdictioni laicali, nec poſſunt à Iudice laico ob delicta in ſæculo commiſſa puniri, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo non erit, cur gaudere non poſſint beneficio diſpenſationum, quo gaudent profeſſi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis huiuſmodi priuilegijs non gaudent, niſi quouſque in Religione perſeuerant, quod, ſi ex illa egrediátur, adhuc ſubduntur foro, canoni, & gabellis, vt per ſe patet; & hoc nobis potiſſimum fauet, quandoquidem etiam dicimus, quod quouſque perſeuerant in Religione vota huiuſmodi ſuſpendantur, & non reuiuiſcunt, niſi egrediantur. Deinde priuilegium fori, canonis, & exemptionis gabellarum eſt ratione ſtatus Eccleſiaſtici, in quo verè eſt Nouitius; priuilegiū autem diſpenſationis eſt ratione ſubiectionis, quam perfectè non habet Nouitius erga Prælatum.

Non obſtat, quod Nouitij gaudent priuilegio fori, & canonis.

Eadem ratione, qua dictum fuit, Prælatos Regulares non poſſe irritare vota Nouitiorum, euincitur etiam quod non poſſint regulariter diſpenſare in alijs notis cótractis per eoſdem Nouitios, puta infamię iuris, bigamiæ &c. ſed dumtaxat quoad ſuos effectus ſuſpendere vſque ad profeſſionem, quam, ſi emiſerint, poſſunt abſolutè in ijs diſpenſare, ſi verò non emiſerint, ſeu egreſſi fuerint è Religione, eadem, ſeu eiſdem notis afficientur; mens etenim Pótificum concedentium huiuſmodi priuilegia fuit fauere perfectiori ſtatui Religionis, ne ſcilicet illi, qui inſigniuntur cingulo ſpecialis militiæ, inficiati remaneant aliqua labe, qua vacare nequeant muneribus talis militiæ, & qui ratione ſtatus in domo Dei cæteris perficiuntur, aliqua turpitudinis nota perſeuerante eodem ſtatu

Neque itē poſſunt diſpenſare cū Nouitijs ſuper alijs notis contractis.

de-

turpentur.

24 **Poſſunt tamen abſoluere à caſibus reſeruatis, & à cenſuris.**

Dixi *regularitèr loquendo*; non enim negauerim, quod Nouitij etiam ante profeſſionem poſſint à ſuis Prælatis Regularibus abſolui ab omnibus caſibus reſeruatis, & à cenſuris, alijſque, quæ ſe habent per modum actus, & tranſeuntis, quiâ præſumendum non eſt, quod Pontifex voluerit, quod eiſdem innodati permanerent, quouſque profiterentur, quiâ hoc etiam cederet in magnum præiudicium ſtatus Nouitialis, & Religionis incohatæ. Procedit igitur aſſertio quoad notas, quæ ſe habent per modum habitus, & permanentis, quæ ſimul compati poſſunt cum ſtatu nouitiali, à quibus non eſt præſumendum quod Pontifex voluerit liberari, ſi ad ſęcularem vitam tranſierint.

25 **Poſſunt in omnibus votis diſpenſare exceptis quinque, & quibus.**

Assertio V. Poſſunt Regulares commutare, & diſpenſare quoad Laicos ſuper votis, exceptis quinque nempe vltramarinis, viſitationis liminum BB. Petri, & Pauli de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compoſtella, nec non Religionis, & caſtitatis; item abſoluere ab omnibus peccatis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & ex quibuſdam ex ipſis caſibus reſultantibus ſententijs cenſuris, & pęnis exceptis contentis in Bulla cænæ.

Conceſſio ſuper commutatione, & diſpenſatione votorum.

Quoad facultatem commutandi, & diſpenſandi ſuper vota, & abſoluendi à caſibus reſeruatis euincitur ex conceſſione facta à Paulo III. Religioſis ſocietatis Ieſu, vt habetur *in eorum compendio tit. Abſolutio* §. 1. Verba autem Pontificis hæc ſunt. *Conceditur facultas quorumcunque vndecunque ad vos venientium confeſſiones audiendi, & confeſſionibus diligenter, auditis ab omnibus peccatis etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, & à quibuſcunque ex ipſis caſibus reſultantibus ſententijs, cenſuris, & pænis exceptis contentis in Bulla cænæ abſoluendi, nec non & vota commutandi.*

Exceptio quoad quinque allegata.

Quoad exceptionem in diſpenſatione in quinque votis allegatis habetur ex Paulo III. in prædicta facultate. Ibi *vota quæcunque, vltra marino viſitationis liminum B. Petri, & Pauli de vrbe, ac Sancti Iacobi in compoſtella, nec non Religionis, & caſtitatis dumtaxat exceptis in alia pietatis opera commutandi*

26 **Abſoluere etiam à caſibus ſedi Apoſtolicę reſeruatis.**

In ordine verò ad abſolutionem à caſibus, & cenſuris reſeruatis non ſolum intelligenda eſt conceſſa facultas non ſolum in ordine ad iam reſeruata, ſed etiam impoſterum reſeruanda Sedi Apoſtolicæ per priuilegium conceſſum Congregationi Oratorij S. Mariæ de Vallicella de vrbe à Sixto V., quod priuilegium refert de verbo ad verbum *Stephanus Quaranta in ſua ſumma Bullarij ſub tit. Confeſſor* §. *decet Romanum Pontificem ſub data nonis Septembris* 1586. *Pontificatus ſui anno ſecundo*.

Aduerte hic tamen, quod ſupradicta facultas abſoluendi eſt etiam limitata in ſex caſibus per totam Italiam extra vrbem primo violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorij XIV., quæ incipit *cum alias nonnulli*: Secundò violationis clauſuræ monialium ad malum finem. Tertiò prouocantium, & pugnantium in duello iuxta decretum Sancti Concil. Trident., & Conſtitutionem Gregorij XIII. incipientem *Ad tollendum*. Quartò inijcientium violentas manus in clericos iuxtà canonem *ſi quis ſuadente* 17 *qu.* 4., ac iuris diſpoſitionem. Quinto ſimoniæ realis ſcientèr contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Sextò in omnibus caſibus, quos ordinarij locorum ſibi reſeruarunt, & impoſterum reſeruabunt. Ita habetur in decreto Clementis VIII. facto per congregationem Eminentiſſimorũ Cardinalium ſuper negotijs Epiſcoporum, & Regularium publicato die 9. Menſis Ianuarij 1601., & declarato die 26 1602.

Exceptio quoad abſolutionẽ à caſibus reſeruatis.

Aduerte hic ſecundo in ordine ad vota, quod quantumvis in allegatis conceſſionibus fiat ſolummodò mentio de commutationibus in alia pia opera, ex alijs tamen fiat extenſio etiam ad diſpenſationes. Innocentius VIII. ordini Minorum, vt habetur in eorum compendio tit. Abſolutio quoad ſæculares II. § 12. Eugenius IV. Monacis Sancti Benedicti deputatis ad confeſſiones audiendas, vt habetur in d. compen. minorum tit. Diſpenſatio § 25. Martinus V. Monacis Sanctæ Mariæ de Monſerrato, & Iulius II Congregationi S. Benedicti Hiſpaniæ, vt notat Capucinus in ſuis adnotat. ad compendium minorum tit. Diſpenſatio.

27 **Etiam, ſi vota fuerunt iurata**

Assertio VI. Conceſſiones Regularium in ordine ad vota commutanda, vel diſpenſanda extenduntur etiam ad vota iurata, dummodò non ſint ex illis quinque enumeratis exceptis, Ex indulto Gregorij XIII. anno 1575. in ſua Bulla in fauorem ſocietatis Ieſu, incipiente *ad perpetuam rei memoriam Decet Romanum Pontificem*, vbi habetur *Inſuper facultatem aliàs Præsbiteris ſocietatis prædictæ à ſede Apoſtolica conceſſam commutandi vota etiam ad iurata, dummodo commutatio huiuſmodi in alterius præiudicium non fiat, extendimus*. Ex quibus habes amplius eſſe hoc priuilegium, quam ſit illud, quod conceditur ex Bulla Cruciatæ, vel Iubilæi, quandòquidem ex vi Bullę cruciatę non conceditur facultas commutandi in quęcunque alia opera pia, ſed in ſubſidium belli; in bulla autem Iubilęi non conceditur directè facultas circa iurata, ſed indirectè tantum deducitur ex facultate illa circa vota; ex vi verò iſtius conceſſionis extenditur facultas directè ad iuramentum

etiam

Digitized by Google

Non ſolum indirectè, ſed etiam directè.

etiam adeo, vt non ſolum poſſit Regularis diſpenſare ſuper iuramento relaxãdo per relaxationē voti, quatenus illud iſti adijcitur tanquam acceſſorium in confirmationem, ſed etiam quando iuramentum adijcit principalitèr nouum vinculum ſupra votum; quoad indultum autem diſpenſandi circa vota habetur ex priuilegio Innocentij VIII. facto medicantibus in omnibus votis, in quibus poſsūnt Epiſcopi exceptis peregrinationis vltra duas dietas, prout refert *Sorbus in compendio mendicantium verb. abſolutio quoad ſæculares num.* 12. *Manuel in expoſitione cruciata* §. 9. *num.* 141. Quid autem veniat nomine duarum dietarum aſſerit idem Manuel eſſe viginti leucas.

28 In votis caſtitatis poſſunt in omnibus caſibus diſpenſare in quibus Epiſcopi,

Assertio VII. In ijs omnibus caſibus, in quibus Epiſcopi poſſunt diſpenſare in votis caſtitatis, poſſunt etiam Regulares ex vi priuilegiorum, excipiendo tamen in caſu, quo Epiſcopus ſolum poteſt ex neceſſitate diſpenſare; ſic in particulari poſſunt diſpenſare in votis huiuſmodi pœnalibus, & conditionalibus, & in ijs omnibus caſibus, in quibus votum non eſt integrum, nec completum.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod habetur *in compendio priuilegiorum Societatis Ieſu verb. diſpenſatio* §. 10, vbi ſic dicitur. *Per facultatem Benedictinis conceſſam à Martino V. poſſunt noſtri confeſſores deputati diſpenſare in votis etiam Epiſcopo reſeruatis*, & priuilegium ſimile eſt ſupra relatum Innocentij VIII. facto mendicantibus, per quod poſſunt diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, ſed Epiſcopi poſſunt diſpenſare in votis etiam caſtitatis pænalibus, & conditionalibus, & incompletis, & non integris, ergò etiam poterunt Regulares ex vi huiuſmodi priuilegiorum. Confirmatur, quiá reſeruatio vtpotè odioſa eſt intelligenda de voto ſecundum omnem rationem perfecto, ergò, vbi deficiet à perfecta ratione, non cadet ſub reſeruatione ſaltem reſpectu eorum, qui gaudent priuilegijs.

29 Nō tamen in caſibus in quibus ſolum poteſt Epiſcopus ex neceſſitate diſpenſare

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quiá huiuſmodi vota ſupponuntur propria, abſoluta, & completa caſtitatis, & non ſpectant ad ius ordinarium Epiſcoporum, ſed eiſdem deuoluuntur ſolummodo ex interpretatiua Pontificis voluntate, & commiſſione, quæ non præſumitur pro Regularibus, quiá in conceſſione generali non veniunt caſus, qui non niſi ſpecialitèr conceduntur, & ex interpretatione; atque hanc partem ſuſtinent, *Henriquez lib. 6. de pænit. c. 14. n. 7., & lit. P. Manuel in bulla Cruciata*, §. 9. *n.* 118., & *qq regul. tom* 1. *q.* 41. *art.* 9., & *q.* 63. *art.* 6. *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 16. *num.* 2. Deindè Regulares habent ſemper exceptos à priuilegijs ipſis conceſſis caſus caſtitatis completæ, & Religionis, & priuilegijs gaudent, quatenus ipſis expreſsè conceduntur, non quatenus præſumuntur, ergò in huiuſmodi votis, vtpotè exceptis non poterunt ſe ingerere ſuper illis diſpenſando in caſibus, in quibus permittitur diſpenſatio Epiſcopis ex neceſſitatis euentu, quandòquidem hæc facultas ipſis non reperitur expreſsè conceſſa, & interpretatiua Pontificis voluntas ex communi DD. conſenſu in ſolis Epiſcopis transfunditur, & non in alijs, niſi exprimantur.

Assertio VIII. Facultas quam habent Regulares commutandi, ſeù diſpenſandi in votis Sæcularium non exceptis extenditur non ſolum ad ſubditos illius Diœceſis, in qua degunt, ſed ad quoſcunque ad ipſos aduenientes ad peccata propria expianda. Quoad primam partem eſt communis apud omnes DD. excepto *Sil noſtro verbo domicilium in fine*, & *Manuele in addit ad bullam cruciatæ* §. 9. *nu* 110., qui tamē loquūtur attentis præciſe priuilegijs antiquis mendicantium: Quoad ſecundam *Sanchez de matrimon. lib* 8. *diſp.* 16. *n.* 10. 30

30 Poſſunt diſpenſare etiam quo ad externos accedentes ad ipſos pro peccatis expiandis.

Prima pars expreſsè euincitur ex priuilegio Pauli III conceſſo Religioſis Societatis Ieſu per ea verba *Conceditur facultas quorumcunque vndecunque ad vos venientium confeſſiones audiendi &c.*, & nonnullis interpoſitis ſubditur, *nec non, & vota commutandi*, per quod priuilegium, explicantur præcedenter conceſſa, quæ reſtringebantur ad ſubditos illius Diœceſis, in qua Regulares morabantur.

Secunda pars ex eo euincitur, quiá quantumvis poteſtas diſpenſandi quoad vota in Regularibus reſtringatur ad ea vota, in quibus ſolum Epiſcopi poſſunt diſpenſare, hæc tam reſtrictio intelligitur tantum quoad qualitatem votorum, adeout in talibus, & nō in alijs valeant diſpenſare, non autem in ordine ad perſonas, adeout poſſit potius cum his, quam cum alijs diſpenſare, ergo poterunt indefinitè hanc poteſtatem exercere cum quibuſcunque ad ipſos confugientibus ad confeſſionem peccatorum habendam. Antecedens probatur primo, quiá facultas diſpenſandi conceſſa Regularibus à Romanis Pontificibus eſt maximè fauorabilis, & amplianda, vt infrà videbimus, ergo quantumvis intelligatur per concedentem reſtricta expreſsè quoad vnum ſenſum, nempè quoad qualitatem votorum, non debet intelligi reſtricta quoad alium ſenſum non expreſſum. Secundo, quiá facultas, quam habent Regulares ad diſpenſandum eſt à Romano Pontifice, cuius imperium certis finibus non limitatur, ergo ſubiectione poſita, quam ſæculares eiſdem exibent ſe ſub-

Digitized by Google

ſubmittendo eorum iudicio in confeſſionibus non erit, cur cùm eiſdem non poſſint diſpenſare in huiuſmodi votis cæteroqui non reſeruatis, & non exceptis per eundem Pontificem. Confirmatur, quià huiuſmodi facultas conceſſa eſt Regularibus ad effectum, vt pænitentium ad ipſos confluentium melius ſaluti ſpirituali poſſint conſulere, ergo, cum quorumcunque ad ipſos venientium poſſint confeſſiones excipere, poterunt etiam eiſdem conſulere per diſpenſationem.

31 Extra ſacramentũ pænitentię probabilius nequeunt diſpenſare.

Assertio IX. Regulares extra ſacramentum pænitentię probabilius nequeunt vti priuilegio commutandi vota, & diſpenſandi ſuper illis quidquid ex aduerſo dixerint *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 16. n. 11. Henriquez lib. 7. de indulgentijs c. 30. n. 6.* Sententiam noſtram ſuſtinent *Corduba in ſumma qu. 152. Manuel in Bulla Cruciata* §. 9. *n. 113. reg. 9. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de clauibus c. 9. col. 9. Vega ſecundo tom. ſumma c. 129. caſ. 34., & alij magis communiter.*

Ratio ex eo deducitur primo, quod habetur in priuilegio Pauli III. conceſſo Religioſis Societatis Ieſu, vbi dicitur: *Et confeſſionibus diligenter auditis conceditur facultas abſoluendi, nec non & vota commutandi*. Nota ly *confeſſionibus diligenter auditis*, quod importat ablatiuum abſolutè poſitum; ablatiuus autẽ abſolutè poſitus importat conditionem *l. à teſtatore ff. de condit., & demonſt.*, & facit conditionem referri ad omnem diſpoſitionem per textum *c. 2. requiris de appellat.*, Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, conditionem quidem referri ad omnem diſpoſitionem, quã do militat eadem ratio pro omnibus, ſecus quando ratio militat pro vna parte, non pro altera, vt euenit in præſenti, nam abſolutio à peccatis exigit quidem ſacramentalem confeſſionem, non ſic diſpenſatio à votis, ſicque ly *confeſſionibus diligenter auditis*, refertur ad facultatem abſoluendi à peccatis reſeruatis, non autem ad facultatem commutandi vota, ſeù diſpenſandi ſuper illis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià facultas diſpenſandi, & commutandi vota conceſſa eſt Regularibus, vt notat etiam *Sanchez d. lib. 8. de matrimonio diſp. 16. n. 10. in fine*, licet aduerſetur noſtræ aſſertioni, vt melius pænitentium ad illos confluentium ſaluti ſpirituali proſpicere poſſint, quod certe exigit ſacramentalem confeſſionem, per quam conſulunt ipſorum pænitentium ſaluti, & ob hanc rationem facultas diſpenſandi extenditur etiam ad non ſubditos Diœceſis, in qua Regulares degunt, ſine qua non extenderetur ad illos. Quis enim diceret, quod cuiuſcunque vbique terrarum degentis poſſit Rugularis confeſſarius vota commutare, & ſuper illis diſpenſare

Ablatiuus abſolutus importat conditionẽ

etiam ſi apud illum non ſe ſubijceret per confeſſionem, ergo in tantum poteſt diſpenſare, in quantum poteſt melius illi cõſulere, ſeù ipſius ſaluti in ſacramentali confeſſione, & non aliter, quià ceſſante cauſa finali conceſſionis non intelligitur militare conceſſio. Accedit, quod huiuſmodi facultas non conceditur Regularibus quomodocunque, ſed confeſſoribus Regularibus deputatis, vt conſtat ex priuilegio *in compendio Societatis Ieſu verb. Diſpenſatio* §. 10. *Ibi – Per facultatem Benedictinis conceſſam à Martino V. poſſunt noſtri Confeſſores deputati diſpenſare in votis &c.*, ergo præcisè in actu confeſſionis, in quo ſolo eſt Iudex, & confeſſor is, qui cõmutat, & diſpenſat; ad quid enim exigere ſtatum, & qualitatem confeſſarij, ſi etiam extra ſtatum confeſſionis poſſet diſpenſare? Certe etenim extra talem ſtatum non diſpenſaret, vt confeſſor, ſed vt merè Regularis. Quamobrem ad inſtantiam aſſero, quod quamuis commutatio, & diſpenſatio in votis non exigat ſecundum ſe confeſſionem ſacramentalem, prout tamen fit à confeſſario Regulari ex conceſſione Pontificum, exigat talem confeſſionem, cum Regulares non exerceant iudicium, niſi in ipſa confeſſione; atque hanc noſtram ſententiam præter præcitatos DD. ſuſtinent *Hieronimus Sorbus Capucinus in ſuis adnotationibus ad compendium priuilegiorum Minorum verb. votum nos. 9. Ludouicus Beia part. 2. ſuorum reſp. caſ. 9. Sairus lib. 6. clauis c. 11. nu. 105., & lib. 5. cap. 60. n. 10. Sanctarellus de Iubileo c. 8. dub. 8. Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. c. 16. n. 4.*

Diſpenſat, vt confeſſor, non præcisè, vt Regularis.

Assertio X. Confeſſarij Regulares approbati iuxta Tridentini formam poſſunt ex commiſſione Prouincialis diſpenſare in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum ijs coniugibus, quorum alter cum alterius conſanguinea adulterium perpatrauit, & per conſequens affinitatem contraxit cum propria coniuge, & etiam olim poterant diſpenſare cum his, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contraxerant, ſiuè illud fuerit præciſe ratum, ſiuè conſummatum; modo tamen in hoc voto probabilius non poſſunt ad hunc effectum petendi debitum, niſi de alio priuilegio conceſſo à Pio V. viuę vocis oraculo Franciſcanis de obſeruantia conſtet. Prima pars conſtat ex conceſſione *Iulij II. ordini S. Benedicti*, vt habetur *In compendio Societatis Ieſu tit. Diſpenſatio* §. 3., & conceſſione Pij V. *ordini Prædicatorum*, vt habetur *in compendio minorum tit. diſpenſatio poſt adnotationem Capucini*. Secunda pars patet ex conceſſione Pij V. viuæ vocis oraculo prout teſtantur *Vera crux prima parte ſpeculi art. 15. paulo ante dubium ſecundum, Corduba in ſumma q. 136. puñ. 2.*

32 Poſſunt diſpenſare ſuper petitione debiti inter coniugatos obſtrictos voto caſtitatis.

Palacios in 4. diſt. 32. diſp. 2. col. 17. verſ. ſuffragatur communi placito. Henriquez lib. 12. de matrim. c. 2. num. 9., & *hoc habetur in compendio priuileg. Societatis Ieſu verb. Diſpenſatio* §. 9., quod priuilegium vtique intelligendum eſt non ſolum quando matrimonium iam conſummatum eſt, ſed etiam quando præciſè ratum *Manuel primo tom. ſumma in ſecunda edit. c. 241. nu. 2. Vega ſecunda tom. ſumma cap. 129. caſ. 118. punct. 2. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 8. n. 4.* Ratio eſt, quià conceſſio loquitur indefinitè de voto ad effectum petendi debitum poſt contractum matrimonium, quæ certe, vtpotè fauorabilis, non eſt limitanda ad matrimonium conſummatum; nec obeſſe poteſt ante conſummationem teneri ingredi Religionem; non, inquam, obeſſe poteſt, quià nullum ius cogit ex vi voti præciſe ingredi Religionem, *Vega in ſumma tom. 2. c. 126. caſ. 18. Sairus lib. 6. c. 11. n. 114.*

33 **Modo tamen videtur non poſſe.** Dixi *modo tamen non poſſunt* prout affirmat *Ioannes Baptiſta Lezana in ſumma qq. Regul. c. 19. n. 26.*, quià huiuſmodi priuilegium, vt præfertur, eſt conceſſum tantum à Pio V. viuæ vocis oraculo; omnia autem viuæ vocis oracula fuerunt reuocata, & abrogata primo à Gregorio XV. in primo tom. Bullarij per ſuam conſtitutionem incipientem *Romanus Pontifex*. Secundo ab Vrbano VIII. in motu proprio anno 1631. die 20. Decembris edito.

PRÆNOTIO XIII.

De Poteſtate Nuntij Apoſtolici, & Legati à Latere ad diſpenſandum.

SVMMARIVM.

Legati Apoſtolici etiam à latere diſpenſantes in legibus Pontificijs ſibi commiſſis ſine cauſa inualidè diſpenſant. 1.

In impedimentis dirimentibus iure humano non poſſunt diſpenſare, niſi ſpecialiter ſit conceſſum, vel niſi vrgeat neceſſitas. 2.

Poſſunt abſoluere à percuſſione enormi clerici. 3.

Non poſſunt abſoluere, quando ſunt in præſentia Pontificis. 4.

Nec quando ante regreſſum ſunt reuocati. 5.

Poſſunt extra prouinciam, quando abſolutio fit per iuriſdictionem voluntariam. 6.

Non poſſunt abſoluere extraneos extra Prouinciam. 7.

Nuntij Apoſtolici non poſſunt extraneos, qui extra prouinciam grauiter clericum percuſſerunt, abſoluere, quando abſolutio requirit iudicialem cauſa cognitionem in foro externo. 8.

Benè tamen quando exigit ſolum voluntariam iuriſdictionem in foro interno. Ibid.

Poſſunt abſoluere ſubditum, qui aliundè deliquerit. 9.

Item non ſubditos delinquentes in Prouincia. 10.

Etiam à ſe excommunicatos extra Prouinciam, ſi egreſſus fuerit animo redeundi, & abſolutio non exigat cognitionem iudicialem. 11

Etiam ſecum diſpenſare. 12.

Amplam nimis ingrederemur materiam, ſi vniuerſam poteſtatem Legatorum à Latere, & nuntiorum examinare contenderemus. Siſtentes igitur in puris terminis diſpenſationum communiter docent Nuntium quamvis Legatum à Latere tantū poſſe ea circa diſpenſationes in tota ſua Prouincia, quæ poteſt Epiſcopus, & alij ordinarij in ſua Diœceſi *Soccinator tit. de diſpenſatione* § *conſequenter aliqua in initio, Abbas c. fin. n. 5. de tranſact. & c. dilecto n. 5. de præbend. Rebuffus praxi benefic. tit. de vnionibus n. 24. Mandoſius reg. 17. Cancellariæ q. 7. nu. 5. Coarruuias quarto decret. 3. pars c. 6* § *10. nu. 11., Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. in princip.*, & hoc quantum eſt ex vi proprij muneris, & ſi quæ alia ſpecialiter adijciantur erit ex Summi Pontificis delegatione, ſeù ſpeciali commiſſione.

Nuntij quāuis ſint legati à latere tantum poſſunt in tota prouincia, quantum Epiſcopi in ſua Diœceſi.

Id igitur, quod controuertetur in præſenti prænotione erit primo, an, ſi Legatus Apoſtolicus, ſeù Nuntius diſpenſet in lege Pontificis ſine legitima cauſa, teneat diſpenſatio. Secundo, an in impedimentis iure humano inductis quoad matrimonia poſſit diſpenſare. Tertio, an poſſit ſecum diſpenſare.

Assertio I. Legati Apoſtolici etiam à latere, & nuntij in legibus Pontificijs ſibi commiſſis diſpenſantes ſine legitima cauſa inualide diſpenſant *Innocentius c. dudum el 2. n. 16. verſ. item, & ſi Papa de elect. Felinus c. poſtulaſti n 12. caſ. 4. de reſcriptis, Nauarrus in ſumma prælud. 9. n. 15., & cap. fin. n. 4. de Simonia, Gambara de auct. legat. lib. 10. n. 293., Hypolitus c. at ſi clerici* §. *de adulterijs n. 115 de iud., Bergaſius de irregularitate part 7. c. vlt. n. 21., Tuncia q. 6. de voto n. 224., Azorius lib. 5. inſtit. moral. c. 15. ad finem* 1 **Diſpenſantes in legibus Potificijs ſine cauſa inualidè diſpenſant.**

Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, nempè inferiorem etiam ex commiſſione diſpenſantem in legibus ſui ſuperioris ſine legitima cauſa inualide diſpenſare, ergo hoc verificari debet etiam quoad Legatum à latere diſpenſantem in in legibus Pontificis, & conciliorum Generalium, ſiquidem ſemper eſt inferior; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Legatus maximè ſi fuerit à latere, habere plenitudinem poteſtatis; diſpenſationes autem ab inferioribus agentibus de plenitudine poteſtatis, ſui ſuperioris in ſibi commiſſis validas eſſe affirmat *Manuel in*

ſumma

Digitized by Google

ſumma tom. primo in ſecunda edit. c. 24. concl. 3. n. 5.; non, inquam, obeſſe poteſt, quià plenitudo poteſtatis non eſt accipienda, vt tendit ad diſſipationem, ſed præcisè in ædificationem; eſſet autem in diſsipationem, ſi diſpenſationes ex eadem eſſent ſine cauſa legitima; neque vlterius inferas hanc plenitudinem poteſtatis, quæ competit Legatis à latere, ſeù nuntijs Apoſtolicis debere aliquod operari ſupra poteſtatem ſimpliciter communicatam; hoc autem aliud eſſe non poteſt, niſi, quod ſicuti ſuperior poteſt etiam diſpenſare ſine legitima cauſa, ita etiam commiſſarius habens plenitudinem poteſtatis poſſit &c.; contra enim impugnaberis, quià illa clauſula *de plenitudine poteſtatis* hunc effectum operetur, vt addat quodamodo robur ipſi diſpenſationi ex auctoritate eius, ex cuius poteſtate fit, non autem, quod valida ſit diſpenſatio facta contra diſpoſitionem iuris. Adde inſuper illum effectum operari, vt ſi cauſa in ſe diſpenſationis non eſſet ita iuſta, prudenter tamen Legatus, & bona fide arbitraretur eſſe iuſtam, eſſet valida diſpenſatio.

Nec obſtat quod dicatur diſpenſationes factæ de plenitudine poteſtatis.

ASSERTIO II. In impedimentis dirimentibus matrimonium iure humano inductis non poſſunt Legati à latere diſpenſare, niſi in caſibus, in quibus vrgente neceſſitate permiſſum eſt etiam Epiſcopis diſpenſare, vel niſi hoc ſpecialiter ipſis commiſſum ſit, ſeù in bulla delegationis, ſeu alio quocunque ſpeciali modo *Gloſa c. quià circa verb. à ſede, & c. quod dilectio verb. indulgentiam de conſang.*; *& ibi Ioannes Andreas n. 6., Antonius n. 8. Cardinalis n. vnico oppoſ. 1., Abbas c. quod tranſcat n. 9 de offic. legat. Innocentius c. ex parte num. vnico de tranſact., & ibi Immola n. 6. Brunellus de ſponſal. concl. 24. n. 2. Coaruuias 4. decret. 2. pars. c. 6. §. 10. n. 11. Cucus lib. 2. Inſtit. maior. tit. 5. n. 142. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. nu. 1. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimon. c. vltimo tit. de diſpenſatione petenda col. 4.*

2 In impedimentis matrimonij dirimentibus non diſpenſant, niſi ex ſpeciali commiſſione, vel neceſſitate.

Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quià circa diſpenſationes Legatus à latere id tantum poteſt in prouincia ſibi commiſſa, quod poteſt Epiſcopus in ſua diæceſi, vt ſuſtinent DD. omnes prææallegati tum in principio prænotionis, tum in hac aſſertione, ſed Epiſcopi non poſſunt diſpenſare in huiuſmodi impedimentis, niſi in caſibus illius vrgentis neceſſitatis, vt ſupra latè probauimus, ergo nec Legati à latere. Confirmatur, quià diſpenſationes circa huiuſmodi impedimenta ſunt ſpeciali iure reſeruatæ Summo Pontifici priuatiuè quoad alios per textum *c. inferior diſt 1. Clem. ne Romani de elect. Hoſtienſis cap. quod dilectio paulo poſt principium, & c. quià circa de conſang. Paludanus in quarto diſt. 40. q. vnica art. 3. n. 20. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 15. § 5. ad fin. Phylippus Archintus in edicto de fide, & ſacram part. ſecunda c. 14.*, ergo, niſi in commiſſione ſpecialiter concedantur Legatis non intelliguntur eiſdem conceſſæ; in iure autem nullibi ipſis reperitur conceſſa talis facultas.

Huiuſmodi rationes ita procedunt, vt euincent non ſolum non poſse huiuſmodi Legatos diſpenſare vniuerſalitèr in aliquo ex impedimentis dirimentibus iure humano inductis, ſed nec etiam cum determinatis perſonis, quidquid ex aduerſo aliqui auſi ſint dicere, prout optimè adnotauit *Ioannes Andreas c. quod dilectio n. 6. de conſang., & ibi Antonius n. 8. Cardin. num. vnico oppoſ. 1. Ancharanus n. 4. Alexander de Neuo n. item 4. Præpoſitus n. 8.*, quià ſicuti hæc facultas eſt abſolutè reſeruata Romano Pontifici, ita intelligitur quoad omnes perſonas reſeruata; vndè dumtaxat poterunt Legati in caſu ſpeciali, quando cauſa vrgeret, nec eſset recurſus ad Pontificem, & impedimentum eſset occultum, in quo caſu etiam poſsunt Epiſcopi in ſua Diæceſi.

Nec cum determinatis perſonis.

ASSERTIO III. Speciale eſt inter cætera, vt Legati à latere poſſint abſoluere à percuſſione enormi in clericos *Hoſtienſis in c. cum ad Eminentiam de ſent. excommunicationis, Ioannes Andreas, & Archidiaconus c. 1. de offic. leg. in ſexto, Panormitanus in d. c. cum ad eminentiam, Silueſter verb. delegatus q. 12. n. 17.* Expreſse colligitur *ex c. quamvis de ſententia excomm., & c. ea noſcitur eod. tit.*, quæ tamen facultas non extenditur quoad alios caſus, & excommunicationes Papales, ſeù Papæ ſpecialiter reſeruatas, prout docet *Molina tom. 4. de iuſt. tract. 3. diſp. 56. n. 5. Duardus in Bullam cœnæ lib. 3. in §. 2. q. 8. n. 56.*

3 Abſoluunt à percuſſione enormi clerici.

Circa hanc aſsertionem nonnulla conſurgunt dubia examinanda. Primum eſt, an poſſint huiuſmodi Legati ſuos ſubditos abſoluere extra propriam prouinciam. Secundum, an poſſint abſoluere extraneos, ſiuè extra prouinciam, ſiuè in prouincia aliundè aduenientes. Tertium, an poſſint ſubditos abſoluere, qui extra prouinciam in excommunicationem propter illam percuſſionem inciderunt. Quartum, an poſſint abſoluere non ſubditos, qui in prouincia deliquerunt. Quintum, an poſſint à ſe excommunicatos in prouincia abſoluere, poſtquam prouincia ſunt egreſsi.

Ad primum aſserendum eſt primo, non poſse abſoluere, quando ſunt in præſentia Pontificis prout notat *Silueſter verb delegatus q. 12. n. 17.*, & ratio quidem congruit, quià poteſtas, quæ conceditur legatis, eſt, vt exerceatur in loco, in quo, & ad quem ſit delegatio, & poteſtas potiſſimum ad abſoluendum eſt in commodum illius prouinciæ, ad quam legatus diri-

4 Non poſſunt abſoluere quando ſunt in præſentia Pontificis

dirigitur ad eum ſcilicet effectum, vt ſubditi illius non teneantur adire Pontificem, ſed poſſint per eundem Legatum abſolui, ſed quando Legatus adhuc eſt in præſentia Pontificis non vrget hæc ratio commoditatis quoad ſubditos illius Prouinciæ, quandoquidem ſicuti poſſunt adire eundem Legatum, ita commodè poſſunt adire eundem Pontificem, ergo &c. Confirmatur, quià æquum non eſt, quod Legati exerceant munera legationis in vrbe, quæ eſt Sedes Romani Pontificis delegantis, vnde in eadem nec poſſunt inſignia legationis deferre, ergo &c.; ſecundo, nec poſſe abſoluere, quando ante regreſſum

5 Nec quando ante regreſſum ſunt reuocati.

ſuut reuocati *Panormitanus in c. penult. de officio leg.*, quià per reuocationem ceſsat omnis poteſtas. Tertio poſse à præfata excommunicatione abſoluere ſubditos illius prouinciæ, ad quam eſt legatus, quando abſolutio fit per iuriſdictionem voluntariam, ſine ſtrepitu iuditij, ſecus ſi per iuriſdictionem contentioſam in forma iuditij, niſi interueniret conſenſus Iudicis illius loci, in quo intendit abſoluere.

6 Quando eſt extra prouinciã, quatenus ad eandem nondum peruenit poteſt abſoluere, quando abſolutio fit per iuriſdictionem voluntariã

Ioann. Andreas in c. excommunicatis de ſent. excommun. Gem. in. c. 1. eod. tit. in ſexto, Silueſter verb. Delegatus n. 18. verſ. circa hoc tamen: Ratio primæ partis deducitur *ex l. 1., & 2. ff. de offic. Proconſ.* vbi conceditur Pro conſuli extra ſibi decretam Prouinciam exercere iuriſdictionem voluntariam, & vti inſignijs, ſed Legati Papæ æquiparantur Proconſulibus, & præſidib. per textum *in c. 2. de offic. leg. in ſexto*, ergo &c. Accedit, quod delegati ad audiendas confeſsiones in certo loco poſsunt ſubditos illius loci etiam extra talem locum abſoluere, quià quamvis deficiat iuriſdictio in loco, nõ deficit tamẽ iuriſdictio in perſonam. Ratio ſecundæ partis eſt, quià vbi requiritur cauſæ cognitio, & forma iudicialis poteſtas delegata in certo loco non poteſt excedere formam in mandato præfixam maximè in præiuditium alterius per textum *in d. c. excommunicatis de ſent. excommun.*, ergo delegatus non poterit illam exercere, niſi accedat conſenſus Iudicis loci, in quo fieri debet tale exercitium, & hoc quidem ſeruandum eſt, ne in iuditijs ordo Iudicum conturbetur *Panormitanus in d. c. excommunicatis*, vbi *Ioannes Andreas* dicit ita ſeruari.

Secus ſi per iuriſdictionem contentioſam.

Ad ſecundum dicendum eſt non poſse abſoluere extraneos extra Prouinciam. Conſentit *Silueſter verbo Delegatus num. 18. verſ. circa hoc tamen*, & ratio quidem clara eſt, quià perſona illa, nec eſt ſubdita ratione loci, nec ratione originis, ſeu perſonæ, & ſi ſecus eſset, poſset dici, quod Legatus haberet iuriſdictionem abſoluendi ab hac excommunicatione, vbique terrarum, quod non eſt aſserendum. An verò poſſit abſoluere extraneos aliundè in prouinciam aduenientes, Negat *Silueſter verb. delegatus nu. 18. verſ. circa hoc tamen*, quem eà ratione arbitror moueri, quià iſti, nec ſunt ſubditi ratione domicilij, nec ratione delicti, cum hoc ſupponatur aliundè commiſsum, & ſemper verificatur, quod aliundè excommunicati accedant. Videntur tamen affirmare *Nauarrus in ſumma c. 27. n 89. Alterius lib. 5. diſp. 22. cap. 2. q. 2 dub. 3. Sanchez lib. 2. ſumma c. 13. n. 11. Bonacina de cenſuris diſp. 1. q 3. punct. 2. n. 4. verſ. Rurſus, Egidius Coninchus de cenſuris diſp. 14. dub. 16. num. 241. Filliutius tom. 1. tract. 7. c. 10. n. 289.* dum aſserunt Epiſcopum Diæceſanum non poſse ab hac cenſura abſoluere ſuos ſubditos, qui non poſsunt adire ſummum Pontificem pro abſolutione, ſi tamen poſſint adire Legatum eiuſdem Pontificis, ergò ſupponunt, quod Legatus Pontificis poſſit abſoluere extraneos ad ſe aduenientes in Prouincia pro abſolutione. Quomodo enim non poteſt Epiſcopus abſoluere ſuos ſubditos, quando iſti poſsunt adire Legatum Pontificis, ſi iſte etiam eoſdem non poſset abſoluere? Nihilominus cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim abſolutio requireret iudicialem cauſæ cognitionem in foro externo, vel præciſè iuriſdictionem voluntariam in foro pænitentiali; Iuxtà primum ſenſum exiſtimo non poſse Legatum à Latere extraneos, qui extra prouinciam deliquerunt abſoluere, & ſic procedere DD. pro ſententia negante allegatos; iuxta ſecundum vero poſse, & ſic intelligendos eſse DD. pro ſententia affirmante citatos. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià Legatus à latere nequit exercere iuriſdictionem contentioſam in ſibi non ſubditos, nec ratione originis, nec ratione domicilij, nec ratione delicti, nec præſumenda eſt mens Pontificis, quod poteſtatem huiuſmodi quoad Legatos voluerit ampliare ad quoſcunque ſubditos Epiſcoporum vbique terrarum degentium; Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià quoad iuriſdictionem non contentioſam, ſed præciſè voluntariam poteſt quicunque ſe ſubdere poteſtati habentis iuriſdictionem in tali loco, vt videre eſt in ijs, qui pro abſolutione reſeruatorum ſe ſubdunt Pænitentiarijs in aliquo loco deputatis, quantumvis ipſi ſint extranei, & alibi deliquerint.

7 Non poſſunt abſoluere extraneos extra prouinciã.

8 Poſſunt abſoluere extraneos, qui extrà prouinciã delinquerunt in foro interno, non ſic in externo.

Ad tertiam aſserendum eſt, quod Legatus à latere poſſit abſoluere ab hac cenſura ſuum ſubditum, qui aliundè deliquerit *Panormitanus in d. c. excommunicatis de ſent. excommun. Silueſter verb. delegatus n. 18. verſ. circa hoc tamen circa medium.* Ratio eſt primo, quià Legatus à latere poteſt ſubditos punire extra territorium delinquentes per textum *in c. cum contin-*

9 Poteſt abſoluere ſubditum, qui aliundè deliquit.

gas

Digitized by Google

gai de foro competenti, ergò etiam poterit eoſdem abſoluere. Confirmatur, quià proprius ſacerdos abſoluit ſubditum à delicto extra territorium commiſſo; ergò &c., & ratio eſt, quià ratione originis, & domicilij ſubditur eidem Legato in tali prouincia degenti; Nec obeſſe poteſt *Hoſtienſis in d. cap. excommunicatis verb. aliunde de ſent. excommun.*, vbi aſſerit, quod per ly *aliundè* excludatur à poteſtate, vt abſoluatur à Legato ille, qui aliundè deliquit; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià hoc intelligitur de non ſubditis aliundè aduenientibus, & quantum pertinet ad forum contentioſum.

10 Item non ſubditos, delinquentes in prouincia.

Ad quartum aſſerendum eſt, poſſe non ſubditos delinquentes in Prouincia abſoluere, *Abbas in d. c. cum contingat de for. compet. Hoſtienſis in d. c. excommunicatis de ſent. excommun. Silueſter verb. delegatus nu. 18. verſ. circa hoc tamen*. Ratio ex eo deducitur, quià ratione delicti conſtituuntur ſubditi Legati in Prouincia, in qua deliquerunt, nec delinquentes aliundè accedere dicuntur, cum non accedant excommunicati; vndè *Abbas in d. cap. cum contingat de for. comp.* aſſerit, quod ſcholaris veniens ad ſtudium, & ibi ob delictum commiſſum excommunicetur poſſit ab Epiſcopo loci, in quo deliquit, abſolui.

11 Etiam à ſe excommunicatos, ſi egreſſus fuerit animo redeundi, dummodo non procedat per cognitionem iudicialem.

Ad quintum aſſerendum eſt, quod poſſit abſoluere à ſe excommunicatos, ſi egreſſus fuerit animo redeundi, & abſolutio non exigat cauſæ iudicialem cognitionem, ſecùs ſi egreſſus fuerit animo non redeundi, & abſolutio ſit in foro pænitentiali. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià exeundo animo non redeundi intelligitur priuatus dignitate per textum *in l. 3. ff. de offic. præſid.*, & ſtatim expirat iuriſdictio, & quantumvis egreſſus fuerit animo redeundi, non tamen extra prouinciam exerceret, valēt actus iudiciales, qui exigunt ſtrepitum, & iuriſdictionem contentioſam per ſuperius dicta, niſi accedat conſenſus Iudicis loci, in quo exercendi ſunt huiuſmodi actus iudiciales cum ſtrepitu iudicij. Ratio ſecundæ partis ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quià etiam extra territorium, ſeù Prouinciam poteſt aſſumptus ad aliquam Prouinciam exercere iuriſdictionem merè voluntariam.

12 Etiam ſecū diſpenſare.

Assertio IV. Legatus à latere, ſeù nuntius Apoſtolicus poteſt ſecum diſpenſare in ijs, in quibus poteſt cum ſuis ſubditis diſpenſare. Ne ſcilicet conſtituatur deterioris conditionis ab alijs in tali prouincia. Sed, an poſſit per ſe ipſum, an verò per alium ſpecialitèr ad hoc munus deputatum videbimus infrà.

PRÆNOTIO XIV.

De Poteſtate Principis ſæcularis ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis in ordine ad temporalia.

SVMMARIVM.

Legitimatio illegitimi facta per Principem ſæcularem non prodeſt quoad ſpiritualia. num. 1.

Princeps ſæcularis modo non poteſt diſpenſare in radice matrimonij inualidi, vt proles ſuſcepta ſuccedat, benè tamen poteſt diſpenſare, vt non obſtante inualiditate ſuccedat. 2.

De rigore iuris ſoli Principes non habentes ſuperiorem poſſunt diſpenſare ſuper natalibus. 3.

Ex conſuetudine præſcripta omnes Principes habentes iura mixti imperij diſpenſant. num. 4.

Imperator probabilius in ijs, quæ exigunt plenitudinem poteſtatis, & quæ non fiunt per prorogationem inter volentes non poteſt diſpenſare in terris Eccleſiæ. 5.

Nec legitimare in terris aliorum Regum. 6.

Imperator poteſt diſpenſare, vt illegitimus ſuccedat etiam in bonis alteri quæſitis. 7.

Principes ſæculares etiam fideles poſſunt infidelibus ſibi ſubditis ſtatuere impedimenta dirimentia matrimonium, & in illis diſpenſare. 8.

Princeps quantumvis ſæcularis diſpenſans in ijs, in quibus poteſt de iure, vel de conſuetudine ſupponitur diſpenſare ex iuſta cauſa, ſi diſpenſat motu proprio, ſecus ſi ad inſtantiam partis. 9.

Longum nimis, & abs re eſſet, quamcunque Poteſtatem Principum ſæcularium, tam in ordine ad ſuos ſubditos, quam in ordine ad exemptos, & Religioſos in ſuis ditionibus degentes tàm in ordine ad onera, quàm in ordine ad alia inueſtigare. Vt ſiſtamus in puris terminis diſpenſationum, quod meta eſt præſentium diſceptationum, nonnulla præcisè, & currenti calamo attingemus, & primo, an diſpenſatio ſuper natalibus illegitimis, ſeù legitimatio illegitimi facta per Principem ſæcularem proſit etiam quoad ſpiritualia. Secundò, an Princeps ſæcularis poſſit diſpenſare in matrimonij radice, & ad quem effectum. Tertiò, an Princeps ſæcularis poſſit impedimenta ſtatuere matrimonij reſpectu infidelium ſibi ſubditorum, & in ordine ad eos quoad ipſa diſpenſare. Quartò qualitèr præſumatur in Principe ſæculari cauſa, dum diſpenſat cum ſuis ſubditis in ijs, in quibus poteſt diſpenſare.

Articuli examinandi.

Asser-

Digitized by Google

1 *Legitimatio Principis ſecularis non prodeſt quoad ſpiritualia.*

Assertio I. Diſpenſatio ſuper natalibus illegitimis, ſeu legitimatio illegitimi facta per Principem ſecularem non prodeſt legitimato, ſeu ſuper natalibus illegitimis diſpenſato quoad ſpiritualia *Ioannes Andreas in c. per venerabilem n. 30. qui filij ſint legit.*, *& ibi*, *Antonius n. 10.*, *Martinus Laudenſis de legitimatione art. 2. nu. 85. Roſella verb. illegitimis n. 15. Tabiena verb. legitimus q. 2. nu 3.*, *& ibi*, *Armilla n. 3. Silueſter verb. legitimus nu. 9. q. 4. Sanchez de matrimon lib. 8. diſp. 6. nu. 11.*, *& alij magis communiter*.

Princeps ſecularis non habet iuriſdictionem quoad ſpiritualia.

Ratio ex eo deducitur, quià Princeps ſecularis in ordine ad ſpiritualia, nec habet iuriſdictionem directam, nec indirectam, ergo ad effectum eadem ſpiritualia acquirendi non poterit diſpenſare, & diſpenſatio in ordine ad ipſa perinde erit, ac ſi non fuerit poſita. Antecedens quoad primam partem non patitur difficultatem; quoad ſecundam ſic euincitur, quià indirectè non poteſt habilitare ad huiuſmodi ſpiritalia, puta ad officia, perſonatus, & dignitates Eccleſiaſticas, niſi radicem matrimonij irriti tollat, ſi proles illa fuerit ex matrimonio inualido progenita, vel omnia purget antecedentia, ſi ex illegitimo coitu extra matrimonium; ſed neutro ex his modis poteſt habilitare, ergo &c. Minor quoad primam partem euincitur, quià modo per ſolam Eccleſiam impedimenta dirimentia poſſunt auferri per diſpenſationem, ſicuti per eandem ſolummodo inducuntur, ergo radicem matrimonij irriti non poteſt tollere, adeoque illegitimum, nec per diſpenſationem habilitare; quoad ſecundam vero etiam euincitur, quià legitimatio facta per Principem ſecularem non purgat præcedentia verè, & realitèr, ſed dumtaxat quadam iuris fictione in ordine ad ſucceſſiones, & ſecularia, non verò ad munera ſpiritualia, quæ exigunt ex diſpoſitione Eccleſiæ illegitimis non conferri ratione deformitatis in origine; Neque dicas, Principem ſecularem indirectè habilitare per hoc, quod ſuper natalibus diſpenſat, qua poſita diſpenſatione immediatè conſurgit habilitas quoad omnia etiam ſpiritualia, ſiquidem ſublato impedimenro omnia reuiuiſcunt; contra enim impugnaberis, quia per diſpenſationem iuris ciuilis tollitur ſolummodo inhabilitas quoad ea, quæ iuris ciuilis ſunt, non quoad ea, quæ ab eodem ſunt omnino independentia, cuiuſmodi ſunt ſpiritualia, & officia Eccleſiaſtica.

2 *Princeps ſecularis non poteſt diſpenſare in radice matrimonij inualidi*

Assertio II. De præſenti Princeps ſecularis non poteſt propriè diſpenſare in radice matrimonij, ad effectum, vt proles ex matrimonio inualido ſuſcepta poſſit ſuccedere in bonis paternis, & in dignitatibus ſecularibus, bene tamen poteſt diſpenſare, vt non obſtante inualiditate matrimonij poſſit in allegatis ſuccedere. Ita ſentiunt quoad primam partem *Ioannes Andreas in d. c. per venerabilem nu. 30. Qui filij ſint legitimi*, *Roſella verb illegitimus n. 15. Tabiena verb. legitimus q. 2. n. 3.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quod modo Principes ſeculares nequeunt impedimenta matrimonium dirimentia dirimere, ſicuti, nec inducere, ergo nec in radice matrimonij diſpenſare reddendo ipſum legitimum à principio, ſi erat illegitimum, adeout ratione validitatis eiuſdem matrimonij proles inde ſuſcepta debeat ſuccedere. Dixi *de præſenti*; non enim negauerim, quod, ſi illis non eſſet interdictum impedimenta dirimentia matrimonium ſtatuere, & matrimonium eſſet dumtaxat irritum ex lege ciuili, poſſet Princeps ſecularis in eius radice diſpenſare, quandoquidem tantam habet in leges ſeculares poteſtatem, quantam Pontifex in Eccleſiaſticas, & ſicuti poteſt Pontifex Eccleſiaſticas, quoad ius omne, & quoad omnes effectus inde ſecutos abolere, ita poſſet Princeps quoad ſeculares adeoque &c.

Nequeunt Principes ſeculares impedimẽta dirimentia inducere.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod mox dicebamus, quià ſcilicet Princeps ſecularis habet poteſtatem in leges omnes ciuiles, quas non ſolum poteſt abolere quoad radicem, ſed etiam quoad omnes effectus inde ſecutos, ergo poterit efficere per diſpenſationem, vt effuſi non ſuccedendi in hæreditatibus, & dignitatibus laicalibus quoad particulares perſonas nullam vim ſortiatur.

Hic duplex venit difficultas examinanda. Prima eſt, ac quicunque Princeps poſſit diſpenſare in illegitimitate prolis quoad ſuos ſubditos, & an Imperator in omne orbe. Secunda, an quoad ius ſuccedendi diſpenſare poſſit in iure iam alteri quæſito.

3 *De rigore iuris ſoli Principes non habentes ſuperiorem poſſũt diſpenſare ſuper illegitimitate natalium.*

In ordine ad primam aſſerendum eſt, de rigore iuris eos ſolos Principes poſſe diſpenſare ſuper illegitimitate natalium, qui nullum ſuperiorem temporalem cognoſcunt in terris; de conſuetudine tamen fere vbique præſcripta omnes fere Principes habentes prouincias cum pleno iure, & poteſtate diſpenſare. In hunc ſenſum propendet *Silueſter verb. legitimus q. 5. n. 10. Calderinus conſ. 468. n. 2 verſ.*, *& licet hoc poſſet alias 2. qui filij ſint legit.*, *Baldus conſ. 129 factum proponitur lib. 2. in princip. n. 5. verſ. circa quartum Signor. Hemod. conſ. 29. Quæritur nunquid per totum*, & expreſsè colligitur *ex c. per venerabilem Qui filij ſint legit.*, & ratio eſt, quià legitimatio, ſicuti & famæ reſtitutio eſt reſeruata Principi, qui ſolum agit diſpenſare in ſuis legibus, vt notat *Silueſter loc. cit.* Quod vero poſſint de conſuetudine præſcripta conſtat ex eo, quod omnes ferè nullo penitus reclamante

Digitized by Google

Ex conſuetudine omnes habentes prouincias cum pleno iure diſpenſant.

te de facto diſpenſant ſuper natalibus illegitimis ad munera ſæcularia, vnde merito *Caſtrenſis conſ. 34. in princip. n. 1., & 2. lib. 2. Decius conſ. 403. nu. 6., & ſeqq.* docent, quod Duces, Marchiones, Comites, Barones, & Vicarij perpetui poſſint legitimare quoad bona in ſua iuriſdictione, quòd non alio iure euenire exiſtimo, niſi ex iure acquiſito per præſcriptionem Imperatore conniuente; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Reges neque hac ratione poſſent legitimare in ſuis ditionibus, quià recognoſcunt Imperatorem tanquam ſuperiorem, quantum eſt de iure, cum Imperatori reſeruata ſit poteſtas de iure legitimandi, quod videtur admiſiſſe *Angelus Aretinus conſ. 119. n. 6., & ſeqq. verſ. capio ſecundam vſque ad fin.* vbi loquitur in Rege Aragonum; Non, inquam, obeſse poteſt, quià vel Reges non recognoſcunt Imperatorem tanquam ſuperiorem, niſi ratione dignitatis, vel ſolum de iure, non de facto, niſi regnum ab eodem in feudum aſsumpſerint cum recognitione ſupremi dominij in eodem, quo in caſu legitimè intelliguntur præſcripſiſse, vel in infeudatione hanc facultatem eiſdem conceſsam.

Ad id, quod ſubditur de Imperatore, probabilius eſt in primis, quod in ijs, quæ exigunt plenitudinem poteſtatis, & quæ non fiunt per prorogationem inter volentes, nõ poſsit regularitèr diſpēſare in terris Eccleſiæ *Iacobus Butius in l. 3. ff. de offic. præſid. Abbas Siculus in c. per venerabilem de elect. Bartolus in l. qui in prouincia ff. de ritu nupt. Baldus in l. eam quam C. de fideicom. Petrus de Ancharano conſ. 320. primum dubium per totum, & conſ. 409. viſo, & diligenter nu. 2. Caſtrenſis conſ. 125. dubitatur in princip. lib. 2. Florianus de Sancto Petro q. 3. in vlt. dub. num. 8. verſ. ſecundo principaliter, Angelus Aretinus conſ. 114. quoad primum n. 12.*, & ratio eſt, quià quoad terras Eccleſiæ Imperator eſt reductus ad inſtar priuati, *Baldus conſ. 37. punctus quæſtionis lib. 4.* Limita tamen, quando legitimatio fieret de ſubdito Imperatoris quoad bona in ſtatu imperij de conſenſu partium, licet fiat in ſtatu Eccleſiæ, quià attenditur effectus legitimationis, non locus per textum *in l. contraxiſſe ff. de act., & obligat.*; *Caſtrenſis conſ. 343. circa primum in princip.*

5 *Imperator in terris Eccleſiæ non poteſt diſpenſare in ijs, quæ exigunt plenitudinem poteſtatis.*

Dixi *in ijs quæ exigunt plenitudinem poteſtatis, & quæ non fiunt per prorogationem inter volentes*, propter nonnullos volentes Imperatorem poſſe legitimare in terris Eccleſiæ, quoad naturales, non autem quoad natos ex damnato coitu, quià ex quo quoad iſtos requiritur plenitudo poteſtatis, non poteſt eam in terris Eccleſiæ exercere *Baldus conſ. 37. per totum, vbi eſt caſus lib. 4. Caſtrenſis conſ. 125. in princip. lib. 2. n. 2. verſ. breuitèr*; & quando fiunt per prorogationem inter volentes, & inter eos ad quos pertinet, non exercet iuriſdictionem contentioſam, ſed merè voluntariam, quam vbique exercere poteſt. Quod, an verum ſit, tu cogita.

Et non fiūt per prorogationem inter volentes.

Deinde, an poſſit Imperator legitimare in terris aliorum Regum, & Principum maxima eſt controuerſia inter DD. Nonnulli ſentiunt vtique poſſe diſpenſare, quià quicunque Reges, & Principes de iure ſubſunt Romano imperio *c. in apibus 7. q. 1. Hoſtienſis in c. per venerabilem de elect.* cumque recognoſcere debent in Dominum per textum *in c. Adrianus diſt. 63.*; vnde merito *Hoſtienſis loc. cit.* aſſerit, quod Reges Hiſpaniæ, Angliæ, & Franciæ tenentur de iure obedire Imperatori, aduerſus quem non poſſunt præſcribere, quià ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit, nemo autem poſſidere poteſt ſe ipſum. Alij vero abſolute aſſerunt Imperatorem in aliorum Regum, & Principum territorijs, & Regnis abſolutè non poſse diſpenſare, quià dato etiam, quod ſubſint Romano Imperio de iure, non ſubſunt tamen de facto, cum aduerſus eundem Imperatorem præſcripſerint, & licet nemo poſſit eſse in poſseſsione ſui ipſius eo modo, quo Dominus ſerui, poteſt tamen eſse eo modo quo homo liber eſt in poſseſsione ſuæ libertatis, quod ſufficit ad præſens inſtitutum; & hanc ſecundam opinionem exiſtimo probabiliorem.

6 *Nec legitimare in terris aliorum Regum, & Principum.*

In ordine ad ſecundum exiſtimo Imperatorem, & Reges, ſeù Principes abſolutos poſse diſpenſare quoad illegitimos in iure ſuccedendi in bonis iam alteri quæſitis, ſi diſpenſatio fuerit plena de certa ſcientia cum plenitudine poteſtatis, & cum clauſulis prægnantibus, & exprimentibus voluntatem Principis, quod voluerit alijs præiudicare, & hoc videtur aſſerere *Bartolus in l. Gallus ff. de lib., & poſth. Silueſter verb. Legitimus q. 3. n. 8. in fin.*

7 *Imperator, & Reges poſſunt diſpenſare, vt illegitimus ſuccedat etiam in bonis alteri quæſitis.*

Assertio III. Principes ſæculares etiã fideles poſsunt infidelibus ſibi ſubditis impedimenta matrimonium dirimentia ſtatuere, atque in illis diſpenſare *Abulenſis primo Reg. 8. q. 177. in fin. Ledeſma 2. part. & qu. 61. art. 2. col. 3. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 3. n. 8.*

8 *Principes ſæculares etiam fideles poſſunt infidelibus ſibi ſubditis impedimenta matrimonium dirimentia ſtatuere, & in illis diſpenſare.*

Ratio ex eo deducitur, quià in tantum Principes ſæculares non poſsunt inducere impedimenta dirimentia matrimonium inter fideles, in quantum illud inter eoſdem eleuatum eſt ad eſse ſacramenti, & factum eſt materia Eccleſiaſtica, ſed matrimonium inter infideles non eſt ſacramentum, ſed ſiſtit in puris terminis contractus prophani, ciuilis &c., ergo non eſt, cur in illo non poſsit Princeps Laicus legem ſtatuere, adeout valide non contrahatur, ſi ea non interuenerint, quæ fuerunt per talem legem ſancita. Confirmatur, quià in alijs omnibus contractibus, & diſ-

poſi-

Digitized by Google

poſitionibus merè ciuilibus plurima iura ſtatuerunt, quibus irritantur, ſi iura illa non ſeruantur, vt contingit v. gr. in iure municipali irritante contractus filiorum familias non autorante Patre, & in mutuis præſtitis eiſdem filijs familias exiſtentibus ſub patria poteſtate, vt colligitur *ex l. 1., & 2. C., & ff. ad Macedonianum*, ergò non erit, cur etiam quoad matrimonium non poſſint ſtatuere, quando hoc ſiſtit in puris terminis contractus ciuilis, & profani; quod, ſi poſſunt ſtatuere, non eſt, cur non poſſint in illo diſpoſito, ſeù ſtatuto diſpenſare, cum eius ſit ſoluere, cuius eſt condere ex allegatis iuribus.

Assertio IV. Dum Princeps, quantumvis ſecularis diſpenſat in ijs, in quibus poteſt, vel de iure, vel de conſuetudine diſpenſare, ſupponitur diſpenſare ex iuſta cauſa, ſi diſpenſet motu proprio, ſecus ſi diſpenſet ad inſtantiam partis *Bartolus in l. 1. C. de petit. bonor. lib* 10. *Abbas c. quæ in Eccleſiarum n. 10. de conſtit. Gigas de Penſionibus q. 6. n. 12. Rebuffus praxi benef. tit. de diſpenſat. ad plura beneficia, Rojas epitome ſucceſſionum c. 23 n. 13. Minchaca qq. Illuſt. lib. 1. c. 25. n. 17. Menochius de præſumpt. lib. 2. tit. præſumpt. 10. Maſcardus de probat. tit. concl.* 275.

9 Si diſpenſat motu proprio ſupponitur diſpenſare ex iuſta cauſa, ſecus, ſi ad inſtantiam partis.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià eſt præſumptio iuris, & de iure, quod Princeps motu proprio operans operetur ad normam iuris, & per conſequens ex legitima cauſa; non enim præſumendus eſt, quod ex ſe non interueniente cauſa voluerit legem, quam condidit indefinitè, quoad aliquos infringere, ſed aduerſus ea, quæ ſunt cum præſumptione iuris, & de iure non admittitur probatio, ergò &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo habetur, quià, quandò ad inſtantiam partis conceditur diſpenſatio cenſetur potius propter importunitatem partis facta, quam id exigente cauſa rationabili, vt notat *Bartolus in d. l. 1. C. de petit. bonorum lib.* 10., ergò admittit probationes, quod non facta fuerit ex legitima cauſa. Hæc procedunt in præſumptione fori externi, nam quoad forum internum animæ præſumendum eſt pro ſuperiori, dum ſubdito non conſtet defectus cauſæ, quandòquidem ſemper præſumendum eſt, quod Princeps rectè operetur, nec ſubdito onus incumbit facta, & intentionem ſuperioris inueſtigare *Sotus in 4. diſt. 21. q. 2. art. 2. col. ante penul., & lib. 7. de iuſt. q. 4. art. 3. ad ſecundum in fin. Suarez de cenſuris diſp. 41. ſect. 3. in fin.*

Motus proprius regulatur ad normam iuris.

Ampliationes plures, & reſtrictiones circa præſentem aſſertionem elucidant *Menochius, & Maſcardus locis allegat.* in aſſertione, ad quos vos remitto; non enim vacat ſingula inueſtigare.

PRÆNOTIO XV.

An Pontifex poſſit diſpenſare in radice matrimonij, & ad quem effectum.

SVMMARIVM.

Pontifex poteſt diſpenſare in radice matrimonij inualidi de iure canonico, vt proles poſſit ſuccedere in omnibus perindè, ac ſi ex matrimonio valide eſſet ſuſcepta. 1.

Pontifex non poteſt diſpenſare in radice matrimonij ad effectum, vt proles ſuccedat, quando ſuſcepta eſt ex coniunctione non matrimoniali ſaltem in figura. 2.

Proles antecedentèr ad matrimonium in figura ſuſcepta non redditur legitima ad ſuccedendum, ſi Pontifex diſpenſatis vt illud matrimonium ineatur, & non fuerit initum. 3.

Vt diſpenſatio in radice teneat, non requiritur nouus conſenſus coniugum, ſed ſufficit permanentia in primo. 4.

Illa diſpenſatio in radice mortuis parentibus valet, vt proles indè ſuſcepta ſuccedat etiam in præiudicium tertij. 5.

Probabilius non poteſt Pontifex diſpenſare in matrimonij radice, quando matrimonium irritum eſt impedimento dirimente de iure diuino indiſpenſabili pontificia poteſtate num. 6.

Quomodo præſumatur pro diſpenſatione in radice. 7.

Tunc eſt diſpenſatio in radice, quando Pontifex apponit clauſulam, vt ex tunc, vel vt per prius. 8.

Item, quando Pontifex in diſpenſatione legitimat matrimonium, ſeù declarat legitimum. 9.

Item, quando poſt diſpenſationem vult prolem eſſe legitimam ab initio. 10.

Item, quando de plenitudine poteſtatis dicit ſe indulgere, vt in contracto matrimonio liberè permanere valeant. 11.

Non intelligitur diſpenſare in radice, quando diſpenſat per verba connotantia tantum tempus præſens, vel futurum. 12.

Senſus potiſſimum præſentis difficultatis eſt, an quandò matrimonium nulliter contractum eſt ex aliquo impedimento dirimente poſſit Pontifex ita diſpenſare in illo impedimento, vt diſpenſatio retrotrahatur ad tempus, quo illud matrimonium contractum eſt, licet nullitèr, adeovt cenſeatur quaſi à principio fuiſſe valide initum media illa diſpenſatione ad eum effectum, vt proles habita ante talem diſpenſationem reputetur legitima quoad omnia, quod eſt propriè diſpenſare in radice matrimonij, & hæc potiſſimum difficultas ideo excitatur, quià

Exponitur quid propriè ſit diſpenſare in radice.

cum

Digitized by Google

cum communior, & tutior ſententia aſſerat, quod Pontifex in terris extra propriam iuriſdictionem temporalem non poſſit directè diſpenſare ſuper illegitimitate natalium ad effectum, vt illegitimi poſſint ſuccedere in bonis temporalibus, & officijs laicalibus, videtur dubium emergere, an ſaltem poſſit indirectè prolem habilitando reddendo illud matrimonium validum à principio, ſeù in ſua origine per retrotractionem illius diſpenſationis.

Pro cuius difficultatis clariori intelligentia plerique excitantur articuli examinandi, & primò, an verè Pontifex poſſit ità in radice matrimonij diſpenſare, vt poſita tali diſpenſatione proles ex illo matrimonio nullitèr contracto immediatè ſuccedere valeat in hæreditate, & officijs ſæcularibus, quantumvis ſit extra territorium Romano Pontifici in temporalibus ſubiectum. Secundò, an ad eum effectum poſſit diſpenſare, quantumvis inter parentes illius prolis nullum fuerit initum matrimonium, nec in figura. Tertiò, an, ſi ſuſcepta antecedenter prole nullo præcedente matrimonio, nec in figura, Pontifex diſpenſarit, vt ineatur matrimonium, proles maneat legitima etiam ſi illud matrimonium non fuerit initum. Quartò, an, vt matrimonium illud nullitèr contractum ſubſiſtat ad effectum, vt proles ex illo concepta antecedentèr ad diſpenſationem in radice ſuccedere valeat, requiratur nouus conſenſus poſt diſpenſationem expreſsè, vel tacitè præſtitus. Quintò, an ſubſiſtere poſsit diſpenſatio in radice quoad effectum, vt filij ex illo matrimonio ſuccedere valeant, ſi illa diſpenſatio ſuperueniat poſt obitum parentum, & an tunc præiudicet tertio, qui iam ſucceſſit, vel ſuccedere debuerat parentibus defunctis. Sextò, an Pontifex diſpenſare poſſit in radice matrimonij, quandò fuit nullum ratione impedimenti de iure diuino, vel naturali. Septimò, quandonam intelligatur Pontifex diſpenſare in radice matrimonij, & alia ex his reſultantia.

Articuli examinandi circà ...ticulum.

Assertio I. Pontifex diſpenſare poteſt in radice matrimonij nullitèr contracti ex impedimento dirimente de iure poſitiuo canonico, & diſpenſatio illa eum effectum conſequeretur, vt proles ex illo ſuſcepta ſuccedere poſset in hæreditate, ac officijs ſæcularibus, perindè ac ſi fuiſset progenita ex matrimonio in ſua origine valido *Rota Romana deciſ. 207. prima part. in nouiſſimis, deciſ. 1121. apud Seraphinum in Siracuſana illegitimitatis 19. Octobris 1573. coram Clement. 8. cuius mentionem facit Seraphinus d. deciſ. 1121. Antonius Gabriel com. concl. lib. 6. tit. de legitimat. concl. 3. n. 1. Nauarrus lib. 4. conſil. tit. de ſponſal. conſ. 3. in prima edit., & tit., qui filij ſint legitimi conſ. 2. in 2. edit. Aloiſius Riccius in collect. deciſ. collect. 3063. part. 7. Auguſtinus Barboſa tom. 2. collect. ad decret. lib. 4. tit. 5. cap. 5. n. 9. & 10., & de poteſt. Epiſcopi part. 1. tit. 3. c. 2. n. 101. Sanctarellus var. reſol. q. 43. num. 3. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 7. nu. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 10. n. 337.*

1 Poteſt diſpenſare in radice matrimonij invalidi ex iure canonico, & ad quem effectum.

Ratio ex eo deducitur, quià tota inualiditas illius matrimonij nullitèr contracti prouenit ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici; & ex effectibus, quos ipſum inducit, ſed Pontifex poteſt abſolutè abolere ius poſitiuum per canonicas ſanctiones inductum, & effectus ab eodem dependentes, & hoc non ſolum pro tempore futuro, ſed etiam pro præcedenti, ergò &c. Minor probatur primò *ex clem. unica de immunit. Eccleſ.*, vbi Pontifex reuocat nonnullas prædeceſſorum conſtitutiones, & effectus ex ipſis emanantes, perindè ac ſi non fuiſſent editæ. Ibi: *Nos de conſilio Fratrum noſtrorum conſtitutionem, & declarationem, ſeù declarationes prædictas, & quidquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas penitus reuocamus, & eas haberi volumus pro infectis*; vbi Gloſa ponderans illud verbum *pro infectis*, ait. *Per hoc puto, quod excommunicatus ex viribus illius conſtitutionis abſolutione non egeat. Et vide quanta eſt Papalis poteſtas circa ea, quæ ſimplicitèr ſunt de iure poſitiuo, quià reuocat illa, vt ex tunc*; ergò in ordine ad iura poſitiua poteſt Pontifex illa abolere, adeovt non ſolum non obligent de futuro, ſed etiam pro non factis habeantur de præterito. Secundò, quià Pontifex hic, & nunc poteſt abolere omnes effectus, qui promanarunt ex aliquo iure poſitiuo canonico, prout eſt in confeſſo apud omnes, ergò etiam hic, & nunc poteſt abolere huiuſmodi effectus, prout ex tunc, quando fuerunt inducti. Conſequentia probatur, quià poteſtas Pontificis extenditur ad omnes effectus iuris poſitiui pro quocunque tempore; ergò ex nunc ita moralitèr poterit abolere pro tunc, ac ſi tunc non fuiſſent poſiti. Neque dicas, quod Pontifex ſua poteſtate non poſſit efficere, vt quod iam factum eſt, non ſit factum, & cum ex illo matrimonio orta ſit proles illegitima, non poteſt præſtare, quod non fuerit talis; contra enim impugnaberis, quià licet non poſſit efficere, quod id, quod fuit Phyſicè, non fuerit phyſicè, poteſt tamen efficere, quod id, quod fuit Phyſicè, ex nunc pro tunc non habeat ſuos effectus morales dependentes ex iuris canonici diſpoſitione abolendo hic, & nunc pro tunc ius illud, per quod inductum fuit illud impedimentum, omneſque ipſius effectus, quatenus, quantumvis fuerint poſiti, perinde ſe habeant, ac ſi non fuiſſent poſiti, cum iſti dependeant

Poteſt ius poſitiuum abolere etiam quoad præterita.

ab eiuſdem Pontificis voluntate, qui ſicuti potuit efficere, vt non ponerentur, ita poteſt efficere, vt quantumvis ſint poſiti, habeantur pro non appoſitis.

Confirmari poteſt ex Pontificis diplomate apud *Rotam Romanam in hiſpalenſi legitimitatis* 11 *Maij* 1615. *deciſ.* 687. *nu.* 12., *&* 13. *apud Farinacium parte ſecunda recentiorum*, vbi diploma in hæc verba refertur *Vobiſcum, quod in impedimentis conſanguinitatis non obſtantibus in veſtro ſic contracto matrimonio*, & nonnullis interpoſitis, *remanere libere, & licitè valeatis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium diſpenſamus, prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde decernendo &c.* vbi certè fit diſpenſatio eiuſdem matrimonij in radice, quandoquidem nota illam particulam, *remanere*, quæ ſignificat continuationem actus præcedentis cum perſeuerantia *l. ſed ſi manente ff. de precario l. amiſſione* §. *vlt. ibi manere magiſtratum ff de capitis diminutione l. ſi cum dies* §. *ibi manſit arbiter ff. de recept. arbit.*, quod magis confirmatur ex illa particula *in veſtro ſic contracto matrimonio*, vbi ly, *ſic*, eſt repetitiuum omnium qualitatum præcedentium *c. veniens in fin. de iureiur. Menochius conſ.* 232. *n.* 21.

Diploma, ex quo cõſtat diſpenſatio in radice.

Assertio II. Pontifex non poteſt diſpenſare in radice matrimonij ad effectum, vt proles ſuſcepta poſſit ſuccedere in hæreditate, alijſque officijs ſæcularibus extra territorium propriæ ditioni temporali ſubiectum, quando ſuſcepta eſt ex coniunctione non matrimoniali ſaltem in figura, ſed tantum fornicaria extra matrimonium, *Abbas in c. per venerabilem nu.* 21. *Qui filij ſint legitim.*, *Aloiſius Riccius collect. Peregrinus de fideicomm art.* 24 *num:* 76., *Ioannes Baptiſta Lupi de illegit.*, *& nat. reſt. lib. comment.* 4. *n.* 55., *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 7. *n.* 7., *Io. Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.* 10. *nu.* 346., *Ancharanus conſ.* 409. *num.* 4., *& c. unico n.* 3. *de ſponſalib. in ſexto, Angelus verb legitimatio n.* 7., *Silueſter verb legitimus q.* 7. *dict.* 5., *Martinus Laudenſis de legitimat. art.* 2. *n.* 85.

2 Non poteſt diſpenſare in radice matrimonij, quãdo nullum matrimonium præceſſit ſaltẽ in figura.

Ratio clara eſt, quià in tantum proles ſuſcepta per diſpenſationem in radice matrimonij redditur legitima, & habilis ad omnia, in quantum matrimonium illud, in cuius radice diſpenſatur, redditur validum perindè, ac ſi à principio fuerit tale, ſed quando proles illa non fuit concepta ex matrimonio ſaltem in figura, ſeù ex coniunctione matrimoniali ſaltem figuralitèr, ſed ex mere fornicaria matrimonium per diſpenſationem in radice non redditur validum, perindè ac ſi fuerit tale à principio, quandoquidem, cum non fuerit matrimonium, neque eſt radix, in qua potuerit diſpenſari, ergo &c. Hinc deduces, quod ſi antecedenter ad matrimonium inualidum ex aliquo impedimento dirimente de iure poſitiuo fuerit ex coitu fornicario proles illa ſuſcepta, & deinde illud matrimonium fuerit per Summum Pontificem in radice diſpenſatum, non propterea extra territorium eidem Pontifici in temporalibus ſubiectum, quantum eſt ex vi illius diſpenſationis, poſſit illa proles in hæreditate, alijſque muneribus ſæcularibus ſuccedere. Ratio eſt, quià illa diſpenſatio in radice demit quidem quoſcunque effectus ex iure poſitiuo emergentes, quantũ eſt ex parte illius matrimonij, ſed proles illa non eſt ſuſcepta ex vi illius matrimonij, ſi quidem antecedenter ad illud procreata eſt, ergo &c. Si autem inquiras, vtrum ſaltem illa proles ex illo matrimonio inualido, ſed diſpenſato in radice legitimetur, & reddatur habilis ad ſucceſſionem, aliaque munera temporalia intrà territorium Romano Pontifici ſubiectum, dicam infrà.

Ex quibus inferes, quid dicendum ſit ad id, quod fuit tertio loco propoſitum in articulis excitatis in principio prænotionis, an, ſi ſcilicet ſuſcepta antecedentèr prole nullo præcedente matrimonio, nec in figura Pontifex diſpenſarit, vt ineatur matrimonium proles maneat legitima, etiam ſi illud matrimonium non fuerit initum; dicendum quippe eſt, non manere ex vi illius diſpenſationis legitimam, nec aptam ad ſuccedendum in hæreditate, nec ad alia munera ſæcularia, & ſic expreſsè ſentit *Sanchez de matrimonio lib.* 8. *diſp* 7. *n.* 15., quià in primis talis diſpenſatio eſt in fauorem matrimonij ineundi, ergo eo nõ poſito diſpenſatio illa non conſequetur effectum legitimationis. Deinde diſpenſatio in radice matrimonij habilitat quoad ea, quæ dependent ab eodem matrimonio non quoad ea, quæ antecedenter ad illud peracta ſunt.

3 Proles antecedenter ad matrimonium etiam in figura ſuſcepta non redditur legitima, ſi Pontifex diſpenſarit vt matrimonium illud ineatur & non fuerit initum.

Assertio III. Probabilius eſt ad effectum, vt diſpenſatio in radice teneat, ſi facta fuerit per Romanum Pontificem, & proles inde progenita fiat legitima, & apta ad ſucceſſionem in hæreditate, & ad alia munera ſæcularia in terris extra ditionem temporalem eiuſdem Romani Pontificis, non requiri ex neceſſitate nouum conſenſum coniugum poſt eandem diſpenſationem, ſed ſufficere, ſi in priori conſenſu præſtito moralitèr perſeuerent, ſeù perſeuerarint. *Nauarrus lib.* 4. *conſil. tit. de ſponſalib. conſ.* 3. *in prima edit.*, *& tit Qui filij ſint legitimi conſ.* 2. *in ſecunda edit. Aloiſius Riccius in collect. deciſ. collect.* 3063. *part.* 7. *Ioannes Baptiſta Lupi de illegit.*, *& natur. reſtit. lib. comm.* 4. §. 1. *n.* 53., *& ſeqq. Auguſtinus Barboſa tom.* 2. *collect. ad decret. lib.* 4. *tit.* 5. *c.* 5. *n.* 9. *Sanctarellus var. reſol. q.* 43. *n.* 3. *Rota Romana in Hiſpalenſi legitimitatis* 11. *Maij* 1615. *deciſ.* 687. *n.* 12., *&* 13. *apud Farinacium part.* 2. *recentiorum contra*

4 Ad hoc, vt diſpenſatio in radice teneat non requiritur nouus conſẽſus coniugum, ſed ſufficit perſeuerantia in primo

Ioan-

Ioanem Angelum Boſſium de matrimonij contractu c. 10. n. 336., *& alios*.

Pluribus euincitur aſſertio, & primo, quià quidquid deficit in illo contractu matrimoniali, dum actu fuit celebratus, non ſe tenet ex parte conſenſus voluntarij, ſed ex parte impedimenti de iure canonico inducti, ergo ex nunc pro tunc ſublato per poteſtatem Pontificis illo impedimento in radice, & quoad ſuos effectus non erit, cur illud matrimonium non debeat in ſua radice intelligi validum, & proles inde ſuſcepta non debeat eſſe legitima, & apta ad ſuccedendum, tum in hæreditate, tum in alijs muneribus ſæcularibus; Neque dicas cum *Ioanne Angelo Boſſio loc. cit.* priorem conſenſum vtpotè illegitimum ob perſonarum inhabilitatem, & per conſequens ipſo iure irritum, & inualidum perindè ſe habere, ac ſi non fuerit poſitus; ſicuti autem, ſi matrimonium eſſet inualidum ex defectu conſenſus, non poſſet fieri validus ex diſpenſatione in radice ſine nouo conſenſu *Antonius de Roſellis de legitimatione lib. 2. in princip. n. 16., 21., & 22. Molina lib. 3. de primogen. c. 2. n. 12. Antonius c. per venerabilem nu. 10. in fin. Qui filij ſint legitimi, Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 7. nu. 10.*, nec certè incongrua ratione, quià Pontifex poteſt quidem abſoluere ea, quæ iuris canonici ſunt, non autem efficere, quod contractus matrimonialis ſine forma ſubſtantiali, quę conſiſtit in contrahentium conſenſu, ſubſiſtat, ità nec poteſt ſubſiſtere quando conſenſus quidem eſt poſitùs, ſed inualidè, niſi idem renouetur, quandoquidem non conſenſus, & conſenſus nullus in effectu ſibi æquiualent; contra enim impugnaberis, quià diſpar omnino eſt ratio in hac hypotheſi de non conſenſu, ac de conſenſu inualido ex impedimento dirimente intercedente; quandoquidem in eſſe Phyſico in celebratione illius contractus conſenſus eſt poſitus, & tota illegitimitas eiuſdem conſenſus eſt ratione illius impedimenti, quod quidem impedit in eſſe morali eiuſdem obligationem, non autem eſſe Phyſicum ipſius; ſicuti igitur per diſpenſationem in radice ex nunc pro tunc Pontifex deſtruit illud impedimentum, ita deſtruit illud morale, quod impediebat effectum, & obligationem conſenſus, qui non intelligitur moraliter retractatus; nam nullitas iſtius primi matrimonij procedens ex prohibitione canonica non operatur mutationem animi voluntatis, aut mutui conſenſus ab initio per contrahentes præſtiti, ſed ſolum influit impediendo, ne valide contrahatur matrimonium; quarè dicta prohibitione per diſpenſationem in radice ſublata non eſt, cur non remaneat ille conſenſus quoad ſui eſſentiam integer, & perfectè obliget.

Non eſt ex defectu cõſenſus, ſed impedimẽto.

Conſenſus deficit tantum in eſſe morali, & obligatorie.

Secundo, quià data contraria ſententia Pontifex nunquam poſſet in radice matrimonij propriè diſpenſare efficiendo, vt illud ſit validum à principio, ſeù ex nunc pro tunc, quandoquidem, ſicuti non poteſt efficere, quod ſit validum ſine forma ſubſtantiali conſenſus, ita non poſſet efficere, quod ſit tale, niſi quando noua forma conſenſus poſt diſpenſationem in radice poneretur; non enim poteſt efficere, quod conſenſus hic, & nunc poſitus intelligatur poſitus antecedenter, ſicuti poteſt efficere ex nunc, vt impedimentum præcedens nullum ſortiatur effectum, ac perinde ſe habeat, ac ſi non fuerit poſitum, nam conſenſus contrahentium non dependent à poteſtate Pontificis, ſicuti dependent iura canonica, quæ quoad vim fundantur in ipſius voluntate, ergo tunc tantum ſubſiſtet matrimonium, quando ille nouus conſenſus contrahentium ponetur, adeoque non quando primo poſitus eſt contractus adeoque non reualidabitur in radice, & ſic proles antecedenter ſuſcepta non erit legitima in radice ratione matrimonij validi, quando fuit concepta, & ſuſcepta.

Nunquam poſſet eſſe diſpẽſatio in radice.

Tertio aſſertio euincitur *ex Rot. Rom in illa deciſ. 687. n. 9. apud Farinacium part. ſecunda recentiorum*, vbi aſſerit, tunc Pontificem diſpenſare in radice matrimonij, quando in diſpenſatione dicit: *Vt in veſtro ſic contracto matrimonio permanere valeatis*, vbi, vt aſſerebam ly *remanere* importat continuationẽ actus præcedentis cum perſeuerantia per iura ibi allegata, ergo ſupponit actum præcedentis conſenſus perſeuerare, qui prout coniungitur cum diſpenſatione validum conſequetur effectum, & quidem tunc, quando diſpenſatio vim habet, & pro tempore, ad quod trahitur; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Pontifex in ſuo diplomate relato per eandem Rotam loc. cit. dicat. *Vobiſcum, quod impedimentis conſanguinitatis non obſtantibus in veſtro ſic contracto matrimonio remanere, ſeù illud inter vos publicè ſeruata forma Concilij Tridentini de nouo contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare liberè*, *& licitè valeatis*, vbi videtur innui nouum contractum per nouum conſenſum in facie Eccleſiæ, & cum ſolemnitatibus iuris ineundum. Non, inquam, obeſſe poteſt, quià illa particula, *ſeù illud inter vos*, importat alternationem, & diſiunctionem, quæ non infert neceſſitatẽ ad hoc determinatè, ſed vel ad hoc, vel ad illud, quod dixerat antecedẽter, nempè *in veſtro ſi ſic cõtracto matrimonio remanere liberè & licitè valeatis*, & illam alternationem ſubdit non ad effectum, vt indicetur neceſſarius nouus conſenſus, ſed vt ad euitanda ſcandala poſſit in facie Eccleſiæ ſolemnizari.

Deciſio Rotæ ad hanc rem valde fauorabilis.

Quartò aduerſus *Boſſium loc cit. ad homi-*

Digitized by Google

rem euincitur aſſertum, & per hoc diſcutitur articulus quinto loco propoſitus. Diſpenſatio in radice matrimonij facta per Romanum Pontificem ſuum obtinet effectum, vt proles ex illo ſuſcepta poſſit legitimè ſuccedere in hæreditate, aliiſque officijs ſæcularibus, quantumvis ponatur poſt obitum coniugum parentum, prout admittit *idem Boſſius d.c.10.n.337.*, & cum eo *Boerius deciſ. 264 n. 33. Ioannes Baptiſta Lupi de illegit., & natur reſt. lib. comment. 3. §. 3. n. 32.*, ergò præſcindendo etiam à nouo conſenſu poteſt illa diſpenſatio in radice ità prodeſſe, vt proles ex illo ſuſcepta poſſit legitimè ſuccedere in hæreditate Patris, aliiſque muneribus ſæcularibus; atque id vltrà præcitatos DD. docent etiam *Ancharanus conſ. 409. n. 6. Iacobus de Puteo deciſ. 483. n. 2. lib. 2. Angelus verb. Papa num. 4. Nauarrus lib. 4. conſil. in 1. edit. tit. de ſponſalibus conſ. 3. n. 10. Peregrinus de fideicom. art. 24. in fin.*, qui etiam docent diſpenſationem non inniti præcisè ablationi prioris impedimenti dirimentis, ſed tantum reuocationi legis Eccleſiaſticæ, qua prius matrimonium irritum fuerat, factæ ex tunc, quando matrimonium contractum eſt, ità vt aboleantur effectus, qui ex illa lege emanarunt.

Diſpenſatio in radice poteſt poni etiam poſt obitũ coniugum.

Maior difficultas quoad hoc eſt, an illa diſpenſatio in radice mortuis parentibus habeat ſuum effectum reſpectu filiorum in ordine ad ſucceſſionem in hæreditate eorundem parentum etiam in præiudicium tertij, quatenus ex vi illius ſit auferenda hæreditas parentum ab Agnatis, vel ab alijs filijs, qui in eam ſucceſſerant, illiuſque poſſeſſionem apprehenderant. Iuxtà diſtinctionem reſpondent nonnulli ad præſentem difficultatem; vel etenim ſit diſpenſatio ex voluntate parentum, quatenus ante obitum petierint ſic diſpenſari, vel iuſſerint peti; vel ſit nulla præexiſtente parentum inſtantia. Iuxta primum ſenſum aſſerunt *Iacobus de Puteo deciſ. 483. n. 2. lib. 2. Peregrinus de fideicom. art. 24. in fine*, cum alijs pluribus, quos ipſi allegant, & ſequuntur, valere diſpenſationem ad hunc effectum etiam, vt proles ex illo matrimonio ſuſcepta ſuccedere valeat etiam in præiudicium tertij. Iuxtà ſecundum idem *Iacobus de Puteo loc. cit.* aſſerit diſpenſationem illam non prodeſſe ad hunc effectum, vt cum præiudicio tertij proles illa valeat ſuccedere, quià fictio non poteſt retrofingere poſt diſſolutum matrimonium, & ius alteri quæſitum. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt illam diſpenſationem in radice matrimonij poſt obitum parentum prodeſſe, vt proles ex illa ſuſcepta ſuccedere valeat etiam in præiudicium tertij *Sanchez de matrimon. lib 8 diſp. 7. n. 6. Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. d. cap. 10. n. 337. & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quià tota ratio, cui innititur ius illius tertij, fundatur in lege canonica irritante illud matrimonium, qua non exiſtente nullum ius ille tertius haberet in illa hæreditate, quandòquidem tota ratio eſt illegitimitas prolis ratione impedimenti, ſeu conſanguinitatis v. g., cum qua illud matrimonium initum eſt, quæ dirimit ſolum de iure canonico, quo ſublato de iure ciuili matrimonium illud eſſet validum, & proles ex illo ſuſcepta legitima *l. 2. ff. de ritu nupt. lib. 2. C. de inſtit., & ſubſtitut. l. celebrandis C. de nupt., & §. duorum inſtit. eod. tit.*, ergò remota illa lege canonica per diſpenſationem in radice, cum nil remaneat, quod poſſit obſiſtere validitati matrimonij, & per conſequens legitimitati prolis ex eo ſuſceptæ, non erit, cur illa proles non debeat excludere quemcunque alium, qui illa diſpenſatione non poſita vocaretur ad ſucceſſionem. Confirmatur, quià ius illius alterius, qui hæreditatem adiuit, vel fuiſſet aditurus, non eſt abſolutum ſed conditionatum, ſi ſcilicet non fuerit ex illa perſona, cui ſucceſſit, ſeu ſucceſſurus eſt, proles legitima, ſed per illam diſpenſationem conſtituitur proles legitima, perindè, ac ſi ab initio fuerit talis, ergò &c. Confirmatur ſecundò, quià quantumvis ex illa diſpenſatione oriretur aliquod præiudicium tertio, hoc non venit formalitèr, ſed tantum conſecutiuè, quod non attenditur *Rota deciſ. 687. n. 16. apud Farinacium part. 2. recentiorum, Boerius deciſ. 264. num. 33. Ioannes Baptiſta Lupi de illegit., & nat. reſt. lib. comment. 3. §. 3 n. 32. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 10. n. 337.* quod potiſſimum verificatur, quandò Pontifex diſpenſaret ex certa ſcientia.

5 Valet etiã, vt proles ſuccedat in præiudiciũ tertij.

ASSERTIO IV. Probabilius eſt non poſſe Pontificem in matrimonij radice diſpenſare, quandò matrimonium irritum eſt impedimento dirimenti de iure diuino, & poteſtate Pontificia indiſpenſabili. *Ancharanus c. per venerabilem nu. 22. Qui filij ſint legitimi. Felinus c. quia in Eccleſiarum n. 21. verſ. 2. amplia de conſtit. Nicolaus de Vbaldis de ſucceſ. ab inteſt. 1 part. nu. 106. Martinus Laudenſis de legitimatione art. 2. num. 86., & 96. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 7. n. 8. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 10. n. 347.*

6 Nõ poteſt diſpenſare in radice, quandò eſt irritum iure diuino.

Ratio inde deducitur, quià de iure ordinario Pontifex non poteſt diſpenſare in ijs, quæ iuris diuini ſunt, & naturalis, nec impedimenta talis iuris auferre abſolutè, ergò nec poterit diſpenſare in radice matrimonij, quod de iure diuino ſimpliciter, vel de iure diuino naturali irritum eſt. Quod, ſi dixerimus ex iuſta, & legitima cauſa poſſe Pontificem diſpenſare in votis Religionis, & caſtitatis, quinnimò

mò

Digitized by Google

mo etiam ex grauiori cauſa in voto ſolemni in profeſſione emiſſo, quod tamen de iure diuino obligat: tunc dicam, quod Pontifex in huiuſmodi votis non diſpenſat, niſi indirectè ſubtrahendo materiam voti, quæ conſiſtit in actibus voluntatis vouentis, ſeu profitentis, circa quos actus poteſt quidem poteſtatem exercere quoad futura, non quoad præterita, maximè, ſi fuerint informati iure diuino, cum huiuſmodi actus quoad ſuam vim naturalē ſint independentes à quocumque iure humano; nec præſumendum eſt, quod Deus, qui ob neceſſitates vrgentes hanc facultatem permittit Pontifici in diſpenſatione huiuſmodi votorum, voluerit hanc poteſtatem ampliare in ordine ad præterita.

Dices, quod quantumuis illa impedimenta ſint de iure diuino, inhabilitates tamen, quas proles illa ita naſcendo contraxit, eſſe de iure canonico, & ſubiacere Sūmi Pontificis iuriſdictioni, qui propterea, quamuis non poſſit in illo matrimonio diſpenſare, poteſt tamen per diſpenſationem illos effectus, ſeu inhabilitates abolere, perinde, ac ſi ab initio non fuerint cōtractæ. Ita *Molina tom. 3. de iuſtitia tract. 2. diſp. 624. n. 3. verſus finem*. Sed contra, quia hoc non eſſet diſpenſare in radice matrimonij, ratione cuius indirectè conſurgat habilitas in prole ſuſcepta ad ſuccedendum; nam hæc habilitas indirectè conſurgit ex eo, quod illud matrimonium ab initio, & in origine reddatur validum, quod cum in hoc caſu non poſſit, nec cōſurgit indirectè illa habilitas; vnde directè tantum tunc Pontifex diſpenſabit, nec retrotrahet legitimationem deſtruendo omnino legem impedimenti inductiuam, nec legitimabit ratione matrimonij, & in radice, ſed tantum formali diſpenſatione, quæ non extenditur ad præterita, ſed dūtaxat ad futura, & extra territorium Romano Pontifici ſubiectum tantum quoad ſpiritualia, non quoad omnia.

Hoc non eſt diſpēſare in radice matrimonij.

7 Quomodo præſumi poſſit pro diſpenſatione in radice.

ASSERTIO V. Mens Pontificis quoad diſpenſationem matrimonij inualidi in radice, & ad effectum, vt proles ex eodem ſuſcepta ſuccedere valeat in hæreditate, & in officijs ſæcularibus, varijs modis, & iuxta varias formas, quibus concipitur diſpenſatio, conijcitur.

8 Primo quādo apponitur particula *vt ex tūc* vel *Vt ex per prius*.

Probatur per incluſionem eorum, quibus præſumptiuè inducitur talis diſpenſatio, & per excluſionem eorum, quæ non inducunt præſumptionem pro illa: ſic primo conijcitur pro vera diſpenſatione in radice, ratione cuius filij valeant ſuccedere tam quoad temporalia, quam quoad ſpiritualia, quando Pontifex in tali diſpenſatione apponit clauſulam, *vt ex tunc*, vel *vt per prius*, vel *perinde, ac ſi nullum prius fuiſſet impedimentum*, *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 7. n. 22. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 2. n. 2. Peregrinus de fideic. art. 24. n. 77. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 10. n. 348.*, *& alij magis communiter*. Ratio eſt, quia ex ſupradictis Pontifex poteſt diſpenſare in radice matrimonij inualidi, & ſufficienter per illas particulas exprimit ſuam mentem de tali diſpenſatione in actu, cum non ſuppetat alius modus aptior ad ſignificandum talem intentionem, ergo non eſt, cur illa diſpenſatio ſic concepta non debeat haberi pro diſpenſatione in radice.

9 Secundo quando tāquam legitimum approbatur.

Secundo intelligitur diſpenſatio in radice matrimonij irriti ex impedimento dirimente Eccleſiaſtico, ſi Pontifex in diſpenſatione eiuſdem ipſum legitimet, ſeu declaret legitimum, ſeu tanquam legitimum approbet, quantumvis non addat illam particulam, *vt ex tunc*. *Coaruuias ſecundo de ſponſalib. part. 2. c. 8. §. 8. n. 13. Molina de primogen. lib. 3. c. 2. n. 12. verſ. ſi vero, Peregrinus de fideicomm. art. 24. n. 77. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 7. n. 29. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 10. n. 349.* Ratio ex eo deducitur, quia declarare legitimam, ſeu illud ratum habere eſt illud habere, ac ſi ab initio legitimè eſſet factum, ſicuti ratam habere actionem alterius eſt illam approbare, ac ſi eſſet facta ad normam mentis eius, cuius eſt illam validam reddere, *Ioannes Andreas c. per venerabilem n. 30. qui filij ſint legitimi, & ibi Ancharanus n. 21. Cardinalis n. 9. qu. 1.* hoc autem eſt propriè in radice diſpenſare; Neque dicas, quod legitimatio, approbatio, & ratihabitio ſit indiferens, tā ex tunc, quam ex nunc, adeoque non eſt, cur debeat intelligi potius pro tunc, quam pro nunc, quinimmo cum diſpenſationes ex genere ſuo ſint ſtricti iuris, vt latè ſupra probauimus, ſunt potius reſtringendæ, vt valeant ſolum pro tempore futuro, nō pro præterito; contra enim impugnaberis, quia approbatio, ſeu ratihabitio ex genere ſuo reſpicit opus præteritum, & approbat illud, pro vt primo eſt factum, & ratum habet perinde, ac ſi approbaret, dum fit; Neque ad talem diſpenſationem in radice requiritur, quod in ipſa fiat mētio prolis ſuſceptæ, quinimmo nec requiritur in petitione, quidquid ex aduerſo dixerit *Coaruuias ſecundo de ſponſalibus part. 2. c. 8. §. 8. n. 15.* volens requiri ſaltē, vt in petitione, ſeu ſupplicatione facta fuerit mentio prolis ſuſceptæ, & ſupplicatum de eius legitimatione, & *Sanchez d. lib. 8. de matrimonio diſp. 7. n. 28* volens requiri, vt in ipſa diſpenſatione de legitimatione eiuſdem prolis fiat expreſſio; Non, inquā, requiritur, quia in primis ex hoc deduceretur aduerſus eundem Sanchez, quod etiam facta expreſſione legitimationis requireretur, quod adderetur particula *ex tūc*, quia non minus eſt indifferens legitimatio

Approbatio ex genere ſuo reſpicit opus præteritum

Nec requiritur vt fiat expreſſa mētio prolis.

tio prolis, vt ſit ex nunc, vel ex tunc, ſicuti eſt indiferens legitimatio matrimonij ad eas tempori differentias. Deindè poſita præciſa legitimatione matrimonij in radice, etiam ſi nulla facta fuerit mentio prolis, ſiue in petitione, ſiuè in ipſa diſpenſatione, conſequitur neceſſario ipſa legitimatio prolis ad effectum vt poſſit ſuccedere, ergo &c. Antecedens probatur, quià poſito matrimonio valido in ſua origine ex natura ſua proles ex illo conſequitur legitima, ergo legitimato eodē matrimonio in ſua origine proles ex genere ſuo fiet immediatè legitima, adeoque &c. Neque dicas, verum eſſe, quod poſita legitimatione in radice matrimonij conſequatur neceſſario legitimatio prolis; ſed ad ponendam legitimationem in radice matrimonij requiri, quod exprimatur, vel in ipſa legitimatione, vel ſaltem in petitione proles ſuſcepta; non enim præſumendum eſt, quod Pontifex ſine reſpectu ad prolem velit ſic diſpenſare, cum diſpenſatio iſta potiſſimum reſpiciat bonum prolis; Contra enim impugnaberis, quià eo ipſo, quod Pontifex approbat matrimonium iam factum, ſeù illud ratum habet præſumitur eidem conferre valorem à principio, quem habere poteſt in ordine ad omnia, & per conſequens etiam in ordine ad prolem, ſi quam habuerit ex illo matrimonio, vel in effectu, vel in via; nec verum eſt, quod in illa diſpenſatione in radice mens Pontificis ſolum tendat in bonum prolis; cùm etiam tendere poſſit in bonum parentum eiuſdem, vt ab initio reputentur pro legitimis coniugibus.

10 Tertio quādo Pontifex poſt diſpenſationē dicit velle prolem eſſe legitimā ab initio.

Tertio intelligitur diſpenſatio in radice, ſi Pontifex poſt eandem ſimpliciter poſitam ſubdat ſe velle prolem ex illo matrimonio habitam fore legitimam, & ſuccedere in hæreditate, perindè, ac ſi ab initio eſſet legitima *Rota Romana ex dicta Hiſpalenſi legitimitatis 11. Maij 1615. deciſ. 687. n. 4. apud Farinacium part. ſecunda recentiorum, Coaruuias ſecundo de ſponſ. part. 2. c. 8 §. 8. nu. 15. in fine, Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 7. n. 29; Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 10. n. 356.* Ratiò ex eo deducitur, quià non poteſt Pontifex extra territorium ſibi in temporalibus ſubiectum prolem legitimam conſtituere ad effectum, vt ſuccedat in hæreditate, alijſque muneribus ſæcularibus, niſi diſpenſet in radice matrimonij, ergo cum velit prolem eſſe legitimam, & ſuccedere in hæreditate ex conſequenti, ſeù per poſterius arguitur velle, quod matrimonium illud reddatur validum ab initio, qui etenim vult effectum intelligitur efficacitèr velle cauſam, ex qua ille conſequitur, & ſine qua conſequi non poteſt; nec præſumi debet, quod Pontifex voluerit apponere cauſam ſine effectu, ſeù fruſtraneò.

Quarto intelligitur diſpenſatio in radice, quando Pontifex non apponit expreſsè approbationem contractus à principio, ſed tantum aſſerit de plenitudine poteſtatis ſe indulgere, vt in ſic contracto matrimonio liberè, & licitè permanere valeant, aut de nouo contrahere *Rota Romana deciſ. 207. prima part. in nouiſſimis, deciſ. 1121. apud Seraphinum, deciſ. 687. n. 9 apud Farinacium, Peregrinus de fideicom. art. 24. nu. 7. Ioannes Baptiſta Lupi de illeg. comment. 4. §. 1. num. 56. Gloſa in c. non debet de conſang., & affin. verb. de cætero Boerius deciſ. 264. n. 26., & ſeqq Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 10. n. 360.* aduerſus *Coaruuiam ſecundo de ſponſalibus part. 2. c. 8. §. 8. n. 13. Sanchez d. lib. 8. de matrimon. diſp. 7. n. 25., & alios.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus explicantes illam particulam, *remanere*, quæ importat continuationem actus præcedentis cum perſeuerantia ex allegatis iuribus, & illam particulam *in veſtro ſic contracto matrimonio*, quæ per lu *ſic* eſt repetitiua præcedentium.

11 Quarto, quando aſſerit de plenitudine poteſtatis ſe indulgere, vt in contracto matrimonio licitè permanere valeant.

Ex aduerſo non intelligitur primo diſpenſatio in radice matrimonij, ſi Pontifex diſpenſaret, ſeù legitimam ex nunc, ſeù per verba, quæ non reſpicerent retrò, ſeù tempus præteritum, ſed dumtaxat præſens, ſeù futurum *Peregrinus de fideicom. art. 24. n. 80. Ioannes Baptiſta Lupi de illegit. comment. 4 § 1. num. 56 in fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 10. n. 358.*; quià nullum eſt verbum aptum ad indicandam mentem Pontificis pro diſpenſatione in radice, & cum verſemur in diſpoſitionibus ſtricti iuris non debemus trahere verba vltra propriam ſignificationem. Secundo, nec intelligitur talis diſpenſatio in radice, quando Pontifex præcisè diſpenſat, vt de nouo matrimonium ineatur, quantumvis decernat filios natos eſſe legitimos. *Coaruuias 2. de ſponſalib. p. 2. c. 8. §. 8. n. 13. Sanchez d. tit. lib. 8. de matrimon. diſp. 7. n. 20. Sanctarellus var. reſol. q 43. n. 4. Peregrinus de fideicommiſ. art. 24. n. 78.* Ratio ex eo deducitur, quià nō eſt diſpenſatio matrimonij in ipſo radice, quando eſt diſpenſatio non in ordine ad contractum, ſed ad contrahendum de nouo, ſed præſens diſpenſatio cadit ſuper nouum contractum, ſeù matrimonium contrahendū, ergo non refertur ad iam contractum. Neque obſtat, quod Pontifex prolem iam ſuſceptam efficiat legitimam, quod non poteſt eſſe, niſi diſpenſat in radice, & aboleat impedimentum, ac ſi nunquam fuiſſet; Non obſtat, inquam, quià illa legitimatio prolis non poteſt intelligi eſſe indirectè per legitimationem matrimonij ab initio, cùm diſpenſatio non cadat ſuper præteritum iam poſitum ſaltem in figura, ſed tantum ad futurum contrahendum,

12 Non intelligitur diſpēſare in radice, quando diſpenſat per verba connotantia tantum tēpus præſens, vel futurum.

Soluuntur nonnulla obiecta aduerſa.

Digitized by Google

Soluuntur nonnulla obiecta aduerſa.

hendum, vndè eſt legitimatio tantum directa, quæ in ordine ad exiſtentes extra territorium Romano Pontifici in temporalibus ſubiectum non extenditur ad temporalia, ſed ad ſummum ad ſpiritualia. Ita præter præcitatos DD, *Ioannes Andraas in c. per venerabilem n. 30. Qui filij ſint legitim. Ancharanus conſ. 409. n. 5. Martinus Laudenſis de Legitimat. art. 2. n. 85. Antonius de Roſellis de legitimat lib. 2 in princip n 23. Capra conſ. 3. n. 7.* Neque item obeſſe poſſunt ea, quæ ſupra dicebamus, quod, quandò ſcilicet Pontifex ponit ſimplicitèr diſpenſationem, & poſtea ſubdit ſe velle prolem ex eo ſuſceptam fore legitimam, ac ſuccedere in hæreditate, perindè, ac ſi à principio fuiſset legitima, tunc habeatur pro diſpenſatione in radice, adeoque quod hoc etiam militet in præſenti caſu; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià illa diſpenſatio ſimplicitèr indiferens eſt, vel ad diſpenſationem in radice, *& vt ex tunc*, & ad diſpenſationem de præſenti, *& vt ex nunc*, quæ proptereà determinatur per ſubſequentes particulas legitimationis prolis, perindè ac ſi fuiſset legitima à principio, quod eſſe non poteſt, niſi per legitimationem in radice matrimonij; in præſenti autem hypotheſi illa diſpenſatio de nouo matrimonio ineundo non eſt indiferens ad præteritum matrimonium, & futurum, ſed determinata ad futurum præcisè, vndè ſubſequentes particulæ non poſſunt referri ad determinandam indiferentiam, cum diſpoſitio iam intelligatur determinata.

PRÆNOTIO XVI.

An potentes diſpenſare intelligantur propriè diſpenſare, ſi ſcientes admittant ad aliquem actum habentes impedimentum ad ipſum.

SVMMARIVM.

Potens diſpenſare, ſi fuerit ſupremus, admittens ſcienter impeditum ad actum intelligitur diſpenſare. 1.

In dubio an fuerit ſcientia impedimenti ea non præſumitur, ſed eſt probanda. 2.

Si ſupremus admittat ſcientèr impeditum ad actum vrgente neceſſitate non præſumitur abſolutè diſpenſare, ſed tantum pro ſtatu neceſſitatis, niſi ſit ex illis actibus, qui non admittunt ſucceſſionem. 3.

Admiſſus ſcientèr ad vnum non intelligitur diſpenſatus ad omnia. 4.

Pontifex admittens ſcientèr impeditum iure naturali diuino non intelligitur ſine cauſa diſpenſare, benè tamen cum cauſa. 5.

Etiam inferiores intelliguntur tacitè diſpenſare ex eo quod admittant impeditum, ſi interueniat cauſa. 6.

Admittens impeditum ignorantèr non intelligitur diſpenſare. 7.

Etiam tacens, & conniuens cum ſcientia impedimenti probabilius cenſetur diſpenſare. 8.

SVB hoc titulo duplex difficultas examinabitur. Prima erit, an ſi Pontifex, Princeps, vel alius quicunque habens facultatem diſpenſandi admittat impeditum ad aliquem actum, circa quem eſt impedimentum, intelligatur cum ipſo diſpenſare. Secunda erit, an ſi poſitiuè non admittat, ſed ſciens toleret, nec reclamet, cum poſſit reclamare, & impedire illum actum etiam quoad illum videatur diſpenſare?

Conſiderationes circa titulum.

Pro clariori intelligentia in ordine ad vtramque difficultatem conſiderandum eſt primo, an potens ſic diſpenſare quoad illum actum fuerit conſcius illius impedimenti, an penitus ignarus. Secundò, an potens diſpenſare ſit ſupremus, & in ordine ad propriam legem, an verò inferior, & in ordine ad legem ſui ſuperioris. Tertiò, an admittat ad talem actum repugnantem legi, vel toleret, & taceat ex neceſſitate, an verò ex proprio arbitrio. Quartò, an quandò præcisè tolerat per taciturnitatem neceſſarium ſit, quod intendat diſpenſare, an verò ſufficiat taciturnitas ſine tali intentione?

1 Potens diſpenſare, ſi fuerit ſupremus, & admittat impeditū ſcientèr ad actum præſumitur verè diſpenſare

ASSERTIO I. Si potens diſpenſare fuerit ſupremus, & admittat impeditum ſcientèr ad actum, ad quem eſt impeditus quoad legem à ſe iure ordinario diſpenſabilem præſumptiuè inducitur vera diſpenſatio quoad illud impedimentum. Conueniunt in hoc communitèr DD.

Ratio ex eo deducitur, primò quià ad talem diſpenſationem non requiritur certa verborum forma, cum hæc nullibi præſcripta inueniatur, & ex alio concurrit poteſtas, & voluntas in diſpenſante, ergò per ſpontaneam admiſſionem ad illum actum cum certa ſcientia impedimenti non eſt, cur intelligi non debeat diſpenſatio. Antecedens quoad ſecundam partem de poteſtate diſpenſandi non eſt difficultas, cum ſupponatur eſſe ſupremus, & in lege à ſe de iure ordinario diſpenſabili; quoad ſecundam ſic euincitur, quià non eſt præſumendum, quod Princeps, Pontifex, ſeù quicunque ſupremus velit ſcientèr ad actum admittere infructuosè, quinimmo illicitè, & non repellere, cum commodè poſſet, ergo admittendo præſumendus eſt, quod velit actum illum, & conſequentia ad ipſum depurare à quacunque inhoneſtate, quod aliter efficere non poteſt, quam per diſpenſationem.

Ad diſpenſationem non requiritur certa verborum forma.

Secundo ex textu *in l. Barbarius ff. de offic.*

eſſe prætoris, vbi non ſolum deciditur, quod geſta per ſeruum electum in Iudicem ignorata ſeruitute teneant ratione communis erroris; ſed etiam, quod huiuſmodi per ipſum geſta teneant, quando

Iura euincentia aſſertionem.

detecta ſeruitute Populus Romanus conſenſit in ipſius Præturam, ergo etiam actus impediti detecto per ſcientiam impedimento reſpectu potentis habilitare, & ab eodem admiſſi præſumptiuè, & efficaciter inducent, quod per admittentem valentem ex munere ſuo habilitare, ſeù diſpenſare fuerit actum illum exercens habilitatus per diſpenſationem.

Tertio ex textu *in l. quidam conſulebat 57. ff. de re iud.* vbi dicitur, quod minor cæteroqui ineptus ex diſpoſitione iuris ad magiſtratum, ſi electus fuerit per Principem ad tale munus, intelligatur diſpenſatus ad ætatem, & geſta per ipſum teneant, ergo etiam impeditus ex diſpoſitione iuris ad aliquod miniſterium cum ſcientia Principis admittentis, & valentis diſpenſare in impedimento de eiuſdem exiſtentia intelligitur habilis factus per diſpenſationem ad tale miniſterium ex eo quod fuerit admiſſus ad talem actum ſine reluctantia.

Hinc in particulari deducitur primo, quod, ſi Pontifex admittat ſcienter irregularem ad ordines ſacros, vel ad beneficia, intelligatur tacitè cum illo ſuper irregularitate diſpenſare. Secundo, quod, ſi idem coniungat aliquos conſanguineos, vel alio impedimento canonico irretitos in matrimonium cum ſcientia conſanguinitatis, vel impedimenti inter ipſos exiſtentis, intelligatur etiam tacitè in conſanguinitate, vel illo impedimento diſpenſare. Tertio, ſi Princeps in Iudicem conſtituat ſeruum, vel alium de iure inhabilem cum ſcientia inhabilitatis, ipſum conſtituat habilem per diſpenſationem, & his ſimilia.

Illationes ex aſſertione prouenientes.

Diſputant hic DD., an in dubio vtrum in Principe, vel Pontifice extiterit ſcientia de impedimento, vel inhabilitate, nec ne præſumatur pro ſcientia an pro negatione? Conueniunt communiter, quod non præſumatur, ſed ſit probanda per eum, qui inhabilis admiſſus fuit ad talem actum *Gloſa clement. 3. in fin. de reſcriptis & c. ſtatutum in principio verb. literarum in fin. de reſcriptis in 6. Bartolus in l. fin. n. 4 verſ. ſed contra hæc in fin. C. ſententiam reſcindi non poſſe. Immola in l. fin. col. 4. n. 1. in fin ff. à quibus appellari non licet*, & quidem rectà ratione hoc ſentiunt, quandòquidem, cum ſit quid facti, probanda venit *Felinus c. præterea n. 9. de teſtib. cogen. Grammaticus in conſ. ciuilib. conſ. 48. ad finem.* Diſcrepant tamen in aſſignando modo, quo facienda eſt talis probatio. Aliqui volunt ſolum conſtare poſſe, ſi in literis reſcripti dicatur *ex certa ſcientia*. Nihilominus dicendum eſt, ſufficere quemcunque probationis modum, quo euidentèr, ſeù concludentèr euincatur talis ſcientia, cum nullibi ad hoc ſpecialis modus aſſignetur, ſeù determinetur.

2
In dubio non præſumitur ſciẽtia, ſed eſt probanda.

Assertio II. Si Princeps, vel Pontifex, vel quilibet alius ſupremus admittat ex ſcientia impeditum ad aliquem actum vrgente aliqua neceſſitate non præſumitur abſolutè diſpenſare, niſi ſit ex illis muneribus, quæ non admittunt tractum temporis ſucceſſiuum, ſed ad tempus illius neceſſitatis *Antonius Gabriel 3. tom. communium lib. 1. tit. de præſumpt. concl. 8. nu 20. Menochius de præſumpt. lib. 2. præſump. 20. n. 36, & conſil. 178 n. 56. vol. 3. Sanchez de Matrimon lib 8. diſp 4 n. 9.*

3
Admittens ex neceſſitate nõ intelligitur abſolutè diſpenſare, ſed tantum pro tempore neceſſitatis.

Ratiò ex eò deducitur, quià Princeps in ea hypotheſi non præſumitur, niſi velle conſulere illi egeſtati, extra quam non eſt præſumptio, quod diſpenſare voluerit, ergò ceſſante tali neceſſitate, nec perfectè completo actu ſecundum totam ſuam extenſionem, non cenſebitur diſpenſatio perſeuerare. Dixi, *niſi ſint ex illis muneribus, qui non admittunt tractum temporis ſucceſſiuum*; ſi enim munus, ad quod intelligitur tacitè diſpenſatus, conſiſtat in indiuiſibili, & iam fuerit completum, tunc intelligitur quoad effectum plena diſpenſatio, quantumvis facta ex neceſſitate.

Solum præſumitur cõſulere neceſſitati.

Ex hoc etiàm inferri poteſt primò, quod ex eo, quod Princeps admittat ad aliquem actum eum, qui afficitur impedimento, non intelligatur diſpenſare ad omnia, ſic admittens irregularem ad ordines minores, non intelligitur diſpenſare quoad maiores, & admittens ad maiores non intelligitur diſpenſare quoad beneficia. Ità in ſimilibus *Oldradus conſ. 332 n. 8 Rebuffus prax. benefic. tit. de diſpenſat. num. 8. Probus addit. ad Monachum cap. vnico n. 5. de ætat. & qualit.* Ratio eſt primo, quià nequit magis operari tacita diſpenſatio, quam expreſſa, ſed expreſſa non extenditur vltra expreſſum, cũ ſtrictè ſit interpretãda, & ſic expreſſa ad ordines non extenditur ad beneficia, ergo multo minus extendi debet tacita vltra actum, ad quem impeditus ex ſcientia Principis admittitur. Secundo, quià diſpenſatio vtpotè diſcordans à iure communi in eo ſenſu eſt accipienda, quo minus, quàm par ſit, lædat idẽ ius commune, dummodo in aliqua ſaltem minima parte ſuum, ſeù aliquem ſortiatur effectum, ergò, ſi ea admiſſione ad illum actum intelligitur diſpenſatus, debet intelligi limitate diſpenſatus ad illum actum, ad quem admittitur, ſic, ſi admittatur irregularis ex ſcientia ad minores, intelligitur tantum ad eoſdem minores diſpenſatus, & non ad maiores, ſi ad maiores tantum non intelligitur diſpenſatus ad beneficia, & dignitates.

4
Admittens ad aliquem actum impeditum non intelligitur diſpenſare quoad omnia.

Inferri

Digitized by Google

Si actus ad mittat tractum temporis ſucceſſiuum non eſt ad omne tempus.

Inferri poteſt ſecundo, quod, ſi impedimentum, quo irretitus eſt ille, qui admittitur ad actum per Principem cum ſcientia, & ſine reluctantia, admittat tractum temporis ſucceſſiuum, per illam admiſſionem ad illum actum non intelligatur ſolutus quoad omnia, & pro futuro, ſed tantum quoad illum actum, niſi aliter conſtaret de mente admittentis, & tacitè diſpenſantis, & hoc propter eam regulam, quod diſpenſationes vtpotè ſtricti iuris ſint reſtringendæ, non ampliandæ.

5 *Pontifex admittens ſcienter ad actum, in quo eſt impeditus iure diuino non diſpenſat ſine cauſa, benè tamen cum cauſa.*

Assertio III. Pontifex admittens impeditum iure diuino, & naturali ad actũ, ad quem diſpenſare poteſt cum ſcientia talis impedimenti propriè, & validè non diſpenſat, ſi legitima cauſa diſpenſationis non interueniat, ſecus vero, ſi fuerit vera, iuſta, & legitima cauſa. Quoad primam partem *Gloſa c. 2. verb. diſpenſatum de ſchiſmat., & ibi Ioannes Andreas n. 4. Innocentius c. veniẽs n. 2. de filijs presbit. Speculator tit. de diſpenſat. §. qualiter autem nu. 3. Archidiaconus c. licet canon. n. 2. de elect. in ſexto. Bartolus in l. Barbarius n. 12. ff. de offic. prætor. Mandoſius de ſignatura gratia verb. diſpenſationes verſ. aduertendum tamen eſt, Caietanus 2. 2. q. 104. art. 5. ad fin. Azorius lib. 5. inſtit. moral. c. 15. q. fin.* Quoad ſecundam conſentiunt omnes, quos ſupra allegauimus, dum de poteſtate Pontificis in ordine ad ea, quæ iuris diuini ſunt, & naturalis.

Ratio primæ partis ex ijs deſumitur, quæ ſupra dicebamus, nempè auctoritatem Summi Pontificis in ijs, quæ iuris diuini ſunt, eſſe ordinatam, vt ſcilicet exerceatur, non quomodocumq; ſed ſecundum ordinem iuris, & aliter exercita irrita in ſuis diſpoſitionibus cenſeatur; non enim præſumendum eſt, quod Deus in ijs, quæ ſui iuris ſunt, quæque Pontifici præſumptiuè committit ad rectum, & ſuaue Eccleſiæ regimen, & gubernationem, voluerit facultatem concedere abſolutam ſine vlla limitatione, & extra legitimas cauſas, ergo, ſi extra legitimas cauſas non poteſt expreſsè; & validè diſpenſare, nec intelligetur tacitè diſpenſare, quando admittit impeditum ad actum non concurrente legitima cauſa ad diſpenſandum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià interueniente legitima, & iuſta cauſa Pontifex præſumitur poſſe in ijs, quæ iuris diuini ſunt, expreſsè diſpenſare (loquor quoad ea, in quibus ex ſuperius dictis ex præſumptione diuinæ voluntatis facultas diſpenſandi eidem committitur) ergo poterit etiam eadem cauſa interueniente tacitè diſpenſare. Conſequentia probatur, quià tam in expreſſa, quam in tacita diſpenſatione non requiritur certa, & determinata ſtipulatio, nec certa verborum forma, nec Deus, qui hanc facultatem præſumitur Pontifici conceſſiſſe, præſcripſit aliquem ſpecialem modum ſeruandum in huiuſmodi diſpenſatione, ſed voluntati Pontificis reliquit attentis legitimis cauſis diſpenſandum, ergo &c.

Hic oritur difficultas, an neceſſario in ijs tacitis diſpenſationibus quoad ea, quæ iuris diuini ſunt, requiratur quoad Pontificem cauſæ cognitio, an vero eadem non præmiſſa teneat diſpenſatio, dummodo cauſa illa inexiſtat, quantumvis non fuerit cognita ab eodem Pontifice tacitè diſpenſante. De hoc ſatis dictum fuit ſupra *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon. III. prænot. 1. aſſert. ſecunda verſ. in ordine ad ſecundum*, ad quod vos remitto.

6 *Inferiores valentes ſecundum ſe diſpenſare in legibus ſuperioris admittẽtes ſcientèr impeditum tacitè intelliguntur diſpenſare, ſi interueniat cauſa.*

Assertio IV. Inferiores valentes ſecundum ſe diſpenſare etiam in legibus ſuperioris admittentes ſcientèr impeditum intelliguntur tacitè cum illo diſpenſare, dummodo admittant ex iuſta, & legitima cauſa cum eiuſdem cognitione. Ità præter DD. præcitatos in præcedenti aſſert. *Roſella verb. diſpenſatio n. 6. Antonius Cucus lib. 4. inſtit. maior. tit. 12. nu. 28., & ſeqq. Antonius Gabriel. tom. 3. commun. lib. 1. tit. de præſumpt. concl. 8. n. 12. Menochius de præſumpt. lib 2. præſumpt. 20. n. 24. Nauarrus c. ſi quando except. 10. n. 3. de reſcript., & lib. 3. conſil. in prima edit. tit. de cleric. non reſident. conſ. vlt. num. 9. Silueſter verb. diſpenſatio q. vlt.* hancque opinionem valde probabilem appellat *Sanchez de matrimon. dub. 8. diſp. 4. n. 5.* quamvis contrariæ ſententiæ adhæreat.

Ratio ex mox dictis deducitur, quià in ipſis ſupponitur poteſtas ad ſic diſpenſandum, & voluntas diſpenſandi, legitima cauſa ex parte diſpenſandi, & eiuſdem cognitio, nec in ordine ad talem diſpenſationem præſcribitur certa verborum forma, ergo non eſt, cur concurrentibus illis omnibus circumſtantijs admittentes impeditum ad talem actũ non intelligantur tacitè diſpenſare. Antecedens quoad cætera omnia non videtur pati difficultatem; vndè probatur ſolum, quòd adſit præſumptiuè in huiuſmodi prælatis voluntas actualis diſpenſandi, quià prælatus admittens v. g. irregularem ad ſacros ordines ſciens impedimentum non eſt præſumendus, quod velit ſic promotum illequeatum remanere perſeuerante adhuc irregularitate.

Adeſt præſumptiuè voluntas diſpenſandi.

7 *Admittens impeditum ignoranter non intelligitur diſpenſare.*

Assertio V. Siuè ſupremus fuerit, ſiuè inferior admittens impeditum ad aliquem actum ignorans tale impedimentum non intelligitur in illo impedimento diſpenſare *Abbas c. præterea n. 11. de teſtibus cogend., & c. cum in cunctis c. inferiora n. 8., & c. innotuit nu. 7., & ſeqq. de elect. Paulus Clem. fin. de ſent. excommun. Angelus verb. diſpenſatio n. 12. Nauarrus c. ſi quando except. 10. n. 3. de reſcript. Menochius de præſumpt. lib. 2.*

Digitized by Google

lib. 2. præſumpt. 20. n. 24. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 4. n. 11.

Ratio eſt ex ipſis terminis clara. Quandòquidem non poteſt eſſe diſpenſatio ſine actu libero voluntatis eius, qui diſpenſat, ſeù diſpenſare poteſt, ſed ſtante ignorantia impedimenti non poteſt eſſe actus voluntatis ad tollendum illud impedimentum per diſpenſationem, quià ignorantia tollit abſolutè conſenſum, ſeù actum voluntatis liberum, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quantumvis ignorantia præcedens demat eſſe liberum, & voluntarium quantum ad effectum diſpenſationis, non ſic tamen ignorantia concomitans, quandoquidem, ſi Princeps, vel inferior potens diſpenſare nouiſſet illud impedimentum, adhuc admiſiſſet ad actum, & per conſequens diſpenſaſſet tacitè, promotionis etenim cauſa eſt virtus, ſeù probitas promoti *l. vnica verſ. credidit ff. de præfect. prætor.*, quod colligitur *ex l. Barbarius ff. de offic. prætor.* vbi textus reddens rationem, cur geſta à Barbario creato ignoranter Pretore teneant, reſpondit. *Sed, ſi ſciuiſſet ſeruum eſſe, liberum effeciſſet*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià illa ignorantia concomitans non potuit actum formalem diſpenſationis, & per conſequens non eſt diſpenſatio, nec ſufficit, quod diſpenſaſſet, ſi cognouiſſet, quandoquidem hoc ſolum importat quid faceret, non quod fecit. Ad illud, quod ſubditur *ex l. Barbarius ff. de offic. Prætor.* dicendum eſt cum *Gloſa ibid. verbo effeciſſet* ſolum illum textum intendere, quod, ſi Populus Romanus ſciuiſſet Barbarium eſſe ſeruum adhuc permiſiſſet eum fungi officio prætoris, vt eius geſta valerent propter communem vtilitatem, quatenus ex eius Populi conniuentia, & tolerantia poſt ſcientiam ſecuta eſſet approbatio ex conſequenti, non quod per illam electionem præcisè conſtituta ſit valida diſpenſatio.

8 *Etiam tacens, & cõniuens intelligitur diſpenſare.* ASSERTIO VI. Princeps, ſeù ſuperior patientiam habens, conniuens, & tacens ſciens aliquem iure, in quo poteſt diſpenſare, impeditum exercere ea, quæ eidem ratione impedimẽti interdicta ſunt, probabilius cenſetur cum eo diſpenſare in illo impedimento. *Probus addit. ad Monachum c. vnico nu. 6. de ætate, & qualit. in ſexto, Paludanus in 4. diſt. 38. qu. 4. art. 4. concl. 2. nu. 39. D. Antoninus ſecunda part. tit. 11. cap. 2. §. 9. not. 2. VeraCruz prima part. ſpeculi art. 23. poſt primã concl. verſ. dixi etiam. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 4. nu. 26. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1. n. 93. Hypolitus conſ. 46. n. 31., & conſ. 107. n. 3., & ſeqq. Alexander Raudenſis de anal. c. 39. nu. 147. Gonzalez ad reg. 8. Cancellariæ gloſ. 9. §. 2. n. 87.*

Colligitur *ex c. quià circa de conſang., & affinit.* vbi Innocentius III. conſultus circa quoddam matrimonium contractum per diſpenſationem ſubreptitiam, & inualidam reſpondit Epiſcopo conſulenti, vt diſſimulet, ſeù ſinat ſic coniunctos in matrimonio permanere; non poteſt autem nec Pontifex, nec Epiſcopus licitè permittere, vt permaneant in matrimonio inualido, & in illo cõmiſceantur, niſi per illam conniuentiam, diſſimulationem, & taciturnitatem intelligantur in illo impedimento diſpenſare, quià non poſſunt acquieſcere concubinatui, ſed tenentur illi contradicere; neque ſupponendum eſt, quod ideo præcipiatur diſſimulatio, quià illi fuerint in bona fide; non, inquam, ſupponendum eſt, quià ſupponuntur falſam cauſam expreſſiſſe ſcientèr, adeoque &c. vndè meritò dicendum eſt, quod per illam taciturnitatem, & diſſimulationem ratum habeant illud prius matrimonium.

Quod, ſi ex aduerſo aſſeratur textus *in c. cum iam dudum de preben.* vbi expreſsè innuitur, quòd Pontificis diſſimulatio non inducat diſpenſationem; ſtatim reſpondebitur illum textum procedere, quando Princeps impunè tolerat, ſeù quando non punit, non quando in reſcripto dicit toleramus, ſeù toleretur, & diſſimuletur, prout explicant *Abbas in d. c. quià circa de conſang. & affin. Couarruuias ſecunda part. de ſponſalib. c. 6. §. 10. n. 15.* Quod, ſi vlterius vrgeas diſſimulationem Principis ſcientis, & diſſimulantis aliquos perſeuerare in matrimonio irrito non inducere diſpenſationem *Gloſ. Clement. fin. verb. approbare de ſent. excom. Innocentius c. veniens n. 3. de fil. præsbit., & ibi Hoſtienſis nu. 8. Immola l. quidam conſulebat n. 6. in fin. ff. de reindic. Felinus c. gratum nu. 9. de offic. deleg.* ſtatim reſpõdebo, id dici, quià illa diſſimulatio intelligitur ad finem ſcandali vitandi, nec prodeſſe poterat diſpenſatio, niſi denuò illi matrimonium contraxiſſent. *Satisfit obiectis in contrariũ.*

PRÆNOTIO XVII.

An idem potens diſpenſare cum alijs poſſit cum ſeipſo diſpenſare.

SVMMARIVM.

Prælati facultatem, quam habent ex iure ordinario, vel delegato ſimplicitèr in ordine ad alios, poſſunt committere alijs, vt exerceatur erga ſe ipſos. 1.

Poteſt Pontifex, & alij ſupremi ſecum immediate diſpenſare in ijs, in quibus poſſunt diſpenſare cum alijs. 2.

Etiam in ijs, quæ iuris diuini ſunt, & ex præſumpta Dei voluntate cum alijs diſpenſant. 3.

Etiam Epiſcopi, & Prælati Regulares poſſunt ſecum diſpenſare in ijs, in quibus diſpenſant cum alijs. 4.

Diſſi-

Digitized by Google

Diuerſi ſtatus, ſecundum quos poteſt procedere titulus.

DIfficultas ſic propoſita, vel poteſt procedere de diſpenſatione erga ſe ipſum immediata, quatenus, quia potens cum alijs diſpenſare poſſit etiam erga ſe ipſum ſine miniſterio alterius; ſed per ſe ipſum immediatè; vel de diſpenſatione mediata, quatenus poſſit aliũm deputare, qui erga ſe ipſum illud munus diſpenſationis exerceat. Porro diſpenſatio duplex eſt, alia propria; quæ propriè inuoluit relaxationem iuris; alia impropria, quæ potius dicitur quædam licentia, & facultas, quam diſpenſatio: & quidem quoad hanc licentiam ſine abrogatione legis, quam Prælatus poteſt concedere, poſſe etiam ſibi ipſi indulgere certum eſt: quis enim diceret, quòd prælati v. g. Religiocum licentijs, quas alijs concedunt, non poſſint ipſi gaudere? & ita ſentiunt *D. Thomas 2. 2. qu. 185. art. 8. Turrecremata c. de Monachis 16. q. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 20. c. 2. §. 7.* Porro diſpenſatio, quam præſtat Prælatus erga ſubditos eſt communis, & vniuerſalis erga omnes, & ſic non eſt dubium, quin ipſe eadem gaudere poſſit; non enim hoc eſt directè diſpenſare erga ſe ipſum, ſed indirectè vti diſpenſatione alijs omnibus conceſſa *Sotus in 4. diſt. 21. q. 1. art. 4. in fine corporis Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. vbi de indulgentijs c. 5. verſ. ſed vtrum indulgentia.* Diſputationis ergò ſcopus præcipuus in hac prænotione erit, an ſuperior circa ſpeciales diſpenſationes, quas poteſt alijs impartiri, poſſit erga ſe ipſum, vel immediatè, vel ſaltem mediatè?

1 Poſſunt cõmittere facultatem, quã habent erga alios, vt exerceatur erga ſe ipſos.

ASSERTIO I. Prælati facultatem in diſpenſationibus, quam poſſunt, vel de iure ordinario, vel delegato non ad certas perſonas, ſed indefinitè quoad omnes exercere in ordine ad alios, poſſunt committere alijs, vt exerceatur erga ipſos. *Paludanus in 4. diſt. 38. q. 4. art. 4. concl. 4. n. 41. Gabriel item in 4. diſt. 17. q. 2. art. 3. dub. 2. in princip. D. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 2. §. 2. ſtatim in princip. Angelus verb. confeſſio 3. nu. 7. Sairus in theſauro caſuum tom. primo lib. 7. c. 14. n. 5.*

Dixi, *vel non delegato ad certas perſonas*, quià, ſi ex commiſſione ſuperioris habentis ordinariam poteſtatem fuerit delegatus ad beneficium diſpenſationis impendendum certæ perſonæ, non poſſet facultate ſibi commiſſa vti in ordine ad ſe ipſum, quià, cum facultas ſit commiſſa in ordine ad certam perſonam, & non abſolutè, non poteſt vltra illam extendi, cũ nemo poſſit excedere terminos mandati.

Probatur iam aſſertio, quià, ſi quæ ratio euinceret medio delegato aliquem non poſſe diſpenſare erga ſe ipſum, ea potiſſima eſſet, quià nemo poteſt exercere iuriſdictionem erga ſe ipſum, ſed hæc ratio nullatenus obſtat, quià in primis probabiliſſima ſentẽtia eſt, quod confeſſarij omnes, vel immediatè, vel mediatè ſaltè accipiant iuriſdictionẽ à Romano Pontifice, & tamẽ Pontifex talem iuriſdictionẽ committit proprio confeſſario etiam in ordine ad ſe ipſum abſoluendum, ergo &c. Hoc idem confirmari poteſt *ex c. fin. de pœnit. & remiſ.* ibi conceditur Epiſcopis, & Prælatis exemptis poſſe eligere ſibi confeſſarium, à quo abſoluantur, & diſpenſentur; & quidem congrua ratione hoc decernitur, non enim æquum eſt, vt ſuperiores, & prælati ſint deterioris conditionis, ac cæteri omnes inferiores, qui, ſicuti habent, quo poſſint confugere pro abſolutione, & diſpenſatione, nempe ad ipſum Prælatum, ſeu ſuperiorem, ita non eſt, cur non habeant ipſi prælati, & ſuperiores, quo poſſint recurrere, & propterea poterunt deputare, qui ſe abſoluant, & ſecum diſpenſent.

In particulari circa Prælatos Regulares poſſunt iſti ſibi eligere confeſſarium, & mutare, qui eis beneficium abſolutionis, & diſpenſationis impendat in omnibus caſibus, quibus ipſi auctoritate Apoſtolica cæteros ſuos ſubditos abſoluere poſſunt Eugenius IV. Prioribus Sancti Hieronimi Hiſpaniæ, vt habetur in eorum compendio Priuilegiorum *tit. Priores §. 1. & titulo Eligere §. 2.*

Poſſunt eligere confeſſarium, qui ſibi beneficium abſolutionis, & diſpenſationis impendat.

ASSERTIO II. Probabilius eſt poſſe Summum Pontificem ſecum immediatè diſpenſare in ijs omnibus, in quibus poteſt cum alijs, quod idem intellige de ſupremis Principibus ſecularibus quoad ea, quæ iuris habent in ſuos ſubditos. Quoad primam partem *Felinus c. 2. n. 20. de ſponſalib. Silueſter verb. Lex q. 14. in fin Conradus in templo omnium Iudicum lib. 1. c. 1. §. 3. nu. 6. Paludanus in 4. diſt. 38. q. 4. art. 4. concl. 4. num. 41. Sotus in 4. diſt. 18. q. 1. art. 4 concl. 2. Caietanus 1. 2. q. 96 art. 5. col. 3. verſ. ad hoc dubium præmittenda ſunt, Gutierez tom. 3. in tertiam partem q. 82 art. 11. diſp. 36. ſect. 2. col. ante penult. verſ. ſoles vero.* Quoad ſecundam *Silueſter verb. lex q. 14. Sanchez lib. 8. diſp. 3. n. 7.*

2 Poteſt Pontifex, & alij ſupremi ſecum immediatè diſpenſare.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià iuriſdictio, quæ exercetur per diſpenſationem, non repugnat exerceri in ordine ad ſe ipſum, nec ex genere ſuo, nec ex aliqua iuris diſpoſitione, niſi in certis caſibus, in quibus, vel ex iure diuino, vel ex genere ſuo requiritur diſtinctio, ſeu alteritas perſonarum, vt potiſſimum euenit in caſu abſolutionis ſacramentalis, ergò non erit, cur vltra caſus exceptos ſuperior primarius, qualis eſt Summus Pontifex, non poſſit ſecum diſpenſare. Antecedens quoad primam partem ex eo elucet, quià exercitium diſpenſationis regulariter non eſt iuriſdictionis conten-

tioſæ, in qua iniquum videtur in propria cauſa ſibimet ius dicere contra ius ab aduerſario intentum iuxta textum *in l. vnica C. in ſua cauſa*, ſed merè voluntariæ, & directiuæ, quæ non exigit iudicium coercitiuum, nec teſtium probationem, nec partis citationem poſtulat, ergò non exigit diſtinctionem perſonalem inter diſpenſantem, & diſpenſatum, ergò poterit eſse erga ſe ipſum. Confirmatur, quia in voluntaria iuriſdictione nulla eſt repugnantia, quin idem poſſit diuerſarum perſonarum vices gerere, prout probat *Abbas c. ex litteris n. 11. de probationibus*, & conſtat *ex l. ſi conſul. ff. de adopt.*, *& ex l. vna ff. de offic. conſul.*, ergò nec erit repugnantia, quod idem ſit ſimul diſpenſans, & diſpenſatus. Confirmatur ſecundò, quia ſolummodò in iure excipitur, ne quis ſit ſimul dans, & accipiens in beneficijs, & redditur ratio, quia pernitioſi exempli eſset, & ambitionem ſapiens, ſi quis diſtributor beneficiorum Eccleſiaſticorum ſibi eadem beneficia decerneret, ergò, vbi non viget peruerſum illud ambitionis exemplum, non erit ratio, cur idem non poſſit eſse dans, & accipiens, impendens & recipiens diſpenſationem. Confirmatur tertiò, quia non eſt repugnantia, quod, vbi Pontifex diſpenſat cum omnibus in caſu particulari alicuius legis, intelligatur etiam ſecum ipſe diſpenſare per ea, quæ ſuprà probauimus, ergò non eſt, cur non poſſit ſecum ipſe ſolum diſpenſare. Conſequentia probatur, quia ex eo, quod poſſit cum omnibus diſpenſare poteſt etiam cum ſe ipſo, nec obeſt, quod exerceat iuriſdictionem in ſe ipſum, quia etiã eandem exercet, quandò diſpenſat cum omnibus in vniuerſum, & ipſe etiam gaudet diſpenſatione, & ipſe quoque fungitur munere ſuperioris, dum diſpenſat, & munere, quodamodò ſubditi, dum vtitur diſpenſatione. Antecedens primum quoad ſecundam partem etiam ex eo euincitur, quia nullum eſt aſſignabile ius, quod vetet illud exercitium iuriſdictionis in ſe ipſum, & ſi quod aſſignetur, vel loquetur de iuriſdictione contentioſa, & punitiua, vel erit ſpecialis diſpoſitio, quæ non eſt extendenda ad non expreſſa.

In voluntaria iuriſdictione poteſt quis diuerſas perſonas exercere.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia Princeps ſupremus talem, ac tantam habet poteſtatem in ſuis legibus, ac in temporalibus, qualem, ac quantam habet Pontifex in canonicis ſanctionibus, & in ſpiritualibus, ſed Pontifex ex probatis in præcedenti parte aſsertionis poteſt ſecum ipſo in ſpiritualibus etiam immediatè, & directè diſpenſare, ergò etiam poterit Princeps ſupremus in proprijs legibus, & in temporalibus ſecum directè, & immediatè diſpenſare.

Hæc, quæ dicta ſunt de Pontifice quoad diſpenſationem cum ſe ipſo in proprijs legibus, intelligenda ſunt proportionabiliter etiam de diſpenſationibus in ijs, quæ ſunt iuris diuini, quæque ex præſumpta Dei voluntate intercedentibus legitimis cauſis ſunt diſpenſabilia ab eodem Pontifice in ordine ad alias perſonas; non enim eſt, cur intercedentibus eiſdem cauſis non poſſit tale munus erga ſe ipſum exercere.

3 Etiam in ordine ad ea, quæ iuris diuini ſunt ex præſumpta Dei voluntate.

Assertio III. Probabilius etiam eſt, poſse Epiſcopos, & Prælatos Regulares ſecum diſpenſare in ijs omnibus, in quibus poſsunt erga alios. Ita quoad primam partem *D. Thomas 2. 2. q. 185. art. 8. Turrecremata c. de monachis 16. q. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 20. c. 2. §. 7. Angelus verb. monachus n. 17. Emanuel in Bulla Cruciata § 8. dub. 6. num. 11. Azorius lib. 7. inſtit. moral. c. 29. qu. 7.* Quoad ſecundam *Armilla verb. monachus n. 9. Molina tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 247. verſ. Religioſus tamen, Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 3. n. 9.*

4 Etiã Epiſcopi, & Prælati Regulares poſsunt diſpenſare ſecum.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur primò, quia regulariter id poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, quod poteſt Pontifex in toto orbe, ergò, vbi Pontifex poteſt ſecum diſpenſare, non erit, cur non poſſit ſecum etiam Epiſcopus. Confirmatur, quia non minus poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi diſpenſare in aliquo caſu cum omnibus, & per conſequens ipſe quoque gaudere priuilegio diſpenſationis, ac poſſit Pontifex in toto orbe, ergò poterit etiam diſpenſare cum aliquibus tantum, cur etiam non poterit cum ſe ipſo? Confirmatur ſecundò, quia plerique, quinimmò communiter aduerſarij non negant Epiſcopum poſſe ſecum directè diſpenſare, quando non facilis patet aditus ad Pontificem pro diſpenſatione, & tamen in hac hypotheſi poſſet per delegatum diſpenſari, ergò non eſt, cur non poſſit ſecum directè diſpenſare; in tantum etenim aduerſarij ponunt potentiam ad hanc directam diſpenſationem erga ſe ipſum, in quantum vrget neceſſitas, ratione cuius nequeunt Pontificem adire, ergò, ſi adhuc ceſsante hac neceſſitate, & impotentia adeundi Pontificem eo quia poſsint diſpenſari per alium à ſe deputatum, poſſunt directè ſecum diſpenſare, non erit, cur non poſſint hoc præſtare abſolutè?

Ratio deducitur ex paritate Pontificis.

Neque obeſſe, ſi aſseratur primò, diſparem eſse rationem quoad Pontificem ſecum diſpenſantem, ac quoad Epiſcopum, alioſque inferiores; quandòquidem in Epiſcopis, cæteriſque prælatis inferioribus non adeſt pleniſſima poteſtas, qualis adeſt in Romano Pontifice, quinimmò auctoritas illorum ab eodem Pontifice eſt deriuata; & Pontifex non habet ſuperiorem, quem poſſit adire, iſti autem habent Pontificem, ad quem poſſint pro diſpenſatione

Digitized by Google

tione confugere. Secundo, quià Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum alijs ſuis ſubditis in lege ſuperioris ex præſumpta eiuſdem ſuperioris voluntate; non eſt autem præſumenda voluntas ſuperioris, quòd inferior poſſit cum ſe ipſo diſpenſare, maximè cũ per confeſſorem poſſit ſibimetipſi conſulere. Tertio, quià congruè videtur Epiſcopo, alijſque prælatis inferioribus concedi poſſe diſpenſare cum ſubditis, quià voluntas ſubditorum, qua ſe obligarunt, erat illis ſubiecta; voluntas autem Epiſcopi, aliorumque prælatorum inferiorum non eſt ſibimetipſis ſubdita, adeoque &c. Non, inquam, ob eſſe poteſt; non primum, quià eo ipſo, quod hæc poteſtas eſt conceſſa Epiſcopis in ordine ad diſpenſandum cum alijs, non videtur deneganda eiſdem in ordine ad ſe ipſos; nec ad diſpenſandum cum ſe ipſo requiritur ſuprema poteſtas, ſicuti non requiritur ad diſpenſandum cum alijs; nec ratio, quod Pontifex alium non habeat, ad quem poſsit confugere pro diſpenſatione, aliquod euincit, cum habeat confeſſarium, vel alium à ſe deputabilem, à quo poſsit diſpenſari; Si igitur hoc nõ obſtãte poteſt ſecũ directè diſpenſare, non video, cur etiam hoc non poſsit Epiſcopus in ordine ad ſe ipſum, licet poſsit adire Pontificem, à quo diſpenſetur. Non ſecundum; quià non eſt præſumendum, quod Pontifex, qui benignè concedit Epiſcopis poſſe cum alijs diſpenſare, vellt ſibi reſeruare diſpenſationem cum eiſdem Epiſcopis, quià hoc eſſet eoſdem conſtituere deterioris conditionis à ſuis ſubditis; Non tertium; quià quilibet eſt ſuperior in ordine ad propriam voluntatem, & idem in ordine ad diuerſas conſiderationes poteſt ſibi eſſe ſuperior, & inferior.

Ad diſpenſandum cũ ſeipſo non requiritur ſuprema poteſtas,

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià Prælati Regulares in ordine ad ſuos ſubditos habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem *Nauarrus lib.* 1. *conſ. in ſecunda edit. tit. de temp. ordin. conſ.* 36. *nu. unico*, ſunt etenim Paſtores ordinarij reſpectu eorundem ſubditorum, ergo ſicuti Epiſcopi poſſunt ſecum ipſis directè diſpenſare, poterunt etiam huiuſmodi Prælati.

PRÆNOTIO XVIII.

An Epiſcopi, ſeù Prælati inferiores poſsint diſpenſare, ſi diſpenſatio fuerit petita à Pontifice, & denegata.

SVMMARIVM.

Poteſt Epiſcopus in ijs, quæ iuris ordinarij ſibi ſunt, diſpenſare non obſtante, quod recurſus habitus fuerit ad Romanum Pontificem, ab eoque ſibi commiſſa cauſa. 1.

Etiam ſi ex vi commiſſionis Pontificia partim diſpenſarit, partem commutarit. 2.

In ijs, quæ iuris ordinarij ſunt, poteſt diſpenſare quantumuis diſpenſatio fuerit à Pontifice negata. 3.

Poteſt diſpenſare, ſiuè eidem fuerit expoſita negatio Pontificis, ſiuè non. 4.

Poteſt etiam denegata à Pontifice diſpenſatione diſpenſare in ijs, in quibus eſt dignitati perpetuo annexa commiſſio. 5.

In ijs, in quibus diſpenſat ex Epicheia non poteſt diſpenſare ex cauſa, ex qua Pontifex recuſauit. 6.

Difficultas procedit, vel in ordine ad ea, in quibus Epiſcopi, alijque Prælati inferiores poſsunt de iure ordinario diſpenſare; vel in ordine ad ea, in quibus ſolum poſsunt diſpenſare ex præſumpta ſuperioris voluntate, & in ordine ad hæc duo dubietates circa præſentem prænotionem verſabuntur.

Assertio I. Circa ea, in quibus Epiſcopus, alijque Prælati inferiores poſsunt de iure ordinario diſpenſare, hoc munus præſtare poſsunt, quantumvis fuerit habitus pro diſpenſatione recurſus ad Romanum Pontificem, ab eoq; res commiſſa eidem Epiſcopo, ſeù Prælatis inferioribus, vt diſpenſent, quinimmo etiam, ſi virtute talis commiſſionis diſpenſarint partim commutando ex præſcripto eiuſdem Romani Pontificis. Ita quoad primam partem *Nauar. lib.* 1. *conſ. in* 2. *edit. tit. de offic. deleg. Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 14. *n.* 3. Quoad ſecundum idem *Sanchez n. ſeq.*

1 Nõ obſtãte recurſu ad Pontificem poteſt Epiſcopus in ijs, quæ iuris ordinarij ſunt diſpenſare.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià commiſsio ad inſtantiam indigentis diſpenſatione facta per Pontificem Epiſcopo, ſeù alij Prælato inferiori eſt in fauorem eiuſdem impediti indigentis, & poſtulantis diſpenſationem ipſam, ſed cuilibet integrum eſt fauori ad ſui inſtantiam conceſſo renuntiare per textum *in reg. quod ob gratiam de reg. iur. in ſexto, & l. quod fauore C. de legib.*, neque ob talem renuntiationem ceſſat ius in ipſo renuntiante, & cedente adeundi ordinarium pro diſpenſatione ex iure proprio eiuſdem ordinarij, quandòquidem per talem renuntiationem non ceſsit abſolutè iuri diſpenſationis, ſed tali medio habendi diſpenſationem, nempè commiſsioni factæ per Pontificem, adeoque liber adhuc remanet eundem petendi, & conſequendi per recurſum immediatum ad ordinarium; Neque impeditur à tali recurſu per præuentionem factam eidem Pontifici, quandòquidem illa præuentio fuit ex arbitrio præuenientis ad ſibi cauendum illo medio, non ad intercludendum ſibi aditum ad alia media, ſi ſibi beneviſum fuerit, & illa commiſſio facta per Pontificem eſt omninò gratioſa, & beneficiò petentis, qui propterea poteſt liberè eidem cedere, qui-

Digitized by Google

quinimmo ille recurſus ad Romanum Pontificem nullum præuentionis effectum operatur; ne liceat poſteà ab inferiori petere, per textum *in l. 2., & tot. tit. C. quando libellus*.

2 Etiam ex vi Pontificiæ commiſſionis partim diſpenſarit, partim commutarit.

Ratio ſecundæ partis indè deducitur, quià, ſi quæ ratio euinceret poſt talem diſpenſationem cum commutatione ex commiſſione Pontificis non poſſe per Epiſcopum ſuper illa commutatione, ſeù diſpenſatione diſpenſari, hæc potiſſimum eſſet, quià, cum Pontifex illam commutationem ordinauerit, videtur hæc facta iuris Pontificij; ſed hæc ratio nullo modo obſiſtit, ergo &c. Maior eſt fundamentum Aduerſariorum; non enim alia ratione poſſunt Epiſcopo denegare facultatem diſpenſandi in illa commutatione, niſi, quià illa commiſſa eſt ab eodem Pontifice; in priori etenim voto iuſtè, & legitimè poterat Epiſcopus diſpenſare, cum illud plenè eſſet ſui iuris. Minor probatur, quià vel illud, in quod facta fuit illa commutatio, eſt ſecundum ſe, & in ratione materiæ reſeruatum Pontifici, vel non; ſi non eſt Pontifici reſeruatum, non eſt, cur Epiſcopus non poſſit in illo diſpenſare; nam iuxta ſuperius dicta *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon. 3. prænot. XI. poſt aſſert. ſecundam, & omnes limit. in eo appoſ. verſ. hic ſolum remanet dubitandum* poteſt Epiſcopus, quando votum reſeruatum Pontifici fuit auctoritate eiuſdem commutatum in alia opera pia non reſeruata diſpenſare in huiuſmodi operibus, prout ſentiunt *Gloſſa cap. tempora verb. tuo iudicio 26. qu. 7. Speculator tit. de diſpenſat. §. nunc de Epiſcoporum n. 21. Iaſon. l. 1. n. 5. C. de precib. Imper. offer.* alijque DD. tam Theologi, quam iuriſperiti loc. cit. allegati per rationes ibid. adductas, ergo multo magis poterit diſpenſare, quandò non reſeruatum fuit commutatum etiam de commiſſione Pontificis in aliud opus item non reſeruatum; Si intelligitur opus illud, in quod fuit commutatum Pontifici reſeruatum, iam etiam non eſt, cur non poſſit Epiſcopus ſaltem mediatè in illo diſpenſare, quandòquidem liberum eſt ei, cui facta fuit commutatio propria auctoritate ad primæuam obligationem tranſire relicta ea, in quam tranſijt illa obligatio *Azorius lib. 11. inſtit. moral. c. 18. q. 10. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 9. n. 22.* nec incongrua ratione, quià commutatio illius primæuæ obligationis fieri videtur ſub tacita conditione, vt liberum ſit obligato materiam ſubrogatam exequi, aut priorē, in cuius locum alia materia ſubrogata eſt, quandoquidem commutatio facta eſt in ipſius fauorem, cui propterea poteſt cedere, ergo cum libere poſſit redire ad primæuam obligationem, & ſuper illa poſſit Epiſcopus diſpenſare, vtique mediatè idem

Rationes euincentes intentum adducuntur,

Epiſcopus poterit diſpenſare ſuper illa commutatione.

Assertio II. Poteſt Epiſcopus in ijs, quæ ſui iuris ordinarij ſunt diſpenſare, quantumvis pro tali diſpenſatione habitus fuerit antecedentèr recurſus ad Romanum Pontificem, & ab ipſo gratia diſpenſationis fuerit denegata. *Suarez de legib. lib. 6. c. 22. n. 4. Salas de Legibus diſp. 20. ſect. 13. n. 106. Amicus tom. 5. diſp. 6. ſect. 8. n. 121. Portel. in reſponſionib. moral. tom. 2. caſ. 49. nu. 17. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 49.* aduerſus *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 14. n. 5.* 3

3 Etiam ſi gratia diſpenſationis fuerit à Pōtifice denegata.

Ratio ex eo deducitur, quià ex quo Pontifex denegauit gratiam diſpenſationis, non abſtulit ab habente poteſtatem ordinariam ius, quod habet ad diſpenſandum ſuper illa obligatione; non etenim eſt eſſentialitèr connexa denegatio diſpenſationis facta per Pontificem cum denegatione poteſtatis alterius, ſeù prohibitione exercitij poteſtatis alterius ad diſpenſandum, quandòquidem diſpenſatio eſt mera gratia, & nullo iure debita, ſed procedens à libera voluntate diſpenſantis, ergo denegatio eiuſdem diſpenſationis poteſt procedere ex mera voluntate denegantis. Accedit primo, quod ablatio poteſtatis quoad habentem ius ordinarium eſt odioſa, & ſtrictè interpretanda, ergo, niſi exprimatur, non debet intelligi, quià nec gratiæ ſunt præſumendæ conceſſæ cum præiuditio tertij, niſi fiat expreſſio, ergo multo minus denegatio earundem eſt præſumenda facta in præiuditium alterius, niſi de eodem præiuditio fiat mentio. Accedit ſecundo, quod ex eo, quod Epiſcopus diſpenſet in eo, quod ſui iuris eſt, quodque antecedentèr fuit per Romanum Pontificem denegatum, non derogat poteſtati Pontificis; vtitur enim iure ſuo, in quo non prohibetur, nec ex defectu poteſtatis, nec ex ordine ſuperioris. Accedit tertio, quod illa denegatio Pontificis potuit prouenire ex particulari iuditio, quod cauſa expoſita non ſit ſufficiens ad diſpenſationem, ergo, vbi congrua, & ſufficiens apparuerit Epiſcopo, non erit, cur hic non poſſit diſpenſare, non enim tenetur conformari iudicio Pontificis in hoc ſpeciali caſu; ſed poteſt ex cauſis ſibi innoteſcentibus iudicare, quinimmo ipſe Sanchez nobis contrarius aſſerit, quod, cum Epiſcopus habeat ius ordinarium ad diſpenſandum in illa cauſa, non adſtringatur ad diſpenſandum ex ijs ſolis cauſis, quibus exiſtentibus Pontifex vult diſpenſare.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Epiſcopus non poſſit abſoluere aliquem, quem Pōtifex condemnauit, quantumvis antea potuiſſet, ſi cauſa ad ſeipſum delata eſſet, & non Pontifici, ergo etiam non po-

Digitized by Google

Diſpar ratio de abſolutione eius, quem Epiſcopus condemnauit.

poterit diſpenſare, ſi Pontifex gratiã diſpenſationis denegarit, quantumvis potuiſſet, ſi cauſa fuiſset ſibi, non Pontifici delata; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià diſpar omninò eſt ratio, quià condemnatio importat abſolutè ſententiam, quæ imponit præceptum, & importat obligationem, quam inferior non poteſt auferre; denegatio autem gratiæ diſpenſationis nullum importat præceptum poſitiuum, ſed conſiſtit in mero exercitio propriæ voluntatis, adeoque &c.

Hic ſolum remanet dubitandum, anæquè Epiſcopus, quando gratia diſpenſationis fuit per Pontificem denegatã, poſſit diſpenſare, ſiuè fuerit conſcius eiuſdem denegationis, ſiuè penitus ignarus; Nonnulli, aſſerunt non validam fore diſpenſationem factam per Epiſcopum, quando eidem non fuit expoſita denegatio facta per Pontificem, eo quià illa gratia eſſet ſubreptitia; non enim præſumendus eſt Epiſcopus, quòd voluerit diſpenſare, ſi nouiſſet Pontificem denegaſſe, cum inferior teneatur præſumere ſuperiorem ex iuſta cauſa denegaſſe. Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo, ſiuè fuerit expoſita talis denegatio, ſiuè non, validam eſſe, & ſubſiſtere diſpenſationem factam per Epiſcopum *Suarez de Legibus lib. 6. c. 22 nu. 8. Diana d. lib. 8. tract. 3. reſol. 49. verſ. reſpondeo cum Suarez*. Ratio ex eo

4 Poteſt diſpenſare, ſiuè eidem fuit expoſita negatio Pontificis, ſiuè non.

deducitur, quià, ſi non obſtat ſcientia de denegatione facta per Pontificem ad inualidandam diſpenſationem, multo minus videtur obſtare poſſe ignorantia huiuſmodi denegationis; nam tota ratio, cui innituntur aduerſarij, eſt, quià, ſi ſciuiſſet Epiſcopus Pontificem denegaſſe, non conceſſiſſet, ſed ſtante adhuc ſcientia denegationis valida eſt diſpenſatio facta per Epiſcopum, nec Epiſcopus eandem denegat. ergo &c. Confirmatur, quià ſuppoſita ſufficienti ad diſpenſandum poteſtate cum cauſa legitima reputata ab Epiſcopo valida eſt diſpenſatio per eundem facta non alia ratione, niſi, quià eſt ſufficiens poteſtas in diſpenſante, & cauſa legitima ex parte diſpenſati, & per conſequens omnia concurrunt requiſita ad legitimam diſpenſationem, & ſcientia, vel ignorantia denegationis Pontificis, nec minuit poteſtatem in Epiſcopo, nec derogat cauſæ reſpectu impediti, ergo &c. Confirmatur ſecundo, quià Epiſcopus conſcius denegationis Pontificis, & reputans cauſam diſpenſandi eſse legitimam certè non præſumit Pontificem iuſtè negaſſe, cum ratio conceſſionis ſit legitimitas cauſæ, prout ipſe iudicat, ergo ſtante legitimitate cauſæ cognitæ per Epiſcopum non eſt præſumendum, quod ipſe Epiſcopus ex præſumptione iuſtæ denegationis factæ per Pontificem non eſſet conceſſurus diſpenſationem, ſi ſciuiſſet, cum ratio concedendi ſit legitimitas cauſæ ab ipſo cognita, nec locum habet præſumptio in contrarium quoad effectum denegandi, vbi iſta apparet ratio diſpenſandi.

5 Poteſt etiã diſpenſare in ijs, in quib' commiſſio eſt perpetuo annexa dignitati.

ASSERTIO III. In diſpenſationibus circa ea, quæ competunt Epiſcopo ex expreſſa commiſſione, ſeù iure commiſſo annexo perpetuo dignitati poteſt idem Epiſcopus ea præſtare, quæ præſtaret in ijs, quæ ſui iuris ordinarij ſunt, adeoque diſpenſare ex cauſa à ſe legitima reputata, quantumvis ex eadem Pontifex denegaſſet diſpenſationem *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 14. n. 6.*

Ratio eſt, quià cum hæc facultas ſit annexa perpetuò dignitati perindè ſe habet, ac ſi eſset ordinaria *Bartolus in l. ambitioſa nu. 34. ff. de decret. ab ord. fact. Ioannes Andreas addit. ad ſpeculatorem tit. de legat. §. vlt ad finem verſ incipienti legatus eſt ordinarius Baldus c. fin. n. vnico de offic. ord. Silueſter verb. delegatus q. 4. dict. 1, Coarnuias 3. variar. c. 20. nu. 6. Henriquez lib. 13. de excommunic. c. 24. n. 2.*, ſed in ijs, quæ iuris ordinarij ſunt poteſt Epiſcopus diſpenſare, quantumvis fuerit habitus recurſus ad Romanum Pontificem, & ab eo denegata gratia diſpenſationis, dummodò Epiſcopus reputet cauſam legitimam, ergò &c. Hinc in particulari poteſt Epiſcopus diſpenſare in caſibus, qui ipſi conceduntur ex vi *Trident. ſeſſ. 24. c. 6.*

Perindè ſe haber, ac ſi eſset iuris ordinarij.

6 In quibus Epiſcopus diſpenſat ex Epicheia non poteſt diſpenſare ex cauſa, ob quam Pontifex denegauit diſpenſationem.

ASSERTIO IV. In ijs, in quibus Epiſcopus diſpenſat ex ſola Epicheia, non poteſt probabilius diſpenſare ex cauſa, propter quam Pontifex denegauit diſpenſationem. *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 14. n. 6. prope medium.*

Ratio ex eo deducitur, quià, quandò Epiſcopus diſpenſat ex Epicheia, diſpenſat ex præſumpta Pontificis voluntate, cuius eſt de iure ordinario in ſimilibus diſpenſare, ſed quando Pontifex ex tali cauſa denegauit diſpenſationem non poteſt eſse præſumptio voluntatis Pontificis, cum conſtet de contraria ipſius voluntate ex illa denegatione, ergò &c. Et iuxta præſentem hypotheſim verificatur, quod ſi petens diſpenſationem ab Epiſcopo mentionem non fecerit de diſpenſatione per Pontificem denegata inualida ſit diſpenſatio vtpotè ſubreptitia, quandòquidem tunc certum eſset, quod, ſi Epiſcopus ſciret, non diſpenſaret, quià non haberet præſumptionem de voluntate Pontificis ad diſpenſandum, cui voluntati ſolum innititur ius Epiſcopi.

Limitarem tamen in hypotheſi, qua in caſu determinato non eſset petita diſpenſatio à Romano Pontifice, ſed Pontifex ex illa cauſa, quandòque ſolitus fuerit diſpenſare, quandòque non; tunc etenim non incongruè aſsererem diſpenſationem

factam

Digitized by Google

Quædam limitatio ad prædicta.

ſtam per Epiſcopum ſubſiſtere, quandòquidem tunc non conſtaret de contraria mente Pontificis; ſi verò non fuerit petita ab eodem Pontifice diſpenſatio, ſed hic ſolitus ſit ex illa cauſa diſpenſationem nõ concedere; tunc non incongruè aſſererem, diſpenſationẽ, ſi ab Epiſcopo concederetur, non fore ſubſiſtentem, & validam propter rationem ſuprà adductam, quià tunc non poſſet præſumi de voluntate Pontificis; cum potius ex illa conſuetudine conſtaret de contrario.

PRÆNOTIO XIX.

An facultas diſpenſandi ſit ſtrictè, an latè interpretanda.

SVMMARIVM.

Poteſtas diſpenſandi, ſiuè ordinaria, ſiuè delegata eſt ex ſe latè interpretanda. 1.
Poteſtas delegata eſt ſtrictè interpretanda, quando cedit in præiudicium tertij. 2.
Item quando eſt limitata per conſuetudinem. num. 3.
Item limitari debet intra ſeriem caſuum conceſſioni adaptabilium. 4.
Item vt non extendatur ad caſus, qui ſunt ſupra poteſtatem concedentis. 5.
Item, quandò eſt cum expreſſione certarum perſonarum. 6.
Facultas delegata diſpenſandi extenditur etiam ad commutandum. 7.
In poteſtate delegata ſimpliciter commutandi non fit extenſio ad poteſtatem diſpenſandi, niſi expreſsè agatur. 8.

Titulus procedere poteſt, vel de poteſtate ordinaria, vel de poteſtate delegata. Rurſus, vel de poteſtate intra limites diſpenſationis, vel de eadem, prout extenditur etiam ad limites commutationum, quatenus poteſtas diſpenſandi extendatur etiam ad poteſtatem commutandi in eo genere materiæ, in quo poteſt eſſe diſpenſatio. Rurſus, an poteſtas diſpenſandi v. gr. in votis extendatur etiam quoad iuramenta.

1 Poteſtas diſpenſandi eſt latè interpretãda.

Assertio I. Poteſtas diſpenſandi, ſiuè ordinaria, ſiuè delegata ex genere ſuo eſt latè interpretanda *Gloſſa c. hi qui verb. in poteſtate in fine 15 qu.8., Bartolus in l. 2. in princip. n. 2. ff. de verb. oblig. Io. Andreas c. fin. n. 3. in fin. de ſimon. Abb. c. at ſi clerici §. de adulterijs n. 11 de Iudicijs, Amicus tom. 5. diſp. 6. ſect. 2 n. 21., & ſeqq. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 42. Sanchez de matrimonio lib. 8 diſp. 2. n. 1.* vbi innumeros allegat tàm ex iuriſperitis, quam ex Theologis.

Probatio quoad poteſtatem ordinariã.

Quoad poteſtatem ordinariam non poteſt eſſe difficultas, quià, qui eadem gaudet, eſt ſupra ius, in quo diſpenſat, nec limitari poteſt à iure, ſupra quòd eſt, & ſecundum ſe eſt maximè gratioſa, ergo non eſt, cur non ſit latè interpretanda. Confirmatur, quià in tantum diſpenſationes ſunt ſtrictè interpretandæ, in quantum firmo permanente iure in ſuo genere ſit declinatio ab eodẽ in caſu particulari, in quo fit diſpenſatio, ſed per poteſtatem ordinariam diſpenſandi non ſit in caſu particulari declinatio, cum per illam ius non lædatur, ergo &c.

Dices primo, poteſtas non attenditur ſecundum ſe, ſed in ordine ad effectum, qui ex illa conſurgit per textum *in l. 1. ff. ſol. matrim.* ſed effectus, quem reſpicit talis poteſtas, eſt odioſus, & ſtrictè interpretandus, ergo, & talis poteſtas erit odioſa, & ſtrictè interpretanda. Sed contra, quià, ſi attendatur poteſtas, prout ordinaria eſt, eſt ſuperior ex genere ſuo ad legem, circa quam poteſt eſſe diſpenſatio, adeoque nequit per effectum ipſius limitari, vtſupra dicebam; ſi vero ſit delegata, ſemper principale propoſitum inſpicitur, non id, quod venit in conſequentia per textum *in l. rogaſti in princip., & l. ſi quis ff. ſi certum petatur*, id autem, quòd principaliter intenditur in conceſſione talis poteſtatis eſt fauor illius, in quem confertur talis poteſtas, non declinatio à lege, ergo &c. Poteſtas ordinaria non limitatur per effectum.

Dices ſecundo, quod poteſtas conceditur propter exercitium, cæteroqui fruſtranea eſſet, ſed exercitium eiuſdem eſt odioſum, ergo, & odioſa erit eadem poteſtas iuxtà illud *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis* Sed contra, quià licèt poteſtas reſpiciat exercitium tanquam terminum, & effectum, non tamen menſuratur eadem ratione, cum diuerſa militet ratio in vtroque, quandoquidem poteſtas eſt gratia, & fauor, & reſpicit eum, cui ineſt, ſeù cui conceditur, diſpenſatio autem eſt odium, & exorbitantia à iure, aduerſus quod fit; vndè ad illud effatum *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*, dicendum eſt verificari quotieſcunque pro medio, & fine militat eadem ratio, ſecus autem, quandò diuerſa, vt in præſenti hypotheſi.

Quoad poteſtatem verò delegatam ex eo euincitur, quòd talis delegatio eſt communicatio poteſtatis ab habente auctoritatem communicandi, ſed hæc communicatio non eſt odioſa, ſed potius fauorabilis, ergò &c. Minor probatur, tum quià per talem communicationem nulli ſit præiudicium, non Principi, eo quià liberalitèr, & omninò ſpontaneè confert: volenti autem, & conſentienti nulla fit iniuria; non ei, cui confertur, quià potius fauorem conſequitur, quam præiudicium; non legi, circa quam verſari debet diſpenſatio, quià directè ipſa diſpenſatio in tali conceſſione non attenditur, ſed fauor recipientis; tùm quià fungi vice Prin-

Probatio quoad poteſtatem delegatam

Digitized by Google

Principis in diſpenſando non importat odium; poſse autem diſpenſare ex commiſſione Principis eſt vice ipſius fungi.

Dices, maximè odioſum eſt actualitèr diſpenſare in lege, ergò & erit odioſum poſse diſpenſare. Conſequentia probatur, quià odioſa eſt actualis diſpenſatio, quià per ipſam fit derogatio iuri communi, ſed per poteſtatem ad diſpenſandum fit derogatio auctoritati Principis, à quo ius ipſum commune dependet, & non minus eſt odioſum vulnerare ius ipſum, ac vulnerare auctorem eiuſdem, ergò &c. Sed contrà, quià poteſtas delegata diſpenſandi nulla ratione lædit ius Principis, quin potius oſtentat ipſius auctoritatem, quæ magis eluceſcit ex eo, quod & per ſe ipſum, & per alios poſſit exerceri, quam quod poſſit exerceri tantum per ſe ipſum; Deindè non læditur, quià exercetur ex beneplacito ipſius, & quaſi nomine eiuſdē.

Poteſtas delegata nullo modo lædit ius Principis.

Ex his inferre licet primò, quòd, cum huiuſmodi poteſtas diſpenſandi ideò aſſeratur late interpretanda, quià eſt fauorabilis, & nulli infert præiuditium, ex contrario ſenſu non ſit extendenda, quando cederet in detrimentum tertij *Felinus in c. poſtulaſti nu. 11. caſ. 2. de reſcriptis Alexander de Neuo c. at ſi clerici §. de adulterijs n. 15. de iudicijs Altiatus l. 2. in princip n. 51. verſ. fallit 4. ff de verb. obligat. Sanchez de matrimon. lib 8. diſp. 2. n. 3. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 42. verſ. excipitur ſecundo, Amicus tom 5. diſp. 6 ſect. 2. n. 21., & ſeqq*; ſic in particulari quamvis Epiſcopus poſſit, diſpenſare cum electo criminoſo, non tamen poteſt diſpenſare in præiudicium capacis, quando hic ſimul electus eſt, *Innocentius c. dudum el 2. n. 13. de elect. Archidiaconus c. ſi quis de miniſterijs in fin: diſt. 50*; ſic ſecundo poteſtas legitimandi, quantumvis ſecundum ſe ſit gratioſa non extenditur ad caſum mixtum, quando eſt in damnum tertij *Antonius c. per venerabilem n. 13. quando filij ſint legitimi Felinus c. at ſi clerici §. de adulterijs n 8. ad fin de iudicijs Iaſon. Inſtit. de int. §. 1. n 31. Antonius de Roſellis tract. de legitimatione lib. 2. tit. de cauſa materiali nu. 2. verſ ſed iuxta iſta quaſo*; ſic tertio docent aliqui poteſtatem conferendi beneficia eſſe ſtrictè interpretandam *Aretinus c. dudum el ſecundo n. 13. de elect.*; ſed hoc dictum veritatem non ſapit, niſi quando talis poteſtas cederet in præiuditium alterius à conferente; vndè, ſi Pontifex conferret poteſtatem alicui conferendi beneficia, quorum collatio ad ipſum dumtaxat pertineret, vtique talis poteſtas eſſet amplianda, ſecus vero, ſi conferret alteri poteſtatem huiuſmodi beneficia conferendi, quorum collatio ad Epiſcopum pertineret, quià tunc cederet in damnum eiuſdem Epiſcopi *Felinus c. poſtulaſti n. 11. caſ. 2. in fine de reſcriptis, Sanchez de matrimon, lib. 8. diſp. 2, n. 3. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 42. verſ. excipitur 2.* Ratio horum omnium, quæ dicuntur in hac illatione, ea eſt, quià non præſumitur Princeps in liberalibus conceſſionibus intendere damnum inferre tertio, niſi expreſsè agat.

Poteſtas eſt ſtrictè interpretãda, quando cedit in præiuditiũ tertij.

Nonnulla exempla ad hoc accommodata.

Inferre licet ſecundò, quod non ſit extendenda huiuſmodi poteſtas diſpenſandi, quando per conſuetudinem intra certos terminos eſt limitata *Felinus d. c. poſtulaſti n. 11. verſ. quartus tamen caſus de reſcript, Gambara de auctorit. legati lib. 10. nu 194* hocque inductum intelligitur, tum quià conſuetudo habet vim legis expreſſæ, tum quià diſpenſatio contra talem conſuetudinem ingereret ſpeciem ſcandali.

3 Item quando eſt per conſuetudinē intra certos terminos limitata.

Inferre licet tertio, quòd, quantumvis poteſtas diſpenſandi latè ſit interpretanda, hoc tamen intelligendum ſit intra ſeriem caſuum adaptabilium conceſſioni, non in ordine ad quoſcunque caſus, prout docent *Gambara de auctoritate legati lib. 1. n. 203. Felinus c. fin. n. 8. limit. 1. de ſimonia*; nec incongrua ratione, nam facultas diſpenſandi vniuerſam vim habet à voluntate concedentis talem facultatem, cum autem voluntas concedentis reſtringatur ad certos caſus in aliquo genere, & non ad alios, vtique talis facultas conceſſa debet limitari ad eoſdem, & ad quoſcunque adaptabiles conceſſioni, non ad alios, qui nequeant illi adaptari.

4 Item limitari debet intra ſeriẽ caſuum conceſſioni adaptabilium;

Inferre licet quarto, quod, cum poteſtas diſpenſandi proueniat à voluntate, & poteſtate concedentis, non ſit extendenda ad diſpenſandum in iure naturali, & diuino quoad ea, quæ à concedente talem poteſtatem ſunt indiſpenſabilia, cum nemo plus iuris valeat alteri conferre, quam habeat in ſe ipſo per textum *in reg. nemo plus iuris 55. ff de reg. iuris*; quoad ea vero, quæ à concedente ſunt diſpenſabilia ex præſumpta Dei voluntate diſtinguendum eſt; vel etenim talia ſunt, vt ſpecialiſſimè Pontifici reſeruentur ob grauitatem materiæ, & non niſi ob cauſam publicam concedantur, vt eſt diſpenſatio in matrimonio rato, & in votis ſolemnibus emiſſis in profeſſione Religioſa, & tunc poteſtas diſpenſandi à Pontifice conceſſa inferiori non extenditur ad illa, quià in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſpecialiſſimè ſunt alicui reſeruata; vel talia ſunt, quæ, quantumvis ſint iuris naturalis, & diuini, de facili tamen diſpenſantur, vt ſunt vota ſimplicia caſtitatis, & tunc arbitrandum eſt poteſtatem communicatam ad illa etiam extendi *Felinus c. poſtulaſti num. 12. verſ. tertius caſus de reſcript. Sanchez de matrimonio lib 8. diſp. 2. n. 55.*

5 Item, vt non extendatur ad caſus, qui ſunt ſupra poteſtatẽ concedentis,

Inferre licet quinto, quod latè ſit interpretanda huiuſmodi poteſtas diſpenſandi, quando eſt conceſſa ſine expreſſione perſonarum, cum quibus poſſit diſpenſari; ſecus vero, quando eſt in ordine ad certas

6 Item non eſt extendenda, quando eſt in ordine ad certas perſonas in conceſſione expreſſas.

M per-

lib. 2. præſumpt. 20. n. 24. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 4. n. 11.

Ratio eſt ex ipſis terminis clara. Quandòquidem non poteſt eſſe diſpenſatio ſine actu libero voluntatis eius, qui diſpenſat, ſeù diſpenſare poteſt, ſed ſtante ignorantia impedimenti non poteſt eſſe actus voluntatis ad tollendum illud impedimentum per diſpenſationem, quià ignorantia tollit abſolutè conſenſum, ſeù actum voluntatis liberum, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quantumvis ignorantia præcedens demat eſſe liberum, & voluntarium quantum ad effectum diſpenſationis, non ſic tamen ignorantia concomitans, quandoquidem, ſi Princeps, vel inferior potens diſpenſare nouiſſet illud impedimentum, adhuc admiſiſſet ad actum, & per conſequens diſpenſaſſet tacitè, promotionis etenim cauſa eſt virtus, ſeù probitas promoti *l. vnica verſ. credidit ff. de præfect. prætor.*, quod colligitur *ex l. Barbarius ff. de offic. prætor.* vbi textus reddens rationem, cur geſta à Barbario creato ignoranter Prętore teneant, reſpondit. *Sed, ſi ſciſſet ſeruum eſſe, liberum effeciſſet*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià illa ignorantia concomitans non potuit actum formalem diſpenſationis, & per conſequens non eſt diſpenſatio, nec ſufficit, quod diſpenſaſſet, ſi cognouiſſet, quandòquidem hoc ſolum importat quid faceret, non quod fecit. Ad illud, quod ſubditur *ex l. Barbarius ff. de offic. Prætor.* dicendum eſt cum *Gloſa ibid. verbo effeciſſet* ſolum illum textum intendere, quod, ſi Populus Romanus ſciuiſſet Barbarium eſſe ſeruum adhuc permiſiſſet eum fungi officio prætoris, vt eius geſta valerent propter communem vtilitatem, quatenus ex eius Populi conniuentia; & tolerantia poſt ſcientiam ſecuta eſſet approbatio ex conſequenti, non quod per illam electionem præcisè conſtituta ſit valida diſpenſatio.

8 Etiam tacens, & cõniuens intelligitur diſpenſare,

Assertio VI. Princeps, ſeù ſuperior patientiam habens, conniuens, & tacens ſciens aliquem iure, in quo poteſt diſpenſare, impeditum exercere ea, quæ eidem ratione impedimẽti interdicta ſunt, probabilius cenſetur cum eo diſpenſare in illo impedimento. *Probus addit. ad Monachum c. vnico nu. 6. de ætate, & qualit. in ſexto, Paludanus in 4. diſt. 38. qu. 4. art. 4. concl. 2. nu. 39. D. Antoninus ſecunda part. tit. 11. cap. 2. §. 9. not. 2. VeraCrux prima part. ſpeculi art. 23. poſt primã concl. verſ. dixi etiam. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 4. nu. 26. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 1. n. 93. Hypolitus conſ. 46. n. 31., & conſ. 107. n. 3., & ſeqq. Alexander Raudenſis de anal. c. 39. nu. 147. Gonzalez ad reg. 8. Cancellariæ gloſ. 9. §. 2. n. 87.*

Colligitur *ex c. quia circa de conſang., & affinit.* vbi Innocentius III. conſultus circa quoddam matrimonium contractum per diſpenſationem ſubreptitiam, & inualidam reſpondit Epiſcopo conſulenti, vt diſſimulet, ſeù ſinat ſic coniunctos in matrimonio permanere; non poteſt autem nec Pontifex, nec Epiſcopus licitè permittere, vt permaneant in matrimonio inualido, & in illo cõmiſceantur, niſi per illam conniuentiam, diſſimulationem, & taciturnitatem intelligantur in illo impedimento diſpenſare, quià non poſſunt acquieſcere concubinatui, ſed tenentur illi contradicere; neque ſupponendum eſt, quod ideo præcipiatur diſſimulatio, quià illi fuerint in bona fide; non, inquam, ſupponendum eſt, quià ſupponuntur falſam cauſam expreſſiſſe ſcienter, adeoque &c. vndè meritò dicendum eſt, quod per illam taciturnitatem, & diſſimulationem ratum habeant illud prius matrimonium.

Quod, ſi ex aduerſo aſſeratur textus *in c. cum iam dudum de preben.* vbi expreſsè innuitur, quòd Pontificis diſſimulatio non inducat diſpenſationem; ſtatim reſpondebitur illum textum procedere, quando Satiſfit obiectis in contrariũ, Princeps impunè tolerat, ſeù quando non punit, non quando in reſcripto dicit toleramus, ſeù toleretur, & diſſimuletur, prout explicant *Abbas in d. c. quià circa de conſang. & affin. Coarruuias ſecunda part. de ſponſalib. c. 6. §. 10. n. 15.* Quod, ſi vlterius vrgeas diſſimulationem Principis ſcientis, & diſſimulantis aliquos perſeuerare in matrimonio irrito non inducere diſpenſationem *Gloſ. Clement. fin. verb. approbare de ſent. excom. Innocentius c. veniens n. 3. de fil. præsbit., & ibi Hoſtienſis nu. 8. Immola l. quidam conſulebat n. 6. in fin. ff. de re iudic. Felinus c. gratum nu. 9. de offic. deleg.* ſtatim reſpõdebo, id dici, quià illa diſſimulatio intelligitur ad finem ſcandali vitandi, nec prodeſſe poterat diſpenſatio, niſi denuò illi matrimonium contraxiſſent.

PRÆNOTIO XVII.

An idem potens diſpenſare cum alijs poſſit cum ſeipſo diſpenſare.

SVMMARIVM.

Prælati facultatem, quam habent ex iure ordinario, vel delegato ſimpliciter in ordine ad alios, poſſunt committere alijs, vt exerceatur erga ſe ipſos. 1.

Poteſt Pontifex, & alij ſupremi ſecum immediate diſpenſare in ijs, in quibus poſſunt diſpenſare cum alijs. 2.

Etiam in ijs, quæ iuris diuini ſunt, & ex præſumpta Dei voluntate cum alijs diſpenſant. 3.

Etiam Epiſcopi, & Prælati Regulares poſſunt ſecum diſpenſare in ijs, in quibus diſpenſant cum alijs. 4.

Diſſi-

Diuerſi ſta-tus, ſecun-dum quos poteſt præ-cedere titulus.

DIfficultas ſic propoſita, vel poteſt procedere de diſpenſatione erga ſe ipſum immediata, quatenus, quia potens cum alijs diſpenſare poſſit etiam erga ſe ipſum ſine miniſterio alterius; ſed per ſe ipſum immediatè; vel de diſpenſatione mediata, quatenus poſſit aliùm deputare, qui erga ſe ipſum illud munus diſpenſationis exerceat. Porro diſpenſatio duplex eſt, alia propria; quæ propriè inuoluit relaxationem iuris; alia impropria, quæ potius dicitur quædam licentia, & facultas, quam diſpenſatio; & quidem quoad hanc licentiam ſine abrogatione legis, quam Prælatus poteſt concedere, poſſe etiam ſibi ipſi indulgere certum eſt; quis enim diceret, quòd prælati v. g. Religioſorum licentijs, quas alijs concedunt, non poſſint ipſi gaudere? & ita ſentiunt *D. Thomas 2. 2. qu. 185. art. 8. Turrecremata c. de Monachis 16. q. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 20. c. 2.* § 7. Porro diſpenſatio, quam præſtat Prælatus erga ſubditos eſt communis, & vniuerſalis erga omnes; & ſic non eſt dubium, quin ipſe eadem gaudere poſſit: non enim hoc eſt directè diſpenſare erga ſe ipſum, ſed indirectè vti diſpenſatione alijs omnibus conceſſa *Sotus in 4. diſt. 21. q. 3. art. 4. in fine corporis Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. vbi de indulgentijs q. 5. verſ. ſed vtrum indulgentia.* Diſputationis ergò ſcopus præcipuus in hac prænotione erit, an ſuperior circa ſpeciales diſpenſationes, quas poteſt alijs impartiri, poſſit erga ſe ipſum, vel immediatè, vel ſaltem mediatè?

1
Poſſunt cõmittere facultatem, quã habent erga alios, vt exerceatur erga ſe ipſos.

ASSERTIO I. Prælati facultatem in diſpenſationibus, quam poſſunt, vel de iure ordinario; vel delegato non ad certas perſonas, ſed indefinitè quoad omnes exercere in ordine ad alios, poſſunt committere alijs, vt exerceatur erga ipſos. *Paludanus in 4. diſt. 38. q. 4. art. 4. concl. 4. n. 41. Gabriel item in 4. diſt. 17. q. 2. art. 3. dub. 2. in princip. D. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 2. §. 2. ſtatim in princip. Angelus verb. confeſſio 3. nu. 7. Sairus in theſauro caſuum tom. primo lib. 7. c. 14. n. 5.*

Dixi, *vel non delegato ad certas perſonas,* quià, ſi ex commiſſione ſuperioris habentis ordinariam poteſtatem fuerit delegatus ad beneficium diſpenſationis impendendum certæ perſonæ, non poſſet facultate ſibi commiſſa vti in ordine ad ſe ipſum, quià, cum facultas ſit commiſſa in ordine ad certam perſonam, & non abſolutè, non poteſt vltra illam extendi, cũ nemo poſſit excedere terminos mandati.

Probatur iam aſſertio, quià ſi quæ ratio euinceret medio delegato aliquem non poſſe diſpenſare erga ſe ipſum, ea potiſſimum eſſet, quià nemo poteſt exercere iuriſdictionem erga ſe ipſum, ſed hæc ratio nullatenus obſtat, quià in primis probabiliſſima ſentẽtia eſt, quod confeſſarij omnes, vel immediatè, vel mediatè ſaltẽ accipiant iuriſdictionẽ à Romano Pontifice, & tamẽ Pontifex talem iuriſdictionẽ committit proprio confeſſario etiam in ordine ad ſe ipſum abſoluendum, ergo &c. Hoc idem confirmari poteſt *ex c. fin. de pænit. & remiſ.* ibi conceditur Epiſcopis, & Prælatis exemptis poſſe eligere ſibi confeſſarium, à quo abſoluantur, & diſpenſentur; & quidem congrua ratione hoc decernitur, non enim æquum eſt, vt ſuperiores, & prælati ſint deterioris conditionis, ac cæteri omnes inferiores, qui, ſicuti habent, quo poſsint confugere pro abſolutione, & diſpenſatione, nempè ad ipſum Prælatum, ſeù ſuperiorem, ita non eſt, cur non habeant ipſi prælati, & ſuperiores, quo poſsint recurrere, & propterea poterunt deputare, qui ſe abſoluant, & ſecum diſpenſent.

In particulari circa Prælatos Regulares poſsunt iſti ſibi eligere confeſſarium, & mutare, qui eis beneficium abſolutionis, & diſpenſationis impendat in omnibus caſibus, quibus ipſi auctoritate Apoſtolica cæteros ſuos ſubditos abſoluere poſſunt Eugenius IV. Prioribus Sancti Hieronimi Hiſpaniæ, vt habetur in eorum compendio Priuilegiorum *tit. Priores* § 1., *& titulo Eligere* §. 2.

Poſſunt eligere confeſſarium, qui ſibi beneficium abſolutionis, & diſpenſationis impendat.

ASSERTIO II. Probabilius eſt poſſe Summum Pontificem ſecum immediatè diſpenſare in ijs omnibus, in quibus poteſt cum alijs, quod idem intellige de ſupremis Principibus ſæcularibus quoad ea, quæ iuris habent in ſuos ſubditos. Quoad primam partem *Felinus c. 2. n. 20. de ſponſalib. Silueſter verb. Lex q. 14. in fin Corradus in templo omnium Iudicum lib. 1. c. 1. §. 3. nu. 6. Paludanus in 4. diſt 38. q. 4. art. 4. concl. 4. num. 41. Sotus in 4. diſt. 18. q. 1. art. 4 concl. 2. Caietanus 1. 2. q. 96 art. 5. col. 3. verſ. ad hoc dubium præmittenda ſunt, Gutierez tom. 3. in tertiam partem q 82 art. 11. diſp. 36. ſect. 2. col. ante penult. verſ. ſoles vero.* Quoad ſecundam *Silueſter verb. lex q. 14. Sanchez lib. 8. diſp. 3. n. 7.*

2
Poteſt Pontifex, & alij ſupremi ſecum immediatè diſpenſare.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià iuriſdictio, quæ exercetur per diſpenſationem, non repugnat exerceri in ordine ad ſe ipſum, nec ex genere ſuo, nec ex aliqua iuris diſpoſitione, niſi in certis caſibus, in quibus, vel ex iure diuino, vel ex genere ſuo requiritur diſtinctio, ſeù alteritas perſonarum, vt potiſſimum euenit in caſu abſolutionis ſacramentalis, ergò non erit, cur vltrà caſus exceptos ſuperior primarius, qualis eſt Summus Pontifex, non poſſit ſecum diſpenſare. Antecedens quoad primam partem ex eo elucet, quià exercitium diſpenſationis regulariter non eſt iuriſdictionis conten-

Digitized by Google

tioſæ, in qua iniquum videtur in propria cauſa ſibimet ius dicere contra ius ab aduerſario intentum iuxta textum *in l. vnica C. in ſua cauſa*, ſed merè voluntariæ, & directiuæ, quæ non exigit iudicium coercitiuum, nec teſtium probationem, nec partis citationem poſtulat, ergò non exigit diſtinctionem perſonalem inter diſpenſantem, & diſpenſatum, ergò poterit eſſe erga ſe ipſum. Confirmatur, quia in voluntaria iuriſdictione nulla eſt repugnantia; quin idem poſſit diuerſarum perſonarum vices gerere, prout probat *Abbas c. ex literis n. 11. de probationibus*, & conſtat *ex l. ſi conſul. ff de adopt.*, *& ex l. vna ff de offic. conſul.*, ergò nec erit repugnantia, quod idem ſit ſimul diſpenſans, & diſpenſatus. Confirmatur ſecundò, quia ſolummodò in iure excipitur, ne quis ſit ſimul dans, & accipiens in beneficijs, & redditur ratio, quia pernitioſi exempli eſſet, & ambitionem ſapiens, ſi quis diſtributor beneficiorum Eccleſiaſticorum ſibi eadem beneficia decerneret, ergò, vbi non viget peruerſum illud ambitionis exemplum, non erit ratio, cur idem non poſſit eſſe dans, & accipiens, impendens & recipiens diſpenſationem. Confirmatur tertio, quia non eſt repugnantia, quod, vbi Pontifex diſpenſat cum omnibus in caſu particulari alicuius legis, intelligatur etiam ſecum ipſe diſpenſare per ea, quæ ſuprà probauimus, ergò non eſt, cur non poſſit ſecum ipſe ſolum diſpenſare. Conſequentia probatur, quia ex eo, quod poſſit cum omnibus diſpenſare poteſt etiam cum ſe ipſo, nec obeſt, quod exerceat iuriſdictionem in ſe ipſum, quia etiã eandem exercet, quandò diſpenſat cum omnibus in vniuerſum, & ipſe etiam gaudet diſpenſatione, & ipſe quoque fungitur munere ſuperioris, dum diſpenſat, & munere, quodamodò ſubditi, dum vtitur diſpenſatione. Antecedens primum quoad ſecundam partem etiam ex eo euincitur, quia nullum eſt aſſignabile ius, quod vetet illud exercitium iuriſdictionis in ſe ipſum, & ſi quod aſſignetur, vel loquetur de iuriſdictione contentioſa, & punitiua, vel erit ſpecialis diſpoſitio, quæ non eſt extendenda ad non expreſſa.

In voluntaria iuriſdictione poteſt quis diuerſas perſonas exercere.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia Princeps ſupremus talem, ac tantam habet poteſtatem in ſuis legibus, ac in temporalibus, qualem, ac quantam habet Pontifex in canonicis ſanctionibus, & in ſpiritualibus, ſed Pontifex ex probatis in præcedenti parte aſſertionis poteſt ſecum ipſo in ſpiritualibus etiam immediatè, & directè diſpenſare, ergò etiam poterit Princeps ſupremus in proprijs legibus, & in temporalibus ſecum directè, & immediatè diſpenſare.

Hæc, quæ dicta ſunt de Pontifice quoad diſpenſationem cum ſe ipſo in proprijs legibus, intelligenda ſunt proportionaliter etiam de diſpenſationibus in ijs, quæ ſunt iuris diuini, quæque ex præſumpta Dei voluntate intercedentibus legitimis cauſis ſunt diſpenſabilia ab eodem Pontifice in ordine ad alias perſonas; non enim eſt, cur intercedentibus eiſdem cauſis non poſſit tale munus erga ſe ipſum exercere. 3

Etiam in ordine ad ea, quæ iuris diuini ſunt ex præſumpta Dei voluntate.

Assertio III. Probabilius etiam eſt, poſſe Epiſcopos, & Prælatos Regulares ſecum diſpenſare in ijs omnibus, in quibus poſſunt erga alios. Ita quoad primam partem *D. Thomas 2. 2. q. 185. art. 8. Turrecremata c. de monachis 16. q. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 20. c. 2. §. 7. Angelus verb. monachus n. 7. Emanuel in Bulla Cruciata § 8. dub. 6. nu. 11. Azorius lib. 7. inſtit. moral. c. 29. qu. 7.* Quoad ſecundam *Armilla verb. monachus n. 9. Molina tom. 1. de inſtit. tract. 2. diſp. 247. verſ. Religioſus tamen, Sanchez de matrimon lib. 8. diſp. 3. n. 9.* 4

Etiã Epiſcopi, & Prælati Regulares poſſunt diſpenſare ſecum.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur primo, quia regulariter id poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, quod poteſt Pontifex in toto orbe, ergò, vbi Pontifex poteſt ſecum diſpenſare, non erit, cur non poſſit ſecum etiam Epiſcopus. Confirmatur, quia non minus poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi diſpenſare in aliquo caſu cum omnibus, & per conſequens ipſe quoque gaudere priuilegio diſpenſationis, ac poſſit Pontifex in toto orbe, ergò poterit etiam diſpenſare cum aliquibus tantum, cur etiam non poterit cum ſe ipſo? Confirmatur ſecundo, quia plerique, quinimmò communitèr aduerſarij non negant Epiſcopum poſſe ſecum directè diſpenſare, quando non facilis patet aditus ad Pontificem pro diſpenſatione, & tamen in hac hypotheſi poſſet per delegatum diſpenſari, ergò non eſt, cur non poſſit ſecum directè diſpenſare; in tantum etenim aduerſarij ponunt potentiam ad hanc directam diſpenſationem erga ſe ipſum, in quantum vrget neceſſitas, ratione cuius nequeunt Pontificem adire, ergò, ſi adhuc ceſſante hac neceſſitate, & impotentia adeundi Pontificem eo quia poſſint diſpenſari per alium à ſe deputatum, poſſunt directè ſecùm diſpenſare, non erit, cur non poſſint hoc præſtare abſolutè?

Ratio deducitur ex paritate Pontificis.

Neque obeſſe, ſi aſſeratur primo, diſparem eſſe rationem quoad Pontificem ſecum diſpenſantem, ac quoad Epiſcopum, alioſque inferiores; quandòquidem in Epiſcopis, cæteriſque prælatis inferioribus non adeſt pleniſſima poteſtas, qualis adeſt in Romano Pontifice, quinimmò auctoritas illorum ab eodem Pontifice eſt deriuata; & Pontifex non habet ſuperiorem, quem poſſit adire, iſti autem habent Pontificem, ad quem poſſint pro diſpenſa-

tione

tione confugere. Secundo, quia Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum alijs ſuis ſubditis in lege ſuperioris ex præſumpta eiuſdem ſuperioris voluntate; non eſt autem præſumenda voluntas ſuperioris, quod inferior poſſit cum ſe ipſo diſpenſare, maximè cū per confeſſorem poſſit ſibimetipſi conſulere. Tertio, quia congruè videtur Epiſcopo, alijſque prælatis inferioribus concedi poſſe diſpenſare cum ſubditis, quia voluntas ſubditorum, quaſe obligarunt, erat illis ſubiecta; voluntas autem Epiſcopi, aliorumque prælatorum inferiorum non eſt ſibimetipſis ſubdita, adeoque &c. Non, inquam, ob eſſe poteſt; non primum, quia eo ipſo, quod hæc poteſtas eſt conceſſa Epiſcopis in ordine ad diſpenſandum cum alijs, non videtur deneganda eiſdem in ordine ad ſe ipſos; nec ad diſpenſandum cum ſe ipſo requiritur ſuprema poteſtas, ſicuti non requiritur ad diſpenſandum cum alijs; nec ratio, quod Pontifex alium non habeat, ad quem poſſit confugere pro diſpenſatione, aliquod euincit, cum habeat confeſſarium, vel alium à ſe deputabilem, à quo poſſit diſpenſari; Si igitur hoc nō obſtāte poteſt ſecū directè diſpenſare, non video, cur etiam hoc non poſſit Epiſcopus in ordine ad ſe ipſum, licet poſſit adire Pontificem, à quo diſpenſetur. Non ſecundum; quia non eſt præſumendum, quod Pontifex, qui benignè concedit Epiſcopis poſse cum alijs diſpenſare, vellit ſibi reſeruare diſpenſationem cum eiſdem Epiſcopis, quia hoc eſset eoſdem conſtituere deterioris conditionis à ſuis ſubditis; Non tertium; quia quilibet eſt ſuperior in ordine ad propriam voluntatem, & idem in ordine ad diuerſas conſiderationes poteſt ſibi eſse ſuperior, & inferior.

Ad diſpenſandum cū ſeipſo non requiritur ſuprema poteſtas,

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia Prælati Regulares in ordine ad ſuos ſubditos habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem *Nauarrus lib. 1. conſ. in ſecunda edit. tit. de temp. ordin. conſ. 36. nu. vnico*, ſunt etenim Paſtores ordinarij reſpectu eorundem ſubditorum, ergo ſicuti Epiſcopi poſſunt ſecum ipſis directè diſpenſare, poterunt etiam huiuſmodi Prælati.

PRÆNOTIO XVIII.

An Epiſcopi, ſeu Prælati inferiores poſſint diſpenſare, ſi diſpenſatio fuerit petita à Pontifice, & denegata.

SVMMARIVM.

Poteſt Epiſcopus in ijs, quæ iuris ordinarij ſibi ſunt, diſpenſare non obſtante, quod recurſus habitus fuerit ad Romanum Pontificem, ab eoque ſibi commiſſa cauſa. 1.

Etiam ſi ex vi commiſſionis Pontificiæ partim diſpenſarit, partim commutarit. 2.

In ijs, quæ iuris ordinarij ſunt, poteſt diſpenſare quantumuis diſpenſatio fuerit à Pontifice negata. 3.

Poteſt diſpenſare, ſiuè eidem fuerit expoſita negatio Pontificis, ſiuè non. 4.

Poteſt etiam denegata à Pontifice diſpenſatione diſpenſare in ijs, in quibus eſt dignitati perpetuo annexa commiſſio. 5.

In ijs, in quibus diſpenſat ex Epicheia non poteſt diſpenſare ex cauſa, ex qua Pontifex recuſauit. 6.

Difficultas procedit, vel in ordine ad ea, in quibus Epiſcopi, alijque Prælati inferiores poſſunt de iure ordinario diſpenſare; vel in ordine ad ea, in quibus ſolum poſſunt diſpenſare ex præſumpta ſuperioris voluntate, & in ordine ad hæc duo dubietates circa præſentem prænotionem verſabuntur.

Assertio I. Circa ea, in quibus Epiſcopus, alijque Prælati inferiores poſſunt de iure ordinario diſpenſare, hoc munus præſtare poſſunt, quantumvis fuerit habitus pro diſpenſatione recurſus ad Romanum Pontificem, ab eoq; res commiſſa eidem Epiſcopo, ſeu Prælatis inferioribus, vt diſpenſent, quinimmo etiam, ſi virtute talis commiſſionis diſpenſarint partim commutando ex præſcripto eiuſdem Romani Pontificis. Ita quoad primam partem *Nauar. lib. 1. conſ. in 2. edit. tit. de offic. deleg. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 14. n. 3.* Quoad ſecundum idem *Sanchez n. ſeq.*

1 Nō obſtāte recurſu ad Pontificem poteſt Epiſcopus in ijs, quæ iuris ordinarij ſunt diſpenſare.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia commiſſio ad inſtantiam indigentis diſpenſatione facta per Pontificem Epiſcopo, ſeu alij Prælato inferiori eſt in fauorem eiuſdem impediti indigentis, & poſtulantis diſpenſationem ipſam, ſed cuilibet integrum eſt fauori ad ſui inſtantiam conceſſo renuntiare per textum *in reg. quod ob gratiam de reg. iur. in ſexto, & l. quod fauore C. de legib.*, neque ob talem renuntiationem ceſſat ius in ipſo renuntiante, & cedente adeundi ordinarium pro diſpenſatione ex iure proprio eiuſdem ordinarij, quandòquidem per talem renuntiationem non ceſſit abſolutè iuri diſpenſationis, ſed tali medio habendi diſpenſationem, nempè commiſſioni factæ per Pontificem, adeoque liber adhuc remanet eundem petendi, & conſequendi per recurſum immediatum ad ordinarium; Neque impeditur à tali recurſu per præuentionem factam eidem Pontifici, quandòquidem illa præuentio fuit ex arbitrio præuenientis ad ſibi cauendum illo medio, non ad intercludendum ſibi aditum ad alia media, ſi ſibi beneuiſum fuerit; & illa commiſſio facta per Pontificem eſt omninò gratioſa, & beneficio petentis, qui propterea poteſt liberè eidem cedere,

Digitized by Google

quinimmo ille recurſus ad Romanum Pontificem nullum præuentionis effectum operatur, ne liceat poſteà ab inferiori petere, per textum *in l. 2., & tot. tit. C. quando libellus.*

Ratio ſecundæ partis indè deducitur, quià, ſi quæ ratio euinceret poſt talem diſpenſationem cum commutatione ex commiſſione Pontificis non poſſe per Epiſcopum ſuper illa commutatione, ſeù diſpenſatione diſpenſari, hæc potiſſimum eſſet, quià, cum Pontifex illam commutationem ordinauerit, videtur hæc facta iuris Pontificij; ſed hæc ratio nullo modo obſiſtit, ergo &c. Maior eſt fundamentum Aduerſariorum; non enim alia ratione poſſunt Epiſcopo denegare facultatem diſpenſandi in illa commutatione, niſi, quià illa commiſſa eſt ab eodem Pontifice; in priori etenim voto iuſtè, & legitimè poterat Epiſcopus diſpenſare, cum illud plenè eſſet ſui iuris. Minor probatur, quià vel illud, in quod facta fuit illa commutatio, eſt ſecundum ſe, & in ratione materiæ reſeruatum Pontifici, vel non; ſi non eſt Pontifici reſeruatum, non eſt, cur Epiſcopus non poſſit in illo diſpenſare; nam iuxta ſuperius dicta *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon. 3. pranot. XI. poſt aſſert. ſecundam, & omnes limit. in ea appoſ. verſ. hic ſolum remanet dubitandum* poteſt Epiſcopus, quando votum reſeruatum Pontifici fuit auctoritate eiuſdem commutatum in alia opera pia non reſeruata diſpenſare in huiuſmodi operibus, prout ſentiunt *Gloſſa cap. tempora verb. tuo iudicio 26. qu. 7. Speculator tit. de diſpenſat. §. nunc de Epiſcoporum n. 21. Iaſon. l. 1. n. 5. C. de precib. Imper. offer.* aliique DD. tam Theologi, quam iuriſperiti loc. cit. allegati per rationes ibid. adductas, ergo multo magis poterit diſpenſare, quandò non reſeruatum fuit commutatum etiam de commiſſione Pontificis in aliud opus item non reſeruatum; Si intelligitur opus illud, in quod fuit commutatum Pontifici reſeruatum, iam etiam non eſt, cur non poſſit Epiſcopus ſaltem mediatè in illo diſpenſare, quandòquidem liberum eſt ei, cui facta fuit commutatio propria auctoritate ad primæuam obligationem tranſire relicta ea, in quam tranſijt illa obligatio *Azorius lib. 11. inſtit. moral. c. 18. q. 10. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 9. n. 21.* nec incongrua ratione, quià commutatio illius primæuæ obligationis fieri videtur ſub tacita conditione, vt liberum ſit obligato materiam ſubrogatam exequi, aut priorē, in cuius locum alia materia ſubrogata eſt, quandoquidem commutatio facta eſt in ipſius fauorem, cui propterea poteſt cedere, ergo cum libere poſſit redire ad primæuam obligationem, & ſuper illa poſſit Epiſcopus diſpenſare, vtique mediatè idem Epiſcopus poterit diſpenſare ſuper illa commutatione.

2 Etiam ex vi Pontificiæ commiſſionis partim diſpenſarit, partim commutarit.

Rationes euincentes intentum adducuntur.

Assertio II. Poteſt Epiſcopus in ijs, quæ ſui iuris ordinarij ſunt diſpenſare, quantumvis pro tali diſpenſatione habitus fuerit antecedentèr recurſus ad Romanum Pontificem, & ab ipſo gratia diſpenſationis fuerit denegata. *Suarez de legib. lib. 6. c. 22. n. 4. Salas de Legibus diſp. 20. ſect. 13. n. 106. Amicus tom. 5. diſp. 6. ſect. 8. n. 121. Portel. in reſponſionib. moral. tom. 2. caſ. 49. nu. 17. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 49.* aduerſus *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 14. n. 5.*

3 Etiam ſi gratia diſpenſationis fuerit à Pōtifice denegata.

Ratio ex eo deducitur, quià ex quo Pontifex denegauit gratiam diſpenſationis, non abſtulit ab habente poteſtatem ordinariam ius, quod habet ad diſpenſandum ſuper illa obligatione; non etenim eſt eſſentialitèr connexa denegatio diſpenſationis facta per Pontificem cum denegatione poteſtatis alterius, ſeù prohibitione exercitij poteſtatis alterius ad diſpenſandum, quandòquidem diſpenſatio eſt mera gratia, & nullo iure debita, ſed procedens à libera voluntate diſpenſantis, ergo denegatio eiuſdem diſpenſationis poteſt procedere ex mera voluntate denegantis. Accedit primo, quod ablatio poteſtatis quoad habentem ius ordinarium eſt odioſa, & ſtrictè interpretanda, ergo, niſi exprimatur, non debet intelligi, quià nec gratiæ ſunt præſumendæ conceſſæ cum præiuditio tertij, niſi fiat expreſſio, ergo multo minus denegatio earundem eſt præſumenda facta in præiuditium alterius, niſi de eodem præiuditio fiat mentio. Accedit ſecundo, quod ex eo, quod Epiſcopus diſpenſet in eo, quod ſui iuris eſt, quodque antecedentèr fuit per Romanum Pontificem denegatum, non derogat poteſtati Pontificis, vtitur enim iure ſuo, in quo non prohibetur, nec ex defectu poteſtatis, nec ex ordine ſuperioris. Accedit tertio, quod illa denegatio Pontificis potuis prouenire ex particulari iuditio, quod cauſa expoſita non ſit ſufficiens ad diſpenſationem, ergo, vbi congrua, & ſufficiens apparuerit Epiſcopo, non erit, cur hic non poſſit diſpenſare, non enim tenetur conformari iudicio Pontificis in hoc ſpeciali caſu, ſed poteſt ex cauſis ſibi innoteſcentibus iudicare, quinimmo ipſe Sanchez nobis contrariùs aſſerit, quod, cum Epiſcopus habeat ius ordinarium ad diſpenſandum in illa cauſa, non adſtringatur ad diſpenſandum ex ijs ſolis cauſis, quibus exiſtentibus Pontifex vult diſpenſare.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Epiſcopus non poſſit abſoluere aliquem, quem Pōtifex condemnauit, quantumvis antea potuiſſet, ſi cauſa ad ſeipſum delata eſſet, & non Pontifici, ergo etiam non po-

Digitized by Google

Diſpar ratio de abſolutione eius, quem Epiſcopus condemnauit.

poterit diſpenſare, ſi Pontifex gratiã diſpenſationis denegarit, quantumvis potuiſſet, ſi cauſa fuiſset ſibi, non Pontifici delata; Non, inquam, obeſse poteſt, quià diſpar omninò eſt ratio, quià condemnatio importat abſolutè ſententiam, quæ imponit præceptum, & importat obligationem, quam inferior non poteſt auferre; denegatio autem gratiæ diſpenſationis nullum importat præceptum poſitiuum, ſed conſiſtit in mero exercitio propriæ voluntatis, adeoque &c.

Hic ſolum remanet dubitandum, an æquè Epiſcopus, quando gratia diſpenſationis fuit per Pontificem denegata, poſſit diſpenſare, ſiuè fuerit conſcius eiuſdem denegationis, ſiuè penitus ignarus: Nonnulli, aſſerunt non validam fore diſpenſationem factam per Epiſcopum, quando eidem non fuit expoſita denegatio facta per Pontificem, eo quià illa gratia eſſet ſubreptitia; non enim præſumendus eſt Epiſcopus, quòd voluerit diſpenſare, ſi nouiſſet Pontificem denegaſſe, cum inferior teneatur præſumere ſuperiorem ex iuſta cauſa denegaſſe. Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo, ſiuè fuerit expoſita talis denegatio, ſiuè non, validam eſſe, & ſubſiſtere diſpenſationem factam per Epiſcopum *Suarez de Legibus lib. 6. c. 22. nu. 8. Diana d. lib. 8. tract. 3. reſol. 49. verſ. reſpondeo cum Suarez*. Ratio ex eo deducitur, quià, ſi non obſtat ſcientia de denegatione facta per Pontificem ad inualidandam diſpenſationem, multo minus videtur obſtare poſſe ignorantia huiuſmodi denegationis; nam tota ratio, cui innituntur aduerſarij, eſt, quià, ſi ſciuiſſet Epiſcopus Pontificem denegaſſe, non conceſſiſſet, ſed ſtante adhuc ſcientia denegationis valida eſt diſpenſatio facta per Epiſcopum, nec Epiſcopus eandem denegat. ergo &c. Confirmatur, quià ſuppoſita ſufficienti ad diſpenſandum poteſtate cum cauſa legitima reputata ab Epiſcopo valida eſt diſpenſatio per eundem facta non alia ratione, niſi, quià eſt ſufficiens poteſtas in diſpenſante, & cauſa legitima ex parte diſpenſati, & per conſequens omnia concurrunt requiſita ad legitimam diſpenſationem, & ſcientia, vel ignorantia denegationis Pontificis, nec minuit poteſtatem in Epiſcopo, nec derogat cauſæ reſpectu impediti, ergo &c. Confirmatur ſecundo, quià Epiſcopus conſcius denegationis Pontificis, & reputans cauſam diſpenſandi eſse legitimam certè non præſumit Pontificem iuſtè negaſſe, cum ratio conceſſionis ſit legitimitas cauſæ, prout ipſe iudicat, ergo ſtante legitimitate cauſæ cognitæ per Epiſcopum non eſt præſumendum, quod ipſe Epiſcopus ex præſumptione iuſtæ denegationis factæ per Pontificem non eſſet conceſſurus diſpenſationem, ſi ſciuiſſet, cum ratio concedendi ſit legitimitas cauſæ ab ipſo cognita, nec locum habet præſumptio in contrarium quoad effectum denegandi, vbi iſta apparet ratio diſpenſandi.

4 Poteſt diſpenſare, ſiuè eidem fuit expoſita negatio Pontificis, ſiuè non.

5 Poteſt etiã diſpenſare in ijs, in quib⁹ commiſſio eſt perpetuo annexa dignitati.

Assertio III. In diſpenſationibus circa ea, quæ competunt Epiſcopo ex expreſſa commiſſione, ſeù iure commiſſo annexo perpetuo dignitati poteſt idem Epiſcopus ea præſtare, quæ præſtaret in ijs, quæ ſui iuris ordinarij ſunt, adeoque diſpenſare ex cauſa à ſe legitima reputata; quantumvis ex eadem Pontifex denegaſſet diſpenſationem *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 14. n. 6.*

Ratio eſt, quià cum hæc facultas ſit annexa perpetuò dignitati perindè ſe habet, ac ſi eſset ordinaria *Bartolus in l. ambitioſa nu. 34. ff. de decret. ab ord. fact. Ioannes Andreas addit. ad ſpeculatorem tit. de legat. §. vlt. ad finem verſ. incipienti legatus eſt ordinarius Baldus c. fin. n. vnico de offic. ord. Siluester verb. delegatus q. 4. dict. 1. Coaruuias 3. variar. c. 20. nu. 6. Henriquez lib. 13. de excommunic. c. 24. n. 2.*, ſed in ijs, quæ iuris ordinarij ſunt poteſt Epiſcopus diſpenſare, quantumvis fuerit habitus recurſus ad Romanum Pontificem, & ab eo denegata gratia diſpenſationis, dummodò Epiſcopus reputet cauſam legitimam, ergò &c. Hinc in particulari poteſt Epiſcopus diſpenſare in caſibus, qui ipſi conceduntur ex vi *Trident. ſeſſ. 24. c. 6.*

Perindè ſe habet, ac ſi eſset iuris ordinarij.

6 In quibus Epiſcopus diſpenſat ex Epicheia non poteſt diſpenſare ex cauſa, ob quam Pontifex denegauit diſpenſationem.

Assertio IV. In ijs, in quibus Epiſcopus diſpenſat ex ſola Epicheia, non poteſt probabilius diſpenſare ex cauſa, propter quam Pontifex denegauit diſpenſationem. *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 14. n. 6. prope medium.*

Ratio ex eo deducitur, quià, quandò Epiſcopus diſpenſat ex Epicheia, diſpenſat ex præſumpta Pontificis voluntate, cuius eſt de iure ordinario in ſimilibus diſpenſare, ſed quando Pontifex ex tali cauſa denegauit diſpenſationem non poteſt eſse præſumptio voluntatis Pontificis, cum conſtet de contraria ipſius voluntate ex illa denegatione, ergò &c. Et iuxta præſentem hypotheſim verificatur, quod ſi petens diſpenſationem ab Epiſcopo mentionem non fecerit de diſpenſatione per Pontificem denegata inualida ſit diſpenſatio vtpotè ſubreptitia, quandòquidem tunc certum eſset, quod, ſi Epiſcopus ſciret, non diſpenſaret, quià non haberet præſumptionem de voluntate Pontificis ad diſpenſandum, cui voluntati ſolum innititur ius Epiſcopi.

Limitarem tamen in hypotheſi, qua in caſu determinato non eſset petita diſpenſatio à Romano Pontifice, ſed Pontifex ex illa cauſa, quandòque ſolitus fuerit diſpenſare, quandòque non; tunc etenim non incongruè aſsererem diſpenſationem

factam

Quædam limitatio ad prędicta.

factam per Epiſcopum ſubſiſtere, quandòquidem tunc non conſtaret de contraria mente Pontificis; ſi verò non fuerit petita ab eodem Pontifice diſpenſatio, ſed hic ſolitus ſit ex illa cauſa diſpenſationem nō concedere; tunc non incongruè aſſererem, diſpenſationē, ſi ab Epiſcopo concederetur, non fore ſubſiſtentem, & validam propter rationem ſuprà adductam, quià tunc non poſset præſumi de voluntate Pontificis; cum potius ex illa conſuetudine conſtaret de contrario.

PRÆNOTIO XIX.

An facultas diſpenſandi ſit ſtrictè, an latè interpretanda.

SVMMARIVM.

Poteſtas diſpenſandi, ſiuè ordinaria, ſiuè delegata eſt ex ſe latè interpretanda. 1.

Poteſtas delegata eſt ſtrictè interpretanda, quando cedit in praiudicium tertij. 2.

Item quando eſt limitata per conſuetudinem. num. 3.

Item limitari debet intra ſeriem caſuum conceſſioni adaptabilium. 4

Item vt non extendatur ad caſus, qui ſunt ſupra poteſtatem concedentis. 5.

Item, quandò eſt cum expreſſione certarum perſonarum. 6.

Facultas delegata diſpenſandi extenditur etiam ad commutandum. 7.

In poteſtate delegata ſimpliciter commutandi non fit extenſio ad poteſtatem diſpenſandi, niſi expreſsè agatur. 8.

TItulus procedere poteſt, vel de poteſtate ordinaria, vel de poteſtate delegata. Rurſus, vel de poteſtate intra limites diſpenſationis, vel de eadem, prout extenditur etiam ad limites commutationum, quatenus poteſtas diſpenſandi extendatur etiam ad poteſtatem commutandi in eo genere materiæ, in quo poteſt eſse diſpenſatio. Rurſus, an poteſtas diſpenſandi v. gr. in votis extendatur etiam quoad iuramenta.

1 Poteſtas diſpenſandi eſt latè interpretā da.

Assertio I. Poteſtas diſpenſandi, ſiuè ordinaria, ſiuè delegata ex genere ſuo eſt latè interpretanda *Gloſa c. hi qui verb. in poteſtate in fine 15 qu. 8.; Bartolus in l. 2. in princip. n. 2. ff. de verb. oblig. Io. Andreas c. fin. n 3. in fin. de ſimon. Abb. c. at ſi clerici §. de adulterijs n. 11 de Iudicijs, Amicus tom. 5. diſp. 6. ſect. 2. n. 21., & ſeqq. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 42. Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 2. n. 1.* vbi innumeros allegat tàm ex iuriſperitis, quam ex Theologis.

Probatio quoad poteſtatem ordinariā.

Quoad poteſtatem ordinariam non poteſt eſſe difficultas, quià, qui eadem gaudet, eſt ſupra ius, in quo diſpenſat, nec limitari poteſt à iure, ſupra quòd eſt, & ſecundum ſe eſt maximè gratioſa, ergo non eſt, cur non ſit latè interpretanda. Confirmatur, quià in tantum diſpenſationes ſunt ſtrictè interpretandæ, in quantum firmo permanente iure in ſuo genere fit declinatio ab eodē in caſu particulari, in quo fit diſpenſatio, ſed per poteſtatem ordinariam diſpenſandi non fit in caſu particulari declinatio, cum per illam ius non lædatur, ergo &c.

Dices primo, poteſtas non attenditur ſecundum ſe, ſed in ordine ad effectum, qui ex illa conſurgit per textum *in l. 1. ff. ſol. matrim.* ſed effectus, quem reſpicit talis poteſtas, eſt odioſus, & ſtrictè interpretandus, ergo, & talis poteſtas erit odioſa, & ſtrictè interpretanda. Sed contra, quià, ſi attendatur poteſtas, prout ordinaria eſt, eſt ſuperior ex genere ſuo ad legem, circa quam poteſt eſſe diſpenſatio, adeoque nequit per effectum ipſius limitari, vt ſupra dicebam; ſi vero ſit delegata, ſemper principale propoſitum inſpicitur, non id, quod venit in conſequentia per textum *in l. rogaſti in princip., & l. ſi quis ff. ſi certum petatur*, id autem, quòd principalter intenditur in conceſſione talis poteſtatis eſt fauor illius, in quem confertur talis poteſtas, non declinatio à lege, ergo &c. — Poteſtas ordinaria non limitatur per effectum.

Dices ſecundo, quod poteſtas conceditur propter exercitium, cæteroqui fruſtranea eſſet, ſed exercitium eiuſdem eſt odioſum, ergo, & odioſa erit eadem poteſtas iuxtà illud *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis* Sed contra, quià licèt poteſtas reſpiciat exercitium tanquam terminum, & effectum, non tamen menſuratur eadem ratione, cum diuerſa militet ratio in vtroque, quandoquidem poteſtas eſt gratia, & fauor, & reſpicit eum, cui ineſt, ſeù cui conceditur, diſpenſatio autem eſt odium, & exorbitantia à iure, aduerſus quod fit; vndè ad illud effatum *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*, dicendum eſt verificari quotieſcunque pro medio, & fine militat eadem ratio, ſecus autem, quandò diuerſa, vt in præſenti hypotheſi.

Quoad poteſtatem verò delegatam ex eo euincitur, quod talis delegatio eſt communicatio poteſtatis ab habente auctoritatem communicandi, ſed hæc communicatio non eſt odioſa, ſed potius fauorabilis, ergò &c. Minor probatur, tum quià per talem communicationem nulli fit præiudicium, non Principi, eo quià liberalitèr, & omninò ſpontaneè confert: volenti autem, & conſentienti nulla fit iniuria; non ei, cui confertur, quià potius fauorem conſequitur, quam præiudicium; non legi, circa quam verſari debet diſpenſatio, quià directè ipſa diſpenſatio in tali conceſſione non attenditur, ſed fauor recipientis; tùm quià fungi vice — Probatio quoad poteſtatem delegatam

Prin-

Digitized by Google

Principis in diſpenſando non importat odium; poſſe autem diſpenſare ex commiſſione Principis eſt vice ipſius fungi.

Dices, maximè odioſum eſt actualitèr diſpenſare in lege, ergò & erit odioſum poſſe diſpenſare. Conſequentia probatur, quiâ odioſa eſt actualis diſpenſatio, quiâ per ipſam fit derogatio iuri communi, ſed per poteſtatem ad diſpenſandum fit derogatio auctoritati Principis, à quo ius ipſum commune dependet, & non minus eſt odioſum vulnerare ius ipſum, ac vulnerare auctorem eiuſdem, ergò &c., Sed contrà, quiâ poteſtas delegata diſpenſandi nulla ratione lædit ius Principis, quin potius oſtentat ipſius auctoritatem, quæ magis eluceſcit ex eo, quod & per ſe ipſum, & per alios poſſit exerceri, quam quod poſſit exerceri tantum per ſe ipſum; Deindè non læditur, quiâ exercetur ex beneplacito ipſius, & quaſi nomine eiuſdē.

Poteſtas delegata nullo modo lædit ius Principis.

Ex his inferre licet primò, quòd, cum huiuſmodi poteſtas diſpenſandi ideò aſſeratur late interpretanda, quiâ eſt fauorabilis, & nulli infert præiuditium, ex contrario ſenſu non ſit extendenda, quando cederet in detrimentum tertij *Felinus in c. poſtulaſti nu. 11. caſ. 2. de reſcriptis Alexander de Neuo c. at ſi clerici § de adulterijs n. 15. de iudicijs Alciatus l. 2. in princip n. 51. verſ. fallit 4. ff de verb. obligat. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 2. n. 3. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 42. verſ. excipitur ſecundo, Amicus tom 5. diſp. 6 sect. 2. n. 21., & ſeqq*; ſic in particulari quamvis Epiſcopus poſſit, diſpenſare cum electo crimino ſo, non tamen poteſt diſpenſare in præiudicium capacis, quando hic ſimul electus eſt. *Innocentius c. dudum el 2. n. 13. de elect. Archidiaconus c. ſi quis de miniſterijs in fin. diſt. 50.*; ſic ſecundo poteſtas legitimandi, quantumvis ſecundum ſe ſit gratioſa non extenditur ad caſum mixtum, quando eſt in damnum tertij *Antonius c. per venerabilem n. 13. quando filij ſint legitimi Felinus c. at ſi clerici §. de adulterijs n. 8. ad fin de iudicijs Iaſon. Inſtit. de tut. §. 1. n. 31. Antonius de Roſellis tract. de legitimatione lib. 2. tit. de cauſa materiali nu. 2. verſ ſed iuxta iſta quaſo*; ſic tertio docent aliqui poteſtatem conferendi beneficia eſſe ſtrictè interpretandam *Aretinus c. dudum el ſecundo n. 13. de elect.*; ſed hoc dictum veritatem non ſapit, niſi quando talis poteſtas cederet in præiuditium alterius à conferente; vndè, ſi Pontifex conferret poteſtatem alicui conferendi beneficia, quorum collatio ad ipſum dumtaxat pertineret, vtique talis poteſtas eſſet amplianda, ſecus vero, ſi conferret alteri poteſtatem huiuſmodi beneficia conferendi, quorum collatio ad Epiſcopum pertineret, quiâ tunc cederet in damnum eiuſdem Epiſcopi *Felinus c. poſtulaſti n. 11. caſ. 2. in fine de reſcriptis, Sanchez de matrimon, lib. 8. diſp. 2, n. 3. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 42. verſ. excipitur 2.* Ratio horum omnium, quæ dicuntur in hac illatione, ea eſt, quiâ non præſumitur Princeps in liberalibus conceſſionibus intendere damnum inferre tertio, niſi expreſſè agat.

Poteſtas eſt ſtrictè interpretā da, quando cedit in præiuditiū tertij.

Nonnulla exempla ad hoc accommodata.

Inferre licet ſecundò, quod non ſit extendenda huiuſmodi poteſtas diſpenſandi, quando per conſuetudinem intra certos terminos eſt limitata *Felinus d. c. poſtulaſti n. 11. verſ. quartus tamen caſus de reſcript, Gambara de auctorit. legati lib. 10. nu. 194.* hocque inductum intelligitur, tum quiâ conſuetudo habet vim legis expreſſæ, tum quiâ diſpenſatio contra talem conſuetudinem ingereret ſpeciem ſcandali.

3 Item quando eſt per conſuetudinē intra certos terminos limitata.

Inferre licet tertio, quòd, quantumvis poteſtas diſpenſandi latè ſit interpretanda, hoc tamen intelligendum ſit intra ſeriem caſuum adaptabilium conceſſioni, non in ordine ad quoſcunque caſus, prout docent *Gambara de auctoritate legati lib. 1. n. 203. Felinus c. fin. n. 8. limit. 1. de ſimonia*; nec incongrua ratione, nam facultas diſpenſandi vniuerſam vim habet à voluntate concedentis talem facultatem, cum autem voluntas concedentis reſtringatur ad certos caſus in aliquo genere, & non ad alios, vtique talis facultas conceſſa debet limitari ad eoſdem, & ad quoſcunque adaptabiles conceſſioni, non ad alios, qui nequeant illi adaptari.

4 Item limitari debet intra ſeriē caſuum conceſſioni adaptabilium.

Inferre licet quarto, quod, cum poteſtas diſpenſandi proueniat à voluntate, & poteſtate concedentis, non ſit extendenda ad diſpenſandum in iure naturali, & diuino quoad ea; quæ à concedente talem poteſtatem ſunt indiſpenſabilia, cum nemo plus iuris valeat alteri conferre, quam habeat in ſe ipſo per textum *in reg. nemo plus iuris 55. ff de reg. iuris*; quoad ea vero, quæ à concedente ſunt diſpenſabilia ex præſumpta Dei voluntate diſtinguendum eſt; vel etenim talia ſunt, vt ſpecialiſſimè Pontifici reſeruentur ob grauitatem materiæ, & non niſi ob cauſam publicam concedantur, vt eſt diſpenſatio in matrimonio rato, & in votis ſolemnibus emiſſis in profeſſione Religioſa, & tunc poteſtas diſpenſandi à Pontifice conceſſa inferiori non extenditur ad illa, quiâ in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſpecialiſſimè ſunt alicui reſeruata; vel talia ſunt, quæ, quantumvis ſint iuris naturalis, & diuini, de facili tamen diſpenſantur, vt ſunt vota ſimplicia caſtitatis, & tunc arbitrandum eſt poteſtatem communicatam ad illa etiam extendi *Felinus c. poſtulaſti num. 12. verſ. tertius caſus de reſcript. Sanchez de matrimonio lib 8. diſp. 2. n. 55.*

5 Item, vt non extendatur ad caſus, qui ſunt ſupra poteſtatē concedentis.

Inferre licet quinto, quod latè ſit interpretanda huiuſmodi poteſtas diſpenſandi, quando eſt conceſſa ſine expreſſione perſonarum, cum quibus poſſit diſpenſari; ſecus vero, quando eſt in ordine ad certas

6 Item non eſt extendenda, quando eſt in ordine ad certas perſonas in conceſſione expreſſas.

Digitized by Google

perſonas in conceſſione expreſſas *Ioannes Andreas c. fin n. 3. in fin. de ſimonia Alciatus l. 2. in princip. n. 50 verſ. fallit. 2. ff de verb. oblig. Coaruuias 4. decret. ſecunda part. c. 8. §. 8. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 2. n. 6. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 42. verſ. ab hac communi ſententia.* Ratio illationis ex eo deducitur, quia, quando conceſſio fit ſine expreſſione perſonarum, eſt fauor, & gratia eius, cui talis facultas conceditur, & vtique actiua, quando vero fit cum expreſſione determinatarum perſonarum, eſt priuilegium paſſiuum earundem perſonarum, cum quibus, ſeù pro quibus facienda eſt diſpenſatio; ſicque primo modo ſumpta appellat poteſtatem ex parte agenti, quæ vtique, vtpotè importans communicationem poteſtatis Principis, eſt latè interpretanda; ſecundo verò modo ſumpta importat potius diſpenſationem paſſiuam, quam poteſtatem diſpenſandi, cum ius quodamodo demat, & ſolum executionem expectet; atque hæc omnia fundantur *in c. ſi cui nulla de præbendis in ſexto*.

7 *Facultas diſpenſandi extenditur etiam ad commutandum.*

Assertio II. Facultas delegata diſpenſandi extenditur etiam ad commutandum *Aragonius 2. 2. q 88. art. 12. Reginaldus lib. 8. nu 339. Sotus de iuſtitia lib 7. qu. 4. art. 3. Henriquez lib 7. c. 30. num 5. Leſſius lib. 2. c. 4 dub. 11. Siluius in 2. 2. qu. 88. art. 12. concl. 4. Diana part. 8. tract 3. reſol. 43.* aduerſus *Sanchez lib 8. de matrimon. diſp. 2. n 15. Valentiam tom. 3 diſp 6. qu. 6. punct. 7. Azorium tom. 1. lib. 11 c. 10. q 4.* Dixi, *facultas delegata*, nam de facultate ordinaria nulli dubium eſt eandem extendi etiam ad commutandum, quandòquidem, qui habet poteſtatem ordinariam ad diſpenſandum in iure, habet ſuperioritatem ad idem ius, adeoque poteſt, vel ſuper vllo diſpenſare, vel illud abrogare, vel commutare.

Probatur; facultas commutandi eſt quid minus, quam ſit facultas diſpenſandi, quinimmò illa tanquam pars includitur in iſta, tanquam in ſuo toto, ergo potens abſolutè diſpenſare poterit etiam commutare. Antecedens probatur, quia per poteſtatem diſpenſandi importatur ius ad diſſoluendum omnino debitum ſine vllo prorſus onere; per poteſtatem vero comutandi non demitur debitum omnino, ſed in aliud transfunditur. Accedit primo, quod delegatus ad diſpenſandum non intelligitur excedere limites ſuæ delegationis, quinimmo fidelius agere partes committentis, ſi tantum commutet in debitum æquale, non vero abſolutè dirimat prius. Secundo, quod potens remittere totū debitum poteſt etiam remittere partem ipſius, ergo potens diſpenſare poterit etiam commutare, quia per commutationem non dirimitur totum debitum, ſed tantum pars. Conſequentia euincitur *ex reg. cui licet 53. de reg. iur. in ſexto*, quam omnes admittunt, quando minus includitur in maiori tanquam pars in ſuo toto; & per hanc rationem eliditur aduerſantium obiectum, quo aſſerunt poteſtates diſpenſandi, & commutandi eſſe poteſtates diuerſas, adeoque non valere argumentum ab vna ad alteram; eliditur, inquam, quia quantumvis ſint diuerſæ, vna tamen includitur in alia, tanquam minus perfecta in perfectiori, poteſtas ſcilicet commutandi in poteſtate diſpenſandi.

Commutatio includitur in diſpenſatione tanquam minus in maiori

Probatur ſecundo, quia, qui habet facultatem diſpenſandi, poteſt partim diſpenſare, ſeù relaxare, partim commutare, vt fatentur *Azorius prima part. lib. 11. inſtit. mor. c. 10. q. 4. Sanchez d. lib. 8 de matrimonio diſp. 2. nu. 15. in fin.* quamvis nobis quoad aſſertionem aduerſentur, qui etiam adducunt rationes primo, quia poteſtas partim commutandi includitur in poteſtate diſpenſandi tanquam neceſſaria ad eam perfectè exercendam, cum regularitèr omnes DD. conſulant, ne omninò diſpenſatio voti concedatur, ſed cum aliqua commutatione. Secundo, quia partim commutare non ſolum eſt quid minus ipſa facultate abſolutè diſpenſandi, ſed in eadem includitur tanquam pars in ſuo toto. Hæc illi; ergo etiam qui habet facultatem ſimpliciter diſpenſandi poterit etiam abſolutè commutare. Conſequentia probatur, tum quia non obſtat quoad hoc, quod poteſtas diſpenſandi, & commutandi ſint diuerſæ, & ſi non obſtat quoad partem, cur debet obſtare quoad totum? tum quia magis fauet iuri, qui ſimpliciter commutat, quam qui commutat pro parte, & pro parte diſpenſat; tum quia, ſi commutatio quoad partem includitur in ipſa poteſtate diſpenſandi, cur commutatio quoad totum in eadem non continebitur? Confirmatur, quia in tantum aduerſarij aſſerunt poteſtatem diſpenſandi non extendi ad poteſtatem commutandi, in quantum ad commutandum requiritur maior ſcientia, & maior peritia, ſed non minus requiritur maior peritia, maiorque ſcientia ad commutandum pro parte, ac pro toto, quandòquidem, ſicuti, vt fiat commutatio pro toto, debet fieri comparatio eius, quod commutatur, & illius, in quod commutatur, vt cognoſcatur, & ſeruetur æqualitas, ita vt fiat commutatio pro parte debet fieri eadem comparatio partis, quæ commutatur ad partem, in quam commutatur, ergo, ſicuti non obſtat poteſtati diſpenſandi, quod fiat commutatio pro parte, ità nec obſtabit, quod fiat pro toto.

Probatio ad hominē contra Azorium, & Sanchez.

Quamobrem ad aliud obiectum, quo aduerſarij aſſerunt, poteſtatem commutandi

Digitized by Google

Peritia nō attenditur, quando eſt poteſtas auferendi.

ſandi nō includi in poteſtate diſpenſandi, eo quià ad diſpenſandum non requiritur tanta peritia, & ſcientia, quanta requiritur ad commutandum, dicendum eſt hæc ad ſummum verificari, quando præcisè committitur poteſtas commutandi, quià debet attendi æqualitas rei, quæ commutatur ad rem, in quam commutatur; ſecus autem quando potentia commutandi includitur in potentia diſpenſandi; ſicuti enim ex commiſſione poteſt debitum relaxare ſecundum totum ſuum eſſe, ita etiam poteſt relaxare ſecundum eſſe inæquale, ſicuti poteſt pro parte diſpenſare, & pro parte commutare, vt admittunt plerique ex DD. contrariæ ſententiæ; nec præſumendus eſt Pontifex, qui conceſſit abſolutè poteſtatem relaxandi, inuitus, ſi habens talem poteſtatem commiſſam relaxet non ſeruata æqualitate ſecundum omnia. Deinde dici poteſt, quod etiam ad diſpenſandum maximè ex commiſſione requiratur ſcientia ad cognoſcendum, an cauſa diſpenſationis ſit legitima, necne, nec videtur maior ſcientia requiri ad cognoſcendam æqualitatem inter commutandum, & commutatum, ac ad cognoſcendam legitimitatem, vel illegitimitatem cauſæ ob diſpenſationem.

Probatur tertio, quià in commutatione duo concurrunt, alterum ablatio prioris vinculi, alterum translatio eiuſdem in aliud, ſed ſuppoſita poteſtate diſpenſandi hoc vtrumque poteſt contingere, ergo &c. Minor quoad primam partem patet, quià per diſpenſationem nomine diſceptante prius vinculum diſſoluitur, quoad ſecundam ſic euincitur, quià ſuppoſita relaxatione prioris vinculi poteſt nihil pro illo ſubrogari, ergo poterit ſubrogari aliquid aliud, quantumuis non ſit cum plana æqualitate, & ſi hoc poteſt ſucceſſiuè, cur non poterit pro eodem contextu conſentiente eo, in cuius fauorem fieri debet commutatio?

Soluitur argumentum aduerſum.

Hic ſolum pro complemento eorum, quæ pertinent ad præſentem aſſertionem remanet argumentum diſſoluendum; quod eſt huiuſmodi, nam, ſi valet argumentū à maiori ad minus in affirmatiuis, non eſt, cur valere non debeat in negatiuis, ſed non valet argumentum. ſi auferatur poteſtas commutandi, aufertur etiam poteſtas diſpenſandi, ergo neque valebit argumentum, ſi conferatur poteſtas diſpenſandi, confertur etiam poteſtas commutandi. Diſſoluetur etenim, ſi aſſeras, hoc argumentum non ſubſiſtere, quià omnia non ſunt paria, quandòquidem ablatio poteſtatis eſt odioſa, quæ propterea eſt ſtrictè interpretanda, & ſic non valet argumentum aufertur, poteſtas commutandi, ergo etiam aufertur poteſtas diſpenſandi; collatio autem poteſtatis eſt maximè fauorabilis, quæ propterea eſt extendenda; & ſic valet argumentum; confertur poteſtas diſpenſandi, ergo etiā commutandi, præcipuè cum hæc includatur in illa tanquam pars in ſuo toto.

ASSERTIO III. In poteſtate delegata ſimpliciter commutandi probabilius eſt, non includi poteſtatem diſpenſandi, niſi ſpecialiter in conceſſione exprimatur.

8

Poteſtas commutādi non inuoluit poteſtatem diſpenſandi,

Ratio deſumitur ex oppoſitis ad ea, quę in præcedenti aſſertione afferebantur; nam quantumvis verum ſit, quòd cui conceditur, quòd maius eſt, intelligatur ſimul, & ſemel cōcedi, quòd minus eſt, maximè quā do hoc in illo includitur tanquā pars in toto, non tamen verum ſit, quòd cui conceditur minus, intelligatur etiam conceſſum id, quòd eſt maius, nam maius trahit ad ſe minus, non autem minus trahit ad ſe maius, ergo conceſſa poteſtate commutandi, non intelligitur conceſſa poteſtas diſpenſandi; cum hæc comparatiuè ad illam ſit quid maius.

Dices ex ſuperius dictis, non valet argumentum, aufertur poteſtas commutandi, ergò etiam aufertur poteſtas diſpenſandi, quià ablatio eſt odioſa, & per conſequens ſtrictè interpretanda, ergò è conuerſo valebit argumentum, confertur poteſtas commutandi, ergò etiam diſpenſandi, quià collatio talis poteſtatis eſt fauorabilis, & per conſequens extendenda. Sed contrà, neganda eſt conſequentia, quià fauorabilia ſunt quidem extendenda in eodem ordine actionum, vel ad ſummum in æquivalenti, non autem in alio ordine, & ſuperiori, cuiuſmodi eſt poteſtas diſpenſandi in ordine ad poteſtatem commutandi.

Nonnullæ inſtantiæ diſſoluuntur.

Vrgebis non valet argumentum, aufertur poteſtas diſpenſandi, ergò etiam aufertur poteſtas commutandi, quamvis poteſtas diſpenſandi ſit quid magis, quam ſit poteſtas commutandi, quià etiam hic verſamur in odioſis, ergò in fauorabilibus æquè valebit argumentum à poteſtate diſpenſandi ad poteſtatem commutandi, ac vice verſa à poteſtate commutandi ad poteſtatem diſpenſandi non obſtante, quod hæc ſit quid magis, & ſuperius, ſi enim in negatiuis ablatio ſuperioris non importat ablationem inferioris, etiam in affirmatiuis, & fauorabilibus inferius includet ſuperius, cum fieri debeat extenſio. Sed contra; poteſtas commutandi dupliciter poteſt conſiderari, vel vt præcisè conceſſa ſecundum ſe, vel vt includitur in poteſtate diſpenſandi; ſi hoc ſecundo modo accipiatur ſublata poteſtate diſpenſandi intelligitur etiam ſublata poteſtas commutandi, quià ſublato fundamento ruunt omnia, quæ fundantur in ipſo; ſi primo modo ſumatur, tunc non trahit ſecum poteſtatem diſpenſandi,

adeóque iſta non conſiderata illa adhuc remanet; nec valet id, quod infertur, quià poteſtas commutandi non includit ex genere ſuo poteſtatem diſpenſandi; & modus ille arguendi omninò inanis, & inefficax eſt, vt per ſe patet.

Hic nonnulla eſſent diſcutienda circa extenſionem poteſtatis diſpenſandi in votis ad poteſtatem diſpenſandi in iuramentis, ſed quià de his ſuprà fusè egimus, ideo ad ea vos remitto.

PRÆNOTIO XX.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Forenſibus, & Peregrinis, etiam ſi pro breui tempore in ipſius Diæceſi commorentur.

SVMMARIVM.

Poteſt Epiſcopus in iure municipali, & communi, in quo de plano diſpenſat cum ſuis, diſpenſare etiam cum peregrinis. 1.

Non poteſt diſpenſare quoad vota, & iuramenta, niſi aduenarum habitatio domiciliaris ſit. 2

Epiſcopus loci, vbi ſcholares habitant cauſa ſtudiorum poteſt quidem cum illis diſpenſare quoad ſacramenta neceſſaria confeſſionis, & communionis, non autem quoad alia voluntaria. 3.

Poteſt tamen vrgente grauiſſima cauſa. 4.

TRES potiſſimum circa præſentem titulum inuenio opiniones. Alteram *Baſilij Pontij de matrimonio lib.* 8 *c.* 7. *num.* 7. aſſerentis Epiſcopum poſſe cum illis diſpenſare in legibus, votis, & iuramentis, cæteriſque omnibus; ſicuti poteſt cum ſuis ſubditis, eo quià Peregrini, & Foreſes ſubdũtur legibus loci, per quẽ trãſeunt. Alteram *Suarez de Religione tom.* 2. *lib.* 6. *de voto c.* 11. *n.* 11. *Panormitani in c. nullus n.* 14. *de Parochis Silueſtri verb. domicilium n.* 4. aſſerentium Epiſcopum non poſſe cum illis diſpenſare, nec cum alijs, niſi habeant domicilium in propria Diæceſi, eaque mouentur ratione, quià quouſque domicilium non acquirunt, non conſtituuntur ſubditi illius Epiſcopi; Alteram *Henriquez lib* 6 *c* 14. *n* 8. *Leſſij lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 18 *n.* 121. *Sanchez lib* 3. *de matrimonio diſp.* 23. *n.* 12. aſſerentium poſſe Epiſcopum cum illis diſpenſare, ſi illuc confluxerint animo permanendi pro maiori anni parte, quià ratione diutinæ habitationis ſortiuntur forum externum, & quaſi domicilium. *[Tres ſententiæ circa titulum aſſeruntur.]*

2 Vt aliquid de his tribus ſententijs percipiamus, & clarius rem hauriamus, diſtinguenda ſunt onera, circa quæ poteſt eſſe diſpenſatio; vel enim procedunt ex diſpoſitione iuris municipalis, & communis; vel ſunt onera procedentia ratione voluntatis ſe obligantis, vel per votum, vel per iuramentum, vel onera ex aliquo ſpeciali impedimento prouenientе, vel iure ſanguinis; vel iure coniunctionis proptèr naturalem reuerentiam, vel aliqua alia ratione reſpectu ſpecialium perſonarum, & in ordine ad hæc omnia dirimenda eſt hæc quæſtio. *[Varij ſtatus quæſtionis.]*

Assertio I. In iuribus municipalibus & communibus, in quibus de plano poteſt Epiſcopus diſpenſare cum ſuis ſubditis, poteſt etiam diſpenſare cum Forenſibus, & peregrinis, etiam ſi breui tempore commorentur in ſua Diæceſi. *Caſtrus Palaus tom* 5. *tract.* 3 *diſp* 6. *punct* 7. § 2 *n.* 5. *Diana part.* 8. *tract.* 3 *reſol.* 47. *verſ. nota tamen*, cum quibus ſaltem in hac parte conſentiunt Pontius allegatus pro prima opinione, & alij aſſerentes poſſe Epiſcopum abſolutè diſpenſare. Limitarem tamen quoad ea, quæ iuris communis ſunt, quando obligatio iuris non reſtringeretur præcisè ad tempus, pro quo ijdem Forenſes, & Peregrini commorantur in Diæceſi eiuſdem Epiſcopi, ſed extenderetur ad aliud tempus, & exigeret tractum eiuſdem temporis ſucceſſiuum: tunc etenim ad ſummum poſſet diſpenſare pro tempore, quo ibi commorantur, non pro quocunque tempore, pro quo ius ipſum obligat. 1 *[In ijs in quibus poteſt de plano Epiſcopus diſpenſare cum ſuis ſubditis poteſt etiam cum forenſibus.]* *[Intellige, quãdo obligatio iuris communis reſtringitur ad tempus pro quo forenſes ibi morantur.]*

Probatur primo, quià pro tempore, pro quo Forenſes, & Peregrini commorantur in loco, ſubduntur legibus loci, & per Epiſcopum poſſunt compelli ad obſeruantiam earundem, ne deformitatem inducant, ergò per Epiſcopum eiuſdem loci poterunt exiſtente iuſta, & legitima cauſa diſpenſari. Conſequentia probatur, quià, ſi per permanentiam licet modicam in loco acquirit Epiſcopus iuriſdictionem ad compellendum ad obſeruantiam legum in tali loco, cur non acquiret etiam iuriſdictionem exiſtente legitima cauſa ad relaxandam obligationem per diſpenſationem ab huiuſmodi legibus? Certè ratio, quæ inducit in Epiſcopo ius ad compellendum ad obſeruantiam, inducit etiam ius ex cauſa ad eximendum ab obligatione, & ipſi Forenſes, & peregrini nimium grauarentur, ſi vndè hauriunt obligationem non poſſent deducere exiſtente cauſa ſubleuamen. *[Poteſt Epiſcopus obligare ad obſeruantiam.]*

Probatur ſecundo, quià Epiſcopus poteſt in legibus municipalibus, & etiam communibus exiſtente legitima cauſa diſpenſare cum vniuerſitate ſuorum ſubditorum, quo in caſu etiam abſoluerentur ab obſeruantia huiuſmodi legum Aduenæ, & Peregrini, ergò etiam exiſtente ſolummodo iuſta cauſa in huiuſmodi aduenis, & Peregrinis poterit ſuper huiuſmodi legibus cum illis diſpenſare, & non

Digitized by Google

& non cum alijs; ſi etenim poſſunt ſimul cum alijs, cur non poterunt ſingillatim diſpenſari? Certè poteſt Epiſcopus exiſtente cauſa in aliquibus ex ſuis ſubditis, & non in alijs cum illis diſpenſare, & non cum iſtis, cur eadem cauſa exiſtente in aduenis, & peregrinis, & non in incolis, & ſubditis non poterit quoad illos diſpenſare, & non quoad iſtos? Certè pro tempore, pro quo commorantur æque ſubduntur legibus, ac illi. Sic in particulari quãdo neceſſitas id poſtulat videmus, quod Epiſcopi indiferenter cum omnibus diſpenſant tempore Quadrageſimæ, & Vigiliarum, vt edi poſſint cibi pro illis temporibus vetiti, quæ diſpenſatio etiam afficit forẽſes, & vt pro diebus feſtis poſſint opera ſeruilia exerceri, & hoc ex præſumpta Summi Pontificis, aliorumque ordinariorum, quibus ſubduntur, voluntate id exigente neceſſitate, quæ crebrò accidit etiã reſpectu forenſium, & peregrinorum.

Exempla euincentia intentum.

ASSERTIO II. In ordine ad vota, iuramenta, & alia ſpecialia impedimenta quoad aduenas, & peregrinos regulariter non poteſt Epiſcopus diſpenſare ex habitatione ipſorum tranſeunte, quinimmo nec ex diuturna, ſi domiciliaris non ſit. Ita *Baſilius Pontius, & Diana loc. ſuprà allegatis*. Moueor potiſſimum ad hoc aſſerendum ex declarationibus Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridẽtini interpretum, quas referunt *Farinatius in Concil. Trident. ſeſſ 24. c. 6. & Panormitanus in c. nullus n 4. de Paroch. Garzias de beneficijs part. 11. n. 139.* quarum etiam meminit *Diana part. 8. tract. 3. reſol 47. verſ. ex habitatione autem diuturna*, per quas aſſeritur, quod Forenſes, & Peregrini poſſint abſolui ab ordinario loci, qua tranſeunt, nõ tamen diſpenſari, & per hoc euincitur, quod ex habitatione tranſeunte Epiſcopus non acquirat ius ad diſpenſandum; quod vero, nec acquirat ex diuturna, dũmodo domiciliaris non ſit, ex alia ſimili ſacræ declaratione congregationis deducitur, per quã ſtatuitur, quod Epiſcopus non poſſit diſpenſare cum Medico, Prætore, & ſimilibus, qui tantum habitant in ciuitate, qui tamen diuturno tempore, & non merè tranſeunter ibi degunt. Ratio autem propter quam huiuſmodi poſſint abſolui, non tamen diſpenſari, ea eſt, quia æquum non eſt, vt quis diu permaneat cum indignatione diuina, & periculo ſalutis æternæ, vnde vbicunque poteſt abſolui; non eſt autem cum illo periculo indignationis diuinæ, & ſalutis æternæ, quod alligatus remaneat illo vinculo, ſuper quo indiget diſpenſatione, donec, vel à proprio Epiſcopo, vel alio ſuperiore habente, vel ordinariam, vel delegatam poteſtatem diſpenſetur exiſtente legitima cauſa diſpenſationis.

2 In ordine ad vota, & iuramento poteſt Epiſcopus quoad aduenas diſpenſare, niſi ab non habitante domiciliaris ſit.

Ratio cur poſſit abſoluere, nõ autem diſpenſare.

Ex hac eadem ratione euincitur, quod Epiſcopus loci, vbi ſcholares cauſa ſtudiorum habitant, poſſit quidem cum illis diſpenſare quoad ſacramenta neceſſaria confeſſionis, & communionis, non autem quoad alia voluntaria, *Panormitanus in c. nullus n 4. de Paroch. Roſella verbo domicilium n. vnico, & ibi Siluester n. 2. Tabiena ad fin.*, vnde etiam *Speculator tit. de diſpẽſat. §. conſequenter n. 5.* docet quod Legatus, cui conceſſum eſt poſſe cum irregularibus in Prouincia ſibi commiſſa diſpenſare, non poſſit diſpenſare cum ſcholaſticis, & alienigenis ibidem ad tempus tantum commorantibus.

3 Poteſt diſpenſare, cũ ſcolaribus, quoad Sacramento neceſſe nõ quoad voluntaria.

Dixi, *regulariter*, non enim negauerim vrgente grauiſſima cauſa poſſe Epiſcopũ Diœceſanum quoad alienigenas, & peregrinos in ſua Diœceſi exiſtentes diſpenſare. V. g. in matrimonio contrahendo ad reſtaurationem alicuius damni illati fœminæ; vel ad legitimandum filium exiſtente parente in articulo mortis, prout docet *Diana d. part 8. reſol. 47. tract 3. verſ. de diſpenſatione autem voti*. Verumtamen cum eodem aduerte hoc munus diſpenſationis in ea hypotheſi Epiſcopum non præſtare ex iuriſdictione ſibi competente ad hoc voluntaria circa forenſes, ſed ex præſumpta voluntate ſuorum ordinariorum, ſicuti etiam diſpenſat vrgente neceſſitate in legibus Pontificijs, non quia ius in illis habeat ex proprio munere, ſed quia legitimè præſumit de voluntate Põtificis.

4 Poteſt tamen vrgẽte grauiſſima cauſa

PRÆNOTIO XXI.

An taciturnitas veri, vel falſi expreſſio vitiet diſpenſationem?

SVMMARIVM.

Taciturnitas veri, vel falſi expreſſio poteſt eſſe vel cauſa impulſiua, vel motiua diſpenſationis. 1.
In quo differat obreptio, & ſubreptio in reſcriptis. 2.
Reſcripta alia gratia, alia iuſtitia, & quid vtraque. 3.
Taciturnitas veri reddit cauſam ſubreptitiã, ſi pertineat ad cauſam finalem, ſecus ſi tantum ad impulſiuam. 4.
Taciturnitas quoad cauſam finalem non irritat, quando illa eſt notoria. 5.
Vel quando iuridicè probaretur non ignorata. 6.
Vel quando veritas, quæ reticetur, non pertineret ad ſubſtantiam diſpenſationis. n. 7.
Quomodo conijci poſſit quod qualitas, quæ reticetur, conferat, vel retrahat à diſpenſatione. 8.
Diſpenſatio obtenta ſuper irregularitate ex homicidio non eſt ſubreptitiã, ſi fuerit reticita

ticita qualitas presbitericidij. 9.

Diſpenſatio ſuper voto Religionis, & perſeuerantia in eadem non eſt ſubreptitia, ſi fuerit reticita qualitas perſeuerantiæ. 10.

Reticita qualitate, quam iura præcipiunt exprimi, inualida foret diſpenſatio. 11.

Item ſi illa qualitas ex ſtilo Curiæ eſſet exprimenda. 12.

Impetrans diſpenſationem reticita qualitate ex timore, quod, ſi non reticeretur, Princeps non eſſet conceſſurus, validè impetrat, ſi ſit ex illis, quæ regulariter ſolent concedi, ſecus ſi ex illis, quæ exigunt ſpeciale mandatum. 13.

Expreſſio falſi irritat diſpenſationem, quando illa pertinet ad cauſam finalem, ſecus quando ad impulſiuam. 14.

Quomodo intelligenda ſit illa clauſula in reſcriptis appoſita, ſi preces veritate nitantur. 15.

Etiam ſubreptitia intelligitur diſpēſatio, ſi ab alio, quam ab ipſo petente fuerit falſitas expoſita pertinens ad cauſam finalem. 16.

Error nominis perſonæ, cui impetratur diſpenſatio, non irritat diſpenſationem. 17.

Non vitiatur diſpenſatio, ſi erretur in nomine Diœceſis. 18.

Nec item, quando falſum eſt expoſitum, quando ex illo facilior ſit diſpenſatio, dummodo illa qualitas adiungatur cauſa demonſtrationis, non taxationis. 19.

Nec item eſt irrita diſpenſatio, quando conſanguineus ad contrahendum cum conſanguinea allegauit copulam, & ex illo ſcandala, cum tamen copula non fuerit ſecuta, immineant tamen ſcandala. 20.

Allegata ſolummodo copula inter conſanguineas, quæ tamen non interceſſerit non tenet diſpenſatio. 21.

Si copula non fuerit commiſſa ante petitionem diſpenſationis, ſed ante executionem eiuſdem non tenet diſpenſatio. 22.

Reſcriptum directum ad ordinarium pro diſpenſatione non ſolum prodeſt ei, in cuius fauorem conceditur pro copula præcedenti ad petitionē ſed etiam pro ſubſequenti. 23.

Tenet diſpenſatio quantumuis copula fuerit habita ex fine illam conſequendi, licet talis finis non fuerit expreſſus. 24.

Etiam tenet, quamuis vinculum certum fuerit expoſitum ſub dubio, dummodo interueniat legitima cauſa. 25.

Diſpenſatio conceſſa à Pontifice abſque præuia petitione, quamuis impedimentum ſubſit, tenet. 26.

Secus ſi fiat præuia petitione, & vitium ſubreptionis cōtingat ex expreſſione falſa cauſæ finalis, quāuis dicatur motu proprio. 27.

Si fiat ad petitionem partis ex taciturnitate cauſæ finalis, tunc clauſula motu proprio purgat ſubreptionem. 28.

Limita, niſi illa taciturnitas læderet ius tertij. 29.

Item niſi qualitas, quæ reticetur, importet inhabilitatē perſonæ, cui confertur gratia. 30.

Taciturnitas veri vel falſi expreſſio irritat totum reſcriptum, ſi totum concernat. 31.

Siue proueniat ex dolo, ſiue ex ignorantia. 32.

Si vero taciturnitas veri, vel falſi expreſſio reſpiciat vnam tantum partem reſcripti, & altera pars ſit omnino ſeparata, vitiat tantum reſcriptum in ea parte, in qua contingit error. 33.

Pœna delicti non extenditur vltra caſum expreſſum. 34.

Si reſpiciat vnam partem reſcripti, quæ habeat connexionem cum alia, ſint tamen ſeparabiles adinuicem quoad valorem, valet reſcriptum quoad partem, in qua non contingit error, ſi fuerit ex ignorantia, ſecus ſi ex dolo. 35.

Impetrata duplici diſpenſatione ſecunda irritatur non facta mentione primæ, ſi inter ipſas fuerit diſſonantia, ſecus non. 36.

Limita primo in caſu, quo prima diſpenſatio eſſet ipſo iure nulla. 37.

Secundo in caſu, quo ſuperueniret noua cauſa ex qua Princeps præſumeretur conceſſurus ſecundam, quamuis nouiſſet primā. 38.

Tertio in caſu quo concedens poſteriorem gratiam amplam noſset prioris limitationem ex eo, quod ex ſtilo cancellariæ ſoleat talis limitatio apponi. 39.

Diſpenſatio ſecunda ſuper delicto in eodem genere non tenet non facta mētione primæ. 40.

Secus ſi ſecunda fuerit ſuper delicto in diuerſo genere. 41.

Quando plura concurrunt impedimenta non ſunt ex neceſſitate omnia ſimul exponenda. 42.

Excipe, niſi taciturnitas eſſet doloſa. 43.

Item niſi impedimenta eſsent connexa. 44.

Item, niſi iura præciperent omnia ſimul exponi. 45.

IAm incipimus examinare ea, quæ non ex defectu poteſtatis in diſpenſante, nec ex inhabilitate diſpēſandi vitiare poſſunt diſpenſationem, ſed ex expreſſione eorum, quæ veritati non innituntur, vel taciturnitate eorum, quæ vera ſunt, quæque, ſi exprimerentur, vel ſuſpenderent abſolutè animum concedentis, vel non ità facile inducerent ad concedendum.

Vt autem clarius, quantum fieri poteſt, in hac quæſtione difficili procedamus, aduerte primo, taciturnitatem veri, vel falſi expreſſionem in ordine ad mouendam voluntatem concedentis poſſe dupliciter ſe habere; primo, quatenus eadem expreſſio falſi, & taciturnitas veri talis ſit, vt ſi verum non eſset tacitum, nec falſum expreſſum, adhuc Princeps diſpenſationem concederet, licet non ita facilè, nec ita propensè, qua ratione, illa taciturnitas veri, vel falſi expreſſio dicitur dumtaxat cauſa impulſiua ad concedendum, prout notant in ſimilibus *Abbas c. poſtulaſti nu.* 1. *not.* 4.

1 Poteſt eſse vel cauſa impulſiua vel motiua.

not. 4. de reſcripti Coaruuias lib. 1. var. c. 20. n. 5. verſ. his ita breuiter, Iaſon in l. p nu 1. C. ſi contra iut, Tiraquel tract ceſſante cauſa limit. 1. nu. 11. Alexander conſ 161. in fin. vol. 7.; Secundo, quatenus expreſſio falſi, vel taciturnitas veri talis ſit, vt, ſi falſum non eſſet expreſſum, nec tacitum verum, Princeps abſolutè diſpenſationem non conceſſiſſet, qua ratione dicitur cauſa verè finalis diſpenſationis, cum inducat ad concedendum, ſine qua non concederetur *Molina de iuſt. tom. primo tract 2. diſp. 173. verſ. vt item legitimatio, Emanuel Sà verb. Gratia nu. 10. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 3. caſ. 201. nu. 3. Amicus tom. 5. diſp 6. ſect. 8. n. 114. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 50. in principio.*

2 Diſcrimen inter obreptionem, & ſubreptionem.

Aduerte ſecundo in ordine ad hanc taciturnitatem veri, & falſi expreſſionem nonnullos quandoque inducere, & cognoſcere ſubreptionem in reſcriptis, quandoque obreptionem tanquam ſpecies inducentes inualiditatem inter ſe diſtinctas, quatenus intelligatur ſubreptio, quando Princeps perfectè intellexit tenorem precum, prout expoſitæ ſunt, ſed in eiſdem reticita eſt veritas, vel expreſſa falſitas, obreptio vero quando per verborum inuolucra in expoſitione precum veritas ità confusè expoſita eſt, vt effugiat plenam Principis intelligentiam. *Innocentius c. cum dilecta nu 3. de reſcriptis, & ibi Imola n. 10. Barbatius conſ. 49. n. 6. in fin. vol. 4*, vel quatenus veritas tacetur, vel inuolucris verborum cælatur, dicatur ſubreptio, quatenus vero falſum exponitur dicatur obreptio, prout ſentiunt multi apud *Menochium de arbitrarijs lib. 2. cent. 3. caſ. 201. n. 9.*; ſed hàs differentias minimè agnoſco, vndè exiſtimo, quod æque poſſint dici obreptitia, vel ſubreptitia reſcripta, quando impetrantur, ſiuè tacita veritate, ſiuè falſitate expreſſa, & eſt diſcrimen ſolummodo quoad nomen, non quoad rem, prout docent *Decius c. ſuper litteris in noua edit. not. 1. n. 4. de reſcriptis, & alij plurimi.*

3 Reſcripta alia gratiæ alia iuſtitiæ.

Aduerte tertio reſcripta, circa quę poteſt verſari periculũ ſubreptionis, vel obreptionis alia eſſe gratiæ, alia iuſtitiæ. Prima sũt, quæ conceduntur in ordine ad beneficia merè gratuita, diſpenſationes non debitas aliquo titulo, aliaſque gratias, libere conceſſas, ſeù concedendas. Secunda ſunt, quæ impetrantur in ordine ad lites forenſes ſedandas, vt ad committendam cauſam iudici in foro externo. De diſcriminibus, quæ procedunt in ordine ad hæc reſcripta fusè agit *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 21. nu. 3., & ſeqq.* ad quem vos remitto.

Ea, quæ ſub præſenti titulo examinabuntur, hæc erunt primo, an, & quando taciturnitas veri intelligatur inuoluere ſubreptionem, vel obreptionem, & irritare diſpenſationem. Secundo, an, & quando expreſſio falſi. Tertiò, an taciturnitas veri, vel falſi expreſſio, quoad vitium ſubreptionis, vel obreptionis ſuppleatur, quando in reſcripto gratiæ, vel diſpenſationis apponitur clauſula motu proprio. Quarto, an, quando taciturnitas veri, vel falſi expreſſio lædi reſcriptum in vna parte, intelligatur lędere quoad totum, an verò tantum quoad eam partem, in qua læditur. Quinto, an impetrata vna diſpenſatione quoad idem vinculum, ſi alia ſuper eodem impetretur non facta mentione primæ, ſeù prima reticita intelligatur ſecunda ſubreptitia, vel obreptitia. Sexto, an quãdo plura cõcurrunt vincula ſeù impedimenta reddãtur diſpenſationes irritæ, ſi non omnia ſimul in eadem diſpenſatione exprimantur, ſed ſucceſſiuè ſingula in ſingulis non facta mentione prius obtentarum, & alia huiuſmodi. Articuli examinandi.

4 Taciturnitas non reddit gratiam ſubreptitiam; ſi pertineat ad cauſam finalem ſecus ſi ad impulſiuam.

Assertio I. Regularitèr loquendo taciturnitas veri reddit gratiam diſpenſationis irritam, quando pertinet ad cauſam finalem, hoc eſt ſi veritas exprimeretur, per Principem non concederetur, ſecus, ſi pertineret tantum ad cauſam implſiuam, hoc eſt, ſi exprimeretur, adhuc gratia concederetur, ſed non ità facilè, & propensè *Molina de iuſtit. tom. 1. tract. 2. diſp. 173 verſ. vt item legitimatio Goaruuias lib. 1. var. c. 20. n. 5. Menochius de arbitrarijs lib. 2. cent. 3. caſ. 201. n. 3. Amicus tom. 5 diſp 6. ſect. 8. nu. 114 Gloſa c dudum verb de ipſa de prabend. in ſexto, Speculator tit. de diſpenſatione §. dicendum reſtat n. 12. verſ. quid ſit Innocentius c. dudum el 2. n. 15. de elect. Lupus allegat. 89. factum ſuper quo in ſexto, Silueſter verbo reſcriptum q. 6.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià tota vis conceſsionis, ſeù gratiæ diſpenſationis dependet à voluntate Principis concedentis, ſeu diſpenſantis, ſed ſtante taciturnitate veri, quæ pertinet ad cauſam finalem non intelligitur voluntas efficax Principis concedentis, ſeù diſpenſantis, ergo non intelligitur valida conceſſio, ſeù diſpenſatio. Minor, in qua ſita eſt difficultas, ſic euincitur, quia motiuum ſeù ratio finalis, à qua mouetur Principis voluntas ad diſpenſandum, ſeù concedendum reſcriptũ, eſt defectus cognitionis illius qualitatis inexiſtentis, quæ non fuit expoſita, quæque, ſi fuiſſet expoſita, Princeps beneficium diſpenſationis non contuliſſet, ſed deficiente ratione finali, à qua mouetur voluntas, non intelligitur eadem voluntas relata ad conceſſionem, ergo &c. Confirmatur primo. *ex c. fin. de filijs presbyt. in ſexto*. Vbi deciditur non fuiſſe validam diſpenſationem ad beneficium ab illegitimo obtentam, qui aliud beneficium impetrauerat, & de eo nullam

Non intelligitur voluntas efficax Principis.

ſam mentionem fecerat propter eam rationem ibidem adductam, *Cum non ſit veriſimile ſedem ipſam cum illo prædictum patiente defectum voluiſſe, ſi hoc fuiſſet expreſſum, diſpenſare*, ergo &c. Confirmatur ſecundo, quià quando militat illa clauſula, *ſi cognouiſſet, non conſenſiſſet*, perindè eſt ac ſi in origine conceſſionis diceretur, *Conſentio, ſi ità eſt, & qualitas illa, quæ reticetur, non inexiſtat*, ſed quando ponitur conceſſio ſub hac conditione inexiſtente illa qualitate non ſubſiſtit, ſiquidem non verificatur conditio, ergo neque &c. Confirmatur tertio ex textu *in l. cum tale §. falſam cauſam ff. de condit., & demonſt.* vbi dicitur legatum vitiari ex cauſæ defectu, ſi conſtaret, quod teſtator cognita veritate non legaſſet, ergo etiam &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod habetur *in c. dudum verſ. Nos igitur de prabend. in ſexto*, vbi ſic legitur *Conſiderantes quoque, quod nos expoſito nobis de poteſtate prædicta, nihilominus literas gratioſas daremus*, & ibi non obſtante taciturnitate veri, eo quià non pertineret ad cauſam finalem conceſſio beneficij dicitur ſubſiſtere. Confirmatur primo, quià, quando qualitas, quæ reticetur, non eſt talis, vt abſolute retraheret à conceſſione, non tollit voluntarium quoad ſubſtantiam eiuſdem conceſſionis, ergo non eſt, cur non debeat quoad ſubſtantiam ſubſiſtere eadem conceſſio non obſtante taciturnitate talis qualitatis. Conſequentia tenet, quià poſitis omnibus requiſitis ad ſubſtantiam conceſſionis eadem non tollitur per defectum circà qualitatem, cum qualitas non afficiat ſubſtantiam. Antecedens probatur, tum quià, qui conſentit in ſubſtantiam, quamvis erret in qualitate, valide contrahit, & obligatur ad contractum, ergo error quoad qualitatem non demit voluntarietatem quoad ſubſtantiam requiſitam; tum quià quando reticetur qualitas, quæ ſe habet tantum, vt cauſa impulſiua, & nihilominus conceditur gratia, ſupponitur cauſa finalis ſufficiens ad eiuſdem conceſſionem, ergo ſupponitur voluntas efficax, & omninò libera ad ſubſtantiam, quamvis inuoluntaria ſecundum quid quoad illam qualitatem; poſito autem ſufficienti, & efficaci conſenſu ad ſubſtantiam conceſſionis non eſt cur, non debeat ſubſiſtere ipſa conceſſio.

Sunt omnia ſubſtantialitèr requiſita ad diſpenſationem.

Quoad primam tamen partem aſſertionis limita primo in hypotheſi, qua veritas, quæ tacetur, eſſet notoria, tunc enim non induceret ſubreptionem, nec obreptionem, cum non induceret ignorantiam, nec defectum intentionis in Principe concedente, ſeù diſpenſante, prout his verbis docet *Sanchez lib. 8. de matrimon diſp. 21. n. 29. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 50. verſ.* dicendum eſt in fin. Felinus c. in noſtra nu. 15. corol. 5. de reſcript. Nauarrus lib. 3 conſil. in vtraque edit. tit. de feud. conſ. 1. n. 2., & ſeqq., & alij plures.

5 *Taciturnitas veri nō irritat, quādo veritas eſſet notoria.*

Limita ſecundo in hypotheſi, qua licet veritas, quæ tacetur, non eſſet notoria, probaretur tamen per teſtes, vel alio modo iuridicè non ignorata fuiſſe à Principe concedente, ſeù diſpenſante, prout cenſuiſſe Rotam Romanam aſſerit *Flaminius de reſignat. benef. lib. 10. q. 2. nu. 9, & Diana d. part. 8. tract. 3. reſol. 50. verſ. ſicque in diſpenſatione in fin.*, cum etenim tunc conſtaret Principem non ignoraſſe veritatem non expoſitam, & nihilominus cōceſſiſſe, præſumendum eſt, quod, ſi fuiſſet illa veritas expoſita, adhuc fuiſſet gratia conceſſa, dum actu fuit conceſſa cum præſumpta, & probata ſcientia in Principe concedente.

6 *Vel quandò iuridicè probaretur non ignorata.*

Limita tertiò in hypotheſi, qua veritas, quæ reticetur, non attineret ad id, quod pertinet ad diſpenſationem obtinendam, quamuis illa cognita Princeps gratiam diſpenſationis non concederet, tunc etenim conceſſio adhuc ſubſiſteret *Gloſa in clement. 1. verb. alteri de præbend. Flaminius de reſignat. beneſic. lib. 6. q. 2. n. 86. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 2. n. 6. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 56. art. vlt. dub. 25. diffic. 2. concl. 2.* Pro cuius limitationis claritate nota qualitates, quæ, ſi eſſent cognitæ à Principe, ipſum retraherent à cōceſſione, eſſe in duplici differentia, alias ſcilicet extrinſecas, quæ ſecundum ſe non conferunt ad diſpenſationem, nec retrahunt, ſed tantum ex affectu diſpēſantis; alias intrinſecas, quæ nimirum pertinent ad id, circa quod diſpenſatio eſt obtinenda, & ſecundum ſe, vel conferūt, vel retrahūt à diſpenſatione, non ex mero affectu diſpenſantis. Limitatio procedit quoad qualitates primi generis, & extrinſecas, non quoad intrinſecas. Ratio autem ea eſt, quià reticētia quoad huiuſmodi qualitates extrinſecas pertinet potius ad cauſam impulſiuam, quam ad finalem, quod ea ratione euincitur, quod præſumendum eſt, quod voluntas Principis conformetur diſpoſitioni iuris per textum *in l. ex facto in princip. ff. de vulgari*, non præcisè affectui diſpenſantis; vndè, quandò diximus in aſſertione taciturnitatem eorum, quæ pertinent ad cauſam finalem irritare diſpenſationem, hoc intelligendum eſt quoad ea, quæ ſpectant ad dictam cauſam finalem ſecundum ſe, & ex diſpoſitione iuris, non præcisè ex affectu diſpenſantis. Quis enim diceret ſubreptitiam eſſe diſpenſationem, quam quis obtinuit verbi gratia ad beneficium non exprimendo, quod alius valdè familiaris Pontifici concederiti mox ſit petiturus idem beneficium, quod certè, ſi ſciuiſſet Pontifex, illud primo petenti non

7 *Vel quandò veritas, quæ reticetur non pertineret ad ſubſtantiam diſpenſationis.*

Intellige de qualitatibus extrinſecis.

Digitized by Google

non conceſſiſset? Quis aſſereret donationes merè gratuitas, ſeù eleemoſinas factas pauperi non ſubſiſtere exiſtente verè paupertate in eodem, licet reticitæ ſint aliæ qualitates extrinſecæ, puta crimina, & prodigæ profuſiones, quas donans, ſi cognouiſset, non donationes fuiſset elargitus? Quis damnaret tanquam inualidam conceſſionem beneficij factam à Pontifice in fauorem ſacerdotis multis criminibus irretiti, quamvis, ſi cognouiſset crimina, non conceſſiſset?

8 Quomodò coniectandum ſit, quod qualitas, quæ reticetur, conferat, vel retrahat à diſpenſatione

Si autem quoad hanc limitationem inquiras, quandonam huiuſmodi qualitates, quæ reticentur ſecundum ſe conferant, vel retrahant à diſpenſatione, quandò nec ex ſtilo curiæ, nec ex diſpoſitione iuris, nec ex Principis conſuetudine ſunt exponendæ; communitèr reſpondent, hoc arbitrio prudentis relinquendum, *Tiraquel tract. ceſſante cauſa limit. 1. n. 11. Nauarrus c. ſi quando except. 3. n. 3. de reſcript. Gutierez qq. canon. lib. 2. c. 15. nu. 44. Menochius de arbit. lib. 2. cent. 3. caſ. 201. nu. 29.* Hoc autem prudens iudicium debet conformari, quantum poteſt, diſpoſitioni iuris ſtilo curiæ attentis alijs ſimilibus reſcriptis. Quando autem attentis omnibus circunſtantijs non apparet, an potius huiuſmodi qualitates pertineant ad cauſam finalem, an ad cauſam impulſiuam, crediderim potius pertinere ad cauſam merè impulſiuam, quià iura ſemper præſumunt pro valore actus, *Cordoba in ſumma q. 45. opin. 1. punt. primo in 2. ratione, Rebuffus in concordatis in forma mandati Apoſtolici paulo poſt principium verb. morum honeſtas verſ. in dubio, Menochius conſ. 106. n. 92. vol. 2.*, quidquid ex aduerſo dixerint *Abbas c. quià circa n. 6. in fin. de conſang. Baldus conſ. 355. præmittendum n. 2. lib. 1, &* alij aſſerentes ſemper præſumendũ eſse, Principem fuiſse motum ex cauſa in diſpenſatione expreſsa, quod non verificatur, quandò iam conceſſa eſt diſpenſatio, & dubium indè verſatur; an ex alia cauſa reticita Princeps fuiſset diſpenſaturus, nec ne, ſi fuiſset expoſita, quià ſemper præſumendum eſt pro valore actus, quandò ratio non ſuadet contrarium.

Iura regulariter præſumit pro valore actus.

9 Non eſt ſubreptitia diſpẽſatio ſuper irregularitate ex homicidio, ſi fuerit reticita qualitas presbitericidij.

Ex dictis in hac vltima limitatione inferendum eſt, quod, ſi quis obtinuerit diſpenſationem ſuper irregularitate ex homicidio, hæc non intelligatur obreptitia, vel ſubreptitia, ſi fuerit reticitas qualitas presbitericidij *Pontius de matrim. lib. 8. c. 15. §. 4. n. 24. Molina de iuſt. tom. 3. tract. 3. diſp. 19. n. 9. Taxeda in Theolog. mor. tom. 2. lib. 3. n. 187. Merolla tom. 2. diſp. 4. c. 6. n. 360. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 21. n. 22. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 51.*, quidquid ex aduerſo dixerint *Naldus in ſumma verb. irregularis; Perez de matrimon. diſp. 46. ſect. 4. n. 7. Gordanus in ſumma lib. 2. q. 13. c. 6. n. 19. Nauarrus lib. 5. conſil. in 2. edit. tit. de homicidio conſ. 4. n. unico, Manuel. 1. tom. ſumma in 2. edit. c. 179. concl. 5. n. 10.* Ratio illationis ex eo deducitur, quià qualitas presbitericidij eſt omninò extrinſeca in ordine ad ius inferens irregularitatem, quandòquidem hæc inducta eſt ob defectum lenitatis in homicidio præcisè ſumpto, & licet illa qualitas aggrauet delictũ, non tamen ratione maioris grauitatis hæc pæna inducitur, ſiquidem ſunt grauiora delicta, quibus non eſt annexa irregularitas, ergò, quantumvis, ſi illa qualitas exponeretur, non concederetur diſpenſatio, quià tamen hæc eſt omninò extrinſeca iuxtà ſuperius dicta, non reddet diſpenſationem ſubreptitiam, vel obreptitiam; Neque obeſse poteſt, ſi aſseratur, quod iura obligent exprimi delictum ſecundum ſuam ſpeciem, ob quod contracta eſt irregularitas; hoc autem eſt presbitericidium, non ſimplicitèr homicidium; ergò &c. Non, inquam, obeſse poteſt, quià iura quidem obligant ad exprimendum delictum ſecundum eas qualitates, proptèr quas inducta eſt irregularitas, non tamen ſecundum alias, quæ licet grauiores ſecum non trahunt irregularitatem, niſi ratione delicti, cui adijciuntur, ſic irregularitas in præſenti hypotheſi non eſt inducta ratione qualitatis presbitericidij, ſed ratione homicidij, cui in ordine ad hunc effectum omninò extrinſecè, & per accidens adijcitur qualitas, quod occiſus fuerit præsbiter.

10 Diſpenſatio ſuper voto Religionis elicito cum propoſito perſeuerandi non eſt ſubreptitia, ſi fuerit reticita qualitas perſeuerantiæ.

Inferendum ſecundo, quod, ſi quis non ſolum vouerit Religionem, ſed etiam in eadem perſeuerare, & impetret diſpenſationem exprimens ſolummodò votum Religionis, non autem votum perſeuerantiæ in eadem, ſubreptitia, & inualida non ſit diſpenſatio *Aragonius 2. 2. q. 88. art. 3. circà ſolutionem ad ſecundum, Sotus lib. 7. de iuſt. q. 2. art. 1. ad tertium, Petrus de Ledeſma tom. 2. ſumma tract. 10. c. 3. dub. 7. caſu 4. Leſſius lib. 2. c. 41. dub. 5. n. 46. Suarez de Religione tom 3. lib. 4. c 4. n. 2.*, qui tamen duo poſtremi ſolum aſserunt eſse probabilem, abſolutè tamen eam tenet prætèr citatos *Taxeda in Theolog. mor. tom. 2. lib. 3. tract. 3. n. 183.* Ratio ex eo deducitur, quià ſtante vero voto Religionis ſine vlla limitatione, ſeù exceptione emiſso votum perſeuerantiæ nihil addit, quod habeat rationem diuerſi vinculi, ſed tantum rationem maioris expreſſionis, ergò votum perſeuerantiæ, quantumvis non exprimatur, non reddet diſpenſationem ſubreptitiam, & inualidam. Conſequentia tenet, quià vbi illud votum nil addit ſubſtantiale ſufficientèr exprimitur, quidquid requiritur ad ſubſtantiam eiuſdem diſpenſationis, dum exprimitur votum Religionis, vt Religionis, quinimmò illa

expreſſio perſeuerantiæ eſt omninò extrinſeca ad ſubſtantiam, & effectum eiuſdem diſpenſationis. Antecedens probatur, quià votum Religionis, vt Religionis non eſt votum de ſolo habitu ſuſcipiendo, ſed de perſeuerando in illo media profeſſione, ergò ſecundum ſe obligat ad perſeuerandum; tum quià votum Religionis, vt ſit reſeruatum Pontifici, & ab alio quocunque inferiori indiſpenſabile, debet eſſe perpetuum quoad intentionem vouentis, nec ſufficit, quod fuerit ad tempus, cæteroqui non eſſet reſeruatum, ſicuti non eſt reſeruatum votũ caſtitatis ad tempus, ergò ſecundum ſe obligat ad perſeuerandum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, cum *Nauarro in ſumma c. 12. n. 47. Philiarcho de offic. ſacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 20. verſ. idem etiam*, *Ludouico Lopez lib. 1 inſtruct c 44. n. fin. Manuel 2. tom ſumma c. 95. concl. 7. n. 7. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp 21. n. 23.* maximum eſſe diſcrimen inter votum ſimplex Religionis, & votum perſeuerantiæ in eadem, ſiquidem votum ſimplex Religionis obligat ad ſolum ingreſſum bona fide, ità vt tempore Nouitiatus liceat ex iuſta cauſa egredi, perſeuerantiæ autem votum obligat ad profitendum. Non, inquam, obeſſe poteſt, quià ſiuè votum ſimplex Religionis emiſſum fuerit, ſiuè etiam votum perſeuerantiæ in eadem non poteſt vouens obligari ad profeſſionem, niſi præmiſſa probatione, cum ad hoc obliget forma iuris, ſed durante probatione non obſtante, quod votum perſeuerantiæ emiſſum fuerit, poteſt vouens æque egredi, ſi Religio incongrua viſa fuerit, ſicuti poteſt, cum voto Religionis ſuſcipiendæ ſimplicitèr alligatur, ergò &c. Minor, in qua ſita eſt difficultas, ſic euincitur, quià votum perſeuerantiæ intelligitur emiſſum ſub conditione, ſi durante tempore probationis ipſe Religioni, & Religio ipſi idonea inueniatur, & hæc conditio eidem voto ex diſpoſitione iuris tacitè ineſt, ergò &c. Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ſupra dicta ſunt ſub hoc *eod. tit. pranot 11. aſſert. 2. verſ. 7.*, *quod votum perſeuerandi*, nempè votum perſeuerandi eſſe virtute diuerſum à voto Religionis, hocque obligare in omni euentu, & eſſe diſpenſabile ab Epiſcopo; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià diuerſitas, quæ fuit ibi conſiderata, non eſt diuerſitas, niſi ſecundum modum, & diuerſam expreſſionem, & licet dicatur obligare in omni euentu, hoc intelligendum eſt, quantum eſt ex vi præciſè voluntatis eiuſdem vouentis, non quando apponitur aliquid in probatione, quando iuſtè eximat ab onere perſeuerantiæ, & ſi dictum fuerit votum perſeuerantiæ eſſe diſpenſabile per Epiſcopum, hoc intelligendum eſt, ſecundum quod importat expreſſam extenſionem; Cæterum, vel illud votum perſeuerantiæ tangit ipſius voti ſubſtantiam, vel non; ſi tangit eam, non eſt diſtinctum; ſi non, eſt extinctum, & pertinet potius ad cauſam impulſiuam, quam finalem.

Quoad ſecundam partem aſſertionis limita etiam primo in hypotheſi, qua iura ſpecialiter iubent exprimi qualitatem, quamvis præſumptiuè certum eſſet, quod, ſi ea exprimeretur, adhuc Princeps foret conceſſurus gratiam diſpenſationis; tunc etenim foret ſubreptitia, & inualida diſpenſatio, ſi non eſſet expreſſa illa qualitas à iure præſcripta. *Gloſa in clement. 1. verb. vel alteri de præbendis, Flaminius de reſignat benefic. lib. 6. quæſt. 2. num 86 Rodriquez 1. part ſumma in prima edit. c 238, n. 1. Sanchez de matrimon. lib 8. diſp. 21. n. 13. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 50.*, & in ſimilibus *Dominicus c. dudum n. 15. de præbend. in 6. Ripa reſpon. 14. n. 6. de reſcript. Felinus c. ſuper literis n. 2. limit 1.*, *& c ad aures n. 12. concl. 9. de reſcript. Rebuffus in concordatis in forma mandati Apoſtolici poſt 30. narrandum verſ. notandum eſt tamen.* Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quià quotieſcunque iura iubent certam qualitatem exprimi, eam intelliguntur velle pro forma, ſed forma eſt ad vnguem obſeruanda etiam in minimis per textum *in l. 1. ff. de lib., & poſth.*, ergò &c. Confirmatur, quià ſemper ſupponitur Princeps gratias, & indulta concedere ad normam iuris, & non alitèr, niſi exprimat, ergò, ſi non fuerint ſeruata ea, de quibus iura diſponunt, non intelligitur gratia ab eo libere, & voluntariè conceſſa. Hinc in particulari deduces primo, quod, ſi quis vno gaudens beneficio aliud impetrauerit non facta mentione, nec expoſitione primi ſubreptitia, & inualida ſit eiuſdem ſecundi impetratio, eo quià iura iubent huiuſmodi qualitatem exprimi per textum *in cap. ſi motu proprio de præben. in 6.* ſecundo deduces, quod quamuis verbis expreſſis non inueniatur in iure deciſum aliquam qualitatem eſſe exprimendam, ſufficientèr tamen intelligi hoc deciſum, ſi in iure inueniatur diſpoſitum, ne delictum aliquod remittatur, vel ne in aliquo caſu diſpenſetur, & hac ratione inualida cenſenda eſt diſpenſatio impetrata ab eo, qui ſcientèr contraxit matrimonium in gradu prohibito non facta mentione talis matrimonij ex eo præciſè, quod concilium Trident. *ſeſſ. 24. de matrimon. cap. 5.* ſtatuerit hunc ſpe diſpenſationis carere.

20 Reiicitã, qualitate quam iura iubent exprimi inualida foret diſpenſatio.

Limita ſecundo in hypotheſi, qua non exprimeretur in petitione qualitas, quæ ex ſtilo Curiæ eſſet exprimenda, *Decius in c. ad aures in noua edit. concl. 2. nu. 38. de reſcript. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 3. caſ. 201. num. 28. Maſcardus de*

21 Item, ſi illa qualitas ex ſtilo Curiæ eſſet exprimenda.

probat.

Digitized by Google

probat. concl. 846. *num.* 8. *Rebuffus in concordatis in forma mandati Apoſtol. vbi explicat narranda in beneficij impetratione poſt num.* 30. *verſ. & poſtquam alia omnes qualitates, Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 21. *num.* 16. *Diana parte* 8. *tract.* 3. *reſol.* 50. Ratio eſt, quia ſtilus curiæ habetur pro Iure, per textum *in c. quam graui de crimine falſi*, ergo eodem modo qualitas à Iure præſcripta exprimenda eſt, quo à ſtilo Curiæ, & viceuerſa, & hac ratione crederem exprimendam eſſe ſub pœna vitij obreptionis, ſeu ſubreptionis qualitatem, quæ ex conſuetudine Principis narranda eſt, quia etiam conſuetudo pro lege obſeruatur, *l. minimè ff. de legib.* & ex hac, & præcedenti limitatione deduci poteſt inualidam quoque fore diſpenſationem, ſi qualitas, vel de iure, vel de ſtilo Curiæ Romanæ, vel de conſuetudine Principis exponenda, ex ignorantia fuerit omiſſa, quia ignorantia, quidem excuſat à culpa, non efficit tamen actum validum, cum deficiat forma, *Gloſa c. ſi motu proprio verb. taceatur de præbend. in ſexto, Decius c. ſuper literis in noua edit. nu.* 18. *de reſcript.*

Ex ijs, quæ dicta ſunt quoad hanc ſecundam partem, & limitationes in eadem appoſitas, oritur controuerſia, an ſi quis petat facultatem à ſuperiore diſpenſandi in caſu, quem data opera non explicat ex timore, ne ſuperior ſit conceſſurus, valida intelligatur diſpenſatio. Cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo, vel etenim caſus, ſuper quo petitur facultas diſpenſandi, eſt ex ijs, qui regularitèr ſolent per ſuperiorem concedi, vel ex ijs, qui non veniunt in generali conceſſione, ſed exigunt ſpeciale mandatum; ſi fuerit primi generis non eſt dubium, quod diſpenſatio ſubſiſtat, quia ſuponitur ſufficiens facultas in diſpenſante, nec ſuperior ſupponitur negaturus, cum ſoleat in ſimilibus concedere; ſi fuerit ſecundi generis, probabilius eſt, quod non teneat diſpenſatio defectu voluntatis concedentis poteſtatem ad diſpenſandum, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ exigunt ſpeciale mandatum, quæque veriſimilitèr non concederentur, ſi ſpecialiter peterentur.

13 **Quandonam ſit valida, quando reticeatur qualitas ex timore, quod ſuperior non eſſet conceſſurus.**

14 **Falſi expreſſio pertinens ad cauſam finalem irritat, non ſic ad impulſiuam.**

Assertio II. Probabilius non vitiatur reſcriptum per falſi expreſſionem in ſupplici libello, quando illa qualitas falſa expreſſa pertinet dumtaxat ad cauſam impulſiuam, ſecus vero, quando ſpectat ad cauſam finalem, *Speculator tit. de diſpenſatione* §. *dicendum reſtat num.* 10. *verſ. quid ſi, Innocentius c. dudum el ſecundo num.* 15. *verſ. innalidam de elect. Gloſa c. ex parte el ſecundo verb. falſa de conuerſ. coniug. Coaruuias lib.* 1. *variar. c.* 20. *nu.* 5. *verſ. falſitas, Henriquez lib.* 12. *de matrimon. c.* 3. *num.* 7. *Menochius de arbitrar. lib.* 2. *cent.* 3. *caſ.* 201. *nu.* 22. *Ochagauia de ſacramento matrimon. tract.* 4. *q* 9. *n.* 6. *Merlinus controuerſ. for. c.* 54. *nu.* 5. *Texeda in Theolog. mor. tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 3. § 2. *controuerſ.* 24. *num.* 4. *Diana parte* 8. *tract.* 3. *reſol.* 61.

Ratio in vniuerſum eſſe poteſt primo, quia expreſſio falſi, & taciturnitas veri quoad hunc effectum paria ſunt, & æquè Princeps poteſt moueri ad concedendam, vel non concedendam gratiam diſpenſationis ex eo, quod taceatur verum, vel falſum exprimatur, ſed, quando tacetur verum, & qualitas reticita pertinet ad cauſam finalem, irritatur gratia, non irritatur, quando pertinet tantum ad cauſam impulſiuam, ergo etiam, quando exprimitur falſum, tunc irritabitur diſpenſatio, quando illa expreſſio pertinet ad cauſam finalem, non irritabitur, quando tantum ſpectat ad impulſiuam. Quamobrem hæc aſſertio ſecundum vtramque partem erit intelligenda ſecundum omnes illas limitationes, & illationes, ſecundum quas ſumpta eſt præcedens aſſertio.

Probatur iam in particulari, quod irritetur, quando illa falſi expreſſio pertinet ad cauſam finalem hoc pacto. Tota vis, & efficacitas gratiæ conceſſæ pendet à voluntate efficaci concedentis, ſed quando eſt falſitas quoad cauſam finalem, non eſt voluntas libera, & efficax concedentis, ergo nec libera, nec valida conceſſio. Minor probatur, quia error in ſubſtantia, ſeu in voluntate tollit abſolutè voluntarium, nam voluntas fertur in id, quod repreſentatur, & ſecundum eam rationem, ſecundum quam repreſentatur, non in aliud, & repreſentatio obiecti ſecundum illam rationem eſt ratio motiua eiuſdem voluntatis, ergo, vbi illa ratio deficit, deficit quoque voluntarietas.

Tota vis conceſſionis pendet à voluntate concedentis.

Probatur in particulari, quando falſitas, quæ exprimitur, pertinet tantum ad cauſam impulſiuam hoc pacto. Quando expreſſio falſi tantum impellit ad facilius concedendum non tollit rationem voluntarij quoad ſubſtantialem conceſſionem, ergo non eſt, cur per eandem irritetur conceſſio. Conſequentia tenet, quia ſtante ſubſtantiali conſenſu ad ipſam conceſſionem ſecundum ſe, non eſt, cur hæc irritetur ex inuoluntarietate non pertinente ad ſubſtantiam. Antecedens probatur, quia Princeps etiam conceſſiſſet, quamuis illa falſitas non fuiſſet expreſſa, quamuis non cum tanta propenſione, & facilitate.

Neque vim aliquam faciunt ea, quæ per Aduerſarios aduerſus hanc partem obijciuntur, nempè regularitèr literas conceſſionis continere clauſulam, *ſi* 15
preces veritate nitantur per textum *in c. ſe-*

Explicantur iura oppoſita.

gundo de reſcriptis, & ità ſemper intelligenda eſt mens Principis gratias, & diſpenſationes elargientis; vlterius id, quod habetur *in c. poſtulaſti de reſcriptis*, vbi Pontifex declarat ſubreptitiam conceſsionem beneficij factam alicui clerico gaudenti vicaria perpetua victui ſufficienti, eo quod conticuerit hanc vicariæ poſseſsionem. Non, inquam, vim faciunt, quandòquidem illa clauſula, *ſi preces veritate nitantur*, intelligenda eſt de veritate in ſubſtantialibus, hoc eſt in ijs, ex quibus gratia pendet, & ſine quibus non concederetur, vt explicant *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 21. nu. 32. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. num. 7. Texeda in Theolog. morali tom. 2. lib. 4. tract. 3. §. 2. controuerſ. 24. num. 4., & Diana loc. cit.* Ad illud, quod ſubditur *in c. poſtulaſti*, dicendum eſt illam taciturnitatem vicariæ perpetuæ, quia gaudebat ille, qui impetrauit beneficium, pertinere ad cauſam finalem, quià illa veritate non reticita Pontifex non conceſsiſſet; vel fortè melius dic à iure, vel de ſtilo curiæ Romanæ, vel ex conſuetudine Pontificis illam expreſsionem eſſe ponendam, hancque requiri tanquam formam, qua propterea non poſita, non ſubſiſtit diſpenſatio.

Hic oritur difficultas, an, ſi falſitas non ſit expreſſa ab ipſo petente diſpenſationem, cum ipſe verum enuntiauerit, ſed à curiali, vel ſollicitatore, qui, vel falſum expreſsit, vel veritatem ſibi propoſitam conticuit, intelligatur gratia ſubreptitia, & inualida. Non procedit de falſitate pertinente ad cauſam impulſiuam, ſiquidem, ſi hæc non vitiat gratiam, ſeù diſpenſationem, quando exponitur per petentem; non video, cur vitiare debeat, quando exprimitur per curialem; ſemper enim eſt voluntas Principis quoad ſubſtantiam. Procedit igitur ſolum quoad falſitatem ſic expoſitam, prout pertinet ad cauſam finalem; circa quam *Bortolomaus Soc. conſ. 170. ad fin. vol. 2.* ſuſtinuit, quando ab alio ab eo, cui beneficium, ſeù gratia impetrata eſt, fuit commiſſa, ſeù expoſita falſitas, gratiam, ſeù conceſsionem non reddi ſubreptitiam, & pro hac ſua opinione refert Rotam Romanam dixiſſe, ſic ab Vrbano Papa in beneficialibus deciſum, & propterea extendi ad quaſcunque gratias. Nihilominus abſolutè aſſerendum eſt, gratiam reddi abſolutè irritam, & ſubreptitiam *Ancharanus in c. ſi motu proprio de præbendis in ſexto n. 3. not. 3., & ibi Francus nu. 3. Decius in c. ſuper literis in noua edit. not. 3. n. 9. de reſcript. Corduba in ſumma q. 45. opin. 1. punct. 1. ratione prima, Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 21. nu. 57.* Ratio ex eo deſumitur, quià validitas, ſeù inualiditas reſcripti, ſeù gratiæ impetratæ deſumitur à voluntate reſcribentis,

16
Si falſitas expoſita pertineat ad cauſam finalem irritat diſpenſationem, quamvis ab alio ab ipſo indigente fuerit expoſita.

ſeù gratiam impertientis, quæ ſi fuerit efficax ad concedendum ſuppoſita veritate narratorum tenebit reſcriptum; ſi non ad concedendum ſuppoſita falſitate, non tenebit; ſed voluntas Principis concedentis eadem eſt, nec variatur ex eo, quod idem ræpreſentetur potius ab vno, quam ab altero, ergo, ſi quando falſitas pertinens ad cauſam finalem repreſentatur ab eo, in cuius fauorem cedit diſpenſatio, ſeù reſcriptum, hæc ſeù iſtud intelligitur inualida, ſeù inualidum, etiam erit inualida, ſeù inualidum, quando falſitas eadem ræpræſentatur à Curiali, vel à ſollicitatore; Neque obſtat textus *in c. ſuper literis de reſcript.* vbi decernitur quod, dum ſubreptio contingit, non teneat reſcriptum in pœnam peruerſitatis ipſius impetrantis, ergo, quando ipſe impetrans non eſt reus peruerſitatis, non debet ſubire illam pœnam. adeoque reſcriptum non debet eſſe inualidum, cum pœna non poſsit eſſe abſque delicto; ipſe autem impetrans, ſeù ille, in cuius fauorem fit impetratio, nullo modo deliquit; Non obſtat, inquam, quià in illo textu non aſſignatur vniuerſa, & adæquata cauſa nullitatis, ſed quædam cauſa congruentiæ, quando falſitas committitur ab ipſo impetrante; cæterum, cum formalis ratio nullitatis ſit negatio voluntatis reſpectu concedentis, quæ æquè eſt, ſiuè falſitas pertinens ad cauſam finalem ræpræſentetur ab vno, ſiuè ab altero, vtique ſemper erit talis nullitas, quotieſcunque ex motiuo talis falſitatis conceſſum eſt reſcriptum. Hic tamen aduertendum eſt, quod curialis, ſeù ſollicitator, qui talem cauſam falſo expoſuit, ſubijciatur pœnæ falſi, prout docent *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 21. nu. 58. Merolla tom. 2. diſp 4 c. 6. nu 397. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 68.*, non tamen excommunicationi latæ ſententiæ, quidquid dixerit *Henriquez lib. 12. c. 3. n. 7.* afferens motum Pij V., cum de tali pœna excommunicationis nullibi conſtet; nec motus allegatus Pij V. hoc ſtatuit, ſed tantum ſubijcit delinquentem pœnæ falſi.

Curialis falſum exprimens ſubijcitur pœnæ falſi.

Ex dictis in hac ſecunda aſſertione nonnulla corrolaria inferuntur. Primum eſt, regulariter non intelligi inualidum reſcriptum, ſeù ſubreptitium, quando error contingit in nomine perſonæ, cuius fauore fit diſpenſatio *Hoſtienſis cap. ſuper literis nu. 12. de reſcript. Antonius c. ſignificante nu. 9. eod. tit. Petrus de Ledeſma in ſumma ſacrament. vbi de matrim. c. 27. poſt ſeptimam concl. dub. 2. Merolla tom. 2. diſp. 4. c. 6. n. 374. Perez de matrimon. diſp. 46. ſect. 8. nu. 16. Porțel. in reſponſ. mor. tom. 2. caſ. 49. n. 2.* Expreſsè euincitur *ex l. ſi quis in fundi 4. ff. de legat. 1., & §. ſi quis in nomine Inſtit. de legat.* vbi ſic legitur *Siquidem in nomine, cognomine, prænomine, agnomine*

17
Error nominis non vitiat diſpenſationem.

lega-

Digitized by Google

legatarij teſtator errauerit, ſi de perſona conſtat, nihilominus valet legatum, & ibidem ſubditur ratio, *Nomina enim ſignificandorum locorum gratia reperta ſunt, qui, ſi alio quolibet modo ſignificentur, ſeù intelligantur, nihil intereſt*; & potiſſimum ratio huius illationis deſumenda eſt ex eo, quod præſumendus eſt Princeps gratiam concedere ex meritis cauſæ, & non potius hanc perſonam reſpicere, quam illam, vndè reſpicit perſonam petentem ſecundum ſe quocunque modo vocetur: Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod priuilegium ſemper ſit intelligendum iuxtà verba in ſupplicatione poſita *Iaſon in l. Gallus in prima lectura* §. *idem credendum nu.* 10. *ff. de liber.*, *& poſth. Gutierez lib.* 3. *pract. qq. q.* 18. *n.* 42. *per textum in l. ſi præſes ff. de pœnis*, *&* §. *præterea Inſtit. de inutil. ſtipul.*; verba autem in ſupplicatione poſita non deſignãt talem perſonã, ſed aliã; Non, inquã, obeſſe poteſt, quià reuera gratia debet intelligi ſecundum verba in ſupplicatione appoſita, quotieſcunque adaptari poſſunt intentioni concedentis, ſecus potius attendenda eſt intentio, quam verba. Deindè, quamvis extendenda ſit verba, non tamen quælibet verborum variatio tollit conceſſionem, ſed ea dumtaxat, quæ pertineret ad diuerſam cauſam finalem, & deſtrueret intentionem concedentis. Ex quibus etiam crederem *cum Sanchez d. lib.* 8. *diſp.* 21. *nu.* 38. quod quantumvis Princeps cognoſceret perſonam, cui petitur diſpenſatio, & variatio facta fuerit in nomine veri petentis, non tamen vitio ſubreptionis afficeretur diſpenſatio; quià Princeps in huiuſmodi gratuitis conceſſionibus potius attendit ad merita cauſæ, quam ad perſonas.

Princeps potius attẽdit ad merita cauſæ, quam ad perſonas.

18 Corrolarium ſecundum eſt, quod etiam non vitietur diſpenſatio, ſeù reſcriptum, ſi erretur in nomine Diæceſis, vt ſi v.g. Petrus, cum quo diſpenſatur, ſit Diæceſis Laudenſis, & dicatur Diæceſis Nouarienſis. *Salaſ de legibus diſput.* 20. *ſect.* 16. *nu.* 223. *Sanctarellus var. reſol. part.* 1. *qu.* 63. *per tot. Amicus tom.* 5. *diſp.* 6. *ſect* 8. *n.* 145. *Diana part.* 1. *tract.* 10. *reſol.* 36., *& part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 64. Hocque corrolarium intelligo non ſolum, quando Pontifex non committit ordinario diſpenſationem, ſed ipſe abſolutè diſpenſat, ſed etiam quando ordinario committit, ita tamen, vt executio non poſſit fieri ab ordinario Diæceſis Nouarienſis, ſed ab ordinario Laudenſi, cuius Diæceſis eſt ipſe diſpenſandus. Ratio primæ partis, quando ſcilicet abſolutè Pontifex diſpenſat, & error ſit in nomine Diæceſis non maior quoad effectum diſpenſationis ſit error, ac ſi erraretur in nomine eius, in cuius fauorem ſit diſpenſatio, quandoquidem diſpenſatio attingit perſonam, in cuius fauorem ſit, & Pontifex attendit ad merita cauſæ, non ad perſonam, & locum, ſed, quando eſt error in nomine diſpenſandi, diſpenſatio non eſt ſubreptitia iuxtà ſuperius dicta, ergo, nec quando erratur in nomine Diæceſis. Quid enim potius confert quod diſpenſandus ſit ex hac, vel ex illa Diæceſi. Ratio vero ſecundæ partis, quod ſcilicet non poſſit exequi diſpenſatio cõmiſſa ab ordinario, cuius Diæceſis in reſcripto nominata eſt, cum tamen diſpenſandus non ſit ex ipſius Diæceſis, ſed alterius, ex eo euincitur, quod illi ordinario nulla competit poteſtas, & iuriſdictio quoad perſonam diſpenſandam; ſiquidem tota iuriſdictio, & poteſtas prouenit ex voluntate Principis committentis; ſed voluntas Principis committentis eſt cõmittere poteſtatem vero ordinario impetrantis, & non alteri, ac quaſi materiale eſt, & per accidens appellare ipſum nomine alterius Diæceſis, nec præſumendum eſt, quod, ſi Pontifex, ſeù Princeps nouiſſet diſpenſandum eſſe alterius Diæceſis, commiſiſſet diuerſo ordinario diſpenſationem, quià vbi quiſquam ſortitur forum ordinarij, ſortitur etiam forum delegati *Innocentius c. dilecti n.* 3. *verſ. ſed dic de foro compet.* Ratio tertiæ partis, quod ſcilicet ordinarius Diæceſis, cuius eſt ſubditus diſpenſandus, poſſit in ea hypotheſi exequi diſpenſationem commiſſam ex eo euincitur; quià formalis intentio Principis concedentis, ſeù committentis diſpenſationem fuit committere ordinario diſpenſandi executionem diſpenſationis, & error quoad nomen Diæceſis ſe tenet ex parte voluntatis materialis Principis committentis, qui æquè commiſiſſet vni, vel alteri, ergo non eſt, cur ordinarius, quem formaliter reſpicit intentio Principis, non poſſit exequi illã diſpenſationem; & ad hoc faciunt omnia argumenta ſupra allata, quod ſcilicet Princeps potius reſpiciat merita cauſæ, quam perſonæ, & loci, & quod, ſicuti error in nomine diſpenſandi non vitiat diſpenſationem, ita, nec error nominis Diæceſis, & ſicuti perſona, pro qua petita eſt diſpenſatio, reſtringit voluntatem Principis diſpenſantis, ſeù committentis ad ipſam, & non ad perſonam, cuius falsò aſſumptum eſt nomen, ita eadem perſona reſtringit formaliter voluntatem eiuſdem Principis ad ordinarium loci, in quo eſt eadem perſona, non ad ordinarium alterius Diæceſis, cuius ex errore etiam nomen deſumptum eſt.

Non vitiatur diſpenſatio, ſi erretur in nomine Diæceſis.

Intellige primo, ſi Pontifex ipſe abſolutè diſpenſet.

Diſpenſatio eſt exequenda ab ordinario loci, cuius eſt diſpenſandus.

Intentio Pontificis dirigitur ad ordinarium illius, cuius eſt perſona diſpenſanda.

Neque in hoc audiendi ſunt *Sanchez lib.* 8. *de matrimonio diſp.* 21. *nu.* 39. *& Perez de matrimon. diſp.* 46. *ſect.* 8. *nu.* 1. *& ſeqq.* aſſerentes in hac hypotheſi non eſſe præciſè errorem in nomine, ſed errorem conſiſtere in eo, quod diſpenſandus efficiatur Diæceſis Nouarienſis, cum ſit Laudenſis,

Digitized by Google

tis, & virtute petita eſt commiſſio pro ordinario Nouarienſi; at illi noluit Pontifex committere, cum conceſſio fuerit inuoluntaria, vtpote ex errore orta; pro Epiſcopo autem Laudenſi, nec petita eſt, nec commiſſa delegatio; vnde videtur, quod neuter commiſſionem illam poſſit exequi, nec ſufficit, quod, ſi petita fuiſſet pro Epiſcopo Laudenſi fuiſſet conceſſa, quandoquidem hoc, quod eſt, quod fuiſſet conceſſa, ſi petita, non efficit, vt reſcriptum extẽdatur ad id, quod ſub verbis eius non continetur, ea proportionali ratione, qua, quantumuis Princeps fuiſſet conceſſurus, vt debitor ex alia cauſa compelleretur ſatisfacere creditori ab enarrata; ſi tamen ad inſtantiam creditoris in reſcripto conceſserit, vt ex mutuo debitor compellatur ad ſatiſfactionem, cum ex mutuo non ſit debitor, reſcriptum illud non prodeſset.

Refellitur ſenſus, & explicatio Sanchez.

Non, inquam, audiendi ſunt, quia nõ poteſt dici, quod virtute fuerit petita commiſſio pro ordinario Nouarienſi, cùm fuerit petita ex errore, vel ex errore commiſsa, nec petens illum intenderit, & concedens voluntarie non conceſserit, ſed erroneè; ex alio capite poteſt dici, quod pro ordinario Laudenſi virtute fuerit petita, cum hoc fuerit in votis petentis, & natura eius, quod petitur, exigat ſecundum ſtilum, & conſuetudinem Ordinarium eius petentis, & votis petentis, & naturæ poſtulationis præſumendus eſt Princeps concedens ſe accomodare. Ad illud, quod ſubditur, de creditore ex mutuo petente coactionem ex alio falſo titulo, dicendum eſt, diſparem eſſe omnino rationem, quia error non eſt quoad perſonam, & locum, ſed circa titulum, & materiam, circa quam eſt applicandum Iudicis delegati miniſteriũ, & poteſtas collata eſt ex diſpoſitione mandantis reſtricta ad illum titulum, extra quem nequit egredi, cum nemo valeat excedere limites mandati ex vulgatis iuribus.

19 **Non vitiatur diſpenſatio ex falſæ cauſæ expreſſione, quando illa cauſa adiungitur cauſa demonſtrationis, ſecus, ſi cauſa taxationis.**

Corrolarium tertium eſt, quod non vitiatur diſpenſatio ex falſæ cauſæ expreſſione, quando ea verè expreſſa facilior eſſet diſpenſatio, dummodo illa qualitas adiungatur cauſa demonſtrationis, non cauſa taxationis *Panormitanus in c. ſignificatum num. 6, & ſeqq. de reſcrips. Rebuffus c. nulla art. 2. poſt quartam concl. verb. noueris de conceſſ. prabend. Silueſter verb. Reſcriptum qu. 3. Coaruuias lib. 1. var. c. vlt. n. 6. Gutierez qq. canonic. lib. 2. c. 15. n. 83. Diana part. 8. tract. 7. reſol. 61. verſ. ex his deducitur in fin. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 21. nu. 35.* Hoc contingeret in caſu, v. g quo quis impetrans beneficium exponeret ipſum eſſe curatum, cum ſit ſimplex. Ratio autem primæ partis deducitur *ex l. falſa ff. de condit., & demonſtration. & ex c. tua de ſponſalib.* Secunda item pars deducitur *ex c. cui de non ſacerdotali de prabend. in 6*; Si autem inquiras rationẽ diuerſitatis, eam exiſtimo eſſe, quia qualitas adiecta gratia demonſtrationis non reſtringit animũ cõferentis, ſed attrahit eum ad beneficium, ſicuti eſt; qualitas vero adiecta gratia taxationis limitat gratiã ad beneficium illa qualitate affectum, vltra quod propterea nequit extendi. Si vlterius inquiras, quandonam qualitas dicatur adiecta gratia demonſtrationis, & quandonam gratia taxationis conſule *Sanchez loc. cit. n. 36., & Merollam tom. 2. diſp. 4. c. 6. n. 371.*

20 **Allegata copula per conſanguineum, & exinde infamia, & ſcandalis tenet diſpenſatio, quantũuis non fuerit copula ſecuta, ſit tamen infamia, & ſcãdala.**

Corrolarium quartum eſt, non eſſe irritam diſpenſationem, quam conſanguineus impetrauit à Romano Pontifice ad contrahendum cum conſanguinea allegata copula cum eadem commiſſa, & exinde iactura famæ, & ſcandalis, quantumvis copula re vera non fuerit ſecuta, tamen verum eſſet mulierem paſſam fuiſſe iacturam famæ, & inde eſſe ſcandala, vel occaſionem ſcandalorum *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp 21. n. 45. Amicus tom. 5. diſp. 6. ſect. 8 n. 150. Texeda tom. 2. lib. 4. tract. 3. n. 9. Portel in reſponſ. moral. tom. 2. caſ. 49. num. 4. Merolla tom. 2. diſp. 4. c. 6. num. 386. Diana part. 8. tract. 3 reſol. 65.* Ratio ex eo deducenda eſt, quià in ea hypotheſi ratio finalis, quæ mouet Pontificem ad diſpenſandum, eſt potius remedium iacturæ famæ mulieris, & impedimentum ſcandalorum, quam ipſa copula ſecuta, quià hæc potius retrahit animum à diſpenſando, quam aliciat, ergo vere exiſtente iactura famæ, & occaſione ſcandalorum, licet non exiſtente copula, valida erit diſpenſatio. Conſequentia tenet, quià exiſtente cauſa finali, ob quam conceditur diſpenſatio, quantumvis deficiant aliæ cauſæ impulſiuæ prænarratæ in ſupplici libello, ex ſuperius dictis tenet diſpenſatio.

Nonnullæ rationes dubitandi.

Circa hoc corrollarium nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi. Prima eſt, an, ſi fuerit ſolummodo allegata pro cauſa copula ſecuta inter ipſos conſanguineos, quæ tamen re vera ſecuta non fuerit, & indè obtenta diſpenſatio, hæc ſubſiſtat, an vero ſit cenſenda ſubreptitia. Secunda, an, ſi ſolum pro cauſa fuerit allegata eadem copula, quæ pro tempore petitionis, & commiſſionis factæ à Pontifice Ordinario ſecuta non fuerit, fuerit tamen ſecuta ante executionem eiuſdem commiſſionis factam ab Ordinario, intelligatur ſubreptitia, an valida. Tertia eſt, an, ſi pro cauſa fuerit allegata dicta copula, quæ re vera fuerit ſecuta antecedentèr ad petitionem, & commiſſionem, ſed antequam dicta commiſſio executioni mandaretur, iterum inter eoſdem conſanguineos

ſecuta

ſecuta ſit copula, tunc literæ commiſſionis, & diſpenſationis eiſdem ſuffragari poſſint non ſolum in ordine ad copulam præcedentem, ſed etiam in ordine ad ſubſequentem commiſſionem. Quarta eſt, an, ſi quis data opera copulam cum conſanguinea conſumauerit ad effectum obtinendæ diſpenſationis, eandemque obtinuerit expoſita precisè copula, & non fine, ad quem habita eſt, teneat diſpenſatio.

21 Allegata ſolummodo copula, quæ tamen non interceſſerit, nō tenet diſpenſatio.

Ad primam aſſerendum eſt, diſpenſationem illam non fore validam, ſed ſubreptitiam *Corduba in ſumma q. 45. opin. 2. nu. 1. Gutierez qq. canon. lib. 2. c. 15. n. 133. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. n. 7. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 21. nu. 45.* Ratio ex eo deducitur, quià reſcriptum, vbi aliud non exprimitur, ſupponitur conceſſum ad normam petitionis, & per conſequens ex cauſa appoſita in petitione, ergò, vbi vnica fuerit appoſita cauſa, illaque fuerit falſa, reſcriptum intelligitur ſubreptitium, & inualidum, quià conceſſum ex cauſa non poteſt ea non exiſtente exiſtere. Dixi, *vbi aliud non exprimitur*, quià non negauerim, quod Pontifex poſſit etiam ſine cauſa allegata abſolutè diſpenſare ex certa ſcientia, & maiori compoſitione pecuniaria in ordine ad publicos ſumptus, ſed quando diſpenſationem præſtat ad inſtantiam partis expoſita cauſa ſemper præſumitur intentionem reſtringere ad petita, & ad cauſam petitionis. Neque dicas, ſolam copulam cum conſanguinea, cum ſit crimen inceſtus, non poſſe mouere Principem ad diſpenſandum, prout notat *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. § 10 n. 13*, quinimmò hæc potius difficiliorem aſſolet reddere diſpenſationem, ergò præſumendum eſt, quod tunc Pontifex liberè, & abſolutè diſpenſet, alitèr quā ex illa cauſa inceſtus, ſeù copulæ commiſſæ, adeoque non eſt, cur eadem falſa exiſtente non debeat gratia diſpenſationis ſubſiſtere ex benigna Pontificis, & abſoluta intentione; Contra enim impugnaberis, quià Pontifex potuit in ea hypotheſi reſpexiſſe ad damnum fœminæ defloratæ, non præcisè ad crimen inceſtus, quod potius, vt dicitur in inſtantia, retrahit, quam alliciat ad diſpenſationem; & cum ad petita reſcribat in hanc formam, præſumitur eiſdem petitis ſe conformare, non abſolutè diſpenſare.

22 Si copula non fuerit commiſſa ante petitionem, ſed poſt eandē antecedenter tamen ad conſum

Ad ſecundam iuxtà ſuperius dicta videtur dicendum, ſubſiſtere illam diſpenſationem, quantumvis copula fuerit commiſſa poſt commiſſionem, ſed ante executionem eiuſdem, quià propriè valet dici, quod diſpenſatio fuerit conſummata poſt copulam; conſummatio etenim diſpenſationis fit per Epiſcopum, ſeù ordinarium exequentem commiſſionem. Nihilominus abſolutè aſſerendum exiſtimo, diſpenſationem illam ſubreptitiam eſſe, & inualidam. *Corduba in ſumma q. 45. Vega in ſumma part. 1. caſ. 88.* Ratio ex eo deducitur primo, quià commiſſio fuit conceſſa ex illa cauſa, nempe copulæ ſubſecutæ tanquam cauſa non merè impulſiua, cum alia non interuenerit, nec fuerit allegata, ſed abſolutè finali, ergò, cum illa cauſa fuerit falſa, commiſſio ipſa erit ſubreptitia, & inualida, ergò, & diſpenſatio per Epiſcopum conſummata, quantumvis hæc fuerit completa poſt admiſſam copulam. Conſequentia probatur, quià tota vis, quam habet ordinarius ad diſpenſandum ex poteſtate ſibi commiſſa, dependet à commiſſione, & à voluntate Pontificis committentis, ſed commiſſio ipſa, vtpotè ex falſa cauſa non ſubſiſtit, ergò ex defectu poteſtatis ad diſpenſandum, nec poterit ſubſiſtere diſpenſatio per ordinarium executa; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi Pontifex poſt commiſſionem cognouiſſet ante diſpenſationem conſummatam commiſſam fuiſſe copulam, adhuc conſenſiſſet, ſiquidem ratio, quæ mouit eundem Pontificem ad committendum, militat etiam quoad mouendum ipſum ad nouitèr diſpenſandum, ergò &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, tum quià non eſt præſumendum, quod Pontifex deceptus in priori narratiua, ſi eidem conſtaret de falſitate, vellet adhuc diſpenſare; tum quià dato etiam, quod adhuc concederet, ſi eidem exponeretur falſitas antecedentèr commiſſa, & repreſentaretur copula antecedentèr ad diſpenſationem conſummatam commiſſa, adhuc tamen illa virtualis, ſeù habitualis præſumptio ad diſpenſandum non habetur pro actuali diſpenſatione; non enim continetur virtualitèr in illa priori commiſſione, ſiquidem illa in ſui origine fuit ſubreptitia, & inualida; debet autem virtualis præſumptio ad diſpenſandum ad hoc, vt vim habeat actualis diſpenſationis, fundari in aliquo actu exercito, prout contingit, quandò conceditur diſpenſatio ex taciturnitate alicuius qualitatis, quæ, ſi fuiſſet expreſſa, adhuc mouiſſet voluntatē Principis ad concedendum, hæc etenim virtualis diſpoſitio ad concedendum fundatur in ipſa actuali diſpenſatione. Ratio ſecundo deduci poteſt ex ijs, quæ ſupra docuimus, & ex ijs, quæ habentur *in c. ſi eo tempore de reſcript. in 6.* vbi deciditur eum, qui prouideri mandatur de beneficio curato, non poſſe id conſequi, ſi tempore datæ non ſit legitimæ ætatis, quamuis tempore collationis eam ætatem ſit nactus, & ibi redditur ratio, *quia tempore datæ non erat idoneus*, ergo habilitas requiritur pro tempore commiſſionis, nec ſufficit

mationem diſpenſationis non tenet diſpenſatio,

Habitualis præſumptio non habet vim actualis diſpenſationis.

it, ſi fuerit pro tempore, pro quo eadem commiſſio adimpletur, ergo etiam requiritur, vt cauſa finalis verificetur pro tẽpore commiſſionis, nec ſufficit, ſi fuerit pro tempore adimplementi eiuſdem. Tertio, quia communiter aſſerunt DD. ſenſum illius clauſulæ *ſi preces veritate nitantur*, hunc eſse, *ſi preces mihi propoſita vera ſunt*, at, prout ſunt propoſitæ Pontifici, veræ non ſunt, ergo &c. Atque ita præter allegatòs DD. ſentiunt *Hoſtienſis c. quia circa paulo poſt princip. verb. ingreſſa de cõſanguin.*, *& ibi Ioannes Andreas n. 3. Abbas n. 4. Rebuffus tom. 2. conſtit. Reg. tit. de reſcr. in præfatione n. 56. verſ. 14. Maſcardus de probat. concl. 1128. n. 22. Gutierez qq. canon. lib. 2. c. 15. n. 131. Petrus de Ledeſma in ſumma ſacrament. vbi de matrimon. c. 27. poſt ſeptimam concluſ. difficult. 4.*

Dices, incongruè dici attendendum eſſe tempus commiſſionis, in quo verificari debeat cauſa finalis ad effectum, vt ſubſiſtat diſpenſatio, quandòquidem ex ſuperius dictis, ſi ceſſet cauſa diſpenſationis ante completam commiſſionem, ſeù executionem ipſius factam per ordinarium, quantumvis verè extiterit pro tempore commiſſionis, inualidatur diſpenſatio, vt diximus de fœmina nobili, ſed paupere, quæ, cum indotata eſſet, & defectu dotis non poſset cum æquali nubere, niſi cum conſanguineo, recurſum habuit ad Romanum Pontificem pro diſpenſatione allegata cauſa talis paupertatis, quę tamen, ſi antequam commiſſio Pontificis directa ad ordinarium per hunc exequeretur, deuenerit ad pinguem fortunam, vel ratione hæreditatis, vel legati ſibi relicti, gaudere non poteſt diſpenſatione, ex quo ſequitur, quod non ſufficiat, quod cauſa debeat verificari tempore commiſſionis, ſed quod debeat etiam verificari pro tempore executionis eiuſdem, ergo etiam in præſenti hypotheſi ſufficiet, quod cauſa allegata copulæ ſecutæ verificetur pro tempore executionis, quantumvis vera non fuerit pro tempore commiſsionis. Conſequentia probatur argumento à contrario ſenſu deducto hoc pacto. Ad infirmandam diſpenſationẽ ſufficit, quod ceſset cauſa ante executionem commiſſionis, quantumvis verè extiterit pro tempore eiuſdem commiſsionis, ergo ad ipſam validandam ſufficiet, quod cauſa verificetur pro tempore eiuſdem executionis, quantumvis verè non extiterit pro tempore commiſsionis. Sed contra, non currit paritas in vtroque caſu, quià in caſu paupertatis ceſsantis ante executionem commiſsionis annullatio diſpenſationis prouenit ex deficientia cauſæ formalis, ſeù finalis inſtantiæ, ob quam illa conceſſa eſt, & vtique ante effectum formalem, ad quem impetrata eſt; in caſu autem exiſtentiæ cauſæ ante executionem commiſſionis, quæ tamen non extitit pro tempore commiſsionis, validatio non poteſt conſurgere ex ſuperuenientia eiuſdem cauſæ ex deffectu cauſæ efficientis, quatenus illa commiſsio ex errore fuit omhinò inuoluntaria, & ſine nouo actu voluntatis committentis non poteſt conualeſcere, nec ſufficit ad effectum validæ diſpenſationis ſuperuenientia veræ cauſæ finalis, vbi deficit cauſa efficiens potens diſpenſare.

Satisfit argumento contrario.

Ad tertiam dicendum eſt, in ea hypotheſi literas commiſſionis, ſeù reſcripti directas ad ordinarium pro diſpenſatione non ſolum prodeſſe ei, in cuius fauorem facta fuit commiſſio pro copula præcedenti ad petitionem, & commiſſionem, ſed etiam pro ſubſequenti. Ita ſentire videtur *Portel. in reſp. moralib. tom. 2. caſ. 49. n. 9.* ex mente Bonacinæ per eundem relati, nec diſſentiri videtur *Diana part. 8. tract. 3. reſol. 65. verſ. ſed quià accedit ſermo.* Ratio ex eo deducitur, quià per ſubſequentem copulam non tollitur ratio finalis, ob quam Pontifex commiſit ordinario diſpenſationem, nec ipſa copula ſubſequens inducit nouum impedimentum, ſicuti non induxit præcedens; non enim commiſſio data eſt, vt diſpenſetur ſuper copula, ſed ex copula tanquam ex cauſa finali inducta eſt mens Pontificis ad committendam diſpenſationem ſuper conſanguinitate, ergo perſeuerante eadem cauſa finali, quin potius adaucta non erit, cur Epiſcopus non poſſit diſpenſare, cum diſpenſatio non cadat ſuper copulam, ſed ſuper conſanguinitatem ex motiuo eiuſdem copulæ tanquàm cauſæ finalis, ergo iteratis copulis, cum non inducatur nouũ impedimentum, ſed remaneat ſolummodo primum conſanguinitatis, poterit ſuper eodem diſpenſatio effectuari, & exequi. Quarè non poſſum acquieſcere *Portellio loc. cit.*, qui aſſerit, quod, ſi ille, qui petijt diſpenſationem allegata copula cum eadem ad contrahendum cum conſanguinea, poſtquam Epiſcopus expediuit diſpenſationem, copulam iterum habuerit cum eadem conſanguinea nondum contracto matrimonio, non poſſit iam Epiſcopus cum illo diſpenſare, quià iam functus eſt munere ſuo; Non poſſum, inquam, acquieſcere, quià ex illa copula cum eadem conſanguinea poſt expeditam diſpenſationem, ſed ante contractum matrimonium, non conſurgit impedimentum, quod indigeat noua diſpenſatione; vnde fruſtra dicitur, quod Epiſcopus non poterit diſpenſare, quin potius eſt quæſtio de ſubiecto non supponente, quià fruſtrà inquiritur, an poſſit diſpenſare, vbi nullum conſurgit impedimentum, nec vlla eſt indigentia diſpenſationis; niſi fortaſſis velis dicere Portellium

23 Commiſſio facta ordinario pro diſpenſatione non ſolum prodeſt pro copula præcedenti petitionem, ſed etiam pro ſubſequenti.

Ex illa copula non conſurgit impedimentum.

Digitized by Google

lium intelligendum eſſe loqui de copula habita cum alia conſanguinea eius, cum qua contracturus eſt matrimonium, ex qua conſurgit affinitas cum ipſa.

Ad quartam reſpondeo iuxta ea, quæ dixi ſuperius *ſub hoc eod. tit. Contractus* XV. *de matrim 3. prænot. 3. ſub aſſert. 2. verſ. circa hanc qualitatem* de fœmina renunciante bonis proprijs ad effectum, vt titulo paupertatis conſequatur diſpenſationem contrahendi matrimonium cum conſanguineo, quam certe tenere docuimus ad mentem *Nauarri in ſummâ c. 18. n. 108. Henriquez lib. 12. de excommunic. c. 56. n. 1. in com lit. N. Ludouici Lopez prima part. inſtruct. c. 159 in initio*. Reſpondeo, inquam, talem diſpenſationem tenere, quantumvis copula fuerit commiſſa ad finem, & effectum conſequendæ talis diſpenſationis. Ratio ex eo deducitur, quià re vera preces veritati nituntur, & iura reſpiciunt id, quod factum eſt, non animum, quo factum eſt. Conſule ea, quæ dicta ſunt loco citato.

24 Tenet diſpenſatio, quantumuis copula fuerit habita ex fine eandem conſequendi.

Corrollarium quintum eſt, quod probabilius teneat diſpenſatio, quando vinculum, in quo diſpenſandum eſt, proponitur ſub dubio, cum tamen ſit certum, dummodò proponatur ſub motiuo, ſeù cauſa finali ſufficienti ad mouendam voluntatem Principis, quæ verè exiſtat, ſiuè vinculum ſit certum, ſiuè dubium: vt verbi gratia, ſi quis irretitus voto caſtitatis, quod certò ſcit ſe emiſiſſe, proponat ſub dubio idem votum, & petat ad maiorem animi tranquillitatem ſuper illo diſpenſari adducens pro motiuo, ſeù cauſa finali carnis ſtimulos, quæ cauſa verè exiſtat. Eſt contra *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 21. n. 40.* Ratio eſt, quià vrgentibus ſtimulis carnis verè excitantibus æquè Pontifex diſpenſaſſet, ſiuè votum propoſitum fuiſſet ſub dubio, ſiuè ſub certitudine, ſiquidem ratio finalis eſt periculum incontinentiæ, & quamvis videatur diuerſum obiectum, quando votum proponitur ſub dubio, ac quando proponitur, vt certum; diuerſitas tamen non eſt talis, vt inducat diuerſam voluntatem, ſeù præſumptionem diuerſæ voluntatis in Pontifice diſpenſante; qui mouetur ex fine potius, quam ex obiecto, quando hoc continetur ſub vna, & eadem virtute, & eſt eo modo diſpenſabile: nec obſtat, quod facilius moueatur ad diſpenſandum, quandò votum eſt dubium, ac quando eſt certum. Non obſtat, inquam, quià maior, vel minor facilitas ad diſpenſandum non irritat diſpenſationem, quandò hæc eſt conceſſa; ſicuti diximus ſuperius non irritat, ſi fuerit reticitum verum, vel falſum expoſitum, quo reſpectiuè expreſſo, vel reticito fuiſſet gratia conceſſa, quamvis cum maiori difficultate.

25 Etiam tenet, quamuis vinculum certũ fuerit expoſitum ſub dubio exiſtente ſufficienti cauſa.

Assertio III. Si diſpenſatio concedatur per Pontificem abſque præuia petitione, ſeù narratione petentis, quantumvis re vera ſubſit impedimentum, tenet; Si verò fiat præuia petitione, ſeù narratione petentis, & vitium ſubreptionis contingat ex expreſſione cauſæ falſæ finalis, quantumvis addatur clauſula *motu proprio*, vitium non purgatur, nec redditur valida diſpenſatio; ſi verò vitium ſubreptionis contingat in taciturnitate cauſæ finalis, tunc clauſula *motu proprio* purgat ſubreptionem, & ſupplet defectum cauſæ reticitæ. Ita quoad primam partem *Portel in reſponſ. moral. tom. 2. caſ. 49. n. 7.*, vbi pro ſe citat *Suarez*, & *Bonacinam*. Quoad ſecundam, & tertiam *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 21. à n. 47. ad 53. Amicus tom. 5. diſp. 6. ſect. 8. n. 153. Abbas c. quià circa nu. 7. de conſanguin.*, & *ibi Præpoſitus n. 4. verſ. ſed de diſpenſatione*, *Felinus c. ad aures n. 9. caſ. 4. de reſcriptis. Staphilæus de litteris gratiæ tit. de vi, & effectu clauſularum in clauſula motu proprio effectu 7. nu. 3. Roſella verb. reſcriptum in fin.*, & *ibi Silueſter q. 7. Menochius de arbitrarijs lib. 2. cent. 3. caſ. 201. nu. 83.*

26 Diſpenſatio conceſſa abſque præuia petitione à Pontifice tenet, quãuis ſubſit impedimẽtum.

Prima pars ex eo deducitur, quià Princeps ſupremus præcipuè Pontifex, habet poteſtatem abſolutè diſpenſandi, & diſpenſat ex mera liberalitate in data hypotheſi, non ex cauſa ſibi falſò expoſita, vel veritate reticita, quandoquidem priuilegiatus, ſeù diſpenſatus nihil expoſuit, ſed ſolummodò gratiam diſpenſationis acceptat, hancque ſuam liberalitatem Pontifex exponit per illam clauſulam *motu proprio*, ergò non eſt, cur illa gratia, ſeù diſpenſatio non debeat ſubſiſtere. Confirmatur *ex c. ſi motu proprio de præbend. in 6.* & *Clem. ſi Romanus de præbend.*, vbi ſic legitur. *Si Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio prouideat, de beneficijs, quæ obtinet non habita mentione, prouiſionem, ſeù gratiam huiuſmodi fore validam declaramus*. Confirmatur ſecundo, quià illa clauſula *motu proprio*, quandò non limitatur per aliquam narrationem, vel expreſſionem ex parte petentis debet aliquem effectum ſortiri, & vtique adimplementum poteſtatis ex parte concedentis, ergò non eſt, cur non debeat ſortiri effectum efficacis diſpenſationis reſpectu impedimenti exiſtentis, & diſpenſabilis, cum alium habere non poſſit.

Secunda pars ex eo deducitur, quià motus proprius non firmat gratiam contra concedentis intentionem, *Ioannes Andreas c. ſi motu proprio nuuo. 4. de præb. in 6. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 3. caſ. 201. nu. 80. Suarez allegat. 13 n. 2.*, ſed gratia conceſſa ex falſæ cauſæ expreſſione, quantumvis addita fuerit clauſula *motu proprio*, intelligitur eſſe contra concedentis intentionem,

27 Quandò fit ad petitionem partis, & contingit vltimo in expreſſione falſæ cauſæ finalis non tenet.

Digitized by Google

tionem, ergò &c. Minor probatur, quià, ſi Pontifex cognouiſset falſam cauſam ſubeſſe illi petitioni, ſeù narrationi, quæ pertineret ad cauſam finalem, vtique non conceſſiſset; Neque dicas, quod motus proprius extrahat conceſſionem à narratione, & potius fundet ſcientiam concedentis, quam innitatur precibus poſtulantis, adeoque in intentione principis concedentis ſubſiſtere conceſſionem; Quid enim operaretur illa clauſula, ſi conceſſio præcisè precibus inniteretur? Contra enim impugnaberis, quià illa clauſula *motu proprio* ſupplet quemcunque defectum narrationis, quandò ex mera liberalitate Principis, & non ad petitionem partis gratia conceditur; quandò vero prævia narratione, & precum expoſitione apponitur, tunc ſupplet quemcunque defectum circa omiſſionem, non circa ea, quæ expoſita ſunt, quibus conformari præſumitur mens concedentis, quæque, ſi pertineant ad ſubſtantiam, ſeù cauſam finalem, præcisè attrahunt intentionem eiuſdem, & ſi falſa ſunt, retrahunt, ſiquidem, ſi cognouiſset falſitatem, non conceſſiſset.

Tertia pars ex eo deducitur, quod mox dicebamus, quià clauſula *motu proprio*

28 Clauſula motu proprio purgat ſubreptionem contingentem ex taciturnitate cauſæ finalis.

ſupplet defectum eorum, quæ omittuntur, & facit gratiam præcisè procedere ex liberalitate concedentis, prout conſtat *ex d. c. ſi motu proprio de præbend. in 6.*, & *clem. ſi Romanus de præb.*, & ſicuti, ſi nulla præceſserit narratio, nec precum expoſitio, per ſuperiùs dicta illa clauſula operatur effectum diſpenſationis; vtpotè quæ innuit meram Principis liberalitatem, ità ſi præceſſit quidem narratio, ſed in aliqua parte eadem deficiat, quià aliqua qualitas non exponitur, illa clauſula operabitur ſuum effectum quoad qualitatem reticitam, vtpotè quæ innuit diſpoſitionem Principis ad concedendum abſolutè.

Hæc tamen tertia pars intelligenda eſt cum nonnullis limitationibus, & primo

29 Niſi illa taciturnitas læderet ius tertij.

limitanda eſt, quando illa veri taciturnitas ius tertij læderet *Abbas in c. ad aures n. 5. de reſcriptis*, & *ibi Felinus n. 80.*; non enim præſumendum eſt, quod Princeps in conceſſionibus gratuitis voluerit percutere ius tertij nulla facta de eo mentione, ſic in particulari præſumi non debet, quod conceſſiſset beneficium iuris patronatus, ſi ſciuiſset ſubeſſe iuri patronatus nulla facta mentione de eodem iure patronatus; vndè communiter docent, quod motus proprius ius in re, vel ad rem alteri quæſitum non demat; *Decius conſ. 47. n. 23. vol. 3. Rebuffus in concordatis tit. de forma mandati Apoſtolici in clauſula motu proprio ꝟ. q. effectu quem non operetur*, ſecundo limitanda eſt, quando tacetur qualitas, quæ importat inhabilitatem perſonæ, cui confertur gratia, *Ioannes Andreas in c. ſi motu proprio nu. 1. de reſcriptis in 6.*, & *ibi Ancharanus n. 2, Dominicus n. 5, Felinus c. ad aures n. 7. caſu 1. de reſcriptis, Alexander de Neuo c. 9. circa num. 8. in fin. de conſang. Menochius de arbitrarijs lib. 2. cent. 3. caſ. 201. n. 81.*, & *ſeqq.*, qui omnes aſſerunt, clauſulam motus proprij non ſupplere inhabilitatem perſonæ; aduertunt tamen tunc gratiam diſpenſationis non irritari ob vitium ſubreptionis, quià, cum pars nihil petierit, non ſubrepſit, ſed ob ius commune aduerſans, in quo non præſumitur Pontifex velle diſpenſare, niſi expreſſam mentionem faciat.

30 Item niſi taceatur qualitas, quæ importet inhabilitatem perſonæ, cui confertur gratia.

Assertio IV. Si contigerit taciturnitas veri, aut falſi expreſſio pertinens ad cauſam finalem, hæcque reſpiciat totum reſcriptum, ſiuè tacita fuerit veritas, vel falſitas expoſita ex ignorantia, & ex ſimplicitate, ſiuè ex dolo, & fraude totum reſcriptum vitiatur; ſi verò hæc cauſa finalis reſpiciat tantum vnam partem reſcripti, & altera pars ſit omnino ſeparata, vitiabitur reſcriptum in illa parte, in qua contingit error, & non in altera; ſi tandem reſpiciat vnam tantum partem reſcripti, cum tamen ad inuicem partes habeant connexionem, ſint tamen ſeparabiles ad inuicem quoad valorem, valet reſcriptum quoad partem, in qua non ceſsat ratio finalis, ſi petitio fuerit ex ignorantia, & ſimplicitate, ſecus ſi ex dolo. Ita in vniuerſum *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 21. à n. 71. ad finem, Diana part. 8. tract. 3. reſol. 90. Merolla tom. 2. diſp. quæ. 6. n. 403.*, & *alij plures*.

31 Taciturnitas veri, vel falſi expreſſio pertinens ad totum reſcriptum illud vitiat quomodocunque contingat.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià taciturnitas veri, vel falſi expreſſio, quæ pertinent ad cauſam finalem ſecundum ſe irritat reſcriptum ſecundum eam rationem, ſecundum quam abſolutè retraheret Principem à diſpenſatione, ſi veritas non taceretur, nec falſitas exprimeretur, ergò, cum talis cauſa finalis præſuponatur reſpicere totum reſcriptum, totum abſolutè intelligitur perimere, cum quoad totum intelligatur abſolutè deficere cauſa finalis. Confirmatur, quià ſi taciturnitas veri, ſeù falſi expreſſio pertinens ad cauſam finalem reſpiciat vnicam dumtaxat partem reſcripti nemine diſcrepante illam partem perimit, ergò, ſi reſpiciat totum, debet totum perimere, quià, ſicuti ſe habet pars ad partem, ità totum ad totum.

Dixi *ſiuè ex ignorantia, & ſimplicitate, ſiuè ex dolo, & fraude*, quandòquidem irritatio diſpenſationis in ea hypotheſi potiſſimum prouenit ex defectu intentionis Principis impertientis diſpenſationem, cui, ſi exponeretur veritas, & falſitas abrogaretur, vtique non concederet, quique retrahitur ex deficientia cauſæ finalis quomodo-

32 Siuè proueniat ex ignorantia, ſiuè ex dolo.

Digitized by Google

modocunque contingeret, & parum quoad hoc refert, quod cauſæ finalis defectus contingat, ſiuè ex ignorantia, ſiuè ex dolo exponentis.

33
Si error contingat tantum in parte ſeparabili vitiat tantū eam partē.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià, quando illa duo ſunt ſeparata, irritatio quoad partem, circa quam cauſa finalis falſa non verſatur, non conſurgit, nec ex intentione concedentis, nec in pœnam doli commiſſi, ergò non eſt, cur vitietur ſecundum illam partem, reſpectu cuius non contingit cauſa finalis falſa. Antecedens quoad primam partem patet, tum quià, ſi illa pars ſpecialitèr peteretur, non denegaretur; tum quià, ſi duæ gratiæ, quæ ad inuicem nullam connexionem haberent, peterentur, & quoad vnam, vel falſum exprimeretur, vel verum cælaretur, quod pertineret ad cauſam finalem, quod nō contingeret quoad alteram, certè non eſſet ſubreptitia gratia, circa partem, circa quam, vel veritas cælata, vel falſitas manifeſtata non militaret, vt videre eſt in eo, qui ſimul peteret diſpenſationē, & pro voto caſtitatis, & pro voto peregrinationis ad limina Apoſtolorum Petri, & Pauli, & quoad vnum, vel falſam cauſam exponeret, vel veram reticeret, & non quoad alterum, tunc etenim quoad vnum, reſpectu cuius deficeret cauſa finalis, conſurgeret irritatio, non quoad alterum, reſpectu cuius illa cauſa non deficeret, prout docent *Sanchez lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 21. *n.*72. *Diana part.*8.*tract.*3. *reſol.*90. *Merolla tom.*2.*diſp* 4.*c.*6 *n.*403., ergò etiam, quandò petitur vna gratia, quæ patitur diuiſionem, nec vna pars communicat in eodem fine, & in eadem cauſa cum altera, & pro vna deficit cauſa finalis conceſſionis, & non pro altera, quamuis irritetur diſpenſatio quoad partem, pro qua deficit cauſa finalis, non tamen irritabitur quoad alteram, pro qua talis cauſa non deficit, quià, quod fuerint duæ gratiæ in vno reſcripto conceſſæ, vel fuerit vna, quæ patitur diuiſionem, nec vna pars communicet cum altera in eodem fine, & cauſa quoad effectum æquiparantur, & ſicuti duæ gratiæ in eodem reſcripto computantur materialitèr pro vna, cum ſecundum ſe, & formalitèr ſint diuerſæ, ita vna gratia, quæ patitur diuiſionem, & in qua partes non communicant, habebitur pro duabus gratijs, & erit ſolum materialiter vna.

Dices, obſtare textum *in c. ſuper literis de reſcript.*, vbi expreſsè indicatur, quod, quando per fraudem, & dolum impetratur reſcriptum ex falſa cauſa, vel ex veritate reticita, quæ erat neceſſario exponenda, reſcriptum ipſum inualidetur quoad totum, quantumvis quoad vnam partem non militet defectus illius cauſæ finalis. Ibi. *In ſua peruerſitatis pœnam nullum ex illis literis commodum conſequatur*, & hoc ad differentiam, quando impetratur reſcriptum per ignorantiam, & ſimplicitatē.

Explicatur textus in c. ſuper literis de reſcriptis.

Sed contra textus ille intelligendus eſt, non quando partes eiuſdem reſcripti ſunt omninò ſeparatæ, ſed ſolum, quando altera pars connexionem habet cum altera, vel abſolutè, vel ſaltem ex fine, & ex cauſa, vt, ſi v. g. impetretur diſpenſatio duplicis impedimenti in eodem reſcripto ad contrahendum matrimonium, & doloſe, vel falſa cauſa finalis exprimatur pro vna parte, vel veritas exponenda taceatur, tunc etenim in pœnam doli reſcriptum vitiatur quoad totum, cum ſit reſcriptum ad eandem cauſam, eundemque finem reſpiciens, & ratione eiuſdem cenſetur quoad vtramque partem moralitèr vnum.

34
Pœna delicti non extenditur vltra caſum expreſſum

Probatur iam antecedens quoad ſecundam partem, quod ſcilicet, quando illa duo ſunt omnino ſeparata non conſurgat irritatio reſcripti quoad totum in pœnam doli. Pœna delicti non extenditur vltra caſum expreſſum in textu, per quem inuritur talis pœna, ſed textus *in illo c. ſuper literis de reſcript.* non extenditur quoad diuerſa reſcripta, diuerſaſque gratias, quando illà ſunt ſeparata, & habent diuerſas cauſas, & fines, licet enim ſint materialiter vnum reſcriptum, ſeù in vno reſcripto, habent tamen vim duplicis gratiæ, ergo &c. Confirmatur *ex c. ſi eo tempore de reſcriptis in 6.* vbi dicitur, quod, ſi quis obtinuerit reſcriptum ad beneficium, ſiuè curatum, ſiuè ſimplex tacito defectu legitimæ ætatis ad curatum, cum tamen adeſſet legitima ad ſimplex, teneat quoad ſimplex, non quoad curatum, ergo &c.

35
Quando partes habent connexionem, ſunt tamen ſeparabiles quoad valorem, vitiatur reſcriptum, quoad totum, ſi error contigerit ex dolo, ſecus ſi ex ignorantia.

Ratio tertiæ partis deſumitur ex eodem textu *in c. ſuper literis de reſcript.* vbi aſſignatur diſcrimen, quando gratia patitur diuiſionem, & petitur tacita veritate, vel expreſſa falſitate ex ignorantia, vel ex ſimplicitate, ac quando petitur ex fraude, & dolo, & in primo ſenſu aſſerit non vitiari reſcriptum quoad totum, ſed tantum in ea parte, in qua deficit cauſa finalis; in ſecundo verò aſſerit vitiari quoad totum; ſed hæc diſpoſitio non poteſt verificari, niſi, quando reſcripti partes habent connexionem ſecundum ſe, ergo &c. Minor probatur, quià pœnæ ſtrictè ſemper ſunt interpretandæ, ergo reſtringendæ ſunt quoad irritationem gratiarum, quæ ad inuicem communicant, vel in fine, vel in cauſa, ad quam expediuntur, non extendendæ, quando gratiæ nullam adinuicem habent communicationem, & ſe habent per modum duplicis gratiæ, & reſcripti, quamvis vniantur matarialitèr in vnam.

36

Assertio V. Regularitèr loquendo impetrata duplici diſpenſatione ad eandem rem poſterior eſt ſubreptitia, ſi non

Digitized by Google

Impetrata duplici diſpenſatione ſecunda irritatur, ſi non facta fuerit mentio de prima, quando inter ipſas eſt diſſonantia, ſecus ſi nulla fuerit.

facta fuerit mentio de prima, quando inter primam, & ſecundam eſt aliqua diſſonantia, & partialis quædam contrarietas, ſecus, vbi nulla eſt diſſonantia, nullaque contrarietas, ſed vtraque eſt ſuper rebus diuerſis *Abbas c. penult. n 13. de præſcript. Ancharanus conſil. 131. in fine. Nauarrus lib 5. conſil. in prima edit. tit. de priuileg conſ. 12. n. 2., & lib. 4. tit. de conſang. conſ 5. in fine, Petrus de Ledeſma in ſumma ſacrament. vbi de matrimon. c. 27. poſt ſeptimam concl. dub. 3. Vega primo tom. ſumma c. 88. caſ. 3. Menochius de arbit. lib. 2 cent. 3. caſ. 203. n. 35. Gutierez lib. 2. qq canon c. 15 n. 92.*

Ratio in vniuerſum huius aſſertionis deducitur ex præſumpta Principis voluntate, prout colligitur *ex c. 2 de filijs presbit. in ſexto*, vbi expreſsè deciditur, ſubreptitiam eſſe poſteriorem diſpenſationem, qua Pontifex indulſit, vt illegitimus obtineat plura beneficia, ſi priùs ad vnum cum illo diſpenſatum ſit, & in poſteriori diſpenſatione non facta ſit mentio primæ, & ibi redditur ratio, quià, ſi Pontifex priorem diſpenſationem nouiſſet, probabile eſt, quod ſecundam non conceſſiſset; Neque dicas, illum textum ſolum importare, quod in ſecunda diſpenſatione neceſſario ſolum ſit facienda mentio de defectu illegitimitatis, non autem de priori diſpenſatione; ibi enim dicitur *diſpenſationem aliam tacito de prædicto defectu poſtmodum obtinent*, vbi nota illud verbum *tacito de prædicto defectu*, quod non inuoluit diſpenſationem priorem, ſed ſolummodo taciturnitatem defectus natalium; contra enim impugnaberis, quià, cum ille textus declaret poſteriorem diſpenſationem ex præſumpta Pontificis voluntate ſubreptitiam propter inuèriſimilitudinem, quod fuiſſet conceſſurus ampliorem, ſi cognouiſſet minus amplam conceſſiſſe, vtique ſubreptionem refundit in eo, quod non præciſè defectus non fuerit facta mentio, ſed prioris diſpenſationis, atque ſic illum textum intelligunt communiter DD. Vlterius aſſertio euincitur ex textu *in c. penult. de præſcript* vbi dicitur, quod in poſteriori priuilegio facienda ſit mentio de primo, quod prius cum moderatione fuit conceſſum, poſterius autem abſolutè.

Explicatur caſus particulares in quibus ſecunda irritatur ex taciturnitate primæ.

Hinc in particulari exemplificando docet *Bellamera c. penult. n. 4. de præſcript.*; quod, quando ſuper ætatis, natalium, aliorumque defectibus contra ius commune gratiam moderatam quis impetrauit, non poſſit ſubſequenter aliam ſuper eiſdem ampliorem legitimè impetrare, niſi facta mentione prioris ſtrictioris. Deindè *Rota Romana in noniſſimis tom 3. lib 3. deciſ. 91. n. 3.* aſſerit, quod, quando priuilegium partim ius commune continet, partim autem eſt contrariū ſecundum ſe eidem iuri aduerſans obiectum non facta mentione primi ſit omnino ſubreptitium, & inualidum, quod extendit ad quodcunque priuilegium, & quaſcunque conceſſiones; hæcque, non niſi quià huiuſmodi gratiæ ſunt quodamodo diſſonantes, & pertinentes ad vnum, nec præſumendum eſt, quod ſecundam Princeps conceſſiſſet, ſi de prima mentio habita fuiſſet,

Explicantur caſus, in quibus ſecunda non irritatur ex prima.

Ex aduerſo docent, ſecundam diſpenſationem tenere, quando etiam de prima nō eſt facta mentio primo, quando quis initiatus ordine ſubdiaconatus fuit diſpenſatus ad vxorem ducendam, & poſtea petit, vt diſpenſetur ad ducendam conſanguineam *Nauarrus lib. 5. conſil in prima edit. tit. de priuileg. conſ. 12 n. 2., & lib 4. tit. de conſang conſ 8. in fin. Petrus de Ledeſma in ſumma ſacram vbi de matrimon c. 27. poſt ſeptimam concl. dub. 3. Vega primo tom. ſumma c. 88. caſ. 3.* Ratio autem eſt, quià huiuſmodi conceſſiones ſunt de ſeparatis. Secundo, quod, ſi quis fuerit diſpenſatus ſuper vno impedimento, & deindè etiam ſuper altero nulla facta mentione primæ diſpenſationis, teneat etiam diſpenſatio ſuper ſecundo propter eandem rationem, & his ſimilia.

37 Niſi prima diſpenſatio eſſet ipſo iure nulla.

Limita tamen primo aſſertionem, etiam quando ſecunda diſpenſatio caderet ſuper eodem, ſuper quo prima diſpenſatio caderet, ſed hæc eſſet ipſo iure nulla *Gloſa c. ex tenore verb. negotio in fin. de reſcript., & ibi Abbas n. 6. Maſcardus de probat concl. 846. n. 20.* Ratio in promptu eſt, quià, cum prima ipſo iure inualida intelligatur, perinde ſe habet, ac ſi non fuerit impetrata, nec præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum per textum *in reg. non præſtat de reg iur. in ſexto*. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod data hac limitatione melioris eſſet conditionis, qui iniuſtè, & inique impetrauit primā diſpenſationem, ac ſit ille, qui impetrauit iuſtè, quandòquidem reſpectu iſtius non eſſet ſubreptitia ſecunda diſpenſatio amplior, quæ eſſet irrita reſpectu illius; Non, inquā, obeſſe poteſt, quià irritatio poſterioris diſpenſationis reſpectu vnius, & non alterius prouenit ex præſumpta Principis concedentis voluntate, qui non intelligitur velle mutare intentionem, ſi prius conceſſit moderatam diſpenſationem, aliam concedendo ampliorem, vndè, ſi prima eſſet æquè ampla, ac ſecunda, non video, cur irritanda eſſet prima, etiam ſi in ſecunda illius non fieret mentio, quià Princeps tunc non commutaret voluntatem: ſi enim primo conceſſit, non eſſet, cur ſecundo, ſi cognoſceret, non eſſet conceſsurus, quod non militat, quando prima eſſet ſubreptitia, & inualida; quià tunc illa non computaretur, cum nullius eſset valoris, ac proindè talis, ac ſi nec eſset poſita.

Limita

Digitized by Google

38 Niſi noua cauſa ſecũdum ſe ſufficiens ſuperueniret

Limita ſecundo, niſi ſuperueniret noua cauſa, quæ ſecundum ſe eſset ſufficiens ad nouam diſpenſationem obtinendam, ex quo præſumeretur Princeps conceſsurus, etiam ſi cognoſceret aliam diſpenſationem conceſsiſse, & noua illa cauſa ſuperueniens facit præſumere illam voluntatem Principis, quam limitationem etiam admittunt *Molina lib. 4. de primogen. c. 3. n. 42. Gutierez qq. canon. lib. 2. c. 15. nu. 95. Alter Molina Theologus tom. 3. de iuſt. diſp. 650, num. 4.*

39 Niſi noſceret concedens limitationem primæ.

Limita tertio, in caſu, quo concedens poſteriorem gratiam ample, & ſine aliqua reſtrictione noſſet prioris limitationem ex eo, quod ex ſtilo cancellariæ talis limitatio ſoleat apponi *Felinus c. penult. n. 2. de præſcrip.* tunc etenim ſecunda non eſset præſumenda contra Pontificis voluntatem, cum hic coniiceretur ſufficienter conſcius prioris limitationis. Alias limitationes vide apud *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 22. à n. 9. vſq. ad 20.*

40 Diſpenſatio ſecunda ſuper delicto in eodem genere non tenet non facta mentione primæ.

Assertio VI. Si impetrata fuerit ſemel ſuper eodem delicto valida diſpenſatio, & deinde aliud delictum in eodem genere fuerit patratum, & ſuper eodem petita fuerit diſpenſatio non facta mentione prioris diſpenſationis, ſecunda eſt omninò ſubreptitia, & inualida; ſecus verò, ſi aliud delictum, ſuper quo fuit impetrata ſecunda diſpenſatio, fuerit in diuerſo genere. Hoc exemplificari poteſt in eo, qui occidit vxorem, & adulterauit cum animo ducendi adulteram; ſi enim hic ſuper eo delicto impetrauerit diſpenſationem, vt contraheret cum eadem adultera, & deinde inito tali cõtractu adhuc cum altera adulterauerit, & vxorem occiderit, cum animo ducendi ſecundã adulteram, & ſubinde nouam impetrauerit diſpenſationem ad contrahendum cum ipſa non facta mentione prioris criminis, tunc ſecunda diſpenſatio eſset omninò ſubreptitia, & irrita; ſi verò ſecundo modo fidem dederit de matrimonio contrahendo cum ſecunda adultera, & cum eadem commiſerit adulterium, & deinde mortua prima vxore, cum qua prius adulterauit, & commiſit homicidium primæ coniugis ad effectum nubendi cum ipſa, impetrauerit diſpenſationem, & poſtea etiam mortua ſecunda impetrauerit aliam diſpenſationem ad contrahendum cum tertia, cum qua adulterauit, & cui fidem dedit, tunc diſpenſatio ſecunda tenebit, quantumvis non facta fuerit mentio de prima. Ita in vniuerſum *Nauarrus lib. 1. conſil. in vtraque edit. tit. de conſti. conſ. 1 tom. 1. q. 19. n. 53. Couar. lib. var. c. 20. n. 3. Gutierez qq. canon. lib. 2. c. 15. nu. 89. Ochagauia de ſacrament. matrimonij diſpenſ. tract. 1. q. 9. n. 17. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 75. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 22. n. 20.*

Expreſsè prima pars colligitur ex textu *in l. 3. C. de Epiſcopal. audientia*, vbi ſic legitur *Remiſſionem veniæ crimina, niſi ſemel remiſſa, non habeant*, & quidem congrua ratione hoc decernitur; non enim æquum eſt, vt qui beneficio, quo affectus eſt, abuſus fuit, eodem iterum atque iterum gaudeat, nec præſumi debet, quod Princeps in recidiuum in delicta enormia beneficentiam ſuam velit cumulare.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quià ſtatuta in ordine ad vnum crimen non ſunt extendenda in ordine ad crimina ſpecie diuerſa, cum vnius remiſſio non obſit remiſſioni alterius; atque ita ſentiunt *Boſſius in practica tit. de remedijs ex ſola clementia Principis n. 35. Padilla in l. tranſigere n. 69. C. de tranſact.* 41 Secus, ſi ſecũda fuerit ſuper delicto in diuerſo genere.

Assertio VII. Quando plura concurrunt impedimenta regularitèr ex neceſſitate non ſunt omnia ſimul in eadẽ diſpenſatione exponenda, quamvis tutius foret, ſi in eadẽ petitione, & impetratione exponerentur. Ità in ſimilibus videntur ſentire *Perez de matrim. diſp. 46. ſect. 5. n. 7. Diana part. 8. tract. 3 reſol. 57.*, & in terminis *Nauarrus lib. 4 conſ. tit. de conſanguin. in prima edit. conſ. 4. n. 2.*, & *3. Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. num. 8. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 59. art. vlt. dub. 2. difficult. 3. poſt tertiam concl. corrol. 1.* contra *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 23. nu. 2.*, & alios innumeros, quos ipſe refert, & ſequitur. 42 Quando plura concurrunt impedimenta ex neceſſitate non ſunt omnia ſimul exponenda.

Ratio ex eo deducitur primo; quià, vbicunque agitur de diuerſis impedimentis, remiſſio vnius non obſtat remiſſioni alterius, ergo poterit vnum remitti non remiſſo altero, quod poſtea remittatur in altera diſpenſatione. Antecedens patet quaſi inductione; & primo in eo, qui plures habet excommunicationes, qui tamen, ſi abſolutionem ſuper vna impetret reticita altera, valide impetrat, vt tradunt communiter *DD cum gloſa c. ex parte verb. redire de officio ord.* nec negat *Sanchez lib. 8. diſp. 23. n. 10.* quantumvis conetur afferre rationem diſparitatis inter abſolutionem à cenſuris diſparatis, & inter diſpenſationem ſuper impedimentis diuerſis fundatam in eo, quod iura decernant impedimenta omnia quoad diſpenſationis valorem eſse explicanda, non ſic omnes cenſuras quoad abſolutionis effectum; ſed hæc ratio diuerſitatis non obſtat, quandoquidem iura tantum decernunt omnia eſse aperienda quoad diſpenſationis valorem, quando ſunt connexa, nec ſic, quando ſunt omnino diſparata, nec vnum communicat cum alio. Quod, ſi dixerit idem Sanchez, quod licet huiuſmodi impedimenta non communicant in obiecto, communicent tamen in fine, cum omnia tendant ad idem matrimonium impediendum, & diſpenſationes ordinentur ad idem con-

Inſtantia Sanchez, eiuſque ſolutio.

Digitized by Google

contrahendum; ſtatim impugnabitur, nam meminiſſe debuerat Sanchez eorum, quæ docuerat diſputatione præcedenti, nempè 21. n. 71. ſcilicet, quando partes reſcripti habent adinuicem connexionem ratione finis, quem reſpiciunt, ſolum taciturnitatem doloſam circa cauſam finalem in vna parte eiuſdem reſcripti vitiare & alteram partem in pœnam ſcilicet doli, & delicti; non autem taciturnitatem ex ignorantia, & ſine dolo; quarè ad ſummum verificabitur inſtantia, quando non omnia aperiuntur ex dolo, & fraude, & ſine intentione, antequam deueniatur ad complementum contractus, obtinendi diſpenſationem in altera parte; Secundo patet idem antecedens in eo, qui in curia Romana impetrat diſpenſationem ſuper impedimento matrimonij non facta mentione de alio, & ſi poſtea ſuper hoc alio aliam obtineat diſpenſationem validè quoad vtramque impetrat, vt de ſtilo curiæ Romanæ teſtatur *Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de ſponſal. conſ. 2. n. 1, & tit. de conſang. conſ. 1. n. 2., & conſ. 2. n vnico, & conſil 5. n. 2., & ſeqq.* Tertiò in eo, qui affectus duplici impedimento altero conſanguinitatis ex crimine occulto, altero in alio genere, ſed publico, ſuper publico obtinet diſpenſationē in curia, & ſuper alterò occulto in ſacra pænitētiaria, & diſpenſatio in vtroq; ſecundum communē DD. conſenſum ſimplicitèr tenet. Quarto in eo, qui affectus duplici crimine remiſſionem veniæ quoad vtrumque ſucceſſiuè impetrat.

Stilus curiæ Romanæ fauet aſſerto.

Ratio ex eo deduci poteſt ſecundo, quod docet idem *Sanchez d. lib 8. diſp. 21. nu. 78.* nempè per ſubreptionem doloſam circa alterius ſolum partis cauſam finalem non irritari ipſo iure diſpenſationem quoad totum, ſed tantum quoad eam partem, in qua contigit eadem ſubreptio, quamvis quoad alteram partem ſit Iudicis ſententia irritanda, quod multis rationibus probat, & primo, quià textus *in c. ſuper literis de reſcriptis*, per quem diſponitur irritatio, ſolum ſtatuit debere impetrantem carere alterius partis commodo, quæ alias vtilis erit, & hoc in pœnam doli, & ſic irritatio ſequitur naturam pœnæ, quæ ex genere ſuo non incurritur ipſo iure, ſed poſt Iudicis ſententiam, niſi alitèr exprimatur. Secundo, quià hoc ius irritans diſpenſationem quoad vtramque partem eſt pœnale, & correctorium iuris communis illius, quo dicitur, quod vtile per inutile non vitietur, quando illa duo admittunt commodam ſeparationem, ergo potius eſt valde reſtringendū, adeovt ea pœna non intelligatur ipſo iure inducta. Tertiò, quià hæc irritatio non eſt omninò rei nondum acquiſitæ, cum ius habeat impetrans, vt vtilis pars diſpenſationis non vitietur per inutilem, idque in ipſo iure Pontificis fundatur. Hæc ille, ergo, ſi eadem diſpenſatio quoad partem vtilem per Iudicis ſententiam non reuocetur, poterit diſpenſatus in iure illius permanere, & per conſequens, ſi ante illam reuocationem impetrationem ſuper illa parte doloſa conſecutus fuerit, non poterit amplius reuocari, quià fundamentum poteſtatis ad reuocandum eſt dolus commiſſus, ergo illo reuocato per legitimam diſpenſationem, & impetrationem non erit amplius locus reuocationi. Deinde, ſi hoc valet, quando impetratio doloſa fuit commiſſa in vna parte, ita vt teneat, quouſque per Iudicis ſententiam reuocetur quoad alteram, cur valere non debet, quando impetratio fuit commiſſa ſine dolo, & cum animo diſpenſationem obtinendi ſuper altera parte tunc reticita? Tandem, ſi illa irritatio eſt in pænam doli, quomodo poteſt habere locum, quando eſt ſine dolo?

Rationes aliæ euincentes aſſertum.

Dices primo, non tenere diſpenſationem, quando omnia impedimenta ſimul non exponuntur, quià Pontifex faciliori negotio illam diſpenſationem pluribus perſonis concederet, at vni tantum quoad illa omnia nullatenus concederet; nam non præſumitur Princeps velle promoueſe odioſos, ac multiplicitèr criminoſos, vt notant *Baldus in l. Barbarius num. 8. verſ. quarto contra hoc ff de offic. Prætoris, & Ripa reſponſ. 14 de reſcript. n. 11.* Sed contra; hoc, quod aſſeritur in inſtantia ſolum innuit, quod Princeps maiori cum difficultate eſſet conceſſurus diſpenſationem, ſi omnia ſimul proponerentur; hoc autem non ſufficit ad ſubreptionem, niſi, vel ius aliquod cogat, vel aliæ circumſtantiæ, & rationes concurrant; hic autem nullum eſt ius, nec ratio ſuuet, quià, vt aſſerit *Diana d. part. 8. tract. 3. reſol. 57.* pluralitas impedimentorum ad ſummum reddit perſonam minus inhabilem extenſiuè, & minus dignam quocumque beneficio, non autem inducit ſurreptionem quoad legitimè petita, & conceſſa cum plena voluntate, & cum cognitione omnium, quæ pertinent ad valorem talis actus quoad impedimentum expoſitum; hocque colligitur in impetratione veniæ ſuper vno crimine nulla facta mentione de alijs criminibus, & in alijs exemplis allatis in prima probatione huius aſſertionis; in quibus certè implicatus pluribus inhabilitatibus, & delictis videtur minus dignus, & tamen, ſi Princeps diſpenſet ſuper vno, vel ſuper vna, dicitur tenere diſpenſatio. Deinde ipſe Sanchez, qui potiſſimum innititur rationi adductæ in hac inſtantia ad aſſerendum reddi ſubreptitiam diſpenſationem, quando omnia ſimul non exponuntur, aſſerit *diſp. 21. n. 18.*, quod quando

Oppoſita ad aſſertū, eorumque ſolutio.

quando qualitates, quæ reticentur, ſunt extrinſecæ, non ſunt neceſsario explicandę, neque earum taciturnitas reddat diſpenſationem ſubreptitiam, quamvis ijs expreſſis Princeps non concederet; quod multis exemplis illuſtrat, & primo in eo, qui multis criminibus eſt irretitus non reddentibus beneficij incapacem valide ijs tacitis impetrat collationis gratiam, quamuis certò conſtet, vt Pontifex eorum conſcius gratiam denegaret; ſecundo in donationibus gratuitis, & eleemoſinis conceſſis pauperi vaferrimo, quæ certè, ſi concedantur, tenent, quantumuis, ſi donans, ſeù concedens nouiſset nequitiam pauperis, non conceſſiſset, nec contuliſset. Quando autem impedimenta, ſeù inhabilitates ſunt diuerſi generis, vnum, ſeù vna non pertinet intrinſecè ad diſpenſationem alterius, ſed ſolum ex intentione, ſeù affectu Principis concedentis, ſeù diſpenſantis, quod reincidit cum reſponſione eiuſdem Sanchez aſserentis, quod taciturnitas in qualitatibus extrinſecis non irritet diſpenſationem conceſſam in alio genere, in quo concurrit proportionata cauſa finalis, quantumvis, ſi omnia eſsent expoſita, Princeps illam non conceſſiſset.

Dices ſecundo, in iure diſponi, quod in diſpenſationibus, ne ſubreptionis vitio notentur, omnia debeant exprimi, quæ habent ſecundum ſe dirimere actum, ad quem ineundum diſpenſationes ipſæ ordinantur, ergò, ſi omnia in eadem diſpenſatione non exponantur, erit abſolutè irrita diſpenſatio. Sed contrà, quià quamvis iura præcipiant omnia exponenda eſse ad effectum, vt matrimonium v. gr. poſſit valide iniri, non tamen præcipiunt omnia in eadem diſpenſatione exprimi debere, vndè ſufficiet, quod, antequam contrahatur, omnia fuerint expoſita, & ſuper omnibus diſpenſatum, & licet difficilius eſset Pontifex diſpenſaturus expoſitis omnibus, hæc tamen maior difficultas non facit diſpenſationem, ſi fuerit conceſsa, ſubreptionis vitio laborare iuxta ſuperius notata.

Sufficit, quod antequam contrahatur omnia fuerint expoſita.

Dixi in aſsertione, *regulariter loquendo*, nam fallit in primis aſsertio, quando taciturnitas quoad vnum impedimentum eſset doloſa, & hoc non attenta præcisè natura diſpenſationis, ſed attenta diſpoſitione iuris, quod in pœnam doli induxit talem irritationem quoad omnia. Deindè fallit etiam, quandò illa impedimenta, ſeù inhabilitates ſunt ſecundum ſe ex obiecto connexæ, adeo vt ſeparabiles non ſint, tunc etenim ex irritatione vnius, & altera diſpenſatio irritatur. Tertiò, quandò iura præcipiunt omnia ſimul aperienda eſse, & non ſucceſſiuè; tunc etenim illa ſimultanea expoſitio habetur pro forma; forma autem eſt ad vnguem obſeruanda per textum *in l. 1., & ibi Baldus ff. de liberis, ac poſthumis*, & in hac limitatione omnes ferè conueniunt.

43 Exceptio, ſi taciturnitas eſset doloſa.

44 Niſi impedimenta eſsent connexa.

45 Et niſi iura præciperent omnia ſimul exponi.

PRÆNOTIO XXII.

Nonnulla corrollaria ad præcedentem prænotionem.

SVMMARIVM.

Diſpenſatio cum taciturnitate prioris negationis non eſt ſubreptitia. 1.
Diſpenſatio facta, vel à ſuperiore, vel ab æquali nulla facta mentione negationis prius habita ab inferiori non eſt irrita. 2.
Facta ab inferiori non facta mentione negationis habita à ſuperiore tenet. 3.
Concurrentibus ſimul voto Religionis, & caſtitatis, ſiuè petatur prius diſpenſatio ſuper voto Religionis, & poſteà caſtitatis, ſiuè è contra in ordine ad contrahendum matrimonium, & alterum taceatur, redditur inualida diſpenſatio, ſi contingat ex dolo, ſecus, ſi ex ignorantia. 4.
Quomodocunque petatur, ſi non ſit in ordine ad matrimonium reticito altero non redditur inualida diſpenſatio. 5.
Probabilius ex pluribus homicidijs non contrahuntur plures irregularitates. 6.
In hypotheſi, quâ ex pluribus homicidijs plures contraherentur irregularitates, poſſent diſtinctim diſpenſationes ſuper ſingulis obtineri. 7.
Quid dicendum ſit, ſi ceſſante duplici impedimento ex delicto, ſiuè in eodem, ſiuè in diuerſo genere, petita fuerit diſpenſatio ſuper ſecundo non facta mentione diſpenſationis primæ. 8.
Obtenta diſpenſatione ad contrahendum cum conſanguinea, & deinde contracto cum alia alio matrimonio probabilius eodem matrimonio diſſoluto poteſt diſpenſatus contrahere cum conſanguinea ex vi illius diſpenſationis. 9.
Obtenta diſpenſatione ad contrahendum cum conſanguinea, ſi diſpenſatus cum alia conſanguinea contrahat ex vi alterius diſpenſationis, non poteſt hac mortua ex vi prioris diſpenſationis cum prima contrahere. 10.
Si diſpenſatio fuerit commiſſa Epiſcopo ſuper conſanguinitate, & diſpenſandus tranſierit pendente commiſſione ad alia vota, cum non conſanguinea, poteſt mortua hac coniuge petere ab Epiſcopo executionem commiſſionis ad contrahendum cum conſanguinea. num. 11.

Dubium primum expoſitum

DVbitatur primo, an, ſi primo fuerit petita diſpenſatio ſuper vno impedimento à Principe, ab eoque fuerit denegata,

gata, & deindè iterum petita, & conceſſa ſine expreſſione primæ negationis intelligatur ſubreptitia, & inualida?

Sententia Menochij ſuper dubio propoſito.

Menochius *de arbitrarijs lib. 2. cent. 3. caſ.* 203 *n. 6.* vbi alios plures refert, in caſu particulari de legitimatione illegitimi aſſerit ſubreptitiam haberi huiuſmodi legitimationem, ſeu diſpenſationem ſuper defectu natalium, ſi primo fuerit petita, & à principe denegata, & deindè tractu temporis petita, & conceſſa ſine expreſſione prioris denegationis; & hoc dictum à paritate rationis videtur extendendum ad quodcunque aliud impedimentum, ſeu inhabilitatem. Rationem eam arbitror eſſe, quià veriſimile non eſt, quòd, ſi Princeps recordaretur prioris negationis, modo eſſet conceſſurus, ne videretur facile mutabilis noua non emergente ratione. Nihilominus

1 Diſpẽſatio cum taciturnitate prioris negationis non eſt inualida.

Reſpondeo illam diſpenſationem cum taciturnitate prioris negationis non eſſe ſubreptitiam, nec inualidam. *Suarez lib. 2. de legibus c. 22. Sanchez lib. 8. de matrimonio diſp. 22. n. 14. Amicus tom. 5. diſp. 6. ſect. 8. n. 120. Granadus in p. 2 controuerſ. 7. tract. 3. part. 2. diſp. 17. ſect. 5. num. 48. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 54.* Ratio ex eo deſumitur, quià nullibi in iure cauetur, quòd mentio talis negationis ſit neceſſario facienda, & ratio, quæ ex aduerſo adducitur, nullã penitus vim habere poteſt, cùm potius præſumi debeat Princeps ad iteratas inſtantias, & ſupplicationes facilius conceſſurus gratiam diſpenſationis, quam negaturus.

Secundum dubium.

Dubitatur ſecundo, an, ſi primò gratia diſpenſationis fuerit negata ab vno ſuperiore, & impetrata ab alio æquali nulla facta mentione negationis factæ à primo, gratia ipſa intelligatur ſubreptitia, & inualida; quod idem inquiri poteſt, quando fuit primo negata ab inferiori puta ab Epiſcopo, & poſtea conceſſa à ſuperiore puta à Pontifice nulla habita notitia prioris negationis; & vice verſa, ſi fuerit primò negata à Pontifice, & poſtea conceſſa ab Epiſcopo.

Procedit de iure cõmuni ſpectata natura diſpenſationis.

Dubitatio hæc examinanda eſt attento præcisè iure communi, & ſpectata principaliter natura diſpenſationis; ſi enim alicubi per ius municipale cautum ſit, quòd ſubreptitia habeatur diſpenſatio obtenta à ſuperiore non facta mentione negationis habitæ ab inferiori, vel viceuerſa ab inferiore non certiorato de negatione ſuperioris, vt expreſſe habetur, & ſpecialiter in conſtitutionibus congregationis noſtræ, tunc ſine dubio habebuntur diſpenſationes pro irritis non conceſſis.

2 Reſpondeo, diſpenſationes factas, vel à ſuperiori, vel ab æquali habente poteſtatẽ ad diſpenſandum nulla facta mentione negationis habitæ ab inferiori nõ eſſe irritas, nec ſubreptitias *Amicus tom. 5. diſp. 6. ſect. 8. n. 120. Granadus in part. 2. controu. 7. tract. 3. part. 2. diſp. 17. ſect. 5. n. 48. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 54.* Ratio eſt, quià poteſtas ſuperioris non limitatur per negationem in aliquo determinato caſu habitam ab inferiori, vel ab æquali, cũ ille moueatur ex ſufficienti cauſa ſibi propoſita, & motiuũ conceſſionis eſt eadem cauſa, ergo, ſi ille abſolutè conceſſerit, non erit inualida cenſenda diſpenſatio ex eo, quod negatio ab inferiori, vel ab æquali habita non fuerit repræſentata; quinimmo ex eo, quod recurſus habitus fuerit ad ſuperiorem, cum conueniri poſſet inferior, præſumere poteſt ipſe ſuperior, quod inferior noluerit diſpenſare.

Facta à ſuperiori nõ facta mentione negationis habitæ ab inferiori tenet.

3 Reſpondeo ſecundo non redditur ſubreptitia, nec inualida diſpenſatio facta ab inferiore potente de iure diſpenſare ex eo, quod negata fuerit à ſuperiore, nec certioratus inferior de tali negatione. Hæc reſponſio elucet ex ſuperius dictis, ad quæ propterea vos remitto; & ex his fortius euincitur ſuperior reſponſio.

Facta ab inferiori ſine mentione negationis habitæ à ſuperiori tenet.

Tertium dubium.

Dubitatur tertio, an, ſi quis habeat votum caſtitatis, & Religionis ſimul, & petat à Pontifice diſpenſationem vnius, teneatur alterum manifeſtare ſub pœna vitij ſubreptionis.

Sententia Suarez explicatur.

Suarez *lib. 6. de legibus* ſuſtinet fore validam diſpenſationem, ſi prius incipiatur à voto Religionis nulla etiam facta mentione voti caſtitatis, ſecus, ſi incipiatur à voto caſtitatis nulla facta mentione voti Religionis. Rationem vtriuſque ex eo deducit, quià quando prius petitur diſpenſatio ſuper voto Religionis, non difficilior redderetur eadem diſpenſatio, ſi ſimul exponeretur votum caſtitatis, quin potius facilior; non enim præſumendum eſt, quod Pontifex ſit denegaturus, vel difficilius conceſſurus gratiã diſpenſationis ſuper voto Religionis ex eo, quod diſpenſandus ſit ſimul affectus voto caſtitatis; quid enim officit, quod quis ſolutus voto Religionis remaneat adhuc ligatus voto caſtitatis? votum enim caſtitatis perpetuæ retinet quandam participationem voti Religionis. Quando verò prius petitur diſpenſatio ſuper voto caſtitatis irrationabilis videtur exemptio ab eodem manente adhuc voto Religionis, cum nec ad matrimonium contrahendum illi ſufficiat, & maximè deceat, vt qui Religionis obligationem habet, interim caſtitatem ſeruet; Accedit, quod, qui Religionis voto eſt adſtrictus, videtur etiam obligatus ad caſtitatem; quandòquidem non poteſt nubere, & ſic nec vti actibus coniugalibus, & ab actibus fornicarijs tenetur abſtinere ratione præcepti diuini, & naturalis.

Pro ſolutione notandum eſt, in vtroque caſu, ſiuè præpropere petatur diſpenſatio

Nonnulla conſiderabilia circa dubium.

ſatio ſuper voto Religionis, & præpoſterè ſuper voto caſtitatis, ſiuè è cõtra præpoperè ſuper voto caſtitatis, & ſucceſſiuè ſuper voto Religionis, an eadem diſpenſatio peteretur in ordine ad matrimonium contrahendum etiam in generali, an veró tantum, vt deobligetur à Religione firmo adhuc manente voto caſtitatis ad aliquem alium finem, puta ad ſubueniendum parentibus, vel ad effugienda onera Religionis, cum ſibi nimis ardua videantur, vel à voto caſtitatis ad effugiendum periculum incontinentiæ, vel ad aliquem alium rationabilem finem. Quibus poſitis

4 Si vtrumque ſimul non manifeſtetur ex dolo in ordine ad contrahendum matrimonium redditur inualida, ſecus ſi ex ignorantia.

Reſpondeo primo, ſi diſpenſatio vtroque modo petatur in ordine ad contrahendum matrimonium, & doloſè alterum votum reticeatur, diſpenſatio ſecundum ſe abſolutè redditur vitioſa, & ſubreptitia: ſi veró ſine dolo, ſed quodamodo ex ſimplicitate non redditur ſubreptitia quoad partem vtilem; vnde poterit ſubſequenter validè impetrari ſuper alia parte, ſuper qua prius non fuit petita. Cõſonat cum ijs, quę ſuperius diximus, & vtraque pars eluce*et ex ſuper literis de reſcriptis*, vbi in pœnam doli declaratur diſpenſatio ſecundum ſe totum inualida, vbi verò dolus non eſt, pars vtilis per inutilem non vitietur: Neque obeſſe poteſt, quod quodamodo vtrumque votum in vnum conferat; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet huiuſmodi vota aliquo modo in ratione finis ſibi cohereant, ſunt tamen ſecundum ſe ſeparabilia, & vnum poteſt ſubſiſtere ſine alio, vt videbimus in ſequenti reſponſione, & ſic de ijs eo modo ratiocinandum eſt, quo ſupra proceſſimus de duobus impedimentis ſecundum ſe ſeparabilibus, communicantibus tamen in eodem fine.

5 Siuè prius ſuper vno, ſiuè ſuper altero petatur reticito in vtroque caſu altero non redditur irrita diſpenſatio præciſo ordine ad matrimonium

Reſpondeo ſecundo, ſiuè prius petatur diſpenſatio ſuper voto Religionis, ſiuè prius ſuper voto caſtitatis reticito in vtroque caſu altero voto præciſo ordine ad matrimonium diſpenſationes huiuſmodi non redduntur irritæ, nec ſubreptitiæ. In primam partem conſentit *Suarez loc. cit.* cum DD. mox allegandis. In ſecundam conſentiunt *Baſilius Pontius de Matrimonio lib. 8. c. 27. n. 24. Caſtrus Palaus tom. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 16. §. 4. nu. 13.* Pro prima parte faciunt rationes adductæ à Suarez, quas ſupra adduximus, quibus hanc vnam adde, quia poteſt militare ratio, ſeu cauſa finalis ad eximendum ab onere Religionis, puta neceſſitas parentum, & mala valetudo, quæ non militet ad eximendum ab onere caſtitatis, ergo poterit ſuper illo impetrari diſpenſatio reticito voto caſtitatis, ſeu non facta mentione de iſto. Pro ſecunda parte hæ militant rationes, quia poteſt eſſe vtilis diſpenſatio ſuper voto caſtitatis firmo adhuc manente voto Religionis, ergo non erit, cur ſuper illo exiſtente legitima cauſa non poſſit impetrari validè diſpenſatio adhùc reticito voto Religionis. Antecedens probatur primo, quia votum Religionis non obligat ad perſeuerandum quotieſcunque pro tempore probationis ex vtraque parte, Religionis ſcilicet, & eiuſdem obſtricti tali voto ardua apparet perſeuerantia, ergo talis diſpenſatio vtilis erit, ſi non perſeueret. Secundò pro tempore, quo adſtrictus tali voto Religionem experitur, vtilis eſt talis diſpenſatio, ne tot peccata committat, ergo &c.

Quartum dubium.

Dubitatur quarto. An, ſi quis plura homicidia commiſerit, contraxerit plures irregularitates neceſſario in eadem diſpenſatione explicandas?

Duplex ſenſus difficultatis propoſitæ.

Hæc dubitatio poteſt habere duplicem ſenſum, primo, an ſcilicet per plura homicidia contrahantur plures irregularitates numero diſtinctæ, an verò vnica dumtaxat per primum homicidium, & per ſubſequentia ſolummodo eadem firmetur. Secundo ex ſuppoſitione, quod diuerſæ contrahantur, an omnes ſint ex neceſſitate in eadem diſpenſatione explicandæ, an verò ſufficiat, quòd explicentur in diuerſis.

Sententia Suarez aſſerentis duplicem contrahi irregularitatẽ.

Suarez *de legibus lib. 6. c. 24. n. 12.* ſuſtinet contrahi diuerſas in numero irregularitates, quæ omnes ſint in eadem diſpenſatione exponendæ. Rationem adducit fundatam in eo, quia licet irregularitates illæ ſint inter ſe numero diuerſæ, moralitèr tamen afficiant vnam grauiorem, vel certè vna illarum non ſatis abſque alia explicari poteſt. Quòd verò contrahantur diuerſæ in numero, ex eo videtur euincere, quia per primum homicidium vna, & integra contrahitur irregularitas, ergo non eſt, cur alia non contrahatur per aliud, quæ ſit diſtincta à prima. Nihilominus

6 Probabilius non cõtrahuntur plures irregularitates

Reſpondeo primo, ſatis probabile eſſe per plura homicidia non contrahi plures diſtinctas irregularitates, ſed omnia homicidia cadere ſupra eandem *Henriquez lib. 12. c. 10. §. 3., & lib. 14. c. 7. §. 3. Sanchez lib. 8. de matrimonio diſp. 24. num. 7. Auila diſput. 10. de irregularit. dubio 8., & in ſimilibus Zerola in praxi ſecunda part. verb irregularitas §. 12. ad finem, Garzia 8. part. de benefic. c. 3. nu. 80. ad 87. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 58.* Ratio ex eo deducitur, quia irregularitas proueniens ex homicidio inhabilitat perſonam irregularem per modum habitus ad eccleſiaſtica munera, & quidem priuatiuè, ergo per aliud homicidium non poteſt alia induci, cum vna inhabilitas ex eadem cauſa non poſſit ſuper aliã operari, nec vna priuatio ſupra aliam: Propter hanc rationem docent primo *Nauarrus conſ. 3. de raptoribus n. 6. & Garzias loco cit. Henriquez lib. 13.*

Digitized by Google

de excommunicatione c. vlt. n. 2. in comment lit. M. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. num. 7., quod, qui ſæpius in excommunicatione celebrauit, non contrahat plures diſtinctas irregularitates. Secundo aſſerunt *Sanchez loc. cit. Toletus lib. 7. c. 19. ad fin.*, *Azorius tertia part. lib 3. c. 10. q. 1. Garzias loc. cit. nu. 77.* non contrahere diuerſam numero affinitatem illum, qui ſæpius fornicatus eſt cum eadem conſanguinea, nec teneri omnium delictorum mentionem facere in diſpenſatione obtinenda. Tertio docent, non contrahere diuerſam bigamiam neceſsario in diſpenſatione obtinendam, qui ter, vel quater contraxit nuptias *Garzias loc. cit. nu. 79. Sanchez lib. 7. diſp. 87. n. 24. Henriquez lib. 12. c. 6. §. 9. Vgolinus de irregul. c. 56. §. 7. n. 3. Auila de cenſuris 7. parte diſp. 8. in fin.*

Qui ſæpius celebrat in excommunicatione non cõtrahit plures irregularitates.

Dices, ſi quis fornicatus fuerit cum diuerſis conſanguineis eiuſdem fœminæ, vtique contrahit diuerſas numero affinitates, eaſdemque tenetur in impetratione diſpenſationis explicare, ergò etiam, qui plura in diuerſis perſonis homicidia commiſit, contrahere dicendus eſt plures irregularitates diſtinctas, & vtique in eadem impetratione explicandas. Sed contrà admiſso antecedente neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod affinitas, cum conſiſtat in quadam coniunctione, ſeù fundetur in coniunctione, importat ex genere ſuo relationem ad diuerſas perſonas, ex quarum coniunctione reſultat affinitas cum alijs cum eiſdem coniunctis, vndè, ſi fuerint tales coniunctiones cum diſtinctis perſonis, vtique erunt affinitates diuerſæ, cum procedant ex diuerſis principijs, & cauſis; ſic principium vnius affinitatis cum Berta v. g. eſt coniunctio Caij cum Sempronia conſanguinea eiuſdem Bertæ; principiũ verò alterius affinitatis cum eadem Berta eſt coniunctio eiuſdem Caij cum Fœlicita altera conſanguinea eiuſdem Bertæ; vbi autem diuerſum eſt principium, non poteſt eſſe, niſi diuerſus ſaltem in numero effectus; principium autem irregularitatis ex homicidio potiſſimum prouenit ex actione homicidæ, cum importet lenitatem; ad quam ſolum materialitèr ſe habet occiſus, & terminatiuè, cæterum tota lenitas, quæ eſt ratio, ob quam formalitèr inducta eſt irregularitas, prouenit ab accidente.

Prouenit ex diuerſo principio affinitas cũ diuerſis cõſanguineis

7 In impetratione diſpenſationis nõ ſunt neceſſariò exprimenda ſingula homicidia.

Ex hac aſſertione ſic comprobata ſequitur, quòd in impetratione diſpenſationis non ſint neceſsario exponenda ſingula homicidia: diſpenſatio etenim cadit ſuper irregularitate, & cum non contrahantur diſtinctæ numero irregularitates non eſt, cur debeant exprimi; Neque dicas, quod licet ex diuerſis homicidijs non contrahantur diuerſæ irregularitates, ſingula tamen homicidia moralitèr conſtituant vnam irregularitatem grauiorem, & difficilius diſpenſabilem; contra enim impugnaberis, quià licet diuerſa, & diſtincta homicidia conſtituant diuerſa numero delicta, non tamen ſingula delicta augent irregularitatem, nec conſtituunt diuerſas numero irregularitates, cum priuatio non admittat, nec intenſionem, nec extenſionem; vndè ad ſummum dici poteſt, quod irregularitati, ſeù priuationi addantur in illis repetitis delictis nouæ actiones, quibus ſufficientèr contraheretur irregularitas, ſi iam contracta non fuiſset; & proptèr hanc eandem rationem docent, quod affinitas orta ex iterata copula cum conſanguinea non ſit in diſpenſatione exponenda, nec multiplicatæ nuptiæ in impetratione ſuper impedimento bigamiæ. Quamobrem neſcio, qua conſequentia *Diana d. part. 8. tract. 3. reſol. 58.* docuerit ad effectum validæ diſpenſationis ſuper irregularitate orta ex homicidio non eſse neceſse explicare diuerſa, & diſtincta homicidia, dum *reſol. præcedenti nempe 57. verſ. notandum eſt tamen*, docuit, quod homicida nihil faciet, ſi vno tantum homicidio narrato ex multis, quæ patrauit, velit diſpenſationem ſuper irregularitate impetrare. Hæc etenim duo ſunt expreſsè contradictoria, vt ex ſe patet.

Cenſura inconſequentiæ Dianæ.

8 Poſſent diſtinctim diſpenſationes ſuper ſingulis obtineri.

Reſpondeo ſecundo, ex ſuppoſitione, quod ex ſingulis homicidijs diſtinctæ numero contrahantur irregularitates, poſſent diſtinctim diſpenſationes ſuper ſingulis obtineri *Caſtrus Palaus tom. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 16. §. 4. n. 16.*, cui videntur adhærere *Diana part. 8 tract. 3. reſol. 58., & alij*. Ratio ex eo deſumitur, quià huiuſmodi irregularitates ex ſuppoſitione diſtinctionis non coaleſcunt in vnam, nec vnam conſtituunt intenſiuè, ſed ad ſummum extenſiuè, ergò non eſt, cur non poſſit impetrari diſpenſatio ſuper vna ſine alia, ſicuti non eſt, cur non poſſit impetrari venia ſuper vno homicidio, & non ſuper alio.

Dubium quintum.

Dubitatur quinto. An, ſi quis obtinuerit vnam diſpenſationem, vel in eodem, vel in diuerſo genere, & ſucceſſiuè alteram non facta mentione de prima, ſecunda intelligatur ſubreptitia, vel inualida?

9 Reſolutio dubij reſiſtiuè.

Iuxtà ſuperius dicta dirimenda eſt hæc dubitatio; vel etenim diſpenſationes illæ ſunt de rebus omninò diſtinctis, & non communicantibus, vel de omninò connexis, vel de diſiunctis, ſed communicantibus in eodem fine, quatenus ad eundem ordinantur. Si ſint de rebus omninò diſiunctis, & non communicantibus, non eſt dubium, quin ſecunda ſit valida, etiam ſi in impetratione eiuſdem non

Digitized by Google

non ſit facta mentio de prima, & ad hoc conſonant omnes rationes, & iura ſupra allegata, cum etenim ad inuicem non communicent, vna non habet alteram impedire, nec remiſſio vnius dependet à remiſſione alterius. Si ſint de omninò connexis, ſicuti prima eſt omninò inualida ſine alia, ita & hæc alia ſine illa; ſi tandem ſit de disjunctis, ſed communicantibus in eodem fine, videndum eſt, an impetratio primæ fuerit doloſa, an verò ex ſimplicitate, & ignorantia; ſi doloſa, cum irritetur diſpenſatio quoad totum in pœnam doli, perindè ſecunda ſe habebit ad illam ac ſi non fuiſſet poſita, adeoque de eadem ſecunda eodem modo Phyloſophandum erit, quo dictum fuit de prima non facta mentione alterius; ſi non fuerit doloſa, ſed ex ſimplicitate; tunc abſolutè dicendum erit ſecundam fore etiam validam, quantumvis de prima non facta fuerit mentio; cum etenim prima ſubſiſtat ex ſuperius dictis, ac proindè per illam ſublatum fuerit impedimentum, non eſt, cur de illa in impetratione ſecundæ facienda ſit ex neceſſitate mentio.

Dubium ſextum.

Dubitatur ſextò. An, ſi quis diſpenſationem obtinuerit ad contrahendum matrimonium cum conſanguinea, & deindè nullo habito reſpectu ad eandem diſpenſationem contraxerit matrimonium cum alia non conſanguinea poſſit præmortua coniuge non conſanguinea ex vi illius diſpenſationis nubere conſanguineæ, in ordine ad quam illam diſpenſationem impetrauerat.

Videtur abſolutè dicendum, præmortua prima vxore non conſanguinea non poſſe vti diſpenſatione prius habita ad nubendum conſanguineæ in ordine ad quam illa diſpenſatio fuerat impetrata; quandò quidem, ex quo eadem impetrata nupſit alteri non conſanguineæ, videtur eidem diſpenſationi renuntiaſſe, qua propterea non poteſt amplius gaudere. Deindè non ſolum ex vi illius implicitæ renuntiationis non poteſt amplius gaudere priuilegio diſpenſationis, ſed etiam ex vi, & natura eiuſdem priuilegij, quandòquidem mutatione perſonæ mutatur priuilegium *arg. l. per procuratorem 88. ff. de acqu. hæred.*, & conceſſio facta intelligitur rebus in eodem ſtatu permanentibus *Monachus c. ſtatutum el 2. n. 9. de hæret. in 6.* Quis autem dubitet, mutari perſonam, & ſtatum rerum ex eo, quod diſpenſatus ad contrahendum cum conſanguinea omiſſa diſpenſatione, & neglecta conſanguinea contraxerit cum alia? Tandem, quia ipſa diſpenſatio ad nubendum cum conſanguinea non eſt completa, cum adhuc non fuerit ad actum redacta, adeoque non videtur adhuc ſublatum impedimentum

Rationes afferentes obtenta diſpéſatione ad contrahendum cum conſanguinea non poſſe contracto alio matrimonio, eaque diſſoluto contrahi cum cõſáguinea ex vi illius diſpenſationis.

conſanguinitatis; vndè ſuperius diximus, quod, ſi ſic diſpenſantus, antequam matrimonium compleuerit, carnalitèr cognouerit eandem conſanguineam, non ſolum contrahat notam ſimplicis fornicationis, ſed etiam inceſtus, ergò cum ab eadem receſſerit ante complementum contrahendo matrimonium cum alia non videtur poſtea licitè ad eandem poſſe accedere. Nihilominus

10 Diſſoluto illo matrimonio poteſt ex vi diſpenſationis contrahere cũ conſanguinea.

Reſpondeo, probabilius eſſe mortua prima vxore poſſe cum eadem conſanguinea ex vi illius diſpenſationis matrimonium contrahere *Gordonus in ſumma lib. 2. q. 13. n. 1.*, & in ſimilibus terminis, docet *Monachus c. 1. de filijs præsbit. in 6. n. 12. Phylippus Probus addit. ad Monacum c. vnico de cleric. coniug. in 6. n. 30.* Ratio ex eo deſumitur, quià diſpenſatio, quantum ſe tenet ex parte Principis concedentis, & diſpenſantis, intelligitur completa, & acceptata ab eo, in cuius fauorem conceditur, nec ab eodem Principe intelligitur reuocata, ergò, non obſtante, quod diſpenſatus ad alias nuptias tranſierit, poterit eiſdem diſſolutis ad nuptias, ad quas fuit diſpenſatus, liberè tranſire. Conſequentia hæc probatur, quià vbicunque integra remanet gratia conceſſionis, non eſt, cur conceſſionarius non poſſit liberè ea vti.

Dices primo, non poſſe amplius ea vti, quià liberè, & ſpontè ſaltem implicitè eidem renuntiauit contrahendo alias nuptias; iure autem renuntiato non poteſt amplius renuntians gaudere. Sed contrà, quià, quidquid ſit de illa tacita renuntiatione, de qua certò non conſtat; potuit enim ille, qui ſic fuit diſpenſatus, nolle renuntiare priuilegio ſibi conceſſo, ſed eo non vti velle, donec aliud ſuum intentum compleuerit, adeoque illud ſuſpenſum habere; quidquid, inquam, de hoc ſit, quantumvis tacitè renuntiauerit adhuc tamen renuntiatio non priuat renuntiantem iure gaudendi priuilegio, niſi ipſa renuntiatio fuerit à concedente acceptata; non intelligitur autem à concedente acceptata, niſi ei fuerit denuntiata, eamque ratam habuerit per legitimum conſenſum.

Renuntiatio non tenet, niſi acceptetur.

Dices ſecundo, quod, quantumvis Pontifex expreſsè non acceptauerit renuntiationem factam à diſpenſato, intelligatur tamen implicitè, & concomitantèr acceptaſſe, quatenus, ſi ſciuiſſet diſpenſatum tranſiſſe ad alias nuptias nulla habita ratione diſpenſationis conceſſæ, eandem rationabilitèr reuocaſſet, quod ſufficit ad præſens inſtitutum. Sed contrà, quià, ex quo Pontifex liberè, & abſolutè conceſſit diſpenſationem, non intelligitur etiam ceſſante cauſa eam reuocare, nec acceptare renuntiationem, niſi certioratus eidem aſſentiatur, qua ratione etiam

Digitized by Google

Non intelligitur acceptata renunciatio ſine certa ratione.

docent *Gordonus in ſumma lib. 2. q. 13. c. 7. n. 1., & ſeqq. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 74., & alij*, quod, ſi quis diſpenſatus fuerit ad ordines ſacros ob titulum paupertatis, & deindè ante promotionem factus fuerit ditior, non tamen ceſſet diſpenſatio, quantumvis, ſi Pontifex ſciuiſſet mutationem ſtatus pauperis in diuitem reuocaſſet diſpenſationem.

Probari poteſt vlterius reſponſio paritate rationis ex ijs, quæ docent *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 42. n. 9. Phylippus Probus addit. ad Monachum c. vnico de cleric. coniug. in 6. n.* 30. nempe, quod, ſi illegitimus diſpenſationem obtinuerit, vt promoueri poſſet ad beneficium, & ante promotionem ad illud tranſierit ad matrimonium, non amittat ius, ſi vxor, quam duxit, præmortua fuerit, vt promoueatur ad illud beneficium, quamuis hoc ſit incompatibile cum matrimonio, ergò etiam, quantumvis impetrata diſpenſatione, vt quis nubere poſſet cum conſanguinea, aliam fæminam matrimonio ſibi copularit, non impedietur, quominus mortua fæmina, quam prius duxerat, ex vi illius diſpenſationis poſſit nubere cum eadem conſanguinea. Antecedens probatur, quià per illam diſpenſationem non acquiſiuit aliquod ius, ſiuè in re, ſiuè ad rem ad beneficium, ſed ſolummodò factus eſt habilis ad ipſum; matrimonium autem repugnat quidem cum iure, ſiuè in re, ſiuè ad rem ad beneficium, non autem cum habilitate ad ipſum, ergò non eſt, cur per illud matrimonium initum poſt diſpenſationem tolli debeat illa habilitas, ratione cuius mortua vxore non poſſit promoueri ad illud. Conſequentia primi argumenti ex eo deducitur, quià etiam per illam diſpenſationem ad matrimonium cum conſanguinea ſolum ponitur habilitas ad illud; hæc autem habilitas non repugnat etiam cum primo matrimonio, nam licet vnum matrimonium in actu non poſſit ſimul componi, poteſt tamen componi cum potentia, & habilitate ad aliud.

Ratio ex paritate deſumpta.

Dices, diſpenſationem ſolum effectum ſortiri, quandò contrahitur matrimonium, ad quod eſt diſpenſatio, non autem abſolutè auferre impedimentum ante illud, quod facilè ex ijs euincitur, quæ alibi dicebamus, nempè, quod, ſi ſic diſpenſatus ante contractum matrimonium carnalitèr cognoſcat conſanguineam non ſolum committat fornicationem ſimplicem, ſed etiam inceſtum, quod ſufficientèr euincit permanere adhuc vinculum conſanguitatis. Sed contrà, quià dato etiam, quod in actu non auferat impedimentum, confert tamen poteſtatem, vt per contractum illius matrimonij quoad effectum impediendi auferatur, nec hęc poteſtas repugnat cum alio matrimonio antecedenter inito, quatenus ſcilicet eodem diſſoluto per mortem alterius coniugis poteſtas illa non poſſit reduci ad actum.

Nonnullæ rationes dubitandi

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi ille, qui obtinuit diſpenſationem, vt contraheret cum conſanguinea, poſteà omiſſo tali matrimonio aliam diſpenſationem impetrarit, vt cum alia conſanguinea contraheret, cum qua re vera ſtante illa ſecunda diſpenſatione contraxerit poſſit præmortua hac ſecunda conſanguinea, cum qua contraxit ex vi illius prioris diſpenſationis contrahere cum prima. Secunda eſt, an, ſi petierit à Romano Pontifice diſpenſationem ſuper conſanguinitate ad effectum contrahendi cum conſanguinea, & Pontifex commiſerit Epiſcopo, vt diſpenſet, ſi preces veritate nitantur, & antequam diſpenſatio per eundem Epiſcopum exequatur, tranſeat ad nuptias cum alia non conſanguinea poſſit hac præmortua petere executionem illius prioris diſpenſationis, & cum conſanguinea nubere.

II Obtenta diſpenſatione ad contrahendum cum conſanguinea, ſi diſpenſatus cum alia conſanguinea contrahet per diſpenſationem non poteſt mortua hac ſecunda cum prima contrahere, ſi ſecunda diſpenſatio fuerit valida.

Ad primam reſpondet abſolutè *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 22. n. 19.* mortua conſanguinea ſecunda, quinimmò etiam non contracto matrimonio cum ſecunda, ad contrahendum cum qua ſecunda traxit diſpenſationem, ex vi præcisè ſecundę diſpenſationis impetratæ non poſſe amplius contrahere cum prima, in ordine ad quam primam traxerat diſpenſationem. Rationem ex eo deducit, quià per ſecundam impetrationem diſpenſationis videtur perfectè renuntiaſſe primæ, cum enim vtraque hæc diſpenſatio ſimul ſtare nequeat, ſed repugnet quoad executionem per impetrationem poſterioris viſus eſt impetrans renuntiaſſe priori in manus Pontificis, à quo poſteriorem impetrauit, qui Pontifex videtur implicitè acceptaſſe renuntiationem primæ, cum non ſit præſumendus voluiſſe primam cum ſecunda perſeuerare; atquè huic opinioni adhæreo, ſi verè ſecunda diſpenſatio fuerit valida, quod tamen negauimus *tom. 6. ſub tit. de matrimon. l. diſq. 3. §. 19. n. 2.*, ſecus, ſi inualida.

Dices primo ex dictis præcedentèr. Si quis impetrauerit diſpenſationem ad nubendum cum conſanguinea, eaque non attenta alteri non conſanguineæ nupſerit poteſt mortua ea, cum qua nupſit, ex vi diſpenſationis nubere cum conſanguinea, ergò etiam, ſi primo traxerit diſpenſationem ad nubendum cum conſanguinea vna, eaque diſpenſatione non attenta traxerit aliam diſpenſationem ad nubendam cum altera, poterit iſta reiecta redire ad primam, & ex vi prioris diſpenſationis cum illa nubere. Sed contra neganda eſt con-

Diſpenſatio de eo, qui contraxit poſt diſpenſationem cum non conſanguinea, & de eo, qui contraxit cum conſanguinea.

conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod ille, qui impetrauit diſpenſationem, vt nuberet cum conſanguinea, & deindè contraxit cum alia non conſanguinea, abſolutè, & ſimplicitèr non renuntiauit diſpenſationi, ſed ea vſus non eſt, eamque ſolummodo intelligitur ſuſpendiſſe, & quamvis etiam renuntiaſſet, non intelligitur tamen acceptata renuntiatio, adeoque &c. Qui verò impetrata vna diſpenſatione ad nubendum cum vna conſanguinea aliam impetrauit ad nubendum cum altera item conſanguinea, & ceſſit abſolutè priori, cum illæ duæ adinuicem repugnent, nec ſtare ſimul poſſint quoad executionem, & cum ceſſerit in manibus Pontificis, à quo impetrauit ſecundam diſpenſationem, Pontifex intelligitur acceptaſſe renuntiationem primæ ſaltem implicitè, cum non aſſueſcat pro eodem tempore duas diſpenſationes ſimul concedere ad contrahendum cum duabus.

Dices ſecundo, potius dicendum eſſe neutram ex illis diſpenſationibus ſubſiſtere; non primam, quià per poſteriorem illi renuntiatum intelligitur; non ſecundam, quià obtenta eſt non facta mentione primæ; hocque conſtare videtur *ex cap. penult. de præſcript.*, atque ſic ſentiunt ibi *Innocentius num.* 5. *Hoſtienſis nu.* 11. *in fin. Ioannes Andreas n.* 15. *Abbas n.* 18., *& ſeqq.* Sed contra admiſſo, quod prima diſpenſatio non amplius ſubſiſtat, cum illi intelligatur validè, & in forma ſufficienti renuntiatum, nego ſubſiſtere ſecundam; nam ad hanc neceſſario requiritur mentio primę, nec obſtat, quod ſint ſuper diuerſis matrimonijs, nec vna habeat connexionem cum alia *Abbas c. penult. de præſcript. n.* 3. *Ancharanus conſ.* 131. *in fin*; non obſtat inquam, quià habent connexionem quoad vim illatiuam, vide quæ diximus tom. 6. diſq. 3. §. 19.

Secunda non irritatur, quià eſt ſuper diuerſo matrimonio.

Ad ſecundam, probabilius etiam ſentio, quod, quantumvis ſit ſolummodo commiſſa ordinario diſpenſatio ſuper conſanguinitate, & pendente adhuc executione, ſi ille, in cuius fauorem facta eſt commiſſio, tranſierit ad alias nuptias cum non conſanguinea, poſſit hac vxore præ mortua validè petere executionem illius commiſſionis, & cum conſanguinea in ordine ad quam illa diſpenſatio petita fuit, nubere; atque ita expreſsè ſentit *Sanchez de matrimon. lib.* 8 *diſp.* 33. *n.* 6. *in fine*, & ratio inde deſumitur, quià cum illa diſpenſatio, ſeù commiſſio ad diſpenſandum non ſit renuntiata ſimplicitèr, vel ſi renuntiata, non acceptata, non perijt facultas illa ad exequendam diſpenſationem.

II Pendente commiſſione, ſi diſpenſandus tranſierit ad alia vota poteſt mortua vxore petere executionem diſpenſationis.

PRÆNOTIO XXIII.

Quænam ſint neceſſario explicanda in impetratione diſpenſationum ſuper impedimentis matrimonij.

SVMMARIVM.

In impedimento conſanguinitatis, affinitatis, & publicæ honeſtatis exponendus eſt gradus. 1.

Probabilius eſt exponendum eſſe multiplicatum gradum. 2.

Coniunctus in duplici gradu cum eadem tenetur quantumvis ille gradus fuerit inæqualis vtrumque exprimere, nec ſufficit, ſi exprimat proximiorem, ſi ſit coniunctio ex diuerſo titulo. 3.

Quando eſt coniunctio ex eodem titulo ſufficit, ſi exprimatur remotior. 4.

Quoad licitum tamen eſſe requiruntur literæ declaratoria ſuper proximiori gradu. 5.

Nec eſt exprimendus gradus proximior, quamvis fœmina minus diſtaret à ſtipite. 6.

Intellige etiam, ſi alter diſtaret à communi ſtipite per vnicum tantum gradum. 7.

Illegitimus ex adulterio coniugati cum coniugata tenetur exprimere adulterium ex vtroque latere. 8.

Etiam tenetur exprimere qualitatem fœminæ, ſi fuerit vinculo obſtricta, ratione cuius non poſſit contrahere cum coniugato, cum quo commiſit adulterium. 9.

Nec tenet diſpenſatio, etiam ſi in literis diſpenſationis appoſita eſſet clauſula Non obſtante. 10.

Iterata copula poſt commiſſam diſpenſationem, ſed ante executionem tenet diſpenſatio, quamvis iteratio non fuerit expoſita. 11.

Secus, ſi poſt executionem diſpenſationis iterata fuerit copula. 12.

Sufficit exprimere cognationem ſpiritualem, nec requiritur ex neceſſitate expreſſio paternitatis, & filiationis. 13.

Probabilius non eſt exprimenda linea recta. 14.

In quacunque linea in primo, & ſecundo gradu exprimenda eſt, an affinitas fuerit ex copula licita. 15.

Impetratio diſpenſationis cum expreſſione gradus propinquioris cum fuerit remotior tenet. 16.

Expreſſo gradu remotiori cum fuerit propinquior non tenet diſpenſatio. 17.

Si error contigerit in expreſſione ſtrictioris impedimenti, & gradus proximioris, cum tamen impedimentum fuerit in diuerſo genere minus ſtricto, & in gradu remotiori non tenet diſpenſatio. 18.

Tenet diſpenſatio inter impeditos, quantum eſt

ex

Digitized by Google

ex vi diſpenſationis non expreſſa copula, ſiuè antecedenter habita, ſiuè ſubſequentèr. 19.

Quando habita fuit copula ex fine facilius impetrandæ diſpenſationis tenet diſpenſatio illo fine reticito, ſi alia fuerint cauſæ allegatæ ſufficientes ad diſpenſationem. 20.

Si nulla alia fuerit cauſa, exponenda eſt copula cum fine facilioris impetrationis, ad quem fuit habita. 21.

Si alter tantum ex conſanguineis habuerit copulam ex fine facilius impetrandæ diſpenſationis tenet diſpenſatio, quamvis ille finis non fuerit expreſſus. 22.

AMplam materiã aggredimur quoad ea, quæ ex parte eorum, qui impediti ſunt ad contrahendum matrimonium, ſunt exponenda in impetratione diſpenſationum, ne hæ ſubreptitiæ, & inualidæ reputentur; & quidem, cum impedimenta ſint in diuerſo genere, & ex diuerſis capitibus procedentia, in ordine ad ea omnia difficultates ſingillatim ſunt dirimendæ, quas, vt breuius, & dilucidius expediamus, placet ſingula ſub varijs dubitationibus, & earum reſpectiuè reſponſionibus dilucidare.

Dubium primum.

Dubitatur primò. An in impedimento conſanguinitatis, affinitatis, & publicæ honeſtatis exponendus ſit gradus determinatus, quo contrahere volentes ſunt coniuncti, an verò ſufficiat exponere conſanguinitatem, affinitatem, vel publicam honeſtatem in genere reticito gradu, quo ſunt coniuncti.

1 Exponendus eſt gradus in conſanguinitate, affinitate, & publica honeſtate.

Reſpondeo, exponendum eſſe determinatum gradum, quo ſunt coniuncti contrahere volentes, ne diſpenſationes ſint ſubreptitiæ. In hoc conueniunt communiter DD., & ità ſeruat ſtilus curiæ, quem habere vim legis, conſentiunt omnes ex allegatis ſuperius iuribus, & etiam ratio ſuadet, quià, quo proximior eſt gradus, eo difficilior eſt diſpenſatio, & non niſi ex vrgentiori cauſa, vel exacta maiori compenſatione. Euincitur etiam paritate rationis ex ijs, quæ communitèr docent tàm iuriſtæ, quàm Theologi de legitimatione prolis, pro qua non ſufficit exponere eam eſſe ſpuriam, ſed etiam ſunt explicandæ qualitates, & circunſtantiæ coitus, quo procreatus eſt *Baldus in l. eam quam n.36 C. de fideicõmiſſ., Antonius c. per venerabilem n. 15., qui filij ſint legitim., Felinus c. poſtulaſti n. 2. declarat. 5. de reſcript. Rebuffus prax. benefic. tit. de diſpenſatione ſuper. defect. natalium n. 61. Coaruuias quarto decret. 2. part. c. 8. §. 9. num. 1., & 2. Molina tom 1 de iuſtit. tract. 2. diſp. 175. col. 8. verſ. hinc colligitur, Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 34. n. 3. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimonio c. vlt. tit. de diſpenſatione petenda.*

Dubium ſecundum, quando gradus eſt duplicatus.

Dubitatur ſecundo, an, quando contrahere volentes ſunt in eodem gradu duplicato, ſcilicet tàm ex parte matris, quàm Patris, teneantur in petitione diſpenſationis illum gradum in eodem gradu duplicato exponere. Hæc difficultas poteſt habere locum, vel in gradibus conſanguinitatis, vt ſi ſint coniuncti ex vtroque latere, vt præfert ipſe titulus, vel in gradibus affinitatis, vt ſi quis contrahere volens cum aliqua rem habuerit cum duabus perſonis conſanguineis in ſecundo gradu cum ea, cum qua contrahere intendit, vel in cognatione ſpirituali, vt, ſi alter alterius duos filios baptizauit, vel de ſacro fonte leuauit, vel eundem filium ex ſacro fonte leuauit, & ſimul in confirmatione tenuit, vel duo fuerint mutuo patrini filij alterius; vel in publica honeſtate, quatenus contraxit matrimonium ratum, & validum cum duplici cognata eius, quam ducere intendit, vel ſponſalia duo cum duabus eius ſororibus ex diſpenſatione Pontificis.

Opinio Texedæ circa propoſitũ dubium.

Texeda *in Theolog. mor. tom. 2. lib. 4. dub. 2. n. 58* apud *Dianam part. 8 tract. 3. reſol. 60.* exiſtimat ſufficere expreſſionem gradus ex vno latere ſine duplicatione ex altero, eo quià ex illo duplicato gradu vnũ dumtaxat conſurgit impedimentum, & illa multiplicitas gradus merè materialitèr ſe habet in ordine ad intentionem Eccleſiæ; hocque confirmat exemplis plurium fornicationum eiuſdem ſpeciei cum eadem perſona, quæ non inducunt, niſi vnicum impedimentum affinitatis, plurium excommunicationum, cum quibus quis celebrat; non enim contrahit, niſi vnicam irregularitatem, item exemplo procreati ex duplici adulterio, ſcilicet ex vtroque parente ad effectum, vt poſſit promoueri ad ſacros ordines, quem non teneri ad expreſſionem vtriuſque aſſerit, ſed ſufficere, ſi exponat ſe eſſe adulterinum. Nihilominus

2 Probabilius duplicatus gradus eſt exponendus.

Reſpondeo, probabilius eſſe in omnibus præallegatis caſibus teneri duplicatum gradum exponere *Molina de iuſtitia tom. 1. tract. 2. diſp. 161. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. n. 5. Rota in Nouiſſimis vol. 3. lib. 1. deciſ. 117. n. 2. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 56. art. vltim. dub. 2. difficul. 3. corrol. 5. Iacobus de Puteo deciſ. 39. n. 2., & ſeqq. Mandoſius in ſignatura gratiæ verbo diſpenſationes matrimoniales ad fin.* Ratio ex eo deducitur primo, quià diſpenſationes ex genere ſuo ſunt odioſæ, & ſtrictæ interpretandæ per ſuperius allegata; in odioſis autem duplum non continetur ſub ſimplici. Secundo, quià, quando duplex eſt conſanguinitas ex vtroque latere, non eſt vnica, & vnius ſanguinis communicatio, ſed diuerſa, ex qua conſurgit diuerſa conſanguinitas, quando duplex eſt affinitas

cum

Digitized by Google

Duplum in odioſis non continetur ſub ſimplo.

cum eadem fœmina ex copula carnali cum duabus ipſius conſanguineis in eodem gradu non eſt ſimplex eorundem ſeminum commixtio; ex qua conſurgit, ſed duplicata diuerſorum, quando duplex eſt cognatio ſpiritualis, vel duplex publica honeſtas, non eſt vnica attinentia, ſed duplex, illa ex duplici miniſterio circa ſacramenta diuerſa, iſta ex duplici matrimonio rato, vel ex duobus ſponſalibus, ſed quando eſt duplex impedimentum per ablationem vnius, alterum non auſertur, ergo &c. Deindè, quamvis daremus non conſtitui duplex impedimentum, denegari tamen non poteſt, quin fortius, & intenſius conſtituatur, ſicuti ex duobus gradibus caloris intenſior conſtituitur, ergo eodem modo non diſſoluitur, ac quando vnicum tantum diſſoluitur.

Dices, hac ratione non ſubſiſteret diſpenſatio, quam quis impetrauit ſuper impedimento affinitatis contractæ ex multiplici copula cum conſanguinea eius, quam ducere intendit, quandòquidem vnaquæque copula, ſi non inducit diſtinctam affinitatem, eandem ſaltem auget, & intendit, quod tamen ſupra negauimus. Sed contra, quia diuerſa omninò eſt ratio, quandò affinitas oritur ex multiplici copula cum eadem conſanguinea eius, quam ducere intendit, ac quandò oritur ex copula cum diſtinctis conſanguineis eiuſdem, nam quandò contrahitur affinitas per multiplicatas copulas cum eadem conſanguinea, licet multiplicentur peccata, tamen nō multiplicatur affinitas, nec gradus affinitatis, quandòquidem, vt procedens ab eodem principio non admittit intenſionem; vnde ad ſummum dici poteſt, quod ſolummodò addantur actiones, quibus ſufficientèr contraheretur affinitas, ſi iam non eſſet contracta; quandò verò affinitas conſurgit ex multiplicatis copulis cum diuerſis conſanguineis, cum tunc conſurgat ex diuerſa commixtione, non vna ſola contrahitur, ſed multiplex, vel ſaltem vna intenſiuè, & extenſiuè maior, adeoque &c. Et ex hac reſponſione habes, quid reſpondeas ad alia exempla, quæ adducebantur à *Texeda loc. cit.* excepto illo, quod adducebatur de adulterio ex vtroque latere, de quo infra.

Non multiplicatur affinitas ex multiplici copula cū eadem.

3 *Coniunctus cum eadem in duplici gradu inæquali tenetur vtrumque exprimere, ſi coniunctio ſit ex diuerſo titulo.*

Hic alia ſuboritur difficultas, an, ſi quis cum eadem fuerit coniunctus in duplici gradu, ſed inæquali puta in ſecundo, & in tertio teneatur in impetratione diſpenſationis, vtrumque gradum exponere, an verò ſufficiat exponere gradum proximiorem ſtipiti omiſſo remotiori puta ſecundum omiſſo tertio. Videtur ſufficere, ſi exponatur proximior omiſſo remotiori, quia ſublato proximiori non eſt, cur remotior in ſuo eſſe ſubſiſtat, cùm quodamodò in illo contineatur. Nihilominus abſolutè aſſerendum eſt, vtrumque eſſe exponendum *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 10. Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi gradus ad inuicem non communicant, nec remotior continetur in proximiori, cum procedant ex diuerſo principio, ergò non erit, cur vterque non ſit exprimendus. Antecedens probatur, quià ſenſus huius aſſerti non eſt, quandò vnus ex contrahere volentibus ex eodem titulo conſanguinitatis propter communicationem cum ſanguine diſtat v. g. à ſtipite in ſecundo gradu, & alter in tertio, quià, vt infrà videbimus, in hoc ſenſu ſatis erit, quod exprimatur remotior reticito proximiori, ſed ſenſus eſt, quando v. g. ex vno capite vterque ſolum diſtat à comuni ſtipite in ſecundò gradu, & ex alio capite, & cauſa, ſeù quaſi diuerſo titulo proptèr aliam communicationem diſtat vterque etiam in tertio, in hoc etenim ſenſu clarè liquet hunc tertium gradum non contineri in ſecundo, nec rigoroſè quoad hunc effectum communicare cum illo, hocque contingeret, quandò ex parte vnius parentis hoc eſt ex vno latere eſſet coniunctus vterque in ſecundo gradu, & ex altero latere ſcilicet ex parte alterius parentis in tertio; & ſi quandò in æquali gradu duplicato ex vtroque latere non ſufficit exponere gradum ex vno latere, niſi exprimatur etiam æqualis gradus ex altero, vt mox dicebamus, in reſponſione ad dubitationem, cur quandò diſtant in gradu inæquali, non erit vterque exponendus? Certè enim, & gradus remotior ex altero latere eſt ſecundum ſe, & ſupponitur ſufficiens ad dirimendum matrimonium, cæteroqui non haberet locum præſens difficultas.

Quādo eſt ex diuerſo titulo, tertius gradus non continetur in ſecundo

Rurſus alia ſuboritur hinc difficultas, an, quandò contrahere volentes non ex diuerſo titulo, ſed ex eodem diſtant inæqualitèr à ſtipite puta alter in ſecundo gradu, alter in tertio, vel quarto ſit vterq; gradus, quo illi à ſtipite diſtant, exponendus, an verò ſufficiat exponere, vel proximiorem, vel remotiorem. Quidquid antiquitus aliqui dixerint *ex c. quod dilectio de conſang.* abſolutè aſſerendum eſt, regularitèr loquendo ſufficere, ſi exponatur gradus remotior, quo alter diſtat à communi ſtipite, & hoc quoad validum eſſe, nam quoad eſſe licitum requiruntur vlterius literæ declaratoriæ ſuper gradu propinquiori *Probus addit. ad monachum rub. de cognat. ſpirituali n. vnico verſ. & quando ſunt, Coaruuias* 4. *decret.* 2. *part. c.* 6. §. 10. *nu.* 12. *Ludouicus Lopez* 2. *part. inſtruct., vbi de matrimon. c.* 49. *in impedim. conſanguinitatis col.* 5. *verſ. poſtremo, Petrus de Ledeſma de matrimon. q.* 54. *art.* 2 *col. penult. concl.* 2. *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 25.

4 *Quando eſt ex eodem titulo ſufficit, ſi exprimatur remotior gradus.*

Ratio

Digitized by Google

gata, & deindè iterum petita, & conceſſa ſine expreſſione primæ negationis intelligatur ſubreptitia, & inualida?

Sententia Menochij ſuper dubio propoſito.

Menochius *de arbitrarijs lib. 2. cent. 3. caſ. 203. n. 6.* vbi alios plures refert, in caſu particulari de legitimatione illegitimi aſſerit ſubreptitiam haberi huiuſmodi legitimationem, ſeù diſpenſationem ſuper defectu natalium, ſi primo fuerit petita, & à principe denegata, & deindè tractu temporis petita, & conceſſa ſine expreſſione prioris denegationis; & hoc dictum à paritate rationis videtur extendendum ad quodcunque aliud impedimentum, ſeù inhabilitatem. Rationem eam arbitror eſſe, quià veriſimile non eſt, quòd, ſi Princeps recordaretur prioris negationis, modo eſſet conceſſurus, ne videretur facile mutabilis noua non emergente ratione. Nihilominus

1 Diſpẽſatio cum taciturnitate prioris negationis non eſt inualida.

Reſpondeo illam diſpenſationem cum taciturnitate prioris negationis non eſſe ſubreptitiam, nec inualidam. *Suarez lib. 2. de legibus c. 22. Sanchez lib. 8. de matrimonio diſp. 22. n. 14. Amicus tom 5. diſp. 6. ſect. 8. n. 120. Granadus in p. 2. controuerſ. 7. tract. 3. part 2. diſp. 17. ſect. 5. num. 48. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 54.* Ratio ex eo deſumitur, quià nullibi in iure cauetur, quòd mentio talis negationis ſit neceſſario facienda, & ratio, quæ ex aduerſo adducitur, nullã penitus vim habere poteſt, cùm potius præſumi debeat Princeps ad iteratas inſtantias, & ſupplicationes facilius conceſſurus gratiam diſpenſationis, quam negaturus.

Secundum dubium.

Dubitatur ſecundo, an, ſi primò gratia diſpenſationis fuerit negata ab vno ſuperiore, & impetrata ab alio æquali nulla facta mentione negationis factæ à primo, gratia ipſa intelligatur ſubreptitia, & inualida; quod idem inquiri poteſt, quando fuit primò negata ab inferiori puta ab Epiſcopo, & poſtea conceſſa à ſuperiore puta à Pontifice nulla habita notitia prioris negationis; & vice verſa, ſi fuerit primò negata à Pontifice, & poſtea conceſſa ab Epiſcopo.

Procedit de iure cõmuni ſpectata natura diſpenſationis.

Dubitatio hæc examinanda eſt attento præcisè iure communi, & ſpectata ipſa ſimpliciter natura diſpenſationis; ſi enim alicubi per ius municipale cautum ſit, quòd ſubreptitia habeatur diſpenſatio obtenta à ſuperiore non facta mentione negationis habitæ ab inferiori, vel vice verſa ab inferiore non certiorato de negatione ſuperioris, vt expreſſe habetur, & ſpecialiter in conſtitutionibus congregationis noſtræ, tunc ſine dubio habebuntur diſpenſationes pro irritis non conceſſis.

2

Reſpondeo, diſpenſationes factas, vel à ſuperiori, vel ab æquali habente poteſtatẽ ad diſpenſandum nulla facta mentione negationis habitæ ab inferiori nõ eſſe irritas, nec ſubreptitias *Amicus tom. 5. diſp. 6. ſect. 8. n. 120. Granadus in part. 2. controu. 7. tract. 3. part. 2. diſp. 17. ſect. 5. n. 48. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 54.* Ratio eſt, quià poteſtas ſuperioris non limitatur per negationem in aliquo determinato caſu habitam ab inferiori, vel ab æquali, cũ ille moueatur ex ſufficienti cauſa ſibi propoſita, & motiuũ conceſſionis eſt eadem cauſa, ergo, ſi ille abſolutè conceſſerit, non erit inualida cenſenda diſpenſatio ex eo, quod negatio ab inferiori, vel ab æquali habita non fuerit repræſentata; quinimmo ex eo, quod recurſus habitus fuerit ad ſuperiorem, cum conueniri poſſet inferior, præſumere poteſt ipſe ſuperior, quod inferior noluerit diſpenſare.

Facta à ſuper ore nõ facta mentione negationis habitæ ab inferiori tenet.

3 Facta ab inferiori ſine mentione negationis habitæ à ſuperiori tenet.

Reſpondeo ſecundo non redditur ſubreptitia, nec inualida diſpenſatio facta ab inferiore potente de iure diſpenſare ex eo, quod negata fuerit à ſuperiore, nec certioratus inferior de tali negatione. Hæc reſponſio elucet ex ſuperius dictis, ad quæ propterea vos remitto; & ex his fortius euincitur ſuperior reſponſio.

Tertium dubium.

Dubitatur tertio, an, ſi quis habeat votum caſtitatis, & Religionis ſimul, & petat à Pontifice diſpenſationem vnius, teneatur alterum manifeſtare ſub pœna vitij ſubreptionis.

Sententia Suarez explicatur.

Suarez *lib. 6. de legibus* ſuſtinet fore validam diſpenſationem, ſi prius incipiatur à voto Religionis nulla etiam facta mentione voti caſtitatis, ſecus, ſi incipiatur à voto caſtitatis nulla facta mentione voti Religionis. Rationem vtriuſque ex eo deducit, quia quando prius petitur diſpenſatio ſuper voto Religionis, non difficilior redderetur eadem diſpenſatio, ſi ſimul exponeretur votum caſtitatis, quin potius facilior; non enim præſumendum eſt, quod Pontifex ſit denegaturus, vel difficilius conceſſurus gratiã diſpenſationis ſuper voto Religionis ex eo, quod diſpenſandus ſit ſimul affectus voto caſtitatis; quid enim efficit, quod quis ſolutus voto Religionis remaneat adhuc ligatus voto caſtitatis? votum enim caſtitatis perpetuæ retinet quandam participationem voti Religionis. Quando verò prius petitur diſpenſatio ſuper voto caſtitatis, irrationabilis videtur exemptio ab eodem manente adhuc voto Religionis, cum nec ad matrimonium contrahendum illi ſufficiat, & maximè deceat, vt qui Religionis obligationem habet, interim caſtitatem ſeruet. Accedit, quod, qui Religionis voto eſt adſtrictus, videtur etiam obligatus ad caſtitatem; quandòquidem non poteſt nubere, & ſic nec vti actibus coniugalibus, & ab actibus fornicarijs tenetur abſtinere ratione præcepti diuini, & naturalis.

Pro ſolutione notandum eſt, in vtroque caſu, ſiuè præpropere petatur diſpen-

ſatio

Digitized by Google

Nonnulla conſiderabilia circa dubium.

ſatio ſuper voto Religionis, & præpoſtere ſuper voto caſtitatis, ſiuè è cõtra præpopere ſuper voto caſtitatis, & ſucceſſiuè ſuper voto Religionis, an eadem diſpenſatio peteretur in ordine ad matrimonium contrahendum etiam in generali, an veró tantum, vt deobligetur à Religione firmo adhuc manente voto caſtitatis ad aliquem alium finem, puta ad ſubueniendum parentibus, vel ad effugienda onera Religionis, cum ſibi nimis ardua videantur, vel à voto caſtitatis ad effugiendum periculum incontinentiæ, vel ad aliquem alium rationabilem finem. Quibus poſitis

4 Si vtrumque ſimul non manifeſtetur ex dolo in ordine ad contrahendum matrimonium redditur inualida, ſecus ſi ex ignorantia.

Reſpondeo primo, ſi diſpenſatio vtroque modo petatur in ordine ad contrahendum matrimonium, & doloſè alterum votum reticeatur, diſpenſatio ſecundum ſe abſolutè redditur vitioſa, & ſubreptitia: ſi veró ſine dolo, ſed quodamodo ex ſimplicitate non redditur ſubreptitia quoad partem vtilem; vnde poterit ſubſequenter validè impetrari ſuper alia parte, ſuper qua prius non fuit petita. Cõſonat cum ijs, quę ſuperius diximus, & vtraq; pars elucet ex c. ſuper literis de reſcriptis, vbi in pænam doli declaratur diſpenſatio ſecundum ſe totum inualida, vbi verò dolus non eſt, pars vtilis per inutilem non vitietur: Neque obeſſe poteſt, quod quodamodo vtrumque votum in vnum conferat: Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet huiuſmodi vota aliquo modo in ratione finis ſibi cohereant, ſunt tamen ſecundum ſe ſeparabilia, & vnum poteſt ſubſiſtere ſine alio, vt videbimus in ſequenti reſponſione, & ſic de ijs eo modo ratiocinandum eſt, quo ſupra proceſſimus de duobus impedimentis ſecundum ſe ſeparabilibus, communicantibus tamen in eodem fine.

5 Siuè prius ſuper vno, ſiuè ſuper altero petatur reticito in vtroque caſu altero non redditur irrita diſpenſatio præciſo ordine ad matrimonium

Reſpondeo ſecundo, ſiuè prius petatur diſpenſatio ſuper voto Religionis, ſiuè prius ſuper voto caſtitatis reticito in vtroque caſu altero voto præciſo ordine ad matrimonium diſpenſationes huiuſmodi non redduntur irritæ, nec ſubreptitiæ. In primam partem conſentit *Suarez loc. cit.* cum DD. mox allegandis. In ſecundam conſentiunt *Baſilius Pontius de Matrimonio lib. 8. c. 17. n. 24 Caſtrus Palaus tom. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 16. §. 4. nu. 13.* Pro prima parte faciunt rationes adductæ à Suarez, quas ſupra adduximus, quibus hanc vnam adde, quià poteſt militare ratio, ſeù cauſa finalis ad eximendum ab onere Religionis, puta neceſſitas parentum, & mala valetudo, quæ non militet ad eximendum ab onere caſtitatis, ergo poterit ſuper illo impetrari diſpenſatio reticito voto caſtitatis, ſeù non facta mentione de iſto. Pro ſecunda parte hæ militant rationes, quià poteſt eſſe vtilis diſpẽſatio ſuper voto caſtitatis firmo adhuc manente voto Religionis, ergo non erit, cur ſuper illo exiſtente legitima cauſa non poſſit impetrari validè diſpenſatio adhùc reticito voto Religionis. Antecedens probatur primo, quià votum Religionis non obligat ad perſeuerandum quotieſcunque pro tempore probationis ex vtraque parte, Religionis ſcilicet, & eiuſdem obſtricti tali voto ardua apparet perſeuerantia, ergo talis diſpenſatio vtilis erit, ſi non perſeueret. Secundo pro tempore, quo adſtrictus tali voto Religionem experitur, vtilis eſt talis diſpenſatio, ne tot peccata committat, ergo &c.

Quartum dubium.

Dubitatur quarto. An, ſi quis plura homicidia commiſerit, contraxerit plures irregularitates neceſſario in eadem diſpenſatione explicandas?

Duplex ſẽſus difficultatis propoſitæ.

Hæc dubitatio poteſt habere duplicem ſenſum, primo, an ſcilicet per plura homicidia contrahantur plures irregularitates numero diſtinctæ, an verò vnica dumtaxat per primum homicidium, & per ſubſequentia ſolummodo eadem firmetur. Secundo ex ſuppoſitione, quod diuerſæ contrahantur, an omnes ſint ex neceſſitate in eadem diſpenſatione explicandæ, an verò ſufficiat, quòd explicentur in diuerſis.

Sententia Suarez aſſerentis duplicem contrahi irregularitatẽ.

Suarez *de legibus lib. 6. c. 24. n. 12.* ſuſtinet contrahi diuerſas in numero irregularitates, quæ omnes ſint in eadem diſpenſatione exponendæ. Rationem adducit fundatam in eo, quià licet irregularitates illæ ſint inter ſe numero diuerſæ, moralitèr tamen afficiant vnam grauiorem, vel certè vna illarum non ſatis abſque alia explicari poteſt. Quòd verò contrahantur diuerſæ in numero, ex eo videtur euincere, quià per primum homicidium vna, & integra contrahitur irregularitas, ergo non eſt, cur alia non contrahatur per aliud, quæ ſit diſtincta à prima. Nihilominus

6 Probabilius non cõtrahuntur plures irregularitates

Reſpondeo primo, ſatis probabile eſſe per plura homicidia non contrahi plures diſtinctas irregularitates, ſed omnia homicidia cadere ſupra eandem *Henriquez lib. 12. c. 10. §. 3.; & lib. 14. c. 7. §. 3. Sanchez lib. 8. de matrimonio diſp. 24. num. 7. Auila diſput. 10. de irregularit. dubio 8., & in ſimilibus Zerola in praxi ſecunda part. verb irregularitas §. 12. ad finem, Garzia 8. part. de beneſic. c. 3. nu. 80. ad 87. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 58.* Ratio ex eo deducitur, quià irregularitas proueniens ex homicidio inhabilitat perſonam irregularem per modum habitus ad eccleſiaſtica munera, & quidem priuatiuè, ergo per aliud homicidium non poteſt alia induci, cum vna inhabilitas ex eadem cauſa non poſſit ſuper aliã operari, nec vna priuatio ſupra aliam: Propter hanc rationem docent primo *Nauarrus conſ. 3. de raptoribus n. 6., & Garzias loco cit. Henriquez lib. 13.*

Digitized by Google

de excommunicatione c. vlt. n. 2. in comment lit. M. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. num. 7., quod, qui ſæpius in excommunicatione celebrauit, non contrahat plures diſtinctas irregularitates. Secundo aſſerunt *Sanchez loc. cit. Toletus lib. 7. c 19. ad fin. ; Azorius tertia part. lib 3. c. 10. q 1. Garzias loc. cit. nu. 77.* non contrahere diuerſam numero affinitatem illum, qui ſæpius fornicatus eſt cum eadem conſanguinea, nec teneri omnium delictorum mentionem facere in diſpenſatione obtinenda. Tertio docent, non contrahere diuerſam bigamiam neceſsario in diſpenſatione obtinendam, qui ter, vel quater contraxit nuptias *Garzias loc. cit. nu. 79. Sanchez lib. 7. diſp. 87. n. 24. Henriquez lib. 12. c 6. §. 9. Vgolinus de irregul c. 56. §. 7. n. 3. Auila de cenſuris 7. parte diſp. 8. in fin.*

Qui ſæpius celebrat in excommunicatione non cótrahit plures irregularitates.

Dices, ſi quis fornicatus fuerit cum diuerſis conſanguineis eiuſdem fæminæ, vtique contrahit diuerſas numero affinitates, eaſdemque tenetur in impetratione diſpenſationis explicare, ergò etiam, qui plura in diuerſis perſonis homicidia commiſit, contrahere dicendus eſt plures irregularitates diſtinctas, & vtique in eadem impetratione explicandas. Sed contrà admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod affinitas, cum conſiſtat in quadam coniunctione, ſeù fundetur in coniunctione, importat ex genere ſuo relationem ad diuerſas perſonas, ex quarum coniunctione reſultat affinitas cum alijs cum eiſdem coniunctis, vndè, ſi fuerint tales coniunctiones cum diſtinctis perſonis, vtique erunt affinitates diuerſæ, cum procedant ex diuerſis principijs, & cauſis; ſic principium vnius affinitatis cum Berta v. g. eſt coniunctio Caij cum Sempronia conſanguinea eiuſdem Bertæ; principiũ verò alterius affinitatis cum eadem Berta eſt coniunctio eiuſdem Caij cum Fælicita altera conſanguinea eiuſdem Bertæ; vbi autem diuerſum eſt principium, non poteſt eſſe, niſi diuerſus ſaltem in numero effectus; principium autem irregularitatis ex homicidio potiſſimum prouenit ex actione homicidæ, cum importet lenitatem; ad quam ſolum materialitèr ſe habet occiſus, & terminatiuè, cæterum tota lenitas, quæ eſt ratio, ob quam formalitèr inducta eſt irregularitas, prouenit ab accidente.

Prouenit ex diuerſo principio affinitas cũ diuerſis cõſanguineis

7 In impetratione diſpenſationis nõ ſunt neceſſariò exprimenda ſingula homicidia.

Ex hac aſſertione ſic comprobata ſequitur, quòd in impetratione diſpenſationis non ſint neceſſario exponenda ſingula homicidia; diſpenſatio etenim cadit ſuper irregularitate, & cum non contrahantur diſtinctæ numero irregularitates non eſt, cur debeant exprimi; Neque dicas, quod licet ex diuerſis homicidijs non contrahantur diuerſæ irregularitates, ſingula tamen homicidia moralitèr conſtituant vnam irregularitatem grauiorem, & difficilius diſpenſabilem; contra enim impugnaberis, quià licet diuerſa, & diſtincta homicidia conſtituant diuerſa numero delicta, non tamen ſingula delicta augent irregularitatem, nec conſtituunt diuerſas numero irregularitates, cum priuatio non admittat, nec intenſionem, nec extenſionem; vndè ad ſummum dici poteſt, quod irregularitati, ſeù priuationi addantur in illis repetitis delictis nouæ actiones, quibus ſufficientèr contraheretur irregularitas, ſi iam contracta non fuiſset; & proptèr hanc eandem rationem docent, quod affinitas orta ex iterata copula cum conſanguinea non ſit in diſpenſatione exponenda, nec multiplicatæ nuptiæ in impetratione ſuper impedimento bigamiæ. Quamobrem neſcio, qua conſequentia *Diana d. part. 8. tract. 3. reſol. 58.* docuerit ad effectum validæ diſpenſationis ſuper irregularitate orta ex homicidio non eſſe neceſſe explicare diuerſa, & diſtincta homicidia, dum *reſol. praecedenti nempe 57. verſ notandum eſt tamen*, docuit, quod homicida nihil faciet, ſi vno tantum homicidio narrato ex multis, quæ patrauit, velit diſpenſationem ſuper irregularitate impetrare. Hæc etenim duo ſunt expreſſè contradictoria, vt ex ſe patet.

Cenſura inconſequentiæ Dianæ

8 Poſſent diſtinctim diſpenſationes ſuper ſingulis obtineri.

Reſpondeo ſecundo, ex ſuppoſitione, quod ex ſingulis homicidijs diſtinctæ numero contrahantur irregularitates, poſſent diſtinctim diſpenſationes ſuper ſingulis obtineri *Caſtrus Palaus tom. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 16. §. 4. n. 16.*, cui videntur adhærere *Diana part. 8 tract. 3. reſol. 58.*, & *alij*. Ratio ex eo deſumitur, quià huiuſmodi irregularitates ex ſuppoſitione diſtinctionis non coaleſcunt in vnam, nec vnam conſtituunt intenſiuè, ſed ad ſummum extenſiuè, ergò non eſt, cur non poſſit impetrari diſpenſatio ſuper vna ſine alia, ſicuti non eſt, cur non poſſit impetrari venia ſuper vno homicidio, & non ſuper alio.

Dubium quintum.

Dubitatur quinto. An, ſi quis obtinuerit vnam diſpenſationem, vel in eodem, vel in diuerſo genere, & ſucceſſiuè alteram non facta mentione de prima, ſecunda intelligatur ſubreptitia, vel inualida?

9 Reſolutio dubij remiſſiuè.

Iuxtà ſuperius dicta dirimenda eſt hæc dubitatio; vel etenim diſpenſationes illæ ſunt de rebus omninò diſtinctis, & non communicantibus, vel de omninò connexis, vel de diſiunctis, ſed communicantibus in eodem fine, quatenus ad eundem ordinantur. Si ſint de rebus omninò diſiunctis, & non communicantibus, non eſt dubium, quin ſecunda ſit valida, etiam ſi in impetratione eiuſdem

non

Digitized by Google

non ſit facta mentio de prima, & ad hoc conſonant omnes rationes, & iura ſupra allegata, cum etenim ad inuicem non communicent, vna non habet alteram impedire, nec remiſſio vnius dependet à remiſſione alterius. Si ſint de omninò connexis, ſicuti prima eſt omninò inualida ſine alia, ita & hæc alia ſine illa; ſi tandem ſit de diſiunctis, ſed communicantibus in eodem fine, videndum eſt, an impetratio primæ fuerit doloſa, an verò ex ſimplicitate, & ignorantia: ſi doloſa, cum irritetur diſpenſatio quoad totum in pænam doli, perindè ſecunda ſe habebit ad illam ac ſi non fuiſset poſita, adeoque de eadem ſecunda eodem modo Phyloſophandum erit, quo dictum fuit de prima non facta mentione alterius; ſi non fuerit doloſa, ſed ex ſimplicitate; tunc abſolutè dicendum erit ſecundam fore etiam validam, quantumvis de prima non facta fuerit mentio; cum etenim prima ſubſiſtat ex ſuperius dictis, ac proindè per illam ſublatum fuerit impedimentum, non eſt, cur de illa in impetratione ſecundæ facienda ſit ex neceſſitate mentio.

Dubium ſextum. Dubitatur ſextò. An, ſi quis diſpenſationem obtinuerit ad contrahendum matrimonium cum conſanguinea, & deindè nullo habito reſpectu ad eandem diſpenſationem contraxerit matrimonium cum alia non conſanguinea poſſit præmortua coniuge non conſanguinea ex vi illius diſpenſationis nubere conſanguineæ, in ordine ad quam illam diſpenſationem impetrauerat.

Rationes afferentes obtenta diſpẽſatione ad contrahendum cum conſanguinea non poſſe contracto alio matrimonio, eaque diſſoluto contrahi cum cõſãguinea ex vi illius diſpenſationis. Videtur abſolutè dicendum, præmortua prima vxore non conſanguinea non poſſe vti diſpenſatione prius habita ad nubendum conſanguineæ in ordine ad quam illa diſpenſatio fuerat impetrata; quandò quidem, ex quo eadem impetrata nupſit alteri non conſanguineæ, videtur eidem diſpenſationi renuntiaſse, qua propterea non poteſt amplius gaudere. Deindè non ſolum ex vi illius implicitæ renuntiationis non poteſt amplius gaudere priuilegio diſpenſationis, ſed etiam ex vi, & natura eiuſdem priuilegij, quandòquidem mutatione perſonæ mutatur priuilegium *arg. l. per procuratorem 88. ff. de acqu. hæred.*, & conceſſio facta intelligitur rebus in eodem ſtatu permanentibus *Monachus c. ſtatutum el 2. n. 9. de hæret. in 6.* Quis autem dubitet, mutari perſonam, & ſtatum rerum ex eo, quod diſpenſatus ad contrahendum cum conſanguinea omiſsa diſpenſatione, & neglecta conſanguinea contraxerit cum alia? Tandem, quià ipſa diſpenſatio ad nubendum cum conſanguinea non eſt completa, cum adhuc non fuerit ad actum redacta, adeoque non videtur adhuc ſublatum impedimentum conſanguinitatis; vndè ſuperius diximus, quod, ſi ſic diſpenſantus, antequam matrimonium compleuerit, carnalitèr cognouerit eandem conſanguineam, non ſolum contrahat notam ſimplicis fornicationis, ſed etiam inceſtus, ergò cum ab eadem receſserit ante complementum contrahendo matrimonium cum alia non videtur poſtea licitè ad eandem poſse accedere. Nihilominus

10 Diſſoluto illo matrimonio poteſt ex vi diſpenſationis contrahere cũ conſanguinea. Reſpondeo, probabilius eſse mortua prima vxore poſse cum eadem conſanguinea ex vi illius diſpenſationis matrimonium contrahere *Gordonus in ſumma lib. 2. q. 13. n. 1.*, & in ſimilibus terminis, docet *Monachus c. 1. de filijs præsbit. in 6. n. 12. Phylippus Probus addit. ad Monacum c. vnico de cleric. coniug. in 6. n. 30.* Ratio ex eo deſumitur, quià diſpenſatio, quantum ſe tenet ex parte Principis concedentis, & diſpenſantis, intelligitur completa, & acceptata ab eo, in cuius fauorem conceditur, nec ab eodem Principe intelligitur reuocata, ergò, non obſtante, quod diſpenſatus ad alias nuptias tranſierit, poterit eiſdem diſsolutis ad nuptias, ad quas fuit diſpenſatus, liberè tranſire. Conſequentia hæc probatur, quià vbicunque integra remanet gratia conceſſionis, non eſt, cur conceſſionarius non poſſit liberè ea vti.

Dices primo, non poſse amplius ea vti, quià liberè, & ſpontè ſaltem implicitè eidem renuntiauit contrahendo alias nuptias; iure autem renuntiato non poteſt amplius renuntians gaudere. Sed contrà, quià, quidquid ſit de illa tacita renuntiatione, de qua certò non conſtat; potuit enim ille, qui ſic fuit diſpenſatus, nolle renuntiare priuilegio ſibi conceſso, ſed eo non vti velle, donec aliud ſuum intentum compleuerit, adeoque illud ſuſpenſum habere; quidquid, inquam, de hoc ſit, quantumvis tacitè renuntiauerit adhuc tamen renuntiatio non priuat renuntiantem iure gaudendi priuilegio, niſi ipſa renuntiatio fuerit à concedente acceptata; non intelligitur autem à concedente acceptata, niſi ei fuerit denuntiata, eamque ratam habuerit per legitimum conſenſum. Renuntiatio non tenet, niſi acceptetur.

Dices ſecundo, quod, quantumvis Pontifex expreſsè non acceptauerit renuntiationem factam à diſpenſato, intelligatur tamen implicitè, & concomitantèr acceptaſse, quatenus, ſi ſciuiſset diſpenſatum tranſijſse ad alias nuptias nulla habita ratione diſpenſationis conceſsæ, eandem rationabilitèr reuocaſset, quod ſufficit ad præſens inſtitutum. Sed contrà, quià, ex quo Pontifex liberè, & abſolutè conceſſit diſpenſationem, non intelligitur etiam ceſsante cauſa eam reuocare, nec acceptare renuntiationem, niſi certioratus eidem aſsentiatur, qua ratione etiam

Digitized by Google

Non intelligitur acceptata renuntiatio ſine certio ratione.

docent *Gordonus in ſumma lib. 2. q. 13. c. 7. n. 1., & ſeqq. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 74., & alij*, quod, ſi quis diſpenſatus fuerit ad ordines ſacros ob titulum paupertatis, & deindè ante promotionem factus fuerit ditior, non tamen ceſset diſpenſatio, quantumvis, ſi Pontifex ſciuiſset mutationem ſtatus pauperis in diuitem reuocaſset diſpenſationem.

Probari poteſt vlterius reſponſio paritate rationis ex ijs, quæ docent *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 42. n. 9. Pylippus Probus addit ad Monachum c. vnico de cleric. coniug. in 6. n. 30.* nempe, quod, ſi illegitimus diſpenſationem obtinuerit, vt promoueri poſset ad beneficium, & ante promotionem ad illud tranſierit ad matrimonium, non amittat ius, ſi vxor, quam duxit, præmortua fuerit, vt promoueatur ad illud beneficium, quamuis hoc ſit incompatibile cum matrimonio, ergò etiam, quantumvis impetrata diſpenſatione, vt quis nubere poſset cum conſanguinea, aliam fœminam matrimonio ſibi copularit, non impedietur, quominus mortua fœmina, quam prius duxerat, ex vi illius diſpenſationis poſſit nubere cum eadem conſanguinea. Antecedens probatur, quià per illam diſpenſationem non acquiſiuit aliquod ius, ſiuè in re, ſiuè ad rem ad beneficium, ſed ſolummodò factus eſt habilis ad ipſum; matrimonium autem repugnat quidem cum iure, ſiuè in re, ſiuè ad rem ad beneficium, non autem cum habilitate ad ipſum, ergò non eſt, cur per illud matrimonium initum poſt diſpenſationem tolli debeat illa habilitas, ratione cuius mortua vxore non poſſit promoueri ad illud. Conſequentia primi argumenti ex eo deducitur, quià etiam per illam diſpenſationem ad matrimonium cum conſanguinea ſolum ponitur habilitas ad illud: hæc autem habilitas non repugnat etiam cum primo matrimonio, nam licet vnum matrimonium in actu non poſſit ſimul componi, poteſt tamen componi cum potentia, & habilitate ad aliud.

Ratio ex paritate deſumpta.

Dices, diſpenſationem ſolum effectum ſortiri, quandò contrahitur matrimonium, ad quod eſt diſpenſatio, non autem abſolutè auferre impedimentum ante illud, quod facilè ex ijs euincitur, quæ alibi dicebamus, nempè, quod, ſi ſic diſpenſatus ante contractum matrimonium carnalitèr cognoſcat conſanguineam non ſolum committat fornicationem ſimplicem, ſed etiam inceſtum, quod ſufficientèr euincit permanere adhuc vinculum conſanguinitatis. Sed contrà, quià dato etiam, quod in actu non auferat impedimentum, confert tamen poteſtatem, vt per contractum illius matrimonij quoad effectum impediendi auferatur, nec hæc poteſtas repugnat cum alio matrimonio antecedenter inito, quatenus ſcilicet eodem diſſoluto per mortem alterius coniugis poteſtas illa non poſſit reduci ad actum.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi ille, qui obtinuit diſpenſationem, vt contraheret cum conſanguinea, poſteà omiſso tali matrimonio aliam diſpenſationem impetrarit, vt cum alia conſanguinea contraheret, cum qua re vera ſtante illa ſecunda diſpenſatione contraxerit poſſit præmortua hac ſecunda conſanguinea, cum qua contraxit ex vi illius prioris diſpenſationis contrahere cum prima. Secunda eſt, an, ſi petierit à Romano Pontifice diſpenſationem ſuper conſanguinitate ad effectum contrahendi cum conſanguinea, & Pontifex commiſerit Epiſcopo, vt diſpenſet, ſi preces veritate nitantur, & antequam diſpenſatio per eundem Epiſcopum exequatur, tranſeat ad nuptias cum alia non conſanguinea poſſit hac præmortua petere executionem illius prioris diſpenſationis, & cum conſanguinea nubere.

Nonnullæ rationes dubitandi

Ad primam reſpondet abſolutè *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 22. n. 19.* mortua conſanguinea ſecunda, quinimmò etiam non contracto matrimonio cum ſecunda, ad contrahendum cum qua ſecunda traxit diſpenſationem, ex vi præciſè ſecundæ diſpenſationis impetratæ non poſſe amplius contrahere cum prima, in ordine ad quam primam traxerat diſpenſationem. Rationem ex eo deducit, quià per ſecundam impetrationem diſpenſationis videtur perfectè renuntiaſſe primæ, cum enim vtraque hæc diſpenſatio ſimul ſtare nequeat, ſed repugnet quoad executionem per impetrationem poſterioris viſus eſt impetrans renuntiaſſe priori in manus Pontificis, à quo poſteriorem impetrauit, qui Pontifex videtur implicitè acceptaſſe renuntiationem primæ, cum non ſit præſumendus voluiſſe primam cum ſecunda perſeuerare; atquè huic opinioni adhæreo, ſi verè ſecunda diſpenſatio fuerit valida, quod tamen negauimus *tom. 6. ſub tit. de matrimon. l. diſq. 3. §. 19. n. 2.*, ſecus, ſi inualida.

II Obtenta diſpenſatione ad contrahendum cum conſanguinea, ſi diſpenſatur cum alia conſanguinea contrahet per diſpenſationem non poteſt mortua hoc ſecunda cum prima contrahere, ſi ſecunda diſpenſatio fuerit valida.

Dices primo ex dictis præcedentèr. Si quis impetrauerit diſpenſationem ad nubendum cum conſanguinea, eaque non attenta alteri non conſanguineæ nupſerit poteſt mortua ea, cum qua nupſit, ex vi diſpenſationis nubere cum conſanguinea, ergò etiam, ſi primo traxerit diſpenſationem ad nubendum cum conſanguinea vna, eaque diſpenſatione non attenta traxerit aliam diſpenſationem ad nubendam cum altera, poterit iſta reiecta redire ad primam, & ex vi prioris diſpenſationis cum illa nubere. Sed contra neganda eſt

con-

Diſpenſatio de eo, qui contraxit poſt diſpenſationem cum non conſanguinea, & de eo, qui contraxit cum conſanguinea.

conſequentia . Ratio diſparitatis in eo conſiſtit , quod ille , qui impetrauit diſpenſationem , vt nuberet cum conſanguinea , & deindè contraxit cum alia non conſanguinea , abſolutè , & ſimpliciter non renuntiauit diſpenſationi , ſed ea vſus non eſt , eamque ſolummodo intelligitur ſuſpendiſſe , & quamvis etiam renuntiaſſet, non intelligitur tamen acceptata renuntiatio , adeoque &c. Qui verò impetrata vna diſpenſatione ad nubendum cum vna conſanguinea aliam impetrauit ad nubendum cum altera item conſanguinea , & ceſſit abſolutè priori, cum illæ duæ adinuicem repugnent , nec ſtare ſimul poſſint quoad executionem , & cum ceſſerit in manibus Pontificis, à quo impetrauit ſecundam diſpenſationem, Pontifex intelligitur acceptaſſe renuntiationem primæ ſaltem implicitè , cum non aſſueſcat pro eodem tempore duas diſpenſationes ſimul concedere ad contrahendum cum duabus.

Dices ſecundo, potius dicendum eſſe neutram ex illis diſpenſationibus ſubſiſtere ; non primam , quià per poſteriorem illi renuntiatum intelligitur ; non ſecundam , quià obtenta eſt non facta mentione primæ ; hocque conſtare videtur *ex cap. penult. de præſcript.* , atque ſic ſentiunt ibi *Innocentius num.* 5. *Hoſtienſis nu.* 11. *in fin. Ioannes Andraas n.* 15. *Abbas n.* 18. , *& ſeqq.* Sed contra admiſſo, quod prima diſpenſatio non amplius ſubſiſtat , cum illi intelligatur validè, & in forma ſufficienti renuntiatum, nego ſubſiſtere ſecundam ; nam ad hanc neceſſario requiritur mentio primę, nec obſtat, quod ſint ſuper diuerſis matrimonijs, nec vna habeat connexionem cum alia *Abbas c. penult. de præſcript. n.* 3. *Ancharanus conſ.* 131. *in fin* ; non obſtat inquam , quià habent connexionem quoad vim illatiuam, vide quæ diximus tom. 6. diſq. 3. §. 19.

Secunda non irritatur , quià eſt ſuper diuerſo matrimonio.

II

Pendente commiſſione, ſi diſpenſandus tranſierit ad alia vota poteſt mortua vxore petere executionem diſpenſationis.

Ad ſecundam, probabilius etiam ſentio, quod , quantumvis ſit ſolummodo commiſſa ordinario diſpenſatio ſuper conſanguinitate , & pendente adhuc executione, ſi ille, in cuius fauorem facta eſt commiſſio , tranſierit ad alias nuptias cum non conſanguinea, poſſit hac vxore præ mortua validè petere executionem illius commiſſionis, & cum conſanguinea in ordine ad quam illa diſpenſatio petita fuit, nubere ; atque ita expreſsè ſentit *Sanchez de matrimon. lib.* 8 *diſp.* 33. *n.* 6. *in fine* , & ratio inde deſumitur , quià cum illa diſpenſatio, ſeù commiſſio ad diſpenſandum non ſit renuntiata ſimpliciter, vel ſi renuntiata, non acceptata, non perijt facultas illa ad exequendam diſpenſationem.

PRÆNOTIO XXIII.

Quænam ſint neceſſario explicanda in impetratione diſpenſationum ſuper impedimentis matrimonij.

SVMMARIVM.

In impedimento conſanguinitatis , affinitatis , & publicæ honeſtatis exponendus eſt gradus . 1.

Probabilius eſt exponendum eſſe multiplicatum gradum . 2.

Coniunctus in duplici gradu cum eadem tenetur quantumvis ille gradus fuerit inæqualis vtrumque exprimere , nec ſufficit , ſi exprimat proximiorem , ſi ſit coniunctio ex diuerſo titulo . 3.

Quando eſt coniunctio ex eodem titulo ſufficit , ſi exprimatur remotior . 4.

Quoad licitum tamen eſſe requiruntur literæ declaratoria ſuper proximiori gradu . 5.

Nec eſt exprimendus gradus proximior , quamvis fæmina minus diſtaret à ſtipite . 6.

Intellige etiam , ſi alter diſtaret à communi ſtipite per vnicum tantum gradum . 7.

Illegitimus ex adulterio coniugati cum coniugata tenetur exprimere adulterium ex vtroque latere . 8.

Etiam tenetur exprimere qualitatem fæminæ, ſi fuerit vinculo obſtricta, ratione cuius non poſſit contrahere cum coniugato, cum quo commiſit adulterium . 9.

Nec teneret diſpenſatio, etiam ſi in literis diſpenſationis appoſita eſſet clauſula Non obſtante. 10.

Iterata copula poſt commiſſam diſpenſationem , ſed ante executionem tenet diſpenſatio , quamvis iteratio non fuerit expoſita . 11.

Secus , ſi poſt executionem diſpenſationis iterata fuerit copula . 12.

Sufficit exprimere cognationem ſpiritualem , nec requiritur ex neceſſitate expreſſio paternitatis, & filiationis . 13.

Probabilius non eſt exprimenda linea recta . 14.

In quacunque linea in primo , & ſecundo gradu exprimenda eſt , an affinitas fuerit ex copula licita . 15.

Impetratio diſpenſationis cum expreſſione gradus propinquioris cum fuerit remotior tenet 16.

Expreſſo gradu remotiori cum fuerit propinquior non tenet diſpenſatio . 17.

Si error contigerit in expreſſione ſtrictioris impedimenti , & gradus proximioris, cum tamen impedimentum fuerit in diuerſo genere minus ſtricto , & in gradu remotiori non tenet diſpenſatio . 18.

Tenet diſpenſatio inter impeditos, quantum eſt

ex

Digitized by Google

ex vi diſpenſationis non expreſſa copula, ſiuè antecedenter habita, ſiuè ſubſequentèr. 19.

Quando habita fuit copula ex fine facilius impetranda diſpenſationis tenet diſpenſatio illo fine reticito, ſi alia fuerint cauſa allegata ſufficientes ad diſpenſationem. 20.

Si nulla alia fuerit cauſa, exponenda eſt copula cum fine facilioris impetrationis, ad quem fuit habita. 21.

Si alter tantum ex conſanguineis habuerit copulam ex fine facilius impetranda diſpenſationis tenet diſpenſatio, quamvis ille finis non fuerit expreſſus. 22.

AMplam materiã aggredimur quoad ea, quæ ex parte eorum, qui impediti ſunt ad contrahendum matrimonium, ſunt exponenda in impetratione diſpenſationum, ne hæ ſubreptitiæ, & inualidæ reputentur; & quidem, cum impedimenta ſint in diuerſo genere, & ex diuerſis capitibus procedentia, in ordine ad ea omnia difficultates ſingillatim ſunt dirimendæ, quas, vt breuius, & dilucidius expediamus, placet ſingula ſub varijs dubitationibus, & earum reſpectiuè reſponſionibus dilucidare.

Dubium primum.

Dubitatur primò. An in impedimento conſanguinitatis, affinitatis, & publicæ honeſtatis exponendus ſit gradus determinatus, quo contrahere volentes ſunt coniuncti, an verò ſufficiat exponere conſanguinitatem, affinitatem, vel publicam honeſtatem in genere reticito gradu, quo ſunt coniuncti.

1 Exponendus eſt gradus in conſanguinitate, affinitate, & publica honeſtate.

Reſpondeo, exponendum eſſe determinatum gradum, quo ſunt coniuncti contrahere volentes, ne diſpenſationes ſint ſubreptitiæ. In hoc conueniunt communiter DD., & ità ſeruat ſtilus curiæ, quem habere vim legis, conſentiunt omnes ex allegatis ſuperius iuribus, & etiam ratio ſuadet, quià, quo proximior eſt gradus, eo difficilior eſt diſpenſatio, & non niſi ex vrgentiori cauſa, vel exacta maiori compenſatione. Euincitur etiam paritate rationis ex ijs, quæ communitèr docent tàm iuriſtæ, quàm Theologi de legitimatione prolis, pro qua non ſufficit exponere eam eſſe ſpuriam, ſed etiam ſunt explicandæ qualitates, & circunſtantiæ coitus, quo procreatus eſt *Baldus in l. eam quam n.36 C. de fideicõmiſſ., Antonius c. per venerabilem n. 15., qui filij ſint legitim., Felinus c. poſtulaſti n. 2. declarat. 5. de reſcript. Rebuffus prax. benefic. tit. de diſpenſatione ſuper. defect. natalium n. 61. Coaruuias quarto decret. 2. part. c. 8. §. 9. num. 1., & 2. Molina tom 1 de iuſtit. tract. 2. diſp. 173. col. 8. verſ. hinc colligitur, Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 34. n. 3. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimonio c. vlt. tit. de diſpenſatione petenda.*

Dubium ſecundum, quando gradus eſt duplicatus.

Dubitatur ſecundo, an, quando contrahere volentes ſunt in eodem gradu duplicato, ſcilicet tàm ex parte matris, quàm Patris, teneantur in petitione diſpenſationis illum gradum in eodem gradu duplicato exponere. Hæc difficultas poteſt habere locum, vel in gradibus conſanguinitatis, vt ſi ſint coniuncti ex vtroque latere, vt præfert ipſe titulus, vel in gradibus affinitatis, vt ſi quis contrahere volens cum aliqua rem habuerit cum duabus perſonis conſanguineis in ſecundo gradu cum ea, cum qua contrahere intendit, vel in cognatione ſpirituali, vt, ſi alter alterius duos filios baptizauit, vel de ſacro fonte leuauit, vel eundem filium ex ſacro fonte leuauit, & ſimul in confirmatione tenuit, vel duo fuerint mutuo patrini filij alterius; vel in publica honeſtate, quatenus contraxit matrimonium ratum, & validum cum duplici cognata eius, quam ducere intendit, vel ſponſalia duo cum duabus eius ſororibus ex diſpenſatione Pontificis.

Opinio Texedæ circa propoſitũ dubium.

Texeda *in Theolog. mor. tom. 2. lib. 4. dub. 2. n. 58* apud *Dianam part. 8 tract. 3. reſol. 60.* exiſtimat ſufficere expreſſionem gradus ex vno latere ſine duplicatione ex altero, eo quià ex illo duplicato gradu vnũ dumtaxat conſurgit impedimentum, & illa multiplicitas gradus merè materialitèr ſe habet in ordine ad intentionem Eccleſiæ; hocque confirmat exemplis plurium fornicationum eiuſdem ſpeciei cum eadem perſona, quæ non inducunt, niſi vnicum impedimentum affinitatis, plurium excommunicationum, cum quibus quis celebrat; non enim contrahit, niſi vnicam irregularitatem, item exemplo procreati ex duplici adulterio, ſcilicet ex vtroque parente ad effectum, vt poſſit promoueri ad ſacros ordines, quem non teneri ad expreſſionem vtriuſque aſſerit, ſed ſufficere, ſi exponat ſe eſſe adulterinum: Nihilominus

2 Probabilius duplicatus gradus eſt exponendus.

Reſpondeo, probabilius eſſe in omnibus præallegatis caſibus teneri duplicatum gradum exponere *Molina de iuſtitia tom. 1. tract. 2. diſp. 161 Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. n. 5. Roia in Nouiſſimis vol. 3. lib. 1. deciſ. 117. n. 2. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 56. art. vltim. dub. 2. difficul. 3. corrol. 5. Iacobus de Puteo deciſ. 39. n. 2., & ſeqq. Mandoſius in ſignatura gratia verbo diſpenſationes matrimoniales ad fin.* Ratio ex eo deducitur primo, quià diſpenſationes ex genere ſuo ſunt odioſæ, & ſtrictæ interpretandæ per ſuperius allegata; in odioſis autem duplum non continetur ſub ſimplici. Secundo, quià, quando duplex eſt conſanguinitas ex vtroque latere, non eſt vnica, & vnius ſanguinis communicatio, ſed diuerſa, ex qua conſurgit diuerſa conſanguinitas, quando duplex eſt affinitas

cum

Digitized by Google

Duplum in odioſis non continetur ſub ſimplo.

cum eadem fœmina ex copula carnali cum duabus ipſius conſanguineis in eodem gradu non eſt ſimplex eorundem ſeminum commixtio; ex qua conſurgit, ſed duplicata diuerſorum, quando duplex eſt cognatio ſpiritualis, vel duplex publica honeſtas, non eſt vnica attinentia, ſed duplex, illa ex duplici miniſterio circa ſacramenta diuerſa, iſta ex duplici matrimonio rato, vel ex duobus ſponſalibus, ſed quando eſt duplex impedimentum per ablationem vnius, alterum non auferetur, ergo &c. Deindè, quamvis daremus non conſtitui duplex impedimentum, denegari tamen non poteſt, quin fortius, & intenſius conſtituatur, ſicuti ex duobus gradibus caloris intenſior conſtituitur, ergo eodem modo non diſſoluitur, ac quando vnicum tantum diſſoluitur.

Dices, hac ratione non ſubſiſteret diſpenſatio, quam quis impetrauit ſuper impedimento affinitatis contractæ ex multiplici copula cum conſanguinea eius, quam ducere intendit, quandòquidem vnaquæque copula, ſi non inducit diſtinctam affinitatem, eandem ſaltem auget, & intendit, quod tamen ſupra negauimus. Sed contra, quià diuerſa omninò eſt ratio, quandò affinitas oritur ex multiplici copula cum eadem conſanguinea eius, quam ducere intendit, ac quandò oritur ex copula cum diſtinctis conſanguineis eiuſdem, nam quandò contrahitur affinitas per multiplicatas copulas cum eadem conſanguinea, licet multiplicentur peccata, tamen nõ multiplicatur affinitas, nec gradus affinitatis, quandòquidem, vt procedens ab eodem principio non admittit intenſionem; vnde ad ſummum dici poteſt, quod ſolummodò addantur actiones, quibus ſufficientèr contraheretur affinitas, ſi iam non eſſet contracta; quandò verò affinitas conſurgit ex multiplicatis copulis cum diuerſis conſanguineis, cum tunc conſurgat ex diuerſa commixtione, non vna ſola contrahitur, ſed multiplex, vel ſaltem vna intenſiuè, & extenſiuè maior, adeoque &c. Et ex hac reſponſione habes, quid reſpondeas ad alia exempla, quæ adducebantur à *Texeda loc. cit.* excepto illo, quod adducebatur de adulterio ex vtroque latere, de quo infra.

Non multiplicatur affinitas ex multiplici copula cũ eadem.

3 Coniunctus cum eadem in duplici gradu inæquali tenetur vtrumque exprimere, ſi coniunctio ſit ex diuerſo titulo.

Hic alia ſuboritur difficultas, an, ſi quis cum eadem fuerit coniunctus in duplici gradu, ſed inæquali puta in ſecundo, & in tertio teneatur in impetratione diſpenſationis, vtrumque gradum exponere, an verò ſufficiat exponere gradum proximiorem ſtipiti omiſſo remotiori puta ſecundum omiſſo tertio. Videtur ſufficere, ſi exponatur proximior omiſſo remotiori, quià ſublato proximiori non eſt, cur remotior in ſuo eſſe ſubſiſtat, cum quodamodò in illo contineatur. Nihilominus abſolutè aſſerendum eſt, vtrumque eſſe exponendum *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. n. 10.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi gradus ad inuicem non communicant, nec remotior continetur in proximiori, cum procedant ex diuerſo principio, ergò non erit, cur vterque non ſit exprimendus. Antecedens probatur, quià ſenſus huius aſſerti non eſt, quandò vnus ex contrahere volentibus ex eodem titulo conſanguinitatis propter communicationem cum ſanguine diſtat v. g. à ſtipite in ſecundo gradu, & alter in tertio, quià, vt infrà videbimus, in hoc ſenſu ſatis erit, quod exprimatur remotior reticito proximiori, ſed ſenſus eſt, quando v. g. ex vno capite vterque ſolum diſtat à comuni ſtipite in ſecundo gradu, & ex alio capite, & cauſa, ſeù quaſi diuerſo titulo proptèr aliam communicationem diſtat vterque etiam in tertio, in hoc etenim ſenſu clarè liquet hunc tertium gradum non contineri in ſecundo, nec rigoroſè quoad hunc effectum communicare cum illo, hocque contingeret, quandò ex parte vnius parentis hoc eſt ex vno latere eſſet coniunctus vterque in ſecundo gradu, & ex altero latere ſcilicet ex parte alterius parentis in tertio; & ſi quandò in æquali gradu duplicato ex vtroque latere non ſufficit exponere gradum ex vno latere, niſi exprimatur etiam æqualis gradus ex altero, vt mox dicebamus, in reſponſione ad dubitationem, cur quandò diſtant in gradu inæquali, non erit vterque exponendus? Certè enim, & gradus remotior ex altero latere eſt ſecundum ſe, & ſupponitur ſufficiens ad dirimendum matrimonium, cæteroqui non haberet locum præſens difficultas.

Quãdo eſt ex diuerſo titulo, tertius gradus non continetur in ſecundo

Rurſus alia ſuboritur hinc difficultas, an, quandò contrahere volentes non ex diuerſo titulo, ſed ex eodem diſtant inæqualitèr à ſtipite puta alter in ſecundo gradu, alter in tertio, vel quarto ſit vterq; gradus, quo illi à ſtipite diſtant, exponendus, an verò ſufficiat exponere, vel proximiorem, vel remotiorem. Quidquid antiquitus aliqui dixerint *ex c. quod dilectio de conſang.* abſolutè aſſerendum eſt, regularitèr loquendo ſufficere, ſi exponatur gradus remotior, quo alter diſtat à communi ſtipite, & hoc quoad validum eſſe; nam quoad eſſe licitum requiruntur vlterius literę declaratoriæ ſuper gradu propinquiori *Probus addit. ad monachum rub. de cognat. ſpirituali n. vnico verſ., & quando ſunt, Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. §. 10. num. 12. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct., vbi de matrimon. c. 49. in impedim. conſanguinitatis col. 5. verſ. poſtremo, Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 54. art. 2. col. penult. concl. 2. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. n. 15.*

4 Quando eſt ex eodem titulo ſufficit, ſi exprimatur remotior gradus.

Ratio

Ratio ex eo deducitur, quod habetur *in c. fin. de conſang.*, vbi dicitur, quod, quando duo conſanguinei in gradu diſpari diſtant, intelliguntur tantum diſtare inter ſe, quantum remotior diſtat à communi ſtipite, & ille ſolus gradus matrimonio impedimentum infert, qui à ſtipite remotior eſt, ergo, cum ſolum gradus remotior præſtet impedimentum is ſolum ex neceſſitate quantum ad valorem matrimonij erit aperiendus. Dixi, *quoad eſſe licitum requiruntur vlterius literæ declaratoria ſuper gradu propinquiori*, & hoc propter motum quendam proprium *Pij Quinti ſanctæ recordationis edito anno 1566. die 26 Auguſti, qui incipit, Sanctiſſimus*, vbi reuocauit motum proprium Pij IV. prædeceſſoris, in quo decreuerat gradum propinquiorem eſſe exponendum, & ſtatuit ſuf-

5 ficere gradus remotioris mentionem, obtentis tamen poſtea literis declaratorijs ſuper gradu proximiori, & hoc non ad effectum reualidandi contractum initum, quaſi, quod ſine illis literis declaratorijs eſſet inualidus, ſed ad effectum, vt ſcandala caueantur in foro externo, vnde merito docet *Probus addit. ad Monachum in rub. de cognat. ſpirit. in ſexto*, quod ſolum requiratur literæ declaratoriæ, quando petitur in foro publico diſpenſatio, non quando petitur pro foro interno in impedimento omninò occulto.

Quoad licitum eſſe requiruntur literæ declaratoriæ, & quomodo,

Dixi, *regulariter loquendo*, propter nonnullos, qui docuerunt, quando fœmina eſt proximior ſtipiti, hunc gradum proximiorem eſſe explicandum, vt inter cæteros docent *Sotus in quarto diſt 40. q. vnica art. 3. verſ. quarto demum, & art. 4. col. penult. verſ., & tertio, Molina de iuſt. tom. primo. tract. 2. diſp. 161.*, qui ea ratione mouentur, quià tunc, cum vtpotè amita, & matertera ſit reſpectu viri ſuperior, vir eam debet reuereri, & illa è contrario,

6 cum ſit vxor, ſuſcipere debet ea reuereri virum, & ſic eſſet inter eoſdem quaſi mutua pugna; & peruerteretur ordo ſeruandus in matrimonio. Sed, an hæc limitatio admittenda ſit, non video in iure definitum, & regula indefinitè ſtatuit, quod gradus remotior ſit dumtaxat aperiendus non diſtinguens, quando fœmina eſt proximior ſtipiti, ac quando eſt proximior maſculus, nec ratio ex aduerſo adducta quidquam euincit; nam eadem ratio militaret poſita expreſſione etiam gradus proximioris fœminæ, nam adhuc vir eidem vtpotè ſuperiori deberet reuerentiam, non enim per diſpenſationem tollitur ius ad illam reuerentiam iure naturæ debitam; vnde ex hoc potius eſſet arguendum, quod non eſſet de facili diſpenſatio concedenda, quam quod, ſi fuerit conceſſa etiam reticita illa qualitate, non teneat, cum ad hoc exprimendum iura non obligent, & maior difficultas in concedendo non irritet conceſſionem.

Nec eſt exprimendus gradus proximior quàuis fœmina minus diſtaret à ſtipite.

Propter ſimilem rationem etiam limitant alij reſponſionem, quando alter ex contrahentibus ſolummodò per vnum gradum diſtaret à communi ſtipite, licet alter diſtaret in tertio, vel in quarto gradu ab eodem ex motu proprio ſupra allegato Pij V., vbi, cum dixiſſet non eſſe ſubreptitiam diſpenſationem obtentam ſine expreſſione gradus proximioris ſubdidit. *Dummodo primum quoquo modo non attingant, cum in eo ſanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat.* Sed huic etiam limitationi 7
libenter non acquieſcerem; quià in hoc etiam currit generalis regula, & indefinita, quod à remotiori gradu impedimentum ſit deſumendum; nec motus Pij V. In hoc officit, quandòquidem, ſi in eo ſenſu, in quo accipitur ab aduerſarijs, ſumeretur, nec poſſet contrahi matrimonium inter conſanguineos in primo, & quinto gradu, cum ſemper verificaretur, quod diſpenſatio primum gradum attingeret, nec ille primus gradus deſineret ex eo, quod alter contrahens in gradu vltra quartum protraheretur; Deindè, cum Pontifex in eo motu pro ratione adducat, quod nunquam in eo primo gradu diſpenſare intendat, vtique intelligitur, quando vterque contrahens eſt in eodem primo gradu, cum paſſim occurrat, quod in primo, & tertio gradu, vel quarto diſpenſet.

Etiam ſi alter ſolum diſtaret à communi ſtipite per vnum gradum.

Dubitatur tertiò. An, ſi illegitimus ex adulterio coniugati cum coniugata diſpenſationem obtineat ſuper defectu natalium, & exprimat vnum ſolum adulterium, intelligatur validè diſpenſatus.

Dubium tertium de adulterino ex vtroque latere.

Affirmatiuè reſpondet *Texeda in Theologia morali tom. 2. lib. 4. dub. 2. num. 58.*, qui etiam docet incautè procedere aduerſarios aſſerentes, vtrumque adulterium exponendum eſſe ad validitatem legitimationis, atque hanc etiam ſententiam ſuſtinent *Angelus conſ. 204. n. 1. Prapoſitus c. per venerabilem §. quod autem n. 24. in fin. Qui filij ſint legitim.* cum exiſtiment duplex illud matrimonium materialitèr ſe habere, & formalitèr in ordine ad effectum diſpenſationis computari pro vno. Nihilominus

Opinio Texedæ arbitrantis ſufficere expreſſionem adulterij ex vna tantum parte.

Reſpondeo, probabilius eſſe, vtrumque adulterium exponendum eſſe, & per expoſitionem vnius dumtaxat reddi diſpenſationem ſubreptitiam, & inualidam. *Oldradus conſ. 247 dub. 2. nu. 2. Antonius c. per venerabilem nu. 15., qui filij ſint legit. Decius conſ. 462. viſa legitimatione n. 7. vol. 4. Felinus c. poſtulaſti n. 2 verſ. caeterum, & de iſto declar. 2. de reſcript. Silueſter verb. legitimus q. 3. dict. 2. Mandoſius in ſignatura gratia verb. diſpenſationes matrimoniales ad fin.* 8

Adulterium ex vtroque latere eſt exponendum.

Coa-

Digitized by Google

Coarunias 4. decret. 2. pars. c. 8. §. 9. n. 3., & alij magis communitèr. Ratio ex eo deducitur, quià ex duplici capite conſurgit illa illegitimitas, ſeù defectus natalium, & ex vtroque latere inficit prolem, & cum proueniat ex duplici principio inducit duplicem defectum, ſeù vnum intenſiuè, & extenſiuè maiorem, ergò vterque ille defectus eſt in impetratione diſpenſationis aperiendus. Confirmatur, quià, quandò impedimentum conſanguinitatis prouenit ex vtroque latere, ſiuè in gradu æquali, ſiuè inæquali per ſuperius dicta eſt manifeſtandum in vtraque qualitate, ne ſubreptitia euadat diſpenſatio, ergò etiam, quandò defectus natalium prouenit ex vtroque latere, erit ſecundum vtramque qualitatem in diſpenſatione aperiendus; ſicuti enim coniunctio vtriuſque parentis in ſanguine inducit ex vtroque latere conſanguinitatem in prole, ita labes in vtroque parente inficit eandem prolem ex vtroque latere.

9 Tenetur etiam exprimere qualitatē fæminæ vinculo obſtrictæ.

Hinc etiam deduces, quod non ſolum aperienda ſit qualitas vtriuſque adulterij, quandò proles orta eſt adulterina ex coniugato, & coniugata, ſed etiam, quandò orta eſt ex coniugato, & fæmina alio vinculo, ratione cuius non poſſit eſse matrimonium cum illo, obſtricta, vt, ſi eſset affecta voto ſolemni caſtitatis; hæc etenim qualitas magis extenſiuè, & intenſiuè inficit eandem prolem, & reddit minus habilem ad munera, in ordine ad quæ requiritur diſpenſatio, & ſemper verificatur, quod ſit ex coitu nefario ex vtroque latere, quod idem dic in ſimilibus.

Hæc, quæ dicta ſunt, adeò vera ſunt, vt ſiue petita fuerit diſpenſatio ſuper impedimento conſanguinitatis prouenientis ex vtroque latere, ſiue ſuper defectu natalium proueniente ex vtroque parente tacito altero coniunctionis gradu, vel illegitimitate ex parte alterius, non ſubſiſtat, ſed ſubreptitia ſit, etiam ſi in literis diſpenſationis addita fuerit clauſula *non obſtante*, *Baldus in l. 1. n. 22. verſ. vnum etiam ſcias C. de furtis, Alexander conſ. 95. n. 7. vol. 2. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 3 caſ. 203. n. 13. Brunorus in ſuo compend. lit. D. verſ. diſpenſatio eſt de lege*. Ratio ex eo deducitur, quia illa clauſula habet præcisè confirmare expreſſa, nec vllo modo extenditur ad tacita, illiſque robur addit aduerſus ea, quæ eiſdem obeſſe poſſunt, iſtis verò nullam vim confert, cum de iſtis non loquatur.

10 Etiamſi in literis diſpenſationis poſita fuerit clauſula *non obſtante*.

Dubium quartum de copula commiſsa cum conſanguinea poſt commiſsionem diſpenſationis.

Dubitatur quarto, an, ſi impetrata fuerit à Romano Pontifice Ordinario commiſſio, vt diſpenſet cum impetrantibus ſuper impedimento affinitatis ortæ ex copula cum conſanguinea alterius impetrantis, & antequam ordinarius exequatur commiſſionem, iterum ille, qui conſanguineā alterius cognouit, cognoſcat, poſſit exequi eadem commiſſio nulla facta mentione copulæ ſubſequentis, ſeu ſubſecutæ poſt impetratam commiſſionem.

Reſpondeo cum diſtinctione, quam innuit etiam ipſe titulus, quo proponitur hæc dubitatio; vel etenim iterata copula commiſſa eſt pendente adhuc diſpenſatione, quatenus commiſſio non fuerit executa per ordinarium; vel illa perfectè cōpleta; Iuxta primum ſenſum abſolutè ſentio, non obſtante iteratione copulæ ante commiſſionem adimpletam ſubſiſtere diſpenſationem. Iuxta ſecundum verò ſentio, non ſubſiſtere. Ita in vniuerſum *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. n. 8.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia copula illa iterata ante adimpletam commiſſionem per ſuperius notata, & probata, non inducit nouam affinitatem, nec auget, ſed ſolummodò ponit actiones, ex quibus conſurgeret affinitas, ſi nondum hæc eſset poſita, ergò non eſt, cur commiſſio poſt illam iteratam executa non poſſit ſubſiſtere. Confirmatur ex ſuperius dictis, quià, ſi affinitas orta eſset ex iteratis copulis cum eadem conſanguinea, non eſset neceſsaria ad validam diſpenſationem expreſſio actuum fornicationis quoad numerum, quibus illa fuit cognita, nonniſi quià vnicam tantum conſtituunt affinitatem, prout docent *Calderinus conſ. 1. de conſang. nu. vnico, Alexander de Neuo cap. quod dilectio ad fin. de conſang., & ibi Præpoſitus nu. 8. Gambara de auctoritate legati lib. 7. tit. de diſpenſ. legatorum circa matrimonia n.* 407. ergò etiam ad validam executionem diſpenſationis non poteſt obſtare iterata copula cum eadem conſanguinea, & negatio expreſſionis eiuſdem, quandò hæc fuit commiſſa ante adimpletam commiſſionem. Conſequentia probatur, quià, quandò non confert ad diſtinctam affinitatem inducendam, vel maiorem intenſiuè, & extenſiuè, parum refert, quod fuerit patrata antecedentèr ad petitionem, vel ſubſequentèr ad illam, ante tamen complementum commiſſionis, quià, quouſque perſeuerat affinitas, quæcunque actio fornicaria cum eadem conſanguinea accedat, nō addit extenſionem, nec intenſionem in genere affinitatis, nec commiſſio facta à Pontifice ordinario ad diſpenſandum interrumpit eandem affinitatem, adeout quodamodo duplex conſtituatur. Neque dicas, quod auctoritas commiſsarij tota ſit ab auctoritate, & voluntate committentis; voluntas autem committentis præſumitur eſse dūmtaxat iuxta expoſita in ſupplici libello, & non aliter; in ſupplici autem libello non continetur copula poſt commiſſionem commiſſa; contra enim impugnaberis; quià voluntas committentis ſup-

11 Iterata copula poſt commiſsam diſpenſationem, ſed ante executionem tenet diſpenſatio illa non explicita.

Copula ſubſequēs commiſſionem non auger affinitatem.

de excommunicatione c. vlt. n.2. in comment lit. M. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. num. 7., quod, qui ſæpius in excommunicatione celebrauit, non contrahat plures diſtinctas irregularitates. Secundo aſſerunt *Sanchez loc. cit. Toletus lib. 7. c 19. ad fin, Azorius tertia part. lib 3. c. 10. q 1. Garzias loc. cit. nu. 77.* non contrahere diuerſam numero affinitatem illum, qui ſæpius fornicatus eſt cum eadem conſanguinea, nec teneri omnium delictorum mentionem facere in diſpenſatione obtinenda. Tertio docent, non contrahere diuerſam bigamiam neceſsario in diſpenſatione obtinendam, qui ter, vel quater contraxit nuptias *Garzias loc. cit. nu. 79. Sanchez lib. 7. diſp. 87. n. 24. Henriquez lib. 12. c 6. §. 9. Vgolinus de irregul c. 56. §. 7. n. 3. Auila de cenſuris 7. parte diſp. 8. in fin.*

Qui ſæpius celebrat in excommunicatione non cōtrahit plures irregularitates.

Dices, ſi quis fornicatus fuerit cum diuerſis conſanguineis eiuſdem fæminæ, vtique contrahit diuerſas numero affinitates, eaſdemque tenetur in impetratione diſpenſationis explicare, ergò etiam, qui plura in diuerſis perſonis homicidia commiſit, contrahere dicendus eſt plures irregularitates diſtinctas, & vtique in eadem impetratione explicandas. Sed contrà admiſso antecedente neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod affinitas, cum conſiſtat in quadam coniunctione, ſeù fundetur in coniunctione, importat ex genere ſuo relationem ad diuerſas perſonas, ex quarum coniunctione reſultat affinitas cum alijs cum eiſdem coniunctis, vndè, ſi fuerint tales coniunctiones cum diſtinctis perſonis, vtique erunt affinitates diuerſæ, cum procedant ex diuerſis principijs, & cauſis; ſic principium vnius affinitatis cum Berta v. g. eſt coniunctio Caij cum Sempronia conſanguinea eiuſdem Bertæ; principiū verò alterius affinitatis cum eadem Berta eſt coniunctio eiuſdem Caij cum Fælicita altera conſanguinea eiuſdem Bertæ; vbi autem diuerſum eſt principium, non poteſt eſse, niſi diuerſus ſaltem in numero effectus; principium autem irregularitatis ex homicidio potiſſimum prouenit ex actione homicidæ, cum importet lenitatem; ad quam ſolum materialitèr ſe habet occiſus, & terminatiuè, cæterum tota lenitas, quæ eſt ratio, ob quam formalitèr inducta eſt irregularitas, prouenit ab accidente.

Prouenit ex diuerſo principio affinitas cū diuerſis cō ſanguineis

7 Ex hac aſsertione ſic comprobata ſequitur, quòd in impetratione diſpenſationis non ſint neceſsario exponenda ſingula homicidia; diſpenſatio etenim cadit ſuper irregularitate, & cum non contrahantur diſtinctæ numero irregularitates non eſt, cur debeant exprimi; Neque dicas; quod licet ex diuerſis homicidijs non contrahantur diuerſæ irregularitates, ſingula tamen homicidia moralitèr conſtituant vnam irregularitatem grauiorem, & difficilius diſpenſabilem; contra enim impugnaberis, quià licet diuerſa, & diſtincta homicidia conſtituant diuerſa numero delicta, non tamen ſingula delicta augent irregularitatem, nec conſtituunt diuerſas numero irregularitates, cum priuatio non admittat, nec intenſionem, nec extenſionem; vndè ad ſummum dici poteſt, quod irregularitati, ſeù priuationi addantur in illis repetitis delictis nouæ actiones, quibus ſufficientèr contraheretur irregularitas, ſi iam contracta non fuiſset; & proptèr hanc eandem rationem docent, quod affinitas orta ex iterata copula cum conſanguinea non ſit in diſpenſatione exponenda, nec multiplicatæ nuptiæ in impetratione ſuper impedimento bigamiæ. Quamobrem neſcio, qua conſequentia *Diana d. part 8. tract. 3. reſol. 58.* docuerit ad effectum validæ diſpenſationis ſuper irregularitate orta ex homicidio non eſse neceſse explicare diuerſa, & diſtincta homicidia, dum *reſol. praecedenti nempe 57. verſ. notandum eſt tamen*, docuit, quod homicida nihil faciet, ſi vno tantum homicidio narrato ex multis, quæ patrauit, velit diſpenſationem ſuper irregularitate impetrare. Hæc etenim duo ſunt expreſsè contradictoria, vt ex ſe patet.

In impetratione diſpenſationis nō ſunt neceſſariò exprimenda ſingula homicidia.

Cenſura inconſequētiæ Dianæ.

8 Reſpondeo ſecundo, ex ſuppoſitione, quod ex ſingulis homicidijs diſtinctæ numero contrahantur irregularitates, poſſent diſtinctim diſpenſationes ſuper ſingulis obtineri *Caſtrus Palaus tom. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 16. §. 4. n. 16.*, cui videntur adhærere *Diana part. 8 tract. 3. reſol. 58., & alij*. Ratio ex eo deſumitur, quià huiuſmodi irregularitates ex ſuppoſitione diſtinctionis non coaleſcunt in vnam, nec vnam conſtituunt intenſiuè, ſed ad ſummum extenſiuè, ergò non eſt, cur non poſſit impetrari diſpenſatio ſuper vna ſine alia, ſicuti non eſt, cur non poſſit impetrari venia ſuper vno homicidio, & non ſuper alio.

Poſſent diſtinctim diſpenſationes ſuper ſingulis obtineri.

Dubitatur quinto. An, ſi quis obtinuerit vnam diſpenſationem, vel in eodem, vel in diuerſo genere, & ſucceſſiuè alteram non facta mentione de prima, ſecunda intelligatur ſubreptitia, vel inualida?

Dubium quintum.

9 Iuxtà ſuperius dicta dirimenda eſt hæc dubitatio; vel etenim diſpenſationes illæ ſunt de rebus omninò diſtinctis, & non communicantibus, vel de omninò connexis, vel de diſiunctis, ſed communicantibus in eodem fine, quatenus ad eundem ordinantur. Si ſint de rebus omninò diſiunctis, & non communicantibus, non eſt dubium, quin ſecunda ſit valida, etiam ſi in impetratione eiuſdem non

Reſolutio dubij remiſſiuè.

non ſit facta mentio de prima, & ad hoc conſonant omnes rationes, & iura ſupra allegata, cum etenim ad inuicem non communicent, vna non habet alteram impedire, nec remiſſio vnius dependet à remiſſione alterius. Si ſint de omninò connexis, ſicuti prima eſt omninò inualida ſine alia, ita & hæc alia ſine illa; ſi tandem ſit de diſiunctis, ſed communicantibus in eodem fine, videndum eſt, an impetratio primæ fuerit doloſa, an verò ex ſimplicitate, & ignorantia: ſi doloſa, cum irritetur diſpenſatio quoad totum in pœnam doli, perindè ſecunda ſe habebit ad illam ac ſi non fuiſset poſita, adeoque de eadem ſecunda eodem modo Phyloſophandum erit, quo dictum fuit de prima non facta mentione alterius; ſi non fuerit doloſa, ſed ex ſimplicitate; tunc abſolutè dicendum erit ſecundam fore etiam validam, quantumuis de prima non facta fuerit mentio; cum etenim prima ſubſiſtat ex ſuperius dictis, ac proindè per illam ſublatum fuerit impedimentum, non eſt, cur de illa in impetratione ſecundæ facienda ſit ex neceſſitate mentio.

Dubium ſextum.

Dubitatur ſextò. An, ſi quis diſpenſationem obtinuerit ad contrahendum matrimonium cum conſanguinea, & deindè nullo habito reſpectu ad eandem diſpenſationem contraxerit matrimonium cum alia non conſanguinea poſſit præmortua coniuge non conſanguinea ex vi illius diſpenſationis nubere conſanguineæ, in ordine ad quam illam diſpenſationem impetrauerat.

Rationes afferentes obtenta diſpẽſatione ad contrahendum cum conſanguinea non poſſe contracto alio matrimonio, eaque diſſoluto contrahi cum cõſanguinea ex vi illius diſpenſationis.

Videtur abſolutè dicendum, præmortua prima vxore non conſanguinea non poſſe vti diſpenſatione prius habita ad nubendum conſanguineæ, in ordine ad quam illa diſpenſatio fuerat impetrata; quandò quidem, ex quo eadem impetrata nupſit alteri non conſanguineæ, videtur eidem diſpenſationi renuntiaſſe, qua propterea non poteſt amplius gaudere. Deindè non ſolum ex vi illius implicitæ renuntiationis non poteſt amplius gaudere priuilegio diſpenſationis, ſed etiam ex vi, & natura eiuſdem priuilegij, quandòquidem mutatione perſonæ mutatur priuilegium *arg. l. per procuratorem 88. ff. de acqu. hæred.*, & conceſſio facta intelligitur rebus in eodem ſtatu permanentibus *Monachus c. ſtatutum el 2. n. 9. de hæret. in 6.* Quis autem dubitet, mutari perſonam, & ſtatum rerum ex eo, quod diſpenſatus ad contrahendum cum conſanguinea omiſſa diſpenſatione, & neglecta conſanguinea contraxerit cum alia? Tandem, quià ipſa diſpenſatio ad nubendum cum conſanguinea non eſt completa, cum adhuc non fuerit ad actum redacta, adeoque non videtur adhuc ſublatum impedimentum conſanguinitatis; vndè ſuperius diximus, quod, ſi ſic diſpenſantus, antequam matrimonium compleuerit, carnalitèr cognouerit eandem conſanguineam, non ſolum contrahat notam ſimplicis fornicationis, ſed etiam inceſtus, ergò cum ab eadem receſſerit ante complementum contrahendo matrimonium cum alia non videtur poſtea licitè ad eandem poſſe accedere. Nihilominus

Reſpondeo, probabilius eſſe mortua prima vxore poſſe cum eadem conſanguinea ex vi illius diſpenſationis matrimonium contrahere *Gordonus in ſumma lib. 2. q. 13. n. 1.*, & in ſimilibus terminis, docet *Monachus c. 1. de filijs præsbit. in 6. n. 12. Phylippus Probus addit. ad Monacum c. vnico de cleric. coniug. in 6. n. 30.* Ratio ex eo deſumitur, quià diſpenſatio, quantum ſe tenet ex parte Principis concedentis, & diſpenſantis, intelligitur completa, & acceptata ab eo, in cuius fauorem conceditur, nec ab eodem Principe intelligitur reuocata, ergò, non obſtante, quod diſpenſatus ad alias nuptias tranſierit, poterit eiſdem diſſolutis ad nuptias, ad quas fuit diſpenſatus, liberè tranſire. Conſequentia hæc probatur, quià vbicunque integra remanet gratia conceſſionis, non eſt, cur conceſſionarius non poſſit liberè ea vti. 10

10 Diſſoluto illo matrimonio poteſt ex vi diſpenſationis contrahere cũ conſanguinea.

Dices primo, non poſſe amplius ea vti, quià liberè, & ſponte ſaltem implicitè eidem renuntiauit contrahendo alias nuptias; iure autem renuntiato non poteſt amplius renuntians gaudere. Sed contrà, quià, quidquid ſit de illa tacita renuntiatione, de qua certò non conſtat; potuit enim ille, qui ſic fuit diſpenſatus, nolle renuntiare priuilegio ſibi conceſſo, ſed eo non vti velle, donec aliud ſuum intentum compleuerit, adeoque illud ſuſpenſum habere: quidquid, inquam, de hoc ſit, quantumuis tacitè renuntiauerit, adhuc tamen renuntiatio non priuat renuntiantem iure gaudendi priuilegio, niſi ipſa renuntiatio fuerit à concedente acceptata: non intelligitur autem à concedente acceptata, niſi ei fuerit denuntiata, eamque ratam habuerit per legitimum conſenſum.

Renuntiatio non tenet, niſi acceptetur.

Dices ſecundo, quod, quantumuis Pontifex expreſsè non acceptauerit renuntiationem factam à diſpenſato, intelligatur tamen implicitè, & concomitantèr acceptaſſe, quatenus, ſi ſciuiſſet diſpenſatum tranſiſſe ad alias nuptias nulla habita ratione diſpenſationis conceſſæ, eandem rationabilitèr reuocaſſet, quod ſufficit ad præſens inſtitutum. Sed contrà, quià, ex quo Pontifex liberè, & abſolutè conceſſit diſpenſationem, non intelligitur etiam ceſſante cauſa eam reuocare, nec acceptare renuntiationem, niſi certioratus eidem aſſentiatur, qua ratione etiam

Digitized by Google

Non intelligitur acceptata renuntiatio ſine certio ratione.

docent *Gordonus in ſumma lib. 2. q. 13. c. 7. n. 1., & ſeqq. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 74., & alij*, quod, ſi quis diſpenſatus fuerit ad ordines ſacros ob titulum paupertatis, & deindè ante promotionem factus fuerit ditior, non tamen ceſset diſpenſatio, quantumvis, ſi Pontifex ſciuiſset mutationem ſtatus pauperis in diuitem reuocaſset diſpenſationem.

Probari poteſt vlterius reſponſio paritate rationis ex ijs, quæ docent *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 42. n. 9. Pylippus Probus addit. ad Monachum c. vnico de cleric. coniug. in 6. n.* 30. nempe, quod, ſi illegitimus diſpenſationem obtinuerit, vt promoueri poſset ad beneficium, & ante promotionem ad illud tranſierit ad matrimonium, non amittat ius, ſi vxor, quam duxit, præmortua fuerit, vt promoueatur ad illud beneficium, quamuis hoc ſit incompatibile cum matrimonio, ergò etiam, quantumvis impetrata diſpenſatione, vt quis nubere poſset cum conſanguinea, aliam fæminam matrimonio ſibi copularit, non impedietur, quominus mortua fæmina, quam prius duxerat, ex vi illius diſpenſationis poſſit nubere cum eadem conſanguinea. Antecedens probatur, quià per illam diſpenſationem non acquiſiuit aliquod ius, ſiuè in re, ſiuè ad rem ad beneficium, ſed ſolummodò factus eſt habilis ad ipſum; matrimonium autem repugnat quidem cum iure, ſiuè in re, ſiuè ad rem ad beneficium, non autem cum habilitate ad ipſum, ergò non eſt, cur per illud matrimonium initum poſt diſpenſationem tolli debeat illa habilitas, ratione cuius mortua vxore non poſſit promoueri ad illud. Conſequentia primi argumenti ex eo deducitur, quià etiam per illam diſpenſationem ad matrimonium cum conſanguinea ſolum ponitur habilitas ad illud; hæc autem habilitas non repugnat etiam cum primo matrimonio, nam licet vnum matrimonium in actu non poſſit ſimul componi, poteſt tamen componi cum potentia, & habilitate ad aliud.

Ratio ex paritate deſumpta.

Dices, diſpenſationem ſolum effectum ſortiri, quandò contrahitur matrimonium, ad quod eſt diſpenſatio, non autem abſolutè auferre impedimentum ante illud, quod facilè ex ijs euincitur, quæ alibi dicebamus, nempè, quod, ſi ſic diſpenſatus ante contractum matrimonium carnalitèr cognoſcat conſanguineam non ſolum committat fornicationem ſimplicem, ſed etiam inceſtum, quod ſufficientèr euincit permanere adhuc vinculum conſanguitatis. Sed contrà, quià dato etiam, quod in actu non auferat impedimentum, confert tamen poteſtatem, vt per contractum illius matrimonij quoad effectum impediendi auferatur, nec hæc poteſtas repugnat cum alio matrimonio antecedenter inito, quatenus ſcilicet eodem diſſoluto per mortem alterius coniugis poteſtas illa non poſſit reduci ad actum.

Nonnullæ rationes dubitandi

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi ille, qui obtinuit diſpenſationem, vt contraheret cum conſanguinea, poſteà omiſso tali matrimonio aliam diſpenſationem impetrarit, vt cum alia conſanguinea contraheret, cum qua re vera ſtante illa ſecunda diſpenſatione contraxerit poſſit præmortua hac ſecunda conſanguinea, cum qua contraxit ex vi illius prioris diſpenſationis contrahere cum prima. Secunda eſt, an, ſi petierit à Romano Pontifice diſpenſationem ſuper conſanguinitate ad effectum contrahendi cum conſanguinea, & Pontifex commiſerit Epiſcopo, vt diſpenſet, ſi preces veritate nitantur, & antequam diſpenſatio per eundem Epiſcopum exequatur, tranſeat ad nuptias cum alia non conſanguinea poſſit hac præmortua petere executionem illius prioris diſpenſationis, & cum conſanguinea nubere.

II *Obtenta diſpenſatione ad contrahendum cum conſanguinea, ſi diſpenſatus cum alia conſanguinea contrahet per diſpenſationem non poteſt mortua hoc ſecunda cum prima contrahere, ſi ſecunda diſpenſatio fuerit valida.*

Ad primam reſpondet abſolutè *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp.* 22. *n.* 19. mortua conſanguinea ſecunda, quinimmò etiam non contracto matrimonio cum ſecunda, ad contrahendum cum qua ſecunda traxit diſpenſationem, ex vi præcisè ſecundæ diſpenſationis impetratæ non poſse amplius contrahere cum prima, in ordine ad quam primam traxerat diſpenſationem. Rationem ex eo deducit, quià per ſecundam impetrationem diſpenſationis videtur perfectè renuntiaſse primæ, cum enim vtraque hæc diſpenſatio ſimul ſtare nequeat, ſed repugnet quoad executionem per impetrationem poſterioris viſus eſt impetrans renuntiaſse priori in manus Pontificis, à quo poſteriorem impetrauit, qui Pontifex videtur implicitè acceptaſse renuntiationem primæ, cum non ſit præſumendus voluiſse primam cum ſecunda perſeuerare; atquè huic opinioni adhæreo, ſi verè ſecunda diſpenſatio fuerit valida, quod tamen negauimus *tom. 6. ſub tit. de matrimon. l. diſq.* 3. §. 19. *n.* 2., ſecus, ſi inualida.

Dices primo ex dictis præcedentèr. Si quis impetrauerit diſpenſationem ad nubendum cum conſanguinea, eaque non attenta alteri non conſanguineæ nupſerit poteſt mortua ea, cum qua nupſit, ex vi diſpenſationis nubere cum conſanguinea, ergò etiam, ſi primo traxerit diſpenſationem ad nubendum cum conſanguinea vna, eaque diſpenſatione non attenta traxerit aliam diſpenſationem ad nubendam cum altera, poterit iſta reiecta redire ad primam, & ex vi prioris diſpenſationis cum illa nubere. Sed contra neganda eſt con-

Digitized by Google

Diſpenſatio de eo, qui contraxit poſt diſpenſationem cum non conſanguinea, & de eo, qui contraxit cum conſanguinea.

conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod ille, qui impetrauit diſpenſationem, vt nuberet cum conſanguinea, & deindè contraxit cum alia non conſanguinea, abſolutè, & ſimplicitèr non renuntiauit diſpenſationi, ſed ea vſus non eſt, eamque ſolummodo intelligitur ſuſpendiſſe, & quamvis etiam renuntiaſſet, non intelligitur tamen acceptata renuntiatio, adeoque &c. Qui verò impetrata vna diſpenſatione ad nubendum cum vna conſanguinea aliam impetrauit ad nubendum cum altera item conſanguinea, & ceſſit abſolutè priori, cum illæ duæ adinuicem repugnent, nec ſtare ſimul poſſint quoad executionem, & cum ceſſerit in manibus Pontificis, à quo impetrauit ſecundam diſpenſationem, Pontifex intelligitur acceptaſſe renuntiationem primæ ſaltem implicitè, cum non aſſueſcat pro eodem tempore duas diſpenſationes ſimul concedere ad contrahendum cum duabus.

Dices ſecundo, potius dicendum eſſe neutram ex illis diſpenſationibus ſubſiſtere; non primam, quià per poſteriorem illi renuntiatum intelligitur; non ſecundam, quià obtenta eſt non facta mentione primæ; hocque conſtare videtur *ex cap. penult. de praeſcript.*, atque ſic ſentiunt ibi *Innocentius num.* 5. *Hoſtienſis nu.* 11. *in fin. Ioannes Andraas n.* 15. *Abbas n.* 18., *& ſeqq.* Sed contra admiſſo, quod prima diſpenſatio non amplius ſubſiſtat, cum illi intelligatur validè, & in forma ſufficienti renuntiatum, nego ſubſiſtere ſecundam; nam ad hanc neceſſario requiritur mentio primę, nec obſtat, quod ſint ſuper diuerſis matrimonijs, nec vna habeat connexionem cum alia *Abbas c. penult. de praeſcript. n.* 3. *Ancharanus conſ.* 131. *in fin*; non obſtat inquam, quià habent connexionem quoad vim illatiuam, vide quæ diximus tom. 6. diſq. 3. §. 19.

Secunda non irritatur, quià eſt ſuper diuerſo matrimonio.

Ad ſecundam, probabilius etiam ſentio, quod, quantumvis ſit ſolummodo commiſſa ordinario diſpenſatio ſuper conſanguinitate, & pendente adhuc executione, ſi ille, in cuius fauorem facta eſt commiſſio, tranſierit ad alias nuptias cum non conſanguinea, poſſit hac vxore præmortua validè petere executionem illius commiſſionis, & cum conſanguinea in ordine ad quam illa diſpenſatio petita fuit, nubere; atque ita expreſsè ſentit *Sanchez de matrimon. lib.* 8 *diſp.* 33. *n.* 6. *in fine*, & ratio inde deſumitur, quià cum illa diſpenſatio, ſeù commiſſio ad diſpenſandum non ſit renuntiata ſimpliciter, vel ſi renuntiata, non acceptata, non perijt facultas illa ad exequendam diſpenſationem.

11 *Pendente commiſſione, ſi diſpenſandus tranſierit ad alia vota poteſt mortua vxore petere executionem diſpenſationis.*

PRÆNOTIO XXIII.

Quænam ſint neceſſario explicanda in impetratione diſpenſationum ſuper impedimentis matrimonij.

SVMMARIVM.

In impedimento conſanguinitatis, affinitatis, & publicæ honeſtatis exponendus eſt gradus. 1.

Probabilius eſt exponendum eſſe multiplicatum gradum. 2.

Coniunctus in duplici gradu cum eadem tenetur quantumvis ille gradus fuerit inæqualis vtrumque exprimere, nec ſufficit, ſi exprimat proximiorem, ſi ſit coniunctio ex diuerſo titulo. 3.

Quando eſt coniunctio ex eodem titulo ſufficit, ſi exprimatur remotior. 4.

Quoad licitum tamen eſſe requiruntur literæ declaratoriæ ſuper proximiori gradu. 5.

Nec eſt exprimendus gradus proximior, quamvis fæmina minus diſtaret à ſtipite. 6.

Intellige etiam, ſi alter diſtaret à communi ſtipite per vnicum tantum gradum. 7.

Illegitimus ex adulterio coniugati cum coniugata tenetur exprimere adulterium ex vtroque latere. 8.

Etiam tenetur exprimere qualitatem fæminæ, ſi fuerit vinculo obſtricta, ratione cuius non poſſit contrahere cum coniugato, cum quo commiſit adulterium. 9.

Nec tenetur diſpenſatio, etiam ſi in literis diſpenſationis appoſita eſſet clauſula Non obſtante. 10.

Iterata copula poſt commiſſam diſpenſationem, ſed ante executionem tenet diſpenſatio, quamvis iteratio non fuerit expoſita. 11.

Secus, ſi poſt executionem diſpenſationis iterata fuerit copula. 12.

Sufficit exprimere cognationem ſpiritualem, nec requiritur ex neceſſitate expreſſio paternitatis, & filiationis. 13.

Probabilius non eſt exprimenda linea recta. 14.

In quacunque linea in primo, & ſecundo gradu exprimenda eſt, an affinitas fuerit ex copula licita. 15.

Impetratio diſpenſationis cum expreſſione gradus propinquioris cum fuerit remotior tenet. 16.

Expreſſo gradu remotiori cum fuerit propinquior non tenet diſpenſatio. 17.

Si error contigerit in expreſſione ſtrictioris impedimenti, & gradus proximioris, cum tamen impedimentum fuerit in diuerſo genere minus ſtricto, & in gradu remotiori non tenet diſpenſatio. 18.

Tenet diſpenſatio inter impeditos, quantum eſt

ex

Digitized by Google

ex vi diſpenſationis non expreſſa copula, ſiuè antecedenter habita, ſiuè ſubſequenter. 19.

Quando habita fuit copula ex fine facilius impetrandæ diſpenſationis tenet diſpenſatio illo fine reticito, ſi aliæ fuerint cauſæ allegatæ ſufficientes ad diſpenſationem. 20.

Si nulla alia fuerit cauſa, exponenda eſt copula cum fine facilioris impetrationis, ad quem fuit habita. 21.

Si alter tantum ex conſanguineis habuerit copulam ex fine facilius impetrandæ diſpenſationis tenet diſpenſatio, quamvis ille finis non fuerit expreſſus. 22.

AMplam materiã aggredimur quoad ea, quæ ex parte eorum, qui impediti ſunt ad contrahendum matrimónium, ſunt exponenda in impetratione diſpenſationum, ne hæ ſubreptitiæ, & inualidæ reputentur; & quidem, cum impedimenta ſint in diuerſo genere, & ex diuerſis capitibus procedentia, in ordine ad ea omnia difficultates ſingillatim ſunt dirimendæ, quas, vt breuius, & dilucidius expediamus, placet ſingula ſub varijs dubitationibus, & earum reſpectiuè reſponſionibns dilucidare.

Dubium primum.

Dubitatur primò. An in impedimento conſanguinitatis, affinitatis, & publicæ honeſtatis exponendus ſit gradus determinatus, quo contrahere volentes ſunt coniuncti, an verò ſufficiat exponere conſanguinitatem, affinitatem, vel publicam honeſtatem in genere reticito gradu, quo ſunt coniuncti.

1 Exponendus eſt gradus in conſanguinitate, affinitate, & publica honeſtate.

Reſpondeo, exponendum eſſe determinatum gradum, quo ſunt coniuncti contrahere volentes, ne diſpenſationes ſint ſubreptitiæ. In hoc conueniunt communiter DD., & ità ſeruat ſtilus curiæ, quem habere vim legis, conſentiunt òmnes ex allegatis ſuperius iuribus, & etiam ratio ſuadet, quià, quo proximior eſt gradus, eo difficilior eſt diſpenſatio, & non niſi ex vrgentiori cauſa, vel exacta maiori compenſatione. Euincitur etiam paritate rationis ex ijs, quæ communitèr docent tàm iuriſtæ, quàm Theologi de legitimatione prolis, pro qua non ſufficit exponere eam eſſe ſpuriam, ſed etiam ſunt explicandæ qualitates. & circunſtantiæ coitus, quo procreatus eſt *Baldus in l. eam quam n.36 C. de fideicõmiſſ., Antonius c. per venerabilem n. 15., qui filij ſint legitim., Felinus c. poſtulaſti n. 2. declarat. 5. de reſcript. Rebuffus prax. benefic. tit. de diſpenſatione ſuper. defect. natalium n. 61. Coaruuias quarto decret. 2. part. c. 8. §. 9. num. 1., & 2. Molina tom 1 de iuſtit. tract. 2. diſp. 173. col. 8. verſ. hinc colligitur, Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 34. n. 3. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. vbi de matrimonio c. vlt. tit. de diſpenſatione petenda.*

Dubium ſecundum, quando gradus eſt duplicatus

Dubitatur ſecundo, an, quando contrahere volentes ſunt in eodem gradu duplicato, ſcilicet tàm ex parte matris, quàm Patris, teneantur in petitione diſpenſationis illum gradum in eodem gradu duplicato exponere. Hæc difficultas poteſt habere locum, vel in gradibus conſanguinitatis, vt ſi ſint coniuncti ex vtroque latere, vt præfert ipſe titulus, vel in gradibus affinitatis, vt ſi quis contrahere volens cum aliqua rem habuerit cum duabus perſonis conſanguineis in ſecundo gradu cum ea, cum qua contrahere intendit, vel in cognatione ſpirituali, vt, ſi alter alterius duos filios baptizauit, vel de ſacro fonte leuauit, vel eundem filium ex ſacro fonte leuauit, & ſimul in confirmatione tenuit, vel duo fuerint mutuo patrini filij alterius; vel in publica honeſtate, quatenus contraxit matrimonium ratum, & validum cum duplici cognata eius, quam ducere intendit, vel ſponſalia duo cum duabus eius ſororibus ex diſpenſatione Pontificis.

Opinio Texedæ circa propoſitũ dubium.

Texeda *in Theolog. mor. tom. 2. lib. 4. dub. 2. n. 58.* apud *Dianam part. 8 tract 3. reſol. 60.* exiſtimat ſufficere expreſſionem gradus ex vno latere ſine duplicatione ex altero, eo quià ex illo duplicato gradu vnũ dumtaxat conſurgit impedimentum, & illa multiplicitas gradus merè materialitèr ſe habet in ordine ad intentionem Eccleſiæ; hocque confirmat exemplis plurium fornicationum eiuſdem ſpeciei cum eadem perſona, quæ non inducunt, niſi vnicum impedimentum affinitatis, plurium excommunicationum, cum quibus quis celebrat; non enim contrahit, niſi vnicam irregularitatem, item exemplo procreati ex duplici adulterio, ſcilicet ex vtroque parente ad effectum, vt poſſit promoueri ad ſacros ordines, quem non teneri ad expreſſionem vtriuſque aſſerit, ſed ſufficere, ſi exponat ſe eſſe adulterinum. Nihilominus

2 Probabilius duplicatus gradus eſt exponendus.

Reſpondeo, probabilius eſſe in omnibus præallegatis caſibus teneri duplicatum gradum exponere *Molina de iuſtitia tom. 1. tract 2. diſp. 161. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. n. 5. Roſa in Nouiſſimis vol. 3. lib. 1. decíſ. 117. n. 2. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 56. art. vltim. dub. 2. difficul. 3. corrol. 5. Iacobus de Puteo deciſ. 39. n. 2., & ſeqq. Mandoſius in ſignatura gratiæ verbo diſpenſationes matrimoniales ad fin.* Ratio ex eo deducitur primo, quià diſpenſationes ex genere ſuo ſunt odioſæ, & ſtrictæ interpretandæ per ſuperius allegata; in odioſis autem duplum non continetur ſub ſimplici. Secundo, quià, quando duplex eſt conſanguinitas ex vtroque latere, non eſt vnica, & vnius ſanguinis communicatio, ſed diuerſa, ex qua conſurgit diuerſa conſanguinitas, quando duplex eſt affinitas

cum

Digitized by Google

Duplum in odioſis non continetur ſub ſimplo.

cum eadem fœmina ex copula carnali cum duabus ipſius conſanguineis in eodem gradu non eſt ſimplex eorundem ſeminum commixtio, ex qua conſurgit, ſed duplicata diuerſorum, quando duplex eſt cognatio ſpiritualis, vel duplex publica honeſtas, non eſt vnica attinentia, ſed duplex, illa ex duplici miniſterio circa ſacramenta diuerſa, iſta ex duplici matrimonio rato, vel ex duobus ſponſalibus, ſed quando eſt duplex impedimentum per ablationem vnius, alterum non auferetur, ergo &c. Deindè, quamvis daremus non conſtitui duplex impedimentum, denegari tamen non poteſt, quin fortius, & intenſius conſtituatur, ſicuti ex duobus gradibus caloris intenſior conſtituitur, ergo eodem modo non diſſoluitur, ac quando vnicum tantum diſſoluitur.

Dices, hac ratione non ſubſiſteret diſpenſatio, quam quis impetrauit ſuper impedimento affinitatis contractæ ex multiplici copula cum conſanguinea eius, quam ducere intendit, quandòquidem vtraquæque copula, ſi non inducit diſtinctam affinitatem, eandem ſaltem auget, & intendit, quod tamen ſupra negauimus. Sed contra, quià diuerſa omninò eſt ratio, quandò affinitas oritur ex multiplici copula cum eadem conſanguinea eius, quam ducere intendit, ac quandò oritur ex copula cum diſtinctis conſanguineis eiuſdem, nam quandò contrahitur affinitas per multiplicatas copulas cum eadem conſanguinea, licet multiplicentur peccata, tamen nō multiplicatur affinitas, nec gradus affinitatis, quandòquidem, vt procedens ab eodem principio non admittit intenſionem; vnde ad ſummum dici poteſt, quod ſolummodò addantur actiones, quibus ſufficientèr contraheretur affinitas, ſi iam non eſſet contracta; quandò verò affinitas conſurgit ex multiplicatis copulis cum diuerſis conſanguineis, cum tunc conſurgat ex diuerſa commixtione, non vna ſola contrahitur, ſed multiplex, vel ſaltem vna intenſiuè, & extenſiuè maior, adeoque &c. Et ex hac reſponſione habes, quid reſpondeas ad alia exempla, quæ adducebantur *à Texeda loc. cit.* excepto illo, quod adducebatur de adulterio ex vtroque latere, de quo infra.

Non multiplicatur affinitas ex multiplici copula cū eadem.

3 *Coniunctus cum eadem in duplici gradu inæquali tenetur vtrumque exprimere, ſi coniunctio ſit ex diuerſo titulo.*

Hic alia ſuboritur difficultas, an, ſi quis cum eadem fuerit coniunctus in duplici gradu, ſed inæquali puta in ſecundo, & in tertio teneatur in impetratione diſpenſationis, vtrumque gradum exponere, an verò ſufficiat exponere gradum proximiorem ſtipiti omiſſo remotiori puta ſecundum omiſſo tertio. Videtur ſufficere, ſi exponatur proximior omiſſo remotiori, quià ſublato proximiori non eſt, cur remotior in ſuo eſſe ſubſiſtat, cum quodamodò in illo contineatur. Nihilominus abſolutè aſſerendum eſt, vtrumque eſſe exponendum *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. n. 10.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi gradus ad inuicem non communicant, nec remotior continetur in proximiori, cum procedant ex diuerſo principio, ergò non erit, cur vterque non ſit exprimendus. Antecedens probatur, quià ſenſus huius aſſerti non eſt, quandò vnus ex contrahere volentibus ex eodem titulo conſanguinitatis propter communicationem cum ſanguine diſtat v. g. à ſtipite in ſecundo gradu, & alter in tertio, quià, vt infrà videbimus, in hoc ſenſu ſatis erit, quod exprimatur remotior reticito proximiori, ſed ſenſus eſt, quando v. g. ex vno capite vterque ſolum diſtat à comuni ſtipite in ſecundo gradu, & ex alio capite, & cauſa, ſeù quaſi diuerſo titulo proptèr aliam communicationem diſtat vterque etiam in tertio, in hoc etenim ſenſu clarè liquet hunc tertium gradum non contineri in ſecundo, nec rigoroſè quoad hunc effectum communicare cum illo, hocque contingeret, quandò ex parte vnius parentis hoc eſt ex vno latere eſſet coniunctus vterque in ſecundo gradu, & ex altero latere ſcilicet ex parte alterius parentis in tertio; & ſi quandò in æquali gradu duplicato ex vtroque latere non ſufficit exponere gradum ex vno latere, niſi exprimatur etiam æqualis gradus ex altero, vt mox dicebamus, in reſponſione ad dubitationem, cur quandò diſtant in gradu inæquali, non erit vterque exponendus? Certè enim, & gradus remotior ex altero latere eſt ſecundum ſe, & ſupponitur ſufficiens ad dirimendum matrimonium, cæteroqui non haberet locum præſens difficultas.

Quādo eſt ex diuerſo titulo. tertius gradus non continetur in ſecundo

Rurſus alia ſuboritur hinc difficultas, an, quandò contrahere volentes non ex diuerſo titulo, ſed ex eodem diſtant inæqualitèr à ſtipite puta alter in ſecundo gradu, alter in tertio, vel quarto ſit vterq; gradus, quo illi à ſtipite diſtant, exponendus, an verò ſufficiat exponere, vel proximiorem, vel remotiorem. Quidquid antiquitus aliqui dixerint *ex c. quod dilectio de conſang.* abſolutè aſſerendum eſt, regularitèr loquendo ſufficere, ſi exponatur gradus remotior, quo alter diſtat à communi ſtipite, & hoc quoad validum eſſe, nam quoad eſſe licitum requiruntur vlterius literæ declaratoriæ ſuper gradu propinquiori *Probus addit. ad monachum rub. de cognat. ſpirituali n. vnico verſ. & quando ſunt, Coarnuias 4. decret. 2. part. c. 6. §. 10. nu. 12. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct., vbi de matrimon. c. 49. in impedim. conſanguinitatis col. 9. verſ. poſtremo, Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 54. art. 2. col. penult. concl. 2. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. n. 25.*

4 *Quando eſt ex eodem titulo ſufficit, ſi exprimatur remotior gradus.*

Ratio

Ratio ex eo deducitur, quod habetur *in c. fin. de conſang.*, vbi dicitur, quod, quando duo conſanguinei in gradu diſpari diſtant, intelliguntur tantum diſtare inter ſe, quantum remotior diſtat à communi ſtipite, & ille ſolus gradus matrimonio impedimentum infert, qui à ſtipite remotior eſt, ergo, cum ſolum gradus remotior præſtet impedimentum is ſolum ex neceſſitate quantum ad valorem matrimonij erit aperiendus. Dixi, *quoad eſſe licitum requiruntur vlterius litera declaratoria ſuper gradu propinquiori*, & hoc propter motum quendam proprium *Pij Quinti ſanctæ recordationis edito anno* 1566. *die* 26 *Auguſti, qui incipit, Sanctiſſimus*, vbi reuocauit motum proprium Pij IV. prædeceſſoris, in quo decreuerat gradum propinquiorem eſſe exponendum, & ſtatuit ſufficere gradus remotioris mentionem, ob-

5 Quoad licitum eſſe requiruntur literæ declaratoriæ, & quomodo.

tentis tamen poſtea literis declaratorijs ſuper gradu proximiori, & hoc non ad effectum reualidandi contractum initum, quaſi, quod ſine illis literis declaratorijs eſſet inualidus, ſed ad effectum, vt ſcandala caueantur in foro externo, vnde meritò docet *Probus addit. ad Monachum in rub. de cognat. ſpirit. in ſexto*, quod ſolum requiratur literæ declaratoriæ, quando petitur in foro publico diſpenſatio, non quando petitur pro foro interno in impedimento omninò occulto.

Dixi, *regulariter loquendo*, proptèr nonnullos, qui docuerunt, quando fœmina eſt proximior ſtipiti, hunc gradum proximiorem eſſe explicandum, vt inter cæteros docent *Sotus in quarto diſt* 40. *q. vnica art.* 3. *verſ. quarto demum, & art.* 4. *col. penult. verſ., & tertio, Molina de iuſt. tom. primo. tract.* 2. *diſp.* 161., qui ea ratione mouentur, quià tunc, cum vtpotè amita, & matertera ſit reſpectu viri ſuperior, vir eam debet revereri, & illa è contrario, cum ſit vxor, ſuſcipere debet ea revereri

6 Nec eſt exprimendus gradus proximior quàuis fœmina minus diſtaret à ſtipite.

virum, & ſic eſſet inter eoſdem quaſi mutua pugna; & peruerteretur ordo ſeruandus in matrimonio. Sed, an hæc limitatio admittenda ſit, non video in iure definitum, & regula indefinitè ſtatuit, quod gradus remotior ſit dumtaxat aperiendus non diſtinguens, quando fœmina eſt proximior ſtipiti, ac quando eſt proximior maſculus, nec ratio ex aduerſo adducta quidquam euincit; nam eadem ratio militaret poſita expreſſione etiam gradus proximioris fœminæ, nam adhuc vir eidem vtpotè ſuperiori deberet reuerentiam, non enim per diſpenſationem tollitur ius ad illam reuerentiam iure naturæ debitam; vnde ex hoc potius eſſet arguendum, quod non eſſet de facili diſpenſatio concedenda, quam quod, ſi fuerit conceſſa etiam reticita illa qualitate, non teneat, cum ad hoc exprimendum iura non obligent, & maior difficultas in concedendo non irritet conceſſionem.

Propter ſimilem rationem etiam limitant alij reſponſionem, quando alter ex contrahentibus ſolummodò per vnum gradum diſtaret à communi ſtipite, licet alter diſtaret in tertio, vel in quarto gradu ab eodem ex motu proprio ſupra allegato Pij V., vbi, cum dixiſſet non eſſe ſubreptitiam diſpenſationem obtentam ſine expreſſione gradus proximioris ſubdidit. *Dummodo primum quoquo modo non attingant, cum in eo ſanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat.* Sed huic etiam limitationi libenter non acquieſceremus; quià in hoc etiam currit generalis regula, & indefinita, quod à remotiori gradu impedimentum ſit deſumendum; nec motus Pij V.

7 Etiam ſi alter ſolum diſtaret à communi ſtipite per vnum gradum.

in hoc officit, quandòquidem, ſi in eo ſenſu, in quo accipitur ab aduerſarijs, ſumeretur, nec poſſet contrahi matrimonium inter conſanguineos in primo, & quinto gradu, cum ſemper verificaretur, quod diſpenſatio primum gradum attingeret, nec ille primus gradus deſineret ex eo, quod alter contrahens in gradu vltra quartum protraheretur; Deindè, cum Pontifex in eo motu pro ratione adducat, quod nunquam in eo primo gradu diſpenſare intendat, vtique intelligitur, quando vterque contrahens eſt in eodem primo gradu, cum paſſim occurrat, quod in primo, & tertio gradu, vel quarto diſpenſet.

Dubitatur tertiò. An, ſi illegitimus ex adulterio coniugati cum coniugata diſpenſationem obtineat ſuper defectu natalium, & exprimat vnum ſolum adulterium, intelligatur validè diſpenſatus.

Dubium tertium de adulterino ex vtroque latere.

Affirmatiuè reſpondet *Texeda in Theologia morali tom.* 3. *lib.* 4. *dub.* 2. *num.* 58., qui etiam docet incautè procedere aduerſarios aſſerentes, vtrumque adulterium exponendum eſse ad validitatem legitimationis, atque hanc etiam ſententiam ſuſtinent *Angelus conſ.* 204. *n.* 1. *Prapoſitus c. per venerabilem* §. *quod autem n.* 24. *in fin. Qui filij ſint legitim.* cum exiſtiment duplex illud matrimonium materialitèr ſe habere, & formalitèr in ordine ad effectum diſpenſationis computari pro vno. Nihilominus

Opinio Texedæ arbitrantis ſufficere expreſſionem adulterij ex vna tantum parte.

Reſpondeo, probabilius eſse, vtrumque adulterium exponendum eſse, & per expoſitionem vnius dumtaxat reddi diſpenſationem ſubreptitiam, & inualidam. *Oldradus conſ.* 247. *dub.* 2. *nu.* 2. *Antonius c. per venerabilem nu.* 15., *qui filij ſint legit. Decius conſ.* 462. *viſa legitimatione n.* 7. *vol.* 4. *Felinus c. poſtulaſti n.* 2 *verſ. cæterum, & de iſto declar.* 2. *de reſcript. Silueſter verb. legitimus q.* 3. *dict.* 2. *Mandoſius in ſignatura gratia verb. diſpenſationes matrimoniales ad fin.*

8 Adulterium ex vtroque latere eſt exponendum.

Con-

Digitized by Google

Coaruuias 4. decret. 2. part. c.8. §. 9. n.3., & alij magis communitèr. Ratio ex eo deducitur, quià ex duplici capite conſurgit illa illegitimitas, ſeù defectus natalium, & ex vtroque latere inficit prolem, & cum proueniat ex duplici principio inducit duplicem defectum, ſeù vnum intenſiuè, & extenſiuè maiorem, ergò vterque ille defectus eſt in impetratione diſpenſationis aperiendus. Confirmatur, quià, quandò impedimentum conſanguinitatis prouenit ex vtroque latere, ſiuè in gradu æquali, ſiuè inæquali per ſuperius dicta eſt manifeſtandum in vtraque qualitate, ne ſubreptitia euadat diſpenſatio, ergò etiam, quandò defectus natalium prouenit ex vtroque latere, erit ſecundum vtramque qualitatem in diſpenſatione aperiendus; ſicuti enim coniunctio vtriuſque parentis in ſanguine inducit ex vtroque latere conſanguinitatem in prole, ita labes in vtroque parente inficit eandem prolem ex vtroque latere.

9 Tenetur etiam exprimere qualitatē fæminæ vinculo obſtrictæ.

Hinc etiam deduces, quod non ſolum aperienda ſit qualitas vtriuſque adulterij, quandò proles orta eſt adulterina ex coniugato, & coniugata, ſed etiam, quandò orta eſt ex coniugato, & fæmina alio vinculo, ratione cuius non poſſit eſſe matrimonium cum illo, obſtricta, vt, ſi eſſet affecta voto ſolemni caſtitatis; hæc etenim qualitas magis extenſiuè, & intenſiuè inficit eandem prolem, & reddit minus habilem ad munera, in ordine ad quæ requiritur diſpenſatio, & ſemper verificatur, quod ſit ex coitu nefario ex vtroque latere, quod idem dic in ſimilibus.

10 Etiamſi in literis diſpenſationis poſita fuerit clauſula non obſtante.

Hæc, quæ dicta ſunt, adeò vera ſunt, vt ſiue petita fuerit diſpenſatio ſuper impedimento conſanguinitatis prouenientis ex vtroque latere, ſiue ſuper defectu natalium proueniente ex vtroque parente tacito altero coniunctionis gradu, vel illegitimitate ex parte alterius, non ſubſiſtat, ſed ſubreptitia ſit, etiam ſi in literis diſpenſationis addita fuerit clauſula *non obſtante*, *Baldus in l. 1. n.22. verſ. vnum etiam ſcias C. de furtis, Alexander conſ. 95. n.7. vol.2. Menochius de arbitrar. lib.2. cent.3 caſ.203. n. 13. Brunorus in ſuo compend. lit. D. verſ. diſpenſatio eſt de lege*. Ratio ex eo deducitur, quia illa clauſula habet præcisè confirmare expreſſa, nec vllo modo extenditur ad tacita, illiſque robur addit aduerſus ea, quæ eiſdem obeſſe poſſunt, iſtis verò nullam vim confert, cum de iſtis non loquatur.

Dubium quartum de copula commiſſa cum conſanguinea poſt commiſſionem diſpenſationis.

Dubitatur quarto, an, ſi impetrata fuerit à Romano Pontifice Ordinario commiſſio, vt diſpenſet cum impetrantibus ſuper impedimento affinitatis ortæ ex copula cum conſanguinea alterius impetrantis, & antequam ordinarius exequatur commiſſionem, iterum ille, qui conſanguineā alterius cognouit, cognoſcat, poſſit exequi eadem commiſſio nulla facta mentione copulæ ſubſequentis, ſeu ſubſecutæ poſt impetratam commiſſionem.

11 Iterata copula poſt commiſſam diſpenſationem, ſed ante executionem tenet diſpenſatio illa non explicita.

Reſpondeo cum diſtinctione, quam innuit etiam ipſe titulus, quo proponitur hæc dubitatio; vel etenim iterata copula commiſſa eſt pendente adhuc diſpenſatione, quatenus commiſſio non fuerit executa per ordinarium; vel illa perfectè cōpleta; Iuxta primum ſenſum abſolutè ſentio, non obſtante iteratione copulæ ante commiſſionem adimpletam ſubſiſtere diſpenſationem. Iuxta ſecundum vero ſentio, non ſubſiſtere. Ita in vniuerſum *Sanchez de matrimon. lib.8. diſp. 24. n. 8.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia copula illa iterata ante adimpletam commiſſionem per ſuperius notata, & probata non inducit nouam affinitatem, nec auget, ſed ſolummodò ponit actiones, ex quibus conſurgeret affinitas, ſi nondum hæc eſſet poſita, ergò non eſt, cur commiſſio poſt illam iteratam executa non poſſit ſubſiſtere. Confirmatur ex ſuperius dictis, quià, ſi affinitas orta eſſet ex iteratis copulis cum eadem conſanguinea, non eſſet neceſſaria ad validam diſpenſationem expreſſio actuum fornicationis quoad numerum, quibus illa fuit cognita, nonniſi quià vnicam tantum conſtituunt affinitatem, prout docent *Calderinus conſ. 1. de conſang. nu. vnico, Alexander de Neuo cap. quod dilectio ad fin. de conſang., & ibi Præpoſitus nu. 8. Gambara de auctoritate legati lib. 7. tit. de diſpenſ. legatorum circa matrimonia n. 407.* ergò etiam ad validam executionem diſpenſationis non poteſt obſtare iterata copula cum eadem conſanguinea, & negatio expreſſionis eiuſdem, quandò hæc fuit commiſſa ante adimpletam commiſſionem. Conſequentia probatur, quià, quandò non confert ad diſtinctam affinitatem inducendam, vel maiorem intenſiuè, & extenſiuè, parum refert, quod fuerit patrata antecedentèr ad petitionem, vel ſubſequentèr ad illam, ante tamen complementum commiſſionis, quià, quouſque perſeuerat affinitas, quæcunque actio fornicaria cum eadem conſanguinea accedat, nō addit extenſionem, nec intenſionem in genere affinitatis, nec commiſſio facta à Pontifice ordinario ad diſpenſandum interrumpit eandem affinitatem, adeout quodamodo duplex conſtituatur. Neque dicas, quod auctoritas commiſſarij tota ſit ab auctoritate, & voluntate committentis; voluntas autem committentis præſumitur eſſe dumtaxat iuxta expoſita in ſupplici libello, & non aliter; in ſupplici autem libello non continetur copula poſt commiſſionem commiſſa; contra enim impugnaberis; quià voluntas committentis ſup-

Copula ſubſequēs commiſſionem non auget affinitatem.

Digitized by Google

ponitur quidem eſſe iuxta expoſita in ſupplici libello quoad ea, quæ neceſſario ſunt exponenda, vel, quia inducunt nouum impedimentum, vel prius adaugent notabilitèr in eodem genere; non autem quoad ea, quæ ex neceſſitate non ſunt exponenda; nam, ſicuti, ſi antecedentèr fuiſſent commiſſæ iteratæ copulæ, non eſſent ſingulæ exponendæ, ſed ſufficerét expoſitio affinitatis ex copula cum conſanguinea, ita, quandò eſt commiſſa poſt petitionem, & commiſſionem noua copula, hæc non eſt exprimenda, cum non adaugeat primam in eodem genere, nec nouam inducat.

12 Ratio ſecundæ partis, (quæ procedit in ſuppoſitione, qua poſt commiſſionem datam à Pontifice Ordinario ad diſpenſandum, hæc eſſet ab eodem ordinario iuxtà limites mandati executa, & deindè ante contractum matrimonium, ad quod data fuit illa diſpenſatio, ſponſus cum eadem conſanguinea iterauerit copulam fornicariam, ſeù inceſtuoſam) ex eo deducitur, quod illa iterata copula ſecundum ſe apta eſt ad inducendam affinitatem; nec continuatur cum præcedenti affinitate, ergò vtpotè diſtincta indiget noua diſpenſatione, ad quam ordinarius ex vi prioris commiſſionis non habet poteſtatem, cum illa poteſtas expirauerit per adimplementum commiſſionis, & commiſſarius, poſtquam functus fuerit munere ſibi commiſſo, non poſſit amplius ſe ingerere per textum *in l. Iudex poſteaquam, ff. de re iudicata*, nec mandatum extenditur vltra ea, quæ commiſſa ſunt. Antecedens probatur, nam in primis iuxta ſuperius dicta fornicationes iteratæ cum eadem conſanguinea ſolum inducunt actiones, quæ ſecundum ſe aptæ ſunt ad inducendam affinitatem, ſi illa non eſſet inducta. Deindè prior affinitas orta ex præcedenti copula perindè ſe habet, ac, ſi non eſſet poſita, cum intelligatur per diſpenſationem completam ſublata, ergò, cum non inueniat affinitatem, ex ſe ipſam inducet.

Si poſt executionem iterata fuerit copula nõ poteſt diſpenſatus contrahere matrimonium.

Dices ex dictis *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. II.* non intelligi ſublatum impedimentum per diſpenſationem, niſi matrimonium fuerit contractum, quandòquidem diſpenſatio eſt præcisè in ordine ad ipſum, vndè, ſi poſita diſpenſatione, & nondum effectuato matrimonio ſponſus conſanguineus, vel affinis copulatus fuerit carnalitèr conſanguineę, ſeù affini, cum qua contrahere intendit, non committit ſimplicem fornicationem, ſed inceſtum, ergò adhuc illa affinitas continuabitur cum ſubſequenti contracta per copulam commiſſam poſt talem diſpenſationem, adeoq; nõ indigebit noua diſpenſatione. Sed contra, negandum eſt non eſſe per illam diſpenſationem ſublatum impedimentum quantum ad effectum contrahendi matrimonium, cum poſita illa diſpenſatione poſſint illæ perſonæ liberè nullo obſiſtente contrahere; vndè, quandò diximus, quod ſic diſpenſatus, ſi ante contractum matrimonium carnalitèr cognoſcat eam, in ordine ad quam traxit diſpenſationem, committat non ſolum ſimplicem fornicationem, ſed etiam inceſtum, hoc euenit, quià illud impedimentum ſublatum quidem intelligitur ex præſumpta Pontificis diſpenſantis voluntate in ordine ad matrimonium contrahendum, non autem in ordine ad actus fornicarios, quapropter dici poteſt, quod in ordine ad idem matrimonium ſublata ſit affinitas in ratione impedimenti, non autem affinitas abſolutè, ratione cuius, ſi ſequatur aliquis actus libidinoſus extra matrimonium, extrahatur à ratione propria inceſtus.

Sublatum eſt impedimentum, quantum ad effectũ contrahendi matrimonium,

Dubitatur quinto, an neceſſarium ſit in cognatione ſpirituali exprimere, an ſit Paternitas, vel compaternitas, & ex quo ſacramento, quaue actione orta ſit, an ſufficiat in genere exprimere eandem cognationem ſpiritualem.

Dubium quintum de cognatione ſpirituali,

Pro intelligentia quæſiti, ſeù dubitationis recole, quæ ſuperius diximus, nempè cognationem ſpiritualem de præſenti ſtante *concilio Trident. ſeſſ. 24 de reformat. matrimon c. 2.* contrahi inter baptizãtem, & baptizatum, inter confirmantem, & confirmatum, inter ſuſceptores in baptiſmo, & confirmatione, & inter ſuſceptum in vtroque ſacramento, & inter baptizantem, ſeu confirmantem, & ſuſceptores in vtroque, & inter Patrem, & matrem naturalem baptizati, & confirmati; adeo vt, prout eſt inter baptizantem, ſeù confirmantem, vel ſuſcipientem in ordine ad baptizatum, & confirmatum dicatur reſpectiuè paternitas, & filiatio; paternitas ſcilicet, prout dicit relationem baptizantis, confirmantis, & ſuſcipientis ad baptizatum, ſeù confirmatum tanquam ad terminum; filiatio verò, prout dicit relationem baptizati, ſeù confirmati, ad baptizantem, confirmantem, ſeù ſuſcipientem tanquam ad principium; prout verò, eſt inter baptizantem, confirmantem, ſeù ſuſcipientem, & inter Patrem, & matrem naturalem baptizati, ſeù confirmati dicatur compaternitas, quatenus ſcilicet, ſicut Pater, & mater per generationem carnalem actiuam tribuunt eſſe naturale filio, ita baptizans, confirmans, ſeu ſuſcipiens per generationem ſpiritualem actiuam eidem conferant eſſe ſpirituale, & ſic ſeruata proportione, ſicuti illi ratione eſſe naturalis, quod conferunt, dicuntur Pater, & mater, ita & iſti ratione eſſe ſpiritualis, quod tribuunt, dicantur compatres quaſi quod concurrant ad tribuendum

Quomodo contrahatur cognatio ſpiritualis.

dum

Digitized by Google

dum eſſe perfectum eidem filio. Quibus ſuppoſitis

Sanchez *lib. 8. de matrimon. diſp. 24 n 15.* abſolutè aſſerit exprimendam eſſe paternitatem, vel filiationem, & ſine tali expreſſione ſubreptitiam eſſe diſpenſationem, quia multo indecentius eſt cum filia ſpirituali contrahere, vel cum filio, quam cũ compatre, & vlterius addit nullibi legi, Pontificem diſpenſaſſe, vt matrimonium contraheretur cum filia, vel filio ſpirituali, bene tamen paſſim cum compatre. Nihilominus

Opinio Sanchez arbitrantis eſſe exponēdam qualitatem paternitatis, & filiationis.

13 Reſpondeo, probabilius eſſe non exprimendam eſſe ex neceſſitate talem qualitatem paternitatis, & filiationis; ſed ſufficere expreſſionem cognationis ſpiritualis. Rationem ex eo deduco, quià in cognatione ſpirituali non diſtinguuntur gradus, ſicuti diſtinguuntur in cognatione carnali, & in affinitate, ſed quæcunque cognatio ſpiritualis eodem iure inducitur, & eodem iure vetat matrimonium inter cognatos, ergo, cum idem habeat principium, & eodem iure indiſtinctè nitatur, non indiget diſtincta expreſſione; tota etenim ratio, ex qua conſurgit hoc impedimentum, fundatur in diſpoſitione Eccleſiaſtica, & cum Eccleſia, nec diuerſo iure, nec diuerſa prohibitione vetauerit matrimonium inter Patrem, & filiam ſpiritualem, & inter patrem, & commatrem ſub eadem vtrumque venire cenſendum eſt; & vbi iura ipſa non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus; Neq; obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, in cognatione ſpirituali inter Patrē, & filiā ſubeſſe longe maiorem deformitatem, quià hæc regeneratio aſſimilatur generationi carnali, in qua, ſicuti indecentiſſimum eſt inter patrem, & filiā eſſe matrimonium, ità maximè indecens eſt, eſſe inter Patrem, & filiam ſpiritualem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià in primis hæc inſtantia nimis probat; probat etenim, quod, ſicuti eſt indiſpenſabilis conſanguinitas inter Patrem, & filiam naturalem ad contrahendum matrimonium, ità ſit indiſpenſabilis cognatio ſpiritualis inter Patrem, & filiam ſpiritualem, quod nemo dicet. Deindè in analogicis non valet argumentum ab vno ad alterum analogatum, ſic non valet. Ita ſe habet Baptiſmus ad filium ſpiritualem, ſicuti generatio ad naturalem, ſed in generatione naturali filius eſt pars Patris, ergo etiam in generatione ſpirituali, ſeù in baptiſmo baptizatus eſt pars patris. Quamobrē dico, diuerſimode rem ſe habere in vtraque generatione; nam in generatione temporali, ſeù carnali ratione vnitatis immediatæ in ſanguine inter patrem, & filiam conſurgit vinculum de iure naturæ, ratione cuius Pater non poſſit cum filia contrahere matrimonium, & in alijs gradibus in linea tranſuerſali de iure poſitiuo [illegible] ne coniunctionis non immediatæ, ſed mediatæ, & remotæ; in generatione vero ſpirituali conſurgit ſolummodo illud vinculum de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, quod certè vinculum, niſi adeſſet diſpoſitio Eccleſiaſtica, non officeret; cum igitur Eccleſia indefinitè, & ſine vlla reſtrictione, vel ampliatione inducat hoc vinculum, ſiuè in paternitate, ſiuè in compaternitate, non eſt, cur vtraque non veniat ſub eadem diſpoſitione, & vtraque non ſit eodem iure diſpenſabilis. Dicere deindè, quod maiorem deformitatem præſeferat contrahere matrimonium cum paternitate, quam cum compaternitate, hoc eſt ad ſummum ſecundum quandam appræhenſionem extrinſecam. Cæterum cum ſecundum ſe, & ex natura ſua hæc non impediat, ſed tantum ex diſpoſitione Eccleſiaſtica, & Eccleſia non diſtinguat inter vnam, & alteram, ſed eodem iure vtramque inducat, non eſt &c.

Sufficit expreſſio cognationis ſpiritualis.

Eccleſia indefinitè inducit vinculum cognationis ſpiritualis.

Non valet argumentum à paternitate carnali ad ſpiritualē.

Confirmatur reſponſio. Quià Eccleſia non diſtinguit inter paternitatem prouenientem ex baptiſmo, & prouenientem ex confirmatione non eſt ex neceſſitate exprimendum, an ſit à baptiſmo, vel à confirmatione, vt admittit *Sanchez d. lib. 8. de matrim. diſp. 24. num. 15. in fine,* quamvis quoad reſponſionem nobis aduerſetur, ergo etiam, cum Eccleſia eodem iure inducat impedimentum, tàm in paternitate, quam in compaternitate, nec inter vtramque diſtinguat, non erit, cur expreſſim, & diſtinctè vtraque ſit in impetratione diſpenſationis exponenda.

Non eſt exprimendũ, an cognatio ſpiritualis proueniat, vel ex baptiſmo, vel ex confirmatione.

Ex quibus habes, quid reſpondeas ad ſecundam partem dubitationis, an ſcilicet ſit ex neceſſitate exponendum, an cognatio ſpiritualis proueniat, vel ex baptiſmo, vel ex confirmatione, an per collationem baptiſmi, vel confirmationis, an per ſuſceptionem reſpectu alterutrius actiuam, vel paſſiuam. Dic etenim huiuſmodi qualitates, non eſſe ex neceſſitate diſcriminatim exponendas propter rationem ſuperius adductam, quià Eccleſia quidem ex vtroque ſacramento, & vtraque actione inducit impedimentum, non tamen diſtinguit inter vtrumque, ſeù vtramque, & quià hæc parum mutant, vel augent.

Dubitatur ſexto. An in impedimento publicæ honeſtatis neceſſarium ſit exprimere, an ortum fuerit ex matrimonio rato, an ſufficiat præcisè dicere intereſſe publicam honeſtatem in genere. Hæc dubitatio procedit, quando hæc publica honeſtas, ſuper qua petitur diſpenſatio, ſi verè procedat ex matrimonio rato, ſit in primo gradu, quandòquidem ſtante diſpoſitione *Concilij Tridentini ſeſſ. 24. de matrimon. c. 3.* huiuſmodi impedimentum, prout oritur ex ſponſalibus legitimè initis non extenditur vltra primum gradum,

Dubium ſextum circa impedimentum publicæ honeſtatis.

prout verò oritur ex matrimonio rato refertur vſque ad quartum gradum; ſi etenim ſit extra primum gradum non eſt neceſſe exprimere, an ſit ex matrimonio rato, an ex ſponſalibus, cum ex ipſa expoſitione ſecundi, vel vlterioris gradus ſatis innoteſcat procedere ex matrimonio rato, ſiquidem quoad honeſtatem ex ſponſalibus extra primum gradum non eſt neceſſaria diſpenſatio.

14 Probabilius exponendum eſt, an publica honeſtas proueniat ex matrimonio rato.

Reſpondeo, probabilius exponendum eſſe, an publica honeſtas proueniat ex matrimonio rato. *Sanchez, de matrim. lib.8. diſp. 24. n. 16.* Ratio ex eo deducitur, quia Eccleſia ipſa ſtrictius agnoſcit vinculum, prout prouenit ex matrimonio rato, quam prout prouenit ex ſponſalibus, quandoquidem illud extendit vſque ad quartum gradum, iſtud reſtringit ad primum dumtaxat, ergo illud, vt diſtinctum in impetratione diſpenſationis eſt exprimendum; Neque dicas, Eccleſiam ſolummodo comparare gradus in publica honeſtate orta ex matrimonio inter ſe, non autem comparare eandem publicam honeſtatem, vt prouenientem ex matrimonio ad ſeipſam, & vt prouenientẽ ex ſponſalibus, nec in hoc vllam ponit differentiam, nec imponit onus expreſsionis pro vno potius, quam pro altero; vnde antiquitùs ante Concilium Tridentinum æque exponendus erat gradus ſiue in honeſtate ex ſponſalibus, ſiue in eadem ex matrimonio rato, & vtraque æquali pede currebat, nec Concilium Tridentinum aliud innouauit circa hoc, niſi quod reſtrinxit impedimentum proueniens ex ſponſalibus ad primũ gradum, vt vero proueniens ex matrimonio rato reliquit in ſua vi, & extenſione vſque ad quartum gradum; contra enim impugnaberis, quia, ex quo impedimentum, vt proueniens ex vno titulo reſtrinxit, aliud in ſua extenſione reliquit, ſufficiẽter inter vtrumque cognouit, & explicauit diſcrimen, & fortius vinculum in vno, quam in altero, & ex quo voluit expreſſionem quoad gradus in vno, & non in altero, intelligitur implicitè voluiſſe diſtinctam expreſſionem impedimenti, vt prouenientis ab vno titulo ab impedimento, vt proueniente ab altero titulo, cum quodammodo magis differat honeſtas, vt proueniens à ſponſalibus ab honeſtate, vt proueniente à matrimonio rato, ac primus gradus eiuſdem honeſtatis ex matrimonio rato à ſecundo ex eodem titulo.

Publica honeſtas ex matrimonio rato veſtitur ſacramento.

Confirmatur reſponſio, quia in matrimonio rato publica honeſtas quodammodo veſtitur ſacramento, quod certè firmat vinculum, in ſponſalibus autem nullo ſacramento veſtitur, cum ſponſalia ipſa non ſint ſacramentum, ergo illa eſt exprimenda in impetratione diſpenſationis ratione eiuſdem fortioris vinculi. Confirmatur ſecundo, quia facilius ſunt ſolubilia ſponſalia, quam matrimonium ratum, ergo etiam facilius erit ſolubilis honeſtas, vt ex illis proueniens, quam vt proueniens ex iſto. Confirmatur tertiò, quia indecentius videtur nubere cum ſorore vxoris de præſenti, quam cum ſorore ſponſæ de futuro, ergo &c.

Dices, hæc omnia rectè procedere ad probandum, quod æquum eſſet, vt induceretur onus talis diſtinctæ expreſſionis; non autem ad probandum, quod ita de facto inductum ſit per Eccleſiam; cum igitur hoc impedimentum publicæ honeſtatis inductum ſit præcisè ex diſpoſitione Eccleſiæ propter quandam attinentiam moralem, & Eccleſia expreſsè non diſpoſuerit, quod ſit diſtincta mentio facienda in impetratione diſpenſationis, non eſt, cur nos hoc onus diſtinctæ expreſſionis inducamus, ſicuti diximus ſupra, non eſſe exprimendam, vel paternitatem, vel compaternitatem in diſpenſatione cognationis ſpiritualis, cum Eccleſia hoc non indixerit. Sed contrà, quantumvis hoc impedimentum inductum ſolummodo fuerit per ius Eccleſiaſticum, ſufficienter tamen colligitur, quod per idem ius Eccleſiaſticum inductum fuerit de facto onus talis diſtinctæ expreſſionis, ex quo voluit expreſſionem graduum in vno, & non in altero. Ad quid enim inducere onus exprimendi in honeſtate orta ex matrimonio rato gradus diſtinctos, ſi non eſſet facienda ex neceſſitate diſtincta mentio honeſtatis ex matrimonio, & eiuſdem ex ſponſalibus? Certè, ſi non eſt facienda diſtincta mentio vtriuſque ſufficeret dicere in petitione eſſe impedimentum publicæ honeſtatis non diſtinguendo, & ſic ceſſaret onus exprimendi gradus.

Eccleſia ſufficienter voluit expreſſionem ex quo induxit diſtinctionem graduum.

Dubium ſeptimum circa expreſſionẽ lineæ rectæ.

Dubitatur ſeptimo, An in conſanguinitate, & affinitate neceſſe ſit exprimere in impetratione diſpenſationis, quod diſtantia graduum ſit in linea recta. Procedit hæc dubitatio in ſuppoſitione, quod vltra primum gradum in linea recta impedimẽtum ſit tantum inductum ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico; in ſententia etenim, quem nos ſupra commendauimus, aſſerente de iure naturæ interdictum eſſe matrimoniũ in linea recta vſque in infinitum, non habet locum hæc controuerſia, quandoquidem indiſpenſabile videtur matrimonium in quocunque gradu, niſi ex grauiſſima communi neceſſitate.

14 Probabilius nõ eſt exprimenda linea recta.

Reſpondeo, probabilius eſſe non eſſe ex neceſſitate in illa ſuppoſitione exprimendam lineam rectam. Eſt contra *Sanchez lib.8. diſp.24. de matrimonio n 14.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia iura in vniuerſum non diſtinguentia inter gradus lineæ rectæ, & gradus lineæ tranſuerſalis ſo-

lum

lum inducunt onus exprimendi gradus intra quartum; nullibi autem exprimunt exponendam eſſe lineam; quod ſi alicubi DD. aſſerant exponendam eſſe lineam, ideo hoc præſtant, quia ſupponunt in linea recta matrimonium interdici etiam vltra quartum gradum; & licet videatur maior irreuerentia in cōtractu inter conſanguineos, & affines, in linea recta, ac in trāſuerſali; hæc etiam maior irreuerentia non eſt talis, vt de facto inducat onus expreſſionis, cum etenim hoc impedimentum vltra primum gradum etiam in linea recta ſupponatur inductum tantum per ius Eccleſiaſticum, & hoc non impoſuerit diſtinctum onus, talis maior irreuerentia quoad hunc effectū non eſt conſideranda.

Dubium octauum circa affinitatem in linea recta, ſiue ex copula licita, vel illicita

Dubitatur octauo, An in affinitate exprimendum ſit, quod orta fuerit ſiue in linea recta, ſiue in tranſuerſa ex copula licita, vel illicita. Certum eſt in primis tenere diſpenſationem petitam in tertio, & quarto gradu, quantumvis non fuerit expreſſum, an illa orta fuerit ex copula licita, vel ex illicita, quia cū in copula illicita nō extendatur impedimentum vltra ſecundū gradum, eo ipſo, quod vltra talem gradū petita eſt diſpenſatio intelligitur tacitè petita ex affinitate ex copula licita; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, neceſſe eſſe exprimere eam affinitatem ortam eſſe ex copula licita ex alio titulo ſcilicet publicæ honeſtatis; cum etenim illa copula proueniat, vt pote licitè ex matrimonio, vtique inducit publicam honeſtatem cum omnibus conſanguineis eius, cum qua habita fuit illa copula vſque ad quartum gradum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum ſufficientèr explicetur affinitas ex copula licita, vtpote quod vltra ſecundum gradum non datur affinitas impediens, & dirimens matrimonium ex copula illicita, ſufficienter etiam implicitè indicatur publica honeſtas vt indicare videtur *Gloſa in cap. non debet verb. in ſecundo de conſanguin., & ibi Antonius num. 19., Milis in ſua repert. lit. D num. 23. verb. diſpenſatio facta ſuper impedimento, Felinus cap. poſtulaſti num. 13. limit. 7. in fin. de reſcript., Ripa reſponſ. 11. ad fin. de reſcript., Hieronimus Paulus in pract. Cancel. Apoſtolica tit. notabilia ſuper diſpenſationibus matrimon., Berous deciſ. 264. num. 18., Couaruuias quarto decret. 2. part. cap. 6. §. 7 nu. 5., Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 12. nu. 250.*

Explicito tertio, vel quarto gradu in affinitate nō eſt neceſſe exprimere, an fuerit ex copula licita, vel illicita.

Deinde difficultas ſolum reducitur, quando impetratur diſpenſatio, vel in primo, vel in ſecundo gradu, cuius neceſſaria eſt expreſſio, ſiuè affinitas orta fuerit ex copula licita, vel illicita, & hoc ſiuè fuerit in linea recta, ſiuè tranſuerſali; pro cuius poſterioris partis intelligentia, aduerte, tunc affinitatem in linea recta haberi, quādo reſpiciuntur perſonæ aſcendentes, & deſcendentes illarum duarum perſonarum, quæ carnalitèr ſe cognouerunt. Aſcendētes ſunt ſocer, vitricus, Nouerca; deſcendentes vero ſunt Gener, Nurus, Priuignus, & Priuigna; hæc autem affinitas in linea recta æque haberi poteſt ſiuè ex copula licita, ſiue ex illicita, cum etiam in illicita haberi poſſint aſcendentes, & deſcendentes reſpectu eiuſdem ſtipitis communis, qui ſunt ipſæ perſonæ ſe fornicariè cognoſcentes; Verum tamen eſt, quod in affinitate illicita aſcendentes, & deſcēdentes non habeant ſpecialia nomina à iure inducta, ſicuti habent in affinitate licita, quod arbitror inde eueniſſe, ne iura per compoſitionem talium nominum videantur fauere illicitis congreſſionibus; tunc vero haberi affinitatem in linea tranſuerſali, quando reſpiciuntur perſonæ collaterales ipſis ſe cognoſcentibus carnaliter; hoc eſt conſanguinei ex latere reſpectu vtriuſque; hæcque etiam haberi poteſt, ſiue ex copula licita, ſiue illicita, vt ex ſe patet. His ſuppoſitis

Quandonā habeatur affinitas in linea recta

Sanchez *dict. lib. 8. de matrimonio diſp. 24. n. 14.* qui docuerat neceſſarium eſſe in conſanguinitate, affinitate, vel publica honeſtate exprimere, an diſtantia graduū fuerit in linea recta, modo eodem loco citato excipiendo reputat non eſſe neceſſarium, hanc qualitatem lineæ rectæ exprimere in affinitate ex copula fornicaria, quia ex hac copula non oritur notabiliter ſpecialius vinculum, aut notabiliter maior reuerentiæ obligatio affinibus ex linea recta, quam ex tranſuerſali.

Senſus Sanchez exponitur.

Reſpondeo in vniuerſum, ſi diſpenſatio ſuper affinitate petatur in primo, vel in ſecundo gradu neceſſario faciendā eſse mētionem, ſiue fuerit in linea recta, ſiue in tranſuerſali, an fuerit ex copula licita, *Abbas c. non debet n. 12. de conſang. & ibi Alexander de Neuo n. 11. Prapoſitus n. 18. Brunellus de Sponſalib. concl. 26. n. 3. Silueſter verb diſpenſatio q. 5. n. 9. Stephanus Coſta tr. de affinit. §. quia inter impedimenta num. 3. Nauarrus lib. 4. conſil. tit. de conſang. in prima edit. conſ. 4. num. 1. Toletus lib. 7. ſumma c. 11. n. 6. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 56. art. vlt. dub. 2. difficult. 3. corrol. 6. Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. vbi de matrimon. c. 50. col. 4. verſ. aduertendum eſt, an ſuper, Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. n. 38.* Ratio ex eo deducitur, quià, quando eſt ex copula licita, duplex quodamodo importat impedimētum cum conſanguineis alterius, alterum affinitatis, alterum publicæ honeſtatis, ſed quando concurrit duplex impedimentum, vtriuſque ſaltem implicitè facienda eſt mentio, quatenus ſcilicet in altero includatur, quod alterum in impetratione diſpenſationis exponatur, ergo neceſſarium eſt, vt affinitas exprimatur, vt

15 In primo, & ſecundo gradu in quacunque linea exprimenda eſt, an fuerit ex copula licita.

Digitized by Google

vt proueniens ex copula licita, quandò quidem tunc implicitè ſaltem exponitur etiam publicæ honeſtatis impedimentum, & ſine tali expreſſione poſſet eſſe conceſſio præcisè ſuper affinitate nullo habito reſpectu ad publicam honeſtatem. Confirmatur, quià in materia odioſa ſunt verba in minori ſignificato accipienda per textum *in c. fin. de præbend.*, *& c. cum in illis in primo reſponſo, & c. quamvis eod. tit. in ſexto*, ergo intelligenda ſunt verba diſpenſationis de ſimplici affinitate, quando ex contextu petitionis non innoteſcit extendi etiam ad honeſtatem. Confirmatur ſecundo, quià in odioſis, cuiuſmodi ſunt diſpenſationes, duplex non continetur ſub ſimplo, niſi exprimatur, ergo, niſi facta fuerit petitio ſub terminis connotantibus vtrumque impedimentum, non intelligitur conceſſio extendi ad vtrumque, ſed ad id tantum, quod eſt minus ſignificatum in tali petitione; Neque dicas, quod mentio affinitatis abſolutè facta intelligenda ſit de orta ex copula coniugali, tum quià in dubio non debet præſumi delictum per textum *in l. merito ff. pro ſocio*; tum quià in odioſis verba intelligenda ſunt in potentiori ſignificato *arg. c. penult. de ſent. excommun.*, contra enim impugnaberis, quià, cum affinitas indifferens ſit, vt procedat per matrimonium ex copula coniugali, vel ſine matrimonio ex copula fornicaria, gratis omninò dicitur, quod nudè ſumpta intelligenda ſit de orta ex copula coniugali, nec primum aſſumptum aliquod euincit, nam ſtricta illa interpretatio non innititur præſumptioni delicti, ſed diſpoſitioni iuris, ſecundum quod odioſa, cuiuſmodi ſunt diſpenſationes, in ſtrictiori ſignificato ſunt accipienda; nec item aliquod euincit ſecundum aſſumptum, quià id, quod deciditur in *d. c. penult. de ſent. excommun.*, eſt quid ſpeciale ex ſpeciali motiuo definitũ per Pontificem, quod propterea non eſt ad alibi odioſa extendendum.

In copula licita duplex eſt impedimẽtum.

Affinitas indifferens eſt, vt contrahatur vel ex copula licita, vel illicita.

Dubitatur nono. An, ſi in impetratione diſpenſationis contingat error, quatenus exprimatur vnus gradus, cum tamen ſit alius, diſpenſatio ipſa intelligatur irrita, & nullius valoris.

Dubium nonum circa diſpenſationem ex errore.

Sub triplici ſenſu poteſt examinari præſens dubium; primo, quatenus exponatur maior gradus, puta ſecundus, cum ſit minor, puta tertius, vel quartus; ſecundo, quatenus exponatur minor, puta tertius; vel quartus, cum fuerit in re ſecundus. Tertiò quatenus narretur, ſeù exponatur maius impedimentum, & in ſtrictiori gradu, cum tamen ſit minus, & in gradu inferiori, puta ſi dicatur eſſe conſanguinei in ſecundo gradu, cum tamen ſint ſolum affines, & in tertio gradu; & ſub triplici hoc ſenſu procedit difficultas, quando eſt ignorantia inculpata, & bona fide in tali expoſitione erronea.

Triplex ſenſus difficultatis.

16 Reſpondeo primo, ſi in impetratione diſpenſationis contigerit error in expreſſione maioris gradus, puta ſecundi, cum fuerit minor, nempè tertius, ſubſiſtit ipſa diſpenſatio, quantumuis data opera contigerit talis error. *Petrus de Ledeſma in ſumma ſacram. vbi de matrimon. c. 27. poſt ſeptimam concl. dub. 1. Manuel primo tomo ſumma in ſecunda edit. c. 238. concl. 3. nu. 3. Vega ſecundo tom ſumma c. 34 caſ. 98. in initio, Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 24. n. 17.* Ratio ex eo deducitur primo, quia talis diſpenſatio, quantumuis cum tali errore concepta, non egreditur à præſumpta formali voluntate Pontificis diſpenſantis, nec eſt extra ordinem petitionis, quandoquidem eſt in eodem ordine, & genere conſanguinitatis v. g. & Pontifex, ſi verum fuiſſet expoſitum, facilius conceſſiſſet, ergo non eſt, cur debeat inanis, & inualida reputari. Secundo, quia talis diſpenſatio facta in gradu maiori continet in ſe minorem, & quidem in eodem genere, cum maius ex genere ſuo includat minus, tanquam partem ſui ipſius; neque obeſſe poteſt, ſi alleratur, quod in odioſis non valeat argumentum à maiori ad minus; non inquam, obeſſe poteſt, quia fallit, quando minus continetur in maiori, tanquam pars in ſuo toto, vt ſupra diximus.

Expreſſo ſecundo gradu, cum fuerit tertius, non irritatur diſpenſatio.

17 Reſpondeo ſecundo, ſi in impetratione diſpenſationis exponatur gradus minor ex errore, & re vera fuerit maior, non tenet diſpenſatio, quantumuis error contigerit ex ignorantia inculpata. Ita expreſsè *Sanchez d. lib. 8. de matrimonio diſp. 24. n. 18.* Ratio ex eo deducitur primo, quia maius non includitur in minori, ſicuti minus in maiori, & error ille eſt circa ſubſtantiam diſpenſationis, nec ita facilis eſt conceſſio in maiori, ſicuti in minori; & hoc etiam valet, quantumuis ille error, quo petita fuit diſpenſatio in minori, cum fuerit maior, fuerit communis; valet, inquã, quia, quantumuis in ijs, quæ ſpectant ad iuriſdictionem error communis faciat ius, & ſuppleat defectum, in alijs tamen, in quibus præcisè non conſideratur iuriſdictio, ſed qualitas pertinens ad ſubſtantiam, actus non facit ius, nec ſupplet defectum, ſic v. g. error cõmunis, quo quis cum habuerit antecedenter iuriſdictionem ad excipiendas confeſſiones in aliqua Diœceſi; adhuc retinere credatur, facit ius, & reddit validã confeſſionẽ pœnitentis apud eundẽ habitam; error autem communis, quo quis non reputatur cum altero conſanguineus, cum tamen re vera conſanguineus ſit, non ſupplet defectum, nec reddit validum matrimonium inter illos initum; nõ niſi quia primum pertinet ad iuriſdictionẽ, circa quam error communis inducit titulum;

Non tenet diſpenſatio, ſi fuerit expoſitus gradus remotior, cum fuerit propinquior, quã. uis error contigerit ex ignorãtia inculpata.

Digitized by Google

lum; Secundum verò pertinet ad ſubſtantiam actus, circa quam error communis nihil prodeſt. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ad valorem actus opinio communis quandoque præferatur veritati per textum *in l. Barbarius ff de offic. præt.* dependenter ad quem textum *Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 173. col. 9. verſ. quando qualitas*, docet, quod, ſi quis genuerit filium ex ea, quæ tempore coitus reputabatur vidua, quæ tamen poſt legitimationem eiuſdem filij comperta fuit pro eo tempore coniugata, ille filius habeatur pro legitimato, quantumuis Pontifici non fuerit explicatum adulterium, & *Felinus c. in noſtra n. 38. verſ. quod dictum eſt de reſcript. Rebuffus in concordatis in forma mandati Apoſtolici paulo ante verſ. item expreſſo, Mandoſius reg. 34. cancellaria q. 53. n. 10. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 3. caſ. 202. nu. 104.*, docent, quod in impetratione beneficij vacantis ex diuerſo vacationis titulo ab expreſſo eadem impetratio teneat, ſi fuerit error communis circa talem titulum vacationis expreſſum. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille textus *in l. Barbarius* intelligendus eſt ſolummodo quoad iuriſdictionalia, in quibus communis opinio præualet veritati, non autem quoad ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam actus; non enim efficit, quod diſpoſitum in vno caſu cenſeatur in alio diſpoſitum propter errorem communem; vnde corruunt ea, quæ ex Molina ſupra adducebantur. Ad illud, quod ſubditur de beneficio vacante ex diuerſo titulo ab expreſſo, dicendum eſt, ſubſiſtere, quia non eſt error in beneficij ſubſtantia, ſed in accidente parum conferente ad collationem, quod præſumendum eſt, non validum eſſe ad remouendum Pontificem à tali collatione.

Soluitur obiectum aduerſans.

18 Non tenet diſpenſatio cum expreſſione ſtrictioris impedimenti, cum fuerit in diuerſo genere minus ſtricto.

Reſpondeo tertio, ſi in impetratione diſpenſationis error contigerit in expreſſione ſtrictioris impedimenti, & gradus proximioris, cum tamen impedimentum fuerit in diuerſo genere minus ſtricto, & in gradu remotiori probabilius non tenet diſpenſatio, *Couaruuias quarto decret. prima parte c. 8. § 8. n. 11. Ludouicus Lopez ſecunda parte inſtruct. vbi de clauibus c. 9. col. 5. & prima part. c. 50. col. 2. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 24. n. 19.* Ratio ex eo deducitur primo, quia in hoc non militat ratio, quod inferius includatur in ſuperiori, cum ſint diuerſæ ſpeciei, nec vna ſpecies alteram includat. Secundo, quia diſpenſatio ſuper vno defectu non eſt diſpenſatio ſuper alio, *Baldus c. innotuit n. 17. de elect. Afflictus deciſ. Neapol. 320. n. 12.* Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum illud impedimentum, ſuper quod cadere deberet diſpenſatio, ſit minus ſtrictum, & rigoroſum, quam ſit illud, ſuper quo petita eſt ex errore diſpenſatio, facilius Pontifex ſuper illo diſpenſaſſet, quam ſuper iſto, adeoque diſpenſatio poſita haberi debet pro valida etiam pro vero impedimento minus ſtricto; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quod facilius diſpenſaſſet in altero genere non facit, quod actu in illo genere diſpenſarit; vnde ad ſummum illa voluntas habitualis, ſeu concomitans, quod Pontifex feciſſet, ſi cognouiſſet, tunc tantum habet locum, quando illud, quod feciſſet, comprehenditur tanquam inferius in eo genere quod fecit, & caſus non expreſſus contineri poteſt ſub expreſſo, quod non contingit in præſenti hypotheſi.

Dubium nonum circa expreſſionem copulæ.

Dubitatur decimo, an in diſpenſatione impedimentorum matrimonij neceſſario ſit explicanda copula iam habita inter impeditos.

Triplex ſenſus, ſecundum quem poteſt examinari dubiū.

Hoc etiam dubium ſub triplici ſenſu poteſt examinari; primo, quatenus habita fuerit talis copula inter ſic impeditos nullo habito reſpectu ad matrimonium inter ipſos ineundum; Secundo, quatenus habita fuerit habito reſpectu ad matrimonium, ſed abſque ſpe facilioris diſpenſationis. Tertio, quatenus habita fuerit ex tractatu præcedenti, & ad effectum facilioris diſpenſationis obtinendæ. Rurſus triplici illo ſenſu conſiderato, vel poteſt eſſe habita huiuſmodi copula, antequam Pontifex diſpenſet, vel poſt commiſſionē Papæ factam ordinario, ſed ante executionem, vel poſt commiſſionē Papæ, & executionem ordinarij.

19 Tenet diſpenſatio nō expreſſa copula, dummodo habita non fuerit cum reſpectu ad futurū matrimonium.

Reſpondeo primo, ſiue copula habita fuerit inter ſic impeditos, puta inter conſanguineos, ſeu inter affines, vel antecedenter ad diſpenſationem impetratam à Romano Pontifice, vel poſt commiſſionē ab eodem factā Ordinario, vt diſpenſet, vel etiam poſt executionem eiuſdem, dūmodo habita fuerit ſine reſpectu ad futurum matrimonium, & ſine ſpe eiuſdem, quantum eſt ex vi diſpenſationis præciſè, etiam ſi in petitione, vel executione non facta fuerit mentio eiuſdem copulæ, ipſam diſpenſationem tenere, *Auerſa de ſacram. matrimon. q. 19. ſect. 6. Ochagauia tract. 4 de ſacrament. matrimon. diſpenſ. q. 11. n. 4. Perez de matrimon. diſp. 46. ſect. 6. per totum, Prapoſitus in 3. part. q. 8. de diſpenſ. matrim. dub. 6. n. 41. Hurtadus de matrim. diſp. 26. de offic. 5. n. 23. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 81. verſ. ſed hoc non obſtante*; & quidem quod teneat, quando copula inter eoſdem impeditos commiſſa poſt diſpenſationem perfectè executam tenet expreſsè *Sanchez lib. 8. diſp. 25. n. 4.* quamuis neget tenere, quando commiſſa eſt ante diſpenſationē, vel ante executionem commiſſionis, *eod. lib 8 diſp. 25 n. 8.*, & ratio quidem hoc manifeſtè ſuadet, quandoquidem diſpenſatio completa eſt nullo penitus obſtante, cum

preces

Digitized by Google

preces ſ[illegible]ritate nitantur, nec ex illa copula ſubſequenti diſpenſationem vllum penitus conſurgat impedimentum; non enim copula inter conſanguineos præſtat impedimentũ matrimonio ineundo *Covarruuias in Epith ſecunda part. c. 6. n. 4. verſ qua in re, Vera crux in ſpeculo prima par. art. 23. Florentinus 3. part. tit. 1. c. 16. §. 4. Caſtro lib. 1. de poteſtate l. pænalis c. 7. Corduba in ſumma q. 45. in fin. Gutierez qq. canonic. lib. 1. c. 15. n. 32. Manuel in ſumma tom. primo in ſecunda edit. c. 238. n. 7. in initio*, ergo, cum nullum præſtet impedimentũ, non erit, cur irritetur diſpenſatio ex illius non habita mentione.

Inceſtus cum conſãguinea nõ præſtat impedimentum ad cõtrahendum cum ipſa.

Probatur iam reſponſio, quando copula habita eſt antecedenter ad diſpenſationem, vel poſt commiſſionem, ſed antecedenter ad executionem directè contrà eundem Sanchez primo, quià inceſtus habitus cum conſanguinea non præſtat impedimentum ſecundum ſe ad contrahendum cum illa matrimonium, vt probat idem *Sanchez lib. 7. diſp. 15. n. 16.*, & *lib. 8. diſp. 25. n. 8.*, & quamvis huiuſmodi copula antiquitus cum affinibus induceret impedimentum, modo tamen contraria conſuetudine hoc abrogatum eſt, ergo illius non eſt facienda mentio in impetratione diſpenſationis ſuper impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis &c. vbi etenim nullum emergit impedimentum, ibi nulla eſt neceſſaria diſpenſatio, nedum mentio, quod argumentum etiam valet quoad cognationem ſpiritualem, & legalem. Confirmatur ex ijs, quæ alibi diximus cumulatiuè ad ea, quæ mox dicta ſunt, quando copula habita eſt poſt obtentam diſpenſationem, quià ſcilicet adhuc obtenta diſpenſatione, & hactenus non contracto matrimonio, ſi conſanguinei congrediantur, adhuc non eximuntur à crimine inceſtus, & tamen idem Sanchez aſſerit in hac hypotheſi conſanguineos nõ egere diſpenſatione, quod alia ratione aſſerere non poteſt, niſi quià inceſtus cum conſanguineis inter eoſdem non inducit nouum impedimentum, ergo nulla facta de eadem copula mentione non erit, cur diſpenſatio ſuper conſanguinitate, vel affinitate obtenta non debeat ſuum effectum ſortiri; neque obeſſe poteſt allegatus ſtilus curiæ ab Aduerſarijs, ſecundum quem aſſeritur, copulam eſſe explicandam ea ratione, vt timore huius manifeſtationis faciendæ arceantur conſanguinei, & affines ab inceſtuoſa copula; nec item declarationes ſacræ Congregationis, quas *ex Marcilla* allegat *Diana part. 8. tract. 3. reſol. 81.* in hæc verba. *Congregatio Cardinalium concilij cenſuit diſpenſationem cenſeri ſubreptitiam, ſi inter conſanguineos, vel affines, vel ſpirituali cognatione coniunctos carnalis copula præceſſiſſet, cuius mentionem in ſupplicatione non feciſſent*, nec item, ſi aſſeratur, quod Pontifex difficilius annueret petitioni, ſi mentio de illa inceſtuoſa copula haberetur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià inprimis de ſtilo curiæ aſſerit *Çauallos q. 737. n. 19.* non legitimè conſtare, cum Nauarrus, qui vitam traxit Romæ per multos, & multos annos, & ibidem ſcripſit, de tali ſtilo non depoſuerit, quinimmò apertè in contrariam abijt ſententiam aſſerens nullam eſſe neceſſitatem mentionis de tali copula faciendæ, quinimmò *in ſumma* teſtatur, ſe nunquam vidiſſe inceſtuoſos petere diſpenſationem ad contrahendas nuptias, & hoc *c. 22. nu. 65.*, vlterius *Henriquez*, & *Emanuel Sà*, qui Romæ ſcripſerunt, abſolutè ſenſerunt, non eſſe neceſſariam mentionem talis copulæ, nec verbum quidem fecerunt de tali ſtilo. Deindè, quando etiam conſtaret de tali ſtilo, hoc intelligendum eſt, quando copula fuit publica, & notoria ad euertendum ſcilicet ſcandalum; vndè in foro conſcientiæ non officit; vndè meritò dicit *Sà verb. diſpenſatio n. 10.*, quod, ſi Pontifex commiſerit ordinario, vt diſpenſet, niſi copula præceſſerit, intelligendus ſit, vt non diſpenſet, ſi conſtet legitimè copulam non eſſe occultam in foro exteriori, vbi reus non tenetur dicere verum, niſi iuridicè interrogetur poſt ſufficientia indicia; ex quo ſequitur, quod, ſi illa copula fuerit publica, & notoria irritetur diſpenſatio non ex natura ſua, ſed ex ſpeciali diſpoſitione Pontificis in foro externo, & hoc ad euitanda ſcandala. Ad illud, quod ſubditur de declaratione Cardinalium, dicendum eſt, vel eam procedere tantum in foro externo, quando copula eſt publica, & notoria, vel quando diſpenſatio fuit conditionata conditione expreſſa, *ſi copula non præceſſerit*; cum etenim diſpenſationes procedant, & vim ſolummodo habeant à voluntate concedentis iuxta intentionem expreſſam eiuſdem concedentis, ſunt accipiendæ non aliter, nec alio modo. Ad illud tandem, quod dicitur de maiori difficultate in concedendo, quando copula præceſſit, dicendum eſt, potius facilitari, ſeù faciliorem reddi talem conceſſionem per illam expreſſionem copulæ, quià per illam vitatur infamia fœminæ, ineptitudo ad aliud matrimonium, & alia innumera ſcandala.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Verificatur ad ſummum, quando copula fuerit publica.

Procedit, quando diſpenſatio fuit conditionata.

Pro clariori tamen huius dubitationis, & reſponſionis intelligentia, aduertendum eſt, an Pontifex in conceſſione talis diſpenſationis petitæ ſuper conſanguinitate, vel affinitate &c. appoſuerit conditionem, *dummodo copula non interuenerit*, an vero illam nõ appoſuerit. Si illam nõ appoſuerit, non video, cur in Tribunalibus Eccleſiaſticis inductus fuerit vſus interrogandi

de

Digitized by Google

de hac copula; vndè merito *Salzedo in practica Bernardi Diaz c. 126. in noua edit. col. 17. verſ. vnde meritò, Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de ſponſalib. conſ. 2. in fin. Ouadut in 4. diſt. 41. diſp. vnica immediatè ante duodecimam propoſitionem, & alij*, damnant talem vſum, & aſſerunt contrahentes non teneri fateri talem copulam, cuius rationem alij aſſerunt ex eo procedere, quià tunc Iudex non legitimè interrogat, alij, quià non conferat ad diſpenſationis ſubſtantiam illam copulam ſcire; Si appoſuerit illam conditionem; tunc probabilius eſt, eam diſpenſationem eſſe ſubreptitiam, ſi copula interuenerit, & non fuerit manifeſtata, quia conceſſiones gratioſæ, & liberales totam vim habent à voluntate concedentis, & ad normam, qua talis voluntas exponitur; vndè, cum reſtringatur voluntas ad talem conditionem, ea non purificata non intelligitur voluntas illa vim conferre diſpenſationi. Verum tamen eſt, prout notat *Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 2. nu. 6., & ſeqq. in comment. lit X.* nunquam ſolere adijci illam copulam per modum conditionis, ſed tanquam quendam modũ; & *Emanuel Sà in ſumma verb. diſpenſatio n.* 10 etiam addit, quod, quamvis adijciatur ad modum conditionis, intelligenda tamen ſit iuxta naturam diſpenſationis, adeovt, ſi hæc concedatur pro foro externo ad irritandam diſpenſationem, debeat eſſe publica, & notoria, nec ſufficiat, ſi ſit occulta; ſi vero concedatur pro interno animæ foro, quantumvis fuerit occulta, irritet diſpenſationem.

Iudices illegitimè interrogant, quando nõ eſt appoſita per modum conditionis.

20 Quandò habita eſt copula ad facilius impetrãdam diſpenſationem, ſi aliæ fuerint expreſſæ cauſæ ſufficientes ad diſpenſationem, tenet diſpenſatio, etiam ſi illa, nec finis fuerit expreſſus.

Reſpondeo ſecundò, quandò copula habita fuit ad finem facilius obtinendæ diſpenſationis, & adſunt aliæ cauſæ ſufficientes ad diſpenſationem, quibus expoſitis Pontifex eam concederet, probabilius eſt eandem diſpenſationem impetratam ſine expoſitione copulæ, & intentionis, ex qua habita fuit, ſubſiſtere; quandò verò copula ſola eſt cauſa diſpenſationis, & ipſa ſolum allegatur pro ipſa obtinenda, tunc probabilius eſt, diſpenſationem ipſam non ſubſiſtere ſine expreſſione etiam intentionis. Ita in vniuerſum ſuſtinet Pontius, apud *Dianam part. 8. tract. 3. reſol. 82. verſ verùm, ſi adſint aliæ ſufficientes*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià concurrentibus pluribus cauſis adæquatis ad eundem effectum, ſi vna tantum applicata effectus ab illa proceſſerit, non eſt, cur idem effectus non debeat ſubſiſtere, ergò, ſi ex alijs cauſis expoſitis, & ſecundum ſe ſufficientibus ad diſpenſationem Pontifex diſpenſauerit etiam reticita copula ad eum effectum commiſsa, non erit, cur eadem diſpenſatio non debeat ſubſiſtere; Neque dicas, non poſse ſubſiſtere, eo quià copula cum illa intentione habita conſluat ad illud matrimonium ineundum, vt in ſimilibus euincitur *ex Tridentino ſeſſ. 24 de matrimon. c. 5.*, vbi copula habita cum intentione, & ſpe facilioris diſpenſationis obtinendæ inducit inhabilitatem, & carentiam ſpei eiuſdem gratiæ conſequendæ; Contra enim impugnaberis, quià illa copula, quantumvis ex intentione habita ex natura ſua non inducit diſtinctum impedimentum ab ipſa conſanguinitate, vel affinitate, ſed ad ſummum ex diſpoſitione iuris, de quo non conſtat; nec concilium Tridentinum loc. cit. quoad hoc vim aliquam infert, quià concilium ſolum loquitur; quandò is animus cum matrimonio interuenit; &, cum hæc diſpoſitio ſit pænalis, & odioſa, non eſt extendenda ad non expreſsa; neque vlterius vrgeas, quod, ſi Pontifici cum alijs cauſis ſecundum ſe ſufficientibus ad diſpenſationem exponeretur illa copula præhabita cum intentione futuræ facilioris diſpenſationis, veriſimilius non concederet illam diſpenſationem, & per conſequens, quod ſine illius copulæ, & intentionis expreſſione habenda ſit pro ſubreptitia, & inualida; contra adhuc impugnaberis, quià, cum ex genere ſuo talis copula etiam cum illa intentione non præſtet impedimentum, non eſt ſecundum ſe illa qualitas exponenda, niſi ad effectum, vt tanquam cauſa finalis moueat Pontificis voluntatem ad diſpenſandum, quandò verò ſubeſt alia legitima cauſa nulla neceſſitas obligat ad exponendam illam qualitatem; & cum ex neceſſitate non ſit exponenda non eſt curandum, an Pontifex facilius, vel difficilius concederet, ſi exponeretur; Neque vlterius vrgeas, quod ex ſtilo curiæ non ſolum copula ſit exponenda, ſed etiam intentio, qua fuit habita, ſcilicet ſub ſpe facilioris diſpenſationis, præcipuè cum in reſcriptis apponi ſoleat illa clauſula *Dummodo copula habita non ſit ſub ſpe facilioris diſpenſationis*, & ſi non fuerit appoſita, ſubintelligenda eſt ex ſtilo eiuſdem curiæ; contra enim adhuc eſt, quià hoc ſolummodò verificatur, quandò ſola copula apponitur pro cauſa; tunc etenim ex ſtilo Curiæ exponendum eſt, an fuerit habita ſub ſpe talis facilioris diſpenſationis.

Soluuntur rationes aduerſantes.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià ſtilus curiæ ità obtinuit, vt, quandò copula ſolum apponitur pro cauſa diſpenſationis, apponatur cum ſua vera qualitate; nam licet eadem copula ex fragilitate habita poſſit mouere Pontificem ad diſpenſandum, habità tamen ex illa intentione, & ſpe facilioris diſpenſationis apta potius eſt ad retrahendum.

21 Si nulla alia fuerit cauſa diſpenſationis exprimenda eſt copula cum fine.

Hic pro complemento oritur difficultas; an, ſi alter tantum ex conſanguineis copulam habuerit eo affectu,

22

Digitized by Google

Si alter ex conſanguineis habuerit tantum copulam ad finem facilius impetrandæ diſpenſationis non eſt ex neceſſitate ille finis exprimendus.

& ſpe facilioris diſpenſationis obtinendæ altero non concurrente ad talem affe-ctum, & ſpem in impetratione diſpenſationis, non ſolum ſit exponenda copula, ſed etiam affectus, & intentio, qua fuit habita, Bonacina apud *Dianam part.* 8. *tract.*3.*reſol*,82. *verſ.*, *& tandem Portel.* ſentit vtramque qualitatem eſſe exponendam, & ad hoc etiam facere ſtilum curiæ. Nihilominus *Portel. in reſponſ. moral. lib. tom.* 2. *caſ.* 49. *n.*11. *idem Diana loc. cit Sanchez de matrimon. lib.*8 *diſp* 25. *n.*31, & quidem probabilius ſentiunt in ea hypotheſi, non eſſe neceſſario faciendam mentionem illius intentionis, & ſpei. Rationem adducit Sanchez loc. cit., quià obligatio manifeſtandæ illius ſpei eſt deducta ad normam *Concil Trident, ſeſſ.*24. *de matrim. c.*5. in pœnam ſcilicet delicti illius prauæ intentionis, ſed pœna, vtpotè ſtrictè interpretanda, non eſt intelligenda, niſi cum completa eſt in delicto correſpectiuo ſcilicet ex parte vtriuſque, nec vnius delictum alteri officit, ergò &c.

PRÆNOTIO XXIV.

An diſpenſatio impetrata abſque mandato eius, cui impetratur, teneat, & an valeat ante literarum expeditionem.

SVMMARIVM.

Non eſt neceſſarium, nec generale, nec ſpeciale mandatum eius, in cuius fauorem impetratur diſpenſatio, ſed ſufficit ratihabitio. 1.

Diſpenſatio impetrata ab vno altero ignorante prodeſt vtrique, ſi impedimentum afficiat vtrumque, ſi vnum tantum afficiat, vel vtrumque, ſed ſub diuerſa ratione, neceſſe eſt, vt ab eo acceptetur, qui tali vinculo eſt obſtrictus, vel ab vtroque, ſi vterque ſit obſtrictus. 2.

Diſpenſatio in foro interno valet etiam ante literarum expeditionem, non ſic in externo. 3.

Conceſſa prius oretenus diſpenſatione, & poſtea literis expeditis tenet à puncto conceſſionis. 4.

Mortuo concedente ante expeditionem literarum non expirat conceſſio in foro interno num. 5.

Non poteſt ex ſola probabili coniectura conceſſionis quis vti eadem conceſſione. 6.

DVplex, vt præfert titulus, venit hic difficultas examinanda; altera, an diſpenſatio, vt valida ſit, debeat eſſe cum conſenſu eius, in cuius fauorem cedere debet; altera, an ad effectum, vt diſpenſatus ea vti poſſit, neceſſaria ſit literarum expeditio, an verò ſufficiat, quod conſenſus concedentis fuerit poſitus.

1 Non requiritur mandatum, ſed ſufficit ratihabitio.

ASSERTIO I. Ad validitatem diſpenſationis non eſt neceſſarium, nec generale, nec ſpeciale mandatum eius, in cuius fauorem impetratur, ſed ſufficit ratihabitio eiuſdem, poſtquam fuerit impetrata *Gloſa c. nonnulli* §. *ſunt, & alij verb ſine ſpeciali de reſcript., & ibi Hoſtienſis in fin. Rebuffus praxi benef. tit. differentiæ inter reſcripta gratiæ, & iuſtitiæ n.* 16, *& tit. de diſpenſat. n.* 13. *Nauarrus lib.* 4 *conſ. in* 1. *edit. tit. de ſponſalib. conſ.* 14. *in fin.*

Iura, & rationes euincentes intentum.

Hæc aſſertio expreſsè colligitur *ex c. ſi motu proprio de præbend. in ſexto*. Secundo per locum ſpecialè *arg. c. nonnulli* §. *ſunt, & alij de reſcript.*, vbi tanquam quid ſpeciale decernitur, literas ad lites impetrari pro alio non poſſe ſine ſpeciali ipſius mandato, ergo in beneficijs gratiæ nec eſt neceſſarium tale mandatum, cæteroqui non eſſet quid ſpeciale in ordine ad reſcripta pro litibus Tertio ex textu *in l. vniuerſi C. de presb. Imperat. off*, vbi dicitur, non referre, à quo fuerint literæ beneficij, ſeù priuilegij impetratæ, dummodo fuerint ab Imperatore conceſſæ. Quarto ratione, quià adeſt poteſtas, & voluntas in conferente, cauſa, & habilitas in eo, intuitu cuius impetratur priuilegium, ſeù gratia, nec ponitur aliqua coactio reſpectu eius, cui cedere debet reſcriptum, cum poſſit libere non acceptare, ergo non eſt, cur non debeat ſubſiſtere tale reſcriptum.

Ratihabitio habetur pro conſenſu.

Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet requiratur, & ſufficiat ratihabitio eiuſdem diſpenſationis, poſtquam fuerit ab alio impetrata, ex eo deducitur, quià ex vno capite gratia non prodeſt, niſi acceptetur, nec poteſt eſſe in inuitum, ex alio ipſa ratihabitio habetur pro conſenſu, & pro acceptatione, ergo eadem poſita non erit, cur vti non poſſit diſpenſatus tali beneficio.

Aduerſus primam partem aſſertionis obeſſe videntur plura iura, & rationes, quę iam diluuntur. Primum deſumitur *ex c. innotuit de elect*, vbi, cum per nuntios fuiſſet petita diſpenſatio ad confirmandam electionem illegitimi, quæ fuerat irrita, fuit denegata. Secundum ex tot *tit. ff., & C. de Procurat.* vbi regulatitèr nemo poteſt agere pro alio ſine eius mandato. Tertio ex textu *in l. illud* § *ſi tale ff. de maior.* vbi decernitur deſiderari ſpeciale mandatum ad reſtitutionem in integrum petendam, & ibi *Baldus* adducit rationem, quià ſcilicet talis reſtitutio in integrum eſt contra ius commune, cum igitur etiam diſpenſationes ſint contra ius commune, vtique exigere habent ſpeciale mandatum. Sed facilè hæc omnia diluuntur, & quidem primum procedit in diuerſis terminis, quandòquidem illi nuntij non fuerunt deſtinati ad petendam diſpen-

Soluuntur iura oppoſita.

Digitized by Google

penſationem, ſed ad confirmationem ſolius irritæ electionis, & ideo, vtpotè non habentes mandatum ad petendum nomine capituli diſpenſationem; fuerunt à Pontifice reiecti; Secundum verò dicendum eſt, valere ſolummodo in reſcriptis iuſtitię, non verò in reſcriptis gratiæ; tertium tandem eſt quid ſpeciale, & non propter rationem aſſignatam à Baldo, ſed propter aliam, quià ibi ſcilicet erat retractandum factum Domini.

Hic alia ſuboritur difficultas, an diſpenſatio impetrata ab altero contrahere volente cum alio ſuper impedimento proſit vtrique, quãvis alter prorſus impedimentum, & diſpenſationem ignoret. Reſpondendum eſt cum diſtinctione, quam adhibent *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 26. n. 6., & ſeqq. Diana part. 8 tract. 3. reſol. 87. verſ. ſed ità diſtinguendum eſt*; vel

2 *Diſpenſatio impetrata ab vno altero ignorante prodeſt vtriq; ſi impedimenta afficiát vtrumque.*

etenim illud impedimentum afficit vtrũque contrahentem, cuiuſmodi eſt conſanguinitas, affinitas &c., & tunc diſpenſatio ab altero impetrata, & acceptata prodeſt etiam alteri ignoranti *Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit de ſponſal. conſ. 14. n. 2. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 3. nu. 6. Sanchez, & Diana locus cit.*, vel afficit vnum tantum, vel vtrumque, ſed ſub diuerſa ratione, cuiuſmodi eſt votum, vel ab vno tantum emiſſum, vel ab vtroque, & tunc neceſſe eſt, vt ille, qui impedimento affectus eſt, vel vterque, ſi vterque ſit impeditus, illam acceptet, quamvis non ſit neceſſe, vt ex vtriuſque conſenſu impetretur *Sanchez, & Diana loc. cit.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià diſpenſatio, licet ſecundum ſe ſumpta ſit odioſa, & ſtrictè interpretanda, extenditur tamen ad cõnexa; eſt autem neceſſario cõnexum, vt, ſi poteſt vnus cum altero contrahere; poſſit & hic cum illo. Ratio ſecundæ partis ex eo habetur, quod diſpenſatio tendit directè in eum, qui afficitur impedimento, & cum impedimentum vtriuſque procedat ex diuerſo principio impetrata diſpenſatio vni nec intelligitur per neceſſariam conſequentiam alteri impetrata, ergo, ſi vnus afficiatur voto caſtitatis, & alter non affectus tali voto impetret diſpenſationem, hæc diſpenſatio illi non proderit, niſi poſt notitiam, & acceptationem, quod idem dicendum eſt reſpectu vtriuſque, quando vterque eſt tali impedimento affectus.

Si vnum tãtum afficiat vel vtrumque, ſed ſub diuerſa ratione eſt ab eo acceptanda, vel ab vtroque

3 *Diſpenſatio etiam ante literarum expeditionem valet in foro interno, non ſic in externo.*

Assertio II. Diſpenſationes in foro interno valent etiam ante literarum expeditionem, non ſic in foro externo. *Gloſa in clem. dudum de ſepulturis; Abbas c. in noſtra n. 11. de reſcript. Molina tom. 3. de iuſt. diſp. 599. n. 1. Sairus de pænit. c. 22. n. 3. in fine, Diana part. 8. tract. 3. reſol. 84.*, & quoad ſecundam partem *Molina loc. cit. Bartolomæus Socinus conſ. 41. nu. 3. vol. 3. Ioannes Præpoſitus in tertiam partem D. Thomæ q. 8. de matrimon. diſpenſ. dub. 7. n. 46.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià tota vis diſpenſationis habetur ex voluntate diſpenſantis ſuppoſita cauſa, & habilitate in diſpenſato, nec in iure aliqua præſcribitur forma ſeruanda in tali diſpenſatione, ergo, vbi conſtiterit de tali voluntate, quantumvis literæ non fuerint expeditæ, non erit ambigendum de validitate talis diſpenſationis, quod etiam confirmari poteſt ex eo, quod habetur *in d. clement. Dudum de ſepulturis.* Hinc non immerito docent *Molina loco cit., & Enriquez lib. 12. de matrimonio c. 3 n. 7. Ochagauia tract. de ſacr. matrimon. diſp. q. 13 n. 1. & ſeqq.*, ſic diſpenſatum in foro conſcientiæ ante literarum expeditionem poſſe vti eadem diſpenſatione.

Ratio ſecundæ partis non conſiſtit in eo, quod ſolum per ſcripturam, & literarum expeditionem poſſit gratia innoteſcere; certum enim eſt, quod poteſt per teſtes conſcios mentis expreſſæ Pontificis probari; ſed in eo, quod habetur *in reg. Cancellariæ* 53. quæ apud Rebuffum in praxi benef. vbi de regulis Cancellariæ *eſt reg.* 56. vbi dicitur diſpenſationem non ſuffragari, niſi literis expeditis; hoc autem ſpectat ad forum externum, prout notat Molina loco citato per ly *ſuffragari*, quod verbum reſpicit forum externum.

Euincitur ex regula cancellariæ

Hic duplex oritur difficultas; prima eſt, an, ſi primo per Pontificem conceſſa fuerit diſpenſatio oretenus, & poſtea ſucceſſu temporis expeditæ fuerint literæ in foro externo, ſolum vim habeat diſpẽſatio à die expeditionis, an verò à die conceſſionis, quatenus ad illum retrotrahatur. Secunda, an, ſi literis non expeditis Pontifex, qui annuerat diſpenſationi, præmoriatur, gratia diſpenſationis expiret.

In ordine ad primam abſolutè aſſero diſpenſationem illam retrotrahi ad punctum conceſſionis *Molina to. 3. de iuſt. diſp. 599. n. 1. Bartolomæus Socinus conſ. 41. nu. 3. vol. 3. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 84.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, ſcilicet diſpenſationem totam vim habere à formali voluntate diſpenſantis, & literæ expeditionis ſolum conferunt ad probationem in foro externo ex regula Cancellariæ, ergo poſitis huiuſmodi literis expeditionis comprobantibus conceſſionem non erit, cur conceſſio non ſit referenda ad diem conceſſionis.

4 Retrotrahitur ad punctum conceſſionis.

In ordine ad ſecundã aſſero, non expirare in foro interno animæ, quamvis in foro externo ſuffragari non poſſet, nec in iudicio, vel extra, niſi per ſucceſſorem fuerint literæ expeditæ. *Molina loc. cit Sairus de pænit. c. 22. n. 3. in fine.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia in foro interno diſpenſatio totam vim habet à voluntate cõ-

5 Morte concedẽtis nõ expirat diſpenſatio ante expeditionem literarum in foro interno.

Digitized by Google

cedentis, per quam in eodem foro perfectè completur; nec ad huiuſmodi valorem in conſcientiæ foro requiritur ſcriptura, cum etiam hæc non requiratur ex natura rei ad donationes, & fauores Principis, nec conſtat requiri ex diſpoſitione iuris.

Pro complemento remanet diſſoluendum dubium, quod excitat *Amicus tomo 5. diſp.6. ſect.1.n.14.*, an ſcilicet ex ſola probabili coniectura de conceſſa diſpenſatione poſſit valide, & licitè moueri quis ad vtendum tali diſpenſatione. Probabilius ſentio, non poſſe, quia cum tali probabili coniectura poteſt ſubeſſe negatio diſpenſationis, vel non conceſſio eiuſdem; vndè vtens poſſet ſubeſſe fraudibus, & erroribus, quibus non eſt præſumendum, quod prudens diſpenſator velit patrocinari: nam quandoq; ſub ſpe obtentæ diſpenſationis multa fierent, quæ non obtenta diſpenſatione non ſubſiſterent, nec poſſent abſque graui ſcandalo reuocari. Accedit, quod non ſit præſumendum, quod voluntas diſpenſatoris eo extendatur, vt velit, quod præſumptus diſpenſatus ex probabili coniectura poſſit vti diſpenſatione; cum autem diſpenſationes totam vim habeant à voluntate diſpenſantis, nec talis voluntas præſumatur in ordine ad exercitium eiuſdem ex ſola probabili coniectura, ideo &c.

6 Ex ſola coniectura conceſſionis non poteſt quis vti eadem conceſſione.

PRÆNOTIO XXV.

Explicantur clauſulæ, quæ apponi ſolent in diſpenſationibus quoad impedimenta matrimonij pro foro interno.

SVMMARIVM.

Nomine magiſtri in Theologia, & Doctoris decretorum veniunt illi ſolum, qui ad doctoralem lauream in huiuſmodi diſciplinis ſunt promoti. 1.

Excluduntur laureati in iure cæſareo. 2.

Item licentiati in Theologia, & iure canonico. 3.

Ex priuilegio poſſunt Sacerdotes noſtræ Congregationis. 4.

Æquum nõ eſt, vt literæ huiuſmodi aperiantur ab alio, qui non ſit huiuſmodi gradibus inſignitus, ſi tamen aperirentur, non fruſtrarentur ſuo effectu, ſed poſſent ab aliquo Doctore in Theologia expediri. 5.

Inſignitus altero ex his gradibus poteſt huiuſmodi literas expedire, quamvis careat doctrina debita tali gradui. 6.

Confeſſor communiter reputatus pro Magiſtro Theologiæ, vel Doctore decretorum, cum tamen talis non ſit, non poteſt exequi literas pænitentiariæ. 7.

Si tamen fuerit inſignitus, ſed occultè priuatus validè expediret. 8.

Confeſſarius approbatus nõ ſimpliciter ab Ordinario, ſed ad certas tantum perſonas probabilius eſt, non poſſe exequi literas ſacræ pænitentiariæ, niſi cum illis perſonis, ad quas eſt approbatus ſaltem directè loquendo. 9.

Non approbatus ad confeſſiones ab ordinario, quantumvis Doctor in altera ex illis artibus, & ſit publico accademiæ teſtimonio approbatus, non poteſt exequi literas ſacræ pænitentiariæ. 10.

Poſt electionem vnius ex habilibus ad exequendam commiſſionem poteſt alius eligi ipſo reiecto etiam inconſulto ſummo Pænitentiario. 11.

Poteſt pænitens nolle acquieſcere vni confeſſario, ſed alterum eligere. 12.

Electo vno ex habilibus, qui nolit diſpenſare, ex eo quod reputet literas ſubreptitias, poteſt alter eligi, qui diſpenſet. 13.

Electus, qui ex aliqua cauſa negauit executionem, non impeditur, quominus mutata voluntate poſſit poſtea exequi. 14.

Approbatus tantum ad maſculos diſpenſando cum eiſdem quaſi indirectè prodeſt etiam fœminis, cum quibus maſculi intendunt contrahere. 15.

Tentationes carnis, vt ſint ſufficiens cauſa diſpenſationis in voto caſtitatis, debent eſſe graues ex obiecto, & tales; vt per conſueta remedia non niſi cum maxima difficultate poſſint ſuperari. 16.

Timor incontinentiæ ex illis tentationibus debet etiam eſſe grauis extenſiue, in duratione, & quomodo. 17.

Periculum frequentis, & iteratæ incontinentiæ eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis ex quocunque titulo procedat. 18

Examen debet ſolummodo peragi cum Oratore non adhibitis teſtibus. 19.

In huiuſmodi examine non exigitur oratoris iuramentum de veritate dicenda. 20.

Quænam in particulari ſint in hoc examine inquirenda. 21.

Commiſſarius non debet acquieſcere dicto oratoris, ſi aliunde conſtet preces veritati non inniti. 22.

Si tamen ſolum nouerit falſitatem ex præcedentibus confeſſionibus non poteſt ipſum dimittere. 23.

Si aliundè notoriè de veritate narratorum conſtet commiſſario poteſt omittere diligentem oratoris examinationem. 24.

Facta diſpenſatione per commiſſarium ſine præuia cognitione, & examine illa non tenet, quamvis preces in ſe vera ſint. 25.

Quænam monita, & conſilia ſint præſtanda per commiſſarium. 26.

Si tamen omittantur non faciunt diſpenſationem irritam. 27.

Clauſula, cum à mutatione propoſiti abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta &c. *eſt conditionata, & refertur ad delictum, ſi fuerit antecedenter commiſſum contra votum. 28.*

Al-

Attento præſenti ſtilo ſacræ pænitentiariæ diſpenſationes non ſunt expediendæ, niſi in ſacramentali confeſſione. 29.

Etiam ſi non apponerentur clauſulæ, quæ nũc apponuntur, probabilius non poſſent expediri extra confeſſionem. 30.

Si expediantur in ſacramentali confeſſione, ſed inualida, tenent. 31.

Excipe in caſu, quo eſſet inualida ex defectu integritatis circa rem diſpenſabilem. 32.

Onus menſtruæ confeſſionis non eſt reſtrictiuũ, ſed arbitrarium commiſſario 33.

In ſuppoſitione menſtruæ confeſſionis ſatisfacit, ſi pro quolibet die cuiuslibet menſis confiteatur. 34.

Si defecerit pro aliquo menſe non tenetur pro alio bis confiteri. 35.

Si teneretur ex alio onere confiteri in menſe per vnam confeſſionem ſatisfaceret vtrique. 36.

Vltra confeſſionem tenetur commiſſarius aliquam aliam pœnam imponere. 37.

Exponuntur opera, in quæ poteſt fieri commutatio. 38.

Diſpenſatus in voto Religionis ob cauſas, quibus ſolum ſubueniri poteſt per matrimoniũ, non poteſt ex vi illius diſpenſationis in ſeculo permanere ſine coniugio. 39

Diſpenſatio abſoluta non reſtringitur ad vnũ tantum actum, niſi exprimatur, puta ad vnum matrimonium, ſed eo diſſoluto inſeruire poteſt ad alia. 40.

Etiam ſi petita fuerit ad contrahendum cum determinata perſona. 41.

Diſpenſatio, ſi expreſſè fuerit ad vnicum tantum actum puta matrimonium prodeſt quoad alterum, ſi primum fuerit inualidum, vel ſi validũ ante conſummationem fuerit diſſolutum legitime. 42.

Limita, niſi primum matrimonium inualidum fuerit ſcienter contractum. 43.

Item in caſu, quo diſpenſatio conceſſa eſſet ex cauſa non ſe tenente ex parte eius, qui indiget diſpenſatione, ſed ex parte alterius. 44.

Impetrata diſpenſatione pro foro interno, ſi Ordinarius, vel Parochus nouerit impedimentum, & diſpenſationem nullo opponente poteſt diſpenſatum coniungere matrimonio, aliquo vero opponente tenetur dimittere, donec impetretur diſpenſatio pro foro externo. 45.

Diſpenſatus pro foro tantum interno interrogatus à Iudice de impedimento non tenetur fateri. 46.

Conſcij impedimenti, & diſpenſationis in foro interno interrogati à Iudice non tenentur illud manifeſtare. 47.

Impedimentum occultum illud eſt, quod non eſt notorium, publicum, vel famoſum, quamvis ab aliquibus ſciatur. 48.

Non ſufficit notorietas facti materialiter, ſed requiritur formaliter, & quomodo. 49.

Res dicitur ſufficienter notoria ad effectum, vt nequeat ſuper illa diſpenſari, ſi pluribus innotuerit, & deinde ex dicto ipſorum innotuerit maiori parti viciniæ. 50.

Res dicitur notoria, quando deducta eſt ad forum contentioſum. 51.

Quandenam dicatur res deducta ad forum contentioſum. 52.

Deducto impedimento ad forum contentioſum poteſt in foro interno impeditus diſpenſari ex vi commiſſionis, ſi finito iudicio ab illo fuerit liberatus. 53.

Etiam ſi fuerit liberatus medijs deprauatis. 54.

Diſpenſatio ad ineundum matrimonium cum impedimento affinitatis occultæ, quando nondum initum, eſt legitimando prolem exinde ſuſcipiendam habilitat tantum eandem in foro interno. 55.

Limita in caſu pro foro externo, quo alter ex contrahentibus eſſet prorſus ignarus impedimenti. 56.

Illa clauſula, cum ipſis lateribus certioratis &c *importat conditionem, & formã, non tamen rigoroſam.* 57.

Reualidato matrimonio per diſpenſationem in foro interno proles eſt tantum legitima in eodem foro. 58.

Quomodo experimentum, quod imponitur in literis, ſit faciendum, & quando poſſit omitti. 59.

Finis potiſſimum dilacerationis, & ne reſtituantur latori, eſt, ne delicta detegãtur. 60.

Etiam ſi literæ reſtituantur, ſi poſtea reuocentur, & lacerentur non redditur irrita diſpenſatio. 61.

Etiam non irritatur diſpenſatio; ſi literæ maneant penes latorem. 62.

Maior pænitentiarius, nec per viam compoſitionis poteſt aliquid exigere, nec ſponte oblatum accipere. 63.

Non eſt reus culpæ commiſſarius, qui aliquid acciperet ſpontè oblatum ex conſuetudine. 64.

Nequit aliquid accipere tanquam pretium laboris impenſi in expeditione literarum. 65.

Vetantur per hanc clauſulam etiam eſculenta, & poculenta. 66.

Impetrata diſpenſatione in dataria pro vtroque foro reticita qualitate diſpenſabili per ſacram pænitentiariam non poteſt aliquid pro hac exigi, ſi ab ipſa impetretur diſpenſatio pro foro interno. 67.

HVIuſmodi clauſulæ, aliæ reſpiciunt qualitatem perſonæ, ad quam diriguntur literæ commiſſionis ad diſpenſandum; aliæ reſpiciunt cauſas, ob quas petitur diſpenſatio, aliæ formam examinis, quam obſeruare debet commiſſarius; aliæ conditiones, quas apponit diſpenſans, ſeu committens diſpenſationem; aliæ opera, quæ ſunt iniungenda, aliæ liberam conceſſionem, & gratuitam, quæ omnes clau-

ſulæ

ſulæ comprehenduntur in formulis diſpenſationum, ſeu commiſſionum, quæ ſolent ex Romana Pænitentiaria expediri, quas de verbo ad verbum refert *Sanchez lib 8. de matrimonio diſp 34 à n.1 ad quartum incluſiue*, tam in ordine ad votum Religionis, quam in ordine ad votum caſtitatis, tam in ordine ad affinitatem ex copula fornicaria occulta, ſiue in ordine ad contrahendum matrimonium, ſiue in ordine ad iam contractum, & eaſdem vos ipſi apud eundem inſpicite.

CLAVSVLA I.

Expediuntur ea omnia, quæ pertinent ad eum, cui commiſſiones expediuntur.

IN principio formulæ commiſſionum ſolent hæc verba apponi, *Diſcreto viro confeſſori Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario.* Circa hanc clauſulam multi inſurgunt articuli examinandi. Primus eſt, Quinam veniant Magiſtri in Theologia nomine, & quinam nomine Doctoris decretorum, & quinam à tali prærogatiua excludantur, ne poſſint exequi huiuſmodi commiſſiones. Secundus, an ſolus confeſſor Magiſter in Theologia, vel decretorum Doctor poſſit literas Sacræ Pænitentiariæ aperire, & exequi, an vero alij etiam ab ipſo poſſint aperire, licet non exequi, &, an ſi ab alio aperiantur ſuo effectu fruſtrentur. Tertius eſt, an Doctor in Theologia, ſeu inſignitus tali gradu in aliqua publica accademia, quantumuis careat doctrina debita tali gradui, ſeu ſit indoctus, poſſit munus commiſſum validè, & licitè exequi, dummodo ſit confeſſor approbatus ab Ordinario. Quartus, an communi errore reputatus Doctor in iure canonico, vel magiſter in Theologia, quamuis re vera tali gradu non ſit inſignitus, ſi executus fuerit huiuſmodi literas cõmiſſionis, validè fuerit executus. Quintus quoad aliam qualitatem requiſitam à ſacra pœnitentiaria ad hoc munus exequendum, ſcilicet, vt ſit confeſſor ab ordinario approbatus, eſt, an ſi verè fuerit ab eodem Ordinario approbatus, ſed limitatè, ſcilicet tantum quoad maſculos, non quoad fœminas, & hoc non defectu proportionatæ ſcientiæ, ſed ratione ætatis iuuenilis poſſit exequi huiuſmodi literas in forma breuis ſacræ pænitentiariæ ad fauorem mulieris obtentas. Sextus, an ſi ſemel fuerit approbatus, ſed occultè fuerit reuocata licentia audiendi ſacras confeſſiones, ita tamen, vt permaneat error communis, poſſit validè exequi huiuſmodi literas. Septimus, an ſi fuerit publico alicuius accademiæ teſtimonio approbatus, licet non ab ordinario poſſit validè hoc munus exequi. Octauus, an confeſſor cum qualitatibus à ſacra pænitentiaria requiſitis ſemel electus virtute literarum diſpẽſationis poſſit vigore eiuſdem Bullæ inconſulto maiori pænitentiario variari.

Exponuntur omnes articuli circa qualitates cõmiſſarij.

ASSERTIO I. Nomine magiſtri in Theologia, & Doctoris decretorum, prout requiritur in forma breuis ſacræ pænitentiariæ, veniunt illi dumtaxat, qui ad eum Doctoris, vel magiſtri gradum ſunt prouecti; vbi tamen nota quod per ly *Magiſtri gradum*, non intelligantur venire illi, qui in aliqua accademia, vel vniuerſitate docent, quamuis hi vulgato nomine dicantur Magiſtri, ſed illi ſolum, qui ad Doctoralem Lauream in Theologia ſunt promoti, & ſic quoad hunc effectum idem ſonat Magiſter in Theologia, ac Doctor, & hoc prouenit ex eo, quod ſic promoti in aliqua vniuerſitate dicantur Doctores, in alia magiſtri. Aſſertionem communiter admittunt DD. & inter cæteros *Sanchez de matrimon. lib.8 diſp.34. n. 7. Diana part.8. tract 3. reſol 103.*

1 Quinam veniant nomine Magiſtri in Theologia, & Doctoris canonum.

Rationes plures huius aſſerti tradit *Sanchez loc. cit.*, & primo, quia propriè nomine Doctoris decretorum, & Magiſtri in Theologia veniunt ſolummodo inſigniti his gradibus, cum alij docentes nonniſi impropriè dicantur tales, & potius præſumendus eſt, quod ſummus Pænitentiarius ad illos reſpexerit, quia publicum accademiæ teſtimonium ſuæ peritiæ habent, quã ad alios, qui illud non habent. Secundo, quia, ſi Summus Pænitentiarius voluiſſet omnes publicè docentes comprehendere appellaſſet in vtraque facultate Magiſtros; cum autem diſtinxerit, videtur reſpexiſſe ad hos gradus, qui in rigore conſtituunt Doctorem, & laureatum. Tertio, quod, ſicuti Pontifex in commiſſionibus pertinentibus ad forum externum eas non expedit, niſi perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ita æquum eſt, vt Summus Pænitentiarius nonniſi in his gradibus Doctoratus conſtitutis ſacræ pænitentiariæ literas expediat pro foro interno.

Rationes aſſerti aſſeruntur.

Fateor me huic aſſertioni aſſentiri præciſè propter communem auctoritatem, & quia verba in forma breuis ſacræ pænitentiariæ hoc expreſſius important. Cæterum non viderem, cur docentes publicè in aliqua accademia alteram ex prædictis facultatibus non poſſent comprehendi ſub illo iure exequendi huiuſmodi commiſſiones, cum ipſi potiſſimum polleant ſupra cæteros qualitate peritiæ potiſſimũ intentæ à Summo pænitentiario.

Adhærendum propter communem auctoritatem.

Inhærendo igitur communi auctoritati excludendi ſunt primo ab hoc munere Doctores in iure Cæſareo præciſè; quia iſti non pollent notitia iuris canonici, iuxta quod dirigendæ ſunt huiuſmodi diſpenſationes. Secundo licentiati præciſè in hu-

2 Non veniunt laureati in iure Cæſareo.

Digitized by Google

huiuſmodi facultatibus, qui quamuis in fauorabilibus comprehendatur ſub Doctorum nomine, quoad præſentem tamen effectum comprehendi non poterit, quandoquidem reſpicitur in tali deputatione

3 Nec licentiati in iure canonico, & Theologię.

ſpecialis dignitas, quæ eſt in Doctorato; quæ autem ratione dignitatis Doctoribus conceduntur, non extenduntur ad licentiatos in huiuſmodi facultatibus, *Ripa l. centurio n 18 ff. de vulgar. Romanus conſ. 333. n.8 & 10. Baldus in l Atleta ff. de ſucceſſ. tut., & l. penult. n. vnico ff de teſtam. milit.*

Hæc, quæ hactenus diximus ſub hac aſſertione, procedunt attento iure ſecundum ſe; ex priuilegio etenim à ſummis Pontificibus conceſſo Regularibus, & præcipuè à *Gregorio XIII.* Societati Ieſu, quod incipit *exponi nobis nuper feciſti ſub die 3. Aprilis* 1582. *Pontificatus ſui anno* 10.

4 Ex priuilegio poſſunt etiam Regulares, & quomodo.

poſſunt confeſſarij eiuſdem ſocietatis, & noſtræ etiam Congregationis, qui cum eiſdem communicant, expoſiti ad audiendas ſæcularium confeſſiones, licet nullo literarum gradu ſint inſigniti cum licentia Præpoſiti Generalis, vel eorum, qui ab eodem deſignati ſunt, literas ſacræ pęnitentiariæ Magiſtris in Theologia, vel in iure canonico Doctoribus deſtinatas aperire, & auditis confeſſionibus ad eos recurrentium, impoſitaque pænitentia in literis expreſſa, vel de iure imponenda, ac in foro conſcientiæ quaſcunque, ſiue verbo, ſiuè ſcripto miſſas, abſolutiones, diſpenſationes, ac pænitentiarum iniunctiones excipere, & exequi, vt habetur *in compendio eiuſdem ſocietatis, & in compendio minorum titulo confeſſiones, & confeſſores in annotat Capucini, & in compendio Sancti Hieronymi Hiſpaniæ tit. Confeſſor* §. 2. *Emanuel Rodericus in ſua collect. priuilegiorum Bulla 23. ſub Gregorio XIV.*

5 Si aperirentur ab alio, quam à Doctore, nõ fruſtrarentur ſuo effectu.

Assertio II. Æquum non eſt, vt alius confeſſor à Magiſtro in Theologia, & à Doctore in iure canonico literas ſacrę pænitentiariæ aperiat, ſi tamen aperiat, non fruſtrantur ſuo effectu, ſed poſſunt exequi ab alio magiſtro in Theologia, vel Doctore in iure canonico *Sanchez de matrim lib 8 diſp 34 num. 12. Salas de Legibus diſp. 20. ſect. 10.* §. 3. *n 97. Diana part. 8. tract. 3. reſol.* 103.

Ratio primæ partis eſt, quià huiuſmodi literæ non diriguntur ad ipſum, cum ipſe, nec ſit Magiſter in Theologia, nec Doctor in iure canonico, ergò aperiendo peccat contra mentem dirigentis, & ex obiecto ipſo, cum literas ad ſe non directas aperire peccaminoſum ſit.

Attenditur qualitas executoris.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià ſummus Pænitentiarius in ea commiſſione reſpexit huiuſmodi qualitates in executore huiuſmodi commiſſionis, quandòquidem ad eum ſpectat examinare veritatem narratorum, commutare in alia opera pia, nec irritauit commiſſionem ex eo, quod ab alio fuerit literæ apertæ, ergò, dummodò fiat executio per habentem qualitates præſcriptas ab eodem ſummo Pænitentiario, non erit, cur huiuſmodi literæ debeant ſuo effectu fruſtrari, non etenim ſuam vim omittunt ex eo, quod fuerint per alium adapertæ.

6 Inſignitus altero ex his gradibus poteſt expedire, quantumuis careat doctrina debita tali gradui.

Assertio III. Si inſignitus doctoratu in Theologia, vel in iure canonico, & ab Ordinario approbatus ad confeſſiones caruerit doctrina debita tali gradui, adhuc nihilominus poteſt valide, & licitè aperire literas ſacræ penitentiarię, eaſque ſeruata forma commiſſionis exequi, *Petrus de Ledeſma in ſumma ſacrament. vbi de pænitentia c. 13. poſt primam concluſionem dub. vlt. Manuel in bulla Cruciata* §. 9. *num.* 4. *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. n. 10., & 17.*

Ratio ex eo deducitur, quià in eodem ſunt omnes qualitates, & prærogatiuæ à iure, ſeù à voluntate committentis ad expeditionem talium literarum requiſitæ, ergò nõ eſt, cur quantumvis deficiat à peritia tali gradui debita, non poſſit illas literas ad normam ipſarum exequi, quià ſtantibus qualitatibus à voluntate cõmittentis præſcriptis habetur quidquid requiritur ad validam executionem commiſſionis, nec officere poteſt defectus debitæ ſcientiæ, & petitiæ, quandòquidem ſtante approbatione defectus illius non officit iuriſdictioni. Confirmatur primo, quià, ſi indoctus fuerit approbatus ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones, habet veram, & legitimam iuriſdictionem ad abſoluendos pænitentes à peccatis, ergò etiam, ſi indoctus fuerit laurea doctorali inſignitus, vel in ſacra Theologia, vel in iure canonico, & ſimul ab ordinario approbatus ad audiendas confeſſiones non erit, cur valide non poſſit exequi commiſſiones confeſſori, vel magiſtro in Theologia, vel Doctori decretorum deſtinatas. Confirmatur ſecundò, quià potuit, & poteſt Summus Pænitentiarius committere huiuſmodi diſpenſationes etiam viro indocto, dummodò, vel ſit in dignitate conſtitutus, vel aliqua alia prærogatiua affectus, ergò etiam, ſi commiſerit Magiſtro in Theologia, vel Doctori canonum, qui tamen ſit indoctus, non erit, cur, ſi fuerit Doctor in altera ex his facultatibus, non poſſit hic exequi commiſſionem.

Euincitur paritate approbati ad confeſſiones.

7 Nõ poteſt, ſi non fuerit inſignitus illis gradibus, quamuis communiter reputetur talis.

Assertio IV. Communi errore reputatus Magiſter in Theologia, vel Doctor canonum, qui tamen re vera non ſit tali prærogatiua inſignitus, immò etiam, ſi verè ſit Doctor in altera ex illis facultatibus, ſed non approbatus ab ordinario ad confeſſiones excipiendas, quamvis communi errore reputetur approbatus, non poteſt exequi literas commiſſionis in for-

Digitized by Google

mam breuis à ſacra pænitentiaria confeſsori Magiſtro in ſacra Theologia, vel Doctori canonum deſtinatas. Ita expreſsè ſuſtinet *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 34. *num.* 10.

Ratio ex eo deducitur, quià quamvis in ijs, quæ pertinent ad iuriſdictionem, error communis faciat ius, & titulus coloratus conferat poteſtatem Republica, ſeù Eccleſia ſupplente defectum veri, & realis tituli per textum *in l. Barbarius ff. de offic. prætor.* requiritur tamen, vt talis titulus ſit collatus à legitimo ſuperiore, quamuis ſit inualidus ob aliquod aliud vitium latens *Gloſa finalis in c. nihil de elect. Speculator tit. de inſtrumentorum edit. §. reſtat nu.* 31. *ArchiDiaconus c. alienationes paulo poſt principium* 12. *quæſt* 2. *Innocentius c. qualitèr in fin. de elect., & alij innumeri*, quos citat, & ſequitur *Sanchez de matrimon. lib.* 3. *c.* 22. *n.* 49., quod colligit, tum *ex c. infamis verſ. veruntamen* 3. *q.* 7., tum *ex d. l. Barbarius, ff. de offic. Prætor*, ergò, cum ille non acceperit verum titulum laureæ à legitimo ſuperiore, cum re vera laureatus non ſit, vel approbationem, ſeù iuriſdictionem ab ordinario ad recipiendas confeſſiones, cum verè non fuerit approbatus, non poterit ex errore communi acquirere ius ad exequenda ea, ad quæ requiritur talis laurea, vel approbatio.

Requiritur, vt titulus ſit collatus à legitimo ſuperiore.

8 Si tamen fuerit inſignitus laurea, ſed poſtea priuatus, & priuatio ignoretur valide expedit.

Ex quibus tamen inferes, quod, ſi re vera ille fuerit inſignitus tali prærogatiua Doctoratus, ſed poſteà priuatus talibus inſignibus, vel ſuſpenſus occultè, adeò vt communitèr talis priuatio, vel ſuſpenſio ignoretur; vel verè fuerit ab ordinario approbatus, ſed poſtea, vel ex delicto occulto, vel ex excommunicatione occulta reuocatus, vel ſuſpenſus, dummodò tamen communitèr ignoretur reuocatio, tunc re vera, ſi exequatur literas ſacræ pænitentiariæ, validè exequatur, & in hoc habeat locum, quod error communis faciat ius, & inducat titulum coloratum, prout habetur *in d. l. Barbarius, ff. de offic. prætor.*

9 Poteſt tantum in ordine ad perſonas, ad quas eſt approbatus.

Assertio V. Probabilius eſt, Confeſſarium approbatum non ſimplicitèr ab ordinario in ordine ad quaſcunque perſonas indiferentèr, ſed limitatè ad certas perſonas, puta maſculos tantum priuatiuè quoad fæminas, & quidem non ob defectum ſcientiæ, ſed ratione iuuenilis ætatis non poſſe exequi literas maioris pænitentiarij, niſi in fauorem earum perſonarum, ad quarum confeſſiones audiendas admiſſus fuit ab ordinario ſaltem directè loquendo. *Emanuel* 1. *tom. ſumma in* 2. *edit. c.* 60. *concl.* 4. *Petrus de Ledeſma in ſumma ſacrament. de pænit. c.* 13 *poſt* 1. *concl. dub.* 7. *Suarez tom.* 4. *de pænit. diſp.* 27. *ſect.* 7. *nu.* 5. *Diana part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 103. *verſ. his tamen non obſtantibus*, aduerſus *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 34 *n.* 16. *Perez de matrimon. diſp.* 48. *ſect.* 5. *n.* 5. *Portellum in dub. Regul. verb. confeſſor aperiens literas Papæ num.* 5.

Ceſſat difficultas, quandò diſpenſatio expedienda eſt in actual confeſſione.

Hæc aſſertio vix habere poſse videtur difficultatem in eorum ſententia, qui aſſerunt, huiuſmodi executiones, ſeù diſpenſationes exequi non poſſe, niſi in ſacramentali confeſſione; cum etenim tunc non poſſet fæminas ad ſacramentalem confeſſionem coram ſe admittere, cum pro illis non ſit approbatus, vtique nec poterit directè cum illis exequi commiſſiones. Nihilominus hac etiam præciſa opinione vniuerſim procedendo.

In ordine ad illas perſonas non eſt approbatus.

Probatur primo aſſertio, quià in ordine ad ſubiectum, in cuius fauorem dirigitur commiſſio diſpenſationis, ſeù cum quo facienda eſt diſpenſatio, commiſſarius ille non poteſt dici, nec eſt approbatus ab ordinario, quin potius reprobatus, ergò non habet conditiones ex ſtilo ſacræ pænitentiariæ requiſitas ad exequendas huiuſmodi commiſſiones in ordine ad tale ſubiectum, nempe in ordine ad fæminas. Conſequentia probatur, quià conditiones ex ſtilo ſacræ pænitentiariæ requiſitæ in commiſſario ad exequendas huiuſmodi diſpenſationes, & præcipuè approbatio ordinarij ad ſacras confeſſiones audiendas ſunt relatiuæ ad perſonas, quas poſſunt abſoluere, & in ordine ad quas habent iuriſdictionem, ergò in ordine ad perſonas, ad quas defectu approbationis, & iuriſdictionis non referantur, non poſſunt eſſe aptæ ad tale munus commiſſionis exequendum.

Et in ordine ad illas deficit iuriſdictio.

Dices primo: Ille confeſſarius verè eſt inſignitus laurea doctorali, vel in ſacra Theologia, vel in iure canonico, & verè dicitur ex approbatis ab ordinario, ergò non erit, cur verè non poſſit exequi huiuſmodi commiſſiones etiam in ordine ad fæminas. Sed contrà; quià, cum ſacra pænitentiaria exigat approbationem ordinarij tanquàm conditionem ad tale munus requiſitam, exigit ex vi illius approbationis iuriſdictionem in ordine ad eam perſonam, in cuius fauorem dirigitur commiſſio diſpenſationis, vndè, ſi illa non ſit, perindè eſt in ordine ad illam perſonam, ac ſi non eſſet approbatio; vndè meritò dicit *Diana d. reſol.* 103 *verſ. ad rationes in contrarium*, quod illa particula, *ex approbatis*, non verificetur in dicto confeſſore, quià intelligitur de confeſſoribus ſimplicitèr, & non limitatè approbatis, nam propoſitiones ſimpliciter conceptæ excludunt limitationes, & conditiones. Ita ille.

Dices ſecundo ex *Sanchez loc. cit.* In literis huiuſmodi commiſſionum, dum exigitur in eo, qui eas debet expedire, approbatio

batio Ordinarij cum laurea doctoratus principalitèr ſpectatur ſcientia, & peritia ad earum expeditionem ex teſtimonio accademiæ, & ordinarij approbantis, ſed hæc ex vtriuſque teſtimonio, & iudicio habetur, dum ab vtroque eſt approbatus, & reſtrictio quoad fœminas non eſt ex defectu ſcientiæ, ſed ætatis congruæ, qui defectus non poteſt conferre ad ea, quæ requiri poſſunt ad talem executionem, ergò &c. Sed contra, quià quantumuis ſpecialitèr, & principalitèr ſpectetur ſcientia, & peritia in eo, qui debet exequi commiſſionem, hæc tamen non conſideratur quomodocunque, & in quocunque ſubiecto, cæteroqui omnes docentes Theologiam, & interpretantes publicè canones poſſent hoc munus exequi, quod ſuprà confutatum fuit, ſed vt exiſtens in determinato ſubiecto affecto illis prærogatiuis doctoratus, & approbationis ordinarij ad confeſſiones, quarum altera propterea deficiente, ſcientia, quæ in ſubiecto illo ineſt, non poteſt ad hunc effectum prodeſſe.

Non ſufficit peritia quomodocumque, ſed requiritur in approbato.

Probatur ſecundo, quià Maior Pænitentiarius in huiuſmodi commiſſionibus non auget poteſtatem confeſſarij, nec ipſum magis habilitat, ac habilitarit Ordinarius ipſum approbando, ſed requiri ſimplicitèr approbationem ordinarij, ergò, ſicuti ille fuit ab ordinario excluſus ab audiendis confeſſionibus mulierum, ita intelligitur excluſus ab eodem Maiori pænitentiario ab executione huiuſmodi commiſſionum, cum hoc munus ſit alligatum approbationi eiuſdem ordinarij.

Pœnitentiarius ſequitur approbationem ordinarij.

Probatur tertio, quia ſummus Pænitentiarius exigens in commiſſario approbationem Ordinarij ad confeſſiones audiendas vtique exigit in eodem commiſſario iuriſdictionem communicatam per ordinem ad perſonas, quarum poteſt audire confeſſiones, cæteroqui approbatus ab alio ordinario perſonæ diſpenſandæ, ſi fuerit Doctor in Theologia, vel in iure canonico poſſet exequi huiuſmodi commiſſiones in ordine ad perſonas diuerſæ Diœceſis, & ſub poteſtate alterius ordinarij, & ſic confeſſarius Laudenſis à ſuo ordinario approbatus poſſet exequi hoc munus in ordine ad ſubditum ordinarij Mediolanenſis, quod non eſt dicendum, ſed confeſſarius dumtaxat approbatus ad confeſſiones maſculorum priuatiuè quoad mulieres in ordine ad eaſdem nullam habet iuriſdictionem, quandoquidem iuriſdictio dependet à voluntate ordinarij approbantis, qui, ſicuti poteſt approbare, & non approbare abſolutè, & ſic ſimpliciter cõferre iuriſdictionem, & non conferre, ita poteſt approbare quoad certas perſonas, & non quoad alias, & conferre iuriſdictionem quoad illas, & non quoad iſtas, ergo &c.

Deficit iuriſdictio interna à delegante.

Assertio VI. Siquis magiſter in Theologia, vel Doctor decretorum fuerit publico alicuius Accademiæ teſtimonio approbatus, ſed non ab Epiſcopo ad confeſſiones, non poteſt munus huiuſmodi commiſſionum ſacræ pœnitentiariæ exequi. Ita contra nonnullos, quos refert, tenet expreſsè *Henriquez lib 6. de pœnitentia c 6. n.2. Sanchez de matrimon lib.8 diſp. 34. n.15.* 10

Non ſufficit approbatio accademiæ, ſed requiritur Ordinarij.

Ratio pro præſenti caſu ex eo deducitur, quia ſtilus ſacræ pœnitentiariæ vltra teſtimonium approbationis Accademiæ, quod per gradum Doctoratus, vel magiſterij datur, exigit etiam approbationem ordinarij ad ſacras confeſſiones audiendas; ergo hac deficiente tanquam qualitate requiſita non poterit Doctor ille exequi huiuſmodi commiſſiones. Confirmatur, quia approbatio ad eum ſpectet, ad quem ſpectat conferre iuriſdictionem, ſed ad Epiſcopum ſolum ſpectat conferre iuriſdictionem, & non ad Accademiam, ergo ad illum ſolum ſpectat approbare quantum ad hunc effectum, non ad Accademiam, ergo quantumuis publico Accademiæ teſtimonio approbatus non poterit exequi commiſſiones, ſicuti non poteſt audire confeſſiones. 11

Ad Epiſcopum ſpectat conferre iuriſdictionem.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod iuriſdictio non conferatur ab Epiſcopo approbante, ſed immediatè proueniat à Pontifice ſuppoſita approbatione, per quã ſolum cognoſcitur idoneitas ſubiecti quoad congruam ſcientiam, & peritiam, quæ idoneitas ſufficientèr haberi poteſt etiam per publicum alicuius Accademiæ teſtimonium; congruenter ad quam doctrinam docent aliqui, quod Magiſter in Theologia non poſſit ad examen cõpelli, vt admittatur ad ſacras confeſſiones audiendas, cum aliunde ex publico Magiſterio eiuſdem ſcientia, & peritia appareat. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis, qui aſſerunt iuriſdictionem ad audiẽdas confeſſiones immediatè deriuari à Romano Pontifice ſuppoſita approbatione, hoc non dicunt abſolutè de omnibus, ſed dumtaxat de Regularibus, quia hi immediatè ſubduntur poteſtati, & dominio Pontificis, non ordinariorum, qui propterea ſolummodo dependent ab eiſdem ordinarijs quoad examen, & approbationem, non quoad iuriſdictionem acquirẽdam. Deinde non ita certum eſt, quod nõ poſſint compelli ad examen publici ſacræ Theologiæ profeſſores, & Magiſtri, ſed tantum eſt certum, quod poſſit Epiſcopus ex proprio arbitrio, attenta notoria idoneitate examen quoad illos omittere, & ſine examine approbare. Tandem dato etiam, quod immediatè iuriſdictio proueniret à Romano Pontifice, non tamen hæc confertur, niſi attenta approbatione

Regulares probabilius recipiunt iuriſdictionem à Rom. Põtifice.

Ordinarij tanquam condirione, & hæc approbatio non ad quemcunque refertur ex diſpoſitione iuris, & Pontificis, ſed ad ad ſolum Epiſcopum; Cum igitur in præſenti hypotheſi dicatur in diplomate ſpeciatim *confeſſori ex approbatis ab ordinario*, alia approbatio ab ipſo non eſt attendenda.

11 Electo vno ex approbatis, eoq; relicto poteſt probabilius alius eligi.

Assertio VII. Probabilius eſt, quod electo ſemel confeſſario virtute literarum diſpenſationis poſſit vigore eiuſdem bullæ eodem confeſſario relicto inconſulto etiam maiori pænitentiario alius ſimilibus qualitatibus à iure requiſitis affectus eligi, qui munus commiſſionis exequatur *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 27. n. 40. Perez de matrimonio diſp. 48. ſect. 5. n 7. Lezana in ſumma qq. Regul. tom. 4. verb. litter a Apoſtolica n. 19. Diana part 8. tract. 2. reſol, 104. in fin., & in ſimilibus Suarez tom. 4. in 3. part. vbi de ſacramento pænitentia diſp. 27. ſect. 4. dub. 2. n 7.* contra *Nauarrum lib. 2. conſil. in ſecunda edit. tit. de offic. deleg. conſ. 8. num. 1. Patrem Leone in praxi pænitent. part. 1. fol. 22. Praxim Neapolitanam c. 22. de diſpenſationibus matrimonialibus.*

Ratio deducitur primo argumento negatiuo excludente rationem oppoſitæ opinionis hoc pacto. In tantum aſſerunt aduerſarij, quod electus ſemel confeſſarius non poſſit ex vi bullæ inconſulto maiori pænitentiario variari, in quantum ex vi illius diplomatis vna tantum electio conceditur, & non ſpectat ad eum, in cuius fauorem conceſſa eſt ab vno ad alterum prorogare, cum iuriſdictio delegata ſit iuriſdictio delegantis *l. 1. § qui mandatum ff. de offic. eius cui eſt mand. iuriſd.* ſed hæc ratio nihil prorſus euincit; primo, quia maior pænitentiarius non potius eligit, & determinat vnam perſonam, quam alteram, ſed ſolum exigit perſonam illis qualitatibus, de quibus ſupra, affectam, & indiferens eſt, vt vel ab vna, vel ab altera exequatur, ergo, quantum eſt ex voluntate eiuſdem maioris Pænitentiarij committentis, cum non exigatur potius vnus, quam alter, non redderetur irrita executio commiſſionis, quantumvis fiat ab altero habente ſimiles qualitates à prius electo; Neque dicas, quod, quamvis maior pænitentiarius non potius eligat per ſe vnam potius perſonam, quam alteram; eligat tamen per ipſum indigentem diſpenſatione, &, ſicuti, ſi ipſe pænitentiarius per ſe ipſum eligeret determinatam perſonam ad diſpenſandum, ipſe indigens diſpenſatione non poſſet ommiſſa tali perſona electa aliam eligere, ita, ſi ipſe indigens diſpenſatione voluntatem committentis diſpenſationem adimpleuerit vnam perſonam ad hoc munus eligendo non poterit ea omiſſa aliam ad hoc ipſum munus eligere, quandoquidem perſona electa prius perindè ſe habet, ac ſi eſſet electa ab ipſo committente; contra enim impugnaberis quia, quantumvis perſona indigens diſpenſatione ius ſolummodo habeat eligendi à voluntate committentis, & eligendo eligat quodamodo nomine, & in virtute eiuſdem committentis, quia tamen ipſe committens commiſit ſub indifferentia, & nó reſtrictiuè potius ad vnam perſonam, quam ad alteram, & quidem ad effectum, vt munus iniunctum exequatur, videtur quodamodo libera perſona indigens diſpenſatione, quouſque eadem diſpenſatio non fuerit completa ad eligendum quemcunque voluerit, nec electio vnius ante complementum muneris iniuncti demit poteſtatem in altero habente ſimiles qualitetes ad implementum talis muneris, ſi eligatur, quandoquidem prior electio non eſt neceſſaria, ſed omninò voluntaria, & in ijs, quæ ſe tenent in foro conſcientiæ, vt in ſequenti probatione videbimus, quando voluntaria ſunt ante complementum operis poſita adhuc vna electione ſtat libertas in eligente ad alteram; nec currit paritas, quando maior pænitentiarius ex ſe eligit vnam determinatam perſonam, ac quando eligit illam perſona indigens diſpenſatione; Non valet, inquam, quia, quando ipſe eligit, reſtringit ſuam voluntatem ad illam determinatam perſonam, quando vero eligit indigens diſpenſatione non limitat voluntatem diſpenſantis, cum ipſe conceſſerit ſub indifferentia, nec potius vni, quam alteri. Secundo probatur, quod aſſerta aduerſantium ratio nihil euincat. Demus quod perſona indigens diſpenſatione vnũ confeſſorem idoneum elegerit, qui acceptata electione ante complementum operis renuat exequi commiſſionem; tunc certè indigens diſpenſatione poteſt alium idoneum eligere, qui illam exequatur; ius etenim habet, vt conſequatur effectum commiſſionis, ergo ex electione vnius nó amittit ius, quin alterum poſſit eligere ad executionem; nec commiſſio fruſtratur ex eo, quod per prius electum non adimpleatur, ſed per alterum æquè idoneum. Tertiò idem euincitur, quia maior pænitentiarius committens ſub illa indifferentia diſpenſationem reſpicit principalitèr, & vltimato actum conſummatum, ad quem dirigitur illa commiſſio, & perſonas, quibus committit executionem, ſolum tanquam inſtrumenta ad talem actũ conſummatum, ergo dummodo ponatur vnicus tantum actus conſummatus quantum ad mentem committentis parum referre poteſt, quod, vel per vnum, vel per alterum inſtrumentum, vel vno electo, & poſtea reiecto per alterum conſummetur, quia mens committentis potius

Delegans committit ſub indiferentia, & non reſtrictiuè ad vnam perſonam.

Maior pænitentiarius reſpicit vltimato actũ conſũmatum.

tius

Digitized by Google

tius attendenda eſt in ordine ad vltimatum finem, quam ad media.

12 Poteſt pænitens non acquieſcere vni confeſſario, ſed alterum eligere.

Ratio deducitur ſecundo argumento poſitiuo, quià eo ipſo, quod maior pænitentiarius committit ſolummodo confeſſori approbato ab ordinario, & pro foro ſolummodo interno diſpenſationem, intelligitur committere ad formam, & naturam confeſſionis ſacramentalis, ſed quoad confeſſionem ſacramentalem poteſt pænitens nolle acquieſcere vni determinato confeſſario, ſed poteſt eo electo, & omiſſo alteri ſe ſubijcere, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam indigens diſpenſatione vno etiam electo poteſt nolle eius iudicio acquieſcere, & alium eligere, vt ab eodem diſpenſetur.

13 Renuente vno exequi ob dubium ſubreptionis poteſt alter eligi, qui diſpenſet.

Ex dictis collige primo, quod, ſi indigens diſpenſatione vnum iuxta formam reſcripti elegerit, qui noluerit illud munus exequi ſub aſſerto, quod ſubreptitiæ ſint literæ commiſſionis, poſſit alterum eligere, qui ſecum diſpenſet. Ratio ex eo deſumitur, quià, ſicuti in confeſſione non tenetur acquieſcere potius indicio vnius confeſſarij, quam alterius, ità pro executione commiſſionis non tenetur vni potius, quam alteri adhærere *Sanchez lib.* 8. *diſp.* 27. *n.* 40. *Naldus in ſumma verb. litera n.* 8. *Diana part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 104. *verſ. ſed non deſeram Lezana in ſumma qq. regul. tom.* 4. *verb. litera Apoſtolica nu.* 19.

14 Si electus ſemel negauerit executionem poteſt mutata voluntate poſtea exequi.

Secundo, quod, ſi electus fuerit vnus confeſſor ex approbatis, qui fuerit, vel Doctor in ſacra Theologia, vel in iure canonico, qui primo negauerit executionem diſpenſationis ex aliqua ratione, poſſit adhuc iſte mutata ſententia ex aliqua rationabili cauſa talem commiſſionem exequi, quià ſapientis eſt mutare conſilium. DD. qui ſupra.

Pro complemento eorum, quæ ſub hac clauſula dicta ſunt, & præcipuè ſub aſſertione quinta aduertendum eſt, quod, quamvis dixerimus confeſſarium approbatum ad confeſſiones tantum limitate quoad perſonas, hoc eſt tantum quoad maſculos priuatiuè quoad fæminas non poſſit directè exequi huiuſmodi commiſſiones quoad fæminas eo, quià in ordine ad ipſas non eſt confeſſor approbatus, poſſit tamen quodamodo indirectè, quatenus cum illa diſpenſatio ſit quoad impedimentum, quod afficit vtrũque contrahentem, diſpenſando quodamodo cum maſculo, videtur indirectè etiam cum fæmina diſpenſare, cum diſpenſatio ipſa quantumvis odioſa extendatur etiam ad connexa *Nauarrus lib.* 4. *conſil. in prima edit. tit. de ſponſalib. conſ.* 14. *n.* 2. *Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 3. *num.* 6. *Sanchez de matrimonio lib.* 8. *diſp.* 26. *n.* 6. *Diana part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 87., & ſicuti propter eandem connexionem diſpenſatio ab vno obtenta ſuper conſanguinitate prodeſt etiam alteri non conſentienti, ſed ignoranti, ità ratione eiuſdem executio commiſſionis facta in fauorẽ vnius ab eo, qui reſpectu eiuſdem habet omnia requiſita ex ſtilo ſacræ pænitentiariæ, non poteſt alteri non prodeſſe, qui in eodem impedimento communicat ſaltem indirectè.

15 Indirectè etiam prodeſt fæminis & quomodo.

CLAVSVLA II.

Expediuntur, quæ pertinent ad cauſas finales diſpenſationis.

IN formula commiſſionum, quæ ex ſtilo ſacræ pęnitentiarię expediuntur pro diſpenſationibus, vel voti caſtitatis, vel Religionis huiuſmodi clauſulæ apponuntur. *Quatenus ſi ità eſſe, & latorem ſtimulis carnis adeo agitatum, vt maximè dubites continere non poſſe, ac propterea de eius incontinentia probabiliter timendum &c.* Rurſus, *continenter viuere poſſe non ſperes*. Circa quas clauſulas nonnulli ſunt articuli examinandi. Primus eſt, an quæcunque tentationes carnis, & periculum cuiuſcunque lapſus ſit ſufficiens cauſa diſpenſationis. Secundus, an hoc periculum lapſus intelligendum ſit quoad vnum, vel alterum lapſum, an tantum quoad frequentem. Tertius, an æque ſit ſufficiens cauſa diſpenſationis, ſiuè hoc periculum proueniat ex carnis fragilitate, & conditione patientis tale periculum, ſiuè ex peruerſo habitu in hoc inducto, ſiuè ex quacunque alia cauſa.

Explicantur clauſulæ circa cauſam finalem.

ASSERTIO I. Tentationes carnis ad hoc, vt ſint ſufficiens cauſa diſpenſationis debent eſſe graues ex obiecto, & tales ex qualitate perſonæ, quam tangunt, vt per ordinaria, & conſueta remedia non niſi cum maxima difficultate valeant ſuperari. *Portel. de dubijs Regul. verb. confeſſor aperiens literas Papæ n.* 6 *Salas de legibus diſp.* 20. *ſect.* 10. §. 3. *n.* 97. *Filiucius tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *c.* 10. *n.* 353. *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 34. *num.* 19. *Diana part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 107.

16 Tentationes carnis debent eſſe graues, & quomodo.

Ratio ex eo deducitur, quià votum caſtitatis, & Religionis ſunt obligationes erga Deum in materia graui, & grauiter obligantes, ergo Pontifex non eſt præſumendus, quod ſit relaxaturus huiuſmodi obligationes, non niſi ex grauiſſima cauſa, & tali, quæ non poſſit compati cum eiſdem obligationibus; talis autem grauiſſima cauſa eſſe non poteſt, niſi tentationes taliter vrgeant, vt per ordinaria remedia ſuperari non poſſint, ergo &c. Confirmatur primo, quia inferior in lege ſuperioris non poteſt diſpenſare, niſi ex iuſta, & legitima cauſa per ſuperius dicta

Digitized by Google

ergo Pontifex in ordine ad vota caſtitatis, & Religionis, quæ ſunt in ordine ſuperiori non præſumendus eſt velle diſpenſare, niſi talis cauſa militet, quæ nequeat compati cum huiuſmodi votis; quando autem tentationes de facili per conſueta remedia ſuperari poſſunt, non ſunt tales, vt nequeant compati cum huiuſmodi votis, ergo, niſi illæ fuerint graues ex obiecto, & tales, vt attenta qualitate perſonæ nequeant per conſueta remedia vinci, non erunt cauſa ſufficiens diſpenſationis; non enim quæcunque difficultas poteſt eſſe motiuum relaxationis in lege ſuperioris. Confirmatur ſecundo, quià vani timoris nulla habenda eſt ratio per textum *in l. vani non eſt. ff. de reg. iuris*, quando autem timor incontinentiæ eſt talis, vt per conſueta remedia poſſit ſuperari, eſt potius timor vanus, quam efficax, & ſi non ſuperatur eſt ex incuria cadentis, qui propterea debet ſibi imputare, non ex arduitate obiecti. Confirmatur tertio ex formulis, quibus concipiuntur commiſſiones emanantes ex ſacra Pænitentiaria. Ibi: *ſtimulis carnis adeo agitatum, vt maximè dubitet continere poſſe*, vbi nota illam particulam *adeo agitatum* rurſus illam aliam, *vt maximè dubitet*, quæ certè inducunt non qualemcunque agitationem, nec dubium quodcunque, ſed timorem maximum, & agitationem vehementem.

Quæ poſſunt facilè ſuperari non habentur pro ſufficienti cauſa.

17 Timor incõtinentiæ debet etiã eſſe grauis extenſiue, & in duratione.

Assertio II. Timor, ſeù periculum incontinentiæ ex illis tentationibus vehementibus, vt det cauſam diſpenſationi, non ſolum debet eſſe grauis intenſiuè, quatenus grauitèr agitet affectum eodem timore, & periculo, ſed etiam extenſiuè, & in duratione, quatenus non reſtringatur ad vnum, vel alterum lapſum, ſed ad periculum frequentis, & ſucceſſiui. Ita DD. omnes præallegati pro prima aſſertione.

Ratio deſumitur ex ipſis verbis, quibus concipiuntur huiuſmodi commiſſiones videlicet *Continenter viuere poſſe non ſperat, maximè dubitet continere non poſſe*; quæ verba connotant habitum viuendi incontinenter, qui habitus ex genere ſuo inducit inclinationem ad multiplicatos actus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod vnus, vel alter lapſus ſit maximè conſiderabilis in hoc genere, adeoque, quod periculum eiuſdem, quando vehemens eſt, ſit ſufficiens cauſa ex parte vouentis, vt votum ipſum relaxetur; melius enim eſt, quod cum relaxatione voti nubat, quam quod eodem permanente vrat; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quantumvis vnus, & alter lapſus ſit grauiſſima culpa in genere ſacrilegij, hæc tamen talis non eſt, vt periculum eiuſdem det ſufficiens motiuum ad relaxandum votum, ea proportionali ratione, qua quantumvis ex lege præuideatur, quod quandoque ſit tranſgredienda, & ipſa trangreſſio ſit grauiſſima culpa, non propterea eſt ſufficiens cauſa legem ipſam ob periculum talis, tranſgreſſionis ſemel aut bis, diſſoluendi; vndè ad illud, quod ſubditur, quod melius eſt nubere, quam vri, dicendum eſt, hoc verum eſſe, quià ly vri importat continuatum, & ſucceſſiuum carnis per flammas libidinis incendium, non merum periculum ſimplicis, & non reiteratæ incontinentiæ; ſecus, ſi ratio adducta in inſtantia quidquam euinceret ex quocunque tractionis periculo eſſent præcepta infringenda, quod quis diceret? atque præter præcitatos DD. hanc aſſertionem ſuſtinent *Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. puncto 7. ad finem*, *Azorius lib. 11. inſtit. moral. c. 19. q. 17.*

Videtur exigi habitus.

Non quæcunque culpa circa legem eſt ſufficiens cauſa relaxationis eiuſdem.

18 Periculum frequentis, & iteratæ incontinentiæ eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis ex quocunq; titulo procedat.

Assertio III. Periculum frequentis, & iteratæ incontinentiæ ſecundum ſe eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis in voto, ſiuè proueniat à fragilitate naturę eius, qui vouit, ſiuè ex prauo habitu acquiſito. Ita ſentiunt Sanchez, & DD. omnes præallegati pro præcedentibus aſſertionibus, & alij plures.

Ratio ex eo deducitur, quià cauſa diſpenſationis, quam conſiderant Pontifices, & maiores Pænitentiarij, eſt periculum frequentis, & iteratæ incontinentiæ, ne ſcilicet vouens maneat agitatus aſſiduis carnis ſtimulis, & in continuato maneat tentationum incendio; ſed hæc cauſa æque verificatur, ſiuè proueniat à fragilitate naturæ, ſiuè ab habitu acquiſito, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quando procedit ex habitu acquiſito periculum illud proueniat ex culpa eiuſdem vouentis, qui per continuatos actus, & quidem illicitos habitum illum acquiſiuit, qui propterea eidem non videtur poſſe prodeſſe; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quantumvis deliquerit in omnibus actibus acquirendo illum habitum, poſtquam tamen ille habitus eſt inexiſtens maximè inclinat naturam ad vlteriores actus ſimiles illis, quibus fuit productus, quam inclinationem reſpiciunt Eccleſiæ Rectores, qui has humanas infirmitates miſerantes in Chriſti honorem, & vtilitatem Eccleſiæ eiſdem conſulunt diſpenſando, & reſpicientes futura, quæ remouere contendunt, non amouentur à præteritis.

CLAVSVLA III.

Expediuntur ea omnia, quæ pertinent ad diligentem oratoris examinationem.

PRocedens vlterius in conditionibus maior pænitentiarius has in formulis commiſſionum addit particulas. *Si ità*

eſſe

Digitized by Google

Explicantur clauſulæ circa diligentem oratoris examinationem.

eſſe per diligentem oratoris examinationem, ac poſt monita, & conſilia opportuna illi præſtita inueneris. Circa quas particulas plura veniunt examinanda; Primum, an hoc examen ſit ſolum cum eodem oratore peragendum, an vero etiam adhibitis teſtibus. Secundum in ſuppoſitione, quod teſtes non ſint adhibendi, an ſaltem exigi debeat ab ipſo oratore iuramentum de veritate dicenda. Tertium, quænam ſint inquirenda ab eodem oratore in huiuſmodi examine. Quartum, an ſi confeſſarius aliunde norit preces veritati non inniti aſſerente oratore eas abſolutè veras eſſe, teneatur beneficium diſpēſationis impendere. Quintum, an ſi ipſe confeſſarius aliunde norit huiuſmodi preces veras eſſe poſſit diſpenſationem exequi validè non præmiſſo præſcripto examine. Sextum, quænam debeant eſſe monita, & conſilia, quæ confeſſarius præſtare debet eidem oratori, & an hæc præſcripta ſint tanquam forma, & conditio, adeout eis ommiſſis non teneat diſpenſatio.

19 Examen hoc non exigit teſtes.

Assertio I. Examen huiuſmodi eſt ſolummodo cum eodem Oratore peragendum non adhibitis teſtibus, *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 34. *n.* 21. *Perez de matrimon. diſp.* 48. *ſect.* 5. *n.* 9. *Baſilius Pontius lib.* 8. *c.* 21. *n.* 15. *Diana part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 108., *& alij magis communiter*.

Colligitur aſſertio ex formalibus verbis commiſſionis, vbi ſolummodo ſit mentio de examine Oratoris, non teſtium adhibendorum; ibi: *Poſt diligentem oratoris examinationem*, & quidem congrua ratione hoc decernitur, cum etenim huiuſmodi commiſſiones ponantur pro foro interno dumtaxat, ad normam eiuſdē fori interni, ſecundum quam ſolus pænitens diſcutitur, ſunt regulandæ. Accedit, quod, ſi teſtes eſſent exhibendi, iam diſpēſatio fieret quodamodo cum ſtrepitu, quod eſt contra ſtilum ſacræ pænitentiariæ, quæ procedit de plano ſoli confeſſioni partis adhærendo.

20 Non exigitur oratoris iuramētum.

Assertio II. In examine huiuſmodi oratoris non eſt neceſſariò requirendum iuramentum de veritate dicenda, *Callego de cognatione ſpirituali c.* 23. *nu.* 2. *Sanchez loc. ſupra cit. Lezana in ſumma tom.* 4. *verb. litera Apoſtolica n.* 23. *Portellius in dubijs Reg. verb. confeſſor aperiens literas Papæ n.* 7. *Diana loco ſupra citato aduerſus Baſilium Pontium lib.* 8. *c.* 21. *n.* 16.

Ratio ex eo deducitur, quià forum internum in ſimilibus non exigit tale iuramentum, nec maior Pænitentiarius in commiſſione huiuſmodi diſpenſationum ipſum iuramentum præſcribit tanquam conditionem, & formam, quinimmò, nec de illo mentionem facit, ergò non eſt, cur illud in huiuſmodi examine ſit requirendum; neque dicas, implicitè inuolui hoc onus iuramenti adhibendi in illis verbis *poſt diligentem oratoris examinationem*, quæ conſiſtere non poteſt in quacunque indagatione, ſed in indagine tali, vt adhibito quocunque medio licito extrahi poſſit veritas inquiſitorum, ſeù inquirendorum: iuramentum autem eſt medium licitum talis exactæ, & diligentis inquiſitionis: contra enim impugnaberis, quià in primis diligens inquiſitio, ſeù examinatio attendenda eſt ad normam fori, in quo inquiritur veritas; iuxta normam autem fori interni ad veritatem extorquendam non aſſolet iuramentum requiri, adeoque &c. Deindè gratis omninò dicitur ad diligentem oratoris examinationem requiri quodcunque medium licitum etiam extraordinarium, cuiuſmodi eſt iuramentum, cum hoc ſolummodò ſit adhibendum, quandò agitur de aliorum præiuditio, nec aliundè poſſit haberi veritas. Tandem, cum diſpenſatio ſit impendenda ad petitionem, & inſtantiam oratoris non eſt præſumendum, quod velit implicari non manifeſtando veritatem, vel falſitatem aperiendo, vbi quærit per ipſam diſpenſationem vinculi ſolutionem.

In foro interno regulariter iuramentum non adhibetur.

21 Quænam debeat cōmiſſarius in huiuſmodi examine indagare.

Assertio III. Confeſſor commiſſarius in huiuſmodi munere inquirere debet grauitatem ſtimulorum carnis quoad intenſionem, & extenſionem, an ſcilicet inferant vehemens periculum incontinentiæ, quod de facili per conſueta remedia ſuperari non poſſit, & an inferat timorem frequentis lapſus; rurſus inclinationem naturæ, & fragilitatem complexionis quoad oratorem petentem huiuſmodi diſpenſationem; item, an ſubſint, vel ſubeſse poſſint alia media, quibus permanente voto in ſuo robore huiuſmodi timor, & periculum poſſit vinci, & alia huiuſmodi. Euincitur ex ſuperius dictis conformitèr ad clauſulas in huiuſmodi commiſſionibus ſolitas apponi; cum enim dicatur, *ſi ita eſt, & ita inueneris*, vtique de vehementi agitatione eſt inquirendum, cum ibi apponatur *Oratorem ſtimulis carnis adeò agitatum*, de habitu, & inclinatione ad incontinentiam *continentèr viuere poſſe non ſperat*, de alijs remedijs proptèr eaſdem particulas, ſi etenim agitatio, & timor incontinentiæ per media ordinaria, & conſueta vinci poteſt, non eſt deſperatio, quod continentèr viuere non poſſit.

22 Non eſt ſtandum dicto oratoris, ſi aliunde de falſitate conſtet.

Assertio IV. Si aliundè conſtet commiſſario preces veritati non inniti, non debet acquieſcere confeſſioni eiuſdem oratoris aſſerentis eſſe veras, ſed debet omninò ipſum excludere *Callego de cognat. ſpirit. c.* 23 *n.* 2. *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 34. *nu.* 21 *Lezana in ſum. tom.* 4. *verb. litera Apoſtolica nu* 23. *Portel. in dub. regul. verb. confeſſor aperiens literas Papæ num.* 7.

Ra-

Digitized by Google

29 Attento præſenti ſtilo ſacræ pænitentiariæ commiſſiones huiuſmodi non ſunt expediendæ, niſi in ſacramentali confeſſione.

ſacramento confeſſionis. *Leone in praxi panit. part. 1. fol. 28. Eſcobar in Theolog morali tract. 1. exam. 16. Lezana in ſumma tom. 4 verb. litera Apoſtolica nu. 20. Theſaurus in praxi de panis part. 1. c. 22. Veracrux in bullam Cruciata diſp. 1. c. 6. dub. 21. n. 22. Baſilius Pontius de matrimon. lib. 8. c. 21. num. 12. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 105.*, qui etiam docet cautè legendos eſſe *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. num. 929. Perez de matrimon. diſp. 48. ſect. 5. num. 13.* qui contrarium ſuſtinent.

Referuntur verba ſacræ pænitentiariæ.

Extantibus formulis, quas de præſenti expediri à ſacra Pænitentiaria teſtatur *Diana loco cit.* vix remanet ambigendum circa præſentem aſſertionem, quandòquidem in eiſdem apponuntur clauſulæ, quæ important ſacramentalem confeſſionem tanquam formam, & tanquam conditionem, ſinè qua excluditur poteſtas exequendi commiſſionem. Ibi. *Quatenus audita ſacramentali confeſſione, vel in ipſo actu ſacramentalis confeſſionis tantum, nec aliter, nec alio modo*; quarum clauſularum non meminit *Sanchez loc. cit.* quià fortè tunc apponi non conſueuerant, ergo dumtaxat in actu ſacramentalis confeſſionis poſſunt exequi, & propter hanc rationem docuimus ſupra Regulares ex vi priuilegiorum non poſſe ſimiles commiſſiones exequi, niſi in ſacramentali confeſſione, quià in conceſſionibus eorundem priuilegiorum dicitur. *Audita confeſſione*, qui ablatiuus inportat conditionem, & formam per ſuperiùs allegata iura.

Si autem hic inquiras, an antequam conſueuerint apponi præcitatæ moxclauſulæ *quatenus audita ſacramentali confeſſione, vel in ipſo actu ſacramentalis confeſſionis*, prout probabile eſt pro tempore Sanchez apponi non conſueuiſſe, cum ipſe referens per extenſum formulas, quæ tunc expediri conſueuerant, mentionem non fecerit de huiuſmodi clauſulis, neceſſario huiuſmodi executiones eſſēt etiam faciendæ in ſacramentali confeſſione, an etiam fieri poſſent extra illam.

30 Etiam, ſi non apponerentur huiuſmodi clauſulæ probabilius non poſſent expediri extra confeſſionem.

Probabilius etiam ſentio, tunc etiam debuiſſe fieri in eadem ſacramentali confeſſione, quod colligo ex contextu verborum, quibus concipiuntur huiuſmodi commiſſiones; in primis etenim diriguntur ad magiſtrum in ſacra Theologia, vel Doctorem decretorum, & rurſus ad confeſſarium ex approbatis ab ordinario; Ad quid enim requiritur illa qualitas confeſſoris, ſi extra ſacramentalem confeſſionem expediri poſſent huiuſmodi executiones commiſſionum? Si fortè dicas, requiri propter idoneitatē, & peritiam; iam ſufficienter illa peritia, & idoneitas habetur ex publico teſtimonio academiæ, quod certè maius eſt argumentum idoneitatis, quam qualitas confeſſoris; cum regulariter pluris habeantur, & quidem rationabilitèr magiſtri in ſacra Theologia, & decretorum Doctores, qui longe maius exhibent experimentum, antequam promoueantur ad ſimiles gradus, quam habeantur confeſſarij, qui antequam approbentur non ità exactum exhibent experimentum ſuæ peritiæ, & idoneitatis, ergo ad aliud commodius referri nequit illa qualitas confeſſoris, quam quod huiuſmodi executiones expediri debeant in actu ſacramentalis confeſſionis. Deindè in formulis huiuſmodi commiſſionum coniunguntur ſimul abſolutio in forma Eccleſiæ conſueta cum ſalutari pænitentia, & diſpenſatio in huiuſmodi impedimento, quinimmo illa præmittitur, ergo quia Pontifex, ſeu maior pænitentiarius vult vtrumque exequi in eadem confeſſione; ad quid etenim committere talem abſolutionem, ſi extra confeſſionem poſſet expedire diſpenſationem? Neque dicas, illam abſolutionem à mutatione propoſiti, cum referatur ſolummodo ad fractionem eiuſdem propoſiti eſſe tantum præſcriptam conditionaliter, ſi ſcilicet deliquerit, adeoque, ſi illa conditio non fuerit, non eſſe neceſſe, quod diſpenſatio exequatur in actuali ſacramentali confeſſione; contra enim impugnaberis, quia quantumvis illa confeſſio ſit conditionaliter præſcripta, ex quo tamen præſcribitur, vt hæc fiat ſimul cum eadem diſpenſatione, & coniungatur cum illa, ſufficientèr deducitur mētem committentis diſpenſationem eſſe, vt eadem fiat in confeſſione; ad quid enim illam coniungere cum diſpenſatione, ſi vtrumque ſeparatim poſſet poni? Tandē ex eo euincitur, quod Iudex non poteſt exercere ſuam iuriſdictionem extra territorium, per textum *in l. fin. ff. de iuriſd. omn. Iud.* ergo neque confeſſor extra ſacramentum pænitentiæ, quod eſt præſcriptum, & limitatum confeſſoris territorium.

Iudex extra territorium non poteſt exercere iuriſdictionē

Soluuntur rationes contrariæ adductæ à Sanchez.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo congerit *Sanchez d. lib. 8. diſp. 34. num. 39.* nempè diuerſum eſſe forum pænitentiæ, & forum conſcientiæ, quandòquidem illud eſt forum ſacramentale, quod merè ſiſtit in exercitio ſacramenti, iſtud verò dicitur tale, prout præcisè contradiſtinguitur à foro externo; ſummus autem Pænitentiarius non committit executionem præcisè in foro pænitentiæ, ſed dumtaxat in foro conſcientiæ. Rurſus, quod, quantumvis vna, & eadem oratione contineantur abſolutio, & diſpenſatio non tamen ſub eadem diſpoſitione veniāt, ita vt eodem modo exequi debeant, ſed iuxta naturam vtriuſque; abſolutio autem iure diuino exigit præuiam confeſſionem, diſpenſatio, autem eam non petit, nec aliquam cum illa connexionem habet;

Soluuntur rationes contrariæ adductæ à Sanchez.

bet; Tandem, quià, ſi ſummus, ſeù maior pænitentiarius committens huiuſmodi diſpenſationes voluiſſet, eas dumtaxat exequendas eſſe in ſacramentali confeſſione hoc expreſſis verbis expoſuiſſet, quod non præſtitit, nec præſtat. Non, inquam, obeſſe poſſunt; non primum, quia quidquid ſit de illa diſtinctione inter forum pænitétiæ, & forum conſcientiæ, quam certè in pręſenti hypotheſi negat *Baſilius Pōtius de matr. lib. 8. c. 21. n. 12.* nec incōgrua ratione, quia tribunal ſacræ pænitentiariæ potiſſimum concernit forum pænitentiæ, & cōmiſſiones eiuſdem, vbi aliud non exprimitur, de eodem foro, intelligendæ ſunt; quidquid, inquam, de illa ſit ex contextu verborum, ibi *Abſolutis in conſueta Eccleſiæ forma*, ex qualitate perſonæ, cui demandantur huiuſmodi commiſſiones, ibi: *Diſcreto viro confeſſori ex approbatis ab ordinario*; ex iniunctis, *impoſita ſalutari pænitentia* clarè conijcitur mentem Pænitentiarij committentis diſpenſationem reſpicere præcisè pænitentiale forum; Non ſecundum, quia, quantumvis ex genere ſuo non exigant eandem formam abſolutio, & diſpenſatio, cum vna exigat confeſſionem, non ſic altera; ex diſpoſitione tamen committentis vtraque in eodem foro in pręſenti hypotheſi eſt expedienda; mandatum etenim debet exequi ad normam, & mentem mandantis, qui, ex quo vult confeſſorem, vult executionem in ſacramentali confeſſione, nam confeſſor eſt correlatiuè ad ſacramentalem confeſſionem, extra quam non eſt confeſſor, & quando poteſtas alicui tribuitur reſpectu certæ qualitatis, quidquid extra illam fit, non valet, *Decius in l. factum à Iudice 132. ff. de reg. iur. n. 1. Felinus in c. cum ordinem de reſcriptis*. Non tertium, quià, ex quo Maior pænitentiarius plura præmiſit tum ſpectantia ad qualitatem commiſſarij, tum ad ipſam diſpenſationem, concomitantia ad abſolutionem, vtique ſufficientèr indicauit mentem ſuam reſtringi ad actum ſacramentalis confeſſionis ſaltem implicitè, quod, cum poſtea verteretur in dubium, clarius mentem ſuam expreſſit additis illis particulis. *Quatenus audita ſacramentali confeſſione, vel in ipſo actu ſacramentalis confeſſionis*, prout teſtatur *Diana loc. cit.*, & hoc ad tollendum quodcunque dubium in hoc genere.

Ex mente maioris pęnitentiarij, & ex forma verborum euincitur intentum.

31 Assertio III. Huiuſmodi diſpenſationes, ſi expediantur in ſacramentali confeſſione, ſed inualida, ſeù ſacrilega probabilius non redduntur irritæ, & inualidæ *Suarez lib. 6. c. 16. de voto n. 4. verſ. hac ergo, Eſcobar in Theologia morali lib. 1. examin. 16. c. 4. n. 124. Diana part. 8 tract. 3. reſol. 106.*

Si expediantur in ſacramentali confeſſione, ſed inualida, tenent.

Ratio ex eo deducitur, quià in ea ſuppoſitione concurrunt omnia, quæ ex diſpoſitione ſtili ſacræ pænitentiariæ requiruntur ad validam, & legitimam diſpenſationem, ergò non eſt, cur non debeat ſubſiſtere diſpenſatio. Antecedens patet, quià ſupponuntur cauſæ legitimæ intereſſe, & omnia narrata in ſupplici libello vera eſſe; ſupponitur commiſſarius habere qualitates præſcriptas ad hoc munus exercendum; rurſus ſupponitur iuriſdictionem ſibi collatam, ſeù communicatam exercere ad normam commiſſionis ſcilicet in actuali confeſſione; nec inualiditas confeſſionis aliquid obeſſe poteſt; quià ex genere ſuo non connectitur diſpenſatio cum ſacramento pænitentiæ, ſed tantum ex ſtilo ſacræ pænitentiariæ fieri debet præcedente confeſſione, eademque exiſtente commiſſarius adimplet munus commiſſum ad normam committentis, ſcilicet ſecundum omnia, quæ ab eodem præſcribuntur in hoc munere exercendo, & licet pænitens, ſeù indigens diſpenſatione in illa inualida confeſſione non conſequatur effectum ſacramenti, non redditur tamen incapax conſequendi gratiam diſpenſationis, cum hæc ex genere ſuo non connectatur cum ſacramento, nec cum effectu eiuſdem. Confirmatur, quià, ſi quis pro tempore iubilæi intendens omnia opera adiecta exercere confiteatur inualidè, & in eadem confeſſione fuerit abſolutus à reſeruatis, & diſpenſatus ab aliquo onere, ad quod eſt facultas diſpenſandi, ſublata intelligitur reſeruatio, & diſpenſatio non intelligitur irrita, *Henriquez lib. 7. ſumma c. 11. § 4., & lib. 6. c. 16. §. 5., vbi in gloſ. lit. B., & C. Alcocer in ſumma c. 12. fol. 41. col. 2. doctrin. 6. Cæſar Bottonus in ſuis obſeruat. circa Bullam Sixti V. verbo conſcientia ſua pag. 118. Thomas Vadinus in diſcurſu de Iubilæo pag. 58. Caietanus verb. caſus in fin. Silueſter verb. confeſſio I. n. 21. Angles Flor. q. de confeſſione art. 5. difficult. 1. Graffius lib. 1 deciſ. aur. c. 13. n. 74. Coarruuias in c. alma mater 1. part. § 11. n. 13. concl. 44. Palacios in 4. diſt. 17. q. vltima*, qui ea mouentur ratione, quià ex genere ſuo huiuſmodi reſeruationes, & diſpenſationes non connectuntur cum confeſſione omninò valida, ergò etiam non erit inualida diſpenſatio habita à commiſſario in confeſſione inualida pænitentis, cum illa etiam cum iſta ex genere ſuo non connectatur.

Gratia diſpēſationis non connectitur neceſſario cū effectu ſacramenti.

Euincitur etiam paritate.

32 Excipe tamen in caſu, quo confeſſio eſſet inualida ex defectu integritatis circa rem, de qua petitur diſpenſatio, prout optimè notat *Suarez lib. 6. cap. 16 de vot. nu. 4. verſ. hac ergo, Eſcobar in Theolog. mor. lib. 1. exam. 16. n. 124.*, & ratio ex eo deducitur, quià tunc deficiunt requiſita ex parte cauſæ ad diſpenſationem, quià non fuerunt manifeſtata ea, quæ erant manifeſtanda.

Excipe in caſu, quo confeſſio eſſet inualida ex defectu integritatis circa rem diſpenſabilē.

33 Onus menſtruæ confeſſionis eſt arbitrarium.

Assertio IV. Quoad pænitentiam menſtruæ confeſſionis in literis commiſſionis expreſſam onus nõ eſt reſtrictiuum, adeout non poſſit prorogari, ſed arbitrarium commiſſario attento ſtatu pænitentis, ſeù indigentis diſpenſatione. *Portel. in dub. regul. verb. confeſſor aperiens literas Papa nu. 10. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. n. 35.*

Expreſſè colligitur ex verbis literarum commiſſionis. Ibi. *In frequentiam ſacramentalis confeſſionis peccatorum ſuorum ſingulis ſcilicet menſibus ſemel, vel quoties tibi videbitur*, vbi nota particulam illam diſiunctiuam, *vel quoties ſibi videbitur*, per quam importatur arbitrium, non ad tempus certum, ſed ad tempus bene viſum eidem commiſſario; Neque arbitreris, illam particulam diſiunctiuam, *vel quoties*, non eſſe ad prorogandum tempus, ſed potius ad reſtringendum, cum præmiſſa fuerit particula ad certum tempus, puta ad menſem, particulæ ſubſequentes referri debent ad idem tempus certum, ſcilicet menſem; Non, inquam, arbitreris, quià, cum illa diſiunctio apponatur præcipuè ad conſulendum fragilitati pænitentis, ſeù eius, in cuius fauorem expedienda eſt diſpenſatio, ne ſcilicet nimis arduum iugum ſubeat, quod attento ipſius ſtatu, & conditione videatur importabile, vel tale, quod exequi non valeat, potius debet intelligi ad prorogandum, quam ad reſtringendum; quinimmò, nec incongruè docet *Sanchez loc. cit.* non eſſe liberum commiſſario hoc onus ad ſtrictius tempus reducere, quia onus grauiſſimum eſſet obligari ad frequentius confiendum ſingulis menſibus, cum etiam *Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de regul. c. 10.* iudicauerit monialibus, quæ tamẽ ex vi proprij inſtituti exactius vacant Deo, ſufficientem eſſe confeſſionem menſtruam, nec ad vlteriorem frequentiam compellendas, quod idem ſentit *Clemens V. in Concil. Viennenſi in clem. 1. §. ſanè de ſtatu monacorum*, quoad monachos, & nemo prudentèr iudicabit perſonam ſæcularem, quæ minus vacat ſpiritualibus, obligare ad frequentiorem, ad quam, nec obligantur monaci, nec moniales.

Diſiunctio eſt potius ad prorogandum, quam ad reſtringendum.

Vlterius eadem aſſertio clarius euincitur ex vltimatis verbis literarum commiſſionis, *prout ſecundum Deum ipſius animæ ſaluti expedire iudicaueris*, quæ certè verba vltimo loco prolata referuntur ad omnia præcedentia, cum etiam in ordine ad illa eadem, quinimmo fortior militet ratio; intantum enim remittitur arbitrio confeſſarij pænitentias illas minuere, in quantum ipſe debet conſulere infirmitati pænitentis attento eius ſtatu, ne ſcilicet magis grauetur, quam par ſit, ſed in alio non poteſt magis grauari, quam in frequentiori vſu pænitentiæ ſacramẽtalis, ergo &c.

Eſt ad conſulendum fragilitati pænitentis

Ex ſuppoſitione igitur, quod commiſſarius confeſſionem menſtruam attentis omnibus adiudicauerit, nonnullæ circa ipſam inſurgunt dubitationes. Prima eſt, an quolibet die cuiuslibet menſis puta prima die primi menſis, & vltima die ſecundi confitendo ſatisfaciat tali oneri: Secundo, an, ſi pro aliquo menſe defecerit à tali onere adimplendo, teneatur in alio menſe defectum illum ſupplere, bis in ſequenti menſe confitendo. Tertia, an, ſi ex aliquo alio onere, puta voto, vel pænitentia ſalutari impoſita ab altero confeſſario pro peccatis teneatur pro aliquo menſe confeſſionem ſacramentalem habere vnica confeſſione poſſit ſatisfacere pro onere ex voto, vel pænitentia, & pro onere impoſito in diſpenſatione.

Nonnullæ rationes dubitandi circa menſtruam cõfeſſionem.

Ad primum probabilius exiſtimo, ſatisfacere tali oneri, ſi pro qualibet die cuiuſcunque menſis confiteatur, etiam ſi pro primo menſe confiteatur prima die eiuſdem, & pro ſecundo vltima die *Portel in dub. regul. verbo confeſſor aperiens literas Papa nu. 10 Sanchez de matrimon. lib 8 diſp. 34. nu. 36 Diana part. 8. tract. 3. reſol. 109.* Ratio ex eo deducitur, quià ſic confitendo adimplet præſcriptum maioris pænitentiarij, & commiſſarij ad normam literarum imponentis; ſemper enim verificabitur, quod ſingulis menſibus confeſſus fuerit; nec in hoc menſuranda res eſt ad normam præcepti annuæ confeſſionis, quandòquidem hoc præcepto, prout habetur *in c. omnis vtriuſque ſexus de pænit. & remiſſ.* præcipitur, vt quiuis ſaltem in anno fateatur, & regularitèr annus à priori confeſſione numerandus eſt, nec congruè à quolibet die cuiuslibet anni computatur, quià quandoque contingeret, vt quis duobus diebus immediatis, & continuis confiteretur, puta vltima die primi anni, & prima ſecundi, & quandoque, quod quis omitteret confeſſionem per duos annos integros puta, ſi confiteretur prima die primi anni, & vltima die ſecundi, quod videtur eſſe contra finem intentum ab Eccleſia, quæ remedium voluit pro peccatis ad tempus congruum, & ordinatum; vndè meritò notauit *Sanchez loc. cit.*, quod in præcepto annuæ confeſſionis dictum fuit ſemel in anno non addita particula *ſingulis*; in onere vero impoſito in diſpenſatione ſuper voto dictum fuerit ſingulis menſibus, & ſic primum importare ordinationem temporis, non ſic ſecundum, ad quod ſufficit, quod confeſſio bis habita ſit intra duos menſes.

34 Sufficit, ſi pro quolibet die cuiuslibet menſis confiteatur.

Non eſt menſuranda res ad normam præcepti annuæ confeſſionis.

35 Ad ſecundam aſſero probabilius eſſe, ſi pro aliquo menſe defecerit nõ teneri mẽ-

ſe

Non tenetur ſupplere; ſi defecerit.

ſe ſubſequenti ſupplere illum defectum bis confitendo. *Sanchez. loc. cit. n.37.* Ratio ex eo deducitur, quia illud onus eſt affixū determinatis temporibus, ergo illis temporibus elapſis non vigebit onus extra illa tempora adimplendi; ſicuti, quia eſt onus diei reſpectu ſacerdotis recitare diuinum officium eo pro aliquo die omiſſo non viget amplius onus pro altero die illud recitandi, ita &c. quod idem dic de præcepto, ſeu voto ieiunij pro aliquo determinato die, quo omiſſo non viget amplius onus illud adimplendi, ſeu ſeruandi.

36 Si teneatur ex aliquo alio onere confiteri in menſe aliquo per vnam confeſſionem ſatisfacit vtrique.

Ad tertiam probabilius ſentio, in ea hypoteſi per vnicam confeſſionem ſingulis menſibus ſatisfacere vtrique oneri, quidquid ex aduerſo videatur ſentire *Sanchez. loc. cit. n.39.* Ratio eſt; quia vnico opere ſatisfieri poteſt duplici oneri, ſic, ſi contingat ieiunium ex præcepto pro die, quo ieiunandum eſt ex voto per vnicum ieiuniū vtrique ſatisfit; per vnicum Miſſæ ſacrificium ſatisfit oneri ex voto, & oneri ex iuſtitia in multorum probabili ſententia, per vnicam confeſſionem ſatisfit præcepto annuæ confeſſionis, & oneri iniuncto à Romano Pontifice ad conſequendam aliquam indulgentiam, & quod fortius eſt in noſtro caſu pro mēſe, quo ſatisfit annuo præcepto, ſatisfit etiam oneri impoſito pro tali menſe pro diſpenſatione conceſſa; non enim neceſſe eſt pro illo menſe confeſſionem duplicare; & ratio eſt, quia maior pœnitentiarius in illo onere intendit præcisè; quod diſpenſatus pro ſingulo menſe reuertatur ad Deum, quod vtique habetur, etiam ſi ex alio motiuo talem conuerſionem debeat præſtare; nec maius, & grauius iugum intendit imponere, quam importet onus menſtruę confeſſionis.

37 Vltra confeſſionem tenetur aliquam aliā pœnam imponere.

Assertio V. Vltra onus confeſſionis aliquam aliam pœnitentiam tenetur cōmiſſarius imponere non ſecundum beneplacitum quomodocunque, ſed ſecundū prudentiæ regulas attenta qualitate, & cōditione perſonæ. In hoc omnes fere conueniunt.

Ratio ex eo deducitur quia per literas ſacræ pœnitentiarię non committitur ſimpliciter diſpenſatio, ſed diſpenſatio commixta cum commutatione ibi: *In frequentiam ſacramentalis confeſſionis &c. & in alia pœnitentiæ opera perpetuā &c. diſpenſando commutes*, ſed ad commutationem requiritur aliquā proportio inter rem commutatam; & rem, in quam commutatur attenta qualitate perſonæ, ergo talis diſpenſatio cum commutatione debet fieri ſecundum rationis regulas referendo vnū ad alterum; vnde in primis, quia illud votum erat perpetuum, etiam opera, in quæ commutatur, debent eſſe perpetua, quia votum ſpectabat ad Religionis virtutem, etiam opus ſubrogandum debet quoquo modo ad eandem pertinere; quia ſingulis diebus votum referebat vouentem ad Deum, etiam opera iniuncta debent eſſe talia, vt vouentem ſingulis diebus in Deum referant.

Non eſt ſimpliciter diſpenſatio, ſed cōmixta cum commutatione.

Si autem inquiras determinatè opera, in quæ poſſit huiuſmodi votum commutari, plura aſſignat *Sanchez. loc. cit. n.40.* tū in ordine ad ea, quæ non exigunt ſpeciale tempus, quam in ordine ad ea, quæ ſingulis diebus in obſequium Religionis ſunt iniungenda; & quidem in ordine ad prima poſſunt eſſe ieiunium ſemel ſingula hebdomada, abſtinentia à carnibus pro aliqua die, pro quo abſtinere non tenebatur, maceratio carnis per cilicia, verbera, & his ſimilia, & hæc etiam alternatiuè, ita vt vnum pro vna hebdomada, alterum pro altera teneatur exequi, vel etiam vnū indeterminatè ex illis generibus pro ſingulis hebdomadibus; In ordine ad ſecunda poſſunt eſſe oratio Dominica quinquies repetita pro ſingulis diebus, vel ſalutatio Angelica, litaniæ Deiparæ, vel aliquis pſalmus maximè ex pœnitentialibus. Hæc tamen omnia, vt aſſerebam, regenda ſunt ad regulas prudentiæ per commiſſarium attento ſtatu, & conditione perſonæ.

38 Proponuntur opera, in quæ poteſt fieri commutatio.

CLAVSVLA QVINTA.

Expediuntur omnia, quæ pertinent ad diſpenſationem, ſeu diſpenſationis effectum.

PRænarratis omnibus, quæ pertinent ad qualitatem perſonæ, cui committitur diſpenſatio, & ad cauſam, ob quam conceditur commiſſio, & ad opera, in quę facienda eſt commutatio cum diſpenſatione, ſtatim ſubiungitur clauſula vltimata: *Diſpenſando commutes in foro conſcientiæ tantum*. Circa has particulas plurima etiam dubia inſurgunt examinanda. Primū eſt, an, ſi ſic per commiſſarium fuerit diſpenſatum, poſſit ille, in cuius fauorem facta eſt diſpenſatio, in ſæculo permanere abſque matrimonio. Secundum, an, ſi ex vi illius diſpenſationis contraxerit matrimonium, illudque per mortem coniugis fuerit diſſolutum, poſſit aliud liberè ſine noua diſpenſatione contrahere. Tertium, an ſi ſtante illa diſpenſatione illud matrimonium initum fuerit, ſed inualidè, vel diſſolutum fuerit ante cōſummationem, poſſit ſic diſpenſatus ad aliud tranſire. Quartum, an ſtante illa diſpenſatione in foro interno conſcientiæ Parochus, ſeu Ordinarius conſcius talis diſpenſationis poſſint diſſimulare, ac matrimonium permittere. Quintum, an is, cum quo ſic diſpenſatum eſt in foro interno à Iudice

Explicantur cauſæ circa diſpenſationis effectū.

interrogatus teneatur impedimentum fateri, & conſcij illius teneantur manifeſtare.

39 Diſpenſatus ſuper voto Religionis, eo, quia vrat non poteſt in ſaculo permanere ſine coniugio.

ASSERTIO I. Si diſpenſatio in foro interno contigerit in voto Religionis ob vehementes carnis tentationes, aliaſque cauſas, quibus ſolum ſubueniri poteſt per matrimonium, non poſſet ſic diſpenſatus ex vi illius diſpenſationis in ſeculo permanere ſine coniugio, quod idem intellige quoad validitatem voti, quando contigerit ſuper voto caſtitatis ob vehementes carnis ſtimulos, quibus obſiſti non poſſit, niſi per matrimonium, tunc etenim ſine coniugio non teneret eiuſdem voti relaxatio. Ità in vniuerſum ſentit *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſput 31. n. 7.*

Ratio ex eo deduci poteſt, quià per illam diſpenſationem præciſè intenditur ſubuentio perſonæ affectæ huiuſmodi votis, ne ſcilicet vehementibus carnis ſtimulis crebrò ſuccumbat, & ne in eo, in quo perfectius Deo vacare ſtatuerat, grauius in eundem delinquat per tranſgreſſionem, cum maximum habeat incitamentum, cui vix obſiſtere poteſt, nec alio titulo eadem diſpenſatio conceditur, ergo, vbi remedium illud, ad quod impetrata fuit diſpenſatio, non eligitur, quod eſt matrimonium, eadem diſpenſatio non intelligitur effectum aliquem ſortiri, quià conceſſa ad vnum effectum præciſè, extrà illum effectum non intelliguntur cóceſſa. Confirmatur, quià non eſt præſumendum, quod Pontifex relaxare voluerit votum, vt liberius poſſit vouens vacare actibus fornicarijs dempta qualitate ſacrilegij, quinimmo cum diſpenſatio fuerit in ordine ad matrimonium præciſè, non intelligitur eſſe de voto ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantum quoad effectum eiuſdem matrimonij, ergo eodem matrimonio non inito non ceſſabit votum ipſum quoad ſuam vim, & efficaciam.

Ceſſaret tunc finis diſpenſationis.

40 Non reſtringitur ad vnum matrimonium.

ASSERTIO II. Quando expreſsè non conſtat ex verbis conceſſionis diſpenſationem reſtringi ad vnum dumtaxat actum, ſcilicet matrimonium, probabilius eſt ipſum non extingui per primum matrimonium, ſed eo diſſoluto, & permanente eadem cauſa poſſe diſpenſatum tranſire ad alias nuptias *Sinnica q. 6. de voto num. 115. Angles Floribus 2. part. vbi de voto qu. vnica art. 8. poſt ſecundam difficult. dub. 1. Sanchez de matrimon. lib. 8. n. 11.*, & hoc non ſolum, ſi petita, & conceſſa fuerit diſpenſatio ad contrahendum matrimonium indefinitè nulla facta expreſſione determinatæ perſonæ, cum qua illud matrimonium eſt ineundum, ſiuè facta expreſſione talis perſonæ, dummodo ſemper vrgeat cauſa finalis eiuſdem conceſſionis.

Ratio efficax deduci poteſt ex eo, quod motiuum conceſſionis æquè militat pro primo, ac pro ſecundo, & quocunque alio matrimonio, & hoc ſiuè expreſſa fuerit in petitione determinata perſona, ſiuè hæc non fuerit expreſſa, ergo eadem conceſſio permanente eadem cauſa non eſt reſtringenda ad primum matrimonium, ſed extendi poterit eo diſſoluto ad vlteriora. Antecedens non patitur difficultatem, quandò quidem motiuum conceſſionis eſt periculum incontinentiæ in eo, qui vouerat caſtitatem, & Religionem, & mens maioris pænitentiarij in tali conceſſione fuit conſulere tali periculo, ergo eodem perſeuerante non erit, cur ex vi illius conceſſionis diſſoluto matrimonio priori non poſſit diſpenſatus ad aliud tranſire.

41 Etiam diſpenſatio petita fuerit ad contrahendum cum vna determinata perſona.

Dixi, *ſi non ſolum conceſſa fuerit diſpenſatio indefinitè, ſed etiam cum determinata perſona.* Ratio extenſionis ex eo deducitur, quià diſpenſatio non conceditur intuitu illius perſonæ, cum qua diſpenſatus intendit contrahere matrimonium, ſed præciſè intuitu eius, cum quo diſpenſatur; motiuum enim formale conceſſionis eſt periculum incontinentiæ reſpectu eius, qui voto alligabatur; ſed hoc æquè militat, ſiuè facta fuerit expreſſio perſonæ, cum qua alligatus tali voto contrahere intendit, ſiuè nulla facta fuerit expreſſio, ergo &c.

42 Conceſſa ad vnum actum prodeſt quoad alterum, ſi primum fuerit inualidum, vel diſſolutum ante conſummationem.

ASSERTIO III. Dato etiam, quod diſpenſatio conceſſa fuiſſet expreſsè ad vnicum tantum actum, ſcilicet vnicum matrimonium, adhuc tamen poſſet diſpenſatus tranſire ad aliud matrimonium, ſi primum fuerit inualidum, vel etiam ſi fuerit validum, ſed ante conſummationem fuerit diſſolutum, vel morte, vel profeſſione alterius coniugis, vel diſpenſatione Romani Pontificis. Ità quoad primam partem *Tiraquel. in l. boues §. hoc ſermone limit. 1. n. 1. ff. de verb. ſignif. Ancharanus c. 1. q. penult. de filijs preſbit. in ſexto, Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 31. n. 3.* Quoad ſecundam *Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 5. nu. 6. in comment. lit. V. Sanchez loc. mox cit.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur primo, quià conceſſio ad primum actum limitata ſemper intelligitur de actu valido, quandòquidem actus inualidus perindè eſt, ac ſi non eſſet poſitus, vt exemplis pluribus illuſtrat *Tiraquel loc. cit.* ergo exiſtente inualiditate primi matrimonij, adhuc liber erit diſpenſatus ad contrahendum aliud validum, tum quià primum perinde eſt, ac ſi non fuerit poſitum: tum quià diſpenſatio debet ſemper intelligi cũ aliquo effectu, qui non eſt, niſi contrahatur aliud matrimonium validum. Secundo euincitur exemplo, quià, ſi illegitimus diſpenſetur ad vnicum tantum beneficium, non tollitur vis eiuſdem diſpenſationis ex collatione beneficij irrita, *An-*

Exemplis euincentis aſſertum.

Ancharanus c. 1. q. penult. de filijs præsbit. in 6., *& ibi Francus n. 13.*, ergò etiam, ſi impeditus ex voto ad vnicum tantum matrimonium diſpenſetur, non reddetur irrita diſpenſatio in ordine ad aliud ineundum, ſi primum fuerit irritum. Tertiò colligitur ex fine, propter quem habita eſt illa diſpenſatio, qui fuit ad conſulendum ſaluti; & fragilitati eius, qui vouit; ne ſcilicet periclitaretur inſtantibus vehementibus carnis ſtimulis, ad quos euertendos tanquam remedium conceſſum eſt matrimonium, ſed inſtante inualiditate matrimonij hoc eidem indigenti, ſeù periclitanti ſubuenire non poteſt, ſiquidem non tribuit ius ad coniugalem, & licitam copulam; ergò &c.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum diſpenſatio ſit ſtricti iuris, latam non patiatur interpretationem, adeoque, quantum eſt ex parte eiuſdem cum fuerit completa in illo matrimonio, quod licet ſit inualidum, non eſt tamen tale ex defectu eiuſdem diſpenſationis, non poſſit ad aliud extendi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dici non poteſt completa diſpenſatio in actu omninò inualido, cum hic nullam vim habeat, ac perindè ſe habeat, ac ſi non fuerit poſitus.

43 Niſi fuerit ſcientèr cõtractum.

Limita tamen primo hanc partem aſſertionis in hypoteſi, qua prius matrimonium irritum non fuerit ſcienter initum ab eo, qui impetrauit diſpenſationem. *Ancharanus in d. c. 1. q. penult. de filijs præſbit in 6*, *& ibi Dominicus n. penult. Francus n. 13.* Ratio ex eo deducitur, quia æquum non eſt, vt quis ex ſua fraude commodum reportet, & ſic diſpenſatio in pænam fraudis extinguetur ex primo actu.

44 Niſi diſpenſatio fuerit conceſſa ex cauſa ſe tenentè ex parte alterius ab ipſo indigente diſpenſatione

Limita ſecundo in hypotheſi, qua diſpenſatio non eſſet præcisè conceſſa ex cauſa ſe tenente ex parte eius, qui indiget tali diſpenſatione, ſed potius ex parte alterius, cum quo ipſe contrahare intendit, hocque contingeret, ſi ab obſtricto voto caſtitatis fuiſſet fæmina violata, quæ, ſi ab illo non duceretur, vel indotata, vel innupta ſaltem congruè remaneret: tunc etenim, ſi diſpenſatio fuiſſet petita, & conceſſa principalitèr ex fine conſulendi fæminæ violatæ, quantumvis matrimonium illud eſſet ex alio capite inualidum, diſpenſatus ex vi illius diſpenſationis non poſſet ad alias nuptias tranſire. *Sanchez de matrimon lib. 8. diſp 31. n. 13.* Ratio limitationis ea eſt, quià diſpenſatio tunc potius eſt facta in fauorem eius, cum qua contrahendum eſt, quam in fauorem illius, qui indiget diſpenſatione, quamvis hæc directè reſpiciat ipſum diſpenſandum, ergò, ſi eidem, cum qua contractum eſt matrimonium, & in cuius fauorem facta eſt, non poteſt prodeſſe, ceſſante fine, ex quo conceſſa eſt, non poterit etiam prodeſſe ei in ordine ad aliud matrimonium, cui eſt conceſſa.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia diſpenſatio ſolummodò conſummatur per eum effectum, cum quo repugnat ipſum votum, quo quis eſt obſtrictus, & in quo eſt diſpenſatus, ſed ſola matrimonij conſummatio repugnat voto caſtitatis, & Religionis, quandoquidem in Deipara Virgine cum D. Ioſeph fuit ſimul verum matrimonium, & votum, ergò ſolummodò conſummatur, & completur eadem diſpenſatio in eiuſdem matrimonij conſummatione, ergò eodem matrimonio diſſoluto ante conſummationem, vel ex morte alterius coniugis, vel ex ingreſſu eiuſdem in Religionem, vel ex Pontificis diſpenſatione adhuc integra erit diſpenſatio, vtpotè non conſecuta ſuum vltimum effectum in ordine ad aliud matrimonium.

45 Quid facere debeat ordinarius, vel Parochus, ſi nouerit impedimentum, & diſpenſationem pro foro interno tantum, ſiuè aliquo opponente, ſiuè nullo.

Assertio IV. Impetrata diſpenſatione pro foro interno tantum, ſi Parochus, vel ordinarius nouerit impedimentum voti, & ſimul diſpenſationem in foro interno ſuper eodem voto nullo opponente, vel excipiente de tali voto poteſt diſſimulare, ipſumque diſpenſatum coniungere matrimonio, aliquo vero opponente, ſeù excipiente de tali voto non poteſt diſſimulare, ſed tenetur ſic impeditum dimittere, donec obtineat in foro externo. Ita quoad primam partem *Henriquez lib. 14. de irregul. c. vlt. n. 1. in comment. lit. E. Sanchez de matrimon. lib. 3 diſp. 15 n. 14.* Quoad ſecundam idem *Sanchez loc. cit. n. 15. Nauarrus lib. 5. conſ. in 1. edit. tit. de priuileg. conſ. 5.; & in 2. lib. 2. tit. de indicijs conſ. 4. Manuel in bulla Cruci. c. 8. §. 13. nu. 6. Vega lib. 6. summa caſ. 143. ad fin.*

Prima pars ex eo deducitur, quia, ſi quæ ratio contrarium euinceret, ea eſſet, quod Parochus, & ordinarius debent ex officio inueſtigare, ſi quod eſt, impedimentum, prout præcipitur *in cap. fin. de clandeſtina deſponſ.* Ibi: *Et ipſi præsbiteri inueſtigent vtrùm aliquod impedimentum obſiſtat*, & propterea, ſi Parochus ſciat impedimentum adeſſe, tenetur illud ordinario denuntiare, & ordinarius contractum impedire; ſed hæc ratio nullo modo obſiſtit, quandòquidem hoc onus inueſtigandi impoſitum eſt, ne impediti contrahendo delinquant, ergò, quandò ipſis conſtat contrahentes non delinquere contrahendo, non tenebuntur inueſtigare, nec denuntiare: conſtat autem ex diſpenſatione in foro interno.

Norunt cõtrahentes non delinquere.

Secunda pars etiam ex eo liquet, quia, ex quo in foro externo oppoſitum eſt de impedimento, Parochus tenetur tanquam miniſter Epiſcopi illud eidem denuntiare: Epiſcopus autem cognoſcens in foro externo de impedimento non poteſt nomini-

miniſtrare iuſtitiam, & tenetur circa illud impedimentum inquiſitionem dirigere, cum eius officium excitatum ſit, ergò tunc non poterit diſſimulare, ſed tenebitur contrahentes dimittere, donec referant diſpenſationem pro foro externo; non etenim diſpenſatio pro foro interno poteſt pro foro externo deſeruire, quandò iudicium in eodem excitatum eſt.

46 Diſpenſatus in foro interno interrogatus à Iudice non tenetur fateri impedimẽtum.

Assertio V. Si is, cum quo diſpenſatum eſt pro foro tantum interno animæ, interrogetur à Iudice de tali impedimento, non tenetur illud fateri. Ita expreſſè tenet *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 14. num 4.*

Ratio ex eo deducitur, primo quià Iudex, dum ipſi non conſtat aliundè de impedimento, non legitimè interrogat, niſi in ordine ad vitandum peccatum; ſed in hac hypotheſi eidem aliundè non conſtat de impedimento, & interrogatio non poteſt deſeruire in ordine ad peccatum vitandum, cum contrahentes ſtante diſpenſatione pro foro interno non delinquant contrahendo, ergo &c. Secundo, quia, ſi diſpenſatus in foro interno ad interrogationem reſpondeat ſe non teneri impedimento, quominus poſſit contrahere, non mentitur, quandoquidem reſponſio intelligenda eſt ad normam intentionis reſpondentis, quæ eſt, ſe non teneri impedimento tali, vt ſi contrahat, delinquat, ergo &c.

47 Nec conſcij impedimenti, & diſpenſationis in foro interno tenentur illud manifeſtare.

Assertio VI. Conſcij illius voti, & ſimul diſpenſationis impetratæ in foro interno interrogati à Iudice de illo voto nõ tenentur manifeſtare *Sanchez de matrim. lib. 3 diſp. 13. n 8*, qui quamuis loquatur ſolummodo, quod non teneantur denuntiare, quando norunt diſpenſationem in foro interno, nec vllam mentionem faciat de prauia Iudicis interrogatione, intelligendus tamen eſt, quando etiam præceſſiſſet interrogatio, quandoquidem ſtante præciſè impedimento, quando non eſt impetrata in foro interno diſpenſatio, tenentur denuntiare iure ipſo ſupplente defectum interrogationis factæ à Iudice; ſi igitur quando eſt poſita impetratio diſpenſationis in foro interno non obſtante interpellatione iuris non tenentur denuntiare, nec tenebuntur etiam manifeſtare impedimentum non obſtante interrogatione eiuſdem Iudicis.

Probatur igitur aſſertio, quia eo tendunt huiuſmodi denuntiationes, ſicuti & interrogationes, vt vitetur delictum in contractu matrimoniali, qui intenditur, ſed in eo caſu conſcij talis impedimenti optimè norunt, nullum poſſe interuenire peccatum, quantumuis impedimentum illud non manifeſtent, ergo non tenentur illud manifeſtare.

CLAVSVLA SEXTA.

Expediuntur ea, quæ pertinent ad conditionem impedimenti occulti.

IN formulis diſpenſationum, quæ à ſacra pœnitentiaria expediri ſolent ſuper impedimento affinitatis ex fornicatione occulta ad effectum contrahendi matrimonij, hæc clauſula apponi conſueuit, *dummodo impedimentum inde proueniẽs occultum ſit*; circa quam clauſulam venit primo examinandum, quandonam impedimentum illud dicatur occultum. Secundo quandonam dicatur deductum ad forum contentioſum. Tertio, an ſit ſufficiens, quod ſit occultum in ratione impedimenti, quantumvis ſit publicum in ratione actionis externæ. Quarto, an quãtumvis fuerit deductum ad forum contentioſum, ſi tamen Reus finito iudicio fuerit abſolutus, intelligatur ita occultũ, vt ex vi litterarum commiſſionis poſſit ſuper illo diſpenſari. Quinto, an hoc idem verificetur, etiam ſi mediis deprauatis obtinuerit abſolutionem, & alia huiuſmodi. Clauſulæ circa conditionem impedimenti occulti.

Assertio I. Impedimentum occultum, quantum ad præſens inſtitutum pertinet, ſumitur, prout contradiſtinguitur à notorio, publico, vel famoſo, quamuis ab aliquibus ſciatur *Nauarrus in man c 27. n. 55. Zerula ſecunda parte praxis Epiſcop. verbo irregularitas verſ. 1. Zecchius de caſib. reſeruat. caſ. vlt verſ. & ideo, Azorius prima pars lib 8. c. 19. q 9. Sanchez lib 8. de matrimon diſp. 34. n. 55 Suarez de pœnis diſp. 30 ſect 2. n. 2 & de cenſuris diſp. 41 ſect. 1 n. 6 Alterius tom. 2. de cenſuris diſp. 8. de ſuſpenſ. c 3. concl. 4. verſ poſtulabit aliquis, Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop parte 2. alleg. 39 n. 21. & alij magis communiter.* 48 Quodnam impedimẽtum dicatur occultũ

Nõ clarius poteſt innoteſcere hoc impedimentum occultum, quam per explicationem notorij, & publici; notorium autem, & publicum triplex eſſe poteſt, alterum per ſententiam Iudicis alterum per confeſſionem rei factam in iudicio, alterum per euidentiam facti, quod aliqua tergiuerſatione non poſſit celari, *D. Thomas in 4. diſt 17. q 1. art 3 quæſtiuncula 3. D Antoninus 3 parte tit. 27. c 3 Franciſcus Leo prima part. theſaur. for Eccleſ c. 14. n. 13.* Publicum autem, ſeu notorium notorietate facti illud dicitur, qua res, quæ dicitur notoria, expreſſè conſtat, vel toti viciniæ, vel maiori parti viciniæ, collegij, vniuerſitatis, &c. dummodo decem ſaltem perſonæ degant in ea vicinia, Collegio, & vniuerſitate, *Nauarrus in manual. c. 27. n. 255. Leſſius de iuſt & iure lib 2 c. 11. n. 73. Bonacina de cenſur. diſp. 1. q 2 puncto 2. n 1. verſ. 4 delicta, Duardus in Bullam cœnæ lib. 3. § 2. q. 11. n. 4. Henriquez lib. 13. ſum-* Notorium quomodo dicatur.

Non eſt res notoria, niſi conſtet pluribus quam quinque perſonis.

ſumma c.5. §. 2.; ex quibus deducitur, quod res non poſſit dici publica; & notoria, niſi conſtet pluſquam quinque perſonis *Henriquez loc. cit. Sairus deciſ. 16. de ſent. excommunic.* Hic tamen oritur difficultas; an, ſi vicinia, vniuerſitas, & Collegium conſtet v.g. centum perſonis, ad hoc vt res in eiſdem dicatur notoria, & publica ad præſentem effectum ſatis ſit, quod fuerit commiſſa coram ſex perſonis illius viciniæ, vniuerſitatis, ſeù Collegij, an vero requiratur, quod fuerit commiſſa coram maiori parte talis viciniæ, Collegij, ſeù vniuerſitatis. Probabilius exiſtimo, quando vniuerſitas, vicinia, Collegium conſtant maximo numero perſonarum non ſufficere, ſi ſex, vel ſeptem fuerint teſtes oculati, non tamen abſolutè requiri, vt maior pars eiuſdem numeroſæ viciniæ, vel vniuerſitatis fuerit teſtis, ſed hoc in ea hypotheſi relinquendum eſſe arbitrio prudentis *Fagundez de precept. Eccl. precept. 2. lib. 8. c. 8. nu. 23., & ſeqq. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi priuileg. ſect. 1. caſ. 10. §. 3. n. 28. in fin.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià reſpectiuè ad maximam vniuerſitatem, ſeù viciniam numerus ſex, vel ſeptem reputatur pro modiciſſimo numero, & per conſequens actio non poteſt dici reſpectu illorum notoria in vicinia, & vniuerſitate. Ratio ſecūdæ partis ex eo deſumitur, quià, ſi in numeroſa, & frequenti vniuerſitate, ad hoc vt factum dicatur notorium, requireretur, quod eſſet factum coram maiori parte eiuſdem viciniæ, vix, vel raro contingeret huiuſmodi notorietas, & ſic ſemper ex vi commiſſionis ad diſpenſandum in caſibus occultis poſſet fieri diſpenſatio.

Quando vicinia conſtat maximo perſonarum numero non ſufficit, vt res ſit notoria ſex perſonis.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt an ad effectum, vt non poſſit impendi, vel beneficium abſolutionis, vel diſpenſationis in caſibus occultis, ſufficiat notorietas facti materialitèr in ratione talis actionis, an vero requiratur notorietas facti formalis in ratione ſcilicet facti inducentis reſeruationem, vel impedimentum formalitèr. V. g. an ſufficiat, quod ſciatur copulam eſſe commiſſam per maiorem partem vniuerſitatis, an verò vlterius requiratur, quod ſciatur publicè id eſſe matrimonij impedimentū. Secunda eſt, an requiratur huiuſmodi notorietas in maiori parte viciniæ ex eo, quod eadem res ex ſe innotuerit eidem maiori parti, an vero ſufficiat, quod maiori parte viciniæ innotuerit non ex ſe, ſed ex fama, vel dicto aliquorum, coram quibus res ipſa fuit commiſſa; quatenus coram aliquibus ſolummodo, qui non ſufficiunt ad numerum requiſitum ad notorietatem in tali vicinia, & vniuerſitate actio illa fuerit exercita; ſed ab illis in maiorem partem viciniæ per propallationem emanauerit.

Duplex ratio dubitādi.

In ordine ad primam ſentio non ſufficere notorietatem facti materialitèr, ſed ſufficere notorietatem eiuſdem formalitèr in ratione ſcilicet impedimenti, vel caſus formalitèr, vt reſeruati. *Nauarrus lib. 5. conſ. tit. de cleric. non ordin. miniſt. in vtraque edit conſ. 2. n. vnico, & in manual. c. 27. n. 25. verſ. duodecimo dico Henriquez lib. 14. de irregul. c. 20. nu. 4. Sairus in theſaur. caſuum tom. primo lib. 7. c. 13. num. 13. Zerula ſecunda part. praxis Epiſcop. verb. irregularitas qu. 1. Flaronus de caſibus reſeruat. prima part. c. 4. § 21. nu. 2. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 34. nu. 56. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect. 1. c. 10. §. 3. n. 33.* Ratio ex eo deducitur, quià qualitas adiuncta verbo debet intelligi ſecundum naturam, & qualitatem eiuſdem verbi per textum *in l. in delictis §. 1. ff. de noxalib.*; qualitas autem occulti adijcitur impedimento, vt impedimento Ibi *dummodo impedimentum inde proueniens ſit occultum.* Confirmatur, quià, ſi ſacerdos excommunicatus occultus celebrat coram mille, qui neſciant ipſum eſſe excommunicatum, aut non ſciant ex tali celebratione oriri irregularitatem irregularitas inde orta eſt occulta, ergo &c.

49 Non ſufficit notorietas facti materialitèr, ſed requiritur formalitèr in ratione ſcilicet impedimenti

In ordine ad ſecundam probabilius ſentio dici ſufficienter notorium ad effectum, vt nequeat ſuper illo impendi beneficium diſpenſationis, vel abſolutionis, ſi pluribus innotuerit, & deindè ex dicto ipſorum, vel ex fama fuerit publicatum in maiori parte viciniæ. Hoc ſentire videtur *Nauarrus in manual. c. 27. n. 255.* dum aſſerit illud dici quoad præſentem effectum occultum, quod opponitur notorio, manifeſto, & famoſo; explicans deindè quid ſit famoſum, aſſerit illud eſſe, de quo oritur fama maioris partis orta ab vno ſciente, & in cæteros omnes promulgante, ergo ex ipſius ſententia illud, quod eſt famoſum, non eſt diſpenſabile, nec abſolubile ex facultatis vigore diſpenſandi, & abſoluendi in occultis; & congrua quidem ratione videtur hoc decerni, quià requiritur eadem impedimenta eſſe occulta, vt obuietur ſcandalo publico, quando autem ſunt notoria, ſeù famoſa non obuiatur ſcandalo publico, quià publica laborant infamia, ergo &c.

50 Sufficit, ſi res ex dictis videntium innotuerit maiori parti viciniæ.

Assertio II Impedimentum non intelligitur occultum, quantum pertinet ad præſentem ſtatum, quando iam eſt deductum ad forum contentioſum. In hac aſſertione ferè omnes conſentiunt, & quidem in ordine ad abſolutionem à reſeruatis conſtat expreſsè *ex concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 6.*; in ordine verò ad diſpenſationem ex eo elucet, quod vbi res eſt delata ad forum contentioſum, iam delata eſt ad forum externum, in quo ſacra pæniten-

51 Eſt notoria, quando deducta eſt ad forum contentioſum

Ratio ex eo deducitur, quia examen inducitur ad veritatem narratorum dignoſcendam, ergò, vbi veritas aliunde euidentèr eſt cognita eidem examini, ſeu reſultantibus ex ipſo ſtandum non eſt, ſed eidem veritati manifeſtè cognitæ, ergò veritatem negante eo, in cuius fauorem facienda eſt diſpenſatio, eademque ex alio medio reſultante non erit diſpenſatio, ſeu diſpenſationis executio in eiuſdem fauorem impendenda, quandòquidem ſemper verificatur, quod preces veritate non innitantur; Neque dicas, quod cum huiuſmodi diſpenſationes in foro interno mēſurandæ ſint ad normam ſacramentalis confeſſionis, vt ſupra dictum eſt, ſicuti confeſſor in ſacramentali abſolutione ſtare tenetur confeſſioni pænitentis, non priuatæ propriæ ſcientiæ, ita in huiuſmodi diſpenſationis executione debeat ſe conformare aſſertioni oratoris, non priuatæ propriæ ſcientiæ; contra enim impugnaberis; quià in primis non eſt certum, quod ſi confeſſarius certo nouerit pænitentem in confeſſione ſacramentali, vel veritatem tacere, vel falſum exponere in ijs, quæ contingunt ſubſtantiam ſacramenti, teneatur ipſum abſoluere, & conformari eius expoſitioni; tunc etenim tanquam indiſpoſitum poteſt dimittere, ne ipſe confeſſarius, & pænitens inuoluantur peccato. Deinde quamuis in pluribus aſſimiletur executio diſpenſationis in foro interno confeſſioni ſacramentali, non tamen in omnibus aſſimilanda eſt, quandòquidem abſolutio ſacramentalis ferri debet præcisè ſupra expoſita, prout exigit ipſum ſacramentum; diſpenſatio autem non præcisè ſuper expoſita, ſed ad normā commiſſionis, quæ eſt, vt fiat cum diligenti diſcuſſione, vt cognoſcatur veritas narratorum, & intendit ſummus pænitentiarius, vt non ſtetur præcisè narratis, cæteroqui eſſet ſuperflua commiſſio ad indagandum; cum igitur intendatur veritas non præcisè narratio petentis, ſequitur quod, ſi narrata vera non ſint, & veritas aliunde innoteſcat eidem debeat conformari commiſſarius, non expoſitioni petentis.

Ceſſat cauſa finalis conceſſionis.

Non in omnibus executio diſpenſationis aſſimilatur confeſſioni ſacramentali.

23 Hic oritur difficultas, an, ſi commiſſarius nouerit ſolummodo ex præcedentibus confeſſionibus ſacramentalibus eiuſdem oratoris narrata in impetratione diſpenſationis, ſeu commiſſionis vera non eſſe poſſit, nihilominus eandem à diſpenſatione excludere, quantumvis in indagatione, & examine pro executione eiuſdem diſpenſationis, idem orator aſſerat abſolutè eadem narrata eſſe vera. Sentio probabilius eſſe in ea hypotheſi non poſſe ipſum expellere, etiam ſi occultè petat. Hanc opinionem in ſimilibus tradunt *Armilla verb. confeſſor n. 7, Bannes 2, 2, q. 23. art. 8. ad fin. §. ad confirmationem reſpondetur*, hancque probabiliorem exiſtimat *Sanchez lib. 3. de matrimon. diſp. 16. n. 14.* eandemque in ſua ſocietate ſeruari ex ordine Patris Claudij Aquauiuæ Generalis eiuſdem teſtatur, & ratio ex eo deducitur, quia ſcientia confeſsionis nequit confeſſarius vti, nam ſecus eadem confeſsio redderetur exoſa pænitentibus, & facile ab illa retraherentur, ſi ſcirent ea vti confeſſarios. Videte, quæ in hoc genere habet *Sanchez loco cit. per totam diſp. 16.*

Non poteſt dimittere, ſi ſolum nouerit falſitatem ex præcedentibus confeſſionibus.

Assertio V. Si preces notoriè veritati nitantur, vel de eadem veritate commiſſarius aliundè manifeſtè conſcius fuerit, poteſt committere diligentem illam examinationem, & nihilominus tenebit diſpenſatio, *Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 34 nu. 24.* 24

Vbi conſtat de veritate non eſt neceſſarium examen.

Ratio ex eo deducitur, quià diligens illa examinatio in tantum prēmittēda eſt, in quantum per illam debet reddi nota veritas narratorum ipſi commiſſario, ergò, ſi aliundè habeatur nota veritas narratorum, non erit ex neceſſitate illa examinatio præmittenda. Confirmatur, quià in notorijs non exigitur ordo iuris, nec notorium indiget examinatione per textum *in c. manifeſta 2. q. 1. Gloſa c. qui ſine examinatione diſt. 81, & c. fin. verb. conен. binas diſt. 51 Abbas c. præterea n. 1. de teſtib. cogen. Ananias c. 2. n. 8. de ſciſmat. Immola l. quidem conſulebat n. 8 ff. de re iudicata*; Neque dicas diligentem illam examinationem in hac hypotheſi præſcribi tanquam formam; idem enim eſt dicere *poſt diligentem oratoris examinationem*, ac dicere *adhibita diligenti oratoris examinatione*; ablatiuus autem abſolutè poſitus in oratione importat conditionem, & formam, per textum *in l. à teſtatore ff. de condit., & demonſt.*; cum igitur deficeret forma actus deficiente illa examinatione, actus ipſe non poteſt ſubſiſtere; contra enim impugnaberis, quià diligens illa examinatio præſcribitur tanquam medium ordinarium ad cognoſcendam veritatem narratorum; quotieſcunque autem narratorum veritas aliundè innoteſcit, illa nullam vim conferre poteſt; vndè dici poteſt, quod ipſa veritas cognita ſit vltimato forma præſcripta, & intenta à Maiori pænitentiario; ipſa verò examinatio medium ad illius veritatis cognitionem; habito autem fine tanquam forma non eſt currandum de medio.

Examen eſt in ordine ad veritatem indagandam.

Hic ſuboritur difficultas, an, ſi commiſſarius non conſtito de veritate narratorum, executus fuerit diſpenſationem, non habita illa diligenti oratoris examinatione, teneat diſpenſatio, ſi reuera in ſe preces veræ eſſent. Sentio diſpenſationem illam non ſubſiſtere. *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. n. 26. Gutiérez qq. canon. lib. 2. c. 15.* 25

Digitized by Google

Si commiſſarius ſine cognitione veritatis, & ſine examine diſpenſauerit non tenet diſpenſatio, quamvis preces veræ eſsét.

c.15 n.112. Baſilius Pontius lib.8. c.21. n. 16. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 108. Ratio eſt, quià in huiuſmodi commiſſionibus non præſcribitur veritas quomodocunque; hac etenim ratione de iure ineſt talis conditio, quamvis non præſcribatur expreſsè, ſed veritas, vt cognita à commiſsario ante executionem diſpenſationis; & hæc certè tanquam forma, cum dicatur, *ſi ità eſſe inuèneris*; ergò non conſtito de veritate narratorum, nec præmiſsa diligenti illa inquiſitione deficiente forma non poteſt ſubſiſtere diſpenſatio.

26 Quænam monita, & cōſilia ſint præſtanda per commiſſarium.

Assertio VI. Monita, & conſilia, quæ præſcribuntur à maiori Pænitentiario præſtanda per commiſſarium ſunt de veritate ſincerè dicenda, quæ tamen, ſi ommittantur non reddunt diſpenſationem irritam. *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 34. *n.* 27. *Diana part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 108. *in fine*.

Ratio primæ partis eſt, quià ad aliud opportunius non poſſunt illa verba referri, quam ad mouendum oratorem ad exprimendam libere veritatem, ne diſpenſationis valore fruſtretur, ergo cum illo ordine, & ad illum finem ſunt intelligenda. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià illa verba potius inſtructionem confeſſarij important, quam formam, nec continent quid ſubſtantiale, & magni momenti, ſed ſunt ſolum quædam præludia ad iuditium; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod coniungantur cum diligenti oratoris examinatione per particulam copulatiuam, adeoque, quod ſequantur naturam, & conditionem eiuſdem diligentis examinationis, maximè cum prius, & poſterius in eadem oratione importet ordinem ſubſtantialem, & formam, vt aſſerit *Felinus in c. cum dilecta n. 6. in ſexto ſigno de reſcriptis.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quià nōn quæcunque coniunctio importat identitatem rationis, nec ſi vnum ex coniunctis importat formam actus, & alterum eandem importat, ſed tunc ad ſummum, quando vtrumque continet quid ſubſtantiale pertinens ad ſubſtantiam actus commiſſi, non quando alterum eſt quoddam accidens, & ex præſumpta voluntate committentis ſolum pertinet ad melius eſſe, non ad ſimpliciter eſſe, quod conijci poteſt ex qualitate operis, quod iniungitur, quod idem dic quoad illum ordinem enuntiatum in inſtantia.

27 Si tamen omittantur non præſtant diſpēſationem irritam.

CLAVSVLA IV.

Expediuntur ea, quæ pertinent ad mutationem propoſiti, & ad abſolutionem in forma Eccleſiâ conſueta, & ad pænitentias.

POſt præcitatas, & examinatas clauſulas in ſolitis ſacræ pænitentiariæ formulis ſubduntur hæc verba. *Eundem à mutatione propoſiti abſoluas hac vice in forma Eccleſia conſueta iniūcta ei pænitentia ſalutari* Rurſus *ſibique votū prædictū ad hoc, vt legitime matrimonium contrahere poſſit in frequentiam ſacramentalis confeſſionis ſingulis ſcilicet menſibus ſemel, aut quoties tibi videbitur, & in alia pænitentiæ opera perpetua per te iniungenda inter quæ ſint etiam aliqua Religionis, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem &c. diſpenſando commutes in foro conſcientiæ tantum &c.* quæ clauſulæ æque apponuntur, ſiuè in commiſſionibus pro voto caſtitatis, ſiuè Religionis.

Explicantur clauſulæ circa mutationē propoſiti, abſolutionem, & pænitentias.

Circa has omnes particulas, ſeù clauſulas varia remanent dubia examinanda. Primum quid veniat nomine abſolutionis à mutatione propoſiti; Secundum, an neceſſarium ſit huiuſmodi commiſſiones ex vi tenoris earundem expedire in ſacramentali confeſſione. Tertium ex ſuppoſitione, quod ex neceſſitate ſint expediendæ in ſacramentali confeſſione, an illæ teneant, ſi confeſſio fuerit ſacrilega, & inualida. Quartum, quomodo intelligendæ ſint pænæ in formula commiſſionis expreſsæ, & quomodo remiſſæ arbitrio eiuſdem commiſſarij.

Assertio I. Illa clauſula *Eum à mutatione propoſiti abſoluas hac vice in forma Eccleſia conſueta iniuncta ei pænitentia ſalutari* eſt conditionata, non abſoluta, & refertur ad eum ſenſum; ſi ſcilicet antecedenter aduerſus votum emiſſum deliquerit, non ad eum, quod ſit abſoluendus ex eo, quod extante cauſa recurſum habuerit pro diſpenſatione. In hac aſſertionem, quoad omnia propendet *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. n. 28. & 29.*

28 Quomodo hæc clauſula ſit intelligenda.

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quià in aliud non poteſt commodius referri, & opportunius illa clauſula, quam ad huiuſmodi delictum contra votum, ſi forte illud commiſſum fuerit, ergo &c. Antecedens probatur, quià non eſt aſſignabile quid aliud, ad quod poſſit referri non enim poteſt referri ad id, quod vrgente legitima cauſa recurrat pro diſpenſatione huiuſmodi voti, quandoquidem hoc peccaminoſum non eſt, & per conſequens non indiget abſolutione, nec poteſt referri ad id, quod petatur ſine legitima cauſa, quandoquidem ſine illa non intendit Pontifex, ſeù maior Pænitentiarius diſpenſare, nec quid aliud eſt aſſignabile, ad quod poſſit referri, ergo commodiùs refertur ad ipſum delictum, ſi fuerit antecedenter perpatratum: vndè diximus congruè, quod illa clauſula ſit conditionata.

Assertio II. Probabilius eſt maximè attento præſenti ſtilo ſacræ Pænitentiariæ ex vi litterarum commiſſionum non poſſe huiuſmodi commiſſiones exequi, niſi in

ſacra-

29 ſacramento confeſſionis. *Leone in praxi pœnit. part. 1. ſol. 28. Eſcobar in Theolog morali tract. 1. exam. 16. Lezana in ſumma tom. 4 verb. litera Apoſtolica nu. 20. Theſaurus in praxi de pœnis part. 1. c. 22. Veracrux in bullam Cruciata diſp. 1. c. 6. dub. 21. n. 22. Baſilius Pontius de matrimon. lib. 8. c. 21. num. 12. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 105.*, qui etiam docet cautè legendos eſſe *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. num. 929. Perez de matrimon. diſp. 48 ſect. 5. num. 13.* qui contrarium ſuſtinent.

Attento præſenti ſtilo ſacræ pœnitentiariæ commiſſiones huiuſmodi non ſunt expediendæ, niſi in ſacramentali confeſſione.

Extantibus formulis, quas de præſenti expediri à ſacra Pœnitentiaria teſtatur *Diana loco cit.* vix remanet ambigendum circa præſentem aſſertionem, quandòquidem in eiſdem apponuntur clauſulæ, quæ important ſacramentalem confeſſionem tanquam formam, & tanquam conditionem, ſinè qua excluditur poteſtas exequendi commiſſionem - Ibi - *Quatenus audita ſacramentali confeſſione, vel in ipſo actu ſacramentalis confeſſionis tantum, nec aliter, nec alio modo*; quarum clauſularum non meminit *Sanchez loc. cit.* quià fortè tunc apponi non conſueuerant, ergo dumtaxat in actu ſacramentalis confeſſionis poſſunt exequi, & propter hanc rationem docuimus ſupra Regulares ex vi priuilegiorum non poſſe ſimiles commiſſiones exequi, niſi in ſacramentali confeſſione, quià in conceſſionibus eorundem priuilegiorum dicitur. *Audita confeſſione*, qui ablatiuus inportat conditionem, & formam per ſuperiùs allegata iura.

Referuntur verba ſacræ pœnitentiariæ.

Si autem hic inquiras, an antequam conſueuerint apponi præcitatæ mox clauſulæ *quatenus audita ſacramentali confeſſione, vel in ipſo actu ſacramentalis confeſſionis*, prout probabile eſt pro tempore Sanchez apponi non conſueuiſſe, cum ipſe referens per extenſum formulas, quæ tunc expediri conſueuerant, mentionem non fecerit de huiuſmodi clauſulis, neceſſario huiuſmodi executiones eſſet etiam faciendæ in ſacramentali confeſſione, an etiam fieri poſſent extra illam. Probabilius etiam ſentio, tunc etiam debuiſſe fieri in eadem ſacramentali confeſſione, quod colligo ex contextu verborum, quibus concipiuntur huiuſmodi commiſſiones; in primis etenim diriguntur ad magiſtrum in ſacra Theologia, vel Doctorem decretorum, & ruſus ad confeſſarium ex approbatis ab ordinario; Ad quid enim requiritur illa qualitas confeſſoris, ſi extra ſacramentalem confeſſionem expediri poſſent huiuſmodi executiones commiſſionum? Si forte dicas, requiri propter idoneitatē & peritiam; iam ſufficienter illa peritia, & idoneitas habetur ex publico teſtimonio academiæ, quod certe maius eſt argumentum idoneitatis, quam qualitas confeſſoris; cum regulariter pluris habeantur, & quidem rationabilitèr magiſtri in ſacra Theologia, & decretorum Doctores, qui longe maius exhibent experimentum, antequam promoueantur ad ſimiles gradus, quam habeantur confeſſarij, qui antequam approbentur non ità exactum exhibent experimentum ſuæ peritiæ, & idoneitatis, ergo ad aliud commodius referri nequit illa qualitas confeſſoris, quam quod huiuſmodi executiones expediri debeant in actu ſacramentalis confeſſionis. Deindè in formulis huiuſmodi commiſſionum coniunguntur ſimul abſolutio in forma Eccleſiæ conſueta cum ſalutari pœnitentia, & diſpenſatio in huiuſmodi impedimento, quinimmo illa præmittitur, ergo quia Pontifex, ſeu maior pœnitentiarius vult vtrumque exequi in eadem confeſſione; ad quid etenim committere talem abſolutionem, ſi extra confeſſionem poſſet expedire diſpenſationem? Neque dicas, illam abſolutionem à mutatione propoſiti, cum referatur ſolummodo ad fractionem eiuſdem propoſiti eſſe tantum præſcriptam cōditionaliter, ſi ſcilicet deliquerit, adeoque, ſi illa conditio non fuerit, non eſſe neceſſe, quod diſpenſatio exequatur in actuali ſacramentali confeſſione; contra enim impugnaberis, quia quantumvis illa confeſſio ſit conditionaliter præſcripta, ex quo tamen præſcribitur, vt hæc fiat ſimul cum eadem diſpenſatione, & coniungatur cum illa, ſufficientèr deducitur mētem committentis diſpenſationem eſſe, vt eadem fiat in confeſſione; ad quid enim illàm coniungere cum diſpenſatione, ſi vtrumque ſeparatim poſſet poni? Tandē ex eo euincitur, quod Iudex non poteſt exercere ſuam iuriſdictionem extra territorium, per textum *in l. fin. ff. de iuriſd. omn. Iud.* ergo neque confeſſor extra ſacramentum pœnitentiæ, quod eſt præſcriptum, & limitatum confeſſoris territorium.

30 Etiam, ſi non apponerentur huiuſmodi clauſulæ probabilius non poſſent expediri extra confeſſionem.

Iudex extra territorium non poteſt exercere iuriſdictioné

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo congerit *Sanchez d. lib. 8. diſp. 34. num. 39.* nempè diuerſum eſſe forum pœnitentiæ, & forum conſcientiæ, quandòquidem illud eſt forum ſacramentale, quod merè ſiſtit in exercitio ſacramenti. iſtud verò dicitur tale, prout præcisè contradiſtinguitur à foro externo; ſummus autem Pœnitentiarius non committit executionem præcisè in foro pœnitentiæ, ſed dumtaxat in foro conſcientiæ. Rurſus, quod, quantumvis vna, & eadem oratione contineantur abſolutio, & diſpenſatio non tamen ſub eadem diſpoſitione veniāt, ita vt eodem modo exequi debeant, ſed iuxta naturam vtriuſque; abſolutio autem iure diuino exigit præuiam confeſſionem, diſpenſatio autem eam non petit, nec aliquam cum illa connexionem habet;

Soluuntur rationes contrariæ adductæ à Sanchez.

bet;

Soluuntur rationes contrariæ adductæ à Sanchez.

bet; Tandem, quià, ſi ſummus, ſeù maior pœnitentiarius committens huiuſmodi diſpenſationes voluiſſet, eas dumtaxat exequendas eſſe in ſacramentali confeſſione hoc expreſſis verbis expoſuiſſet, quod non præſtitit, nec præſtat. Non, inquam, obeſſe poſſunt; non primum, quia quidquid ſit de illa diſtinctione inter forum pœnitētiæ, & forum conſcientiæ, quam certè in præſenti hypotheſi negat *Baſilius Pōtius de matr. lib.* 8. *c.* 21. *n.* 12. nec incōgrua ratione, quia tribunal ſacræ pœnitentiariæ potiſſimum concernit forum pœnitentiæ, & cōmiſſiones eiuſdem, vbi aliud non exprimitur, de eodem foro, intelligendæ ſunt; quidquid, inquam, de illa ſit ex contextu verborum, ibi *Abſolutis in conſueta Eccleſiæ forma*, ex qualitate perſonæ, cui demandantur huiuſmodi commiſſiones, ibi: *Diſcreto viro confeſſori ex approbatis ab ordinario*; ex iniunctis, *impoſita ſalutari pœnitentia* clarè conijcitur mentem Pœnitentiarij committentis diſpenſationem reſpicere præcisè pœnitentiale forum; Non ſecundum, quia, quantumvis ex genere ſuo non exigant eandem formam abſolutio, & diſpenſatio, cum vna exigat confeſſionem, non ſic altera; ex diſpoſitione tamen committentis vtraque in eodem foro in præſenti hypotheſi eſt expedienda; mandatum etenim debet exequi ad normam, & mentem mandantis, qui, ex quo vult confeſſorem, vult executionem in ſacramentali confeſſione, nam confeſſor eſt correlatiuè ad ſacramentalem confeſſionem, extra quam non eſt confeſſor, & quando poteſtas alicui tribuitur reſpectu certæ qualitatis, quidquid extra illam fit, non valet, *Decius in l. factum à Iudice* 132. *ff de reg. iur. n.* 1. *Felinus in c. cum ordinem de reſcriptis*. Non tertium, quià, ex quo Maior pœnitentiarius plura præmiſit tum ſpectantia ad qualitatem commiſſarij, tum ad ipſam diſpenſationem, concomitantia ad abſolutionem, vtique ſufficientèr indicauit mentem ſuam reſtringi ad actum ſacramentalis confeſſionis ſaltem implicitè, quod, cum poſtea verteretur in dubium, clarius mentem ſuam expreſſit additis illis particulis. *Quatenus audita ſacramentali confeſſione, vel in ipſo actu ſacramentalis confeſſionis*, prout teſtatur *Diana loc. cit.*, & hoc ad tollendum quodcunque dubium in hoc genere.

Ex mente maioris pœnitentiarij, & ex forma verborum eruitur intentum.

31 **Si expediantur in ſacramentali confeſſione, ſed inualida, tenent.**

Assertio III. Huiuſmodi diſpenſationes, ſi expediantur in ſacramentali confeſſione, ſed inualida, ſeù ſacrilega probabilius non redduntur irritæ, & inualidæ *Suarez lib.* 6. *c.* 16. *de voto n.* 4. *verſ. hac ergo*, *Eſcobar in Theologia morali lib.* 1. *examin.* 16. *c.* 4. *n.* 124. *Diana part.* 8 *tract.* 3. *reſol.* 106.

Ratio ex eo deducitur, quià in ea ſuppoſitione concurrunt omnia, quæ ex diſpoſitione ſtili ſacræ pœnitentiariæ requiruntur ad validam, & legitimam diſpenſationem, ergò non eſt, cur non debeat ſubſiſtere diſpenſatio. Antecedens patet, quià ſupponuntur cauſæ legitimæ intereſſe, & omnia narrata in ſupplici libello vera eſſe; ſupponitur commiſſarius habere qualitates præſcriptas ad hoc munus exercendum; rurſus ſupponitur iuriſdictionem ſibi collatam, ſeù communicatam exercere ad normam commiſſionis ſcillcet in actuali confeſſione; nec inualiditas confeſſionis aliquid obeſſe poteſt; quià ex genere ſuo non connectitur diſpenſatio cum ſacramento pœnitentiæ, ſed tantum ex ſtilo ſacræ pœnitentiariæ fieri debet præcedente confeſſione, eademque exiſtente commiſſarius adimplet munus commiſſum ad normam committentis, ſcilicet ſecundum omnia, quæ ab eodem præſcribuntur in hoc munere exercendo, & licet pœnitens, ſeù indigens diſpenſatione in illa inualida confeſſione non conſequatur effectum ſacramenti, non redditur tamen incapax conſequendi gratiam diſpenſationis, cum hæc ex genere ſuo non connectatur cum ſacramento, nec cum effectu eiuſdem. Confirmatur, quià, ſi quis pro tempore iubilæi intendens omnia opera adiecta exercere conſiteatur inualidè, & in eadem confeſſione fuerit abſolutus à reſeruatis, & diſpenſatus ab aliquo onere, ad quod eſt facultas diſpenſandi, ſublata intelligitur reſeruatio, & diſpenſatio non intelligitur irrita, *Henriquez lib.* 7. *ſumma c.* 11. § 4., & *lib.* 6. *c.* 16. § 5., *vbi in gloſ. lit. B.*, & *C. Alcocer in ſumma c.* 12. *fol.* 41. *col.* 2. *doctrin.* 6. *Cæſar Bozzonus in ſuis obſeruat. circa Bullam Sixti V. verbo conſcientia ſua pag.* 118. *Thomas Vadinus in diſcurſu de Iubilæo pag.* 58. *Caietanus verb. caſus in fin. Silueſter verb. confeſſio I. n.* 21. *Angles Flor. q. de confeſſione art.* 5. *difficult.* 1. *Graffius lib.* 1 *deciſ. aur. c.* 13. *n.* 74. *Coaruuias in c. alma mater* 1. *part.* § 11. *n.* 13. *concl.* 44. *Palacios. in* 4. *diſt.* 17. *q. vltima*, qui ea mouentur ratione, quià ex genere ſuo huiuſmodi reſeruationes, & diſpenſationes non connectuntur cum confeſſione omninò valida, ergò etiam non erit inualida diſpenſatio habita à commiſſario in confeſſione inualida pœnitentis, cum illa etiam cum iſta ex genere ſuo non connectatur.

Gratia diſpēſationis non connectitur neceſſario cū effectu ſacramenti.

Euincitur etiam paritate.

Excipe tamen in caſu, quo confeſſio eſſet inualida ex defectu integritatis circa rem, de qua petitur diſpenſatio, prout optimè notat *Suarez lib.* 6. *cap.* 16. *de vot. nu.* 4. *verſ. hac ergo*, *Eſcobar in Theolog. mor. lib.* 1. *exam.* 16. *n.* 124., & ratio ex eò deducitur, quià tunc deficiunt requiſita ex parte cauſæ ad diſpenſationem, quià non fuerunt manifeſtata ea, quæ erant manifeſtanda.

32 **Excipe in caſu, quo confeſſio eſſet inualida ex defectu integritatis circa rem diſpenſandā.**

Digitized by Google

33 *Onus menſtruæ confeſſionis eſt arbitrarium.*

Assertio IV. Quoad pænitentiam menſtruæ confeſſionis in literis commiſſionis expreſſam onus nõ eſt reſtrictiuum, adeout non poſſit prorogari, ſed arbitrarium commiſſario attento ſtatu pænitentis, ſeù indigentis diſpenſatione. *Portel.in dub.regul. verb. confeſſor aperiens literas Papa nu.* 10. *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 84. *n.* 35.

Expreſsè colligitur ex verbis literarum commiſſionis. Ibi. *In frequentiam ſacramentalis confeſſionis peccatorum ſuorum ſingulis ſcilicet menſibus ſemel, vel quoties tibi videbitur*, vbi nota particulam illam diſiunctiuam, *vel quoties tibi videbitur*, per quam importatur arbitrium, non ad tempus certum, ſed ad tempus bene viſum eidem commiſſario; Neque arbitreris, illam particulam diſiunctiuam, *vel quoties*, non eſſe ad prorogandum tempus, ſed potius ad reſtringendum, cum præmiſſa fuerit particula ad certum tempus, puta ad menſem, particulæ ſubſequentes referri debent ad idem tempus certum, ſcilicet menſem; Non, inquam, arbitreris, quià, cum illa diſiunctio apponatur præcipuè ad conſulendum fragilitati pænitentis, ſeù eius, in cuius fauorem expedienda eſt diſpenſatio, ne ſcilicet nimis arduum iugum ſubeat, quod attento ipſius ſtatu, & conditione videatur importabile, vel tale, quod exequi non valeat, potius debet intelligi ad prorogandum, quam ad reſtringendum; quinimmò, nec incongruè docet *Sanchez loc.cit.* non eſſe liberum commiſſario hoc onus ad ſtrictius tempus reducere, quia onus grauiſſimum eſſet obligari ad frequentius confiendum ſingulis menſibus, cum etiam *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 10. iudicauerit monialibus, quæ tamẽ ex vi proprij inſtituti exactius vacant Deo, ſufficientem eſſe confeſſionem menſtruam, nec ad vlteriorem frequentiam compellendas, quod idem ſentit *Clemens V. in Concil. Viennenſi in clem.* 1. §. *ſanè de ſtatu monacorum*, quoad monachos, & nemo prudentèr iudicabit perſonam ſæcularem, quæ minus vacat ſpiritualibus, obligare ad frequentiorem, ad quam, nec obligantur monaci, nec moniales.

Diſiunctio eſt potius ad prorogandum, quam ad reſtringendum.

Vlterius eadem aſſertio clarius euincitur ex vltimatis verbis literarum commiſſionis, *prout ſecundum Deum ipſius animæ ſaluti expedire iudicaueris*, quæ certè verba vltimo loco prolata referuntur ad omnia præcedentia, cum etiam in ordine ad illa eadem, quinimmo fortior militet ratio; intantum enim remittitur arbitrio confeſſarij pænitentias illas minuere, in quantum ipſe debet conſulere infirmitati pænitentis attento eius ſtatu, ne ſcilicet magis grauetur, quam par ſit, ſed in alio non poteſt magis grauari, quam in frequentiori vſu pænitentiæ ſacramẽtalis, ergo &c.

Eſt ad conſulendum fragilitati pænitentis

Ex ſuppoſitione igitur, quod commiſſarius confeſſionem menſtruam attentis omnibus adiudicauerit, nonnullæ circa ipſam inſurgunt dubitationes. Prima eſt, an quolibet die cuiuslibet menſis puta prima die primi menſis, & vltima die ſecundi confitendo ſatisfaciat tali oneri; Secundo, an, ſi pro aliquo menſe defecerit à tali onere adimplendo, teneatur in alio menſe defectum illum ſupplere, bis in ſequenti menſe confitendo. Tertia, an, ſi ex aliquo alio onere, puta voto, vel pænitentia ſalutari impoſita ab altero confeſſario pro peccatis teneatur pro aliquo menſe confeſſionem ſacramentalem habere vnica confeſſione poſſit ſatisfacere pro onere ex voto, vel pænitentia, & pro onere impoſito in diſpenſatione.

Nonnullæ rationes dubitandi circa menſtruam cõfeſſionem.

Ad primum probabilius exiſtimo, ſatisfacere tali oneri, ſi pro qualibet die cuiuſcunque menſis confiteatur, etiam ſi pro primo menſe confiteatur prima die eiuſdem, & pro ſecundo vltima die *Portel in dub. regul. verbo confeſſor aperiens literas Papa nu.* 10 *Sanchez de matrimon lib* 8 *diſp.* 34. *nu.* 26 *Diana part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 109. Ratio ex eo deducitur, quià ſic confitendo adimplet præſcriptum maioris pænitentiarij, & commiſſarij ad normam literarum imponentis; ſemper enim verificabitur, quod ſingulis menſibus confeſſus fuerit; nec in hoc menſuranda res eſt ad normam præcepti annuæ confeſſionis, quandòquidem hoc præcepto, prout habetur *in c. omnis vtriuſque ſexus de pænit. & remiſſ.* præcipitur, vt quiuis ſaltem in anno fateatur, & regularitèr annus à priori confeſſione numerandus eſt, nec congruè à quolibet die cuiuslibet anni computatur, quià quandoque contingeret, vt quis duobus diebus immediatis, & continuis confiteretur, puta vltima die primi anni, & prima ſecundi, & quandoque, quod quis omitteret confeſſionem per duos annos integros puta, ſi confiteretur prima die primi anni, & vltima die ſecundi, quod videtur eſſe contra finem intentum ab Eccleſia, quæ remedium voluit pro peccatis ad tempus congruum, & ordinatum; vndè meritò notauit *Sanchez loc. cit.*, quod in præcepto annuæ confeſſionis dictum fuit ſemel in anno non addita particula *ſingulis*; in onere vero impoſito in diſpenſatione ſuper voto dictum fuerit ſingulis menſibus, & ſic primum importare ordinationem temporis, non ſic ſecundum, ad quod ſufficit, quod confeſſio bis habita ſit intra duos menſes.

34 *Sufficit, ſi pro quolibet die cuiuslibet menſis confiteatur.*

Non eſt menſuranda res ad normam præcepti annuæ confeſſionis.

Ad ſecundam aſſero probabilius eſſe, ſi pro aliquo menſe defecerit nõ teneri mẽ- 35

Non tenetur ſupplere, ſi deſeceris.

ſe ſubſequenti ſupplere illum defectum bis confitendo. *Sanchez loc. cit. n.37.* Ratio ex eo deducitur, quia illud onus eſt affixũ determinatis temporibus, ergo illis temporibus elapſis non vigebit onus extra illa tempora adimplendi, ſicuti, quia eſt onus diei reſpectu ſacerdotis recitare diuinum officium eo pro aliquo die omiſſo non viget amplius onus pro altero die illud recitandi, ita &c. quod idem dic de præcepto, ſeu voto ieiunij pro aliquo determinato die, quo omiſſo non viget amplius omiſ illud adimplendi, ſeu ſeruandi.

36 *Si teneatur ex aliquo alio onere confiteri in menſe aliquo per vnam confeſſionem ſatisfacit vtrique.*

Ad tertiam probabilius ſentio, in ea hypoteſi per vnicam confeſſionem ſingulis menſibus ſatisfacere vtrique oneri, quidquid ex aduerſo videatur ſentire *Sanchez loc. cit. n.39.* Ratio eſt; quia vnico opere ſatisfieri poteſt duplici oneri, ſic, ſi contingat ieiunium ex præcepto pro die, quo ieiunandum eſt ex voto per vnicum ieiuniũ vtrique ſatisfit; per vnicum Miſſæ ſacrificium ſatisfit oneri ex voto, & oneri ex iuſtitia in multorum probabili ſententia, per vnicam confeſſionem ſatisfit præcepto annuæ confeſſionis, & oneri iniuncto à Romano Pontifice ad conſequendam aliquam indulgentiam, & quod fortius eſt in noſtro caſu pro mẽſe, quo ſatisfit annuo præcepto, ſatisfit etiam oneri impoſito pro tali menſe pro diſpenſatione conceſſa; non enim neceſſe eſt pro illo menſe confeſſionem duplicare; & ratio eſt, quia maior pænitentiarius in illo onere intendit præcisè, quod diſpenſatus pro ſingulo menſe reuertatur ad Deum, quod vtique habetur, etiam ſi ex alio motiuo talem conuerſionem debeat præſtare; nec maius, & grauius iugum intendit imponere, quam importet onus menſtruę confeſſionis.

37 *Vltra confeſſionem tenetur aliquam aliã pœnam imponere.*

ASSERTIO V. Vltra onus confeſſionis aliquam aliam pænitentiam tenetur cõmiſſarius imponere non ſecundum beneplacitum quomodocunque, ſed ſecundũ prudentiæ regulas attenta qualitate, & cõditione perſonæ. In hoc omnes fere conueniunt.

Non eſt ſimpliciter diſpenſatio, ſed cõmixta cum commutatione.

Ratio ex eo deducitur quia per literas ſacræ pænitentiarię non committitur ſimpliciter diſpenſatio, ſed diſpenſatio commixta cum commutatione ibi: *In frequẽtiam ſacramentalis confeſſionis &c. & in alia pænitentia opera perpetua &c. diſpenſando commutes*, ſed ad commutationem requiritur aliqua proportio inter rem commutatam, & rem, in quam commutatur attenta qualitate perſonæ, ergo talis diſpenſatio cum commutatione debet fieri ſecundum rationis regulas referendo vnũ ad alterum; vnde in primis, quia illud votum erat perpetuum, etiam opera, in quæ commutatur, debent eſse perpetua, quia votum ſpectabat ad Religionis virtutem, etiam opus ſubrogandum debet quoquo modo ad eandem pertinere; quia ſingulis diebus votum referebat vouentem ad Deum, etiam opera iniuncta debent eſse talia, vt vouentem ſingulis diebus in Deum referant.

Si autem inquiras determinatè opera, in quæ poſſit huiuſmodi votum commutari, plura aſſignat *Sanchez loc. cit. n.40.* tũ in ordine ad ea, quæ non exigunt ſpeciale tempus, quam in ordine ad ea, quæ ſingulis diebus in obſequium Religionis ſunt iniungenda; & quidem in ordine ad prima poſsunt eſse ieiunium ſemel ſingula hebdomada, abſtinentia à carnibus pro aliqua die, pro quo abſtinere non tenebatur, maceratio carnis per cilicia, verbera, & his ſimilia, & hæc etiam alternatiuè, ita vt vnum pro vna hebdomada, alterum pro altera teneatur exequi, vel etiam vnũ indeterminatè ex illis generibus pro ſingulis hæbdomadibus; In ordine ad ſecunda poſsunt eſse oratio Dominica quinquies repetita pro ſingulis diebus, vel ſalutatio Angelica, litaniæ Deiparæ, vel aliquis pſalmus maximè ex pænitentialibus. Hæc tamen omnia, vt aſserebam, regenda ſunt ad regulas prudentiæ per commiſſarium attento ſtatu, & conditione perſonæ. 38

Proponuntur opera, in quæ poteſt fieri commutatio.

CLAVSVLA QVINTA.

Expediuntur omnia, quæ pertinent ad diſpenſationem, ſeu diſpenſationis effectum.

PRænarratis omnibus, quæ pertinent ad qualitatem perſonæ, cui committitur diſpenſatio, & ad cauſam, ob quam conceditur commiſſio, & ad opera, in quę facienda eſt commutatio cum diſpenſatione, ſtatim ſubiungitur clauſula vltimata: *Diſpenſando commutes in foro conſcientiæ tantum.* Circa has particulas plurima etiam dubia inſurgunt examinanda. Primũ eſt, an, ſi ſic per commiſſarium fuerit diſpenſatum, poſſit ille, in cuius fauorem facta eſt diſpenſatio, in ſæculo permanere abſque matrimonio. Secundum, an, ſi ex vi illius diſpenſationis contraxerit matrimonium, illudque per mortem coniugis fuerit diſſolutum, poſſit aliud liberè ſine noua diſpenſatione contrahere. Tertium, an ſi ſtante illa diſpenſatione illud matrimonium initum fuerit, ſed inualidè, vel diſſolutum fuerit ante cõſummationem, poſſit ſic diſpenſatus ad aliud tranſire. Quartum, an ſtante illa diſpenſatione in foro interno conſcientiæ Parochus, ſeu Ordinarius conſcius talis diſpenſationis poſſint diſſimulare, ac matrimonium permittere. Quintum, an is, cum quo ſic diſpenſatum eſt in foro interno à Iudice

Explicantur cauſæ circa diſpenſationis effectũ.

nterrogatus teneatur impedimentum fateri, & conſcij illius teneantur manifeſtare.

39 Diſpenſatus ſuper voto Religionis, eo, quia vrat non poteſt in ſæculo permanere ſine coniugio.

Assertio I. Si diſpenſatio in foro interno contigerit in voto Religionis ob vehementes carnis tentationes, aliaſque cauſas, quibus ſolum ſubueniri poteſt per matrimonium, non poſſet ſic diſpenſatus ex vi illius diſpenſationis in ſæculo permanere ſine coniugio, quod idem intellige quoad validitatem voti, quando contigerit ſuper voto caſtitatis ob vehementes carnis ſtimulos, quibus obſiſti non poſſit, niſi per matrimonium, tunc etenim ſine coniugio non teneret eiuſdem voti relaxatio. Ità in vniuerſum ſentit *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſput 31. n. 7.*

Ratio ex eo deduci poteſt, quià per illam diſpenſationem præciſè intenditur ſubuentio perſonæ affectæ huiuſmodi votis, ne ſcilicet vehementibus carnis ſtimulis crebrò ſuccumbat, & ne in eo, in quo perfectius Deo vacare ſtatuerat, grauius in eundem delinquat per tranſgreſſionem, cum maximum habeat incitamentum, cui vix obſiſtere poteſt, nec alio titulo eadem diſpenſatio conceditur, ergo, vbi remedium illud, ad quod impetrata fuit diſpenſatio, non eligitur, quod eſt matrimonium, eadem diſpenſatio non intelligitur effectum aliquem ſortiri, quià conceſſa ad vnum effectum præciſè, extrà illum effectum non intelliguntur cõceſſa.

Ceſſaret tunc finis diſpenſationis.

Confirmatur, quià non eſt præſumendum, quod Pontifex relaxare voluerit votum, vt liberius poſſit vouens vacare actibus fornicarijs dempta qualitate ſacrilegij, quinimmo cum diſpenſatio fuerit in ordine ad matrimonium præciſè, non intelligitur eſſe de voto ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantum quoad effectum eiuſdem matrimonij, ergo eodem matrimonio non inito non ceſſabit votum ipſum quoad ſuam vim, & efficaciam.

40 Non reſtringitur ad vnum matrimonium.

Assertio II. Quando expreſsè non conſtat ex verbis conceſſionis diſpenſationem reſtringi ad vnum dumtaxat actum, ſcilicet matrimonium, probabilius eſt ipſum non extingui per primum matrimonium, ſed eo diſſoluto, & permanente eadem cauſa poſſe diſpenſatum tranſire ad alias nuptias *Sylueſtri q. 6. de voto num. 125. Angles Floribus 2. part. vbi de voto qu. vnica art. 8. poſt ſecundam difficult. dub. 1. Sanchez de matrimon. lib. 8. n. 11.*, & hoc non ſolum, ſi petita, & conceſſa fuerit diſpenſatio ad contrahendum matrimonium indefinitè nulla facta expreſſione determinatæ perſonæ, cum qua illud matrimonium eſt ineundum, ſiuè facta expreſſione talis perſonæ, dummodo ſemper vigeat cauſa finalis eiuſdem conceſſionis.

Ratio efficax deduci poteſt ex eo, quod motiuum conceſſionis æquè militat pro primo, ac pro ſecundo, & quocunque alio matrimonio, & hoc ſiuè expreſſa fuerit in petitione determinata perſona, ſiuè hæc non fuerit expreſſa, ergo eadem conceſſio permanente eadem cauſa non eſt reſtringenda ad primum matrimonium, ſed extendi poterit eo diſſoluto ad vlteriora. Antecedens non patitur difficultatem, quandò quidem motiuum conceſſionis eſt periculum incontinentiæ in eo, qui vouerat caſtitatem, & Religionem, & mens maioris pœnitentiarij in tali conceſſione fuit conſulere tali periculo, ergo eodem perſeuerante non erit, cur ex vi illius conceſſionis diſſoluto matrimonio priori non poſſit diſpenſatus ad aliud tranſire.

41 Etiam diſpenſatio petita fuerit ad contrahendum cum vna determinata perſona.

Dixi, *ſi non ſolum conceſſa fuerit diſpenſatio indefinitè, ſed etiam cum determinata perſona*. Ratio extenſionis ex eo deducitur, quià diſpenſatio non conceditur intuitu illius perſonæ, cum qua diſpenſatus intendit contrahere matrimonium, ſed præciſè intuitu eius, cum quo diſpenſatur; motiuum enim formale conceſſionis eſt periculum incontinentiæ reſpectu eius, qui voto alligabatur; ſed hoc æquè militat, ſiuè facta fuerit expreſſio perſonæ, cum qua alligatus tali voto contrahere intendit, ſiuè nulla facta fuerit expreſſio, ergo &c.

42 Conceſſa ad vnum actum prodeſt quoad alterum, ſi primum fuerit inualidum, vel diſſolutum ante conſummationem.

Assertio III. Dato etiam, quod diſpenſatio conceſſa fuiſſet expreſsè ad vnicum tantum actum, ſcilicet vnicum matrimonium, adhuc tamen poſſet diſpenſatus tranſire ad aliud matrimonium, ſi primum fuerit inualidum, vel etiam ſi fuerit validum, ſed ante conſummationem fuerit diſſolutum, vel morte, vel profeſſione alterius coniugis, vel diſpenſatione Romani Pontificis. Ità quoad primam partem *Tiraquel. in l. bones §. hoc ſermone limit. 1. n. 1. ff. de verb. ſignif. Ancharanus c. 1. q. penult. de filijs presbit. in ſexto, Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 31. n. 3.* Quoad ſecundam *Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 5. nu. 6. in comment. lit. V. Sanchez loc. mox cit.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur primo, quià conceſſio ad primum actum limitata ſemper intelligitur de actu valido, quandòquidem actus inualidus perindè eſt, ac ſi non eſſet poſitus, vt exemplis pluribus illuſtrat *Tiraquel loc. cit.* ergo exiſtente inualiditate primi matrimonij, adhuc liber erit diſpenſatus ad contrahendum aliud validum, tum quià primum perinde eſt, ac ſi non fuerit poſitum: tum quià diſpenſatio debet ſemper intelligi cũ aliquo effectu, qui non eſt, niſi contrahatur aliud matrimonium validum. Secundo euincitur exemplo, quià, ſi illegitimus diſpenſetur ad vnicum tantum beneficium, non tollitur vis eiuſdem diſpenſationis ex collatione beneficij irrita, *Anchara-*

Exemplis euincitur alterum.

charanus c.1. q. penult. de filijs presbit. in 6., & ibi Francus n.13., ergò etiam, ſi impeditus ex voto ad vnicum tantum matrimonium diſpenſetur, non reddetur irrita diſpenſatio in ordine ad aliud ineundum, ſi primum fuerit irritum. Tertiò colligitur ex fine, propter quem habita eſt illa diſpenſatio, qui fuit ad conſulendum ſaluti, & fragilitati eius, qui vouit, ne ſcilicet periclitaretur inſtantibus vehementibus carnis ſtimulis, ad quos euertendos tanquam remedium conceſſum eſt matrimonium, ſed inſtante inualiditate matrimonij hoc eidem indigenti, ſeu periclitanti ſubuenire non poteſt, ſiquidem non tribuit ius ad coniugalem, & licitam copulam; ergò &c.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum diſpenſatio ſit ſtricti iuris, latam non patiatur interpretationem, adeoque, quantum eſt ex parte eiuſdem cum fuerit completa in illo matrimonio, quod licet ſit inualidum, non eſt tamen tale ex defectu eiuſdem diſpenſationis, non poſſit ad aliud extendi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dici non poteſt completa diſpenſatio in actu omninò inualido, cum hic nullam vim habeat, ac perindè ſe habeat, ac ſi non fuerit poſitus.

43 Niſi fuerit ſcientèr cõtractum.

Limita tamen primo hanc partem aſſertionis in hypotheſi, qua prius matrimonium irritum non fuerit ſcienter initum ab eo, qui impetrauit diſpenſationem. *Ancharanus in d. c. 1. q. penult. de filijs praſbit. in 6, & ibi Dominicus n. penult. Francus n.13.* Ratio ex eo deducitur, quia æquum non eſt, vt quis ex ſua fraude commodum reportet, & ſic diſpenſatio in pœnam fraudis extinguetur ex primo actu.

44 Niſi diſpenſatio fuerit conceſſa ex cauſa ſe tenente ex parte alterius ab ipſo indigente diſpenſatione

Limita ſecundo in hypotheſi, qua diſpenſatio non eſſet præcisè conceſſa ex cauſa ſe tenente ex parte eius, qui indiget tali diſpenſatione, ſed potius ex parte alterius, cum quo ipſe contrahere intendit, hocque contingeret, ſi ab obſtricto voto caſtitatis fuiſſet fœmina violata, quæ, ſi ab illo non duceretur, vel indotata, vel innupta ſaltem congruè remaneret; tunc etenim, ſi diſpenſatio fuiſſet petita, & conceſſa principalitèr ex fine conſulendi fœminæ violatæ, quantumuis matrimonium illud eſſet ex alio capite inualidum, diſpenſatus ex vi illius diſpenſationis non poſſet ad alias nuptias tranſire. *Sanchez de matrimon lib. 8. diſp 31. n.13.* Ratio limitationis ea eſt, quia diſpenſatio tunc potius eſt facta in fauorem eius, cum qua contrahendum eſt, quam in fauorem illius, qui indiget diſpenſatione, quamvis hæc directè reſpiciat ipſum diſpenſandum, ergò, ſi eidem, cum qua contractum eſt matrimonium, & in cuius fauorem facta eſt, non poteſt prodeſſe, ceſſante fine, ex quo conceſſa eſt, non poterit etiam prodeſſe ei in ordine ad aliud matrimonium, cui eſt conceſſa.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia diſpenſatio ſolummodò conſummatur per eum effectum, cum quo repugnat ipſum votum, quo quis eſt obſtrictus, & in quo eſt diſpenſatus, ſed ſola matrimonij conſummatio repugnat voto caſtitatis, & Religionis, quandoquidem in Deipara Virgine cum D. Ioſeph fuit ſimul verum matrimonium, & votum, ergò ſolummodò conſummatur, & completur eadem diſpenſatio in eiuſdem matrimonij conſummatione, ergò eodem matrimonio diſſoluto ante conſummationem, vel ex morte alterius coniugis, vel ex ingreſſu eiuſdem in Religionem, vel ex Pontificis diſpenſatione adhuc integra erit diſpenſatio, vtpotè non conſecuta ſuum vltimum effectum in ordine ad aliud matrimonium.

45 Quid facere debeat ordinarius, vel Parochus, ſi nouerit impedimentum, & diſpenſationem pro foro interno tantum, ſiuè aliquo opponente, ſiuè nullo.

Assertio IV. Impetrata diſpenſatione pro foro interno tantum, ſi Parochus, vel ordinarius nouerit impedimentum voti, & ſimul diſpenſationem in foro interno ſuper eodem voto nullo opponente, vel excipiente de tali voto poteſt diſſimulare, ipſumque diſpenſatum coniungere matrimonio, aliquo vero opponente, ſeu excipiente de tali voto non poteſt diſſimulare, ſed tenetur ſic impeditum dimittere, donec obtineat in foro externo. Ita quoad primam partem *Henriquez lib. 14. de irregul. c. vlt. n.1. in comment. lit. E. Sanchez de matrimon. lib.3 diſp.15 n.14.* Quoad ſecundam idem *Sanchez loc. cit. n. 15. Nauarrus lib. 5. conſ. in 1. edit. tit. de priuileg. conſ. 5., & in 2. lib. 2. tit. de iudicijs conſ. 4. Manuel in bulla Cruc. §.13. nu. 6. Vega lib.6. ſumma caſ.143. ad fin.*

Prima pars ex eo deducitur, quia, ſi quæ ratio contrarium euinceret, ea eſſet, quod Parochus, & ordinarius debent ex officio inueſtigare, ſi quod eſt impedimentum, prout præcipitur *in cap. fin. de clandeſtina deſponſ.* Ibi *Et ipſi presbiteri inueſtigant vtrum aliquod impedimentum obſiſtat*, & propterea, ſi Parochus ſciat impedimentum adeſſe, tenetur illud ordinario denuntiare, & ordinarius contractum impedire; ſed hæc ratio nullo modo obſiſtit, quandòquidem hoc onus inueſtigandi impoſitum eſt, ne impediti contrahendo delinquant, ergò, quandò ipſis conſtat contrahentes non delinquere contrahendo, non tenebuntur inueſtigare, nec denuntiare; conſtat autem ex diſpenſatione in foro interno.

Notum cõtrahentes non delinquere.

Secunda pars etiam ex eo liquet, quia, ex quo in foro externo oppoſitum eſt de impedimento, Parochus tenetur tanquam miniſter Epiſcopi illud eidem denuntiare; Epiſcopus autem cognitus in foro externo de impedimento non poteſt non mini-

mini-

miniſtrare iuſtitiam, & tenetur circa illud impedimentum inquiſitionem dirigere, cum eius officium excitatum ſit, ergò tunc non poterit diſſimulare, ſed tenebitur contrahentes dimittere, donec referant diſpenſationem pro foro externo; non etenim diſpenſatio pro foro interno poteſt pro foro externo deſeruire, quandò Iudicium in eodem excitatum eſt.

46 Diſpenſatus in foro interno interrogatus à Iudice non tenetur fateri impedimentum.

ASSERTIO V. Si is, cum quo diſpenſatum eſt pro foro tantum interno animæ, interrogetur à Iudice de tali impedimento, non tenetur illud fateri. Ita expreſſè tenet *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 14. num 4.*

Ratio ex eo deducitur, primo quià Iudex, dum ipſi non conſtat aliundè de impedimento, non legitimè interrogat, niſi in ordine ad vitandum peccatum; ſed in hac hypotheſi eidem aliundè non conſtat de impedimento, & interrogatio non poteſt deſeruire in ordine ad peccatum vitandum, cum contrahentes ſtante diſpenſatione pro foro interno non delinquant contrahendo, ergo &c. Secundo, quia, ſi diſpenſatus in foro interno ad interrogationem reſpondeat ſe non teneri impedimento, quominus poſſit contrahere, non mentitur, quandoquidem reſponſio intelligenda eſt ad normam intentionis reſpondentis, quæ eſt, ſe non teneri impedimento tali, vt ſi contrahat, delinquat; ergo &c.

47 Nec conſcij impedimenti, & diſpenſationis in foro interno tenentur illud manifeſtare.

ASSERTIO VI. Conſcij illius voti, & ſimul diſpenſationis impetratæ in foro interno interrogati à Iudice de illo voto nõ tenentur manifeſtare *Sanchez de matrim. lib. 3 diſp. 13. n. 8*, qui quamuis loquatur ſolummodo, quod non teneantur denuntiare, quando norunt diſpenſationem in foro interno, nec vllam mentionem faciat de præuia Iudicis interrogatione, intelligendus tamen eſt, quando etiam præceſſiſſet interrogatio, quandoquidem ſtante præciſè impedimento, quando non eſt impetrata in foro interno diſpenſatio, tenentur denuntiare iure ipſo ſupplente defectum interrogationis factæ à Iudice; ſi igitur quando eſt poſita impetratio diſpenſationis in foro interno non obſtante interpellatione iuris non tenentur denuntiare, nec tenebuntur etiam manifeſtare impedimentum non obſtante interrogatione eiuſdem Iudicis.

Probatur igitur aſſertio, quia eo tendunt huiuſmodi denuntiationes, ſicuti & interrogationes, vt vitetur delictum in contractu matrimoniali, qui intenditur, ſed in eo caſu conſcij talis impedimenti optimè norunt, nullum poſſe interuenire peccatum, quantumvis impedimentum illud non manifeſtent, ergo non tenentur illud manifeſtare.

CLAVSVLA SEXTA.

Expediuntur ea, quæ pertinent ad conditionem impedimenti occulti.

IN formulis diſpenſationum, quæ à ſacra pœnitentiaria expediri ſolent ſuper impedimento affinitatis ex fornicatione occulta ad effectum contrahendi matrimonij, hæc clauſula apponi conſueuit, *dummodo impedimentum inde proueniẽs occultum ſit*; circa quam clauſulam venit primo examinandum, quandonam impedimentum illud dicatur occultum. Secundo quandonam dicatur deductum ad forum contentioſum. Tertio, an ſit ſufficiens, quod ſit occultum in ratione impedimenti, quantumvis ſit publicum in ratione actionis externæ. Quarto, an quãtumvis fuerit deductum ad forum contentioſum, ſi tamen Reus finito iudicio fuerit abſolutus, intelligatur ita occultũ, vt ex vi litterarum commiſſionis poſſit ſuper illo diſpenſari. Quinto, an hoc idem verificetur, etiam ſi medijs deprauatis obtinuerit abſolutionem, & alia huiuſmodi. Clauſula circa conditionem impedimenti occulti.

ASSERTIO I. Impedimentum occultum, quantum ad præſens inſtitutum pertinet, ſumitur, prout contradiſtinguitur à notorio, publico, vel famoſo, quantumuis ab aliquibus ſciatur *Nauarrus in man. c. 27. n. 55. Zerula ſecunda parte praxis Epiſcop. verbo irregularitas verſ. 1. Zecchius de caſib. reſeruat. caſ. vlt. verſ. & ideo, Azorius prima part. lib. 8. c. 19. q. 9. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 34. n. 55. Suarez de pœnis diſp. 50. ſect. 2. n. 2. & de cenſuris diſp. 41. ſect. 1. n. 6. Alterius tom. 2. de cenſuris diſp. 8. de ſuſpenſ. c. 3. concl. 4. verſ. poſtulabit aliquis, Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſcop. parte 2. alleg. 39. n. 21. & alij magis communiter.* 48 Quodnam impedimentum dicatur occultũ

Nõ clarius poteſt innoteſcere hoc impedimentum occultum, quam per explicationem notorij, & publici; notorium autem, & publicum triplex eſſe poteſt, alterum per ſententiam Iudicis, alterum per confeſſionem rei factam in iudicio, alterum per euidentiam facti, quod aliqua tergiuerſatione non poſſit celari, *D. Thomas in 4. diſt. 17. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. D. Antoninus 3. parte tit. 27. c. 3. Franciſcus Leo prima part. theſaur. for. Eccleſ. c. 14. n. 13.* Publicum autem, ſeu notorium notorietate facti illud dicitur, qua res, quæ dicitur notoria, expreſſè conſtat, vel toti viciniæ, vel maiori parti viciniæ, collegij, vniuerſitatis, &c. dummodo decem ſaltem perſonæ degant in ea vicinia, Collegio, & vniuerſitate, *Nauarrus in manual. c. 27. n. 255. Leſſius de iuſt. & iure lib. 2. c. 11. n. 73. Bonacina de cenſur. diſp. 1. q. 2. puncto 2. n. 1. verſ. 4. delicta, Duardus in Bullam Cænæ lib. 3. §. 2. q. 31. n. 4. Henriquez lib. 13.* Notorium quomodo dicatur.

Non eſt res notoria, niſi conſtet pluribus quam quinque perſonis.

ſumma c. 5. §. 2.; ex quibus deducitur, quod res non poſſit dici publica, & notoria, niſi conſtet pluſquam quinque perſonis *Henriquez loc. cit. Sairus deciſ. 16. de ſent. excommunic.* Hic tamen oritur difficultas, an, ſi vicinia, vniuerſitas, & Collegium conſtet v.g. centum perſonis, ad hoc vt res in eiſdem dicatur notoria, & publica ad præſentem effectum ſatis ſit, quod fuerit commiſſa coram ſex perſonis illius viciniæ, vniuerſitatis, ſeù Collegij, an vero requiratur, quod fuerit commiſſa coram maiori parte talis viciniæ, Collegij, ſeù vniuerſitatis. Probabilius exiſtimo, quando vniuerſitas, vicinia, Collegium conſtant maximo numero perſonarum non ſufficere, ſi ſex, vel ſeptem fuerint teſtes oculati, non tamen abſolutè requiri, vt maior pars eiuſdem numeroſæ viciniæ, vel vniuerſitatis fuerit teſtis, ſed hoc in ea hypotheſi relinquendum eſſe arbitrio prudentis *Fagundez de precept. Eccl. precept. 2. lib. 8. c. 8. nu. 23. & ſeqq. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi priuileg. ſect. 1. caſ. 10. §. 3. n. 28. in fin.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià reſpectiuè ad maximam vniuerſitatem, ſeù viciniam numerus ſex, vel ſeptem reputatur pro modiciſſimo numero, & per conſequens actio non poteſt dici reſpectu illorum notoria in vicinia, & vniuerſitate. Ratio ſecūdæ partis ex eo deſumitur, quià, ſi in numeroſa, & frequenti vniuerſitate, ad hoc vt factum dicatur notorium, requireretur, quod eſſet factum coram maiori parte eiuſdem viciniæ, vix, vel raro contingeret huiuſmodi notorietas, & ſic ſemper ex vi commiſſionis ad diſpenſandum in caſibus occultis poſſet fieri diſpenſatio.

Quando vicinia conſtat maximo perſonarum numero non ſufficit, vt res ſit notoria ſex perſonis.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt an ad effectum, vt non poſſit impendi, vel beneficium abſolutionis, vel diſpenſationis in caſibus occultis, ſufficiat notorietas facti matarialitèr in ratione talis actionis, an vero requiratur notorietas facti formalis in ratione ſcilicet facti inducentis reſeruationem, vel impedimentum formalitèr. V. g. an ſufficiat, quod ſciatur copulam eſſe commiſſam per maiorem partem vniuerſitatis, an verò vlterius requiratur, quod ſciatur publicè id eſſe matrimonij impedimentū. Secunda eſt, an requiratur huiuſmodi notorietas in maiori parte viciniæ ex eo, quod eadem res ex ſe innotuerit eidem maiori parti, an vero ſufficiat, quod maiori parte viciniæ innotuerit non ex ſe, ſed ex fama, vel dicto aliquorum, coram quibus res ipſa fuit commiſſa, quatenus coram aliquibus ſolummodo, qui non ſufficiunt ad numerum requiſitum ad notorietatem in tali vicinia, & vniuerſitate actio illa fuerit exercita, ſed ab illis in maiorem partem viciniæ per propallationem emanauerit.

Duplex ratio dubitādi.

49
Non ſufficit notorietas facti materialitèr, ſed requiritur formalitèr in ratione ſcilicet impedimenti

In ordine ad primam ſentio non ſufficere notorietatem facti materialitèr, ſed ſufficere notorietatem eiuſdem formalitèr in ratione ſcilicet impedimenti, vel caſus formalitèr, vt reſeruati. *Nauarrus lib. 5. conſ. tit. de cleric. non ordin. miniſt. in vtraque edit conſ. 2. n. vnica, & in manual. c. 27. n. 25. verſ. duodecimo dico Henriquez lib. 14. de irregul. c. 20. nu. 4. Sairus in theſaur. caſuum tom. primo lib. 7. c. 13. num. 13. Zerula ſecunda part. praxis Epiſcop. verb. irregularitas qu. 1. Florentius de caſibus reſeruat. prima part. c. 4. § 21. nu. 2. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 34. nu. 56. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect. 1. c. 10. §. 3. n. 33.* Ratio ex eo deducitur, quià qualitas adiuncta verbo debet intelligi ſecundum naturam, & qualitatem eiuſdem verbi per textum *in l. in delictis §. 1. ff. de noxalib.*; qualitas autem occulti adijcitur impedimento, vt impedimento Ibi *dummodo impedimentum inde proueniens ſit occultum*. Confirmatur, quià, ſi ſacerdos excommunicatus occultus celebrat coram mille, qui neſciant ipſum eſſe excommunicatum, aut non ſciant ex tali celebratione oriri irregularitatem, irregularitas inde orta eſt occulta, ergo &c.

50
Sufficit, ſi res ex dictis videntium innotuerit maiori parti viciniæ.

In ordine ad ſecundam probabilius ſentio dici ſufficienter notorium ad effectum, vt nequeat ſuper illo impendi beneficium diſpenſationis, vel abſolutionis, ſi pluribus innotuerit, & deindè ex dicto ipſorum, vel ex fama fuerit publicatum in maiori parte viciniæ. Hoc ſentire videtur *Nauarrus in manual. c. 27. n. 255.* dum aſſerit illud dici quoad præſentem effectum occultum, quod opponitur notorio, manifeſto, & famoſo; explicans deindè quid ſit famoſum, aſſerit illud eſſe, de quo oritur fama maioris partis orta ab vno ſciente, & in cæteros omnes promulgante, ergo ex ipſius ſententia illud, quod eſt famoſum, non eſt diſpenſabile, nec abſolubile ex facultatis vigore diſpenſandi, & abſoluendi in occultis; & congrua quidem ratione videtur hoc decerni, quià requiritur eadem impedimenta eſſe occulta, vt obuietur ſcandalo publico, quando autem ſunt notoria, ſeù famoſa non obuiatur ſcandalo publico, quià publica laborant infamia, ergo &c.

51
Eſt notoria, quando deducta eſt ad forum contentioſum

Assertio II Impedimentum non intelligitur occultum, quantum pertinet ad præſentem ſtatum, quando iam eſt deductum ad forum contentioſum. In hac aſſertione ferè omnes conſentiunt, & quidem in ordine ad abſolutionem à reſeruatis conſtat expreſſè *ex concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 6.*; in ordine verò ad diſpenſationem ex eo elucet, quod vbi res eſt delata ad forum contentioſum, iam delata eſt ad forum externum, in quo ſacra pe-

niten-

pœnitentiaria non vult diſpenſationem prodeſſe, quinimmo ordinarius habita tali notitia in foro externo tenetur quoad cognitionem illam procedere.

Difficultas ſolummodo eſt, quando nam intelligatur propriè res delata ad forum contentioſum, circà quam diuerſimodè ſentiunt DD. Nonnulli arbitrantur dici ſufficientèr rem delatam ad forum contentioſum, quando eſt facta denuntiatio coram legitimo Iudice. Ita *Marius Alterius tom. 2. de cenſuris diſp. 8. de ſuſpenſione c. 3. concl. 4. verſ. ſecundo notandum in fin.* Alij volunt tunc intelligi, quando facta prædicta denuntiatione fit citatio, quià à

52 Quando nam dicatur res deducta ad forum contentioſum.

citatione incipit iudicium per textum *in §. fin. Inſtit. dè pan. tem. litig.* atque ita ſentit *Floronus de caſib. reſeruat. c. 4. §. 21. nu. 2. Aloyſius Riccius in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ. 521.* Alij, quando iam lis intelligitur conteſtata, quià tunc propriè dicitur forus contentioſus, quando eſt contentio inter partes negando, vel confitendo; conteſtatio autem litis inducitur per citationem ſuper petitione, & per reſponſionem; atque ita ſentire videntur *Iaſon in l. cum fundus n. 4. ff. ſi certum pet. Decius in c. cum Eccleſia n. 4. de appell. Gananius in man. Epiſcop. verb. abſolutio nu. 12. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuil. ſect. 1. caſ. 10. §. 3. n. 36.* Hac in difficultate ſentio, quod, quantumvis in rigore tunc ſolummodo dicatur res deducta ad forum contentioſum, quando lis eſt conteſtata, prout tamen pertinet ad præſentis difficultatis ſtatum, ſufficientèr dici deductam ad talem forum, quando facta eſt denuntiatio coram legitimo ſuperiore, prout ſentit prima opinio. Rationem ex eo deſumo, quià facta denuntiatione ordinario ſuper impedimento ipſe ordinarius per ſuperius dicta tenetur ex officio procedere ſuper illo, cum agatur de peccato vitando, nec poſſit diſſimulare; ergo tunc non poterit in foro interno ex vi illius commiſſionis ſuper illo diſpenſari.

53 Succeſſiuè alia ſuboritur difficultas, an deducto illo impedimento ad forum contentioſum modo explicato poſſit ex vi illius commiſſionis in foro interno diſpenſari, ſi finito iudicio fuerit reus conuentus liberatus, ſeù abſolutus, & hoc ſiuè per definitiuam ſententiam, ſi illud impedimentum non fuerit probatum, ſiuè per interlocutoriam in abſolutione ab inſtantia, ſeù ab obſeruatione iudicij, ſi fuerit dumtaxat ſemiplenè probatum. Reſpondendum eſt, vtique poſſe diſpenſari *Graſſius lib. 1. deciſ. aurear. c. 13. n. 42. Campanilis in diuerſ. iur. can. rub. 7. c. 5. n. 8. & rub. 11. c. 23. n. 144. Marius Antoninus var. reſol. lib. 3. reſol. 16. verſ. non obſtat verſ. 21. Sigiſmundus Capucinus tract. de elect., & poſt Pralat. Reg. part. 3. dub. 71. nu. 11. Gananius in manual. Epiſcop. verb. abſolutio n. 13.* Ratio eſt clara, quià finito iudicio, & lata ſententia abſolutoria, delictum adhuc manet occultum, quandòquidem eadem ſententia comprimit ipſum impedimentum, quod iam fuerat denũtiatum, & facit de albo nigrum, & de apparenti occultum; quod æquè verificatur, ſiuè ſententia abſolutoria fuerit definitiua, ſiuè interlocutoria ab obſeruatione iudicij; quandòquidem per illam ſententiam interlocutoriam iudicium eſt terminatum, & ſublata infamia orta ex delatione ad talem forum.

Deducto impedimento ad forum contentioſum, & liberato reo poteſt in foro interno diſpenſari.

54 Succeſſiuè alia inde difficultas emanat, an ſi fuerit terminatũ iudicium per ſententiam abſolutoriam medijs deprauatis, ſeù falſis teſtibus inductis per ipſum reum, impedimentum intelligatur remanere occultum, adeout ex vi commiſſionis poſſit ſuper illo diſpenſari. Reſpondendum eſt affirmatiuè *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 37. n. 12. in fin. Sairus tom. primo lib. 7. c. 7. n. 12. Emanuel Sà in ſumma verb. Epiſcopus n. 34. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuileg. ſect. 1. caſ. 10. §. 3. n. 41.* Ratio ex eo deducitur, quià per illam ſententiam, quamuis medijs deprauatis, & teſtibus falſis impetratam impedimentum illud nõ auferatur, aufertur tamen infamia, quę orta fuerat ex illa delatione ad forum externum, & contentioſum, cum, vt aſſerebam, ſententia faciat de albo nigrum, & de illa ſententia conſtat, de deprauatione vero mediorum, & de falſitate teſtium non conſtat, ergo &c.

54 Etiam, ſi fuerit liberatus medijs deprauatis.

CLAVSVLA SEPTIMA.

Expediuntur ea, quæ pertinent ad legitimationem prolis per diſpenſationem ad matrimonium ineundum, quando eſt impedimentum affinitatis ex copula occulta, vel quando etiam eſt irritum.

INter cæteras clauſulas, quæ apponi ſolent in literis ſacræ pænitentiariæ ad contrahendum matrimonium præcedenti affinitate occulta hæ ſolent addi. *Diſpenſet prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nunciando in foro conſcientiæ tantum*; in ordine vero ad matrimonium iam initum, ſed irritum ex impedimento ſimili occulto iterum contrahendum, hæc alia regulaſitèr ſubditur. *Diſpenſa, vt matrimonium inter ſe ſecreto contrahere valeant prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exindè legitimam decernendo in foro conſcientiæ tantum.* Circa quas clauſulas plurima contingunt dubitari, & primo quemnam effectum pariat hæc legitimatio, quando nondum inito matrimonio diſpenſatur, vt id ineatur cum impedimento, legitimando in foro conſcientiæ prolem ex eo ma-

Explicantur clauſulæ, & mouentur dubia circa legitimationem prolis.

trimo-

Digitized by Google

trimonio ſuſcipiendam; *Secundo*, an huiuſmodi effectus præſtet diſpenſatio facta in foro interno, quāuis nec in literis commiſſionis, nec in executione earundem vlla facta fuerit mentio legitimationis. Tertiò, an, ſi antecedenter ad tale matrimonium fuerit proles ſuſcepta, & antecedenter ad diſpenſationem, ex vi illius diſpenſationis, & legitimationis reddatur in foro interno legitima. Quarto, cum in diſpenſatione ſuper matrimonio iam contracto, ſed irrito ex impedimento occulto affinitatis per fornicationem apponatur clauſula. *Cum ipſis latoribus de nullitate prioris conſenſus certioratis, ſed ità cautè, vt, ſi illa adhuc ignorarit, latoris delictum nunquam detegatur, diſpenſa, vt matrimonium ſecretò inter ſe contrahere valeant &c.* erit dubium, an illa clauſula habeat vim conditionis, & formæ, an vero præcisè inſtructionis, adeout, ſi omittatur, teneat matrimonium inſtauratum, & intelligatur proles ſuſcepta, vel ſuſcipienda legitima. Quinto, an, ſi fuerit contractum matrimonium, ſed irritum ex impedimento occulto affinitatis non cognito ab altero, & obtenta ſuper eodem impedimento diſpenſatione in foro interno vterque conſcius factus fuerit impedimenti, illud inſtauauerint, & deindè poſt illud matrimonium inſtauratum prolem ſuſceperint cōceptam poſt eandem inſtaurationem, an, inquam, illa proles habenda ſit pro legitima, tàm in foro externo, quàm interno. Sexto, quomodo intelligēda ſit illa clauſula poſt matrimonium contractum irritum ſcientèr. *Quodque diligentèr experiantur, an ſine ſcandalo poſſint ſeparari; quod ſi fieri poteſt, fiat omninò; ſin autem fieri non poterit, ſaltem experiantur, an cohabitantes tanquam frater, & ſoror continentèr viuere valeant; Quod, ſi neutrum fieri valeat, & ex cohabitatione incontinentiam, ex ſeparatione verò ſcandala oriri poſſe ſibi viſum fuerit &c.*

55 Habilitat tantum prolem in foro conſcientiæ.

Assertio I. Diſpenſatio ad ineundum matrimonium cum tali impedimento affinitatis occultæ, quando nondum initum eſt, legitimando prolem exindè ſuſcipiendam in foro tantum conſcientiæ habilitat eandem prolem ad omnia tàm temporalia, quàm ſpiritualia in eodem foro conſcientiæ. Ità expreſsè *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 34. n. 47.*

Ratio clara eſt, quià ex matrimonio validò proles ſuſcepta legitima eſt in eo genere, in quo matrimonium ipſum eſt validum, quantumvis præceſſerit impedimentum dirimens, ſi ſuper illo fuerit antecedentèr diſpenſatum, & ſicuti, ſi fuerit diſpenſatum ſuper impedimento notorio pro vtroque foro ex matrimonio illo proles orta eſt pro vtroque foro legitima, ità ſi fuerit diſpenſatum ſuper impedimento occulto affinitatis pro foro interno, proles ex illo matrimonio ſuſcepta erit legitima pro foro interno, ergo in eodem foro erit habilis ad omnia munera tàm ſpiritualia, quam temporalia, & ſic erit capax ordinum, & cuiuſcunque beneficij, & ſucceſſionis quoad bona parentum.

Etiam, ſi in diſpenſatione nulla facta fuerit mentio leg t ma-tionis.

Extende primo aſſertionem, vt verificetur, quantumvis in ipſa diſpenſatione nulla facta eſſet mentio legitimationis, quandòquidem ipſa legitimatio conſurgit ex genere ſuo, ex validitate matrimonij ſecundum ſe; repugnat enim in terminis, quod matrimonium illud ſit validum, & proles ex illo ſuſcepta non ſit legitima; quod, ſi ex conſueto addatur illa particula *prolem ſuſcipiendā exinde legitimam nunciando*; quæ videretur ſuperflua, ſi ex diſpenſatione præcisè ex matrimonio inde inito conſurgeret legitimatio, dices, illam apponi ad maiorem abundantiam, & ad quemcumque ſcrupulum inde amouendum, vt benè notat *Sanchez loc. cit.*

Etiam, ſi proles naſceretur poſt diſpēſationem in foro externo expeditam ab ordinario.

Extende ſecundo, vt valeat etiam, quantumvis proles naſceretur poſt diſpenſationem in foro interno ab ordinario expeditam, ſed antequam matrimonium iniretur, & hoc etiam, quamvis eadem proles eſſet concepta antè expeditionem eiuſdem diſpenſationis; nec obeſſe poteſt particula poſita in formula diſpenſationis *prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nunciando*, vbi legitimatio refertur ad eandem, non vtcunque ſuſceptam, ſed ſuſcipiendam ex matrimonio, ſeù poſt matrimonium; non, inquam, obeſſe poteſt, quià illa clauſula eſt appoſita ſecundùm ea, quę regularitèr ſolent contingere, & nullo præcedente delicto, cæterum non eſt excluſiua eorum, quæ poſſunt contingere ſuppoſito poſtea, quod ineatur matrimonium; Ratio huius illationis ea eſt, quià per ſubſequens matrimonium validum legitimatur proles antecedentèr ſuſcepta, cùm matrimonium ſubſequens purget omnia præcedentia per textum *in c. tanta qui filij ſint legit.*

Non prodeſt quoad forum externum.

Limita tamen, vt non procedat ea legitimatio in foro externo, & iudiciali, ſecundum quem illa proles habebitur pro irregulari, & incapaci ordinum, & omnium beneficiorum &c. quandò quidem illa diſpenſatio, & legitimatio ità inducta eſt, vt pro foro externo non ſuffragetur; vndè in contentione inter perſonas ſuccedere contendentes in bonis temporalibus ab inteſtato, & ipſum ſic legitimatum illi erunt præferendi, quod idem dic in ordine ad ſucceſſionem in beneficijs, & alijs ſpiritualibus, vbicunque fuerit controuerſia in foro externo.

Sublimita tamen hanc limitationem, vt non procedat, quando matrimonium 56
eſſet initum altero ex contrahentibus

 pror-

Niſi alter ex contrahentibus eſſet prorſus ignarus impedimēti.

prorſus ignaro impedimenti, & diſpenſationis ſuper illo obtentæ; tunc etenim proles ex illo matrimonio ſuſcepta eſſet legitima, & habilis ad ſuccedendum in omnibus quoad vtrumque forum: ſic expreſsè ſentit *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. n. 10.* Ratio huius ſublimitationis ea eſt, quià filius natus ex matrimonio irrito, ſed bona fide, vel ab vtroque contrahente, vel ab altero illorum inito habetur etiam in foro externo pro legitimo reſpectu vtriuſque parentis, prout expreſsè habetur *in c. ex tenore, c. cum inter c. peruenit qui filij ſint legitimi*, & hoc eſt inductum in fauorem eiuſdem prolis, quæ in ſucceſſionibus ſequitur conditionem parentis innocentis. Hoc tamen vnum aduertendum eſt, quòd, quantumvis proles orta ex matrimonio inualido bona fide ab altero contracto ignorante adeſſe impedimentum, altero tamen ſciente impedimentum, ſit legitima reſpectu vtriuſq; ratione fauoris eiuſdem prolis, parens tamen, qui ſcienter contraxit cum impedimento non dicatur legitimus reſpectu talis prolis, vndè eidem nequit ſuccedere. Ratio diuerſitatis ex eo deſumitur, quià pœnæ ſunt irrogandæ reſpectu delinquentis; proles autem non deliquit, licèt deliquerit parens contrahendo ſcienter cum impedimento dirimente.

57 *Importat formam, & conditionem non tamen rigoroſam.*

Assertio II. Probabilius eſt, quod illa clauſula. *Cum ipſis latoribus certioratis de nullitate prioris contractus diſpenſa*, importet conditionem; & formam, non tamen ità rigoroſam, vt ſi eſſet periculum detectionis criminis alterius; vel ſcandalorum, non poſſit omitti. *Riccardus in 4. diſt. 40. art. 1. q. 6. ſupplementum Gabrielis in 4. diſt. 35. qu. 1. art. 2. concl. 3. Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 52. art. 1. dub. 2. Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 47. verſ. præterea, Abulenſis primo Regum 8. q. 38 Veracrux prima part. ſpeculi art. 29. in fine*, & hoc idem ſentit expreſsè *Sanchez lib. 2. de matrimonio diſp. 36. nu. 4. verſ. Sit prima concluſio*, qui tamen conſequenter non videtur loqui, dum *lib. 8. diſp. 34. n. 61*, aſſerit, illam clauſulam non habere vim conditionis, ſed meræ inſtructionis confeſſarij.

Ratio deducitur primo ex ijs, quæ alibi dicebamus, & præcipuè *tom. 5. ſub. tit. Contractus XIV. de ſponſalib. l. diſq. II. §. 7. n. 3.* nempè nil magis eſſe contrarium conſenſui, quàm errorem *l. ſi per errorem ff. de iuriſdictione omnium iud.*, *& l. nihil conſenſui ff. de reg. iur.*, ſed ignorans impedimentum ex errore aſſentitur tali perſonæ, vt ſuæ, cum non ſit ſua, & ſic eſt error circà perſonam, ergò &c. Secundò, quià quando quis ignarus eſt impedimenti, tantum intendit ratificare ipſius matrimonium, non nouum conſtituere, cum credat prius validum eſſe, ſed quod nullum eſt, ratificari non poteſt per textum *in c. ad diſſoluendum de deſponſ. impub.*, ergò &c. Tertiò hoc idem euincitur ex conceſſione Bullæ facta commiſſario, vbi conceſſa ei diſpenſandi poteſtate cum ijs, qui ignoranter in gradu prohibito contraxere, imponitur onus tanquam forma alterum impedimentum ignorantem de nullitate prioris contractus certificandi, ergò etiam &c. Vide, quæ latè de hoc diximus *tom 6. ſub tit. Contractus XV. de matrim. I. Diſq. 3. §. 24. verſ. reſpondeo 2. per totum*, vbi latè hanc materiam tractauimus; Neque obſtat, quod ibi dixerimus ex mente Sanchez, quod ille ablatiuus abſolutus certiorato altero de impedimento non ſe habeat per modum conditionis, & formæ, ſed per modum admonitionis, & inſtructionis confeſſarij; Non, obſtat, inquam, quià hoc ſolummodò procedit, quandò eſſet periculum detectionis criminis in altero contrahente, vel ſcandalorum, ſecùs autem vrgenti graui neceſſitate, & periculo, vndè bene diximus in aſſertione *non tamen ità rigoroſam, vt ſi &c.*

Rationes euincentes intentum.

Assertio III. Si matrimonium fuerit inualidè contractum ob impedimentum occultum affinitatis, bona tamen fide alterius contrahentis ignorantis penitus tale impedimentum, & deindè impetrata ſuper eodem diſpenſatione certiorato ignorante de tali impedimento fuerit reualidatum per nouum vtriuſque conſenſum, & ſubinde fuerit poſt illum nouum contractum concepta proles, hæc tantum intelligitur legitima in foro interno, non in externo. Ità expreſsè *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. n. 52.* 58

Reualidato matrimonio per diſpenſationem in foro interno proles eſt tantum legitima in foro interno.

Ratio ex eo deducitur, quià matrimonium præcedens irritum, initum tamen cum bona fide alterius contrahentis, non poteſt aliquid beneficij conferre in ordine ad prolem conceptam, & ſuſceptam poſt aliud matrimonium validè initum cum ſcientia vtriuſque contrahentis de tali impedimento, & diſpenſatione ſuper eodem impetrata; ergò perindè eſt in ordine ad eandem, ac ſi fuerit præcisè contractum cum ſcientia talis diſpenſationis, & impedimenti, ac ſi ex illo dumtaxat proles illa fuerit ſuſcepta, ſed quandò eſt concepta ex matrimonio tantum valido in foro interno, eſt tantum legitima pro tali foro, ergò &c. Antecedens probatur, quià proles illa non eſt concepta pro tempore prioris matrimonij inualidi, pro quo vigebat bona fides alterius contrahentis, & ſubſequens matrimonium validum cum ſcientia, & diſpenſationis, & impedimenti annullat bonam fidem eiuſdem, & quidem pro tempore, pro quo, cum proles illa non eſſet concepta, illa bona fides præcedens

Digitized by Google

dens non poterat illi prodeſſe, ergò &c.

Ex hoc tamen collige, quod, ſi coniux ignarus impedimenti, qui contraxit cum bona fide, non fuerit certioratus poſt diſpenſationem, nec diſpenſationis illius, nec impedimenti, ex eo, quod ex illa certioratione timeretur periculum notitiæ delicti alterius, aliorumque ſcandalorum; tunc proles ex illo matrimonio inſtaurato ſuſcepta, vtique gauderet legitimitate in vtroque foro proptèr doctrinam ſuperius traditam, quod proles, quantumvis ſuſcepta ex matrimonio inualido, dummodò alter ex contrahentibus bona fide contraxerit, habeatur pro legitima etiam in foro externo.

Si ignarus non fuerit certioratus poſt diſpenſationē proles habebitur pro legitima in vtroque foro.

59 Quomodo experimentum, quod indicitur in literis ſit intelligendum.

Assertio IV. Experimentum, quod indicitur in literis ſacræ pænitentiariæ, quandò matrimonium ſcienter contractum eſt cum impedimento occulto affinitatis ortæ ex copula fornicaria, an ſeparari poſſint ſine ſcandalo, vel continenter habitare poſſint tanquam frater, & ſoror, non eſt neceſſarium, quandò ipſi confeſſori, vel ex præcedenti experientia, vel aliundè conſtat experimentum illud nullius fore vtilitatis, ſed inde ſcandala oritura, & periculum incontinentiæ imminere. In hanc expreſſè conſentit *Sanchez loc. cit. n. 60.* à quo eam deſumo.

Ratio ex eo deſumitur, quià illud experimentum indicitur, vt cognoſcatur, an vnum ex expoſitis fieri poſſit ſine ſcandalis, vel ſine periculo incontinentiæ, ergò, vbi aliundè conſtiterit, non poſſe ſine ſcandalis ſeparari, nec cohabitare ſine periculo incontinentiæ, illud experimentum non erit neceſſarium, quià fruſtra fit experimentum, cuius nullus expectatur effectus. Accedit, quod ipſe quoque Pænitentiarius in expeditione huiuſmodi literarum vim huiuſmodi rationis conſiderauit, qui propterea bis appoſuit illam particulam, *ſi fieri poteſt*, & ſtatim remittit prudentiæ, & iudicio confeſſarij executionem diſpenſationis.

CLAVSVLA OCTAVA.

Expediuntur omnia, quæ pertinent ad literarum dilacerationem.

VLtimo loco conſueuerunt apponi in literis ſacræ pænitentiariæ hæ clauſulæ. *Nullis ſuper his teſtibus adhibitis, nec literis datis, ſeu proceſſibus confectis, ſed præſentibus laceratis, Quas lacerare teneatis, neque latori reſtituas, quod ſi reſtitueris, nihil illi præſentes literæ ſuffragentur*, & quandòque contra non lacerantem, ſed reſtituentem latori apponitur etiam pæna excommunicationis. Circa huiuſmodi clauſulas duo, vel tria dubia conſurgunt. Primum eſt, ad quem effectum huiuſmodi laceratio præcipiatur. Secundum, an, ſi reſtitutæ fuerint latori, & poſteà dilanientur, ſortiantur ſuum effectum, vel ſi fuerint amiſſæ ſine ſpe recuperationis. Tertium, an, ſi verè fuerint reſtitutæ latori, & apud eum manſerint, fruſtretur diſpenſatio ſuo effectu, vel reſtituens ſubeat pænam excommunicationis.

Dubia circa dilacerationem literarum.

Assertio I. Finis potiſſimus, ob quem in literis ſacræ Pænitentiariæ indicitur dilaceratio literarum, & ne reſtituantur latori, eſt, ne delicta in eiſdem contenta detegantur, *Nauarrus lib. 5. conſil. in prima edit. tit. de priuileg. conſ. 5., in 2. verò lib. 2. tit. de iudicijs conſ. 4. Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 15. n. 17. in reſp. ad ſecundum.* 60

60 Finis eſt ne delicta detegantur.

Ratio deducitur ex contextu verborum præcedentium. Ibi *nullis ſuper his teſtibus adhibitis, nec literis datis, ſeù proceſſibus confectis, ſed præſentibus laceratis*, quę omnia cum vna, & eadem oratione contineantur, ad vnum, & eundem effectum confluunt; cum igitur præcipiatur, ne teſtes adhibeantur, nec efformentur proceſſus ad eum effectum, ne delictum illud detegatur, ex conſequenti ſequitur, quod ad eundem effectum ordinetur literarum dilaniatio. Accedit, quod tanta eſt cura ſacræ pænitentiariæ, vt non detegatur delictum, vt eximat etiam ab onere certiorandi alterum ignorantem, quantumvis talis certioratio grauiſſimè præcipiatur, quandò imminet periculum talis detectionis; ergò præſumendum eſt ex vehementi illa cura, quod finis talis dilianationis literarum eo fuerit ordinatus, vt illud delictum non aperiatur. Accedit ſecundò, quod finis huiuſmodi non poſſit eſſe, vt inſeruiant pro foro externo, quandòquidem ex eiſdem apparet pro foro tantum interno deſeruire.

Assertio II. Quamuis literæ fuerint reſtitutæ latori, & parti, & poſteà reuocatæ, & laceratæ, ſeù fuerint deperditæ, ſine ſpe recuperationis, non tamen redditur irrita diſpenſatio. Hanc etiam tenet *Sanchez loc. cit.* 61

61 Non redditur irrita, ſi literæ reſtituantur.

Ratio ex eo deducitur, quià tunc videntur ſaluari omnia, quæ ex ſtilo ſacræ pænitentiariæ requiruntur; nec illa reſtitutio literarum facta latori poteſt demere vim diſpenſationis, quandòquidem, intantum prohibetur illa reſtitutio, in quantum, vt nos diximus, periculum eſt, ne crimen detegatur, vel vt alij, & non incongruè, volunt, ne poſſit inſeruire eidem latori ad exterius manifeſtandam diſpenſationem, ſed quandò reuocatæ intelliguntur huiuſmodi literæ, & laceratæ, ceſſat periculum manifeſtationis delicti, & quod diſpenſatus poſſit eiſdem vti ad alios effectus, ergò &c. Quod idem dic, quandò literæ fuerunt deperditæ ſine ſpe recuperationis.

Digitized by Google

Sed quid dicendum ſit, ſi contra confeſſarium reſtituentem huiuſmodi literas latori poſt executionem diſpenſationis indicta ſit pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & de facto ipſe reſtituerit literas, ſed poſteà reuocauerit, & lacerauerit, vel amiſerit ſine ſpe recuperationis; tunc cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel reſtituit data opera cum plena cognitione talis excommunicationis indictæ, & cum animo, vt apud latorem permanerent, & tunc certè non eximitur ab incurſu eiuſdem excommunicationis; vel reſtituit cum inaduertentia, & ſine cõſideratione, vel ſi aduertentèr cum animo ſtatim recuperandi, & tunc eximerem ab huiuſmodi pœna. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia tunc concurrunt omnes conditiones, quæ requiruntur ad incurrendam huiuſmodi pœnam, poteſtas ſcilicet in infligente huiuſmodi pœnam, & delictum formale, & conſummatum in eo, aduerſus quem eſt indicta; nec excuſatur ex eo, quòd poſtea reuocet, & laceret, quandoquidem iam fuit delictum cõſummatum, & pœna incurſa, ſeu contracta, quæ non tollitur per remotionem operis exerciti, ſed indiget abſolutione. Ratio ſecundæ partis, quia tunc non contrahitur noxa lethalis, quæ non poteſt eſſe niſi cum plena aduertentia; reſtitutio autem illa ſupponitur ſine tali aduertentia, & ſi aduertentèr reſtituerit cum animo ſtatim recuperandi non eſt contra finem iuris prohibentis, qui fuit ne permanerent literæ apud latorem ad effectus, de quibus ſupra, qui finis ceſſat, quando datæ ſunt cum illa intentione immediatæ recuperationis.

Si reſtituerit Commiſſarius literas latori ex inaduertentia non incurreret excommunicationẽ.

62 *Non irritatur diſpenſatio, quãuis literæ maneant penes latorem.*

Assertio III. Quamuis literæ reſtitutæ fuerint, & manſerint apud latorem probabilius eſt diſpenſationem non fruſtrari ſuo valore.

Ratio ex eo deducitur, quia ſacra Pœnitentiaria expreſsè non appoſuit hanc nullitatem, ſed tantum aſſeruit, quod huiuſmodi literæ, ſi fuerint reſtitutæ latori, nihil penitus eidem ſuffragentur, quod intelligendum eſt de foro externo, cum ſolum illum reſpiciat illa particula *ſuffragentur*. Neque dicas, quod hac ratione ſuperfluè eſſet appoſita illa particula, quandoquidem ea etiam præciſa certum eſt diſpenſationem illam pro foro externo non prodeſſe, præcipuè cum hoc exprimatur in illis particulis *pro foro conſcientia tantum*; contra enim impugnaberis; quia mens maioris pœnitentiarij in appoſitione illius clauſulæ fuit ad intercludendam viam, quæ antiquitus vigebat, vt per exhibitionem huiuſmodi literarum ſatis probaretur diſpenſatio.

CLAVSVLA VLTIMA.

Expediuntur ea, quæ pertinent ad gratuitam diſpenſationem.

A Tergo quarumcunque literarum, quæ expediri conſueuerunt à ſacra pœnitentiaria pro diſpenſationibus in foro conſcientiæ apponi ſolent hæ particulæ *gratis vbique*. In ordine ad quas particulas multi excitantur articuli examinandi. Primus eſt, an maior Pœnitentiarius, quãuis non poſſit aliquid exigere, nec per viã compoſitionis, nec per viam alterius tituli oneroſi, poſſit tamen aliquid accipere titulo gratitudinis, maximè ſi fuerit ſpontè oblatum. Secundus, an commiſſarius, ad quem ſpectat expeditio huiuſmodi literarum poſſit aliquid accipere ratione conſuetudinis in tali loco vigentis. Tertius, an poſſit aliquid recipere ratione laboris impenſi in tali expeditione. Quartus, an poſſit ſaltem aliquid modicum recipere, & eſculentum. Quintus, an ſi in Dataria impetrata fuerit ſemel gratia diſpenſationis pro vtroque foro, ſed reticita copula inceſtuoſa, vel alio impedimento, ratione cuius ab eadem Dataria exigi ſolet cõpoſitio pecuniaria, & deinde in ſacra pœnitentiaria impetretur alia diſpenſatio explicata omninò veritate, poſſit in eadem pœnitentiaria exigi illa compoſitio.

Explicantur clauſulæ circa gratuitam diſpenſationem.

Assertio I. Maior Pœnitentiarius nedum aliquid poteſt exigere per viam compoſitionis, nec alio titulo oneroſo, ſed nec aliquid ſpontè oblatum accipere titulo gratitudinis. *Nauarrus lib. 4. conſ. in prima edit. tit. de ſponſalib. conſ. 50. n. 3. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. n. 64. Salas de legib. diſp. 20. ſect. 10. § 3. n. 99. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 111.* 63

Maior pœnitentiarius nequit aliquid accipere, nec ſpontè oblatum.

Expreſsè deducitur ex clauſulis, quibus à Summo Pontifice cõceditur maiori Pœnitentiario facultas diſpenſandi pro foro interno, per quas eidem prohibetur aliquid recipere, etiam titulo gratitudinis ſpontè oblatum, de qua clauſula prohibente expreſsè meminit *Nauarrus loc. cit.* Non arbitrarer tamen ſub tali prohibitione contineri, ſi aliquid poſt expeditam diſpenſationem, nullaque præmiſſa ad hoc habitudine, nec conſideratione reciperet, cum hoc non poſſit tendere ad mouendũ animum eiuſdem Pœnitentiarij ad diſpenſandum, & hæc eſt extra munus diſpenſationis; ea proportionali ratione, qua prohibitum eſt Eccleſiæ Rectoribus conferre beneficia pro aliquo temporali, & in multorum ſententia, etiam ſi illud temporale antecedenter conferretur ex titulo gratitudinis, non tamen prohibitum intelligitur aliquid recipere poſt perfectam, & expeditam collationem, ſi nullus in tali colla-

collatione fuerit habitus reſpectus ad tale temporale.

64 Non peccat commiſſarius, ſi quid accipiat iuxta conſuetudinem.

Assertio II. Non eſſet grauis culpæ damnandus, nec cenſura afficiendus commiſſarius, qui non intuitu pretij, ſed muneris gratuiti ex conſuetudine in tali loco vigente aliquid reciperet in expeditione diſpenſationis *Salas de legib. diſp. 20 ſect. 10. §. 3. n. 99. verſ. dico 2.* cui adhærere videtur *Diana part. 8. tract. 3. reſol. 111.*

Rationem adducit idem Salas, quià per talem clauſulam ſolum prohibetur acceptio pretij, ſeù ſtipendij, non munerum gratuitorum, & ſolum ſtipendium, quod poſſit animum commiſſarij corrumpere, cuiuſmodi non eſt illud, quod titulo laudabilis conſuetudinis erogari ſolet; & clauſula generalis non derogat priuatæ conſuetudini ſufficientèr præſcriptæ.

65 Nequit quid accipere ratio. ne laboris.

Assertio III. Probabilius eſt non poſſe commiſſarium aliquid recipere tanquam pretium laboris impenſi in expeditione huiuſmodi literarũ. Et contra *Perez de Matrimon. diſp. 48. ſect. 2. num. 6. verſ. dico 2.*

Ratio ex eò deduci poteſt, quia, cum in huiuſmodi expeditionibus pro foro interno tantum animæ non adhibeantur teſtes, nec efformetur proceſſus, labor ipſe, ſi qui impenditur eſt omnino intrinſecus, & indiſtinctus ab ipſa executione, & expeditione, ſicuti eſt indiſtinctus à miniſterio ſacramentalis abſolutionis labor, qui in tali miniſterio impenditur, ſed pro ipſa expeditione, ſeù executione, ſicuti pro miniſterio ſacramentalis pœnitentiæ nequit aliquid temporale exigi, vt clarè deducitur ex tali clauſula, ergo &c. nec pro labore, qui impenditur in tali executione. Hac ratione etiam docuimus in quæſtionibus de ſimonia, non licere aliquid exigi pro labore, qui ex genere ſuo exigitur, & ex vi talis muneris in celebratione ſacrificij Miſſæ, aliorumque ſacrorum miniſteriorum.

66 Vetantur per hanc clauſulam etiam eſculenta, & poculenta.

Assertio IV. Probabilius eſt nedum per talem clauſulam vetari munera cuiuſcunque valoris, & momenti, ſed etiam eſculenta, & poculenta. Ita expreſsè cõtra eundem Perez loc. ſupra cit. *Garzias de beneficijs tom. 2. pars. 8. c. 1. n. 102. & ſeqq.*

Moueor potiſſimum ex declarationibus ſacræ Congregationis Cardinalium, quas refert *idem Garzias loc. cit.* quæ non incongruo nituntur fundamento; quandoquidem, cum gratia diſpenſationis iam fuerit expedita quoad ſubſtantiam à ſacra pœnitentiaria, & ſolum indigeat executione per commiſſarium facienda, vtique ſecundum ſe; quando non eſſet prohibitio, non exigeret munera maximi, ſeu magni valoris; cum igitur ex ſtilo ſacræ pœnitentiariæ prohibeantur munera, ſeu ſtipendia, vtique nec intelliguntur etiam quoad modica, cum conformari debeant muneri, propter quod irrogantur. Accedit, quod, quando etiam conferrentur ſolummodo eſculenta, & poculenta non verificaretur clauſula *Gratis vbique*; non ſubijcerem tamen excommunicationi recipientem modicum quid pro munere, cũ æquum non ſit pro delicto in modico grauiſſimam pœnam irrogari.

Assertio V. Si impetrata fuerit in Dataria gratia diſpenſationis pro vtroque foro, & reticita in eodem qualitas inceſtus, vel alterius impedimenti diſpenſabilis à ſacra Pœnitentiaria, propter quod ab eadem Dataria exigi ſoleat compoſitio pæcuniaria, & deinde pro foro interno impetrata fuerit alia diſpenſatio explicata illa qualitate inceſtus, vel alterius impedimenti non poteſt exigi ab eadem pœnitentiaria compoſitio pecuniaria. *Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de ſponſalibus conſ. 50. n. 3. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. n. 64.* 67 Impetrata diſpenſatione pro vtroque foro in Dataria reticita qualitate diſpenſabili per ſacram pœnitentiariã ſi poſtea ab hac impetratur noua diſpenſatio pro foro interno nõ poteſt aliquid exigi pro ipſa.

Ratio ex eo deducitur, quia vtique ſacra pœnitentiaria ſuppoſita illa diſpenſatione in foro externo conceſſa per Datariam in impedimento manifeſto conſanguinitatis &c. diſpenſabili ſolummodo per eandem poteſt diſpenſare ſuper impedimento occulto affinitatis, ſeù alterius rationis prouenientẽ à crimine occulto; ſed in diſpẽſationibus manãtibus à ſacra pœnitentiaria nihil omninò poteſt exigi, cũ hoc eidem ſit interdictum à Romano Pontifice, ergo &c. Neque dicas primo, hoc non poſſe ſuffragari indigenti diſpenſatione, quià talis reticentia eſt in fraudem, & præiuditium ipſius Datariæ, cui in impetratione diſpenſationis pro foro externo exponenda ſunt omnia, quæ ex genere ſuo habent dirimere matrimonium, nec vnum poteſt exigi ſine alio, cum tendant ad vnum, & eundem finem matrimonij. Secundo, quià melioris foret conditionis deceptor, qui non expoſuit impedimentum occultum, quam ille, qui vera narrat, quandòquidem ille non teneret compoſitionẽ ſoluere; hic verò nõ eximeretur à tali ſolutione; contra enim impugnaberis, quià quando impedimenta non ſunt connexa, nec communicant in obiecto diſpenſatio poteſt impetrari ſucceſſiuè prius in vno, & poſtea in altero, prout docent *Perez de matrimon. diſp. 46. ſect. 5. n. 7. Diana pars. 8. tract. 3. reſ. 57. Nauarrus lib. 4. conſ. tit. de conſang. in prima edit. conſ. 4. n. 2. & 3. Petr. de Led. de matrimon. q. 52. art. vlt. dub. 2. difficul. 3. poſt tertiam concluſ. correl. 1.* quod etiam nos docuimus in his ſpecificis terminis *ſub hoc eod. tit. Contractus 15. de matrimon. III. prænot. 21. aſſert. 7. in probat. 1.* Ad ſecundum dicendum eſt, quod, quantumuis ſit melioris conditionis quoad hoc

ille

ille qui tacuit, quam ille, qui expreſſit, quatenus iſte tenetur ſoluere compoſitionem, non ille; non ſit tamen melioris conditionis quoad alia, nam ille, qui tacet, non poteſt vti diſpenſatione in foro externo, benè tamen ille, qui expreſſit.

PRÆNOTIO XXVI.

Explicantur notabiliora circa clauſulas diſpenſationum pro foro externo.

SVMMARIVM.

Nomine officialis, cui diriguntur diſpenſationes pro foro externo, venit Vicarius Epiſcopi Diœceſis, in qua facienda eſt diſpenſatio. 1.

Ordinarius illius Officialis, cui literæ directæ ſunt, non poteſt illas expedire. 2.

Etiam, ſi antè expeditionem eundem vicarium remouerit ab officio. 3.

Officialis, ſi ante expeditionem literarum fuerit promotus ad Epiſcopatum non poteſt illas expedire. 4.

Intellige, niſi commiſſio eſſet perſonalis. 5.

Vicarius capituli ſede vacante poteſt huiuſmodi commiſſiones exequi, ſiuè in literis dictum fuerit, Vicario, ſeu Officiali talis Diœceſis, ſiuè Officiali Epiſcopi illius Diœceſis. 6.

Officiales prælatorum habentium ſuum Territorium, & iuriſdictionem priuatiuè quoad Epiſcopos ſunt capaces exequendi huiuſmodi commiſſiones. 7.

Si duplex fuerit officialis vterque æquè principalis, vterque poteſt exequi; ſi verò vnus fuerit principalior, ipſe ſolus poteſt exequi. 8.

Si indigentes diſpenſatione fuerint diuerſæ Diœceſis, & commiſſio facta fuerit Officiali vnius, poteſt hic exequi pro vtroque. 9.

Officialis alterius Diœceſis non nominatæ, cuius alter ex contrahentibus eſt ſubditus, non poteſt literas commiſſionis exequi. 10.

Allegata paupertate fœminæ ad congruè nubendum cum augmento dotis per virum conſtituendo hoc debet eſſe tale, vt ſimul cum incongrua dote dotem integram conſtituat. 11.

Si volens contrahere cum conſanguinea expoſuerit, ſe velle eidem augmentum conſtituere; cum tamen alius ſit, qui pactus eſt conſtituere, tenet diſpenſatio. 12.

Si commiſſarius executus fuerit diſpenſationem antè conſtitutionem augmenti promiſſi, ſit tamen certus de eadem ponenda, tenet diſpenſatio. 13.

Ad quam quantitatem debeat aſcendere illud augmentum. 14.

Commiſſarius in examine ſuper preces non debet ex neceſſitate procedere per viam iudicij. 15.

Conditio ſolita apponi, dummodo mulier *rapta non fuerit, non debet intelligi reſtrictiuè quando ſcilicet ſolum rapta fuit ad finem matrimonij contrahendi.* 16.

Si conſanguineus raptor conſanguineæ expreſſerit conſanguinitatem, & non raptum, non poteſt ex vi illius diſpenſationis cum illa contrahere, quamuis raptam reſtituerit in loco tuto. 17.

Clauſula illa, prolem ſuſcipiendam exindè legitimam nunciando, ponitur ad cautelam, non ad neceſſitatem. 18.

Derogatio per clauſulam generalem conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrarijs non obſtantibus *derogat decreto concilij Generalis, quamuis de illo non fiat mentio.* 19.

Diſpenſante Pontifice ſuper impedimentis ſine cauſa non eſt neceſſe, quod commiſſarius ſuper cauſas aſſumat informationes. 20.

Quando fit mentio nobilitatis per modum narrationis non eſt inſtituenda ſuper ea inquiſitio, ſecus ſi per modum conditionis. 21.

Hviuſmodi clauſulas per extenſum refert *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 35. n. 1. 2. 3. & 4.* ad quem vos remitto. Huiuſmodi autem clauſulæ reducuntur potiſſimum ad qualitatem officialis, ad quem diriguntur huiuſmodi diſpenſationes pro executione, ad cauſas, ob quas conceduntur, ad examen huiuſmodi cauſarum, ad legitimationem prolis, ad clauſulas derogatorias, & ad alia huiuſmodi.

Assertio 1. Nomine officialis, cui diriguntur commiſſiones diſpenſandi in foro externo, venit propriè Vicarius Ordinarij illius Diœceſis, quæ nominatur in reſcripto. In hanc conſentiunt omnes magis communiter, & præcipuè *Federicus conſ. 130. factum tale eſt ad fin. Cardinal. Clem. 2. q. 9. n. 10. de reſcriptis, & ibi Immola n. 14. Ancharanus q. 5. Francus c. dilecti el 2. q. 5. de appel. Bertachinus tract. de Epiſcopo part. 7. lib. 4. q. 4. Rebuffus in praxi benefic. tit. de forma Vicariatus n. 161.*

1 Venit Vicarius ordinarij Diœceſis, in qua facienda eſt diſpenſatio.

Expreſſè conſtat *ex clement. 2. de reſcript. iuncta Gloſſa verb. officialis,* vbi nomine officialis venit principalis officialis Epiſcopi, qui alius eſſe non poteſt, quam Vicarius ipſius generalis, *& ex c. 1. & 2. de offic. Vicarij,* vbi modo vocatur officialis, modo Vicarius.

Circa hanc aſſertionem plures, & longè plures inſurgunt articuli examinandi. Primus eſt, an, ſi literæ fuerint directæ officiali Diœceſis, poſſit Epiſcopus talis Diœceſis illas expedire. Videtur abſolutè aſſerendum vtique poſſe, quandòquidem non eſt præſumendum, quod Pontifex, qui hanc facultatem commiſit delegato, ſeu electo, noluerit committere eligenti, ſeu deleganti; potiſſimum, cum non potuerit reſpicere ad qualitates officialis, cum eas notas habere non præſumatur.

Ni.

Digitized by Google

2 Ordinarius illius officialis nequit illas literas expedire.

Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, non poſse per Epiſcopum huiuſmodi commiſſiones expediri. *Nauarrus lib. 1. conſ. in 2. edit. tit. de offic. deleg. conſ. 5. nu. 1. Decius c. quoniam Abbas in noua edit. n. 62. de offic. deleg. Immola in clem. 2. nu. 24. de reſcript. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 27. num. 30.* Ratio eſt, quià iura apertè diſtinguunt inter Epiſcopum, & eius officialem, ſeù Vicariũ generalem, vt colligitur *ex c. venerabilibus in princip. de ſent. excomm. in 6.*, ergò cõmiſſiones directę ad officialem nõ poſſunt expediri per Epiſcopum, ſiquidem quandò duo ſunt omninò diſtincti, electio vnius non extenditur ad alterum; Neque dicas, quod Epiſcopus, & eius Vicarius conſtituunt ſimul vnum, atque idem tribunal, adeoque alterutrum poſse vices commiſsas adimplere, cum potiſſimum Vicarius intelligatur electus in ordine ad Epiſcopum; contrà enim impugnaberis, quià conſtituunt quidem vnum tribunal in ordine ad ea, quæ ſunt iuris ordinarij eiuſdem Vicarij, non in ordine ad ea, quæ per ſpecialem delegationem committuntur Vicario.

Vicarius, & Epiſcopus conſtituunt vnũ tribunal in ijs, quæ iuris ordinarij ſunt.

Ex quibus duo inferas; primum, quod Epiſcopus non poſſit huiuſmodi commiſſiones directas ad ipſius Vicarium expedire, quantumvis poſteà eundem remouerit ab officio; ſecundum, quod quantumvis adhuc non expedita commiſſione Vicarius fuerit promotus ad Epiſcopatum eiuſdem Diœceſis, non poſſit amplius eandem expedire.

3 Etiam ſi Vicarium remouerit ab officio.

Ancharanus clem. 2. n. 4. de reſcript., & ibi Immola n. 11. Ratio vtriuſque ea eſt, quià commiſſiones diriguntur ad perſonam affectam qualitate Vicariatus, & non reſpicitur perſona electi, vt talis ſecundum ſuas qualitates indiuiduantes, ſed præciſè dignitas; at Vicarius, vel remotus ab ordinario, vel in Epiſcopum electus non eſt amplius tali dignitate affectus, qualis requiritur in diplomate commiſſionis, ergò non poterit amplius exequi huiuſmodi commiſſiones.

4 Officialis, ſi ante expeditionẽ fuerit promotus ad Epiſcopatum non poteſt illas expedire.

Limitarem tamen in hypotheſi, qua commiſſiones huiuſmodi eſsent perſonales, quatenus eſsent directæ ad perſonam, vt talem, quamvis affectam qualitate Vicariatus, quià tunc committatur perſonam *Abbas ead. clement. 2. in princip. de reſcript., & ibi Cardinalis q. 6. num. 7. Felinus c. quoniam, Abbas n. 5. verſ. vbi requiritur de offic. deleg.*, & ſufficit, quod officium Vicariatus fuerit pro tempore datæ commiſſionis *Gloſ. ad c. ſtatutum in princip. de reſcript. in 6.*, nec incongrua ratione, quandòquidem qualitas iuncta verbo, vel participio eſt intelligenda ſecundum verbi, vel participij tempus per textum *in l. Titius, ff. de teſtam. milit.*, & capacitas in ipſo commiſſionis initio ſpectanda eſt *c. ſi eo tempore de* [illegible] *reſcript. in 6.* Si verò inquiratur, quandonam commiſſio dicatur perſonalis, & quandonam realis, dicam infra in ſequenti prænot.

5 Intellige, niſi commiſſio eſſet perſonalis.

Secundus articulus eſt, an officialis, ſeù Vicarius capituli ſede vacante poſſit exequi huiuſmodi commiſſiones. Hic articulus dirimendus eſt iuxtà formam, ſeù modum, quo concipitur ipſa commiſſio; vel enim dicitur officiali talis Diœceſis nominatæ in reſcripto; vel dicitur officiali Epiſcopi talis Diœceſis; Iuxtà primum ſenſum aſsero, Vicarium capituli ſede vacante poſse huiuſmodi commiſſiones exequi *Cardinalis ead. clement. 2. q. 13. n. 15., & ibi Immola nu. 20. de reſcript. Euerardus in ſuis topicis loc. à vi ſubrogationis num. 2.*; quià ſemper verificatur, quod ille officialis ſit Vicarius, ſeù officialis talis Diœceſis; Iuxtà ſecundum ſenſum etiam probabilius ſentio, poſse Vicarium capitularem eaſdem commiſſiones exequi; atque ità expreſsè ſentit *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 27. n. 33.*, qui eam rationem adducit, quià capitulum non ſuccedit Vicario Generali Epiſcopi, ſed eidem Epiſcopo; Vicarius autem capitularis ſuccedit in dignitate Vicario Generali eiuſdem Epiſcopi, qui propterea in hoc æquiparatur eidem Vicario Epiſcopi.

6 Vicarius capituli ſede vacante poteſt illas expedire.

Tertius articulus eſt. An officialis Prælatorum habentium ſuum territorium, & & in eodem iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem priuatiuè quoad quoſcunque Epiſcopos ſit capax exequendi huiuſmodi commiſſiones ex vi proprij muneris, & dignitatis. Probabilius exiſtimo, eſse capaces ſic diſpenſandi, *Stephanus in clem. 2. de reſcript. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 27. n. 34.*, & hoc etiam probabile exiſtimat *Immola in d. clem. 2. n. 11. de reſcript.* Ratio eſt, quia ſicuti ille, cuius eſt Vicarius, propriè dicitur habere ſuam Diœceſim, ita eius officialis dicitur Vicarius Diœceſis, & ita praxim obſeruare aſſerit, & teſtatur *Sanchez loc. quo ſupra.* Sed, an in ea hypoteſi hoc etiam verificaretur, ſi in literis commiſſionis diceretur *Officiali Epiſcopi talis Diœceſis*, probabilius crederem, non verificari, nec tunc poſſe talem officialem exequi commiſſionem; Ratio ex eo deducitur, quia ille propriè non poteſt dici Vicarius Epiſcopi, nec ſubrogatus loco Vicarij eiuſdem eo modo, quo talis dicitur Vicarius Capitularis ſede vacante per ſuperius dicta; neque arbitreris, tunc fruſtraneam eſſe talem commiſſionem, cum non eſſet, qui eam poſſit exequi; Non, inquam, arbitreris, quia in ea hypotheſi nomine Vicarij Epiſcopi, tunc veniret Vicarius eius Diœceſis, quæ proximior eſt tali dictioni; ſicuti nomine Epiſcopi in ijs, quæ non poteſt exercere ille, qui habet ſolo territorium, & non fulget Epi-

7 Officiales prælatorũ habentium territoriũ, & iuriſdictionem Epiſcopalem ſunt capaces exequendi tales commiſſiones.

Epiſcopali dignitate, venit Epiſcopus proximior iuxta communem conſenſum Theologorum, & Canoniſtarum.

Quartus articulus eſt, an ſi in tali Diœceſi fuerit duplex officialis vterque eorum poſſit exequi tales commiſſiones à Dataria emanantes. Reſpondendũ eſt cũ diſtinctione; vel etenim, quando duplex eſt in tali Diœceſi officialis, alter eſt principalior, alter minus principalis, vel vterq; eſt æque principalis; ſi primũ aſſeratur, ſolus principalior eſt capax exequẽdi huiuſmodi cõmiſſionẽ, *Gloſa in clement. 2. verb principalis, & ibi Immolan.* 10. *de reſcript.* Expreſsè colligitur *ex ead. clem.* 2. vbi dicitur principalem Epiſcopi officialem eſſe capacem huius delegationis; nomine autem principalis intelligitur ille, qui eſt prior in tali ordine; ſi ſecundum aſſeratur, aſſero vtrumque eſſe capacem talis delegationis, & eum præferendum eſſe in tali munere, quem partes contrahere intendentes concorditèr elegerint ad tale munus. Ratio eſt, quia vterque habet qualitates à delegãte requiſitas, nec ipſe delegans potius reſpicit qualitates perſonales vnius, quam alterius, cum neutrum nouiſſe præſumatur; ergo, cùm liberè literas demiſerit ipſis impetrantibus, ipſi liberè poterunt eligere, quem ex illis duobus maluerint; In commiſſionibus autem, & diſpenſationibus, quæ contentioſæ non ſunt, nec inter partes agitantur, ille Iudex legitimus reputatur, cui partes ipſæ commiſſiones præſentarint; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur ex *c. ad hæc, & c. fin. de reſcrip.* delegationem incertam irritam eſſe; non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt inquit *Baronius in c. quoniam Abbas n. 74. de offic. deleg.* ex quæ dicuntur *in d. c. ad hæc, & c. fin. de reſcrip.* intelliguntur quando incertus Iudex de incertis perſonis eligitur, ſecus quando incertus de certis perſonis; vt euenit in præſenti hypotheſi.

8 Si duplex fuerit officialis æquè principalis vterque poteſt exequi ſi alter principalior ſolum ipſe.

Quintus articulus eſt, an, ſi indigentes diſpenſatione fuerint diuerſarum Diœceſum, & literæ commiſſionis fuerint directæ tantum ad officialem vnius Diœceſis in eiſdem nominatæ, poſſit hic quoad vtrumque contrahentem exequi huiuſmodi diſpenſationem. Reſpondendum eſt affirmatiuè *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 25. n. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia officialis vnius Diœceſis, ad quem directæ ſunt huiuſmodi literæ, poteſt vtique diſpenſare cum ſubdito propriæ Diœceſis, ergo ex vi illius commiſſionis poterit etiam diſpẽſare cum ſubdito alterius. Conſequentia tenet, quia, cum diſpenſatio habere nequeat effectum, niſi ad vtrumque extendatur, vtique etiam propter connexionẽ extendetur ad non ſubditum.

9 Si indigentes fuerint diuerſæ Diœceſis, & diſpenſatio fuerit officiali tãtum vnius commiſſa poteſt hic exequi pro vtroque.

Sextus articulus eſt, an in hypotheſi præcedentis articuli officialis alterius Diœceſis, cuius alter ex contrahentibus eſt ſubditus, quique nominatus non eſt in literis commiſſionis, quæ nominatim ſolum dirigũtur ad officialem alterius Diœceſis, an inquam officialis illius alterius Diœceſis poſſit expedire huiuſmodi commiſſionem. Reſpondendum eſt abſolutè negatiuè. Ratio eſt, quia huiuſmodi officiales non diſpenſant ex vi proprij muneris, ſed ſolummodo in virtute commiſſionis habitæ, ſed commiſſio non eſt directa ad officialem alterius Diœceſis, cuius alter ex contrahentibus eſt ſubditus, ſed tantum ad officialem Diœceſis nominatæ, ergo iſte ſolum poterit exequi, non ille.

10 Officialis alterius Diœceſis non nominatæ, cuius alter ex cõtrahentibus eſt ſubditus non poteſt exequi.

ASSERTIO II. Quando pro cauſa allegatur augmentum dotis faciendum fœminæ conſanguineæ, quæ congruam dotem non habet, & per hoc æquali viro non cõſanguineo non poſſit matrimonio copulari, illud augmentum ex neceſſitate debet eſſe tale, vt ſimul cum dote incongrua illius fœminæ plenam, & ſufficientẽ dotem conſtituat iuxta fœminæ eiuſdem qualitatem, hocque intelligendum eſt, ſiue illud augmentum promiſſum fuerit ab ipſo contrahere intendente, ſiue ab alio intuitu talis matrimonij; *Sanchez de Matrimon. lib. 8. diſp. 25. n. 6.*

11 Allegata ad finem diſpenſationis paupertate fœminæ, & augmento per virum faciendo illud debet eſſe ſimul cum dote tale, vt cõſtituat congruam.

Ratio clara eſt, quia hæc eſt cauſa finalis expoſita in ſupplici libello, propter quã conceſſa eſt huiuſmodi diſpenſatio, ſeu emanauit commiſſio ad diſpenſandum; quinimmo in literis commiſſionis præcipitur, vt eadem commiſſio non exequatur, niſi poſt factum tale augmentum. Ibi, *Tunc poſtquam dicta N. dos aucta fuerit, vt præfertur, cum eiſdem N. & M quod impedimento ſecundi cum tertio conſanguinitatis gradu &c. auctoritate Apoſtolica diſpenſes*, ergo neceſſarium ſimpliciter eſt ex vi commiſſionis, vt illa cauſa ſimpliciter purificetur, ſine qua propterea non ſubſiſtet diſpenſatio. Quod autem æque teneat diſpenſatio, ſiue illud augmentum factum, vel promiſſum fuerit ab ipſo cõtrahere volente, ſiue ab alio pro ipſo intuitu talis matrimonij ex eo euincitur, quia in ordine ad finem intentum in tali diſpenſatione ex parte committentis, ſeu diſpenſantis parum referre poteſt, an illud augmentum fiat vel ab vno, vel ab altero, quandoquidem talis finis fuit, vt dotata per tale matrimonium ſufficienter remaneat illa pauper fœmina, quæ cæteroqui innupta, vel indotata congruè remaneret; hoc autem æque verificatur ſiuè ab vno, ſiuè ab altero illud augmentum receperit, ergo, &c.

Siue augmentum fit conſtituendum à viro, ſiue ab alio.

Circa hanc etiam aſſertionem nonnulli articuli inſurgunt examinandi. Primus eſt, an ſi vir contrahere intendens cum conſanguinea, cum præ paupertate aptus non eſſet ad illius dotis augmentum expo-

Digitized by Google

12 Non obſtante, quod expoſuerit maſculus velle augmentũ dotis conſtituere fœminæ tenet diſpenſatio, ſi alius ab ipſo conſtituat illud augmentũ.

poſuerit determinatè ſe velle tale augmẽtum præſtare, cum tamen alius eſſet, qui de tali augmento dando fœminæ, ſi illi viro nupſerit, pactus fuerit, ac proindè in tali petitione mentitus fuerit, teneat illa diſpenſatio, & an commiſſarius, ſi antè expeditam commiſſionem nouerit illã falſam expoſitionem, poſſit talem commiſſionem exequi. Sentio abſolutè, & commiſſarium non obſtante cognitione illius falſæ expoſitionis poſſe commiſſionem expedire, & commiſſionem illam ſic expeditam tenere. Rationem ex eo deſumo, quià illa falſa expoſitio, ſeù illud mendatium non pertinet, nec ad ſubſtantiam, nec ad finem diſpenſationis; quandòquidem, vt mox dicebamus, cauſa finalis eſt, ne fœmina illa indotata remaneat; falſa autem expreſſio, quæ non contingit cauſam finalem, non vitiat actum *Specul. tit. de diſpenſatione §. dicendum reſtat n.10. verſ., quod, ſi Innocentius c. dudum el 2. n.15. verſ. inualidam de elect, Coaruuias lib. 1. var. c. 20. n. 5. verſ. falſitas, Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. num.* 7. nec commiſſarius conſcius antè expeditam commiſſionem talis falſæ expoſitionis congruè remoueri poteſt ab illa expeditione, quandòquidem optimè norit, cauſam finalem adhuc ſubſiſtere; & hanc eſſe mentem Pontificis committentis, qui adhuc abſolutè conceſſiſſet, ſi veritas fuiſſet expoſita, nec poteſt ratione mendacij congruè ſuſpendere executionem, quandoquidem ipſe ad illud nõ concurrit, nec negando executionem illius malitiam ſuſpendit.

13 Si commiſſarius executus fuerit diſpenſationem ante conſtitutionem augmenti promiſſi, certus tamen ſit de conſtitutione ponenda tenet diſpenſatio.

Secundus articulus eſt, an, ſi commiſſarius diſpenſationem executus fuerit, antequam illud augmentum in effectu conſtitueretur, eſſet tamen certus de futura conſtitutione illius, diſpenſatio illa fuerit valida. Videtur abſolutè negandum, ſi quidem non ſeruatur forma mandati, quæ eſt, vt non exequatur commiſſio, niſi prius factum fuerit illud augmentum - Ibi *poſtquam dicta dos aucta fuerit*. Nihilominus exiſtente certitudine de illius conſtitutione, & facta legitima cautione, non improbarem tanquam inualidam illam diſpenſationem. Rationem ex eo deſumo, quià adhuc ſaluatur cauſa finalis, ob quam Pontifex conceſſit huiuſmodi diſpenſationem, quæ fuit, ne fœmina illa indotata congruè remaneret, & vt nuberet cum congrua dote, & ſi præmortuus fuerit maritus, habeat, quo commodè, & congruè nubere poſſit; ſed hoc etiam verificatur, quantumvis antecedenter ad contractum non fuerit conſtitutum illud augmẽtum, dummodo ſit certitudo, & cautio ſufficiens ad illud conſtituendum, ergo &c. Non conſulerem tamen, vt commiſſarius antè illam conſtitutionem augmenti exequeretur diſpenſationem, ne fiat periculum non conſtitutionis eiuſdem.

14 Ad quam quantitatẽ debeat aſcendere illud augmẽ um.

Tertius articulus eſt, in examinando ad quamnam quantitatem aſcendere debeat illud augmentum, vt verificetur forma conceſſionis. Ex verbis conceſſionis deſumenda eſt reſolutio huius articuli, vel etenim in eadem dicitur *Illius dotem vſque ad quantitatem ſecundum qualitatem dictæ M. competentem augere intendat*; vel præciſè dicitur *Vult competentèr augere dotem fœminæ*. Si prior ponatur formula; ſentiendũ eſt, debere maritum tale augmẽtum conſtituere, vt ſimul cum dote incompetente, quam ipſa fœmina habet, conſtituat plenam, & integram dotem iuxta ſtatum, & qualitatem eiuſdem fœminæ; ſi verò ponatur ſecunda formula; dicendum eſt, ſufficere, ſi conſtituat tale augmentum, quod competens, & conſideratione dignum reputetur attenta qualitate fœminæ. Ratio primæ partis deſumitur ex verbis, quibus conceditur huiuſmodi diſpenſatio, quæ indicant conſtitutionem dotis competentis ex dote, quam habebat ipſa fœmina, & ex augmento, quod conſtituitur per virum, illa etenim particula, *augere*, cadit ſupra quantitatem dotis, & illa particula, *vſque*, extendit ad complementum, non quomodocunque, ſed eiuſdem dotis congruæ. Ratio ſecundæ partis eſt, quià in illa conceſſione non exprimitur ſumma ad determinatum augmentum, vndè refundi debet ad conueniens, & notabile, & dignum ſtatui fœminæ, illique conueniens.

De alijs cauſis plura congerunt DD. ſed quià de illis fuſe nos ſupra diſſeruimus, in his amplius non immoramur.

15 Non debet ex neceſſitate procedere per viam iudicij.

Assertio III. In ordine ad informationem ſuper veritate precum expoſitarum non eſt neceſſe, vt commiſſarius procedat per viam iudicij recipiendo teſtes coram Notario, & ab eiſdem recipiendo iuramentum in eorum expoſitione, ſed poteſt extraiudicialitèr huiuſmodi informationes recipere, vt certior fiat de huiuſmodi precum veritate *Pariſius conſ. 57. n. 55. vol. 4 Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 35. n. 15.*

Ratio ex eo deducitur primo, quià hæc forma iuditialis non præſcribitur in literis commiſſionis, ſed ſolum dicitur, *ſi per informationem preces veritate niti repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus*; informatio autem haberi poteſt ſine figura iuditij, & ſine ſtrepitu iuditiali; nequè obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum hæc informatio deſumatur pro diſpenſatione in foro externo ad diferentiam diſpenſationis impetratæ pro foro interno, vtique exigat illam formam iudicialem; non, inquam, obeſſe poteſt, quià quoad præſens inſtitutum diſcrimen inter informationes pro his diuerſis foris deſumitur ex

Digitized by Google

eo, quod pro foro interno non ſunt adhibendi teſtes, ſed ſtandum eſt aſſertioni latoris; pro foro verò externo ſunt adhibendi teſtes, nec in hoc indicitur iuditium, ſed oneratur tantum conſcientia commiſſarij. Secundò, quià, vbi requiritur tantum informatio ad exonus conſcientiæ eius, qui debet diſpenſare, non deſiderantur teſtes iurati, nec ordo, & figura iuditij *Immola c. cum in tua in fin. de ſponſalib.*, *& c.* 1. *de poſtulat. prælato.* n 5. *Abbas c cum nobis n.* 5. *de elect. Baldus l qui teſtamento* §. *per contrarium in fin. ff. de teſtament. Maſcardus de probat. concl.* 1368 *n.* 4., *& ſeqq.* ſed in hac hypotheſi requiritur informatio ad exonus conſcientiæ commiſſarij, *& in hoc conſcientiam tuam oneramus*, ergo &c. Tertiò, quià vbi non eſt aliqua perſona, de cuius præiuditio agatur, non requiritur indago iudicialis, licèt in commiſſione ſit hæc clauſula, *ſi per diligentem examinationem reperieris Canalcanus prima part. deciſ.* 46. *num.* 420., hic autem non agitur de præiuditio tertij, vt per ſe patet, ergo &c. Quarto, quià hæc ſententia magis conformatur iis, quæ ſuperius diximus, nempè officialem Diœceſis nominatæ, cuius ſolummodo alter ex contrahere volentibus eſt ſubditus, poſſe etiam diſpenſare cum altero non ſubdito, & vtique pro foro externo, & tamen committitur informatio ſuper expoſita; Hoc autem de facili exequi non poſſet, ſi requireretur informatio iudicialis cum iuramento teſtium, aliiſque requiſitis in formali iudicio.

Adhibendi ſunt teſtes, non tamen cum figura indicij.

ASSERTIO IV. Conditio, quæ apponi conſueuit in huiuſmodi commiſſionibus diſpenſationum pro conſanguineis in foro externo, *dummodo mulier rapta non fuerit*, intelligi non debet reſtrictiuè, quando ſcilicet ſolum rapta fuit ad finem matrimonij cum illa ineundi, ita contra *Petrũ de Ledeſma de matrimon. quæſt.* 56. *art. vlt. dub.* 3. *in fine Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 25. *num.* 18. ſuſtinuimus *tom.* 5. *ſub tit. Contract.* 14. *de ſponſ.* 1. *prænot.* 10. *num.* 4.

16 Conditio illa non debet intelligi reſtrictiuè, & in quo ſenſu.

Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi clauſula refertur ad confirmationem *concil. Tridentini ſeſſ.* 24. *de matrimon. c.* 6. ſtatuentis impedimentum inter raptorem, & raptam, ſed concilium Tridentinum inducit impedimentum etiam, quatenus fæmina fuerit rapta ad finem explendæ libidinis, prout declarauit ſacra Congregatio Cardinalium eiuſdem Concilij *interp. apud Proſperum Farinacium ad d. c.* 6. *Trident.* in hæc verba. *Quomodocunque ſit, fuit deciſum per ſac. Cong. die* 23. *Ianuarij* 1586. *Raptores in aliam cauſam, quam, vt in vxores ducant, comprahendi à concil. propter eandem, vel maiorem rationem, & conſtitutio pœnalis etiam extenditur tali caſu*; nec quidem incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem finis, ob quem inductum eſt tale impedimentum, eſt præſumptio libertatis dimminutæ in fæmina rapta propter metum, quæ præſumptio æquè militat, ſiuè rapta fuerit ad effectum contrahendi matrimonij, ſiuè ad effectum explendæ libidinis.

Hinc deduces, quod, ſi fæmina conſanguinea fuerit rapta, & in ſupplici libello fuerit expoſitum impedimentum conſanguinitatis, reticitus tamen raptus, diſpenſatio, ſi quæ fuerit impetrata, intelligatur ſubreptitia, quià non verificatur clauſula conditionalis in commiſſione expoſita *Petrus de Ledeſma de matrimon. q.* 56. *art. vlt. dub.* 3. *in fine*, quamvis hic reſtringat ſolummodò, quandò raptus effectus eſt ad finem contrahendi matrimonij. Si autem hic inquiras, an, ſi in litteris commiſſionis non fuerit appoſita illa clauſula conditionalis, adhuc intelligatur ſubreptitia diſpenſatio, ſi verè fuerit ſecutus raptus. Reſpondendum erit affirmatiuè, quià, quæ de ſtilo curiæ apponi ſunt ſolita, habentur pro appoſitis *Silueſter verb. reſcriptum q.* 3. *Abbas c. quod tranſlationem nu.* 3. *de offic. legat.*

Si fuerit reticitus raptus nõ tenet diſpenſatio.

Hic ſolum oritur difficultas, an, ſi impetrata commiſſione pro diſpenſatione ſuper conſanguinitate, nullaque facta mentione raptus, raptor ante executionem eiuſdem commiſſionis reſtituerit raptam in loco tuto, & illa liberè conſenſerit, teneat diſpenſatio, ſeù poſſit poni validè diſpenſatio non obſtante illa clauſula poſita in commiſſione *dummodò mulier rapta non fuerit*. Videtur prima fronte abſolutè aſſerendum, non irritari talem diſpenſationis commiſſionem, ac proptereà, ſi adinuicem nubant, tenere matrimonium illud. Ratio deducitur ex iis, quæ mox dicebamus, quià clauſula eſt confirmatoria diſpoſitionis *Concil. Trident. dict. c.* 6. *ſeſſ.* 24., & ad illam refertur, ſed Concil. Tridentinum diſponit, quod, ſi fæmina rapta conſtituatur in loco tuto, & poſteà liberè conſentiat, teneat matrimonium, ergò etiam non obſtante illa clauſula appoſita in diſpenſatione ſuper conſanguinitate, vel affinitate, ſi fæmina fuerit in loco tuto conſtituta, & obtenta diſpenſatione ſuper eadem conſanguinitate liberè conſenſerit, tenebit matrimonium. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, ex vi illius diſpenſationis non poſſe validè contrahere, & ſi contrahat, inualidum fore matrimonium; Ita ſentire videtur *Sanchez d. lib.* 8. *diſp.* 25. *nu.* 18. dum ait, quod, quamvis hoc impedimentum non ſit perpetuum, ſed dum rapta manet in poteſtate raptoris; nihilominus, vt his raptibus obuietur, nolunt Pontifices diſpenſare, niſi exprimatur in diſpenſatione, 17

&

Conſanguineus recepto raptu non poteſt ex vi diſpenſationis ſuper conſanguinitate cum ea contrahere, quamvis illam conſtituerit in loco tuto.

& quidem recta ratione hoc ſtatuitur, quandòquidem Pontifices in huiuſmodi diſpenſationibus, vt benè notat *Rebuffus in praxi beneficiorum in regulis Cancellariæ in reg. 50. verſ. penult.* non intendunt diſpenſare, niſi hoc delictum exprimatur, & per conſequens ex tunc intelligitur ſubreptitia diſpenſatio, niſi in impetratione eiuſdem facta fuerit huiuſmodi expreſſio; quinimmò aſserit idem *Sanchez loc. cit.* non tenere diſpenſationem, nec ſubſiſtere matrimonium, ſi contrahatur, ſi conſanguineus rapuerit conſanguineam, in ordine ad quam impetrata eſt illa diſpenſatio poſt talem impetrationem, ſed antecedentèr ad expeditionem illius factam ab officiali, quià contigit raptus, antequam diſpenſatio ſuum obtineret effectum, & antequam eſset completa. Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt, illam clauſulam referri quidem ad diſpoſitionem Concilij Tridentini, quantum ad delictum, ex quo conſurgit illud impedimentum, quatenus ad ea extenditur, de quibus idem concilium diſponit; non autem referri quoad omnia, & quoad adiecta per Pontificem in diſpenſatione ſuper conſanguinitate per illam clauſulam *dummodò mulier non fuerit rapta*; per hoc enim appoſuit conditionem ipſi diſpenſationi ſuper conſanguinitate, qua conditione non purificata irrita redditur ipſa diſpenſatio.

18 Legitimatio prolis ponitur ad vberiorem cautelam.

Assertio V. Clauſula illa, quæ ſolet apponi in huiuſmodi diſpenſationibus *prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nunciando*, additur ad vberiorem cautelam, & claritatem, non autem ad neceſſitatem.

Ratio clara eſt, quià non poteſt eſse dubium, quin proles illa, quæ ex matrimonio cum illa diſpenſatione inito ſuſcipitur, habilis ſit ad ſuccedendum quoad omnia, ſiuè in ſpiritualibus, ſiuè in temporalibus, ſiquidem illud matrimonium eſt ex omni parte legitimum, ergò illa clauſula legitimationis appoſita in diplomate, non eſt ex neceſſitate, ſed ad maiorem claritatem, & expreſſionem effectuum, qui ex illa diſpenſatione contingunt.

Nonnulla dubia remiſſiuè.

Quid autem dicendum ſit, ſi proles illa fuerit concepta ante talem diſpenſationis impetrationem; patet ex ſuperius dictis, illam quoque fore legitimam quoad omnia; nam ſubſequens matrimonium legitimum purgat omnia præcedentia per textum *in c. tanta, qui filij ſint legitimi*. Reliqua quoad hãc legitimationem collige ex ſparſim alibi dictis.

19 Assertio VI. Illa derogatio, quæ in huiuſmodi literis commiſſionum apponitur. *Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs non obſtantibus*, ſufficiens eſt ad derogandum decreto Concilij Generalis relato *in c. non debet de conſanguin. & affinit.* quantumuis de illo in his derogatorijs non fiat expreſſa, ſpecifica, & indiuidua mentio. Ita expreſsè *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 35. n. 17.*

Derogat concilio generali, quamvis de illo non fiat indiuidua mentio.

Ratio ex eo deſumitur, quia, quantumuis regulare ſit, vt non fiat derogatio diſpoſitionibus Conciliorum Generalium, niſi de illis fiat expreſsa, & indiuidua mentio, per textum *in c. ex parte, & c. [illegible]im. de capel. monach., & c. cum te de ætat., & qualit. c. nonnulli de reſcript. ArchiDiaconus c. 1. de conſtitut. in 6 Coarruuias 4. var. c. 16. n. 6., & 4. decret. 2. parte c. 8. §. 9. n. 6.* vbi dicit totum mundum hoc amplecti, fallit tamen, quando diſpoſitum cũ clauſula generali derogationis nullum poſset in eo caſu particulari ſortiri effectum, niſi ſequeretur eiuſdem Concilij Generalis in eo caſu derogatio, tunc etenim illa derogatio generalis reputatur pro ſpecifica, & expreſſa, *Iaſon in l. 2 ff. de lib. & poſth.* vbi plurima accumulat ad rem præſentem, ergo &c. In præſenti autem caſu diſpenſatio illa cum illa clauſula generali derogatoria nullum poſset effectum ſortiri, niſi fieret derogatio decreto Concilij Generalis relato *in d. c. non debet de conſangu. & affin.*

20 Diſpenſante Pontifice ſine cauſa non eſt faciendum examen.

Assertio VII. Quando Pontifex diſpenſat ſuper huiuſmodi impedimentis ſine cauſa, & literas commiſſionis expedit in hanc formam: *Ipſi ex certis rationabilibus cauſis eorum animum mouentibus cupiunt inuicem matrimonialiter copulari*, non eſt neceſſe, quod commiſſarius ſuper illas rationabiles cauſas aſſumat informationes, quantumuis in his literis ſubdatur *diſcretioni tuæ mandamus, vt de præmiſſis te diligenter informes, & ſi per informationem præces veritate niti repereris*.

Ratio ex eo deſumitur, quia fruſtra dicerentur huiuſmodi diſpenſationes ſine cauſa, ſi cauſæ generales eſsent verificandæ in earum expeditione; vnde regulare eſt, quod quando Princeps exprimit cauſas generales conceſſionis, illæ non egeãt indagatione, cum exprimantur ad quandam honeſtatem; ſic in particulari docet *Oldradus conſ. 5. in fine, Staphilaus de literis gratiæ tit. de vi, & effectu clauſularum in princip. n 6. Rebuffus in praxi benefic. tit de clauſulis mandatorum n. 6.*, quod, quando Princeps concedit gratiam ex certis cauſis non declarando in ſpecie, quænam illæ ſint, illa verba generalia non indigeant examine, & diſcuſſione, cum intelligantur appoſita ad quodam honeſtatis ſpecimen, ratione cuius conceditur gratia; Nec obſtare poſsunt ſubſequentes clauſulæ: *Diſcretioni tuæ mandamus, vt te de præmiſſis diligentèr informes*. Non, inquam, obſtare poſsunt, quia, vel illæ clauſulæ referuntur ad alia, puta ad impedimẽtum, ſeu ad aliquid aliud, quod inde emergere poſſit,

Explicantur clauſulæ, quæ obeſſe videntur.

vel apponuntur ſolummodo ex notariorū ſtilo, & non vt ad omnia præmiſſa referantur. Hæc expreſſè *Sanchez lib. 8. diſp. 35. n. 24.* Dici etiam poſſet, quod hæc clauſula informationis aſſumendæ referri poſſit ad indagandam nobilitatem contrahētium, quando præter rationabiles cauſas adduceretur nobilitas tanquam motiuum conceſſionis.

21 Quando ſi mentio nobilitatis per modum narrationis non eſt facienda ſuper ea inquiſitio.

Sed hic oritur immediatè difficultas, an ſemper facienda ſit per commiſſarium ſuper nobilitate cōtrahere intendentium inquiſitio, quotieſcumque in ſupplici libello, & in literis commiſſionis facta eſt mentio talis nobilitatis. Reſpondendum eſt cum diſtinctione, vel etenim illa qualitas narratiuè exponitur, & non per modum conditionis; vel exponitur tanquam qualitas inter cauſas, ex quibus conceditur illa diſpenſatio. Iuxta primum ſenſū ſentio, nullam ex neceſſitate faciendam eſſe inquiſitionem. Iuxta ſecundum vero, omnino faciendam eſſe. Ratio eſt, quia, quando qualitas quædam, vel in ſupplici libello, vel in reſcripto narratiuè exponitur, non exponitur tanquam ratio motiua conceſſionis, nec indiget probatione *Innocentius c fin. ſtatim poſt principium de præſumpt Baldus l. neque natales* 10. *in fin. C. de probat*, quando vero apponitur inter cauſas, vtique eſt probanda, quia tunc eſt ratio motiua conceſſionis, & Pontifices quandoque, & vt plurimum concedunt huiuſmodi diſpenſationes nobilibus, quas non concedunt ignobilibus, & plebæis. Quandonam dignoſcatur huiuſmodi qualitas apponi dumtaxat narratiuè, & quandonam tanquam cauſa. Vide *Rebuffum in concordatis, vbi de forma mandati Apoſtolici ſuper verb omnia, & ſingula verſ. nota tamen, Nauarrum c. ſi quando except. 3. n. 2. de reſcriptis.*

Secus ſi per modū conditionis.

Hic plurima congerunt DD. an in caſu diſpenſationis ſint præmittendæ denuntiationes, ſit ſeruanda forma concilij; an poſſint recipi à commiſſario aliqua pretio æſtimabilia, vel eſculenta, ſeu poculenta, & alia huiuſmodi; Sed hæc partim diſcuſſa ſunt in præcedentibus, partim ex ſe liquent.

PRÆNOTIO XXVII.

An, & quomodo diſſoluantur huiuſmodi diſpenſationes ante expeditionem.

SVMMARIVM.

Diſpenſationes conceſſæ omnino gratis, ſiue ex cauſa, ſiue ſine cauſa in propria lege poſſunt ante executionem reuocari, etiam ſine cauſa, non tamen ſi fuerint ex titulo oneroſo, niſi reſtituta compoſitione, & cum cauſa. 1.

Diſpenſatio tollitur per renuntiationem eius, qui impetrauit. 2.

Qui abſolutè renuntiauit diſpenſationi quoad votum, & iuramentum non poteſt mutata voluntate eadem amplius gaudere. 3.

Si renuntiauit in ijs, quæ non pendent ſimpliciter ab eius voluntate, poteſt gaudere etiā mutata voluntate diſpenſatione, ſi ſuperior non acceptarit renuntiationem, ſecus, ſi acceptarit. 4.

Acceptatio renuntiationis ſpectat ad committentem. 5.

Commiſſio diſpenſationis, ſi fuerit perſonalis, expirat morte commiſſarij, ſecus ſi fuerit realis. 6.

Commiſſio diſpenſationis perſonalis non expirat per amiſſionem dignitatis commiſſarij, ſi vero fuerit realis, tranſit in ſucceſſorē. 7.

Quandonam commiſſio dicatur perſonalis, & quandonam realis remiſſiuè. 8.

Commiſſiones diſpenſandi in impedimentis matrimonij, ſiuè emanantes à Summo Pontifice pro foro externo, ſiue à ſacra panitentiaria non expirant morte concedentis re adhuc integra permanente. 9

Intellige, ſi commiſſio fuerit abſoluta. 10.

Gratia conceſſa abſolutè non expirat morte concedentis, quamuis literæ ſuper illa non fuerint expeditæ. 11.

Conceſſa relatiuè ad commiſſarium adhuc tenet ſeruatis conſuetis clauſulis ſaltem in foro interno. 12.

Diſpenſatio ſuper impedimento matrimonij prodeſt diſpenſato egreſſo extra territoriū diſpenſantis. 13.

Controuerſia eſſe poteſt, vel reuocatione, vel ceſſatione officij eius, cui committitur, vel morte tam concedentis, quam commiſſarij, vel renuntiatione eius, in cuius fauorem cedit gratia diſpenſationis, vel egreſſu indigentis diſpēſatione à territorio commiſſarij, & his ſimilibus.

Assertio I. Diſpenſationes conceſſæ omnino gratis, ſiue ex cauſa, ſiue ſine cauſa in propria lege poſſunt validè ab ipſomet diſpenſante ante executionem reuocari, etiam ſine cauſa, non tamen ſine iuſta cauſa, & reſtituta compoſitione ſi ſit ex contractu oneroſo. Ita quoad primam partem *Felinus c. nouit n. 8., & q. 10. de iudicijs. Matieng. lib. 5. recopil. tit. 10. lib 6. gloſ. 1. n. 5. Sanchez de matrimon. lib 8. diſp. 33. n* 11. Quoad ſecundam in ſimilibus *Ruinus conſ.* 130. *n.* 19. *vol.* 5. *Iaſon in l. Barbarius num.* 34 *ff. de offic. prætor. Antonius Cucus lib* 1. *inſtit. maior, tit.* 6. *n.* 110. *Sanchez loc. cit. n.* 13.

1 Diſpenſationes gratuitæ poſſunt reuocari etiam ſine cauſa, non ſic oneroſæ.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia illæ diſpenſationes computantur tāquam priuilegium liberaliter à Principe conceſſum, & quidem in re, quæ eſt ſub libera poteſtate eiuſdem Principis, ergo quoad-

quoadvſque non fuerint ſuum ſortitæ effectum, poterunt libere, & validè reuocari. Conſequentia tenet, quià quouſque gratia non fuerit completa, ſuumque effectum non fuerit conſecuta, adhuc eſt ſub poteſtate eiuſdem concedentis, cum gratia non teneat, niſi ſit acceptata; non eſt autem acceptata, quouſque non fuerit expedita, ergo antè expeditionem poterit reuocari. Confirmatur primo, quià antè executionem mandati poteſt principalis reuocare mandatum, ergo poterit imponere commiſſario, ſeù mandatario, ne exequatur commiſſionem eidem commiſſam, & ſic reuocato mandato non poterit amplius mandatarius agere. Confirmatur ſecundo, quià quod dependet à libera voluntate concedentis, poteſt per eiuſdem voluntatis reuocationem quantumvis iam conceſſum reuocari, ergo &c.

Intelligẽ ante executionem.

Dices primo, liberalitèr conceſſum non poteſt amplius negari, quià quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt *l. de illis* § *Pomponius de negot. geſt.* ergo ſaltem perſeuerante eadem cauſa gratia conceſſa ex beneplacito principis non poterit amplius reuocari. Sed contra, quià in primis ad ſummum hæc verificantur, quando gratia iam completa eſt, ſuumq; ſortita effectum. Deindè procedunt ſolummodo ex quadam æquitate, non obligatione vim inferente; cæteroqui nunquam Princeps poſſet gratiam reuocare.

Dices ſecundo, hac ratione, qua dictum eſt ſupra, quod id, quod dependet à mera voluntate Principis, poſſit per ſuſpenſionẽ eiuſdem voluntatis reuocari, poſſet etiam reuocari, quando iam gratia completa eſt, ſuumque ſortita effectum, ſicque facta diſpenſatione ſuper impedimento matrimonij, eaque ad ſuum effectum redacta, poſſet ſuſpendi, & matrimonium ad nullitatem redigi, quod abſurdum eſt. Sed contrà recolenda ſunt, quæ ſuperius diximus, nam id, ſupra quod cadit diſpenſatio vel conſiſtit in indiuiſibili, & ſecundum ſe irreuocabile eſt, vel admittit tractũ ſucceſſiuum, eſtque ſecundum ſe reuocabile; ſi primum aſſeratur, certè non poteſt amplius reuocari gratia circa ipſum conceſſa, quandòquidem vigore ipſius contractum eſt vinculum indiſſolubile, quale eſt illud matrimonij, ratione cuius gratia iam conſummata non poteſt quoad effectum indiſſolubilem, quem protulit, reuocari; Si ſecundum aſſeratur, quantumvis quoad partem conſummatam in effectu non poſſit reuocari, quià quod in ſua radice validum fuit, non poteſt infirmari; poteſt tamen reuocari quoad effectum ſucceſſiuum, & poſſibilem, quià in eodem gratia non eſt adhuc completa, & conſummata.

Dummodo non admittat tractum ſucceſſiuũ,

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia Princeps ſuo contractu obſtringitur, per quem contractum iam ius eſt perfectè alteri acquiſitum, ergo ratione contractus aduerſus ius alteri acquiſitum non poterit ãplius Princeps priuilegium reuocare. Hac ratione docèt cõmunitèr Theologi, & iuris interpretes, quod priuilegium remuneratorium conceſſum à Principe in compenſationem meritorum non poſſit amplius ab eodem ſine legitima cauſa reuocari *Felinus c. nouit n. 12. de iudicijs*; vndè merito in reuocatione diſpenſationis requiritur iuſta, & legitima cauſa, & reſtitutio compoſitionis pecuniariæ ſaltem in æquiualenti.

Priuilegiũ remuneratorium nõ eſt ſine cauſa reuocabile.

Ea, quæ diximus quoad primam partem aſſertionis, intelligenda ſunt de reuocatione gratiæ per ſuperiorem in ſua lege; nam de poteſtate reuocandi diſpenſationem per inferiorem in lege ſuperioris, quando ab eodem conceſſa eſt in caſu, quo potuit, valdè dubium eſt, & communitèr negant poſſe, quià per illam diſpenſationem iam liberauit diſpenſatum ab onere illius legis; facta autem ſemel liberatione non poteſt amplius illud onus imponere; ſic docet in particulari *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 33. n. 14.* quod ſacra pænitentiaria non poſſit amplius reuocare diſpenſationes conceſſas pro foro interno animæ, quià non diſpenſat in lege ſua, ſed in lege ſuperioris, nempè Pontificis. Sed, an hoc ſubſiſtat, alij videant.

2 Tollitur per renuntiationem.

Assertio II. Diſpenſatio etiam tollitur per renuntiationem eius, qui impetrauit. In hoc regularitèr conſentiunt omnes.

Ratio eſt, quià vnuſquiſque poteſt cedere iuri in ſui fauorem conceſſo, & hoc non ſolum, quando ius illud perfectè adhuc completum non eſt, quià non adhuc expeditum per eum, ad quem commiſſa eſt executio, ſed etiam quando completum eſt, & expeditum, nondum tamen conſecutum ſuum effectum indiſſolubilem, ergo etiam per renuntiationem poterit cedere diſpenſationi. Hoc tamen intelligendum eſt cum quadam limitatione, niſi ſcilicet diſpenſatio eſſet impetrata conſenſu vtriuſque fide data ad inuicem de matrimonio contrahendo, quià tunc eſt ius alteri quodamodo acquiſitum, & ſicuti ratione fidei datæ non poteſt recedere ſine legitima cauſa à matrimonio contrahendo, ita nec poteſt altero inuito cedere, & renuntiare diſpenſationi.

Quilibet cedere poteſt iuri ſuo.

Hinc oritur difficultas, an, quando impetrãs diſpenſationẽ, cum poſſet renuntiare, renuntiauit de facto, poſſit mutata voluntate libere velle gaudere diſpenſatione. Cum diſtinctione reſpondendum eſt, vel etenim id, ſupra quod cadit diſpenſatio, dependet ab abſoluta poteſtate, & voluntate impetrantis, cuiuſmodi eſt votum,

Digitized by Google

tũm, & iuramentum, vel ab ipſius voluntate præcisè non dependet; Iuxta primum ſenſum abſolutè ſentio, facta renuntiatione, & mutata voluntate quoad eandem renuntiationem non poſſe amplius diſpenſatione gaudere, dummodo tamen talis renuntiatio inuoluat nouum votum, ſecus, ſi ſiſtat in ſimplicibus terminis renuntiationis. Vide, quæ diximus *tom. 6. de matrimon.* 1. §. 20. *diſq.* 3. *n.* 3. & 4. Ità expreſsè ſentit, licet non ſecundum omnia *Sanchez de matrimonio lib.* 8. *diſp.* 32. Iuxtà ſecundum ſenſum ſubdiſtinguendum eſt, vel facta renuntiatione ſuperior, qui diſpenſauit, acceptauit talem renuntiationem, & tunc diſpenſatio non poteſt eidem prodeſſe; vel adhuc non acceptauit, & tunc facta mutatione voluntatis, qua renuntiauit, poteſt ipſi prodeſſe. Ita *Loazes de matrimonio Regis Angliæ dub.* 12. *n.* 28. *Sanchez loco quo ſupra n.* 2. Ratio primæ partis eſt, quia quoad iuramentum, & votum poteſt quis quantumuis ab eodem per ſuperiorem fuerit per diſpenſationem perfectè abſolutus, iterum ſe quoad illud obligare repetito voto, vel iuramento, cum hoc ſolum ab ipſius voluntate depẽdeat; ſed hoc præſtat, quando obtenta diſpenſatione ſuper voto, & iuramento eidẽ diſpenſationi renuntiat renouando votum per nouum actum, ſiquidem hæc renuntiatio nil aliud importat, quam quod ille, qui vouerat, quique impetrauerat diſpẽſationẽ, per renuntiationem eiuſdem dicat ſe velle de nouo voto obligari, quod eſt idem, ac de nouo vouere; huic autem nouo voto non poteſt prior diſpenſatio ſuffragari, quandoquidem conceſſa eſt ſolummodo pro voto ante illam emiſſo. Limitarem tamen in caſu, quo diſpenſatio non eſſet completa per ipſum concedentem, ſed commiſſa alteri, vt compleretur, à quo tamen non eſſet executioni adhuc mandata; tunc etenim, ſi ante illius executionem voto obſtrictus renuntiaret tali diſpenſationi, adhuc mutata voluntate poſſet vti tali diſpenſatione, petendo, vt per commiſſarium exequeretur; cum etenim tunc diſpenſatio non fuerit ſuum conſecuta effectum, ſed adhuc dependeat à voluntate commiſſarij, vtique poterit ad eundem confugere pro executione, cum illa non fuerit completa, & votum illud ſit idem, ſed repetitum. Ratio ſecundæ partis quoad primum membrum diſtinctionis ex eo deducitur, quia per talem renuntiationem factam ab impetrante diſpenſationem, & acceptationem talis renuntiationis factam à ſuperiore, qui diſpenſauit, intelligitur abſolutè perempta eadem diſpenſatio, & in effectu perinde, ac ſi non fuerit conceſſa, ergo qui renuntiauit, non poterit amplius vti tali diſpenſatione, cum adhuc indigeat conceſſione

3 Qui renunciauit diſpenſationi quoad votum, & iuramentum, non poteſt amplius mutata voluntate eadem gaudere.

4 Si renunciauit in ijs quæ non pendent præcisè ab eius voluntate, non poteſt gaudere, ſi diſpenſans acceptarit renunciationem, ſecus ſi non acceptauit.

diſpenſantis, quam ad ſe reuocauit per acceptationem renuntiationis. Solum hic remanet difficultas in explicando, ad quem ſpectat acceptare renuntiationem diſpenſationis, an ad committentem, an ad commiſſarium ad effectum, vt renuntians non poſſit amplius illa diſpenſatione gaudere. Probabilius ſentiunt aliqui, poſſe eouſque mutata voluntate gaudere diſpenſatione, quouſque renuntiatio non fuerit acceptata à Superiore committente, nec ſufficere acceptationem Commiſſarij, prout expreſſe ſentit *Sanchez loco cit. n.* 4. Ratio ex eo deducitur, quia totus gratiæ valor dependet à voluntate committentis, & munus commiſſarij eſt ſolummodo examinare veritatem precum, & diſpenſationem exequi; & ipſe non expedit ex iure ordinario ſibi competente, ſed dumtaxat ex vi delegationis; & ſicuti, vt bene docent *Rebuffus in praxi beneficiorum vbi de forma Vicariatus n.* 108. & *alij apud ipſum*, qui non iure ordinario, ſed tantum ex priuilegio confert beneficium, non poteſt reſignationem, & renuntiationem acceptare, ita &c. Ratio eiuſdem ſecundæ partis quoad ſecundum membrum deducitur potiſſimum *arg. c. literas de procuratoribus in ſexto*, vbi dicitur, quod Procurator conſtitutus ab abſente, quantumuis mandatum recipere recuſauerit, poſſit tamen non obſtante tali recuſatione ipſum acceptare, quouſque conſtituens in eadem perſtiterit voluntate, quod alijs exemplis confirmat *Sanchez loco cit.* ſed contrarium docuimus *tomo* 6. *tit. de Matrim.* 1. *diſq.* 3. §. 18. vbi latè probauimus ſenſum noſtrũ, & cõfutauimus Sanchez argumenta mox adducta.

5 Acceptatio renunciationis ſpectat ad committentem.

Assertio III. Commiſſio diſpenſationis, ſi fuerit perſonalis, expirat morte perſonæ, in quam facta eſt commiſſio, ſecus, ſi fuerit realis, & reſpiciat dignitatem perſonæ, quia tunc transfertur ad ſucceſſorem in tali dignitate. Rurſus, ſi fuerit perſonalis, non expirat per amiſſionem dignitatis eius, cui fuit commiſſa, bene tamen, ſi fuerit realis, quia tunc tranſit ad ſucceſſorem in tali dignitate. In hanc aſſertionem conueniunt omnes, quos viderim.

6 Commiſſio perſonalis expirat morte cõmiſſarij, nõ ſic realis.

Ratio primæ partis eſt, quia commiſſio perſonalis eſt conceſſa tali perſonæ, vt talis eſt affecta talibus qualitatibus perſonalibus, realis vero eſt conceſſa ratione dignitatis, quæ non expirat cum tali perſona, ſed tranſit in ſucceſſorem, ergo illa expirat morte commiſſarij, cum addicta ſit tali perſonæ, non ſic iſta, quæ perſeuerat in dignitate. Hac eadem ratione euincitur ſecunda pars, quia perſeuerante perſona, licet in illa deficiat dignitas, perſeuerat adhuc qualitas à committente reſpecta in tali commiſſione; nec in hoc obſta-

re

Digitized by Google

7 Commiſſio perſonalis non ceſſat per amiſſionem dignitatis cõmiſſarij.

re poteſt, ſi aſſeratur, ſpectari ſemper dignitatem, non enim ex ſtilo curiæ eſt capax delegationis, niſi perſona in dignitate conſtituta *c. ſtatum in princip. de reſcript. in 6.* ergo ceſſante dignitate euaneſcit cõmiſſio. Non, inquam, obſtare poteſt, quia licet ad effectum commiſſionis requiratur dignitas in perſona commiſſaria pro tempore commiſſionis, vbi tamen ſemel acquiſiuit commiſſionem perſeuerante dignitate, nihil referre poteſt ad commiſſionis perſonalis retentionem dignitatis ceſſatio, *Gloſa clem. 2. verb. principalis de reſcriptis, Abbas cap. quoniam Abbas ſtatim in princip. de offic. deleg. Fulgoſius leg. more nu. 25. ff. de iuriſdict. omn. iud.*, Quod verò amiſſa dignitate tranſeat commiſſio in ſucceſſorem, quando eſt realis, facile ex eadem ratione euincitur, quia dignitas perſeuerat in ſucceſſore.

8 Quandonã dicatur cõmiſſio perſonalis, & quandonã realis remiſſiuè.

Tota difficultas eſt circa hanc aſſertionem, quandonam commiſſio intelligatur perſonalis, & quandonam realis; circa quam latè diſſerit *Sanchez d. lib. 8. de matrimon. diſp. 27 à n. 2. vſque ad fin*, ad quem vos remitto, non enim vacat in his immorari, cum ipſe fusè, elegantèr, & accuratè, prout ipſius moris eſt, de hoc egerit.

Commiſſiones pro matrimonij impedimentis non expirant morte concedentis.

Assertio IV. Commiſſiones diſpenſandi in matrimonij impedimentis, ſiuè emanauerint à Summo Pontifice pro foro externo, ſiuè à ſacra pænitentiaria pro foro interno probabilius non expirant morte concedentis re adhuc integra permanente. *Maiolus lib. 5. de irregul. c. 51. n. 6. Suarez tom. 5 in 3. part diſp. 41. ſect 2. in fin., & lib. 6. de legib. c. 17. n. 6., & 9. Petrus de Ledeſma in ſumma ſacrament, vbi de matrim c. 27. verſ. 2. concl. in fin. illius, Rodriquez qq. Regul. tom. 2. q 46. art. 7 Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 28. nu. 87 Gutierez de matrimon. c. 125. n. 21. Reginald. tom. 2 lib. 31. c. 27. n. 210* quos omnes, & alios refert, & ſequitur *Diana part. 8. tract. 3. reſol. 98. verſ. ſed ego contraria.* Vlterius eandem ſuſtinent *Hieronymus Paulus in pract. Cancellaria tit. declaratoria ſuper proponente, ſeu vouente, §. praſtantiſſimè Doctor, Rebuffus in concordatis, vbi de mandatis Apoſtolicis § 1 verb ſui Pontificatus verſ. licet quidam Doctores, Mandoſius reg. Cancellaria 10. de annal. poſſeſſore q. 2. n. 4.*, & alij plures quos refert, & ſequitur *Sanchez loc. cit.*

Ratio huius aſſertionis ex eo deducitur, quià id, de quo committitur diſpenſatio, eſt gratia determinata reſpiciens determinatam perſonam, nec præcisè commiſſa arbitrio commiſſarij, vt poſſit exequi, vel non exequi pro libertate, ſed eidem abſolutè commiſſa, vt exequatur in fauorem ſupplicantis, ſi preces veritate nitantur, ergò ius ſupplicans acquirit ſaltem ad rem, licet non in re, vt conſtante veritate precum gratia in ipſius fauorem exequatur, ſicque, cum ipſe habeat ius ad eandem gratiam, dicitur quodamodo eidem facta, non ſimpliciter facienda; gratiæ autem ſimpliciter faciendæ expirant morte concedentis, non autem gratiæ quodamodò factæ, licet adhuc in effectu non ſortitæ fuerint ſuum complementum.

10 Intellige, ſi commiſſio fuerit abſoluta.

Hæc, quę diximus in hac aſſertione, procedunt, quando in commiſſione dicitur *Si preces veritate nitantur diſpenſa* ſecus ſi dicatur *arbitrio tuo committimus diſpenſandum*, quandoquidem in primo caſu iam eſt gratia à committente facta quodamodo, & ius quæſitum poſtulanti, ſi re vera preces veritate nitantur; in ſecundo autem ſupplicans nullum ius acquiſiuit, cum dependere debeat ab arbitrio commiſſarij; & cum illa gratia non cedat in fauorem commiſſarij, nec cedere debeat, perinde eſt, ac ſi eſſet ſimpliciter facienda, in quo caſu optimè aſſerit *Perez de matrim. diſp. 47. ſect. 5. num. 7.*, quod morte concedentis expirat.

Non expirat officiũ Legati, nec maioris pænitentiarij.

Ex dictis deduces primo, quod, ſi literæ fuerint conceſſæ, vel à maiori pænitentiario, vel à legato à Latere Romani Pontificis, morte eiuſdem Romani Pontificis non expirant, quia per mortem eiuſdem nec expirat officium legati per textum *in cap. legatos de offic. legati in ſexto*, nec officium pænitentiarij *per clement. 2. §. eo tamen promiſſo de elect.*, & ita ſuſtinent *Sanchez loc. cit. num. 92., Gutierez de matrimon. cap. 125. num 23., & alij.*

Poteſt adhuc vnus eligi.

Deduces ſecundo, quod, ſi ad inſtantiam ſupplicantis datæ fuerint literæ ſacræ pænitentiariæ Diſcreto viro Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori confeſſori ex approbatis ab ordinario, & antequam ſupplicãs vnum, vel alterum eligerit ad hoc munus, maior pænitentiarius pereat; non propterea pereant huiuſmodi commiſſiones, ſed poſſint adhuc expediri per eligendum ab ipſo ſupplicante. Ratio eſt, quia, cum tales commiſſiones cedant in fauorem determinatæ perſone, & non ſint arbitrariæ commiſſario, ſed quodamodo neceſſariæ ſtante veritate precum ſe habent, vt gratię factæ, ac propterea iam ius eſt acquiſitum ab ipſomet ſupplicante.

11 Gratia conceſſa abſolutè tenet etiam, ſi literæ ſuper illa nõ fuerint expeditæ.

Hic ſolum oritur difficultas, an, ſi antequam literæ fuerint expeditæ, concedens mortuus fuerit, intelligatur etiam gratia expiraſſe. Cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim huiuſmodi gratia abſolutè conceditur per ipſum ſuperiorem concedentem per verbum *fiat* nullo habito reſpectu ad commiſſarium; & tunc abſolutè ſentiendum eſt, gratiam huiuſmodi morte concedentis non expirare, quantumuis literæ ſuper illa non fue-

Digitized by Google

fuerint expeditæ, & ita *Gloſa in clement. dudum verſ. verbo de ſepult. Innocentius c. conſtitutus n.2. de reſcript. Gigas de penſion. q.34. n.1.2.& 3. Rebuffus c. poſtulaſtis in gloſ. verb. retinere n.21. de cler. excommun. miniſt. Nauarrus lib.5. conſil. in 2. edit. tit. de priuileg. conſ.1 n.1. Molina lib.2. de primogen. c.8. n. 55. alter Molina Theologus tom. 3. de iuſt. diſp 599. n.1. Sairus prima part. deciſ. lib. 1. c. 13. n. 51.* vnde tali gratia dignatus poteſt eadem in foro conſcientiæ vti, *Ludouicus Gomez reg. de non iudicando iuxta formam ſupplicationis qu. 14. verſ. breuiter prædictis non obſtantibus, Mandoſius reg.27. Cancellariæ q. 7. n.4. Molina tom. 3. de iuſt. diſp.199. n. 1. Henriquez lib. 12. de matrim. c.3. n.7.* vel huiuſmodi gratia conceſſa eſt

12 Si conceſſa fuit relatiuè ad cō. miſſarium adhuc tenet, ſi com. miſſarius certioratus de commiſſione ſeruet conſuetas clauſulas

relatiuè ad commiſſarium cum onere, vt ſeruentur ſolitæ clauſulæ; & tunc dicendū eſt, quod, ſi certo conſtaret commiſſario de tali commiſſione, & vellet exequi ſeruatis clauſulis ſolitis, adhuc teneret diſpenſatio, eaque poſſet vti diſpenſatus in foro conſcientiæ; ſi vero eidem non conſtaret, & nollet exequi, nec ſeruare clauſulas, non teneret, nec indigens poſſet ea vti. Ratio primæ partis deſumitur ex varijs iuribus canonicis, & præcipuè *ex d. element. dudum verb. in quibus per ipſos de ſepult.* vbi aſſeritur gratias, priuilegia, diſpenſationes ſubſiſtere ſiue verbo, ſiue ſcripto, ſiue quacunque forma conferantur, quod idem habetur *ex c. inſtitutionis 25. q. 2.* Verum tamen eſt, quod huiuſmodi diſpenſationes non poſſent in foro externo prodeſſe ex reg. Cancellariæ Gregorij XIII. in numero 50., quæ habetur in lib. motuum propriorum vbi dicitur *Nulla talis diſpenſatio cuiquam in iudicio vel extra iuditium ſuffragatur, antequam ſuper ea litera Apoſtolica ſint confecta*; neque ex hoc inferas, quod ſtante hac clauſula, nec huiuſmodi diſpenſationes antè literas expeditas poſſent in foro conſcientiæ prodeſſe, quod euincitur ex illa particula *neque extra iuditium*; Non, inquam, hoc inferas, quià illa clauſula ſolum indicat, non poſſe prodeſſe in foro externo, ſiuè in iudicio contentioſo, ſiuè extra tale iuditium inter partes præciſè. Ratio ſecundæ partis etiam ex eo deducitur, quià non eſt neceſſe, quod mandatum perficiatur ſcriptura, ergo quomodocunque in valida forma innotuerit mandatario non erit, cur ſeruata forma commiſſa non poſſit illud exequi, & diſpenſatus in foro conſcientiæ non poſſit illo vti; quando vero in valida forma non conſtat de tali mandato, nec mandatarius illud vult exequi, certum eſt, illum, in cuius fauorem conceſſum eſt, non poſſe illa diſpenſatione vti; quandoquidem in executione dependet à voluntate commiſſarij, & commiſſio conditionalis eſt, ſi commiſſarius inuenetit preces veritate inniti, & proptere à ille, in cuius fauorem facta eſt commiſſio, non poteſt vti diſpenſatione antè exercitium commiſſarij, & ante purificatam conditionem.

Non poteſt prodeſſe pro foro externo.

Assertio V. Diſpenſatio ſuper impedimento matrimonij prodeſt ei, cum quo diſpenſatur etiam egreſſo diſpenſantis territorium.

Secundum duplicem ſenſum poteſt ſumi hæc aſſertio; primo, quatenus facta commiſſione per Pontificem ordinario v.g. huius Mediolanenſis Eccleſiæ, vel officiali eiuſdem in fauorem Titij, eadem commiſſio fuerit expedita, & deindè Titius egreſſus fuerit territorium Mediolanenſe; ſecundo, quatenus facta tali commiſſione iuxta modum mox poſitum, eaque non adhuc expedita Titius egreſſus fuerit tale territorium, & tunc inquiritur, an talis ordinarius poſſit exequi talem commiſſionem. Iuxtà vtrumque procedit aſſertio.

13 Diſpenſatio ſuper impedimē. to prodeſt egreſſo extra territorium diſpēſantis.

Ratio primæ partis, ſeù quoad primum ſenſum, quam ſuſtinent *Decius conſ. 207. pulchrum eſt dubium à num. 2. vol. 2. Probus addit. ad Monachum c. officij n. 17., & ſeqq. de officio leg. in ſexto Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 31. n. 17.* ex eo deducitur, quià iam legitimè ſublatum eſt illud impedimentum, & diſpenſatus factus eſt capax ineundi matrimonium, ergo non eſt cur, vbique non poſſit ex vi illius diſpenſationis nubere. Hoc tamen hic aduertendum eſt, hoc procedere potiſſimum, quando illud impedimentum attingit præciſè perſonam ipſius diſpenſati, vt eſt votum caſtitatis, vel Religionis, vel non nubendi, quià quando eſt impedimentum, vel conſanguinitatis, vel affinitatis, cum tunc concedatur diſpenſatio in ordine ad determinatam perſonam ducendam, cum qua eſt conſanguinitas, vel affinitas, diſpenſatio non poteſt prodeſſe, niſi in ordine ad illam perſonam, & non extra illam. Verum tamen eſt, quod, ſi etiam illa perſona, cum qua eſt contrahendum, egrederetur è territorio ſimul cum alio, vtique diſpenſatio prodeſſet, & poſſent adinuicem nubere, quià ſublatum eſt per illam diſpenſationem impedimentum.

Intellige, quando impedimētū attingit præciſè perſonam diſpenſati.

Ratio ſecundæ partis, ſeù quoad ſecundum ſenſum ex eo poteſt deſumi, quià pro tempore commiſſionis Titius erat ſubditus illi ordinario, ſeù officiali, & officialis exequendo commiſſionem non exercet iuriſdictionem contentioſam, ergo non erit, cur illam commiſſionem non poſſit exequi, quantumvis fuerit diſpenſandus egreſſus è territorio diſpenſantis.

DIS-

Digitized by Google

DISQVISITIONES I.

A prima ad decimam prænotionem incluſiuè.

§. I.

An facultas teſtandi conceſſa Epiſcopis extendatur ad teſtamentum iam factum per eoſdem.

S V M M A R I V M.

Facti ſeries expoſita in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes non conualeſcere. 2.
Diſpenſatio ſubſequens facit conualeſcere teſtamentum. 3.
Soluuntur rationes aduerſa. 4.
In quo ſenſu verificetur conceſſio. 5.

1 Exponitur factum in ſuis terminis. DISQVISITIO I. Condiderat ſuum vltimum teſtamentum Theon Epiſcopus cuiuſdem Diœceſis è Religione aſſumptus nulla habita facultate teſtandi in fauorem cuiuſdam ſui conſanguinei. Reflectens poſtea ad inualiditatem teſtamenti ob defectum debitæ facultatis petijt ſupplex à Romano Pontifice facultatem huiuſmodi, quam eodem benignè annuente impetrauit. Obtenta tali facultate, nec renouato, nec alio condito teſtamento à viuis deceſſit. Hic quæſitum fuit, an ex vi illius facultatis ſucceſſiuè impetratæ prius teſtamentum conualeſceret, an verò perindè ſe haberet, ac ſi non fuiſſet conditum.

2 Rationes ſuadẽtes nõ conualeſcere. Videtur abſolutè aſſerendum, non conualeſcere; primo, quià ex præcedentèr dictis diſpenſationes ſtrictè ſunt interpretandæ per textum *in c. 1 §. ille verò de filijs præsbit. in ſexto*, adeoque vltra propriam formalem ſignificationem non debent extendi; conceſſio autem ad teſtandum, Diſpenſatio non extenditur vltrà verborum formam. ſecundum formalem ſuam ſignificationem non reſpicit teſtamentum iam conditum, ſed condendum; & per conſequens ad iam factum non videtur poſſe extendi.

Secundo, quià, quod ab origine inualidum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere per vulgatiſſima iura, qua ratione etiam ſuperius docuimus, quod matrimonium antecedentèr inualidè initum ob impedimentum dirimens non conualeſcat etiam accedente diſpenſatione Pontificis, niſi nouus contrahentium Inualidum ab origine non conualeſcit. conſenſus accedat, ergo, cum illud teſtamentum antecedentèr conditum ſine facultate Pontificis fuerit in ſua radice, & origine inualidum, non poterit accedente conceſſione Pontificis ad teſtandum reualidari, niſi nouus actus teſtantis, quo renouetur, accedat.

Tertiò, quià diſpenſationes, & conceſſiones huiuſmodi non extenduntur vltra verborum, quibus concipiuntur, proprietatem *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 1. n. 10. Angelus in l. final col. 2. verſ. item opponitur ff. de conſtit. Princip. Aretinus l. cum lege ff. de teſtament. Abbas c. ex parte el. 2. num. 21 de decimis Coaruuias quarto decret. 2. part. c. 8. § 8. & lib. 1. var. c. 20. n. 7.* qui omnes docent conceſſiones, & diſpenſationes, quamvis ſtricti iuris, poſſe extendi ad comprehenſa ſecundum propriam verborum ſignificationem; quin & per conſequens tenentur dicere non poſſe extendi, quando egrediuntur à formali, & propria ſignificatione; Cum igitur in præſenti hypotheſi facultas ad teſtandum ſecundum propriam ſuam ſignificationem reſpiciat teſtamentum futurum, & non iam factum videtur ad iam factum conualidandum non poſſe extendi. Nihilominus his non obſtantibus

3 Diſpenſatio ſubſequens facit conualeſcere teſtamentum antecedentèr initum. Reſpondeo, diſpenſationem ſubſequentem conualeſcere facere teſtamentum antecedentèr conditum *Bartolus in l. ſi quis filio in fin. ff. de iniuſt. rupt. teſtam. & ibi Immola in princip. Gambara de auctoritate legati lib. 10. nu. 256. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 1. & alij apud ipſum*. Ratio ex eo deducitur, quià, quamvis conceſſiones, & diſpenſationes ſint ſtricti iuris, & ſtrictè interpretandæ ex genere ſuo, quando tamen verſantur circa materiam iuris communis latam admittunt interpretationem, & ſunt iuxta ipſum ius commune extendendæ *Abbas c. quod dilectio ad fin. de conſanguin. Angelus verb. matrimonium 3. impedimento 6. ad finem, Veracrux prima part. ſpeculi art. 44. verſ. reſpondetur*. ſed ius commune ſtatuit ad valorem teſtamenti ſufficere facultatem teſtandi pro tempore Sufficit facultas teſtandi pro tempore mortis. mortis *l. ſi quis filio exhæredato §. irritum ff. de iniuſt. rupt. teſtam.* vbi eſt ſermo de teſtamento iam condito, quod dicitur conualidari per ſuperuenientem facultatem teſtandi pro tempore mortis, ergo &c.

Potior ratio pro hac reſponſione erit ſolutio argumentorum, quæ ex aduerſo afferuntur. Quamobrem ad primum aſſerendum eſt iuxtà ſuperius dicta, illam regulam, quod diſpenſationes ſcilicet ſint ſtrictè interpretandæ, temperandam eſſe, 4 Soluuntur rationes aduerſæ. quando verſantur circa diſpoſitionem iuris communis; quià tunc regulari debent ad normam eiuſdem iuris; ius autem commune diſponit, quod teſtamenta teneant, quando pro tempore mortis adeſt ſufficiens facultas ad teſtandum. Deinde conceſſiones, & diſpenſationes tantum reſtringi debent, vt non extendantur vltrà

Digitized by Google

formalem verborum ſignificationem; intra autem eorundem verborum formam vtique patiuntur extenſionem *Angelus l. fin. col. 2. verſ. item opponitur ff. de conſtit. Princip.* per textum *in l cum lege ff. de teſtament.*, & notat *Abbas in c. ex parte el 3. not. 2. de decimis*, quinimmo nec propriè poteſt dici fieri extenſio, quando diſpoſitio continetur intra eandem verborum ſignificationem *Decius c. at ſi clerici §. de adulterijs n. 169., & ſeqq. in noua edit. de iudicijs; & c ſedes nu. 13. not. 3. de reſcript. Couarruuias 4. decret. 2 part. c 8. §. 8.*; conceſſio autem facultatis ad teſtandum ſecundum ſuam propriam ſignificationem æque compræhendit teſtamentum iam conditum, ac condendum, quandòquidem, vt mox in reſponſione ad ſecundum obiectum ſubdemus, reſpicit tempus, pro quo vim ſortiri debet teſtamentum, quod eſt pro tempore mortis teſtatoris, & pro illo tempore conceſſio abſolutè intelligi gitur poſita,

In præſenti hypotheſi non fit extenſio.

Ad ſecundum aſſerendum eſt, teſtamentum nunquam eſſe validum, niſi intercedat mors teſtatoris; vndè ad ipſum conualidandum ſufficit, quod pro tempore mortis eiuſdem ſint omnia requiſita, quæ in præſenti hypotheſi ſupponuntur intereſſe, cum facultas, quæ deerat in celebratione eiuſdem teſtamenti, aduenerit. Quamobrem non currit paritas de matrimonio antecedenter inualidè inito, quandoquidem matrimonium tunc vim habet, quando duorum contrahentium habilium conſenſus accedit per verba de præſenti, quod propterea, ſi tunc vim non habet, non poteſt de cætero conualeſcere; niſi ſublato impedimento, ratione cuius fuit inualidum, de nouo accedant conſenſus, per quos reualidetur.

Non valet teſtamentum, niſi intercedat mors teſtatoris.

Ad tertium iam patet ex dictis, quid ſit dicendum: reuera etenim huiuſmodi conceſſio compræhenditur intra formalem verborum ſignificationem, quibus conceditur, nam facultas teſtandi reſpicit tempus, quo validum ſit teſtamentum, nempè tempus mortis teſtatoris, quæ vtique pro illo tempore ſupponitur adeſſe: idem enim ſonat, ac ſi dicatur, quod diſpenſatio efficiat, vt pro tempore, quo teſtamentum ſuum debet ſortiri effectum, non impediatur defectu illius facultatis.

5 In quo ſenſu verificatur diſpenſatio.

§. II.

An commiſſio operis trahat ſecum commiſſionem eius, ſine quo illud opus haberi nequit.

SVMMARIVM.

Secundum varias ſuppoſitiones exponitur ſeries facti particularis. 1.

Sententia aſſerens ex vi commiſſionis ad ordinandum non venire commiſſionem ad diſpenſandum. 2.

Epiſcopus delegatus ad ordinandum intelligitur etiam delegatus ad diſpenſandum. 3.

Intellige, ſi Epiſcopus, ſeu Prælatus deputans fuerit conſcius impedimenti. 4.

Soluuntur rationes ſententiæ contrariæ. 5.

Explicatur concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 9. vt non aduerſans aſſertio. 6.

Quomodo intelligatur, quod à ſeparatis non fiat illatio. 7.

DISQVISITIO II. Suppono in Prælato Regulari ineſſe facultatem diſpenſandi cum ſuo ſubdito ſuper interſtitia, & ſuper aliqua alia impedimenta, ratione quorum ipſe ſubditus impediretur, ne ſacris ordinibus initiaretur, quod idem intellige de Epiſcopo in ordine ad clericos ſæculares ſuos ſubditos. Hoc ſuppoſito ſuppono etiam, quod Prælatus Regularis, vel Epiſcopus loci mittant ad Epiſcopum alterius Diæceſis ſuos ſubditos ad ſacros ordines promouendos. Hinc poſtea quæro, an Epiſcopus commiſſarius ex vi commiſſionis ad ordinandum poſſit ſuper interſtitia diſpenſare, & ſuper alia impedimenta, ſuper quæ Epiſcopus, & Prælatus Regularis committens poteſt diſpenſare.

1 Suppoſitiones, & factum ex ipſis emergens.

Negat abſolutè *Sanchez de matrimonio lib. 8, diſp. 1. n. 25.*, ad quod multis rationibus mouetur, primo paritate deſumpta ab eo, quod habetur *in Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 9. de reformatione*, vbi habetur, quod Epiſcopus poſſit promouere ad ſacros ordines ſuum familiarem triennalem; non tamen cum illo ſuper inteſtitijs diſpenſare, ergò, quantumvis ex vi commiſſionis poſſit alienum ſubditum ſacris ordinibus initiare, non poterit tamen ſuper eiſdem interſtitijs, alijsque impedimentis diſponere, quandòquidem in hoc priuilegium, & commiſſio videntur ſibi æquiualere.

2 Sententia aſſerens ex vi commiſſionis ad ordinandum non venire commiſſionem ad diſpenſandum.

Secundo ex *c. ex tenore de vſu, & auth. pallij*, alijſque concordantibus iuribus, in quibus dicitur, quod ſublato vno impedimento, aliud non intelligitur ſublatum, ſed in præſenti hypotheſi in ordine ad Epiſcopum alienum ordinantem duplex quodamodo

Duplex interueniens impedimentum, & quale.

damodo intelligitur impedimentum interuenire; aliud defectus ſubiectionis ordinandi ad ipſum, cum ſupponatur eſſe alienæ Diœceſis, vel Regularis, qui non ſubditur ipſi; aliud irregularitatis, vel alterius impedimenti, ergo ſublato primo per commiſſionem non intelligitur alterum irregularitatis, vel alterius impedimenti ſublatum.

A ſeparatis nō fuit illatio.

Tertio *ex c. ad audientiam de decimis,* alijſque iuribus tam ciuilibus, quam canonicis concordantibus, in quibus dicitur à ſeparatis non rectè fieri illationem: poteſtas autem diſpenſandi, & initiandi ſunt omnino ſeparata, ergo &c. His tamen minimè obſtantibus.

3 Epiſcopus delegatus ad ordinādum intelligitur etiā delegatus ad diſpenſandum.

Reſpondeo, in hac hypotheſi Epiſcopū commiſſarium ad ordinandum ſufficienter intelligi deputatum ad diſpenſandum in ijs, in quibus vel Epiſcopus proprius, vel Prelatus Regularis committentes poſſunt diſpenſare, adeoque tenere diſpenſationem ſuper interſtitijs, alijſque &c. Intellige, ſi Epiſcopus, & Prælatus Regularis committentes ſint conſcij impedimentorum. *Angelus verb. irregularitas n.34. & ibi Silueſter q.9. n.11. in fin. Henriquez lib.14. de excommunicatione c.17. n.4. ad finem.* Ratio ex eo deducitur, quia Epiſcopus, ſeu Prælatus Regularis committentes per illam commiſſionem intelliguntur efficaciter velle ordinationem ſubditi, in ordine ad quem data eſt commiſſio, & quidem cum ſcientia impedimenti, ergo intelliguntur velle, quidquid requiritur ad effectum ipſius ordinationis, quantum ex parte ſui, & ſic committendo efficaciter ordinationem, videntur etiam committere diſpenſationem. Conſequentia probatur, quia intentio efficax finis includit etiam intentionem, & electionem mediorum, nec poteſt quis efficaciter velle finem, niſi ſimul velit ea, quæ ſunt connexa cum fine, & ſine quibus finis ipſe haberi non poteſt, maximè ſi executio eorum, quæ conducunt ad ipſum finem ſint in poteſtate efficaciter intendentis finem.

4 Intellige ſi Epiſcopus, ſeu Prælatus committens fuerit conſcius impedimēti.

Dixi, *ſi Epiſcopus, & Prælatus Regularis committentes fuerint conſcij impedimentorum;* ſi etenim ſupponamus, quod eorundem fuerint penitus ignari, non eſt de facili præſumendum, quod in conceſſione facultatis ad ordinandum intenderint etiam facultatem concedere ad diſpenſandum; poteſt enim contingere, quod, ſi nouiſſent impedimentum, nec facultatem conceſſiſſent, vt ad ſacros ordines promouerentur, & nemo ignorans præſumitur vices ſuas cōmittere alteri in ordine ad opus, ad quod eſt neceſſaria commiſſio, quando non nouit impedimentum, &c.

5 Soluuntur rationes ſententiæ contrariæ.

Ad rationes, quæ pro contraria ſententia in principio afferebantur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primam non currere paritatem, quæ adducitur ex Concil. Trident., quandoquidem ipſum Concilium priuilegium quidem cōceſſit Epiſcopis, vt ob ſeruitutem triennalem ſibi conceſſam poſſent ſacris ordinibus initiare eos, qui pro tali tempore fuerint eorum ſeruituti addicti, non tamen intelligitur in alijs, de quibus expreſsè non egit, in præiudicium proprij Epiſcopi facultatem indulſiſſe, & in hoc maximè ſaluatur id, quod ſupra dicebamus, priuilegia in præiudicium aliorum maximè eſſe reſtringenda; In noſtra autem hypotheſi nullum præiudicium inferri intelligitur Epiſcopis, ſeu Prælatis committentibus, cum ex propriæ voluntatis arbitrio præſumantur committere; ex eo etenim, quod omnino liberè, & efficacitèr voluerint, & commiſerint ordinationem, præſumuntur voluiſſe, & commiſiſſe ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ad ipſam, & ſine quibus ipſa haberi non poteſt, & ſi ea non voluiſſent, nec commiſiſſent ordinationem.

6 Explicatur Concil Trid. vt nō aduerſetur aſſerto.

Ad ſecundam aſſero, quod ſublato vno impedimento non intelligatur, & alterum ſublatum, quando illa duo impedimenta non habent ad inuicem neceſſariam connexionem, ſecus quando ad inuicem ſunt connexa, & vnum ſubordinatur alteri tāquam medium neceſſarium ad ſuum finē, & committens facultatem ſuper vno nouit & alterum intereſſe: tunc etenim, ne fruſtratoria ſit conceſſio, præſumendum eſt, quod ipſe committens concedens principale, voluerit etiam concedere facultatem ſuper acceſſorium neceſſariò requiſitum ad ipſum principale conſequendum; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quando interueniunt duo impedimenta ſecundum ſe dirimentia matrimonium impetrata diſpenſatione ſuper vno nō intelligatur poſita diſpenſatio ſuper alio, quantumuis prima poſita ſit in ordine ad matrimonium, quod iniri non poteſt, niſi vtroque impedimento ſublato, ergo etiā quantumvis ordinatio non poſſit eſſe, niſi ſublato impedimento irregularitatis, vel alterius cuiuſcumque generis, & poſita ſit facultas in ordine ad ordinationem quoad non ſubditum non intelligitur conceſſa facultas ad diſpenſationem quoad impedimentum &c Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet illa duo impedimenta habeāt oppoſitionem ad finem matrimonij, quatenus cum neutro illorum poſſit ſubſiſtere, per ſublationē tamen vnius alterū nō intelligitur auferri. Ratio eſt, quia vnum impedimentum non includitur in alio, cum ad inuicem comparata ſe habeant, vt duo diſparata; & Pontifex in diſpenſatione vnius non intendit, niſi derogare illi impedimento, vt matrimonium quantum eſt ex parte illius poſſit contrahi, vnde altero exiſtente non poteſt validè

Illa duo impedimenta ſunt ex ſuo fine connexa, & quomodo.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta

Digitized by Google

celebrari: in præſenti autem hypotheſi, licet defectus ſubiectionis, & irregularitas in ordine ad ordinationem ſint duo impedimenta diſparata, quia tamen ibi principaliter ab Epiſcopo, vel Prælato committente intenditur ordinatio, & quidem cum ſcientia irregularitatis, eo ipſo quod aufert defectum ſubiectionis in ordine ad illum finem, intelligitur etiam ſubijcere quoad effectum irregularitatis. Quamobrem in primo caſu duorum impedimẽtorum id, quod principalitèr intenditur in impetratione diſpenſationis, eſt ablatio illius impedimenti, ſupra quod cadit diſpenſatio, quod non coniungitur cum alio ex voluntate diſpenſantis; id vero, quod intenditur in illa ſubiectione pro ordinatione eſt ſpecialiter ipſa ordinatio, quæ ex voluntate committentis coniungitur cũ ablatione irregularitatis, ſeu alterius impedimenti, cum illa non poſſit eſſe ſine iſta, ſicque in fine principaliter intento includuntur omnia media neceſſaria ad ipſum; in vno autem medio non includitur aliud.

Ad tertiam dicendum eſt à diſparatis
7 Quomodo intelligatur, quod à ſeparatis non fiat illatio. non fieri quidem illationem, quando ſunt quidem diſparata, & ſecundum ſe, & ſecundum intentionem committentis, ſecus quando ex intentione committentis ſunt præſumptiuè coniuncta, ſic in præſenti hypotheſi, quamuis poteſtas diſpenſandi, & poteſtas ſacris ordinibus initiandi ſint omnino diſparata, cum in eodem ſubiecto vna poſſit reſidere ſine altera, & quãuis vtraque reſideat in eodem, poteſt velle vna vti, & non altera, quia tamen ex intentione vltimata committentis volentis abſolutè ordinationem hæc non poteſt eſſe ſine illa conceſſa prima intelligitur & ſecunda conceſſa, cum ſine hac ad illam nõ poſſit deuenire, adeoque &c.

§. III.

An diſpenſatio ſuper principali trahat ſecum diſpenſationem ſuper acceſſorio.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus diſquiſitionis in caſu particulari. 1.
Sententia exigens ad ius ſuffragij vtramque qualitatem copulatiuè. 2.
Sententia adſtruens non exigi ætatem, niſi in ordine ad ſubdiaconatum. 3.
Conſiderabilia circa diſpoſitionem iuris municipalis quoad præſentem caſum. 4.
Si vtraque qualitas exigatur copulatiuè ſine ordine ad inuicem diſpenſatio ad ſubdiaconatum non trahit diſpenſationem ad ius ſuffragij, ſecus, ſi vtraque exigitur cum ordine. 5.
Quando poſſit præſumi, quod exigatur copulatiuè, & ſine ordine, & quando cum ordine. 6.
Conciliantur ſententiæ oppoſitæ. 7.

DISQVISIT. III. Extant ſtatuta municipalia in Religione aliqua, ne quis vocem habeat in capitulo, niſi fuerit ſubdiaconus, & in ea ætate, qua poſſit tali ordini initiari. Diſpenſatus fuit quidam ex tali ordine, vt ante legitimam ætatem poſſet ad ſubdiaconatum promoueri, & de facto ſtante tali diſpenſatione promotus fuit. Quæſitum hic fuit, an ſit promotus eo ipſo gaudeat iure ſuffragij in capitulo, quamuis ætatem non compleuerit, ſecundum quam ſine diſpenſatione non potuiſſet promoueri. 1 Refertur ſtatus diſquiſitionis in caſu particulari.

2 Sententia exigens vtramque qualitatem copulatiuè.

Videtur abſolutè dicendum, non poſſe tali iure gaudere, quandoquidem iura municipalia Religionis illius exigunt in ſubiecto vtramque qualitatem, ordinis ſcilicet, & ætatis, quarum altera propterea deficiente non videtur aptus ad tale ius, & diſpenſatio ſupra ætatem eſt in ordine ad promotionem ad ſubdiaconatum, non in ordine ad ius ſuffragij, & diſpenſatio quoad vnum effectum non extenditur ad alium omnino ſeparabilem, & diſparatum.

3 Sententia adſtruens ætatem nõ exigi niſi in ordine ad ſubdiaconatum.

Exaduerſo videtur illa ratio militare, quod iura municipalia non alia ratione præſcribant illam ætatem, niſi quia illa requiritur ſecundũ ſe ad talem ordinem ſuſcipiendum, cum regularitèr ante illam nequeat conferri per textum *in clem. 3. de ætate*; & per conſequens poſita diſpenſatione ad ordinem videtur ſublata quæcunque incapacitas ad ius ſuffragij, cum ætas non ad aliud requiratur, niſi ad finem ordinis.

4 Conſiderabilia circa diſpoſitionem iuris municipalis in præſenti caſu.

Pro ſolutione aduertendum eſt, an illa iura exigant illas duas qualitates copulatiuè ſine ordine ad inuicem, tunc certum eſt, quod quantumuis ex diſpenſatione fuerit ante ætatem promotus ad ordinem ſubdiaconatus, non intelligatur tamen adhuc aptus ad ius ſuffragij in capitulo deficiente altera qualitate ad hoc à iure requiſita, ſi vero vnam exigant propter aliã nulli dubium, quod, ſi fuerit promotus per diſpenſationem ante legitimam ætatem ad illum ordinem, gaudeat verè iure ſuffragij; quandoquidem tunc habetur id, quod principaliter intenditur ab eodẽ iure municipali, & habito fine principaliter intento, licet per medium extraordinarium parum curandum eſt de medio, quod ſolum intenditur in ordine ad eundem finem. Quibus prænotatis

Reſpondeo iuxta mox poſitam diſtinctionem, vel etenim vtraque qualitas exigitur copulatiuè ſine ordine ad inuicem, & 5
tunc per diſpenſationem promotus ante

ætatem

Digitized by Google

Si vtraque qualitas exigatur copulatiuè ſine ordine promotus ante ætatē ad ordinem non gaudet iure ſuffragij.

ætatem ad ordinem, non intelligitur habilitatus ad ius ſuffragij, vel vna exigitur propter aliam, ætas ſcilicet propter ordinem, & tunc diſpenſatus ante ætatem ad ordinem gaudet iure ſuffragij, quantumvis præſcriptam ætatem non fuerit conſecutus *Felinus c. poſtulaſti n. 11. verſ. iſta, & his ſimilia de reſcriptis. Couaruuias 4. decret. 2. part. c. 8 § 10 in fine Sanchez de matrim. lib. 8 diſp. 1. n. 23.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, quando duplex qualitas copulatiuè exigitur ſine ordine ad inuicem alterā ex illis non exiſtente non tenet actus, ad quē vtraq; exigitur. ergo, cū ad ius ſuffragij in capitulo requiratur; & qualitas ordinis, & qualitas ætatis copulatiuè deficiente qualitate ætatis non poterit eſſe ius ad ſuffragium. Antecedens patet, quia deficientibus conditionibus requiſitis ad actum non poteſt actus exiſtere. Confirmatur primo, quia ſublato vno impedimento in ordine ad aliquem effectum non intelligitur ſublatum aliud in ordine ad alium, quinimmò, etiam ſi vtraque ablatio impedimenti ordinaretur ad vnum, & eundem effectum per ablationem vnius non intelligitur ablatio alterius, vt videre eſt in eo, qui duplici impedimento altero conſanguinitatis, altero affinitatis in ordine ad aliquod matrimoniū tenetur, tunc etenim ſublato per diſpenſationem impedimento conſanguinitatis, non intelligitur ſublatum alterum affinitatis, vt ſuprà latè probauimus, ergò per diſpenſationem ſublato impedimento ætatis in ordine ad ſubdiaconatum, non intelligitur ſublatum in ordine ad ius ſuffragij.

Si qualitas ætatis exigatur propter ordinem, tunc promotus ad ordinem gaudet iure ſuffragij.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia, cum qualitas ætatis ſolum exigatur in ordine ad ſubdiaconatum, qui nondum nactus eſt talem ætatem, non eſt incapax iuris ſuffragij in capitulo per ſe, & principalitèr ratione ætatis, ſed ratione defectus ordinis talem ætatem depoſcentis ex genere ſuo, ergò eodem promoto per diſpenſationem ad ordinem ſubdiaconatus non erit, cur in ipſo immediatè non debeat ſuccedere ius ſuffragij. Confirmatur, quia habito fine principalitèr intento in tali municipali diſpoſitione non eſt cura habenda de medio, quod ſolum intenditur proptèr talem finem, ergò, cum ætas in illa diſpoſitione ordinetur ad ſubdiaconatus conſecutionem, eodem ſubdiaconatu conſecuto non erit curandum, an ille habitus fuerit per medium extraordinarium diſpenſationis, an verò per medium ordinarium legitimę ætatis, ſed immediatè conſequetur omnia, quæ ex diſpoſitione talis iuris municipalis ſancita remanent.

6 Potior difficultas in hoc eſt in inquirendo, quandonam præſumi debeat vtramque qualitatem exigi copulatiuè ſine ordine ad inuicem, & quandonam vnam exigi ſubordinatè ad alteram. Reſpondendum eſt, quod, vbi deciſio non poſſit expreſsè conijci ex contextu verborum, vel ex fine instituti, tunc ex coniecturis iudicandum ſit; & primò, ſi vtraque qualitas requiratur ſub diſiunctio cenſendum eſt non exigi copulatiuè; quia ad veritatem propoſitionis diſiunctiuæ ſufficit, ſi altera pars verificetur. Secundò; ſi vtraque qualitas explicetur per particulam, *Et*, tunc conſiderandum eſt, an illa ætas determinatè præſcribatur, quę de iure communi requiritur ad ordinem ſubdiaconatus ſuſcipiendum: vel maior: ſi etenim eadem determinatè præſcribatur, quæ requiritur ad ſacrum ordinem probabilius eſt, quod talis ætas exigatur cum ordine ad ſubdiaconatum, quo propterea obtento non eſt, cur talis ætas exigatur: Ad quid enim præſcribere tempus illud determinatum, ſi non eſſet propter ordinem? & connexio temporis determinati cum ordine, non obſcurè infert tempus ipſum referri ad ordinem; ſi verò maior præſcribatur, tunc illa ætas videtur exigi copulatiuè ſine ordine, adeoque, quod non ſolum debeat attendi ordo, ſed etiam complementum illius ætatis. Ratio eſt, quia cum illa ætas excedat tempus requiſitum ad ordinem non videtur exigi propter illum.

Quomodo poſſit præſumi, quod exigatur cum ordine, vel ſine ordine.

Ex quibus omnibus habes, quomodo conciliare poſſis ſententias extremè oppoſitas relatas in principio diſquiſitionis; dic etenim primam procedere, quando vtraque qualitas exigitur copulatiuè ſine ordine ad alteram, vt probatum eſt in prima parte reſponſionis; ſecundam verò, quando ętas intenditur propter ordinem, & non aliter, nec alio modo. 7

Conciliantur ſententiæ oppoſitæ.

---

§. IV.

An diſpenſatio commiſſa inferiori expreſſo nomine diſpenſandi nulla cognitionis cauſæ facta mentione teneat, ſi Commiſſarius cauſæ cognitionem non præmiſerit.

SVMMARIVM.

Exponitur ſeries difficultatis. 1.
Rationes ſuadentes diſpenſationem non tenere ſine legitima cauſa. 2.
Non ſolum videtur prærequiri cauſa, ſed etiā cognitio cauſæ. 3.
Probabilius diſpenſatio ſic per Commiſſariū adimpleta tenet, quamuis non præceſſerit cauſæ cognitio. 4.

Sol-

Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

1 **Status diſquiſitionis expoſitus.**

DISQVISITIO IV. Iuxta præacta inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris abſque legitima cauſa, & non niſi præmiſſa eiuſdem cauſæ cognitione. Contigit, vt Titius indigens diſpenſatione ad effectum aliquem conſequendum, recurſum habuerit ad Romanum Pontificem, & ab eodem impetrarit commiſſionem Epiſcopo propriæ Diœceſis, ſeù eius officiali Generali, in qua expreſſo nomine ſupplicantis, & diſpenſandi, ſeù indigentis diſpenſatione dicebatur, vt ſuper impedimento interueniente diſpenſaret nulla facta mentione cognitionis cauſæ antecedentèr ponendæ. Vigore talis commiſſionis Epiſcopus, ſeù Officialis executus eſt diſpenſationem nulla præmiſſa cauſæ cognitione. Dubitatum hic fuit, an illa diſpenſatio ſic per inferiorem facta ſubſiſteret.

2 **Rationes ſuadentes non tenere diſpenſationem, niſi præceſſerit cauſa legitima.**

Ratio generalis ſuadet diſpenſationem illam non ſubſiſtere; quandòquidem diſpenſatio quæcunque inferioris in lege ſuperioris eſt irrita, ſi cauſa legitima deſit; quoties enim inferiori committitur diſpenſatio, ſeù poteſtas diſpenſandi in lege ſuperioris intelligitur cum tacita conditione, ſi cauſa legitima exiſtat, cum mandatum Principis ad ius refferri debeat per textum *in c. de multa de præbend.* hocque expresſè tradunt. *Speculator tit. de diſpenſatione* §. *dicendum reſtat n.* 19 *Innocentius c. cum ad monaſterium n.* 4. *de ſtatu monach Baldus in l. Barbarius nu.* 7. *ff de offic. prætor. Aretinus in l.* 2. *in princip. nu.* 1. *ff. de verb. oblig. Sotus lib* 7. *de iuſt. queſt.* 4. *art.* 3. *col.* 9. *verſ. rurſus circa eadem, Corrunias quarto decret. part.* 2. *c.* 6. §. 7. *num* 11.

Ineſt tacita conditio ſi cauſa exiſtat.

3 **Non ſolū prærequiritur cauſa ſed etiam cognitio cauſæ.**

Nec ſolum requiritur præexiſtentia legitimæ cauſæ, ſed etiam cognitio eiuſdem cauſæ præexiſtentis coram inferiore commiſſario, quandoquidem ideo commiſſio fit inferiori, vt cauſam examinet, & conſtet de veritate narratorum, nec aliter præſumendum, Pontificem voluiſſe committere, atque ſic ſentiunt *Nauarrus in c. fin. n* 4. *de ſimonia, Immola in l. quidam conſulebat n.* 7. *in fin. ff. de re iudic. Azorius lib.* 5. *inſtit. moral. c.* 15. *q.* 9. & 10.

Si inferior diſpenſat in lege ſuperioris ex graui cauſa requiritur cognitio cauſæ.

Accedit primo, quod, ſi Epiſcopus quādoque ex vrgenti, maiorique ratione diſpenſet in lege ſuperioris, hoc præſtare non poſſit, niſi cognita cauſa, prout definitum eſt *in Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de reformatione c* 8. per illa verba: ***Quod ſi vrgens, maiorque ratio, quandoque poſtulauerit cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ſumma atque maturitate &c. erit præſtandam***, vbi nota illam particulam, *cognita cauſa*, quæ importat ablatiuum abſolutum, & per conſequens conditionem, & formam; ergo hoc idem intelligendum eſt, quando diſpenſat ex commiſſione ſuperioris, quandoquidem ſuperior præſumitur committere ad normam iuris.

Accedit ſecundo, quod, ſi Pontifex noluiſſet illam cauſæ cognitionem, abſolutè diſpenſaſſet, non commiſiſſet diſpenſationem; Ad quid enim alteri committere, & non per ſe ſimplicitèr diſpenſare. ſi noluiſſet iudicium commiſſatij, ſed ſimplex munus executionis? Nihilominus his minimè obſtantibus.

4 **Probabilius diſpēſatio per commiſſarium adimpleta tenet etiam non præcedente cognitione.**

Reſpondeo, probabilius eſſe in hac hypotheſi diſpenſationem ſic per commiſſarium adimpletam etiam ſine cauſæ cognitionem tenere. *Speculator tit. de diſpenſatione* §. *dicendum reſtat n.* 19. *Gambara de auct. leg. lib.* 10. *n.* 209. *Sanchez de matrim. lib* 8. *diſp.* 17. *n.* 6. Ratio ex eo deducitur, quia, ex quo nomen diſpenſandi expreſſum eſt in literis commiſſionis, & in eiſdem non ſit impoſitum onus indagandi ſuper veritate expoſitorum, non inefficacitèr poteſt præſumi committentem certiorem factum eſſe de cauſis diſpenſationis, & commiſſario iniunctum eſſe merum onus executoris, ergo non erit, cur præſumptiuè non ſit ſentiendum de valore diſpenſationis; quia in tantum requiritur indagatio cauſæ in commiſſario, in quantum non ſupponitur in committente cognitio, ergo, cum hæc præſumatur in iſto exiſtere, in illo non requiretur.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, ea, quę ex ſtilo curiæ in commiſſionibus ſolent apponi, ſi ommittantur, haberi pro adiectis, quia, quæ de iure inſunt, ſemper ſupponuntur ineſſe, ſed ex ſtilo curiæ in commiſſionibus clauſula diligentis inquiſitionis ſuper petitis ſolet apponi, ergo tacitè intelligitur appoſita, adeoque, ſi fuerit omiſſa, etiam habebitur pro appoſita, & adiecta, & ſic, ſi per commiſſarium non adimplebitur, non erit valida diſpenſatio, ſeu executio commiſſionis; Non, inquā, obeſſe poteſt, quia ad ſummum, quæ dicuntur in inſtantia, verificantur, quando ommiſſio præſumitur ex obliuione, vel ex incuria ſcriptoris, nam tunc diſpenſatio regulanda eſt ad formam iuris, & præſumptæ mentis diſpenſantis, ſecus, quando ommiſſio præſumitur ex præacta certioratione habita penes committentem, vt euenit in præſenti hypotheſi; non enim præſumendus eſt committens voluiſſe committere inquiſitionem, quam ipſe præſumitur habuiſſe.

Illa ommiſſio præſumitur præacta certioratione.

5 **Soluuntur rationes oppoſitæ.**

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam fallere, quando Princeps committit diſpēſationem ſine vllo onere cauſæ cognoſcēdæ; tunc enim licet legitima cauſa diſpenſationis non intercedat coram commiſſario, ſupponitur tamen intercedere penès com-

committentem, ſicque non poteſt dici, quod illa diſpenſatio facta fuerit ſine legitima cauſa, ſed tantum, & ad ſummum, quod habita fuerit ſine cauſa realiter apparente commiſſario, quæ tamen eſt legitimè præſumpta exiſtere, ſeu extitiſſe penes committentem, quod ſufficit, cum tota, & adæquata vis commiſſarij in illa executione dependeat à volũtate ipſius committentis.

Vbi eſt cognitio in committẽte ſuperflua eſt in commiſſario.

Ad ſecundam dicendum eſt, cognitionem cauſæ in tantum requiri in commiſſario, in quantum hæc cognitio non præſumitur eſſe in committente. Cæterum, cum commiſſarius munus executionis exerceat in virtute eiuſdem committẽtis, debet exercere ſecundum normam commiſſionis, & requiſita, quæ præſumuntur eſſe in cognitione eiuſdem committentis, non debet ipſe inquirere.

Diſpar ratio, quando diſpenſat ex neceſſitate, ac quando diſpenſat ex commiſſione.

Ad tertiam dicendum eſt, diſparem omnino eſſe rationem, quando inferior diſpenſat in lege ſuperioris, vrgente aliqua graui neceſſitate ſine commiſſione, ac quando diſpenſat ex commiſſione ſuperioris; In primo etenim caſu cognitio cauſæ, cum non ſit in ſuperiore, debet eſſe in inferiore diſpenſante in illo caſu neceſſitatis; in ſecundo vero ſupponitur eſſe in ſuperiore committente, quæ propterea non exigitur in commiſſario.

Stilus curiæ committentis nudum miniſterium executoris

Ad quartam, ex ſtilo curiæ euincitur committi munus huiuſmodi diſpenſationum inferioribus, quamuis per illud conferatur præcisè nudum miniſterium executoris, hocque videre eſt in conſuetis formulis, quæ fuerunt ſuperius per extensũ allegatæ, quando diſpenſationes huiuſmodi conceduntur abſque cauſa; in quibus dicitur, *Ipſi ex certis rationabilibus cauſis eorum animum mouentibus cupiunt inuicem matrimonio copulari*, ex quibus apparet committi merum munus executoris.

---

§ V.

An diſpenſatio cum aliquali cauſa, non tamen ſufficienti in lege ſuperioris teneat.

SVMMARIVM.

Facti ſeries, & triplex articulus examinandus. 1.

Diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris ex cauſa inſufficienti ſecundum ſe non tenet. num. 2.

Si cauſa ſecundum ſe ſit inſufficiens, reputetur tamen ſufficiens à diſpenſante tenet. 3.

Nec infirmatur diſpenſatio, ex eo quod ſuperueniat cognitio illegitimæ cauſæ. 4.

Intellige, dummodo diſpenſatio non admittat tractum ſucceſſiuum. 5.

1 Facti ſeries, & triplex articulus examinandus.

DISQVISITIO V. Dictum fuit in præcedentibus inferiorem non poſſe diſpẽſare in lege ſuperioris ſine iuſta cauſa. Vrgente graui cauſa, ſeu neceſſitate, ratione cuius Titius adire nõ poterat Romanum Pontificem pro diſpenſatione ſe contulit ad ordinarium, cui expoſuit aliqualem cauſam pro motiuo diſpenſationis, non tamen ſecundum ſe ſufficientem, ab eoque ex illa cauſa impetrauit diſpenſationem, & opus, ad quod petijt, executus eſt. Hic triplex potiſſimum orta eſt difficultas. Prima an illa diſpenſatio ex cauſa illa inſufficienti ſecundũ ſe teneat. Secũda, an teneat quantumuis cauſa illa ſecũdum ſe inſufficiens, fuerit prudenter, & bona fide à Prælato inferiori diſpenſante habita pro ſufficienti, & iuſta. Tertia, an diſpenſatus cognita inſufficientia cauſæ tutus ſit in conſcientia, ſi perſeueret in actu, ad quem ex illa cauſa fuit diſpenſatus.

2 Diſpenſatio per inferiorem ex cauſa in ſufficienti ſecundũ ſe non tenet.

Reſpondeo primo, diſpenſatio ex illa cauſa inſufficienti ſecundum ſe non tenet. *Hoſtienſis in c. cum ad monaſterium n. 32. de ſtatu monach. Felinus in c. at ſi cleric.* §. *de adulterijs n.* 10. *de iudic. Angelus verb.* diſpenſatio *n.* 3. *& ibi Siluester q.* 3. *n.* 5. *Nauarrus c. fin. num.* 4. *de ſimonia, Gutierez qq. canon. lib.* 1. *c.* 19. *n.* 5. *Sanchez q.* 5. *de voto n.* 35. *& alij magis communiter.* Ratio ex eo deſumitur, quia diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris ſine cauſa abſolutè non tenet *Speculator tit. de diſpenſatione* § *dicendum reſtat n.* 19. *Innocentius c. cum ad monaſterium n.* 4. *de ſtat. monach. Sotus lib.* 7 *de iuſtitia q.* 4. *art.* 3. *verſ. rurſus circa eadem,* & nos etiam ſupra latè docuimus, ergo nec tenebit, ſi poſita fuerit ſine legitima cauſa, & ſufficienti, quandoquidem in hoc æquiparatur non adeſſe cauſam, ac non adeſſe cauſam legitimam; Neque dicas, auctoritatem ſuperioris in hoc ſupplere illegitimitati cauſæ, ſiquidem plus roboris habet diſpenſatio cum aliquali cauſa accedente ſuperioris auctoritate, ac diſpenſatio ſine aliqua cauſa: contra enim impugnaberis; quia auctoritas ordinarij æque ſupponitur interuenire, quando nulla eſt cauſa, ac quando modica eſt, & non ſufficiens; ſicuti igitur hæc non poteſt ſupplere defectum cauſæ, quãdo hæc non eſt, ita nec ſupplere legitimitati eiuſdem, quãdo cauſa non eſt ſufficiens.

3 Si cauſa ſecundum ſe inſufficiens prudentèr reputatur ſufficiens à diſpenſante tenet.

Reſpondeo ſecundo, ſi cauſa ſecundum ſe inſufficiens prudentèr, & bona fide habita fuerit ſufficiens à Prælato diſpenſante tenet probabilius diſpenſatio *Azorius lib.* 7. *inſtit. mor. c.* 29 *q.* 6. *Sanchez de matrim. lib.* 8 *diſp.* 17 *n.* 8. Ratio ex ijs deducitur quæ ſupra dicebamus, quia non eſt præſumendum, quod Pontifex in ſuis legibus,

ſtan-

ſtante bona fide inferioris diſpenſantis ſit irrationabilitèr inuitus quoad illam diſpenſationem, cum cæteroqui ſemper ſubeſſe poſſent obuiantes ſcrupuli, an cauſæ ſuppoſitæ eſſent rationabiles, nec ne? quod vergeret in maximam Eccleſiæ Dei quoad regimen confuſionem. Confirmatur, quià inferior validè diſpenſat, quando adeſt grauis neceſſitas, nec poteſt adiri ſuperior, ex præſumpta intentione, & voluntate eiuſdem ſuperioris, ergo etiam, quando diſpenſat ex cauſa illegitima, quam ipſe legitimam putat, tenere diſpenſationem arbitrandum eſt, & quidem ex præſumpta eiuſdem ſuperioris intentione ſicuti enim cedit in Eccleſię iuſtam gubernationem, quod extante illa neceſſitate fideles non vexentur illa difficultate ad adeundum ſuperiorem, ita etiam in conſonum eiuſdem Eccleſiæ regimen cedit, quod ſuppoſita inferioris diſpenſatione arbitrantis eſſe legitimam cauſam non torqueantur ſcrupulis circa validitatem eiuſdem diſpenſationis. Hęc omnia conſonant cum ijs, quæ ſupradiximus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. III. præcept. 1. n. 12.* vbi vidimus, quod attento rigore iuris inualida foret talis diſpenſatio; attenta tamen æquitate, & rationabili ſuperioris intentione ob rectam Eccleſiæ gubernationem ſubſiſtat. Recole, quæ ibi dicebamus.

4
Non infirmatur ex eo, quod ſuperueniat cognitio illegitimitatis cauſæ.

Reſpondeo tertio ſuppoſita prudenti diſpenſatione, inferiorque bona fide arbitratus fuerit cauſam, ex qua diſpenſauit, eſſe validam, quantumvis poſtea diſpenſato conſtet de illegitimitate, & inſufficientia cauſæ, licitum eſt ipſi tutè perſeuerare in diſpenſatione, ſi hæc non admittat tractum ſucceſſiuum. *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 17. n. 9.* Ratio ex eo deducitur, quià per illam diſpenſationem quam validam in præcedenti reſponſione probauimus, ſublatum eſt abſolutè impedimentum, ſupra quod cecidit illa diſpenſatio, quandòquidem valida diſpenſatio derogat iuri communi, ergo cum non amplius vigeat impedimentum poterit eſſe tutus in illa diſpenſatione. Confirmatur, quià ſi diſpenſatio poſita fuerit exiſtēte legitima cauſa, non infirmatur ex eo, quod eadem cauſa poſtea infirmetur, ergo etiam, ſi poſita fuerit ex cauſa legitima preſumpta non infirmabitur ex eo quod poſtea eadem cauſa illegitima, & non ſufficiens appareat. Conſequentia probatur, quià ſuppoſita ex illa præſumptione validitatis, & ſufficientiæ cauſæ validitate diſpenſationis illa cauſa quoad hunc effectum æquiualet cauſæ veræ legitimæ, & reali, ergo, ſi vbi in origine diſpenſationis fuerit cauſa legitima, & realis, non infirmatur diſpenſatio ex ſubſequenti infirmitate eiuſdem cauſæ, nec infirmabitur ex ſuperuenientia infirmitatis quoad cognitionem eiuſdem cauſæ.

Dixi, *ſi hæc non admittat tractum ſucceſſiuum*, propter ea, quæ ſuperius diximus in inquiſitione, an ceſſante cauſa diſpenſationis ceſſet quoque ipſa diſpenſatio; vbi latè probauimus, quod in ijs, quæ admittunt tractum ſucceſſiuum, ceſſet diſpenſatio quoad ſucceſſiua ceſſante cauſa diſpenſationis eiuſdem, quæ omnia applicari congruè poſſunt huic ſuppoſito.

5
Dummodo non admittat tractū ſucceſſiuū.

---

§. VI.

Qualitèr intelligenda ſit cauſa, qua dicuntur contrahentes eſſe nobiles, aut ex principalioribus talis vrbis.

S V M M A R I V M.

Exponitur factum cum rationibus dubitandi. 1

Ratio ſuadens ad validam diſpenſationem requiri nobilitatem ex vtroque laterè. 2.

Diſpenſatio impetrata ex cauſa nobilitatis ſubſiſtit quamuis in vtroque deficiat nobilitas ex parte matris. 3.

Non tamen, ſi adſit nobilitas ex parte matris, licet deficiat ex latere Patris. 4.

Soluitur ratio oppoſita. 5.

Probabilius tenet diſpenſatio, ſi dictum fuerit eſſe ex principalioribus, quamuis ſint tales ſolum propter diuitias. 6.

Si dictum fuerit aliquos eſſe nobiles, cum tales non eſſent, ſed diuites, non tenet diſpenſatio, ſi appoſita fuerit per modum conditionis ſecus [illegible] narratum. 7.

1
Exponitur factum cū rationibus dubitandi.

DISQVISITIO VI. Contrahere intendentes inter ſe Flaminius, & Caſſandra matrimonium, cum cæteroqui eſſent nota conſanguinitatis, vel affinitatis in gradibus prohibitis affecti in ſupplici libello, quem dederunt Pontifici ad effectum diſpenſationis, expoſuerunt ſe eſſe nobiles, aut ex principalioribus vrbis, quâ qualitate, ſeu quibus qualitatibus ſuppoſitis expeditæ fuerunt literæ diſpenſationis. Reuera ex latere Patris vterque erat nobilis, ſed non ex latere matris, quæ erat ex ſtipite vili, & ignobili. Rurſus diuitijs inter cæteros in tali vrbe erant præpotentes, ſed in alijs qualitatibus putà nobilitatis, & dignitatis à pleriſque in tali vrbe excedebantur. Quæſitum fuit, an illa diſpenſatio ex cauſa nobilitatis ſubſiſteret non obſtante, quod ex altero latere deficeret, & an ex cauſa principalitatis, cum ſolùm in diuitijs excellerent, non in alijs qualitatibus, quæ princi-

paliores

Digitized by Google

paliores ſecundum communem exiſtimationem aſſolent conſtituere!

2 Ratio ſuadens requiri nobilitatem ex vtraque latere.

Ex eo, quod ſuperius fuerit dictum, diſpenſationes eſſe ſtricti iuris, & ſtrictè interpretandas, videtur conſequenter dicendum diſpenſationem conceſſam, allegata cauſa nobilitatis, non ſubſiſtere, deficiente nobilitate in contrahentibus ex altero latere, quia ſtricta interpretatio exigit cauſam vſquequaque perfectam; vndemeritò in Hiſpanijs extat *lex tertia Regia tit. 21. parte ſecunda*, per quam deciditur, vt quis dicatur nobilis, exigi vt talis ſit ex parte vtriuſque parentis. Accedit, quod diſpenſationes computentur inter odioſa iuri communi, cum ab eodem omninò diſcordant; odioſa autem exigunt cauſam ex omni parte completam. Nihilominus

3 Tenet diſpenſatio, quamvis nobilitas deficiat ex parte matris.

Reſpondeo primo vtique talem diſpẽſationem impetratam ex illa cauſa ſubſiſtere, quantumvis in vtroque deficiat nobilitas ex parte matris *Zabellos q. 688. nu. 11. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 19. num. 6.* Ratio inprimis ex eo deſumitur, quia principalitèr filij deſumunt eſse in patre tanquam à parte principaliori, ergò denominatione deſumpta à principaliori propriè poſsunt dici nobiles, ſi Pater ipſorum verè fuerit nobilis. Deindè ex ijs, quæ alibi diximus, filij ſeruorum ſequuntur conditionem patris quoad nobilitatem, & honores, non matris, quam ſequuntur dumtaxat quoad ſeruitutem, ergo, quia nobilitas potiſſimum deſumitur ex parte patris iure ſanguinis, non in matre. Deinde ratio propter quam facilius diſpenſatur cum nobilibus, quam cum popularibus ea eſt, quia diſpenſatio in his potiſſimum conceditur ob firmandum pacis fœdus, quod magis neceſſarium eſt bono communi circa diuites, & potentes, quam circa pauperes, & populares, *D. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2 ad ſecundum, Couaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. §. 9. n. 7. in fin. Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 13. nu. 15. Petrus de Ledeſma de matrim. q. 56. art. vlt. in fin.*, ſed hæc ratio æque militat, ſi ſint tantum nobiles ex latere Patris, quandoquidem expedit bono communi, vt inter ipſos fœdus pacis ſanciatur, cum rixæ, & odia inter eoſdem ſint magis pernitioſa, ergo &c.

4 Nõ tamen ſi deficiat ex latere patris.

Hic immediatè alia ſuboritur difficultas, an ſi fuerint viceuerſa tantum nobiles ex latere matris, & non patris, teneat diſpenſatio. Ex dictis in hac reſponſione videtur concludentèr dicendum non tenere tũ quia mater eſt minus principalis erga filios, tũ quia filij ſequuntur cõditionem Patris, non matris quoad nobilitatem, & honores; tum quia ratione ipſarum non militat ratio illius fœderis pacis, quod magis attenditur in nobilibus; Has rationes ſatis validas exiſtimo. Hòc tamen vnũ aduertendum eſt, quod hæc, quæ diximus procedant tantum, quando cauſa finalis diſpenſationis eſt ipſa nobilitas, ſecus quãdo ipſa apponitur tantum narratiuè, nam tunc ſupponitur tantum diſpenſatio conceſſa ſine cauſa, & etiam, ſi non adeſſet in Patre contractum non irritaret.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur dicendum eſt, in primis interpretationem, quæ fieri debet ſtrictè, vt præfertur, reſpicere ipſum actum diſpenſationis, quatenus non debeat extendi vltra id, ad quod expreſsè conceditur, non ipſam cauſam, ex qua conceditur, quæ ſi talis fuerit, vt ſecundum ſe ſit ſufficiens mouere, ſufficiens eſt ad validam diſpenſationem. Tãdem, quia nobilitas principaliter reſpicitur ex latere patris, non matris. 5

5 Soluitur ratio oppoſita.

6 Si dictum fuerit eſſe ex principalioribus, tenet diſpenſatio quamvis fuerunt tales ſolum propter diuitias.

Reſpondeo ſecundo. Si in impetratione fuerit expreſſum, quod contrahentes ſint ex principalioribus vrbis, & re vera ſolum ſint præpotentes diuitijs, & non alijs qualitatibus, quæ ſecundum communem exiſtimationem conſtituunt principaliores in vrbe probabilius eſt diſpenſationem tenere, *Sanchez lib. 8 de matrimon diſp. 19. n. 6* Ratio ex eo deducitur, quia abundantes diuitijs verè dicuntur præpotentes; præpotentes autem verè ſunt ex principalioribus, nec præciſè principaliores dicũtur, qui pollent nobilitate; vnde meritò refert *Sanchez loc. cit.* in quibuſdam literis expeditis à Sixto V. anno 1587. dictum fuiſſe eas executioni mandandas eſſe, quãtumvis contrahentes non eſſet nobiles, ſed tantum diuitijs præpotentes; nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod quando *in Cõcil. Trident. ſeſſ. 24. de matrimon. c. 3. in fine*, ſtatuitur, quod in ſecundo conſanguinitatis gradu non diſpenſetur, niſi inter magnos Principes nomine magnorum Principum non veniant viri opulenti, quidquid ex aduerſo dixerint, *Tiraquel de nobilit. c. 3. n. 3., & l. ſi vnquam verſ. facultatum n. 1. C. de reuoc. donat. Molina lib. 1. de primogen. c. 2. n. 25.* adeoque, quod neque nomine principalium veniant opulenti; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia latior eſt ratio principalium, quam ſit ratio magnorum Principum, quia non Principis præcipuè, ſi ſit magnus, importat dignitatem cum iuriſdictione, cuius propterea nomine non veniunt præciſè diuites, & opulenti; nomen autem principalium nõ importat ſecundũ ſe dignitatem, nec iuriſdictionem, & indiferens eſt, vt gaudens tali prærogatiua ſit talis propter diuitias, vel proptèr aliquem alium titulum inſignem.

Reſpondeo tertio, ſi in diſpenſatione dictum fuerit aliquos eſſe nobiles, qui tamen tales non ſint, ſint tamen ex principalioribus populi propter diuitias, ſi talis qualitas nobilitatis fuerit reſtrictiuè ap- 7

Digitized by Google

formalem verborum ſignificationem; intra autem eorundem verborum formam vtique patiuntur extenſionem *Angelus l. ſin. col. 2. verſ. item opponitur ff. de conſtit. Princip.* per textum *in l. cum lege ff. de teſtament.*, & notat *Abbas in c. ex parte el 3. not. 2. de decimis*, quinimmo nec propriè poteſt dici fieri extenſio, quando diſpoſitio continetur intra eandem verborum ſignificationem *Decius c. at ſi clerici §. de adulterijs n. 169., & ſeqq. in noua edit. de iudicijs, & c. ſedes nu. 13. not. 3. de reſcript. Couarruuias 4. decret. 2 part. c. 8. §. 8.*; conceſſio autem facultatis ad teſtandum ſecundum ſuam propriam ſignificationem æque comprehendit teſtamentum iam conditum, ac condendum, quandòquidem, vt mox in reſponſione ad ſecundum obiectum ſubdemus, reſpicit tempus, pro quo vim ſortiri debet teſtamentum, quod eſt pro tempore mortis teſtatoris, & pro illo tempore conceſſio abſolutè intelligitur poſita.

In præſenti hypotheſi non fit extenſio.

Ad ſecundum aſſerendum eſt, teſtamentum nunquam eſſe validum, niſi intercedat mors teſtatoris; vndè ad ipſum conualidandum ſufficit, quod pro tempore mortis eiuſdem ſint omnia requiſita, quæ in præſenti hypotheſi ſupponuntur intereſſe, cum facultas, quæ deerat in celebratione eiuſdem teſtamenti, aduenerit. Quamobrem non currit paritas de matrimonio antecedenter inualidè inito, quandoquidem matrimonium tunc vim habet, quando duorum contrahentium habilium conſenſus accedit per verba de præſenti, quod propterea, ſi tunc vim non habet, non poteſt de cætero conualeſcere, niſi ſublato impedimento, ratione cuius fuit inualidum, de nouo accedant conſenſus, per quos reualidetur.

Non valet teſtamentum, niſi intercedat mors teſtatoris.

Ad tertium iam patet ex dictis, quid ſit dicendum; reuera etenim huiuſmodi conceſſio comprænditur intra formalem verborum ſignificationem, quibus conceditur, nam facultas teſtandi reſpicit tempus, quo validum ſit teſtamentum, nempè tempus mortis teſtatoris, quæ vtique pro illo tempore ſupponitur adeſſe; idem enim ſonat, ac ſi dicatur, quod diſpenſatio efficiat, vt pro tempore, quo teſtamentum ſuum debet ſortiri effectum, non impediatur defectu illius facultatis.

5 In quo ſenſu verificatur diſpenſatio.

§. II.

An commiſſio operis trahat ſecum commiſſionem eius, ſine quo illud opus haberi nequit.

SVMMARIVM.

Secundum varias ſuppoſitiones exponitur ſeries facti particularis. 1.

Sententia aſſerens ex vi commiſſionis ad ordinandum non venire commiſſionem ad diſpenſandum. 2.

Epiſcopus delegatus ad ordinandum intelligitur etiam delegatus ad diſpenſandum. 3.

Intellige, ſi Epiſcopus, ſeu Prælatus deputans fuerit conſcius impedimenti. 4.

Soluuntur rationes ſententiæ contrariæ. 5.

Explicatur concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 9. vt non aduerſans aſſertiò. 6.

Quomodo intelligatur, quod à ſeparatis non fiat illatio. 7.

DISQVISITIO II. Suppono in Prælato Regulari ineſse facultatem diſpenſandi cum ſuo ſubdito ſuper interſtitia, & ſuper aliqua alia impedimenta, ratione quorum ipſe ſubditus impediretur, ne ſacris ordinibus initiaretur, quod idem intellige de Epiſcopo in ordine ad clericos ſeculares ſuos ſubditos. Hoc ſuppoſito ſuppono etiam, quod Prælatus Regularis, vel Epiſcopus loci mittant ad Epiſcopum alterius Diœceſis ſuos ſubditos ad ſacros ordines promouendos. Hinc poſtea quæro, an Epiſcopus commiſſarius ex vi commiſſionis ad ordinandum poſſit ſuper interſtitia diſpenſare, & ſuper alia impedimenta, ſuper quæ Epiſcopus, & Prælatus Regularis committens poteſt diſpenſare.

1 Suppoſitiones, & factum ex ipſis emergens.

Negat abſolutè *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 1. n. 25.*, ad quod multis rationibus mouetur, primo paritate deſumpta ab eo, quod habetur *in Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 9. de reformatione*, vbi habetur, quod Epiſcopus poſſit promouere ad ſacros ordines ſuum familiarem triennalem, non tamen cum illo ſuper interſtitijs diſpenſare, ergò, quantumvis ex vi commiſſionis poſſit alienum ſubditum ſacris ordinibus initiare, non poterit tamen ſuper eiſdem interſtitijs, alijſque impedimentis diſponere, quandòquidem in hoc priuilegium, & commiſſio videntur ſibi æquiualere.

2 Sententia aſſerens ex vi commiſſionis ad ordinandū non venire commiſſionem ad diſpenſandū.

Secundo ex *c. ex tuarum de vſu, & auth. pallij*, alijſque concordantibus iuribus, in quibus dicitur, quod ſublato vno impedimento, aliud non intelligitur ſublatum, ſed in præſenti hypotheſi in ordine ad Epiſcopum alienum ordinantem duplex quodamodo

Duplex interuenit impedimentum, & quale.

Digitized by Google

damodo intelligitur impedimentũm interuenire; aliud defectus ſubiectionis ordinandi ad ipſum, cum ſupponatur eſſe alienæ Diæceſis, vel Regularis; qui non ſubditur ipſi; aliud irregularitatis, vel alterius impedimenti, ergo ſublato primo per commiſſionem non intelligitur alterum irregularitatis, vel alterius impedimenti ſublatum.

Tertio *ex c. ad audientiam de decimis*, aliiſque iuribus tam ciuilibus, quam canonicis concordantibus, in quibus dicitur à ſeparatis non rectè fieri illationem: poteſtas autem diſpenſandi, & initiandi ſunt omnino ſeparata, ergo &c. His tamen minimè obſtantibus.

A ſeparatis nō fuit illatio.

3 Epiſcopus delegatus ad ordinādum intelligitur etiā delegatus ad diſpenſandum.

Reſpondeo, in hac hypotheſi Epiſcopũ commiſſarium ad ordinandum ſufficienter intelligi deputatum ad diſpenſandum in iis, in quibus vel Epiſcopus proprius, vel Prælatus Regularis committentes poſſunt diſpenſare, adeoque tenere diſpenſationem ſuper interſtitiis, aliiſque &c. Intellige, ſi Epiſcopus, & Prælatus Regularis committentes ſint conſcii impedimentorum. *Angelus verb. irregularitas n. 34. & ibi Silueſter q. 9. n. 11. in fin. Henriquez lib. 14. de excommunicatione c. 17. n. 4. ad finem*. Ratio ex eo deducitur, quia Epiſcopus, ſeu Prælatus Regularis committentes per illam commiſſionem intelliguntur efficaciter velle ordinationem ſubditi, in ordine ad quem data eſt commiſſio, & quidem cum ſcientia impedimenti, ergo intelliguntur velle, quidquid requiritur ad effectum ipſius ordinationis, quantum ex parte ſui, & ſic committendo efficaciter ordinationem, videntur etiam committere diſpenſationem. Conſequentia probatur, quia intentio efficax finis includit etiam intentionem, & electionem mediorum, nec poteſt quis efficaciter velle finem, niſi ſimul velit ea, quæ ſunt connexa cum fine, & ſine quibus finis ipſe haberi non poteſt, maximè ſi executio eorum, quæ conducunt ad ipſum finem ſint in poteſtate efficaciter intendentis finem.

4 Intellige ſi Epiſcopus, ſeù Prælatus committens fuerit conſcius impedimẽti.

Dixi, *ſi Epiſcopus, & Prælatus Regularis committentes fuerint conſcii impedimentorum*; ſi etenim ſupponamus, quod eorundem fuerint penitus ignari, non eſt de facili præſumendum, quod in conceſſione facultatis ad ordinandum intenderint etiam facultatem concedere ad diſpenſandum; poteſt enim contingere, quod, ſi nouiſſent impedimentum, nec facultatem conceſſiſſent, vt ad ſacros ordines promouerentur, & nemo ignorans præſumitur vices ſuas cõmittere alteri in ordine ad opus, ad quod eſt neceſſaria commiſſio, quando non nouit impedimentum, &c.

5 Soluuntur rationes ſententiæ contrariæ.

Ad rationes, quæ pro contraria ſententia in principio afferebantur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primam non currere paritatem, quæ adducitur ex Cõcil. Trident., quandoquidem ipſum Concilium priuilegium quidem cõceſſit Epiſcopis, vt ob ſeruitutem triennalem ſibi conceſſam poſſent ſacris ordinibus initiare eos, qui pro tali tempore fuerint eorum ſeruituti addicti, non tamen intelligitur in aliis, de quibus expreſsè non egit, in præiudicium proprii Epiſcopi facultatem indulſiſſe, & in hoc maximè ſaluatur id, quod ſupra dicebamus, priuilegia in præiudicium aliorum maximè eſſe reſtringẽda; In noſtra autem hypotheſi nullum præiudicium inferri intelligitur Epiſcopis, ſeu Prælatis committentibus, cum ex propriæ voluntatis arbitrio præſumantur committere: ex eo etenim, quod omnino liberè, & efficacitèr voluerint, & commiſerint ordinationem, præſumuntur voluiſſe, & commiſiſſe ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ad ipſam, & ſine quibus ipſa haberi non poteſt, & ſi ea non voluiſſent, nec commiſiſſent ordinationem.

6 Explicatur Concil. Trid. vt nō aduerſaris aſſerto.

Ad ſecundam aſſero, quod ſublato vno impedimento non intelligatur, & alterum ſublatum, quando illa duo impedimenta non habent ad inuicem neceſſariam connexionem, ſecus quando ad inuicem ſunt connexa, & vnum ſubordinatur alteri tãquam medium neceſſarium ad ſuum finẽ, & committens facultatem ſuper vno norit & alterum inteſſe: tunc etenim, ne fruſtratoria ſit conceſſio, præſumendum eſt, quod ipſe committens concedens principale, voluerit etiam concedere facultatem ſuper acceſſorium neceſſariò requiſitum ad ipſum principale conſequendum; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quando interueniunt duo impedimenta ſecundum ſe dirimentia matrimonium impetrata diſpenſatione ſuper vno nõ intelligatur poſita diſpenſatio ſuper alio, quantumuis prima poſita ſit in ordine ad matrimonium, quod iniri non poteſt, niſi vtroque impedimento ſublato, ergo etiã quantumvis ordinatio non poſſit eſſe, niſi ſublato impedimento irregularitatis, vel alterius cuiuſcumque generis, & poſita ſit facultas in ordine ad ordinationem quoad non ſubditum non intelligitur conceſſa facultas ad diſpenſationem quoad impedimentum &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet illa duo impedimenta habeãt oppoſitionem ad finem matrimonii, quatenus cum neutro illorum poſſit ſubſiſtere, per ſublationẽ tamen vnius alterũ nõ intelligitur auferri. Ratio eſt, quia vnum impedimentum non includitur in alio, cum ad inuicem comparata ſe habeant, vt duo diſparata; & Pontifex in diſpenſatione vnius non intendit, niſi derogare illi impedimento, vt matrimonium quantum eſt ex parte illius poſſit contrahi, vnde altero exiſtente non poteſt validè

Illa duo impedimenta ſunt ex ſuo fine connexa, & quomodo.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta

Digitized by Google

celebrari: in præſenti autem hypotheſi, licet defectus ſubiectionis, & irregularitas in ordine ad ordinationem ſint duo impedimenta diſparata, quia tamen ibi principaliter ab Epiſcopo, vel Prælato committente intenditur ordinatio, & quidem cum ſcientia irregularitatis, eo ipſo quod aufert defectum ſubiectionis in ordine ad illum finem, intelligitur etiam ſubijcere quoad effectum irregularitatis. Quamobrem in primo caſu duorum impedimentorum id, quod principalitèr intenditur in impetratione diſpenſationis, eſt ablatio illius impedimenti, ſupra quod cadit diſpenſatio, quod non coniungitur cum alio ex voluntate diſpenſantis; id vero, quod intenditur in illa ſubiectione pro ordinatione eſt ſpecialiter ipſa ordinatio, quæ ex voluntate committentis coniungitur cũ ablatione irregularitatis, ſeu alterius impedimenti, cum illa non poſſit eſſe ſine iſta, ſicque in fine principaliter intento includuntur omnia media neceſſaria ad ipſum; in vno autem medio non includitur aliud.

7 Quomodo intelligatur, quod à ſeparatis non fiat illatio.

Ad tertiam dicendum eſt à diſparatis non fieri quidem illationem, quando ſunt quidem diſparata, & ſecundum ſe, & ſecundum intentionem committentis, ſecus quando ex intentione committentis ſunt præſumptiuè coniuncta; ſic in præſenti hypotheſi, quamuis poteſtas diſpenſandi, & poteſtas ſacris ordinibus initiandi ſint omnino diſparata, cum in eodem ſubiecto vna poſſit reſidere ſine altera, & quãuis vtraque reſideat in eodem, poteſt velle vna vti, & non altera, quia tamen ex intentione vltimata committentis volentis abſolutè ordinationem hæc non poteſt eſſe ſine illa conceſſa prima intelligitur & ſecunda conceſſa, cum ſine hac ad illam nõ poſſit deuenire, adeoque &c.

---

§. III.

An diſpenſatio ſuper principali trahat ſecum diſpenſationem ſuper acceſſorio.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus diſquiſitionis in caſu particulari. 1.

Sententia exigens ad ius ſuffragij vtramque qualitatem copulatiuè. 2.

Sententia adſtruens non exigi ætatem, niſi in ordine ad ſubdiaconatum. 3.

Conſiderabilia circa diſpoſitionem iuris municipalis quoad præſentem caſum. 4.

Si vtraque qualitas exigatur copulatiuè ſine ordine ad inuicem diſpenſatio ad ſubdiaconatum non trahit diſpenſationem ad ius ſuffragij, ſecus, ſi vtraque exigitur cum ordine. 5.

Quando poſſit præſumi, quod exigatur copulatiuè, & ſine ordine, & quando cum ordine. 6.

Conciliantur ſententiæ oppoſitæ. 7.

DISQVISIT. III. Extant ſtatuta municipalia in Religione aliqua, ne quis vocem habeat in capitulo, niſi fuerit ſubdiaconus, & in ea ætate, qua poſſit tali ordini initiari. Diſpenſatus fuit quidam ex tali ordine, vt ante legitimam ætatem poſſet ad ſubdiaconatum promoueri, & de facto ſtante tali diſpenſatione promotus fuit. Quæſitum hic fuit, an ſic promotus eo ipſo gaudeat iure ſuffragij in capitulo, quamuis ætatem non compleuerit, ſecundum quam ſine diſpenſatione non potuiſſet promoueri.

1 Refertur ſtatus diſquiſitionis in caſu particulari.

Videtur abſolutè dicendum, non poſſe tali iure gaudere, quandoquidem iura municipalia Religionis illius exigunt in ſubiecto vtramque qualitatem, ordinis ſcilicet, & ætatis, quarum altera propterea deficiente non videtur aptus ad tale ius, & diſpenſatio ſupra ætatem eſt in ordine ad promotionem ad ſubdiaconatum, non in ordine ad ius ſuffragij, & diſpenſatio quoad vnum effectum non extenditur ad alium omnino ſeparabilem, & diſparatum.

2 Sententia exigens vtramque qualitatem copulatiuè.

Exaduerſo videtur illa ratio militare, quod iura municipalia non alia ratione præſcribant illam ætatem, niſi quia illa requiritur ſecundũ ſe ad talem ordinem ſuſcipiendum, cum regularitèr ante illam nequeat conferri per textum *in clem. 3. de ætate*; & per conſequens poſita diſpenſatione ad ordinem videtur ſublata quæcunque incapacitas ad ius ſuffragij, cum ætas non ad aliud requiratur, niſi ad finem ordinis.

3 Sententia adſtruens ætatem nõ exigi niſi in ordine ad ſubdiaconatum.

Pro ſolutione aduertendum eſt, an illa iura exigant illas duas qualitates copulatiuè ſine ordine ad inuicem; tunc certum eſt, quod quantumuis ex diſpenſatione fuerit ante ætatem promotus ad ordinem ſubdiaconatus, non intelligatur tamen adhuc aptus ad ius ſuffragij in capitulo deficiente altera qualitate ad hoc iure requiſita, ſi vero vnam exigant propter aliã nulli dubium, quod, ſi fuerit promotus per diſpenſationem ante legitimam ætatem ad illum ordinem, gaudeat verè iure ſuffragij; quandoquidem tunc habetur id, quod principaliter intenditur ab eodẽ iure municipali, & habito fine principaliter intento, licet per medium extraordinarium parum curandum eſt de medio, quod ſolum intenditur in ordine ad eundem finem. Quibus prænotatis

4 Conſiderabilia circa diſpoſitionem iuris municipalis in præſenti caſu.

Reſpondeo iuxta mox poſitam diſtinctionem, vel etenim vtraque qualitas exigitur copulatiuè ſine ordine ad inuicem, & tunc per diſpenſationem promotus ante 5

ætatem

Si vtraque qualitas exigatur copulatiuè hoc ordine promotus ante ætatē ad ordinem non gaudet iure ſuffragij.

ætatem ad ordinem, non intelligitur habilitatus ad ius ſuffragij, vel vna exigitur propter aliam, ætas ſcilicet propter ordinem, & tunc diſpenſatus ante ætatem ad ordinem gaudet iure ſuffragij, quantumvis præſcriptam ætatem non fuerit conſecutus *Felinus c. poſtulaſti n. 11. verſ. iſta, & his ſimilia de reſcriptis. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 8. § 10. in fine Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 1. n. 23.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, quando duplex qualitas copulatiuè exigitur ſine ordine ad inuicem alterā ex illis non exiſtente non tenet actus, ad quē vtraq; exigitur, ergo cū ad ius ſuffragij in capitulo requiratur; & qualitas ordinis, & qualitas ætatis copulatiuè deficiente qualitate ætatis non poterit eſſe ius ad ſuffragium. Antecedens patet, quia deficientibus conditionibus requiſitis ad actum non poteſt actus exiſtere. Confirmatur primo, quia ſublato vno impedimento in ordine ad aliquem effectum non intelligitur ſublatum aliud in ordine ad alium, quinimmò, etiam ſi vtraque ablatio impedimenti ordinaretur ad vnum, & eundem effectum per ablationem vnius non intelligitur ablatio alterius, vt videre eſt in eo, qui duplici impedimento altero conſanguinitatis, altero affinitatis in ordine ad aliquod matrimoniū tenetur, tunc etenim ſublato per diſpenſationem impedimento conſanguinitatis, non intelligitur ſublatum alterum affinitatis, vt ſuprà latè probauimus, ergò per diſpenſationem ſublato impedimento ætatis in ordine ad ſubdiaconatum, non intelligitur ſublatum in ordine ad ius ſuffragij.

Si qualitas ætatis exigatur propter ordinem, tunc promotus ad ordinem gaudet iure ſuffragij.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia, cum qualitas ætatis ſolum exigatur in ordine ad ſubdiaconatum, qui nondum nactus eſt talem ætatem, non eſt incapax iuris ſuffragij in capitulo per ſe, & principalitèr ratione ætatis, ſed ratione defectus ordinis talem ætatem depoſcentis ex genere ſuo, ergò eodem promoto per diſpenſationem ad ordinem ſubdiaconatus non erit, cur in ipſo immediatè non debeat ſuccedere ius ſuffragij. Confirmatur, quia habito fine principalitèr intento in tali municipali diſpoſitione non eſt cura habenda de medio, quod ſolum intenditur proptèr talem finem, ergò, cum ætas in illa diſpoſitione ordinetur ad ſubdiaconatus conſecutionem, eodem ſubdiaconatu conſecuto non erit curandum, an ille habitus fuerit per medium extraordinarium diſpenſationis, an verò per medium ordinarium legitimæ ætatis, ſed immediatè conſequetur omnia, quæ ex diſpoſitione talis iuris municipalis ſancita remanent.

6 Potior difficultas in hoc eſt in inquirendo, quandonam præſumi debeat vtramque qualitatem exigi copulatiuè ſine ordine ad inuicem, & quandonam vnam exigi ſubordinatè ad alteram. Reſpondendum eſt, quod, vbi deciſio non poſſit expreſsè conijci ex contextu verborum, vel ex fine inſtituti, tunc ex coniecturis iudicandum ſit; & primò, ſi vtraque qualitas requiratur ſub disiunctò cenſendum eſt non exigi copulatiuè; quia ad veritatem propoſitionis disiunctiuæ ſufficit, ſi altera pars verificetur. Secundò; ſi vtràque qualitas explicetur per particulam, *Et*, tunc conſiderandum eſt, an illa ætas determinatè præſcribatur, quę de iure communi requiritur ad ordinem ſubdiaconatus ſuſcipiendum; vel maior: ſi etenim eadem determinatè præſcribatur, quæ requiritur ad ſacrum ordinem probabilius eſt, quod talis ætas exigatur cum ordine ad ſubdiaconatum, quo propterea obtento non eſt, cur talis ætas exigatur: Ad quid enim præſcribere tempus illud determinatum, ſi non eſſet propter ordinem? & connexio temporis determinati cum ordine, non obſcurè infert tempus ipſum referri ad ordinem; ſi verò maior præſcribatur, tunc illa ætas videtur exigi copulatiuè ſine ordine, adeoque, quod non ſolum debeat attendi ordo, ſed etiam complementum illius ætatis. Ratio eſt, quia cum illa ætas excedat tempus requiſitum ad ordinem non videtur exigi propter illum.

Quomodo poſſit præſumi, quod exigatur cum ordine, vel ſine ordine.

Ex quibus omnibus habes, quomodo conciliare poſſis ſententias extremè oppoſitas relatas in principio diſquiſitionis; dic etenim primam procedere, quando vtraque qualitas exigitur copulatiuè ſine ordine ad alteram, vt probatum eſt in prima parte reſponſionis; ſecundam verò, quando ætas intenditur propter ordinem, & non aliter, nec alio modo. 7

7 Conciliantur ſententiæ oppoſitæ.

§. IV.

An diſpenſatio commiſſa inferiori expreſſo nomine diſpenſandi nulla cognitionis cauſæ facta mentione teneat, ſi Commiſſarius cauſæ cognitionem non præmiſerit.

S V M M A R I V M.

Exponitur ſeries difficultatis. 1.

Rationes ſuadentes diſpenſationem non tenere ſine legitima cauſa. 2.

Non ſolum videtur prærequiri cauſa, ſed etiā cognitio cauſæ. 3.

Probabilius diſpenſatio ſic per Commiſſariū adimpleta tenet, quamuis non præceſſerit cauſæ cognitio. 4.

Sol-

Digitized by Google

Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

DISQVISITIO IV. Iuxta prædicta inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris abſque legitima cauſa, & non niſi præmiſſa eiuſdem cauſæ cognitione. Contigit, vt Titius indigens diſpenſatione ad effectum aliquem conſequendum, recurſum habuerit ad Romanum Pontificem, & ab eodem impetrarit commiſſionem Epiſcopo propriæ Diæceſis, ſeù eius officiali Generali, in qua expreſſo nomine ſupplicantis, & diſpenſandi, ſeù indigentis diſpenſatione dicebatur, vt ſuper impedimento interueniente diſpenſaret nulla facta mentione cognitionis cauſæ antecedentèr ponendæ. Vigore talis commiſſionis Epiſcopus, ſeù Officialis executus eſt diſpenſationem nulla præmiſſa cauſæ cognitione. Dubitatum hic fuit, an illa diſpenſatio ſic per inferiorem facta ſubſiſteret.

2 Rationes ſuadentes non tenere diſpenſationem, niſi præceſſerit cauſa legitima.

Ratio generalis ſuadet diſpenſationem illam non ſubſiſtere; quandòquidem diſpenſatio quæcunque inferioris in lege ſuperioris eſt irrita, ſi cauſa legitima deſit; quoties enim inferiori committitur diſpenſatio, ſeù poteſtas diſpenſandi in lege ſuperioris intelligitur cum tacita conditione, ſi cauſa legitima exiſtat, cum mandatum Principis ad ius refferri debeat per textum *in c. de multa de præbend.* hocque expreſsè tradunt. *Speculator tit. de diſpenſatione §. dicendum reſtat n. 19 Innocentius c cum ad monaſterium n. 4. de ſtatu monach Baldus in l. Barbarius nu. 7. ff de offic. prætor. Aretinus in l. 2. in princip. nu. 12. ff. de verb. oblig. Sotus lib 7. de iuſt. quæſt. 4. art. 3. col. 9. verſ. rurſus circa eadem, Couarruuias quarto decret. part. 2. c. 6. §. 7. num 11.*

Ineſt tacita conditio ſi cauſa exiſtat.

3 Non ſolũ prærequiritur cauſa ſed etiam cognitio cauſæ.

Nec ſolum requiritur præexiſtentia legitimæ cauſæ, ſed etiam cognitio eiuſdem cauſæ præexiſtentis coram inferiore commiſſario, quandoquidem ideo commiſſio fit inferiori, vt cauſam examinet, & conſtet de veritate narratorum, nec aliter præſumendum, Pontificem voluiſſe committere, atque ſic ſentiunt *Nauarrus in c. fin. n 4. de ſimonia, Immola in l. quidam conſulebat n. 7. in fin. ff. de re iudic. Azorius lib. 5. inſtit. moral. c. 15. q. 9. & 10.*

Accedit primo, quod, ſi Epiſcopus quãdoque ex vrgenti, maiorique ratione diſpenſet in lege ſuperioris, hoc præſtare non poſſit, niſi cognita cauſa, prout definitum eſt *in Concil. Tridenti. ſeſſ. 25. de reformatione c* 8. per illa verba: *Quod ſi vrgens, maiorque ratio, quandoque poſtulauerit cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ſummaque maturitate &c. eris præſtandam*, vbi nota illam particulam, *cognita cauſa*, quæ importat ablatiuum abſolutum, & per conſequens conditionem, & formam; ergo hoc idem intelligendum eſt, quando diſpenſat ex commiſſione ſuperioris, quandoquidem ſuperior præſumitur committere ad normam iuris.

Si inferior diſpenſat in lege ſuperioris ex graui cauſa requiritur cognitio cauſæ.

Accedit ſecundo, quod, ſi Pontifex noluiſſet illam cauſæ cognitionem, abſolutè diſpenſaſſet, non commiſiſſet diſpenſationem; Ad quid enim alteri committere, & non per ſe ſimplicitèr diſpenſare, ſi noluiſſet iudicium commiſſarij, ſed ſimplex munus executionis? Nihilominus his minimè obſtantibus.

4 Probabilius diſpẽſatio per commiſſarium adimpleta tenet etiam non præcedente cognitione.

Reſpondeo, probabilius eſſe in hac hypotheſi diſpenſationem ſic per commiſſarium adimpletam etiam ſine cauſæ cognitionem tenere. *Speculator tit. de diſpenſatione §. dicendum reſtat n. 19. Gambara de auct. leg. lib.* 10. *n.* 209. *Sanchez de matrim. lib* 8. *diſp.* 17. *n.* 6. Ratio ex eo deducitur, quia ex quo nomen diſpenſandi expreſſum eſt in literis commiſſionis, & in eiſdem non ſit impoſitum onus indagandi ſuper veritate expoſitorum, non inefficacitèr poteſt præſumi committentem certiorem factum eſſe de cauſis diſpenſationis, & commiſſario iniunctum eſſe merum onus executoris, ergo non erit, cur præſumptiuè non ſit ſentiendum de valore diſpenſationis; quia in tantum requiritur indagatio cauſæ in commiſſario, in quantum non ſupponitur in committente cognitio, ergo, cum hæc præſumatur in iſto exiſtere, in illo non requiretur.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, ea, quę ex ſtilo curiæ in commiſſionibus ſolent apponi, ſi ommittantur, haberi pro adiectis, quia, quæ de iure inſunt ſemper ſupponuntur ineſſe, ſed ex ſtilo curiæ in commiſſionibus clauſula diligentis inquiſitionis ſuper petitis ſolet apponi, ergo tacitè intelligitur apposita, adeoque, ſi fuerit omiſſa, etiam habebitur pro appoſita, & adiecta, & ſic, ſi per commiſſarium non adimplebitur, non erit valida diſpenſatio, ſeu executio commiſſionis; Non, inquã, obeſſe poteſt, quia ad ſummum, quæ dicuntur in inſtantia, verificantur, quando ommiſſio præſumitur ex obliuione, vel ex incuria ſcriptoris, nam tunc diſpenſatio regulanda eſt ad formam iuris, & pręſumptæ mentis diſpenſantis, ſecus, quando ommiſſio præſumitur ex prædicta certioratione habita penes committentem, vt euenit in præſenti hypotheſi; non enim præſumendus eſt committens voluiſſe committere inquiſitionem, quam ipſe præſumitur habuiſſe.

Illa ommiſſio præſumitur prædicta certioratione.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam fallere, quando Princeps committit diſpẽſationem ſine vllo onere cauſæ cognoſcẽdæ; tunc enim licet legitima cauſa diſpenſationis non intercedat coram commiſſario, ſupponitur tamen intercedere penès

com-

Digitized by Google

committentem, ſicque non poteſt dici, quod illa diſpenſatio facta fuerit ſine legitima cauſa, ſed tantum, & ad ſummum, quod habita fuerit ſine cauſa realiter apparente commiſſario, quæ tamen eſt legitimè præſumpta exiſtere, ſeu extitiſſe penes committentem, quod ſufficit, eum tota, & adæquata vis commiſſarij in illa executione dependeat à volũtate ipſius committentis.

Vbi eſt cognitio in committẽte ſuperflua eſt in commiſſario.

Ad ſecundam dicendum eſt, cognitionem cauſæ in tantum requiri in commiſſario, in quantum hæc cognitio non præſumitur eſſe in committente. Cæterum, cum commiſſarius munus executionis exerceat in virtute eiuſdem committẽtis, debet exercere ſecundum normam commiſſionis, & requiſita, quæ præſumuntur eſſe in cognitione eiuſdem committentis, non debet ipſe inquirere.

Diſpar ratio, quando diſpenſat ex neceſſitate, ac quando diſpenſat ex commiſſione.

Ad tertiam dicendum eſt, diſparem omnino eſſe rationem, quando inferior diſpenſat in lege ſuperioris, vrgente aliqua graui neceſſitate, ſine commiſſione, ac quando diſpenſat ex commiſſione ſuperioris; In primo etenim caſu cognitio cauſæ, cum non ſit in ſuperiore, debet eſſe in inferiore diſpenſante in illo caſu neceſſitatis; in ſecundo vero ſupponitur eſſe in ſuperiore committente, quæ propterea non exigitur in commiſſario.

Stylus curiæ committentis nudum miniſterium executoris.

Ad quartam, ex ſtilo curiæ euincitur committi munus huiuſmodi diſpenſationum inferioribus, quamuis per illud conferatur præciſè nudum miniſterium executoris, hocque videre eſt in conſuetis formulis, quæ fuerunt ſuperius per extenſũ allegatæ, quando diſpenſationes huiuſmodi conceduntur abſque cauſa; in quibus dicitur, *Ipſi ex certis rationabilibus cauſis eorum animum mouentibus cupiunt inuicem matrimonio copulari*, ex quibus apparet committi merum munus executoris.

---

§. V.

An diſpenſatio cum aliquali cauſa, non tamen ſufficienti in lege ſuperioris teneat.

SVMMARIVM.

Facti ſeries, & triplex articulus examinandus. 1.

Diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris ex cauſa inſufficienti ſecundum ſe non tenet. num. 2.

Si cauſa ſecundum ſe ſit inſufficiens, reputetur tamen ſufficiens à diſpenſante tenet. 3.

Nec infirmatur diſpenſatio, ex eo quod ſuperueniat cognitio illegitima cauſa. 4.

Intellige, dummodo diſpenſatio non admittat tractum ſucceſſiuum. 5.

1 *Facti ſeries, & triplex articulus examinandus.*

DISQVISITIO V. Dictum fuit in præcedentibus inferiorem non poſſe diſpẽſare in lege ſuperioris ſine iuſta cauſa. Vrgente graui cauſa, ſeu neceſſitate, ratione cuius Titius adire nõ poterat Romanum Pontificem pro diſpenſatione ſe contulit ad ordinarium, cui expoſuit aliqualem cauſam pro motiuo diſpenſationis, non tamen ſecundum ſe ſufficientem, ab eoque ex illa cauſa impetrauit diſpenſationem, & opus, ad quod petijt, executus eſt. Hic triplex potiſſimum orta eſt difficultas. Prima an illa diſpenſatio ex cauſa illa inſufficienti ſecundũ ſe teneat. Secũda, an teneat quantumuis cauſa illa ſecũdum ſe inſufficiens, fuerit prudenter, & bona fide à Prælato inferiori diſpenſante habita pro ſufficienti, & iuſta. Tertia, an diſpenſatus cognita inſufficientia cauſæ tutus ſit in conſcientia, ſi perſeueret in actu, ad quem ex illa cauſa fuit diſpenſatus.

2 *Diſpenſatio per inferiorem ex cauſa inſufficienti ſecundũ ſe non tenet.*

Reſpondeo primo, diſpenſatio ex illa cauſa inſufficienti ſecundum ſe non tenet. *Hoſtienſis in c. cum ad monaſterium n. 32. de ſtatu monach. Felinus in c. at ſi cleric. §. de adulterijs n. 10. de iudic. Angelus verb. diſpenſatio n.3. & ibi Silueſter q.3. n. 5. Nauarrus c. fin. num. 4. de ſimonia, Gutierez qq. canon. lib.1. c.19. n.5. Sanchez q. 5. de voto n. 35. & alij magis communiter.* Ratio ex eo deſumitur, quia diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris ſine cauſa abſolutè non tenet *Speculator tit. de diſpenſatione § dicendum reſtat n.19. Innocentius c. cum ad monaſterium n.4. de ſtat. monach. Sotus lib. 7 de iuſtitia q.4. art.3. verſ. rurſus circa eadem*, & nos etiam ſupra latè docuimus, ergo nec tenebit, ſi poſita fuerit ſine legitima cauſa, & ſufficienti, quandoquidem in hoc æquiparatur non adeſſe cauſam, ac non adeſſe cauſam legitimam; Neque dicas, auctoritatem ſuperioris in hoc ſupplere illegitimitati cauſæ, ſiquidem plus roboris habet diſpenſatio cum aliquali cauſa accedente ſuperioris auctoritate, ac diſpenſatio ſine aliqua cauſa; contra enim impugnaberis; quia auctoritas ordinarij æque ſupponitur interuenire, quando nulla eſt cauſa, ac quando modica eſt, & non ſufficiens; ſicuti igitur hæc non poteſt ſupplere defectum cauſæ, quãdo hæc non eſt, ita nec ſupplere legitimitati eiuſdem, quãdo cauſa non eſt ſufficiens.

3 *Si cauſa ſecundum ſe inſufficiens prudentèr reputatur ſufficiens à diſpenſante tenet.*

Reſpondeo ſecundo, ſi cauſa ſecundum ſe inſufficiens prudentèr, & bona fide habita fuerit ſufficiens à Prælato diſpenſante tenet probabilius diſpenſatio *Azorius lib. 7. inſtit. mor c.29 q. 6. Sanchez de matrim. lib. 8 diſp. 17 n. 8.* Ratio ex ijs deducitur quæ ſupra dicebamus, quia non eſt præſumendum, quod Pontifex in ſuis legibus, ſtan-

ſtante bona fide inferioris diſpenſantis ſit irrationabilitèr inuitus quoad illam diſpenſationem, cum cæteroqui ſemper ſubeſſe poſſent obuiantes ſcrupuli, an cauſæ ſuppoſitæ eſſent rationabiles, nec ne? quod vergeret in maximam Eccleſiæ Dei quoad regimen confuſionem. Confirmatur, quià inferior validè diſpenſat, quando adeſt grauis neceſſitas, nec poteſt adiri ſuperior, ex præſumpta intentione, & voluntate eiuſdem ſuperioris, ergo etiam, quando diſpenſat ex cauſa illegitima, quam ipſe legitimam putat, tenere diſpenſationem arbitrandum eſt, & quidem ex præſumpta eiuſdem ſuperioris intentione ſicuti enim cedit in Eccleſię iuſtam gubernationem, quod extante illa neceſſitate fideles non vexentur illa difficultate ad adeundum ſuperiorem, ita etiam in conſonum eiuſdem Eccleſiæ regimen cedit, quod ſuppoſita inferioris diſpenſatione arbitrantis eſſe legitimam cauſam non torqueantur ſcrupulis circa validitatem eiuſdem diſpenſationis. Hæc omnia conſonant cum ijs, quæ ſupradiximus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. II. prænot. 1. n. 12.* vbi vidimus, quod attento rigore iuris inualida foret talis diſpenſatio; attenta tamen æquitate, & rationabili ſuperioris intentione ob rectam Eccleſiæ gubernationem ſubſiſtat. Recole, quæ ibi dicebamus.

4 Non infirmatur ex eo, quod ſuperueniat cognitio illegitimitatis cauſæ.

Reſpondeo tertio ſuppoſita prudenti diſpenſatione, inferiorque bona fide arbitratus fuerit cauſam, ex qua diſpenſauit, eſſe validam, quantumvis poſtea diſpenſato conſtet de illegitimitate, & inſufficientia cauſæ, licitum eſt ipſi tutè perſeuerare in diſpenſatione, ſi hæc non admittat tractum ſucceſſiuum. *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 17. n. 9.* Ratio ex eo deducitur, quià per illam diſpenſationem quam validam in præcedenti reſponſione probauimus, ſublatum eſt abſolutè impedimentum, ſupra quod ceciderit illa diſpenſatio, quandoquidem valida diſpenſatio derogat iuri communi, ergo cum non amplius vigeat impedimentum poterit eſſe tutus in illa diſpenſatione. Confirmatur, quià ſi diſpenſatio poſita fuerit exiſtẽte legitima cauſa, non infirmatur ex eo, quod eadem cauſa poſtea infirmetur. ergo etiam, ſi poſita fuerit ex cauſa legitima preſumpta non infirmabitur ex eo quod poſtea eadem cauſa illegitima, & non ſufficiens appareat. Conſequentia probatur, quià ſuppoſita ex illa præſumptione validitatis, & ſufficientiæ cauſæ validitate diſpenſationis illa cauſa quoad hunc effectum æquiualet cauſæ veræ legitimæ, & reali, ergo, ſi vbi in origine diſpenſationis fuerit cauſa legitima, & realis, non infirmatur diſpenſatio ex ſubſequenti infirmitate eiuſdem cauſæ, nec infirmabitur ex ſuperuenientia infirmitatis quoad cognitionem eiuſdem cauſæ.

5 Dummodo non admittat tractũ ſucceſſiuũ.

Dixi, *ſi hæc non admittat tractum ſucceſſiuum*, propter ea, quæ ſuperius diximus in inquiſitione, an ceſſante cauſa diſpenſationis ceſſet quoque ipſa diſpenſatio; vbi latè probauimus, quod in ijs, quæ admittunt tractum ſucceſſiuum, ceſſet diſpenſatio quoad ſucceſſiua ceſſante cauſa diſpenſationis eiuſdem, quæ omnia applicari congruè poſſunt huic ſuppoſito.

---

§. VI.

Qualitèr intelligenda ſit cauſa, qua dicuntur contrahentes eſſe nobiles, aut ex principalioribus talis vrbis.

SVMMARIVM.

Exponitur factum cum rationibus dubitandi. 1

Ratio ſuadens ad validam diſpenſationem requiri nobilitatem ex vtroque latere. 2.

Diſpenſatio impetrata ex cauſa nobilitatis ſubſiſtit quamuis in vtroque deficiat nobilitas ex parte matris. 3.

Non tamen, ſi adſit nobilitas ex parte matris, licet deficiat ex latere Patris. 4.

Soluitur ratio oppoſita. 5.

Probabilius tenet diſpenſatio, ſi dictum fuerit eſſe ex principalioribus, quamuis ſint tales ſolum propter diuitias. 6.

Si dictum fuerit aliquos eſſe nobiles, cum tales non eſſent ſed diuites, non tenet diſpenſatio, ſi appoſita fuerit per modũ cõditionis, ſecus ſi ſolummodo narratiuè. 7.

1 Exponitur factum cũ rationibus dubitandi.

DISQVISITIO VI. Contrahere intendentes inter ſe Flaminius, & Caſſandra matrimonium, cum cæteroqui eſſent nota conſanguinitatis, vel affinitatis in gradibus prohibitis affecti in ſupplici libello, quem dederunt Pontifici ad effectum diſpenſationis, expoſuerunt ſe eſſe nobiles, aut ex principalioribus vrbis, quà qualitate, ſeu quibus qualitatibus ſuppoſitis expeditæ fuerunt literæ diſpenſationis. Reuera ex latere Patris vterque erat nobilis, ſed non ex latere matris, quæ erat ex ſtipite vili, & ignobili. Rurſus diuitijs inter cæteros in tali vrbe erant præpotentes, ſed in alijs qualitatibus puta nobilitatis, & dignitatis à pleriſque in tali vrbe excedebantur. Quæſitum fuit, an illa diſpenſatio ex cauſa nobilitatis ſubſiſteret non obſtante, quod ex altero latere deficeret, & an ex cauſa principalitatis, cum ſolum in diuitijs excellerent, non in alijs qualitatibus, quæ principaliores

Digitized by Google

paliores ſecundum communem exiſtimationem aſſolent conſtituere!

2 Ratio ſuadens requiri nobilitatem ex vtraque latere.

Ex eo, quod ſuperius fuerit dictum, diſpenſationes eſſe ſtricti iuris, & ſtrictè interpretandas, videtur conſequenter dicendum diſpenſationem conceſſam, allegata cauſa nobilitatis, non ſubſiſtere, deficiente nobilitate in contrahentibus ex altero latere, quia ſtricta interpretatio exigit cauſam vſquequaque perfectam; vnde meritò in Hiſpanijs extat *lex tertia Regia tit. 21. parte ſecunda*, per quam deciditur, vt quis dicatur nobilis, exigi vt talis ſit ex parte vtriuſque parentis. Accedit, quod diſpenſationes computentur inter odioſa iuri communi, cum ab eodem omninò diſcordant; odioſa autem exigunt cauſam ex omni parte completam. Nihilominus

3 Tenet diſpenſatio, quamvis nobilitas deficiat ex parte matris.

Reſpondeo primo vtique talem diſpēſationem impetratam ex illa cauſa ſubſiſtere, quantumvis in vtroque deficiat nobilitas ex parte matris *Zabellos q. 688. nu. 11 Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 19. num. 6.* Ratio inprimis ex eo deſumitur, quià principalitèr filij deſumunt eſse in patre tanquam à parte principaliori, ergò denominatione deſumpta à principaliori propriè poſsunt dici nobiles, ſi Pater ipſorum verè fuerit nobilis. Deindè ex ijs, quæ alibi diximus, filij ſeruorum ſequuntur conditionem patris quoad nobilitatem, & honores, non matris, quam ſequuntur dumtaxat quoad ſeruitutem, ergo, quia nobilitas potiſſimum deſumitur ex parte patris iure ſanguinis, non in matre. Deinde ratio propter quam facilius diſpenſatur cum nobilibus, quam cum popularibus ea eſt, quia diſpenſatio in his potiſſimum conceditur ob firmandum pacis fœdus, quod magis neceſſarium eſt bono communi circa diuites, & potentes, quam circa pauperes, & populares, *D. Thomas 2. 2. q 63. art. 2 ad ſecundum, Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 6. §. 9. n. 7. in fin. Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 13. nu. 15. Petrus de Ledeſma de matrim. q. 56. art. vlt. in fin.*, ſed hæc ratio æque militat, ſi ſint tantum nobiles ex latere Patris, quandoquidem expedit bono communi, vt inter ipſos fœdus pacis ſanciatur, cum rixæ, & odia inter eoſdem ſint magis pernitioſa, ergo &c.

4 Nō tamen ſi deficiat ex latere patris.

Hic immediatè alia ſuboritur difficultas, an ſi fuerint viceuerſa tantum nobiles ex latere matris, & non patris, teneat diſpenſatio. Ex dictis in hac reſponſione videtur concludentèr dicendum non tenere tū quia mater eſt minus principalis erga filios, tū quia filij ſequuntur cōditionem Patris, non matris quoad nobilitatem, & honores; tum quia ratione ipſarum non militat ratio illius fœderis pacis, quod magis attenditur in nobilibus; Has rationes ſatis validas exiſtimo. Hoc tamen vnū aduertendum eſt, quod hæc, quæ diximus procedant tantum, quando cauſa finalis diſpenſationis eſt ipſa nobilitas, ſecus quādo ipſa apponitur tantum narratiuè, nam tunc ſupponitur tantum diſpenſatio conceſſa ſine cauſa, & etiam, ſi non adeſſet in Patre contractum non irritaret.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur dicendum eſt, in primis interpretationem, quæ fieri debet ſtrictè, vt præfertur, reſpicere ipſum actum diſpenſationis, quatenus non debeat extendi vltra id, ad quod expreſsè conceditur, non ipſam cauſam, ex qua conceditur, quæ ſi talis fuerit, vt ſecundum ſe ſit ſufficiens mouere, ſufficiens eſt ad validam diſpenſationem. Tādem, quia nobilitas principaliter reſpicitur ex latere patris, non matris. 5

5 Soluitur ratio oppoſita.

6 Si dictum fuerit eſſe ex principalioribus, tenet diſpenſatio quamvis fuerunt tales ſolum propter diuitias.

Reſpondeo ſecundo. Si in impetratione fuerit expreſſum, quod contrahentes ſint ex principalioribus vrbis, & re vera ſolum ſint præpotentes diuitijs, & non alijs qualitatibus, quæ ſecundum communem exiſtimationem conſtituunt principaliores in vrbe probabilius eſt diſpenſationem tenere, *Sanchez lib. 8 de matrimon diſp. 19. n. 6* Ratio ex eo deducitur, quia abundantes diuitijs verè dicuntur præpotentes; præpotentes autem verè ſunt ex principalioribus, nec præcisè principaliores dicūtur, qui pollent nobilitate; vnde meritò refert *Sanchez loc. cit.* in quibuſdam literis expeditis à Sixto V. anno 1587. dictum fuiſſe eas executioni mandandas eſſe, quātumvis contrahentes non eſſet nobiles, ſed tantum diuitijs præpotentes; nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod quando *in Cōcil. Trident. ſeſſ. 24. de matrimon. c. 3. in fine*, ſtatuitur, quod in ſecundo conſanguinitatis gradu non diſpenſetur, niſi inter magnos Principes nomine magnorum Principum non veniant viri opulenti, quidquid ex aduerſo dixerint, *Tiraquel de nobilit. c. 3. n. 3.*, *& l. ſi vnquam verſ. facultatum n. 1. C. de reuoc. donat. Molina lib. 1. de primogen. c. 2. n. 25.* adeoque, quod neque nomine principalium veniant opulenti; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia latior eſt ratio principalium, quam ſit ratio magnorum Principum, quia non Principis præcipuè, ſi ſit magnus, importat dignitatem cum iuriſdictione, cuius propterea nomine non veniunt præcisè diuites, & opulenti; nomen autem principalium nō importat ſecundū ſe dignitatem, nec iuriſdictionem, & indiferens eſt, vt gaudens tali prærogatiua ſit talis propter diuitias, vel proptèr aliquem alium titulum inſignem.

Reſpondeo tertio, ſi in diſpenſatione dictum fuerit aliquos eſſe nobiles, qui tamen tales non ſint, ſint tamen ex principalioribus populi propter diuitias, ſi talis qualitas nobilitatis fuerit reſtrictiuè ap- 7

Digitized by Google

Si dictum fuerit eſſe ſtabiles cum tales non ſint, ſed tantum diuites, non tenet diſpenſatio, ſi poſita fuerit per modum conditionis, ſecus ſi per modum narrationis.

poſita, & per modum conditionis probabilius non tenet diſpenſatio, ſecus, ſi fuerit appoſita præcisè narratiuè. In hanc reſponſionem propendet *Sanchez de matrim. lib.* 8 *diſp.* 35. *n.* 25. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia deficit in ea hypotheſi conditio, ſub qua poſita eſt diſpenſatio, nec propriè nomine nobilitatis veniunt diuitiæ, cum vt plurimum mercatores ſint opulenti, & diuites, nec tamen gaudent nobilitate. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia qualitas merè narratiuè appoſita non ſuſpendit actum, qui geritur, nec vitiat, ſi ea non verificetur: vnde merito docent *Innocentius c. fin. ſtatim in princip. de præſumpt.*, *& ibi Felinus nu.* 33. *Baldus in l. neque natales n.* 10. *in fin. C. de probat. Rebuffus in concordat. vbi de forma mandati Apoſtol. ſuper verb. morum honeſtas ſtatum in princip.*, quod hæc qualitas, quæ merè narratiuè apponitur non ſit ex neceſſitate probanda. Si tamen in impetratione diſpenſationis, cum nõ eſſent nobiles dictum fuerit eſſe ex principalioribus populi, ſeu illius oppidi, tunc iuxta ſuperius dicta teneret illa diſpenſatio propter rationes ibidem adductas.

§. VII.

An ſubſiſtat diſpenſatio, in qua dictum fuit fœminam innuptam remanſuram defectu dotis, cum tamen non præcisè dotis ratione, ſed ex alio capite proueniat timor nuptiarum non futurarum.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ, & ratio dubitandi. 1.
Rationes ſuadentes illam diſpenſationem non tenere 2.
Et diſpenſatio tenet, & matrimonium. 3.
Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitum. 4.

1 Proponitur ſtatus controuerſiæ, & ratio dubitandi.

DISQVISITIO VII. Theodorica ſatis erat grandæua, vel deformis, vel aliquo crimine diffamata, propter quos defectus vix ſperare poſſet cum dote, qua gaudebat, congruè poſſe nubere. Acceſſit ipſius conſanguineus in tertio gradu, qui eiuſdem nuptijs conſenſit. Ad impetrandam diſpenſationem expoſuerũt Romano Pontifici illam innuptam manſurã ex defectu congruæ dotis, niſi ipſius conſanguineo nuptijs talibus conſentienti copularetur, non tamen expoſuerunt alias cauſas nimiæ ætatis, deformitatis, & criminis, ex quibus potiſſimum erat cum illa ſolummodo dote innupta remanſura, Annuit petitioni pijſſimè Pontifex, & matrimonium ex vi illius diſpenſationis cõcluſum fuit, & conſummatum. Hic orta fuit controuerſia, an illa diſpenſatio ſubſiſteret, & matrimonium ex vi illius contractum.

2 Rationes ſuadentes illam diſpenſationem non tenere.

Viſum fuit plerisque, nec diſpenſationem, nec matrimonium illud ſubſiſtere; quia non fuit expoſitum principale, ob quod fœmina illa eſſet innupta remanſura, quod non fuit defectus dotis, cum ratione illius præcisè potuiſſet, & poſſet nubere, ſed nimia ætas, deformitas, & crimen, ratione cuius cogeretur cælebs remanere, & quamuis, ſi fuiſſent expoſitæ hæ qualitates æquè Pontifex diſpenſaſſet, non propterea ſequitur, quod ex illis diſpenſarit. Accedit, quod defectus dotis ſimul cum illis qualitatibus conſtituunt vnam integram cauſam diſpenſationis, ſeu timoris cælibatus; ex ſolo etenim dotis defectu illa innupta non remaneret, cũ dos tanta ſupponatur exiſtere, quanta, ſi nõ eſſent illæ qualitates ſufficiens eſſet ad congruè nubendum, & de facto congruè nuberet, ergo in tantum non eſt ſufficiens, in quantum coniungitur cum illis qualitatibus, quæ deteriorem conſtituunt ipſam fœminam; Quando autem non exponitur cauſa adæquata finis ob quem conceditur diſpenſatio, non videtur eadem diſpenſatio ſubſiſtere. Nihilominus

3 Et illa diſpenſatio tenet, & matrimonium eſt validum.

Reſpondeo, & diſpenſationem ſubſiſtere, & matrimonium tenere, *Sanchez de matrim. lib.* 8. *diſp.* 19. *n.* 29. Ratio ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi reuera verificetur, quod ſit defectus dotis, propter quem non poſſit congruè nubere, ergo cum verificetur expoſitio, non eſt cur nõ debeat ſubſiſtere diſpenſatio. Antecedens probatur, quia licet illa dos ſit ſufficiens pro illa fœmina conſiderata ſecundum ſe, non eſt tamen ſufficiens ad eandem conſideratam ſecundum illas qualitates, ergo reſpectu eiuſdem ſic conſideratæ ſemper verificatur, quod illa dos ſit inſufficiens ad congruè nubendum ſecundum proprium ſtatum, & conditionem; ergo reſpectu eiuſdem verificatur, quod ſit defectus dotis. Hæc vltima conſequentia probatur, quia non tam dos ſumenda eſt abſolutè, quam reſpectiuè. Confirmatur, quia, ſi fœmina habeat congruam dotem ſecundum ſe, non tamen conuenientem ad proprium ſtatum, ſufficienter verificetur, quod non habeat congruam dotem, ratione cuius poſſit nubere pari, ſeu æquali, ergo etiam quantumvis habeat congruam dotem proprio ſtatui ſecundũ ſe, non tamen attenta qualitate perſonæ ſemper verificabitur, quod non habeat congruam dotem. Conſequentia probatur, quia non minus dos attenditur ſecũdum ſtatum, ſed etiam ſecundum perſo-

nam;

Digitized by Google

nam; reſpiceatur enim, vt perſona cum illa poſſit nubere.

4 **Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitū.**

Ad rationes, quæ ex aduerſo aſſerebantur dicendum eſt, & quidem ad primum ex enuntiatione defectus dotis ſufficienter enuntiari cauſam diſpenſationis; Nam reuera ex illo defectu ſuppoſita qualitate perſonæ euenit, quod fœmina illa innupta maneret; Nam, vt ſupra aſſerebamus dos non ſolum attenditur ſecundum ſtatum, ſed etiam ſecundum qualitatem perſonæ quæ nubere intendit; Hæc autem dos comparatiuè ad illam perſonam, congruè nubendam incongrua eſt, nec hic conſiderandum eſt, an potius illa incongruitas, ſeù inſufficientia dotis potius ab vno, vel ab altero capite proueniat, quia ſemper verificatur quod ratione dotis, ſeù defectu eiuſdem non poſſit cōgruè nubere. Dici etiam poteſt cum *Sanchez loc. cit.* mentem Pontificis in ea diſpenſatione eo dirigi, ne illa fœmina innupta maneat, ſiuè deindè metus cælibatus proueniat præcisè ex defectu dotis, ſiue ex defectu illius cum alijs qualitatibus.

Semper verificatur metus cælibatus.

Ad ſecundam aſſerendum eſt, quod quantumuis ex defectu dotis ſimul cum enuntiatis qualitatibus, conſtituatur integra cauſa timoris cælibatus, re tamen vera ille timor cælibatus enuntiatur, qui eſt cauſa finalis diſpenſationis; quod deinde enuntiatur, quod ille timor proueniat præcisè ex defectu dotis, vel ex aliqua alia cauſa, parum referre poteſt ad præſens inſtitutum, quandoquidem ille timor cælibatus eſt cauſa præciſa diſpenſationis. Deinde dici poteſt prouenire ex defectu dotis, quæ vt ſit congrua, iuxta ſuperius dicta non ſolum conſideranda eſt ad normā ſtatus perſonæ, ſed etiam iuxta qualitatem eiuſdem.

---

§. VIII.

An proles ex conſanguinea ſuſcepta ſit iuſta cauſa diſpenſationis?

SVMMARIVM.

Facti ſeries in caſu particulari. 1.

Iura circa factum, & conſiderationes circa ipſum. 2.

Si proles fuerit ſuſcepta nullo intercedente matrimonio ſiue cum ſcientia, ſiue ſine illa, eſt cauſa ſufficiens diſpenſationis. 3.

Si proles fuerit ſuſcepta conſtante matrimonio bona fide inito, eſt cauſa diſpenſationis, ſecus, ſi mala fide. 4.

Si matrimonium fuerit bona fide per vnum initum, & per alterum mala fide poteſt inſtaurari. 5.

1 **Facti ſeries in caſu particulari.**

DISQVISITIO VIII Caius ex Andronica ſua conſanguinea in tertio gradu progenuerat prolem. Intendens deinde eandem prolem legitimare tum ad effectum, vt ſuccedat in proprijs bonis, tum ad effectum, vt habilitetur ad alia munera Reipublicæ, recurſum habuit ad Romanum Pontificem, vt in illo gradu conſanguinitatis diſpenſaretur allegata cauſa eiuſdem prolis ſuſceptæ. Controuerſum hic fuit, an illa cauſa prolis ſuſceptæ ſufficiens eſſet ad validam diſpenſationem.

2 **Iura ſibi obuiantia circa factum.**

Diuerſa iura, eaque ſibi obuiantia circa præſentem controuerſiam inuenio. Aliud *in c. quia circa de conſanguin.* per quod deciditur prolem antecedenter ſuſceptam eſſe legitimā cauſam diſpenſationis, etiam in gradu prohibito conſanguinitatis. Aliud *in c. cum haberet de eo qui duxit in matrim.*, per quod ſtatuitur, quod ſi proles fuerit geminata non ſit cauſa diſpenſationis, ſed potius retrahendi ab eadem. Pro clariori intelligentia

Conſiderationes ad conciliandā huiuſmodi iura.

Aduerte prolem illam vel fuiſſe progenitam nullo conſtante matrimonio, nec quidem apparente, vel conſtante matrimonio non vero, & reali, ſed apparente, & inualido. Rurſus ſi nullo conſtante matrimonio fuerit progenita, vel progenita fuit cum ſcientia conſanguinitatis inter ipſos parentes interuenientis, vel cum ipſius ignorantia. Porrò, ſi habita fuerit conſtante matrimonio, vel illud initum fuit ſcienter cum illo impedimento, vel omninò ignoranter, ignorantia nō quidem ſupina, & craſſa, ſed inuincibili. His ſuppoſitis

3 **Si proles fuerit ſuſcepta nō conſtante matrimonio eſt cauſa ſufficiēs diſpenſationis.**

Reſpondeo primo, ſi Proles fuerit ſuſcepta nullo conſtituto matrimonio, nec apparente, & quidem cum ſcientia conſanguinitatis vtriuſque contrahentis, & multo magis cū ignorantia eiuſdem probabilius eſt prolem ſuſceptam eſſe ſufficientem cauſam diſpenſationis; Et quo ad hoc arbitror locum habere textum *in d. c. quia circa de conſanguinit.* Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod quando eſt cum ſcientia conſanguinitatis, eſt cum ſcientia inceſtus; Crimen autem formale inceſtus cum cognitione habet potius retrahere animum Pontificis à diſpenſando, quam promouere ad diſpenſationem, cum ex delicto proprio nemo poſſit expectare fauorem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hac ratione quando nullum matrimonium contractum eſt, non poſſet vllo modo habere locum præcitatus textus *in d. c. quia circa de conſanguin.*, nam coitus cum illa fœmina vel eſſet cum cognitione conſanguinitatis, & ſic eſſet formalis inceſtus, vel cum ignorantia conſanguinitatis, & ſic eſſet cum inceſtu materiali, cum formali tamen fornicatione, quia eſſet copula cum non ſua; Si igitur ex delicto pro-

Digitized by Google

Etiam ſi fuerit ſuſcepta cũ ſcientia conſanguinitatis.

uenit, quod potius Pontifex retrahatur à conceſſione diſpenſationis, quam promoueatur ad illam, vtique ſequitur, quod in nullo penitus caſu poſſet verificari diſpoſitio illius textus, quod non eſt aſſerendum, nam ſemper eſſet delictum vel formalis inceſtus, vel materialis cum formali fornicatione. Confirmari poteſt reſponſio, quia motiuum formale diſpenſationis eſt beneficium prolis ſuſceptæ, non commodum delinquentium, ergo quomodocunque progenita fuerit proles ſiuè cum ſcientia conſanguinitatis, ſiuè cum ignorantia tribuit ſufficiens fundamentum diſpenſationis.

4 Si fuerit ſuſcepta conſtante matrimonio bona fide inito eſt cauſa ſufficiens, ſecus ſi mala fide.

Reſpondeo ſecundo, ſi proles fuerit progenita conſtante matrimonio apparenti, ſed inualido cum bona fide, quatenus vel vterque, vel alter contrahentium fuerit ignarus conſanguinitatis eadem proles ſuſcepta, eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis, ſecus, ſi vterque in celebratione contractus fuerit conſcius conſanguinitatis, & per conſequens inualiditatis eiuſdem contractus. *Hoſtienſis eod c. quia circa paulò poſt principium de conſang., & ibi Ioannes Andreas in fin. Antonius in c. cum haberet de eo qui duxit in matrimon. nu. 10. Coaruuias 4. decret. part. 2. c. 6. §. 10. nu. 13. Mandoſius praxi ſignatura tit. diſpenſationes matrimoniales verſ. alia cauſa ſunt, Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 13. num. 18. Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 56. art. vlt. ad fin.*

Diſpoſitio Concilij Tridentini ad hanc rem valdè accomoda.

Prima pars eodem iure, eiſdemque rationibus innititur, quibus præcedens reſponſio. Secunda verò pars deducitur *ex cit. c. cum haberet de eo qui duxit in matrimon,* Et vlterius ex diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſſ 24. de matrimon. c. 5.*, vbi ſic legitur: *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat. Idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed & conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit eiſdem ſubijciatur pænis*, & nonnullis interpoſitis pro ratione aſſerti, *Si verò ſolemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit.* Ex quibus verbis concilij plurima habes, tam conferentia ad hanc ſecundam partem reſponſionis confirmandam; tam ad primam corroborandam.

Illationes ex eodem Concil. Trident.

Habes primo concilium non reſpicere prolem, qua moueatur ad diſpenſandum, quandoquidem hanc legem carentiæ ſpei diſpenſationis ſtatuit, etiam quinimmò fortiori iure, ſi matrimonium fuerit conſummatum cum ſcientia impedimenti; ex matrimonio autem conſummato regulariter ſupponitur proles futura. Habes ſecundo hanc carentiam ſpei futuræ diſpenſationis militare etiam, quando matrimonium inter conſanguineos cõtractum, & conſummatum eſt cum ignorantia non inuincibili, ſed craſſa, & ſupina, quandoquidem hæc æquiualet ſcientiæ, hocque ſtatuit Concilium, dum aſſerit matrimonium contractum non adhibitis debitis ſolemnitatibus, hoc eſt denuntiationibus eiſdem ſubiacere pænis, quibus ſubiacet matrimonium ſcientèr contractum inter gradus à iure prohibitos. Habes tertio eſſe cauſam ſufficientem diſpenſationis, ſi fuerit matrimonium contractum, & conſummatum cum ignorantia inuincibili conſanguinitatis, hoc eſt præmiſſis debitis ſolemnitatibus.

Inſtantia ad hominẽ aduerſus reſponſionem.

Aduerſus ea, quæ dicuntur in ſecunda parte huius reſponſionis efficax videtur militare argumentum ſitum in eo, quod dictum fuit in præcedenti reſponſione, quod ſcilicet, ſi proles fuerit progenita nullo conſtante matrimonio, ex conſanguineis etiam, cum ſcientia conſanguinitatis ſit ſufficiens cauſa diſpenſationis, & vtique in beneficium prolis, licet non in commodum contrahentium, ergo erit etiam ſufficiens cauſa diſpenſationis, ſi proles fuerit ex eiſdem progenita conſtante matrimonio, quamuis inualido cum eadẽ ſcientia contrahentium, tum quia etiam in hac hypotheſi militat idem beneficium prolis; tum quia eadem militat ratio quando matrimoniũ non eſt contractum, ac quando contractum eſt, ſed inualidè. Sed facili negotio his obiectis poſſumus occurrere, ſi aſſeramus diſparem omninò eſſe rationem, quando matrimonium contractum eſt, licet inualidè, ac quando nullum contractum eſt matrimonium, quandoquidem iura *tam in d. c. cum haberet de eo qui duxit in matrim. tam ex d. ſeſſ. 24. c. 5. Trident. de matrimon.* loquuntur de eo qui ſcientèr contraxit matrimonium, & de prole depẽdenter ab eodem ſuſcepta, non autem de ſuſcepta independeter à quocunq; matrimonio, quę propterea cum ſint odioſa, & pænalia non ſunt extendenda à caſu in caſum; tum quia illæ pœnæ ſunt propter auſum contrahendi matrimonium cum ſcientia matrimonij, quod non militat, quando nullum matrimonium contractum eſt, nec reſpicitur crimen quomodocunque, cæteroqui etiam ex inceſtu materialiter, & formali fornicatione cum conſanguinea, induceretur negatio ſpei conſequendæ diſpenſationis, quod ex prædictis non eſt dicendum. Ad id quod ſubditur de beneficio prolis dicendum eſt hoc non attendi, quando coniungitur cum inceſtu ante quodcunque matrimonium, ſed tantum quando coniungitur cum matrimonio ſcienter inualidè contracto, & hoc vtique in pænam temeritatis in ſic

Eiuſdem inſtantiæ efficax ſolutio.

con-

Digitized by Google

contrahendo; non enim vt inquit Concilium Tridentinum loco cit. *dignus eſt, vt Eccleſia benignitatem facile experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit*, & vtique Eccleſia merito, hoc præſcribere potuit etiam cum detrimento prolis ad deterrendos homines ſic peruersè contrahendo.

5 Hic alia ſuboritur difficultas, an ſi inter conſanguineos initum fuerit matrimoniū altero ſciente impedimentum conſanguinitatis, altero penitus ignorante, ſit iuſta cauſa diſpenſationis proles ex eodem matrimonio ſuſcepta. Cui breuiter occurrendum eſt, aſſerendo vtique iuſtam eſſe cauſam diſpenſationis *Gutierez lib. 2. qq. canon. c. 15. num.* 107. *Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. nu.* 9. Ratio ex eo deducitur, quia illa proles habetur pro legitima, per textum *in c. ex tenore, qui filij ſit legit.* Ergo maximè decet illud matrimonium in ordine ad honeſtam educationem eiuſdem prolis inſtaurari. Accedit, quod huiuſmodi diſpoſitio carentiæ ſpei futuræ diſpenſationis eſt pœnalis, & odioſa; diſpoſitiones autem pœnales, vtpotè odioſè exigunt delictum ex omni parte completum. Accedit ſecundo quod æquum non eſt, vt innocens ſentiat perpetuum incommodum ſeparationis ex delicto alterius ſcientèr contrahentis, ergo intuitu eiuſdē innocentis poterit matrimonium illud inſtaurari, quod ſi alter ex hoc commodum ſentiat, eſt in conſequentia ratione connexorum.

Si matrimonium fuerit bona fide per vnum initum, per alterum vero mala fide poteſt inſtaurari.

---

§. IX.

An ob compoſitionem præcisè pecuniariam poſſit diſpenſari in voto caſtitatis ſimplicis, & Religionis.

SVMMARIVM.

Exponitur ſeries diſquiſitionis. 1.
Compoſitio pecuniaria ſufficiens eſt pro diſpenſationibus iuris Eccleſiaſtici. 2.
Vota caſtitatis, & Religionis non ſunt ſecundum ſe diſpenſabilia, per compoſitionem pecuniariam. 3.
Huiuſmodi vota ſunt commutabilia in eleemoſinam pecuniariam qua cedat in æquale obſequium Chriſti. 4.
Soluitur ratio oppoſita deſumpta ex compoſitione pecuniaria in alijs impedimentis. 5.

1 DISQVISITIO IX. Vouerat Antonius Caſtitatem, vel forte etiam Religionem; poſtea intendens contrahere matrimonium cum Calidonia, non interueniente cauſa illius executioni obſtante obtulit Cameræ Apoſtolicæ certam pecuniæ quantitatem, ſi in illo voto diſpenſaretur; Orta hic fuit controuerſia, an ratione illius quantitatis exhibitæ poſſet iuſtè ſuper illo voto diſpenſari?

Expoſitio caſus particularis.

2 Ex compoſitione pecuniaria in alijs impedimentis etiam dirimentibus, quæ ſunt iuris merè Eccleſiaſtici poſſe licitè diſpenſari, dictum fuit ſuprà; & docet expreſsè *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 19. nu. 35.*, quod propterea videtur poſſe applicari quoad poteſtatem diſpenſandi in voto caſtitatis, & Religionis, quandoquidem licet huiuſmodi vota referantur in Deum, cui vouens ſe obligat, ex quo tamen procedunt ab humana voluntate, nec ſint cum actuali traditione, videntur etiam quodammodo ſubeſſe poteſtati Eccleſiaſticæ, quæ propterea ſi in alijs impedimentis diſpenſare poteſt interueniente compoſitione pecuniaria, non video, cur diſpenſare non poſſit eadem compoſitione, intercedente etiam in votis? Nihilominus

Compoſitio pecuniaria ſufficiens eſt pro diſpenſatione in impedimentis iuris Eccleſiaſtici.

3 Reſpondeo primo, per illam compoſitionem pecuniariam, ſecundum ſe non inducitur ſufficiens cauſa diſpenſationis in huiuſmodi votis, *Arragonius ſecunda ſec. q. 88. art. 12. col. 5. Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 20. nu 6.*, & quotquot ſuſtinent ad legitimè diſpenſandum in huiuſmodi voti requiri cauſam, quæ obſtet executioni eiuſdem voti, inter quos ſunt *D. Thomas ſecunda ſec. q. 88. art 12. ad ſecundum, & ibi Caietanus col. 2. dub. 2. Sotus lib. 7. de iuſt. q. 4. art 3. col. 7. verſ. ad iſtorum, ergò Valentia ſecunda ſec. diſp. 6. q. 6. punct. 7.* Ratio ex eo deducitur, quia ad hoc, vt huiuſmodi diſpenſatio ſit legitima, debet redundare in Chriſti honorem, & in Eccleſiæ vtilitatem, quatenus vel euitentur delicta, quæ voto perſeuerante poſſunt ex ſtimulis carnis, & naturæ imbecillitate timeri, vel indè maior Dei honor augeatur; Sed per præciſam compoſitionem pecuniariam diſpenſatio huiuſmodi non redundat in Chriſti honorem, nec in ſpiritualem Eccleſiæ vtilitatem, vt per ſe patet, ergo ex illà cauſa non poteſt eſſe legitima. Confirmatur primo, quia Pontifex in huiuſmodi votis non diſpenſat ex perſona propria, ſed ex perſona Chriſti aſſerente Apoſtolo 2. ad Corinth. 2. *Nam, & ego, quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti*, quod autem præſtat in perſona Chriſti cedere debet in honorem Chriſti, & ipſius Eccleſiæ; Non cederet autem in honorem Chriſti, nec in ſpiritualem Eccleſiæ vtilitatem, ſi votū derogaretur propter pecuniam, quandoquidem non cedit in honorem alicuius, quod nobilius, & præſtantius debitum diſſoluatur propter inferius, & deterius. Confirmatur ſecundo ex *D. Thoma ſecunda ſec. q. 88. art. 12. ad ſecundū*, vbi aſſerit diſpenſatione m in voto Religionis factam eſſe irritam, nulla

Vota caſtitatis, & Religionis non ſunt ſecundum ſe diſpenſabilia compoſitione pecuniaria.

Pontifex diſpenſat ex perſona Chriſti.

Digitized by Google

nulla apparēti cauſa obſtante, ſed quando ſit præciſe per compoſitionem pecuniariā nulla apparet cauſa obſtans executioni eiuſdem voti. Ergo &c.

4 Sunt tamen commutabilia in eleemoſinam, quæ cedat in æquale obſequium Chri.

Reſpondeo ſecundo, congruentius poteſt fieri commutatio voti in eleemoſinam pecuniariam, ſi hæc cederet in æquale obſequium diuinum, in quale cedit ipſum votum. *Sanchez de matrim. lib.* 8. *diſp.* 20. *nu.*6. *Caietanus in ſummæ verb. votum c. vlt.*, *& ibi Armilla num.* 14. *Corduba in ſumma q.*149. *Sotus lib.*7. *de iuſt q.*4. *art.* 3. *Valentia ſecunda ſec. diſp.*6. *q* 6. *punct.* 7. Probat hanc aſſertionem *Sanchez loc. cit. nu* 5. ex eo quod ſemper concurrat promptior voluntas vouentis ad materiam æqualem ſubrogandam; hoc autem maximè confert ad Dei, & Chriſti honorem, cum facilius Eccleſia in perſona Chriſti illi gratificante, & benignè commutationem in bonum æquale indulgente ad ſpontaneam voti obligationem Deo dicandam inducatur. Hæc ille fere ad verbum. Sed quidquid ſit de hac probatione, quæ multas patitur difficultates alia via, & ratione ad probandam reſponſionem procedo, quia ſcilicet non eſt præſumendum, quod Deus ſit inuitus quoad illam commutationem, quandoquidem ſubrogatum ſupponitur cedere in æquale Dei obſequium, ac Chriſti honorem, ac cederet votum cui ſubrogatur; Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur ex eo, quod fiat illa commutatio non inferri adeſſe cauſam obſtantem executioni voti, quod requiritur, vt ſit legitima ſubrogatio; Non, inquam, obſtare poteſt, quia hæc cauſa obſtans executioni voti requiritur quidem quoad diſpenſationem, non autem quoad commutationem in æquale, vt benè aſſerit *Sanchez loc. cit. n* 5., & cum eo DD plurimi.

Deus non præſumitur inuitus ad illam commutationem.

5 Soluitur ratio oppoſita deſumpta ex compoſitione pecuniaria in alijs impedimentis.

Ad rationem quæ ex aduerſo afferebatur, patet diſparitas quoad diſpenſationem in impedimentis iuris Eccleſiaſtici, & quoad diſpenſationem in votis caſtitatis, & Religionis, quandoquidem hæc ſunt iuris diuini, & relata ad ipſum Deum, quæ propterea non poſſunt ſolui niſi in honorem, & obſequium eiuſdem Dei, & Chriſti, in cuius perſona, vt legitima ſit, debet fieri diſpenſatio: Non cederet autem in honorem, & obſequium Dei, & Chriſti niſi obſtaret cauſa eiuſdem executioni; ex quo facile corruunt ea, quæ ſubdebantur quamtumvis enim vota huiuſmodi procedant à libera voluntate vouentis, ex eo tamen, quod referantur ad Deum transferunt ius in ipſum Deum; Cui non præſumitur cedere, niſi acquiſito alio iure æquali, vel niſi ipſius executio in cauſa repugnante impediatur, ſiuè hæc cauſa accidat ex parte materiæ voti, vel ex parte ipſius vouentis.

§. X.

An in votis ante pubertatem emiſſis poſſit ſemper diſpenſari.

SVMMARIVM.

Explicatur factum in ſuis terminis. 1.
Votum illud ante pubertatem emiſſum obligat. num. 2.
Conſiderationes circa factum. 3.
Poteſt etiam diſpenſari, quamuis vouens acquiſita pubertate non petierit diſpenſationem. 4.
In dubio, an ratificatio poſita fuerit poſt pubertatem præſumitur pro non ratificatione. num. 5.
Pater in tali dubio ratificationis, etiam poſt pubertatem, poteſt irritare vota filij. 6.
Votum elicitum in anguſtia, vel fauore, poteſt diſpenſari. 7.
Si acquiſita pubertate fuerit poſitiuè, vel æquiualenter confirmatum, non poteſt ſine cauſa diſpenſari. 8.

DISQVISITIO X. Emiſerat Caius ante pubertatem votum ſimplex caſtitatis, ſeù fortè etiam Religionis. Poſtea pertæſus voti cum pubertatem fuerit aſſecutus contendebat matrimonium contrahere. Quæſitum hic fuit, an non requiſita alia cauſa ex eo præcisè, quod votum illud fuerit emiſſum ante pubertatem, poſſit legitimè ſuper illo diſpenſari? 1 Explicatur factum in ſuis terminis.

Votum illud, quamtumvis emiſſum ante pubertatem tenere, & obligare communitèr ſuſtinent DD., quandoquidem ſicuti ſupponitur doli capax in ordine ad contrahendam noxam læthalem, itá ſupponitur capſx vſus rationis in ordine ad contrahendam obligationem, erga Deum per votum, & ſicuti in ea ætate poteſt validè fidem ſuam obligare alteri per ſponſalia per ea, quæ latè in præcedenti volumine docuimus, itá non eſt, cur eandem fidem non poſſit in valida forma obligare Deo per votum promiſſorium. Sed, an ita obliget, vt non poſſit diſſolui, niſi intercedente alia legitima cauſa ab illa ætatis immaturæ, & impuberis, pro qua fuit votum emiſſum, hoc eſt baſis præſentis diſquiſitionis. Pro qua 2 Votum illud ante pubertatē emiſſum obligat.

Aduerte, an Caius poſt emiſſum votum illud, vel caſtitatis, vel Religionis ante pubertatem eadem perfectè acquiſita, immediatè, vel paulò poſt egerit de illius reciſcione per diſpenſationem; an verò diu perſeuerauerit in eodem voto, nullo habito tractatu pro reciſcione; an tandem poſt acquiſitam pubertatem illud 3 Conſiderationes circa factum.

poſi-

Digitized by Google

poſitiuè ratificauerit. Secundum has tres conſiderationes præſens diſquiſitio eſt examinanda, cum diuerſa ingerat dubitandi motiua.

4

Votum illud ante pubertatẽ emiſſum eſt ſecundum ſe diſpenſabile.

Reſpondeo primo. Si poſt emiſſum votum caſtitatis, vel Religionis tempore impubertatis, pubertate acquiſita ſtatim, vel paulò poſt pertæſus eiuſdem diſpenſationem requiſierit, probabilius poteſt ſuper eodem voto diſpenſari, nulla alia legitima cauſa requiſita *Abbas c. 2. n. 3. de voto, Coaruuias c. quamvis pactum 3. part. §. 1 n. 5. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 20. num. 13.* Ratio fundamentalis huius reſponſionis ea eſt, quià ad obligandum cum omnimoda indiſſolubilitate, requiritur plenum iudicium, & matura deliberatio in eo, qui ſe obligat, ſed in puero ante pubertatem perfectè acquiſitam non ſupponitur plenum iudicium, nec matura deliberatio, quià quantumvis in eo ſit vſus rationis, non ſupponitur tamen plenum iudicium, quod diſtinguitur ab vſu rationis in eo, quod plenum iudicium importat ſuprà eundem vſum rationis dictamen prudentiæ, & præuiſionem futurorum, ergò &c. Hac ratione docent primo Theologiæ moralis profeſſores, quod ante pubertatem acquiſitam non contrahant pueri reſeruationem caſuum, quamuis polleant perfectò vſu rationis, nonniſi, quià ad incurrendam hanc pænam requiritur matura deliberatio. Secundò ſtatuunt iura, quod ante decimum quartum annum non poſſit quis teſtari. Tertiò, quod licet iuramentum à puero emiſſum ante talem ætatem obliget, ex æquiſſima tamen ratione, ob imperfectionem eiuſdem ætatis, concedatur ſuper eodem abſolutio *Coaruuias c. quamvis pactum 3. part. §. 1. nu 5.* Quartò propter eandem rationem docet *Sanchez lib. 1. de matrimonio diſp. 51.*, quod quamvis impuberum ſponſalia valida ſint, integrum tamen ſit eiſdem adueniente pubertate ab ipſis recedere, à quo tamen nos receſſimus lib. 5. de ſponſalib., & alia huiuſmodi, ergò &c.

Non ſupponitur eſſe plena deliberatione.

Varia exẽpla quibus euincitur reſponſio.

5

Poteſt etiã diſpenſari, quamvis acquiſita pubertate non petierit diſpenſationem.

Reſpondeo ſecundo, ſi acquiſita perfectè pubertate, qui antecedentèr ad illam vouit diu perſeuerauerit in eodem voto non reclamans, nec petens ſuper eodem diſpenſationem, nullo tamen poſito actu poſitiuo, quo ratum habuerit idem votum, probabilius adhuc nulla alia cauſa requiſita poteſt ſuper eodem diſpenſari. *Sanchez in ſumma tom 1. lib. 4. c. 32. num. 7. Diana part. 6. tract. 7. reſol 22. verſ. ex his infertur, Caſſianus in 2. 2. q 89. art 5. Caleſtinus in compendio Theologiæ moralis tract. 5. c. 5 nu. 6. Leſſius lib. 2. c. 40. dub. 14. nu. 83.* Ratio ex eo deſumitur, quià illud votum in ſua origine non eſt elicitum, cum omnimoda, & plena deliberatione, & maturo iudicio, nec ex illa taciturnitate pro illo tempore ſubſequenti pubertatem, maius robur accipit, nec ratificationem, ergò non eſt, cur non poſſit ſuper illo ratione illius indeliberationis, qua amiſſum eſt diſpenſari. Antecedens quoad primam partem ex ſe patet, quoad ſecundam ſic euincitur, quià illa taciturnitas ſecundum ſe poſt acquiſitam pubertatem, non inducit nouum poſitiuum conſenſum, per quem votum illud ratum habeatur, ſiquidem cum nulla vrgeat neceſſitas ratificandi, votum illud relinquitur in ſuo primæuo eſſe.

Illud votũ in ſua radice non eſt elicitum cum plena deliberatione.

Dices illa permanentia diutina in illo voto, nulla facta petitione diſpenſationis, habetur pro ratificatione ea proportionali ratione, qua dictum fuit *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I prænot. 3 n. 3. &* 4. de ſponſalibus initis per parentes nomine filiorum abſentium, qui intelliguntur ea rata habere, ſi poſtquam certiorati fuerint de illo contractu intra tempus conueniens non reclamauerint, ſed perſeuerauerint in eodem contractu, hocque etiam docent *D. Thomas in 4. diſt. 27. q. 2. art. 2. ad primum, Paludanus ibid. q. 1. art. 1. concl. 1. n. 4 Victoria in ſumma de matrimon n. 267. Sotus in 4. diſt. 27. q. 2. art. 2. ad ſecundum, Petrus de Ledeſma de matrimon. q 43. art 2. dub. vlt. concl. 2.* Sed contra non currit paritas, quandòquidem cum ſponſalia inita per parentes nomine filiorum impuberum, vel abſentium non ſortiantur vim, niſi rata habeantur per eoſdem filios, vel poſtquam peruenerint ad vſum rationis, vel poſtquam certiorati fuerint de contractu per Parentes inito natura eiuſdem contractus, qui eſt vltro citroque obligatorius, exigit ne alter contrahentium ſuſpenſus remaneat, vt quiſque ſtatim vel firmet contractum, vel ab eodem recedat, vnde iura eodem non reclamante præſumunt pro ratificatione contractus; votum autem ante pubertatem emiſſum habet ſecundum ſe vim obligandi, nec inducit neceſſitatem ratificandi cum dependeat præciſè à voluntate eiuſdem vouentis, ſicque illa taciturnitas, & perſeuerantia ſine nouo actu poſitiuo non inducit nouum robur ſuprà actum prius elicitum.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

6

In dubio, an ratificatio poſita ſiunt poſt pubertatẽ præſumitur pro nõ ratificatione.

Confirmatur primo reſponſio, quia in dubio, an ratificatio voti facta fuerit per filium poſt adeptam pubertatem præſumendum eſt votum non fuiſſe ratificatũ, etiam ſi multum temporis tranſierit, quia ratificatio eſt quid facti, factum autem non præſumitur, niſi probetur, *Sanchez loco cit. Diana d. p. 6. tract. 7. reſol. 22. verſ. ex his infertur in fin.* ergo in primis perſeuerantia diutina ſine nouo actu poſitiuo non inducit ratificationem. Deinde, ergo, ſi in dubio non præſumitur pro ratificatione, nec præſumendum erit pro eadem, ex eo quod adepta pubertate non

fuerit

Digitized by Google

fuerit reclamatum, nec petita diſpenſatio ſuper eodem.

7 Pater in tali dubio poteſt irritare vota filij.

Confirmatur ſecundo, quia in dubio, an filius ratificauerit votum emiſſum ante pubertatem adepta pubertate, nec ne poteſt ipſius Pater huiuſmodi votum filij irritare, *Caleſtinus in compend. Theolog. mor. tract. 5. c. 5. n 6. Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 6. punct. 6. Azorius parte prima lib. 11. c. 17 q. 7. Diana loc. cit.* ergo à fortiori poterit Pontifex ſuper eo ante pubertatem emiſſo, quando expreſsè non conſtat poſitiuè fuiſſe ratificatum poſt pubertatem diſpenſare.

8 Votum elicitum in anguſtia, vel furore poteſt diſpenſari.

Confirmatur tertio, quia, ſi quis ex anguſtia, furore, vel ira votum caſtitatis, vel Religionis emiſerit, & habuerit determinatam intentionem ſe obligandi Deo, obligatur quidem per textum *in c. ſunt, qui opes 27. q. 4.* ex quo tamen emiſſum eſt in illis paſſionibus, in quibus non præſumitur plena deliberatio, tribuit cauſam diſpenſationi, vt notat *Silueſter verb. votum II q. 13.* niſi ceſſante anguſtia, furore, alijſque animi agitationibus de nouo votum illud elicuerit, *arg. reg. ratihabitio de reg. iuris in 6.* ergo, etiam ſi quis ante pubertatem tale votum elicuerit &c.

9 Si poſt pubertatem fuerit confirmatum non poteſt ſine cauſa diſpenſari.

Reſpondeo tertio, ſi acquiſita pubertate per actum poſitiuum, vel æquiualentem votum illud confirmauerit, non poterit ſine alia legitima cauſa ſuper illo diſpenſari. *Silueſter verb. votum II. qu. 13. Diana part. 6. tract. 7. reſol. 22. verſ. ex his infertur, Leſſius lib. 2. c. 40. dub. 14. n 83. Valentia tom 3. diſp 6 q 6. punct. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia illa poſitiua confirmatio, poſt adeptam perfectè pubertatem, habet rationem noui voti cum plena deliberatione eliciti, ſed in voto poſt pubertatem elicito cum plena deliberatione, nō poteſt diſpenſari, niſi legitima cauſa interueniente, vt ſupra probatum eſt, ergo &c.

---

§. XI.

An Epiſcopus poſſit in illo voto emiſſo antè pubertatem diſpenſare?

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſia in ſuis terminis particularibus. 1.
Ratio ſuadens votum illud non eſſe per Epiſcopum diſpenſabile. 2.
Probabilius poteſt Epiſcopus in illo voto diſpenſare. 3.
Votum elicitum ex metu, quantumvis leui, eſt per Epiſcopum diſpenſabile. 4.
Votum exigit ad obligandum indiſſolubilitèr plenam libertatem, & deliberationem. 5.
Soluitur ratio ſuadens oppoſitum. 6.

DISQVISITIO XI. Iuxtà terminos præcedentis diſquiſitionis antè pubertatem Caius emiſerat votum caſtitatis, & Religionis. Cum iam illud votum ex præactis ratione non plenæ, & immaturæ deliberationis, quamvis obliget, ſit diſpenſabile oritur hic ratio dubitandi, an ſolummodo per Romanum Pontificem, cui regulariter eſt reſeruatum votum caſtitatis, & Religionis poſſit diſpenſari, an vero etiam per Epiſcopum cui eſt ſubditus Caius, qui vouit. 1 Diſquiſitionis ſtatus expoſitus.

Ex quo votum illud obligat ſecundum ſe (prout ſuperius innuimus cum deliberatio, quæ ſufficit ad peccatum mortale, ſufficiat etiam ad votum; non enim plus requiritur ad obligandū Deo per votum, ac requiratur ad obligandum Diabolo per peccatum) videtur iuxtà exigentiam eiuſdē exigere, vt non niſi per Romanum Pontificem poſſit diſpenſare; votum enim caſtitatis, ſeù Religionis, qua tale votum eſt reſeruatum quoad abſolutionem, ſeù diſpenſationem remanet eidem Pontifici. Nihilominus 2 Ratio ſuadens votū illud non eſſe per Epiſcopū diſpenſabile.

Reſpondeo probabilius Epiſcopum poſſe in illo voto diſpenſare. Ità in ſimilibus terminis *Nauarrus in ſumma c. 12. n 59. Henriquez lib. 11. ſumma c 15. num. 8. lit. A. Laiman lib 4. tract. 4. c. 8 nu 11.* Ratio fundamentalis ex eo deducitur, quia licet votum ſecundum ſe obliget, vt tamen obliget inſolubiliter, & ſit reſeruatum Romano Pontifici, debet eſſe ſecundum omnes circumſtantias perfectum, & cum omnimoda, & plena deliberatione, qua etiam ratione, licet aliqua actio ſecundum ſe ſit peccaminoſa, non intelligitur tamen reſeruata, niſi attingat perfectè crimen, cui eſt alligata reſeruatio, & ſit cum plena deliberatione, ſicque peccatum ſecundum ſe reſeruatum, non intelligitur tamen, ſi committatur ab impubere, ob defectum plenæ deliberationis, ſed votum ab impubere elicitum non intelligitur eſſe, ſeù fuiſſe cum plena deliberatione, cum illa ætas ſit obnoxia imperfectioni iudicij; Ergo &c. 3 Probabilius poteſt Epiſcopus in illo voto diſpenſare.

Confirmari poteſt primo ex ijs, quæ docuimus ſupra *ſub hoc eodem titulo Contractus XV. de matrimon. III prænot. 11. n. 9.*, nempè votum elicitum ex metu, quantumvis leui, & non cadente in conſtantem virum, quamvis ſecundum ſe obliget, non eſſe tamen reſeruatum Romano Pontifici, ſed poſſe per Epiſcopum diſpenſari. *Angelus verb. votum 4. nu. 8. Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 4. dub. 13. nu 106. Bonacina in decem præcepta diſp. 4 q. 2. punct. 7. §. 4. nu 17 Bartolomæus à S. Fauſto lib. 3. Theſauri Relig q. 69.*, ergo etiam votum elicitum ante pubertatem, quantumvis obliget, non intelligitur tamen reſeruatum Romano Pontifici, ſed 4 Votum elicitum ex metu quantumvis leui eſt diſpenſabile per Epiſcopum.

po-

Digitized by Google

poterit ab Epiſcopo diſpenſari. Conſequẽtia probatur quia in ſtatum non intelligitur votum ex metu quantumvis leui elicitum reſeruatum, in quantum ratione illius metus non intelligitur emiſſum cum plena deliberatione, & maturo iudicio metu ipſo obſtante eidem plenæ deliberationi, ſed etiam votum elicitum ante adeptam pubertatem non intelligitur fuiſſe cum plena deliberatione impubertate ipſa obſiſtentia maturitati iudicij, & plenæ electioni; Ergo &c.

5 *Votum exigit plenam libertatẽ, & deliberationem.* Confirmari poteſt ſecundò ex ijs, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus 1. de contract. in genere Diſq. 1. §. 9. nu. 9.* ſcilicet votum eſſe ex illis actionibus, quæ vt indiſſolubiliter obliget debent eſſe cum omnimoda libertate, & plena deliberatione, ergo ratione qualitatis actionis ſi deficiat à plena deliberatione non obligabit indiſſolubiter, quæ propterea poterit per Epiſcopum relaxari.

6 *Soluitur ratio ſuadens oppoſitum.* Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur patet ex prædictis quid ſit dicendum, quantumvis etenim illud votũ ſecundum ſe teneat, non intelligitur tamen habere qualitatem reſeruationis, & indiſſolubilitatis niſi ſit vſquequaque perfectam, vnde merito *Panormitanus c. 2. de voto* aſſerit quod licet votum præcedens ex animi facilitate liget, facilitas tamen ipſa præſtet cauſam diſpenſandi, & commutandi. Ad hoc plurimum facit, quod docet *Silueſter verb. iuramentum 4. n. 9.* ſcilicet iuramentũ ex impetu iracundiæ, vel ex leuitate emiſſum poſſe relaxari; quod idem docet *verb. blaſfemia n. 5. & 6.*, quæ quando non eſt cum plena deliberatione poteſt à proprio Sacerdote abſolui, quantumvis ſecundum ſe eſſet reſeruata Epiſcopo vel Pontifici.

§. XII.

An error circa cauſam impulſiuam in voto præſtet cauſam ſufficientem diſpenſandi.

SVMMARIVM.

Exponitur in caſu particulari diſquiſitio. 1.
Rationes ſuadentes non ſubeſſe iuſtam cauſam diſpenſationis. 2.
Error circa cauſam impulſiuam eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis. 3.
Textus expreſſè euincens intentum. 4.
Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitum. 5.
Diſpar ratio de diſpenſatione cum errore circa cauſam impulſiuam, ac de voto cum tali errore. 6.

DISQVISITIO XII. Vouerat Franciſcus caſtitatem, vel Religionem ex motiuo formali maioris perfectionis ſpiritualis ad quod etiã impulit tanquam cauſa impulſiua aliquod extrinſecum quod incendebat idem Franciſcus; ſed in hoc deceptus eſt, quandoquidem ex illo voto potius contrarium ſubinferebatur. Cognoſcens inde euenire oppoſitum cauſæ impulſiuæ qua excitabatur, quantumvis verificaretur cauſa finalis impulſiua contendebat ſuper illo voto diſpenſari. Hic quæſitum fuit an ex illo errore quoad cauſam impulſiuam fuerit cauſa ſufficiens diſpenſationis. 1 *Facti ſeries ex poſita.*

Videtur abſolutè aſſerendum iuſtam non ſubeſſe cauſam diſpenſationis quandoquidem ſolius cauſæ finalis error impedit voti valorem, & ſicuti qui contraxit matrimonium cum errore verſante non circa ſubſiſtentiam, ſeu cauſam finalem, ſed tantum circa qualitatem, & cauſam impulſiuam non poteſt ipſius diſſolutionem ex illo præciſe capite intentare, ita, qui contraxit obligationem cũ Deo per votum cum errore, non circa cauſam finalem, ſed tantum circa cauſam impulſiuam, ex eo præciſè capite non poterit eiuſdem diſſolutionem intentare per diſpenſationem. Accedit, quod, ſi in ipſa diſpenſatione contingat error circa cauſã impulſiuam, dummodo ſaluetur vera cauſa finalis non irritetur ipſa diſpenſatio, nec ex illo præciſè capite eſt reſcindibilis, *Speculator tit. de diſpenſatione §. dicendum reſtat n. 10. verſ. quid ſi, Innocentius c. dudum el 2. n. 15. verſ. inualidam de elect. Gloſa c. ex parte el 2. verb. falſa de conuerſ. coniug. Staphileus de literis gratia tit. de vi, & effectu clauſularum in princip. n. 5. Coaruuias lib. 1. var. c. 30. n. 5. verſ. falſitas, Henriquez lib. 12. de matrim. c. 3. n. 7.*, ergo etiam in voto, ſi contingat error circa cauſam impulſiuam, dummodo ſalua remaneat cauſa finalis non conſurget irritatio, nec ex eo capite votum ipſum erit ſolubile per diſpenſationem. Nihilominus 2 *Rationes ſuadentes nõ ſubeſſe iuſtã cauſã diſpenſationis.*

Reſpondeo huiuſmodi errorem circa cauſam impulſiuam eſſe ſufficientem cauſam diſpenſationis, *Gloſa in c. magna verb. vt venires de voto, & ibi Abbas n. 14. Sanchez de matrimon lib 8 diſp. 20. n. 16.* Ratio ex eo deducitur primo, quia denegari non poteſt, quin error ille circa cauſam impulſiuam verè minuat de voluntario, ergo efficit, quod illud votum non ſit liberè volitum; votum autem, quod non eſt cum plena libertate elicitum eſt ſecundum ſe diſpenſabile per ſuperius probata. Antecedens probatur; quia cauſa impulſiua, quando verè adeſt multum confert ad perfectionem, & facilitatem actus, & eà maximè excitatur agens ad agendum, & ſine ipſa non ita promptè, nec faciliter, 3 *Error circa cauſam impulſiuã eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis.*

nec ità liberè ageret, ergo error circa eādem valdè minuit de propenſione, facilitate, & voluntarietate ad actum; Neque dicas illum errorem minuere quidem voluntarietatem quoad modum actus, non autem quoad ſubſtantiam eiuſdem, cum ſtante cauſa finali liberè mouente intelligatur eadem ſubſtantia omninò liberè volita; contra enim impugnaberis, quia licet ſtante cauſa finali liberè mouente intelligatur ſubſtantia voti liberè volita, adeoque vouentem obligare, adhoc tamen, vt indiſſolubilitèr obliget, & ſit reſeruatum, debet eſſe ex omni parte liberè volitum, quia reſeruatio ipſa odioſa eſt, & vt talis reſtringitur ſolummodo ad actum omnino ex omni parte voluntariū, ſicque libertas quoad ſubſtantiam obligat, libertas autem etiam quoad modum obligat indiſſolubilitèr, & ſic deficiente libertate quoad modum, & permanente quoad ſubſtātiam, remanet quidem obligatio, ſed deficit indiſſolubilitas omnimoda, vnde non eſt, cur non poſſit ſuper illo diſpenſari.

Error circa cauſam impulſiuā quomodo attingat ſecundum quid ſubſtantiam actus.

4 *Textus expreſsè euincens intentum.*

Secundo, ex eo deducitur ratio, quod habetur *in d. c. magna de voto*, vbi expreſsè dicitur, quod ex defectu cauſæ impulſiuæ inducatur cauſa facilioris diſpenſationis, & de facto ob hunc errorem, ſeu defectū Pontifex ibi diſpenſauit, ergo &c. Neque dicas in eo textu non eſſe ſermonem de diſpenſatione, ſed præcisè de commutatione voti, & de facto ibi Pontificem cōmutaſſe, non diſpenſaſſe; contra enim impugnaberis, quia ibi nec fuit mera diſpenſatio, nec mera commutatio, ſed diſpenſatio commutationi admixta, quod vt bene notat *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp.* 20. *n.* 16. colligitur ex eo, quod Pontifex reddit cauſam propter quam deuenit ad diſpenſationem, quod non eſſet neceſſarium, ſi ibi fuiſſet mera commutatio.

Non eſt mera commutatio, ſed diſpenſatio admixta commutationi.

Tertio ex eo, quod votum elicitum etiam ex timore leui præſtat cauſam ſufficientem diſpenſationis, vt ſupra probauimus, & etiam docet *Sanchez d. lib 8. diſp.* 20. *n.* 5. ergo etiam votum elicitum ex errore cauſæ impulſiuæ, quantumvis non inficiat votum quoad ſubſtantiam, præſtat tamen cauſam ſufficientem diſpenſationis. Conſequentia probatur, quia non minus minuit de voluntario error quoad cauſam impulſiuam, ac minuat error leuis; Neque dicas metum leuem attingere ſubſtantiam actus, à quo leuitèr retrahit; errorem vero circa cauſam impulſiuam non attingere ipſam ſubſtantiam, ſed modum, cum ſubſtantia ratione cauſæ finalis mouentis intelligatur liberè volita: contra enim impugnaberis, quia ipſa etiā cauſa impulſiua refertur ad ipſam ſubſtātiam liberius, & facilius aſſequendam, cū ipſa etiam moueat ad actum, & ſic error quoad eandem cauſam impulſiuam valdè minuit de voluntarietate circa actum, nō quidem ſimpliciter ipſum irritando, ſed reddendo ipſum minus, quodamodo obligatorium, ſicuti metus ipſe leuis non irritat ipſum actum, ſed reddit facilius ſolubilem.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, iam patet ex probationibus reſponſionis quid ſit dicendum; licet enim ſolus error quoad ſubſtantiam irritet actum, error tamen, quoad cauſam impulſiuam exiſtente in ſuo robore cauſa finali valdè minuit de voluntario requiſito, vt votum ſit omnino inſolubile; nec ad hoc aliquā vim facit exemplum de matrimonio cōtracto cum errore circa cauſam impulſiuam, quandoquidem cum matrimonium ſit ex genere ſuo omnino indiſſolubile ſemel perfecto, & conſummato interueniētibus ijs, quæ ad ſubſtantiam ſimpliciter requirantur non datur amplius poteſtas ad diſſolutionem; votum autem non eſt ex genere ſuo, ita indiſſolubile, quod propterea poſita aliqua inuoluntarietate, poteſt diſſolui. Ad illud, quod ſubditur in primis dicendum eſt, quod quando diſpenſatio non adhuc completa eſt in ſuo effectu, poſſit adhuc per diſpenſantem reuocari, ſi contigerit error quoad cauſam impulſiuam. Deinde diſpar omnino eſt ratio de ipſo actu diſpenſationis contingente errore circa cauſam impulſiuam, ac de voto contingente errore circa talem cauſam; nam votum ipſum eſt onus reſpectu vouentis, cui propterea, ſi non ſit omnino liberum non debet ineſſe cum ſtricta, & omnimoda ſubiectione indiſſolubilitatis, cum votum non ſufficiat inuitum; diſpenſatio vero eſt gratia eidem vouenti, nec onus aliquod infert diſpenſanti, quæ propterea cum ſit liberè quoad ſubſtantiam conceſſa non videtur poſſe reuocari, ſicuti non poſſunt reuocari donationes, aliæque actiones gratuitæ.

5 *Soluuntur rationes ſuadentes oppoſitum*

6 *Diſpar ratio de diſpenſatione cum errore circa cauſam impulſiuam ac de voto emiſſo cū tali errore.*

§. XIII.

An difficultas, & periculum tranſgrediendi votum conſurgens ex malitia, & prauo vouentis habitu præſtet cauſam diſpenſationis.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus ſecundùm ſuos terminos, 1.
Sententia aſſerens non eſſe ſufficientem cauſam diſpenſationis, 2.
Difficultas adimplendi votum, quantumvis proueniat à prauo habitu eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis, ſi non poſſit occurri eidem, ſecus

ſecus, ſi facile poſſit occurri. 3. *Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.* 4.

1 Exponitur caſus ſecundum ſuos terminos.

DISQVISITIO XIII. Non eſt dubium, quod maxima voti adimplendi difficultas, ita vt vehemens tranſgreſſionis probabilitas immineat, ſi proueniat ab imbecillitate naturæ, vel ex vehementibus carnis ſtimulis, ſit ſufficiens diſpenſandi cauſa; non enim æquum eſt, vt obligatio, quæ pro caritate inducta eſt, militet contra caritatem *Ricciardus in 4. diſt. 38. art. 9 q. 1 in corpore, Sotus lib. 1. de iuſt. q. 7. art. 3. col. 6. verſ. at ſi percontaris, Nauarrus in ſumma c. 12. n. 78. Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. punct. 7. ad finem, Ludouicus Lopez 1. part. inſtruct. cap. 49. ad finem, & alij innumeri.* Difficultas modo eſt, an, ſi difficultas illa adimplendi proueniat ex malitia, & prauo habitu malitioſè inducto per ipſum vouentem, adhuc vigeat cauſa ſufficiens diſpenſationis.

2 Sententia aſſerens nõ eſſe ſufficientem cauſam diſpenſationis.

Sotus *lib. 1. de iuſt. q. 7. art. 3. col. 6. ver. at, ſi percontaris, & lib. 7. q. 4. art. 3. col 8. verſ. virum vero, Angles Floribus 2. part. ubi de voto q. vnica art. 8. difficul. 5. Manuel 2. tom ſumma c. 10. n. 2., & addit. ad cruciatam §. 9. nu. 106.* exiſtimant abſolutè in ea hypotheſi non eſſe iuſtam cauſam diſpenſationis, qui potiſſimum ea ratione mouentur, quià cum ex ſuo prauo affectu, & facilitate inducta per actus prauos ad peccandum, induxerit prauos affectus, & habitus potius per illud votum debet medicinam inquirere, quam ipſius quærere relaxationem. Nihilominus

3 Difficultas adimplendi votum quantumvis proueniat à prauo habitu eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis ſi nõ poſſit occurri eidè, ſecus ſi facile poſſit occurri.

Reſpondeo difficultas adimplendi votum, quantumvis proueniat ex prauo vouentis habitu ex ipſius malitia proueniente, poteſt eſſe cauſa ſufficiens diſpenſationis, ſi vouens non poſſit per conſueta remedia, ſine magno incõmodo, difficultatem illam ſuperare, & nulla ſit ſpes emendæ, ſed potius occaſio in deteſtabiliora ſcelera dilabendi; ſecùs, ſi ſine magno diſcrimine poſſit illam ſuperare, & ex ipſa voti permanentia ſubſit ſpes emendæ. *Phyliarchus de offic. ſacerd tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 4. ad finem, Nauarrus lib. 3. conſil. in 2. edit. tit. de voto conſ. 36. num. 6. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 20. n. 19.*

Executio illius voti eſt omninò impar viribus vouentis.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià ſtante illo peruerſo habitu, quantumvis ex malitia operantis, proueniente executio illius voti eſt omninò impar viribus eiuſdem vouentis, & potius promouet ad peccata, quam ab illis retrahat, ergò expedit honori Chriſti, & eiuſdem vouentis vtilitati, vt ſuper illo fiat diſpenſatio, quandòquidem plurimum cedit in honorem Chriſti, quod peccata arceantur, & maximè rationi diſſonum eſt, vt id quod inductum eſt in honorem Dei refundatur in ipſius opprobrium. Confirmatur, quià ſi quis per media praua, & illicita ſe reddat impotentem, & imparem ad leges Eccleſiaſticas ieiunij, & alterius iuris poſitiui, eximitur ab onere illas adimplendi, cum lex poſitiua non obliget ad obſeruantiam impoſſibilem, ergò etiam, ſi per prauum habitum vouens ſe reddiderit ad obſeruãtiã voti imparem, ſi non redditur ipſo iure immunis ab onere implementi, reddetur tamen habilis ad diſpenſationem.

Ipſa moralis impoſſibilitas præbet cauſã diſpenſationis.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod prauus ille habitus non poſſit referri in commodum peruersè operantis, prout referretur, ſi eſſet cauſa ſufficiens diſpenſationis, & qui peruersè habitum illum induxit, debeat ſibi imputare, quod induxerit, ergò &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quià non eſt ipſe prauus habitus formalitèr, vt talis, qui referatur in commodum peruersè operantis, ſed eſt ipſa difficultas, & moralis impoſſibilitas adimplendi, quæ præſtat cauſam diſpenſationis; vndè peccauit quidem inducendo talem habitum, ſuppoſita tamen difficultate indè emanante non peccat exigendo diſpenſationem, quià perſeuerando in voto potius exponitur periculo peccandi, quam ſe retrahendi à peccato.

Qui peruersè induxit habitũ tenetur illum euertere.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià perſeuerante voto elicito ſecundum plenam, & maturam deliberationem, onus viget in vouente illud adimplendi ſuperando difficultates indè euenientes, ſi per media conſueta, & ordinaria poſſint ſuperari, præcipuè ſi difficultates illæ ortum traxerint ex malitia eiuſdem vouentis, qui ſicuti peruersè induxit illum habitum, ita totis viribus tenetur illum euertere, ergò vrgente voto, & præcepto naturali illum cogente ad euerſionem ei eiſdem habitui, tenebitur votum adimplere, nec poterit iuſtè diſpenſationem exigere, & in hoc ſenſu verificatur, quod malitia operantis non poſſit in eius commodum vergere, & malitiæ eius iure optimus frequentia lapſuum tribueretur.

4 Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.

Hinc facilè erit reſpondere ad ea, quæ ex aduerſo obijciebantur. Dic enim ea procedere iuxta ſecundam partem noſtræ reſponſionis, quando ſcilicet per media conſueta, & ordinaria poteſt occurrere tali difficultati; ſicuti enim ex propria malitia induxit facilitatem ad peccandum; & per conſequens difficultatem ad obſeruantiam voti, ita ex propria virtute tenetur facilitatem illam per contrarium habitum euellere, & contrariam facilitatem inducere ad obſeruantiam eiuſdem voti. Cæterum, quandò ex illo habitu inducitur difficultas talis, vt per media ordinaria non poſſit ſuperari, tunc cum obſeruantia ſit quodamodò moralitèr impoſſibilis non poteſt eſſe dubium, quod con-

Digitized by Google

congruentius vouens debeat abſolui ab onere obſeruantiæ per diſpenſationem, ne exponatur manifeſtis periculis deteſtabiliorum criminum, nec habitus ille voluntariè, & malitiosè inductus poteſt impedire diſpenſationem, quandoquidem cum inducat moralem impoſſibilitatem ad obſeruantiam, reddit vouentem moralitèr impotentem ad illud adimplendum, adeoque &c.

§. XIV.

An exiſtente iuſta cauſa diſpenſationis teneatur Prælatus diſpenſare, & an ſi nolit poſſit ab eo appellari.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens Epiſcopum peccare quomodocunq; neget diſpenſationem. 2.
Si diſpenſatio ſit debita ob bonum publicum, vel priuatum contrahentium peccat negando, ſecus ſi non ſit debita remiſſiue 3.
Epiſcopo negante diſpenſationem non datur appellatio remiſſiue. 4.
Epiſcopo iniuſtè negante in caſibus, in quibus tenetur, poſſunt omitti denuntiationes. 5.

1 Exponitur ſtatus diſquiſitionis. DISQVISITIO XIV. Dictum fuit in præcedenti volumine, Epiſcopum exiſtente iuſta cauſa, poſſe in denuntiationibus matrimonij diſpenſare. Hoc ſuppoſito Titius contracturus matrimonium cum Betta, interueniente vna ex legitimis cauſis enumeratis pro tali diſpenſatione, petijt ipſam à proprio Epiſcopo, qui eandem denegauit. Hic multiplex orta eſt difficultas ſub præſenti titulo examinanda. Prima, an peccarit Prælatus diſpenſationem ſuper illis denuntiationibus denegando. Secunda, an poſita tali denegatione potuerit ſupplicans ab illo appellare. Tertia, an ſi Epiſcopus iniuſtè denegarit, vel ad ipſum nó potuerit eſſe recurſus, potuerint licitè contrahentes, omiſſis illis denuntiationibus, matrimonium inire.

2 Sententia aſſerens Epiſcopū peccare quomodocunque neget diſpenſationem. In ordine ad primam difficultatem plerique docuerũt, inter quos *Antoninus c. at ſi clerici §. de adulterijs nu. 12. in fin. de iudicijs D. Antoninus prima part. tit. 17. c. vnico §. 20. verſ., & nota ſecundum, Roſella verb. diſpenſatio nu. 4, & ibi Silueſter q. 1. in fin. Armilla verb. diſpenſare nu. 14.* docuerunt inquam, Epiſcopum peccaſſe denegando talem diſpenſationem exiſtente iuſta, & legitima cauſa, quod probant tum *ex c. domino Sancto diſt. 50.* tum *ex c. quanto 2. q. 4.* tum ex eo, quod ſic denegando conſtituatur acceptor perſonarum, præcipuè, ſi ex eadem cauſa cum altero diſpenſarit, & iniuſtus diſtributor vſus poteſtatis Eccleſiaſticæ ſibi commiſſæ. Nihilominus

3 Si diſpenſatio ſit debita negatio eſt peccaminoſa ſecus ſi non ſit debita. Reſpondeo iuxta dicta *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 1 pranot. 37. nu. 32.* peccaſſe denegando huiuſmodi diſpenſationem; ſi diſpenſatio expedierit ob bonum publicum, & negatio ceſſerit in graue detrimentum vel ſpirituale, vel temporale contrahentium, ſecus vero, ſi talis diſpenſatio nó expedierit bono communi, nec vllum periculum adfuerit animæ, vel corporis contrahentium. Non immoror in huius reſponſionis ſecundum ſuas partes probatione, quandoquidem latè probata fuit loco citato, ad quem propterea vos remitto.

4 Epiſcopo negante nó datur appellatio. In ordine ad ſecundam difficultatem, late etiam actum fuit *loc. cit. pranot. 37. nu. 36., & 37.* vbi vidimus, quod ſi Epiſcopus diſpenſationem denegarit exigente bono communi, & periculo damnorum tam ſpiritualium contrahentium eandem diſpenſationem, poſſit contrahi matrimonium eiſdem denuntiationibus penitus omiſſis; Si vero denegauerit non exigentibus talibus cauſis, cum non poſſit cogi non eſſe locum appellationi; vnde ne iam dicta recantemus, ad eadem vos remitto.

5 Epiſcopo iniuſtè negante in caſibus quibus tenetur poſſunt omitti denuntiationes. In ordine ad tertiam difficultatem etiam latè vidimus *loc. cit. nu. 35.* Epiſcopo iniuſtè denegante huiuſmodi diſpenſationem in caſibus, in quibus tenetur diſpenſare, poſſe matrimonium contrahi eiſdem penitus omiſſis, prout late docent *Gutierez de matrimonio c. 57. nu 4., & 5. Barboſa de poteſt. Epiſcopi alleg. 32. nu. 51 Baſilius Pontius lib. 5. c. 32. nu. 6. alijque DD. ibid. allegati*. Rationes ibi adductæ hoc expreſſè ſuadent, ad quas propterea vos etiam remitto. Sed an tunc quando ordinarius tenetur diſpenſare, & patet facilis aditus ad eundem, poſſint non requiſito eodem ordinario omitti huiuſmodi denuntiationes, & contrahi matrimonium, negatiue reſpondendum eſt, prout late diximus *loc. cit. nu 36.*, & ibi probauimus.

§ XV.

An diſpenſatio ad percipiendos fructus in abſentia cauſa ſtudiorum ſit latè, vel ſtrictè interpretanda.

SVMMARIVM.

Status controuerſia expoſitus. 1.
Sententia aſſerens diſpenſationem hanc ſtrictè ſumendam, eiuſq; rationes. 2.
Eorum in hac hypotheſi admittit interpretationem. 3.
Extenditur quando cedit in bonum communitatis, & reſpicit cauſam publicam, & eſt debita. 4.

5.

Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ. 5.

1 Status diſquiſitionis exponitur.

DISQVISITIO XV. Titius beneficiarius cum onere reſidentiæ cum petijſſet ab Epiſcopo diſpenſationem, vt poſſet diu abeſſe cauſa ſtudiorum; & interim percipere fructus beneficij, eandem obtinuit, cumque ageretur de perceptione fructuum, oppoſitum fuit diſpẽſationem, vtpote ſtricti iuris non extendi, niſi ad fructus præbendæ non ad alios reditus, qui præciſe debentur ratione reſidentiæ, vel alicuius alterius muneris annexi ipſi reſidentiæ, quiq; non compatiuntur cum abſentia. Quæſitum hic fuit quid iuris, & an in hac hypotheſi diſpenſatio ſit ſtricte, an latè interpretanda.

2 Sententia aſſerens ſtrictè interpretandum, eiuſque rationes.

Videtur abſolutè aſſerendum diſpenſationem hanc non admittere, niſi ſtrictam interpretationem, cum diſcordet à iure communi, ſecundum quod ſtatuitur, vt fructus reſidentiæ, aliorumq; munerum non debeantur, niſi beneficiario reſidenti; diſpenſatio autem à iure communi exorbitans ſemper ſtrictè interpretanda eſt *Gloſa fin in l. beneficium ff. de conſtit. Princip. Gloſa c. ordinarij verb. diſpenſationes de offic. ord. in 6. Innocentius c. quod dilectio in fin. de conſang. Antonius c. olim num. fin. de verb. ſignific. Immola c. nonnulli §. ſunt etiam alij nu 3. de reſcript. Decius conſ.* 32. *nu.* 4. *vol.* 1. *Mandoſius reg.* 23. *Cancellaria q.* 4. *num.* 6. Nihilominus

3 Latam admittit interpretationem.

Reſpondeo in data hypotheſi diſpenſationem admittere latã interpretationem, & extendi ad omnes fructus *Oldradus conſ.* 117. *in fin. Gambara de auctoritate legati lib.* 10. *nu.* 277., *& ſeqq Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 1. *nu.* 14. Ratiò ex eo deducitur primo, quia diſpenſationes, quoad ea, quæ cedunt in bonum communitatis, tanquam priuilegia ſunt extendenda, per textum *in l. ſunt perſona in fin. ff. de Relig. & ſumpt. fun.* vbi dicitur quod ſumma ſit ratio, quæ pro Religione facit, ſed diſpenſatio, de qua hic agitur cedit in bonum cõmune communitatis, & Religionis, ſiquidem ad communem Religionis vtilitatem ſpectat habere idoneos miniſtros, qui talis conſtituuntur potiſſimum per ſtudia; Ergo &c.

4 Extenditur, quando cedit in bonum communitatis.

Etiam, quãdò reſpicit in qua ineſt publica vtilitas.

Secundo quia conceſſiones factæ non determinatæ perſonæ, ſed cauſæ, in qua vtilitas publica verſatur, habentur quodamodo pro lege per ea, quæ docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon.* 3. *pranot.* 4. *nu.* 6. diſpoſitiones autem per modum legis latam admittunt interpretationem *Oldradus conſ.* 300. *nu.* 4. *verſ. conſiderandum eſt, Sanchez de matrimon. lib* 8. *diſp.* 1. *num* 13. Sed diſpenſatio facta pro cauſa ſtudiorum, non eſt facta perſonæ determinatæ, ſed cauſæ, in qua effulget publica vtilitas, vt per ſe patet; Ergo &c.

Etiam, quãdò eſt debita, & neceſſaria.

Tertio, quia diſpenſationes ſunt latè interpretandæ, quando ſunt neceſſariæ, ſeù debitæ in aliquo euentu, per ea, quæ docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon.* 3. *pranot.* 4. *nu.* 7., & docent *Gambara de auctor. leg. lib* 10. *nu.* 274., *& alij*, ſed diſpenſatio cauſa ſtudiorum quoad abſentiam eſt neceſſaria, & debita, quatenus neceſſarium eſt miniſtros Eccleſiæ eſſe idoneos, qui tales conſtituuntur per ſtudia, & per peritiam, quæ maximæ acquiritur in alijs regionibus, vbi ſtudia huiuſmodi coluntur, & diriguntur; Ergo &c.

5 Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.

Ad rationem quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt regulã illam generalem in pleriſque fallere, iuxta ea, quæ in probationibus reſponſionis adducta ſunt, & ſic omnia reſtringendo, primo fallit quando diſpenſatio cedit in fauorem communitatis, & Religionis; Secundo, quando non reſpicit determinatam perſonam, ſed cauſam communem, quamvis in priuata perſona hæc conſiſtat, cum tamen ſit addicta publico miniſterio; Tertio quando diſpenſatio eſt neceſſaria, ſeu debita pro aliquo euentu.

---

§. XVI.

An diſpenſatus in irregularitate ſine addito, intelligatur diſpenſatus ad omnia.

SVMMARIVM.

Expoſitio caſus in ſuis terminis. 1.
Diſpenſatus ad ordines ſine addito intelligitur ſolum ad minores. 2.
In odioſis, & correctorijs propoſitio indefinita æquiualet particulari. 3.
Diſpenſatus in irregularitate ſine addito intelligitur diſpenſatus ad omnem effectum. num. 4.
Diſpenſationes extenduntur iuxta ea, ad quæ extenditur verborum ſignificatio, 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 6.

1 Refertur ſtatus diſquiſitionis.

DISQVISITIO XVI. Illegitimum reſpectu natalium eſſe irregularem ſatis ſuperque conſtat, adeò vt ſecundum ſe nec poſſit promoueri ad ordines, nec maiores, nec minores, nec ſit capax dignitatum, nec beneficiorum. Hoc ſuppoſito Titius illegitimus per Romanum Pontificem diſpenſatus fuit in irregularitate, nulla facta reſtrictione, an pro ordinibus minoribus præcisè, an pro maioribus, an pro beneficio ſimplici, an verò etiam pro curato, & an pro quacunque dignitate. Suppoſita hac diſpenſatione Titius electus fuit ad beneficium Parochiale. Quæſitum fuit, an vigore illius diſpenſationis capax ſit illius beneficij.

Ex ijs, quæ dicta ſunt ſupra *ſub hoc eod.*

tit.

Digitized by Google

tit. Contractus XV. de matrimon. III. pranot. 4. nu. 10. videtur abſolutè dicendum diſpenſationem illam ad hoc beneficium non extendi, quandòquidem, ſi quandò quis eſt diſpenſatus præcisè ad ordines, nulla facta expreſſione, an ad minores tantum, an verò etiam ad maiores diſpenſatio reſtringitur præcisè ad minores, prout latè docent *Gloſa in c. fin, verb. ad omnes de fil. presbit. in 6. Speculator tit. de diſpenſatione §. vltim. n.2. Iaſon. in l. beneficium n.42. ff. de conſtitution. Princip. Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 6. tit. 22. art 4. q. 6.* ita etiam, quandò quis eſt diſpenſatus in irregularitate ſine vllo addito, ſeù ſine vlla reſtrictione videtur diſpenſatio reſtringenda ad id, quod minus eſt, vt aliquem ſortiatur effectum, non extendenda ad id, quod maius eſt attenta natura eiuſdem diſpenſationis, quæ ſemper ſtrictè eſt interpretanda.

2 Diiſpenſatus ad ordines ſine addito intelligitur ſolum ad minores.

Accedit quod licet propoſitio indefinita in fauorabilius æquivaleat propoſitioni vniuerſali, in odioſis tamen, & à iure communi exorbitantibus, æquivaleat particulari, per ea, quæ tradidimus *loc cit num.* 10, tum igitur in præſenti verſemur in exorbitantibus à iure communi, non eſt cur diſpenſatio illa indefinita non debeat reſtringi, adeovt non plus officiat iuri communi, quam par ſit. Nihilominus

3 In odioſis propoſitio indefinita æquivalet particulari.

Reſpondeo diſpenſatum ſic in irregularitate ſine vllo addito, & ſine vlla reſtrictione capacem eſſe cuiuſcunque beneficij, & dignitatis ad quę erat incapax ratione irregularitatis. *Suarez de cenſur. diſp.* 41. *ſect. 3. nu. 3. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp.* 1. *nu.* 28. Ratio ex co deducitur, primo quia tota incapacitas, quam habet illegitimus ad huiuſmodi beneficia, aliaque omnia eſt ratione irregularitatis, quæ conſurgit ex defecto natalium, ſed per illam diſpenſationem ſic abſolute conceptam, ſine vllo prorſus addito irregularitas ſublata, intelligitur quoad omnia, ergo &c. Minor probatur quia diſpenſatio ex genere ſuo abolet impedimentum, & cum hæc referatur non ad aliquam partem in particulari, ſeù in ordine ad aliquod ſpeciale munus, non eſt cur debeat reſtringi, ergo debet intelligi, vt relata ad omne id, quod ſecum affert impedimento irregularitatis.

4 Diſpenſatus in irregularitate, ſine addito intelligitur diſpenſatus ad omnem effectum.

Secundo quia verba abſolutè prolata integram important abſolutionem, ſed verba quibus concipitur talis diſpenſatio, ſunt abſolutè prolata ſine vlla penitus exceptione, & reſtrictione, ergo integram important abolitionem impedimenti.

Verba abſolutè prolata integrã inuoluunt abſolutionem.

Tertio quia poteſtas in Pontifice diſpenſante non eſt limitata ad vnum, vel alterum effectum, ſed abſoluta quoad omnia, adeo vt impedimentum poſſit auferre quoad omnem ſuum effectum, ergo cum illa diſpenſatio non ſit reſtricta quoad aliquem affectũ in particulari, intelligi debet quoad omnem effectum abſolutè. Conſequentia probatur, quia non eſt aliqua ratio aſſignabilis, ratione cuius illa diſpenſatio limitetur; non poteſtas limitata diſpenſantis, cum hæc ſupponatur in hoc genere vniuerſalis ad omnia; non verba quibus concipitur diſpenſatio, cum hæc ſint vniuerſalia, nec reſtricta ad aliquem effectum; Neq; dicas reſtringi ex ipſa natura diſpenſationis, quæ ex genere ſuo ſtrictè eſt interpretanda; contra enim impugnaberis, quia tunc tantum eſt ſtricta facienda eſt interpretatio, quando verba, quibus concipitur, relinquunt locum interpretationi, ſecus quando abſolute concepta ſunt, & ex modo, quo proferuntur, ſecundum ſe exprimunt effectum abſolutum, vt in præſenti hypotheſi, nec in hoc fit extenſio, quia verba illud importat *Angelus l. fin. col. 2. verſ. item opponitur ff. de conſt. Princip.*

Conformatur ad normam poteſtatis concedentis.

5 Diſpenſationes extenduntur ad comprehenſa ſecundum propriam verborum formam.

Quarto quia licet diſpenſationes non admittant extenſionem vltra verborum proprietatem, ad comprehenſa tamen ſecundum propriam verborum ſignificationem, & naturam extenduntur per textum *in l. cum lege ff. de testament.*, quem late ibi ponderat, & ad hunc ſenſum defluat *Aretinus Abbas c. ex parte el 3. notab. 2. de decimis. Calderinus conſ. 1. ſtatim in princip. de conſang Decius c. at ſi clerici § de adulterijs num* 169. *in noua edit. de iudic. Cagnolus in reg. ſemper in obſcuris nu.* 21 *ff. de reg. iur. Rebuffus prax. beneficiorum tit. de differentijs inter priuilegium, & reſcriptum nu.* 8., ſed verba, quibus concipitur hæc diſpenſatio, apta ſunt ſecundum propriam, & formalem ſignificationem ad importandam ablationem irregularitatis quoad omnia, ſeu quoad omnes effectus eiuſdẽ, nec eſt aliqua particula, quæ reſtringat ad aliquem in particulari; Ergo &c.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ

Maior probatio, & efficacior noſtræ reſponſionis, erit ſolutio argumentorum in principio diſquiſitionis propoſitorũ. Ad primum igitur dico diſparem eſſe rationẽ de diſpẽſatione irregularitatis, cum limitatione ad ordines præcisè, ac de diſpenſatione abſoluta irregularitatis ſine vllo addito; quando etenim fit cum limitatione, mens diſpenſantis ſupponitur regulari ad normam iuris, nec vlterius extendi; quando vero fit ſine vllo prorſus addito ſupponitur regulari ad normam poteſtatis eiuſdem diſpenſantis, quæ cum extendatur ad omnia, ſeù ad omnem effectum, facit etiam diſpenſationem conceptam ſine clauſula limitante extendi ad omnia, cum non ſit aliquid, quod poſſit ipſam reſtringere.

Ad ſecundum idem ferè reſpondendum eſt; tunc etenim propoſitio in odioſis indefinita æquivalet particulari, quando eſt

ali-

Digitized by Google

Quomodo verificetur, quod in odioſis propoſitio indefinita æquivaleat particulari

aliquid per quod reſtringatur, & particularizetur, quod tunc contingit, quandò limitatur ad aliquem effectum ex multis, quos ſecundum ſe poſset producere, quià tunc indicat mentem limitatam diſpenſantis, & vtique ad normam iuris; quandò verò abſolutè profertur, cùm non habeat limitatiuum ad normam intentionis concedentis accipienda eſt, quæ intentio cum per verba abſoluta exprimatur, ſupponenda eſt abſoluta, & vniuerſalis.

---

§. XVII.

An diſpenſatio ex eo, quod ſit facta à legislatore, ſit lata interpretanda.

SVMMARIVM.

Expoſitio caſus in terminis particularibus. 1.
Præſcindit diſquiſitio à caſu, in quo diſpenſatio facta ſit motu proprio. 2.
Sententia aſſerens diſpenſationem factam à legislatore latè eſſe interpretandam. 3.
Contraria ſententia præfertur. 4.
Etiam lex generalis correctoria eſt ſtrictè interpretanda. 5.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 6.
Beneficium Principis duplex, & qualitèr vtrumque interpretandum. 7.

1 Refertur ſtatus diſquiſitionis.

DISQVISITIO XVII. Condiderat Princeps ſupremus in ſua ditione legem quandam, omnes & ſingulos ſuos ſubditos afficientem. Deindè ad partis inſtantiam quendam in tali lege diſpenſauit per verba quædam, quæ ambiguitatem præſeferebant, an diſpenſatio extenderetur ad omnem effectum, an verò ad aliquem tantum. Hic controuerſum fuit, an illa diſpenſatio ex eo, quod proueniat à legislatore, ſeù ſuperiore potente legem condere, ſit largè interpretanda, an verò ad normam textus *in c. 1. §. ille verò de filijs presbit. in 6.* ſit reſtringenda.

2 Non procedit, quandò diſpenſatio facta eſt motu proprio.

Dixi, *ad inſtantiam partis*, proptèr nonnullas aſserentes diſpenſationes, & beneficia motu proprio Principis conceſsa, eſse latè interpretanda, per textum *in c. ſi motu proprio de Præbendis in 6. Antonius c. at ſi clerici §. de adulterijs n. 14. de iudic. Felinus c. poſtulaſti n. 13 limit. 6. de reſcript. Rebuffus in concordatis in forma mandati Apoſtolici ſuper clauſula motu proprio in 4. effectu, Burgaſius de irregularitate 2. part. titul. de interpretatione diſpenſationis nu. 23.* de qua reſusè nos egimus ſuprà. Quamobrem præciſa difficultate quoad diſpenſationem tactam motu proprio à Principe eandem ad fortiores terminos reſtringimus, quandò eſt conceſsa ad inſtantiam partis. Circa quam

Aretinus *c. at ſi clerici, §. de adulterijs n 31. & 34. de iudic.* ſenſit, quod, quandò fit à legislatore, vel à ſuperiore potente legem condere, ſit latè interpretanda. 3
Duplici potiſſimum rationi innititur hæc ſententia. Prima, quià Princeps ſupremus potens condere legem concedens diſpenſationem, videtur quaſi quandam priuatam legem in illa diſpenſatione concedere, ſed lex, quantumvis priuata, apta eſt extenſionem recipere, ſicuti lex fauorabilis communis recipit, ergò &c. ſecunda, quià illa diſpenſatio à ſupremo conceſsa, eſt quaſi quoddam beneficium Principis, ſed beneficium Principis latiſſimè interpretandum eſt *c. olim de verb ſignif. l. beneficium, ff. de conſtit. Princip.* His tamen non obſtantibus.

Sententia aſserens diſpenſationem factam à legislatore latè eſſe interpretandam.

Reſpondeo probabilius eſse diſpenſationem, quantumvis à Principe conceſſam, qui habeat ius condendi legem, non eſse latè, ſed ſtrictè interpretandam. *Felinus c. poſtulaſti n. 9. de reſcriptis, Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 1. n. 29.* Ratio multiplex huius reſponſionis eſse poteſt. Prima eſt à priori, quià ſcilicet conceſſiones, quæ fiunt contra ius commune, ab eoque exorbitant, ex genere ſuo ſunt ſtrictè accipiendæ, quià efficax ſatis præſumptio eſt, quod Princeps non intendat pluſquam par ſit derogare iuri communi, ergò à quoſcunque ſint, ſiuè à ſuperiori potente condere legem, ſiuè ab inferiori potente in eadem diſpenſare, quantumvis ipſam non poſſit cōdere ſemper erūt interpretandæ, vt non pluſquam par ſit officiant iuri communi; vnde meritò in cōfirmationē adduci huc poteſt textus *in reg., quæ à iure de reg. iuris in 6.* vbi dicitur, quod lex etiam generalis, ſi iuris communis ſit reſtrictoria, ſeù correctoria, ſtrictè ſit interpretanda; ſi igitur hoc verificatur quoad legem generalem, quæ non poteſt eſſe niſi à ſuperiore habente poteſtatem condendi legem, cur verificari etiam non debet quoad diſpenſationē, quamvis hæc eſſet etiam quædam lex priuata, & procedat ab ipſo legislatore, vel ab habente poteſtatem condendi talem legem? Secunda eſt à poſteriori, quia de facto diſpenſationes, quæ procedunt à Romano Pontifice, cuius eſt condere leges canonicas quoad illegitimas, vt promoueri poſſint ad ordines, ſtrictè interpretantur, adeò vt, ſi dicatur ad ordines ſimpliciter non intelligantur, niſi ad minores, non autem ad ſacros, & vt promoueri poſſint etiam ad ordines ſacros expreſſe non extenduntur, vt conſtituatur diſpenſatus capax beneficij parochialis *Antonius c. poſtulaſti num. 10. de reſcriptis Ancharanus c fin nu vnico notab. 1. de filijs præsbit in 6. Felinus c. fin. num. 5. de ſimon. Borgaſius de irregul. 2. part. tit. de interpret.*

4 Contraria ſententia præfertur.

5 Etiam lex generalis correctoria eſt ſtrictè interpretanda.

diſpen-

diſpenſationis, *Sairus in theſaur. caſuum tom. 1. lib. 6. c. 11. nu. 21.*, & nos etiam ſupra docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. III. praenot. 4. nu. 10.*, ergò diſpenſatio procedens etiam à ſuperiore habente legitimam poteſtatem condendi legem, regulatur ad normam diſpenſationum, ita vt non extendatur, ſed ſtrictam patietur diſpenſationem.

6 **Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.**

Ad rationes, quæ pro contraria parte afferebantur dicendum eſt, diſpenſationem illam factam à legislatore, vel ab habente poteſtatem condendi legem, non habere vim legis, niſi impropriè cum ſit derogatio legis, & quidem in ordine ad perſonam particularem, vndè potius eſt priuilegium, quam lex. Deindè dato etiam, quod habeat rationem legis priuatæ, non propterea ſequitur, quod ſit extendenda; hoc expreſsè euincit textus *in d. reg, quæ à iure de reg. iur. in 6*, vbi non obſtante lege generali, ſi hæc fuerit correctoria iuris communis, eſt ſtrictè interpretanda.

7 **Beneficiũ Principis duplex, & qualitèr vtrumque interpretandum.**

Ad ſecundam dato etiam, quod illa diſpenſatio à ſupremo conceſſa ſit veluti quodam beneficium Principis, non propterea ſequitur, quod ſit latè interpretanda, quandòquidem, vt alibi dicebamus, beneficium Principis eſt quaſi in duplici differentia; aliud, quod eſt præter ius præcisè, & hoc vtique eſt latiſſimè interprètandum, vt habetur *in d. c. olim de verb. ſignif.*, *& in l. beneficium, ff. de conſtit. Princip.* aliud, quod eſt contra ius, quatenus iuri communi derogat, & hoc eſt ſtrictè interpretandum per textum *in c. 1. de filijs Presbit. in 6.*, atque hoc idem docent *Antonius c. litteras n. 10. in fin.*, *& ibi Abbas n. 7. de filijs presbit. Felinus c. poſtulaſti n. 8. verſ. vnde dicit de reſcript.*

---

§. XVIII.

An diſpenſatio conceſſa Epiſcopo electo, vt ad tres menſes differat conſecrati ſuſpendat dimiſſionem beneficiorum vſque ad conſecrationem.

S V M M A R I V M.

Enucleatur factum in ſuis terminis. 1.

Epiſcopus ex diſpoſitione iuris non poteſt differre conſecrationem vltra tres menſes. 2.

Sententia aſſerens diſpenſationem ad protrahendam conſecrationem, vltra tres menſes non importare diſpenſationem quoad dimiſſionem beneficiorum. 3.

Sententia aſſerens ſecum trahere diſpenſationem ne vacent beneficia, quandò eſt motu proprio. 4.

Sententia oppoſita aſſerens ſecum trahere detentionem beneficiorum. 5.

Trahit ſecum detentionem beneficiorum, quandò eſt ex cauſa neceſſaria, ſecus quandò eſt ex cauſa voluntaria. 6.

Conciliantur omnes ſententiæ, & ſatisfit argumentis.

1 **Exponitur ſeries facti**

DISQVISITIO XVIII. Suadebat Titius nonnullis beneficijs Eccleſiaſticis puta canonicatu, & beneficio Parochiali, atque hic perſeuerans in poſseſſione eorundem nominatus, & electus fuit ad Epiſcopatum. Secundum diſpoſitionem iuris à die conſecrationis huiuſmodi beneficia vacare debent. Rebus tamen ſic ſtantibus idem Titius dignis de cauſis impetrauit diſpenſationem à Romano Pontifice, vt vltra tres menſes, vel plures diferre poſset conſecrationem. Hic orta fuit controuerſia, an illa diſpenſatio ſicuti licitam reddit dilationem conſecrationis, vſque ad tempus in eadem ſtatutum, ita & licitam reddat, & validã detentionem præcedentium beneficiorum, vſque ad actualem conſecrationem, an verò non obſtante eadem diſpenſatione beneficia ſint dimittenda à die, in qua, ſi non interceſsiſset diſpenſatio, habenda fuiſset conſecratio.

2 **Epiſcopus ex diſpoſitione iuris non poteſt prorogare conſecrationem vltra tres menſes.**

Pro cuius controuerſiæ intelligentia aduerte in iure diſpoſitum eſse, vt Epiſcopus electus ex propriæ voluntatis arbitrio non poſſit differre à die electionis vltra tres menſes conſecrationem. Rurſus in eodem iure præſcriptum eſt, vt beneficia, quibus gaudebat Epiſcopus electus immediatè à die conſecrationis eiuſdem vacare debeant per textum *in c. cum in cunctis, §. cum vero de elect.*

3 **Sententia aſserens non importare diſpenſationem ſuper dimiſſione beneficiorum.**

Plerique ſuſtinent diſpenſationem conceſsam, vt electi conſecratio protrahatur vltra tres menſes à iure præſcriptos non ſecum trahere ius ad retinenda beneficia, vſque ad actualem conſecrationem, ſed elapſis eiſdem tribus menſibus à iure præſcriptis immediatè eadem beneficia dimittenda eſse, & vacare *Innocentius c. de multa n. 2. verſ., ſed quid, ſi ex diſpenſatione de prabend. Monachus c. ſi gratiosè n. 4. de reſcript. in 6. Hoſtienſis in c. cum in cunctis n. 16 de elect.*, *& alij plures* apud *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 1. n. 24.*, & quidem non incongruæ ratione prima fronte videtur inniti hæc ſententia, quandòquidem ex toties decantatis diſpenſationes contra ius commune, vt potè ſtricti iuris non ſunt extendenda vltrà id, ad quod expreſsè conceduntur; cum igitur diſpenſatio ſit ſolummodò ad protractionem conſecrationis non eſt trahenda ad detentionem beneficiorum. Accedit, quod diſpenſationes non extenduntur ad omninò ſeparabilia, & non connexa *Felinus cap. at ſi clerici §. de adulterijs n. 16. de iudic.*, *& ibi Aretinus nu. 36.*; vndè meritò dicitur, quod

Huius ſententiæ fundamenta afferentur.

quod, quandò acceſſoria ſunt à principali ſeparabilia ità, vt diſpenſatio ſuper principali imprimat ſuum effectum, abſque ea extenſione non ſit extendenda ad acceſſoria *arg. textus in l. fin. §. Lucius, ff. de condit. indeb.*, ſed diſpenſatio ad protractionem temporis quoad conſecrationem eſt ſeparabilis, & non connexa cum detentione beneficiorum præcedentium, vt per ſe patet, ergò &c.

4 Sententia media aſſerens trahere diſpenſationem, ne beneficia vacent, quandò eſt conceſſa motu proprio.

Alij media procedunt via, & ſic diſtinguunt; vel etenim illa diſpenſatio ad protractionem conſecrationis eſt conceſſa motu proprio Pontificis, vel ad inſtantiam eiuſdem Epiſcopi electi; iuxtà primum ſenſum aſſerunt diſpenſationem huiuſmodi trahi etiam ad detentionem beneficiorum, vſque ad tempus prorogatum conſecrationis, & fortè ea ratione mouentur qua dicitur, quod conceſſiones motu proprio latam patiuntur interpretationem *arg. textus in c. ſi motu proprio de prabendis in 6. Spetabilanus de literis gratia tit. de vi, & effectu clauſularum §. 4. motus proprius nu. 2. Alexander de Neuo cap. quià circa nu. 10. de conſang. Emanuel qq. Regul. tom. 2. q. 46. art. 11. Felinus c. poſtulaſti n. 13. limit. 6. de reſcript.* Iuxtà ſecundum ſenſum ſentiunt nullatenus extendi ad detentionem beneficiorum proptèr communem, & generalem regulam, quod diſpenſationes contra ius commune ſint potius reſtringendæ, quam extendendæ per allegata iura, & DD.

5 Sententia aſſerens trahere detentionem beneficiorum.

Alij tandem abſolutè docent huiuſmodi diſpenſationem ſecum trahere detentionem beneficiorum, vſque ad actualem conſecrationem *Antonius c. cum in cunctis §. cum verò n. 14. de elect. Rebuffus praxi benefic. tit. de diſpenſatione ad plura beneficia num. 74. Gambara de authorit. legati lib. 10. n. 249., & ſeqq. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 1. nu. 24.* Plures rationes huius tertiæ ſententiæ affert *Sanchez loc. cit.* Prima eſt fundata in eo, quod ipſe exiſtimat hanc beneficiorum vacantiam prouenire in pœnam culpabilis dilationis quoad conſecrationem, quod probat ex eo, quod aſſerit *Innocentius in c. de multa num. 2. de praben.*, quemque teſtatur eſſe communitèr ab omnibus receptum ſcilicet non vacare beneficia conſecratione dilata ratione morbi Epiſcopi electi, ſed quandò conſecratio difertur ex legitima Pontificis diſpenſatione ſuper hoc impetrata ipſius dilatio eſt omninò inculpabilis, ergò &c. Secunda eſt, quæ deducitur *ex c. cum ex eo de elect. in 6.*, vbi dicitur, quod, ſi Parochus ex legitima diſpenſatione non promoueatur intra annum in eodem textu ſtatutum non amittat beneficium, eo quià eadem diſpenſatio ipſam priuet, & abſoluat à crimine. Quid igitur concludendum?

6 Trahit ſecum detentionem beneficiorũ, quandò eſt ex cauſa neceſſaria ſecùs, quã dò eſt voluntaria.

Reſpondeo alia adhibita diſtinctione; vel etenim illa diſpenſatio pro protractione temporis fuit ex cauſa omninò voluntaria reſpectu Epiſcopi electi petentis, vel ex cauſa neceſſaria ratione cuius non poterit intra tempus à iure præſcriptum conſecrari, ſinè graui ſuo diſcrimine. Iuxtà primum ſenſum probabilius ſentio diſpenſationem ad illam temporis protractionem non trahere diſpenſationem ad detentionem beneficiorum, & in hoc exiſtimo conſentire, vltrà DD. citatos pro prima ſententia *Ioannem Andream in cap. cum in cunctis n. 18. de elect.* Iuxtà ſecundum ſentio diſpenſationem quoad temporis prorogationem extendi etiam ad beneficiorum detentionem, & in hoc vltrà DD. præcitatos pro tertia ſententia conſentiunt etiam *Abbas in d. c. cum in cunctis n. 9. de elect. Euerardus loco à ratione legis larga n. 36. fallentia 11. Sairus theſaur. caſuum tom. 1. lib. 7. c. 14. n. 21.*, atque ſic meo videri conciliantur ſententiæ extremè oppoſitæ, & iuxtà hanc diſtinctionem ex neceſſitate procedere, exiſtimandus eſt *Innocentius* ne ſibi expreſsè contrarius videatur dum *d. c. de multa n. 2. verſ. quid ſi ex diſpenſatione de prabend.*, & *c. cum in cunctis n. 3. verſ. item, & quando de elect.* aſſerit primam diſpenſationem non trahi ad retentionem beneficiorum, & poſteà *eod. c. de multa nu. 2.* concedit, quod dilata conſecratione ratione morbi Epiſcopi non vacare ipſius beneficia.

Aſſeruntur rationes pro prima parte, quã dò eſt ex cauſa voluntaria.

Prima pars præterquam, quod rationibus pro prima ſententia adductis efficacitèr euincitur poteſt ſic confirmari paritate, quià diſpenſatio ad non reſidendum minimè extenditur ad fructuum conſecutionem, qui ab abſentibus perduntur non alia ratione, quià hæc poſſunt ſeparari *Antonius c. at ſi clerici §. de adulterijs n. 14. de iudic.*, & *ibi Felinus n. 17. verſ. 2. fallit, Milis in report. lit. D. verb. diſpenſatio n. 23. verſ. diſpenſatus, vt poſſit Brunorus in ſuo compendio lit. D. verb. diſpenſatio eſt de lege iuriſdictionis*, ergò neque diſpenſatus, vt non conſecretur intrà terminum à iure præſcriptum intelligitur diſpenſatus ad retentionem beneficiorum, & ad perceptionem fructuum dependentèr ab eiſdem beneficijs: His ſuppoſitis hæc ſecunda pars ex eo deducitur fortius, quod nec natura diſpenſationis exigit dictam extenſionem, nec cauſa ob quam conceditur; non natura diſpenſationis, quià iam liquet hanc eſſe reſtringendam; non cauſa diſpenſationis, quia æquum non eſt, vt quis ex motiuo propriæ libertatis, ſeù ex cauſa omninò voluntaria eximatur à diſpoſitione iuris niſi de eiuſdem derogatione expreſſa fiat mentio, nec hæc cauſa neceſſariò connectitur cum vtroque effectu, nec vnum infert ex alio, cum vterque

Bb non

non ſit neceſſariò connexus, nec ab inuicem ſeparabilis; Nec abſolutè verum eſt id, quod pro tertia ſententia afferebatur ſcilicet vacationem illam beneficiorum non eſse ſeparabilem à dilatione conſecrationis niſi, quandò talis dilatio eſt culpabilis, vndè eſt ſolummodò in pænam talis culpabilis protractionis temporis; quandò autem talis dilatio eſt ex legitima diſpenſatione non eſt culpabilis, & omni prorſus caret vitio; Non, inquam, abſolutè verum eſt, quandòquidem talis vacatio eſt ex diſpoſitione iuris non præcisè in pænam, ſed proptèr incongruentiam, quam habet Epiſcopatus ad quem electus eſt cum beneficijs præcedentibus, & licet quandò ex diſpenſatione difertur conſecratio non poſſit ille ſic electus dici Epiſcopus ſecundum omnes circunſtantias, & abſolutè, ſed cum addito ſcilicet Epiſcopus electus, nihilominus, quià ex propriæ voluntatis arbitrio differt conſecrationem cum ex cauſa omninò voluntaria peterit diſpenſationem æquum non eſt, vt beneficia illa præcedentia retineat in præiudicium iuris diſponentis pro illo tempore de dimiſſione, & aliorum, qui præfici deberent huiuſmodi beneficijs.

Afferuntur rationes pro ſecunda parte, quandò cauſa eſt neceſſaria.

Secunda pars ex eo euincitur, quià ex ſuaui Eccleſiæ regimine non eſt præſumendum, quod vrgente graui neceſſitate, quæ Epiſcopum ſic electum eximit ab onere conſecrationis pro tali tempore velit ipſum carere præcedentibus beneficijs, cum illius non conſecratio pro tempore præfinito non proueniat ex cauſa eidem voluntaria, & in hoc ſenſu verificatur id, quod aſſerebat *Innocentius in d. c. cum de multa num.* 2. quem *Sanchez d. lib. 8. de matrimonio diſp.* 1. *n.* 24. aſſerit eſse ab omnibus receptum nempè non vacatè beneficia, quæ poſſidebat Epiſcopus conſecratione dilata ratione morbi eiuſdem Epiſcopi. Confirmatur, quià probabile non eſt, quod iura poſitiua voluerint priuationem imponere ob aliquod, quod impoſſibile ſit moralitèr loquendo adimplere maxima accedente auctoritate ſuperioris diſpenſantis, & couſulentis ſuo Indulto tali impoſſibilitati morali, ergò interueniente cauſa neceſſaria, & ratione eiuſdem diſpenſatione prorogata conſecratione non erit, cur vacare debeant beneficia.

Quandò ex motu proprio extenditur remiſſiuè.

Quod, ſi inquiras quid ſentiendum ſit, ſi illa diſpenſatio quoad prorogationem conſecrationis conceſſa fuerit motu proprio Pontificis, & non ad inſtantiam partis; tunc dicendum erit, quod dictum fuit *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon.* 3. *prænot.* 4. *n.* 4., ſcilicet tunc eſse latam faciendam interpretationem. Recole, quæ ibi dicta ſunt.

Ex quibus omnibus habes quomodo concilies ſententias primum, & tertiam extremè oppoſitas; prima etenim procedit, quandò diſpenſatio eſt ex cauſa merè voluntaria, quæ proptereà ſecum non trahit vtrumque effectum. Tertia verè procedit ex cauſa neceſſaria, quæ ex benigna iuris interpretatione non eſt cum priuatione &c. Solum remanet nunc reſpondendum ad vltimum argumentum, quod afferebatur pro tertia ſententia ſitum in eo, quod Parochus non promotus ex legitima diſpenſatione intra annum non amittat beneficium, prout in textu ſtatuitur *in c. cum ex eo de elect. in* 6. Dic igitur textum, & ea quæ in eodem dicuntur rectè procedere, quià diſpenſatio ipſa directè connectitur cum non amiſſione beneficij, cum ideo illa ponatur, ne huiuſmodi vacatio ſequatur; & iuxtà hunc ſenſum etiam ſequitur, quod Epiſcopus diſpenſatus, vt prorogat conſecrationem non amittat Epiſcopatum, quià diſpenſatio directè tendit ad hunc effectum, non tamen ſequitur, quod non amittat præcedentia beneficia, quià hæc non connectuntur cum ipſa diſpenſatione, quæ directè tendit ad non amiſſionem Epiſcopatus. 7

7 conciliantur omnes ſententiæ, & ſatisfit argumentis.

---

§. XIX.

An diſpenſatio conceſſa Monacis, vel Epiſcopis ad teſtandum intelligetur de primo teſtamento, an de alijs ſucceſſiuè.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis, & duplex difficultas examinanda. 1.
Sententia aſſerens ſecundum teſtamentum non ſubſiſtere defectu poteſtatis. 2.
Probabilius eſt poſſe reuocari primum teſtamentum, nouumque condi vigore illius diſpenſationis. 3.
Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ. 4.
In foro externo, ſi ſecundum teſtamentum non teneat, quamuis in eodem primum fuerit reuocatum primus hæres ſuccedit. 5.
In foro interno coniectandum eſt iuxtà intentionem reuocantis, & quomodo. 6.

1 Facti ſeries expoſita.

DISQVISITIO XIX. Suppono ex generali Regula Monachos, & Epiſcopos præcipuè Regulares, ſed à Religione aſſumptos ineptos eſse ad teſtandum de rebus, quarum vſu gaudeant. Rebus ſic ſtantibus Titius Monachus, vel Theon Epiſcopus è Religione, in qua profeſſus fuerat aſſumptus impetrauit diſpenſationem à Romano Pontifice, vt de rebus, quas acquiſiuit poſset teſtari, quam obtinuit

Digitized by Google

nuit ſub præciſis terminis, vt poſſet teſtari. Hac munitus auctoritate Pontificis per diſpenſationem impetratam ſuum cōdidit teſtamentum, in quo vocauit hæredem Caium Nepotem ex fratre; Deinde mutata voluntate reuocauit primum teſtamentum, nouumque concludit in fauorem Nepotis ex ſorore. Hic duplex potiſſimum orta eſt difficultas. Prima, an ſecundum illud teſtamentum in fauorem neptis, quo reuocauit primum teneat, an vero omnino inualidum ſit defectu poteſtatis teſtandi, quatenus diſpenſatio ſe extendat ad primum, duntaxat teſtamētum, an vero ad plura quouſque ipſe Titius, vel Theon diſpenſatus viuit. Secunda ex ſuppoſitione, quod ſecundum teſtamentum non teneat defectu illius poteſtatis primum remaneat in ſuo robore, quatenus vocatus in illo debeat ſuccedere, an vero etiam per illam reuocationem infirmato primo teſtamento debeāt ſuccedere illi qui veniunt ab inteſtato, perinde ac ſi illud primum teſtamentum non fuiſſet conditum, & ſic excludatur hæres ex illo teſtamento.

Duplex difficultas circa factum.

2 *Socinus Iun. conſ. 89. nu 24. cap. ſeqq. vol. 1.* expreſſe ſentit ſecundum teſtamentum ex defectu poteſtatis, quæ in primo completa eſt, infirmari, atque ita ſenſiſſe refert plures iuris peritos controuerſia hac mature diſcuſſa conſoluiſſe, & iudicaſſe. Duplici potiſſimum rationi innititur; quarum prima eſt, quod hæc facultas teſtandi conceſſa à Romano Pontifici eſt quaſi quædam diſpenſatio, quæ vtpotè correctoria iuris communis ſtrictè eſt interpretanda, adeoque non extendenda vltra primam vicem. Secunda, quia in odioſis ſermo ſimplicitèr prolatus ad prima vice ſemper intelligitur, niſi aliud exprimatur *leg. boues §. hoc ſermone ff. de verb. ſignif.* Huic opinioni adhærere videntur *Couaruuias cap. cum in officijs in priori edit. nu. 8. de teſtamentis, Tiraquel in dicta leg. boues §. hoc ſermone ff. de verb. ſignif.* Nihilominus

Sententia aſſerens ſecundum teſtamentum non ſubſiſtere ex defectu poteſtatis.

3 Reſpondeo probabilius eſſe poſſe reuocare primum nouumque toties condere quoties vixerit vigore illius diſpenſationis. *Nauarrus tract. de reddit. Eccleſ. quæſt. 3. nu. 23. & ſeqq, Molina lib. 2. de primog. cap 11. nu. 45. Barboſa leg. diuortio 8. §. quid in anno nu. 19. ff ſolut. matrimon., Molina Theologus tom primo de iuſt. tract. 2. diſp. 141. ad fin., Manuel q q. reg. tom. 3. quæſt. 69. art. 5.* Ratio ex eo deducitur primo, quia facultas illa teſtandi eſt in ordine ad teſtamentum, quod ſuum ſortiatur effectum, ſed illud tantum ſortitur effectum, quod firmatur intercedente morte teſtatoris, & cætera præcedentia nullam prorſus vim habent, ergo illa facultas tantum perficitur, quando intercedente morte teſtatoris firmatur teſtamentum vltimo loco confectum, adeoque ad præcedentia nullus debet haberi reſpectus perindè ac, ſi nō eſſet confecta.

Poteſt primum reuocare, & nouum condere.

Teſtamentum non valet niſi firmetur morte teſtatoris.

Secundo, quia facultas teſtandi ſupponenda eſt conceſſa iuxta naturam, & leges teſtamenti; ſed teſtamentum ex ſui natura, & ſecundum leges proprias habet hoc vt reuocari poſſit quouſque teſtator viuit, & vltimum ſolum vim ſortiatur, ergò illa facultas ſupponenda eſt conceſſa, vt perficiatur ſolummodo in vltimo teſtamento adeovt priora, nullam prorſus vim habeant.

Facultas eſt iuxta leges teſtamenti.

Tertio, quià non ſupponitur illa facultas in ordine ad ſpecialem, & determinatum hæredem conſtituendum, nec in ordine ad certa legata in indiuiduo conſtituenda, ſed ad beneplacitum eius, cui conſtituta eſt talis facultas teſtandi, ſed, quando facultas non eſt ad determinatam perſonam, poteſt æquè compleri in vna, ac in altera ad arbitrium eius, cui conceſſa eſt talis facultas, & tunc tantum completur, quando teſtamentum conſtituiur in eſſe valido per mortem teſtatoris, ergò &c.

Non adeſt determinatam perſonam, ſed vel ad vnā vel ad alteram.

Quarto, quià conceſſa tali facultate ad teſtandum, ſi conditum fuerit vnum teſtamentum inualidum non demitur poteſtas teſtatori aliud validum conſtituendi, quiâ primum perindè habetur ac, ſi non fuiſſet conditum, cum teſtamentum nullum, & non teſtamentum in effectu ſibi æquivalent, ergò conceſſa facultate ad teſtandū, ſiuè limitatione ad perſonam, in cuius fauorem condendum ſit teſtamentum non telletur talis facultas in ordine ad conſtituendum aliud teſtamentum, quandoquidem primum non valet niſi, quando firmatur morte teſtatoris.

Si primum teſtamentum fuit inualidum poteſt aliud cond.

4 Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur dicendū eſt diſpenſationes quātumvis ex genere ſuo odioſas ſemper eſſe intelligendas, vt non reddantur fruſtratoriæ, & conformentur naturæ actus, ad quem conceduntur; cum igitur facultas illa teſtandi, ſeu diſpenſatio ad condendum teſtamentum ſit in ordine ad ipſum teſtamentum naturæ eiuſdem conformari debet, quæ eſt vt ſemper ſit reuocabilis, quouſque teſtator viuit. Ad ſecundam dico textum in illa *l. boues §. hoc ſermone ff. de verb. ſignific.* intelligendum eſſe de actu irreuocabili ex genere ſuo, quia in eo caſu ſupponitur diſpenſatio completa; non de actu reuocabili, qualis eſt teſtamentum, atque ita aſſerit *Tiraquel in d. l. boues § hoc ſermone limit. 17. n. 1.* explicans illum textum.

Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.

5 Reſpondeo ſecundo ex ſuppoſitione, quod dictum ſecundum teſtamentum nō teneat defectu poteſtatis, & ſuppoſita in eodem teſtamento ſecundo reuocatione primi per expreſſa verba reuocatoria probabilius eſt ſi[illegible] e[illegible]do in foro externo hære-

In foro externo ſi ſecundum non ſubſiſtit, tenet primum, quamvis in ſecundo hoc fuerit reuocatũ.

dem inſtitutum in primo ſuccedere; in foro verò interno attendendum eſſe intentionem teſtatoris reuocantis; vel etenim reuocauit primum teſtamentum in odium primi hæredis inſtituti, quatenus ipſum amplius noluerit; vel reuocauit præcisè in fauorem ſecundi inſtituti, quatenus præcisè voluerit ipſum præferri; & iuxta primum membrum diſtinctionis ſentio ipſum primum inſtitutum nõ ſuccedere, ſed Religionem, ſi teſtator fuerit Monachus, vel Eccleſiam, ſi fuerit Epiſcopus, iuxta ſecundum vero exiſtimo probabilius ipſum primum inſtitutum ſuccedere ad excluſionem Religionis, vel Eccleſiæ; vbi vero conſtare non poſſit de intentione teſtatoris reuocantis, nec præſumptiuè, & coniecturaliter probabilius eſt in foro interno ſuccedere Religionem, vel Eccleſiam. Quoad primam partem ſuſtinent reſponſionem *Decius conſ. 512. n. 10. vol. 4. Socinus Iunior conſ. 89. nu. 24 Curtius Iunior conſ. 178. ad finem, Couarruuias c. cum in officijs in priori edit. n. 8. de teſtamentis, Burſatus conſ 30. n 56. vol. 1.* Quoad reliquas partes apud neminem inueni hanc reſolutionem.

Prima pars quoad forum externum ex eo deducitur, quia ſecundum teſtamentum abſolutè non tenet, ergo nec tenent ea, quæ in eodem diſponuntur, adeoque nec reuocatio prioris hæredis inſtituti; Antecedens iuxta hanc ſententiam, quæ pro nunc ſupponitur, non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quia reddito principali irrito non eſt cur alia, quæ ordinantur ad ipſam non intelligantur irrita per vulgatiſſima iura, quamuis de iure canonico quoad hanc regulam fiat exceptio de legatis pijs. Confirmatur primo, quia per poſterius teſtamentum imperfectum, vel aliam vltimam voluntatem nõ ſolemnem, non tollitur primum, per textum in §. ex eo *Inſtit. quib. mod. teſtam. infir.*, ex quo textu infert *Angelus ibid.* quod licet teſtator coram ſeptem teſtibus dicat non volo tale teſtamentum meum valere, non tamen tollitur, rationemque adducit *Bartolus in l. ſi de iure ff. de leg 3.* quia iſta voluntas non eſt potens parare viam adeundi hereditatem de iure ciuili alicui, ideo primum teſtamentum tollere non poteſt, per textum *in l. cum in 2. ff. de inju. rupt. teſt.* ergo in fortioribus terminis per teſtamentum omnino inualidum primum non poteſt frangi; ſi enim in foro externo imperfectio, ſeu defectus ſolemnitatem quoad ſecundum, non irritat primum in eodem foro inualiditas abſolutè ſecundi, idem primum non poterit frangere. Confirmatur ſecundo, quia ſi moriturus cœperit facere teſtamentum, & morte præuentus non abſoluat ſecundum ea omnia, quæ fuerunt in ipſo diſpoſita non tenet per textum, *in l. ſi is qui ff. qui teſtam. fac. poſ.* non alia ratione, niſi quia hoc teſtamentum cum deficiat in principali non tenet, ergo ſi condiderit ſecundum teſtamentum ea omnia, quæ in eodem continentur erunt abſolutè inualida, cum & ipſum ſit inualidum, adeoque erit etiam inualida reuocatio.

Reddito principali irrito irritantur omnia, quæ in ipſo continentur.

In foro interno, quãdo reuocatio facta eſt in odium primi hæredis ſuccedit Religio.

Secunda pars pro foro interno, quando ſcilicet reuocatio facta eſt in odium prioris hæredis ex eo euincitur, quia totum ius, quod habere poteſt prior hæres inſtitutus eſt à voluntate eiuſdem teſtatoris, ergo eadem reuocata, & ſufficienter conſtante de reuocatione nullum penitus in foro externo ius habebit in illa hæreditate; adeoque non erit cur ſuccedere non debeant illi, qui veniunt ab inteſtato, non enim poteſt ſuccedere ſecundus hæres, cũ teſtamentum ſupponatur inualidum; non primus, quia ſupponitur reuocatus, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur quod reuocatio in tantum ſit in quantum intelligitur noua electio; Si igitur hæc non ſubſiſtat, ius primi videtur reuiuiſcere, nec ſubſiſtere reuocatio; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex quo illa reuocatio facta, ſupponatur in odium primi hæredis, inſtituti non poteſt inualiditas, ſecundi teſtamenti, ſtante directa intentione inſtitutoris in ipſius commodum deflecti; Confirmatur, quia ad validitatem teſtamenti pro foro interno, animæ ſolum requiritur, quod ſufficienter conſtet de mente teſtatoris *Mazzuchellus de caſib. reſeru. diſp. 2. c. 20. q. 1. n. 12., Diana part 7. tract 6. reſol 2. verſ. dicendum eſt, igitur in fine,* quamvis ſecundum ius canonicum pro foro externo, plures requirãtur ſolemnitates, per ea quæ notant *Eminentiſſimus de Lugo de inſt. tom 2. diſp. 22. ſect. 9. nu. 265., Villalobos in ſumma tom. 2. tract. 20. difficult. 4. num 2., Tannerus in defenſ. Eccleſ. libert. lib 2. c 8.,* ergo etiam ad validitatem reuocationis eiuſdem teſtamenti pro eodem foro animæ, ſufficiet, quod conſtet de mente reuocantis, quamvis quoad forũ externum de iure canonico plures requirantur ſolemnitates. Conſequentia tenet ex generali regula qua dicitur, quod per illud ius, quo vinculum inducitur diſſoluatur.

Quãdo facta eſt in fauorem ſecundi inſtituti primus à ſucceſſione non excluditur.

Tertia pars pro foro interno, quando reuocatio facta eſt præcisè in fauorem ſecundi vocati, in ſecundo teſtamento ex eo euincitur, quod illa reuocatio primi hæredis inſtituti ex primo teſtamento non eſt abſoluta, ſed relatiua ad ſecundum hæredem ex ſecundo teſtamento, magis prædilectum, vt ſcilicet ipſe primo præferatur, & in tantum teſtator primum excludit, in quantum vult ſecundum, ergo ſi ſecundus inualidè inſtituuntur propter defectum poteſtatis in eodemmet teſtatore, primus in inſtitutione cæteris excluſis

ſis in foro conſcientiæ, debet ſuccedere, cum in tantum intelligatur, excluſus in quantum alter includitur, ergo non ſubſiſtente inſtitutione iſtius ille debet permanere in primæuo ſuo iure, & per conſequens ſuccedere.

In dubio præfertur ius certum Religionis vel Eccleſiæ.

Quarta pars, quod ſcilicet vbi, nec ex coniecturis conſtet de intentione reuocantis, & inſtituentis nouum hæredem ſuccedere probabilius debeat, vel Monaſterium, vel Eccleſia reſpectiuè ad Monachum, vel Epiſcopum ex eo deducitur, quia in dubio præferri debet ius certum Religionis, vel Eccleſiæ: conſtat enim quantum ſufficit ad intentionem reuocantis de illa reuocatione, & ſecunda inſtitutio non ſubſiſtit, ergo reuocatur res ad ius priſtinum.

---

§. XX.

An diſpenſatio, vt nouitius ante annum probationis, vel ante annum decimum ſextum emittat profeſſionem trahat ſecum, vt poſſit de bonis ſuis diſponere per bimeſtre antecedenter ad eandem profeſſionem.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Sententia Sanchez ex vi illius diſpenſationis compellentis ad renuntiandum ſtatim ante profeſſionem. 2.
Ex illa diſpenſatione non demitur ius, quod habet profeſſurus renuntiandi intra bimeſtre. 3.
Per illud ius renuntiandi intra bimeſtre non fit extenſio diſpenſationis. 4.
Gratia congruè non retorquetur in odium aggratiati. 5.
Soluuntur rationes Sanchez aduerſantis. 6.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO XX. Caius diuina adſpirante gratia perfectiorem ſtatum Religionis elegit. Intra probationis annum, eum adhuc non compleſſet annum decimum ſextum præſcriptum *à Tridens. ſeſſ.25 de regul.c.15.* ad valide profitendum à Romano Pontifice impetrauit diſpenſationẽ, vt etiam non completo dicto anno decimo ſexto ætatis ſuæ, poſſet in octauo menſe probationis profeſſionem elicere. Idem Concil. Trident. ſtatuit, vt renuntiatio bonorum, fieri non poſſit per Nouitium, niſi intra bimeſtre ante profeſſionem cum certis ſolemnitatibus, prout in eodem decreto. Orta hic fuit controuerſia, an ex vi illius diſpenſationis; ratione cuius non ſolum poteſt profeſſionem emittere ante annum probationis, ſed etiam non completo anno decimo ſexto poſſit ſubſiſtere renuntiatio bonorum per eundem Caium facta intra bimeſtre, comparatiuè ad profeſſionem ante tempus faciendam, an vero ex neceſſitate debeat fieri eodem die profeſſionis, vel immediatè ad ipſam.

2 Sententia Sanchez aſſerentis ex vi illius diſpenſationis cõpelli ad renuntiandũ ſtatim ante profeſſionem.

Sanchez *in ſumma, tom.2. lib.7. c.5. nu.83.* ſentit non poſſe bimeſtri ante profeſſionem renuntiationem illam facere, ſed teneri facere, vel eodem die profeſſionis ante eandem, vel præcedenti. Rationem potiſſimum ex eo deducit, quia quoad hoc duo interueniunt, quinimmo tria decreta; Primum, vt non emittatur profeſſio, niſi completo probationis anno; Secundum, vt non niſi completo decimo ſexto anno ætatis eius qui profeſſurus eſt; Tertium, vt renuntiatio bonorum fiat intra bimeſtre à die profeſſionis, quæ decreta ſunt, ſecundum ſe ſeparabilia; ſed diſpenſatio non extenditur ad omnino ſeparabilia, cum ſit ſtricti iuris per ea, quæ nos docuimus ſupra, & docet ipſe *Sanchez lib.8. de matrimon. diſp 1. nu 19.*, ergo diſpenſatio, vt emittatur profeſſio ante completum annum probationis, vel anno nundum completo decimo ſexto, ætatis non trahit ſecum diſpenſationem, vt poſſit intra illud bimeſtre ante profeſſionem, renuntiationem emittere ſuorum bonorum, ſed tenebitur eandẽ renuntiationem facere immediatè ante profeſſionem; quandoquidem Concilium Tridentinum in tantum extendit facultatem diſponendi de bonis ad bimeſtre, in quantum ſupponit profeſſionem emittendam eſſe, iuxta præſcriptum tempus anni ſcilicet probationis, & decimi ſexti anni. Ex his igitur infert idem *Sanchez loc. cit. in ſumma*, quod cum ſit profeſſioni annexa facultas diſponendi antea de bonis, cum ſubſequentèr non poſſit fieri diſpenſatio ad eandem profeſſionem emittendam ante tempus, extendatur quidem ad renuntiationem ante ipſam profeſſionem faciendam, non autem ſeruato ordine Tridentini, vt extendatur talis facultas ad bimeſtre ante eandem profeſſionem. Nihilominus

3 Ex vi illius diſpenſationis non demitur ius renuntiandi intra bimeſtre.

Reſpondeo, probabilius eſſe, quod quantumvis ex diſpenſatione emiſſerit profeſſionem ante annum probationis, vel ante annum decimum ſextum ætatis completum, potuit tamen intra bimeſtre ante talem profeſſionem renuntiare validè de ſuis bonis, ſeruatis tamen alijs iuris ſolemnitatibus *Merolla tom 2. diſp.4. c.6 n.39. Diana part. 8. tract. 3. de diſpenſat. reſol. 23.* Ratio huius reſponſionis poteſt eſſe primo, quia, quod poſſit in illa hypotheſi intra bimeſtre diſponere de bonis ſuis non eſt extenſio prioris diſpenſationis qua conceſſum eſt poſſe profiteri ante annum probationis, vel ætatis completum, ſed eſt alia diſpoſitio iuris eidem profeſſuro competens, quam vtique non

inimu-

Digitized by Google

immutat illa diſpenſatio ad præuiam profeſſionem, ergò ſtante illa diſpenſatione ad præuiam profeſſionem adhuc liberum erit eidem profeſsuro intra bimeſtre à die eiuſdem de bonis ſuis diſponere non vtique ex vi illius diſpenſationis, ſed ex alio iure ſibi competente.

4 Per hoc non fit extenſio diſpenſationis.

Antecedens probatur, quià ſunt duo iura, alterũ diſponens, quod non emittatur profeſſio ante annum probationis, vel ante decimum ſextum annum ætatis; alterum, vt renuntiatio bonorum poſſit validè fieri intra bimeſtre à die profeſſionis; primum eſt odioſum, vtpotè exorbitans à iure communi, & naturali; alterum ſaltem ſecundum quid fauorabile; quandò autem duo ſunt iura omninò ſeparabilia, & eſsentialitèr non connexa diſpenſatio quoad vnum non lædit ius alterum, ſed in ſuo vigore relinquit, adeoque illud non extendit, ſeù non extenditur ad illud prorogans ipſius diſpoſitionem, quinò potius illud reſtringeret, ſi cogeret profeſsurum ad renuntiandum ſolummodò in die profeſſionis, vel immediatè ante ipſum. Conſequentia item tenet, quià cum diſpenſatio quoad vnum non attingat illud ius, quod ratione alterius diſpoſitionis competit illud, vtique relinquit in eadem diſpoſitione.

5 Gratia non debet retorqueri in odium agratiati.

Secundò, quià fauor, qui vni conceditur non debet in ipſius odium deflecti per textum *in l. quod fauore C. de legib., & l. generaliter C. de ſecundis nuptijs, l. nemo C. de procurat, & per reg. de reg. iur. in 6.*, ergò diſpenſatio conceſsa in iure exorbitante in fauorem profeſsuri non debet, nec poteſt eſſe cum læſione alterius iuris eidem fauorabilitèr competentis, adeoque diſpenſatio quoad tempus probationis, & ætatis non poteſt eſse cum læſione iuris, quod habet renuntiandi proprijs bonis intra bimeſtre à die eiuſdem profeſſionis; Neque dicas illam diſpoſitionem, quod profeſsurus poſſit de proprijs bonis diſponere intra bimeſtre à die profeſſionis referri ad tempus ſtatutum à iure pro eadem profeſſione, quo propterea ratione diſpenſationis non ſeruato, ſed præmiſso non erit eadem diſpoſitio ſeruanda; contra enim impugnaberis, quià lex illa diſponens de iure renuntiandi bonis intra bimeſtre indefinitè loquitur de profeſſione, nec diſtinguit, quandò hæc emittitur in tempore à iure ſtatuto, ac quando emittitur præpropere ex diſpenſatione, adeoque non eſt, cur non ſit intelligenda in ordine ad profeſſionem, quomódocunque emittendam. Deindè finis ob quem conceſsum eſt illud bimeſtre ad renuntiationem bonorum fuit ad effectum, vt poſset nouitius quoad talem renuntiationem maturius deliberare, & intra illud tempus plenius cognoſcere, quod magis expediat mutando etiam voluntatem, ſi oportuerit; Sed hoc finis æquè militat, ſiuè præpropere ex diſpenſatione profeſſio emittenda ſit, ſiuè pro tempore præſcripto ad formam iuris communis, ergò &c.

Tertiò, quià illa diſpoſitio, quod poſſit diſponere de rebus ſuis intra bimeſtre à die profeſſionis emittendæ eſt fauorabilis ipſi profeſsuro per diſpenſationem autem in iure exorbitanti à iure communi, & naturali non eſt præſumendum, quod Pontifex velit auferre fauorem ex alio iure ipſi profeſsuro competentem; conceſſio etenim gratiæ in vno genere non eſt neceſsariò connexa cum ablatione alterius gratiæ, quæ non ſit incompoſſibilis cum ipſa.

Ad rationes, quæ ex Sanchez ſupra afferebantur patet iam ex dictis non fieri extenſionem diſpenſationis; ſed potius per vnam diſpenſationem in vno genere non attingi ius, quod competit profeſsuro ex diſpoſitione alterius iuris; & cum hæc duo iura, vt fatetur ipſe Sanchez non ſint inſeparabilitèr connexa ideò per diſpenſationem quoad vnum non trahitur neceſsariò detractio quoad alterum, nec ſic diſpenſatus ex gratia acquiſita congruum eſt, vt priuetur alia à iure ſibi competente, nec compellatur ad anguſtias ex motiuo beneficij recepti.

6 Soluuntur rationes Sanchez aduerſantis

---

§. XXI.

An diſpenſatio conceſsa ſubdiacono, vt poſſit nubere liberet ipſum ab onere recitationis horarum canonicarum.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis exponitur. 1.
Articuli examinandi. 2.
Non eximitur ab onere, ſi habitum non depoſuerit, nec aliud onus aſſumpſerit incompatibile. 3.
Nec ſi habitum clericalem depoſuerit. 4.
Degradatus, an & cur teneatur recitare diuinum officium. 5.
Nec ipſo iure eximitur à tali onere, quantumvis ad nuptias tranſierit. 6.
Coniugium initum facilius diſponit ad diſpenſationem oneris penſionarij. 7.
Qui contracto matrimonio ſuſcepit ordines ſacros tenetur recitare horas canonicas. 8.

DISQVISITIO XXI. Annexũ eſt ordini ſubDiaconatus votum caſtitatis, & onus recitandi horas canonicas, vt eſt in confeſso apud omnes. His ſuppoſitis Titius promotus eſt ad eundem ordinem ſubdiaconatus, & deindè ex vrgentiſſima 1 Status controuerſiæ.

aliqua

Digitized by Google

aliqua cauſa diſpenſatus eſt, vt poſset nuptias contrahere. Quæſitum hic fuit, an eo ipſo quo diſpenſatus eſt ad matrimonium contrahendum intelligatur ſolutus ab onere recitandi horas canonicas.

Vt clarius, & diſtinctius procedamus plures habendæ ſunt inſpectiones, & ſecundum rationes earundem dirimenda controuerſia. Primò inſpici debet, an præcisè poſita fuerit diſpenſatio, & nullus adhuc ſecutus effectus, vt ſi ſic diſpenſatus, nec habitum depoſuerit, nec aliquem aliam actum elicuerit, qui ſit incompatibilis cum eodem onere recitandi horas canonicas. Secundò, an quantumvis vigore illius diſpenſationis habitum depoſuerit, nec tamen hactenus contraxerit matrimonium. Tertiò, an verè vigore illius diſpenſationis contraxerit actu matrimonium, quamvis nondum conſummauerit. His ſic ſuppoſitis.

2 Articuli examinandi.

Reſpondeò primo ex vi diſpenſationis præcisè, nec hactenus depoſito habitu, nec alio effectu ſecuto, qui ſit incompatibilis cum illo onere recitandi horas canonicas non eximitur ab onere illas recitandi. Conſentiunt in hoc *Bonacina de horis canonicis diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 5. *Azorius tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 5. *q.* 5. *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 8. *n.* 11. *Diana part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 34. *verſ. ſed his non obſtantibus*. Ratio ex eo deducitur, quià illa exemptio à recitatione horarum canonicarum, nec prouenit ex vi ipſius diſpenſationis, nec ex incompoſſibilitate alicuius effectus cum tali onere recitationis, ergò non eſt, cur ſic diſpenſatus non teneatur ad illas. Antecedens quoad primam partem patet, quià diſpenſatio ex genere ſuo, vtpotè exorbitans à iure communi eſt ſtrictè interpretanda, nec eſt ab vno effectu ad alium trahenda, nec ſolutio ab vna lege trahit ſolutionem alterius per ea, quæ ſuperius fusè probata ſunt. Quoad ſecundam verò ſic euincitur, quià permanente adhuc ſic diſpenſato in ſtatu clericali non habet, quid opponatur oneri recitandi diuinum officium, quandòquidem non habet aliquid, quod opponatur ſtatum clericali. Confirmatur primo, quià ex vi illius diſpenſationis præcisè nonpriuatur iure exercendi munera, quæ ſunt propria talis ſtatus ſubdiaconalis, ergò nec carere debet onere ea exequendi, quæ ex diſpoſitione iuris ſunt affixa tali ordini; incongruum quippe eſt, vt gaudeat iuribus talis ordinis, & non ſubiaceat oneribus eiuſdem. Confirmatur ſecundo, quià ſi impetrata diſpenſatione, & adhuc ſtatu non mutato diſpenſatus mutaret voluntatem tranſeundi ad nuptias ad quas fuit diſpenſatus maneret, vtique obſtrictus onere recitandi horas canonicas abſque nouo alio actu, ergò

3 Tenetur, ſi depoſuerit habitum, nec aliud onus incompatibile aſſumpſerit.

illo adſtrictus intelligitur donec ad nuptias actualitèr tranſeat. Conſequentia tenet, quià, ſi ex vi illius diſpenſationis extinctum eſſet penitus onus recitandi horas canonicas non poſſet amplius illud reuiuiſcere niſi per nouum actum ad illud onus ſe obligaret.

Reſpondeo ſecundo, ſi impetrata diſpenſatione vigore eiuſdem habitum clericalem exuerit, & induerit ſæcularem non tamen adhuc nuptias contraxerit probabilius non eximitur ab onere recitationis horarum canonicarum. Conſentit *Bonacina*, *& Azorius loc. cit. Squillante tract. de priuil. cleric. c.* 7. *num.* 59., *Diana part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 34. *verſ.*, *ſed hac inquam limitationem* aduerſus *Sanchez de matrimon. lib* 8. *diſp.* 8. *nu.* 11. Rationes deductæ ex ſtricta acceptione diſpenſationis, & non incompoſſibilitatis cum onere tali recitationis quas ſupra adduximus, hoc manifeſtè euincunt; nec obſtat, quod quando depoſuit habitum clericalem non poſſit amplius exercere munera clericalia, nec gaudere priuilegijs eiuſdem ſtatus; Non obſtat, inquam, quia quantumvis rectè inferatur, prout in præcedenti aſſertione aſſerebamus, ex eo quod gaudeat huiuſmodi priuilegijs, & poſſit exercere munera clericalia, quando nondum habitum depoſuit, quod ſubiaceat oneri recitationis horarum canonicarum; non tamen rectè infertur ex eo, quod non poſſit exercere huiuſmodi munera, nec gaudeat priuilegijs talis ſtatus, quod eximatur ab onere eidem, annexo recitationis horarum canonicarum. Ratio ex eo deducitur, quia talis exemptio ab illo onere non prouenit ex vi diſpenſationis, vt ſupra probabamus, quia hæc non extenditur ad omninò ſeparabilia, & non connexa, nec ex vi alicuius incompoſſibilitatis, quia cum ſtatu laicali præciſe non repugnat tale onus, vt videre eſt in Clericis coniungatis, qui ratione beneficij tenentur ad penſum horarium.

4 Nec, ſi habitum clericalem præci sè depoſuerit.

Non pugnat ſtatu laicalis cū onere recitandi officium diuinum.

Probatur vlterius reſponſio ex ijs, quæ alibi dicta ſunt, nempe per diſpenſationem præciſe ſuper impedimento conſanguinitatis in ordine ad contrahendum matrimonium eodem in effectum non contracto non eximi, ſic impeditum ab oneribus conſanguinitatis; vnde, ſi ante contractum matrimonium conſanguineam, cum qua eſt contracturus, carnalitèr cognoſcat, non ſolum actum fornicationis committat, ſed etiam formaliter inceſtum, non niſi, quia diſpenſatio ſolum refertur ad matrimonium iam contractum, ergo etiam poſita diſpenſatione quoad alligatum ordine ſubdiaconatus ad contrahendum matrimonium non eximetur ob oneribus ſubdiaconatus, niſi poſt contractum idem matrimonium,

Rationes euincentes intentum.

vnde

Digitized by Google

vnde eodem hactenus non contracto ſubiectus remanebit eiſdem oneribus, nec in hoc video diſparitatem inter diſpenſatum in impedimento conſanguinitatis, ac diſpenſatum in impedimento ordinis; non etenim diſpenſatio operatur effectum niſi conſummato eo, in ordine ad quod eſt poſita.

5 Degradatus, cur nō teneatur recitare officium diuinum.

Plerique probant vlterius aſſertionem ex eo, quod degradatus, quem omnes fatentur clericalibus priuilegijs deſtitui, & tamen ipſum obligant omnes ad onus officij diurni, ex quo inferunt, quod etiam ſi ex diſpenſatione ad contrahendum matrimonium exuerit habitum clericalem non tamen adhuc contraxerit matrimonium, adhuc teneatur ad idem officium diurnum. Sed facilis erit ſolutio ad hoc argumentum, ſi aſſeratur quoad degradatum onus recitandi officium diuinum prouenire in pœnam culpæ, ob quam eſt degradatus, ne ex delicto commodum reportet prout aſſerit *Sanchez loc. cit. nu.* 11., quod non euenit, quando ex diſpenſatione tranſit ad ſtatum ſecularem, in quo ſicuti amittit priuilegia clericalia, ita carere debet eiuſdem ſtatus oneribus. Nihilominus ex hoc argumento poteſt deduci, efficax ratio pro reſponſione, nam illud onus reſpectu degradati non eſt noua pœna iniuncta, ſed onus, quod non intelligitur ſublatum ratione degradationis, ſed etiam ex vi diſpenſationis non intelligitur ſublatum onus recitationis diuini officij cum diſpenſatio ſtrictè ſit intelligenda; Ergo &c.

6 Nō eximitur ipſo iure, quantumvis tranſierit ad nuptias.

Reſpondeo tertio, ſi poſita diſpenſatione iam tranſierit ad nuptias probabilius etiam ipſo iure non eximitur ab onere penſi horarij, eſt tamen cauſa ſufficiens facilioris diſpenſationis ab eodem onere *Azorius inſtit. mor. tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 5. *q.* 5. *Bonacina de horis canonicis diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *nu.* 5. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quod ſupra dicebamus, de ſtricta interpretatione diſpenſationis in correctorrijs, & exorbitantibus à iure communi, nec cum ſtatu coniugij eſt incompatibile onus recitandi horas canonicas, quandoquidem Græci ſacerdotes ſunt matrimonio coniuncti, nec propterea eximuntur à tali onere; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ideo ſacerdotes Greci quantumvis matrimonio coniuncti ſubijciantur oneri penſi horarij, quia non priuantur priuilegijs clericalibus, & vtique exercere poſſunt munera ſacerdotalia, & ſic æquum eſt, quod ſicuti gaudet iuribus, ita afficiantur muneribus, quod non euenit in ſubdiacono latino, qui ſicuti per coniugium priuatur exercitio ſubdiaconatus, & priuilegijs eiuſdem, ita æquum eſt, vt eximatur ab eiuſdem oneribus; Non inquam, obeſſe poteſt, quia nos non inferimus onus recitationis horarum canonicarum ex connexione cum iuribus, & priuilegijs ſubdiaconatus adhuc perſeuerantibus, ſed ex natura diſpenſationis præciſe ad nubendum, quæ ſecum non trahit diſpenſationem quoad alia onera, quæ ſunt omnino ſeparabilia, & non connexa, quæq; compati poſſunt cum coniugio, & ſicuti cum coniugio compatitur in Græcis ſacerdotibus onus talis penſi horarij, ita non eſt, cur non compatiatur &c. Confirmatur, quia in ordine ſubdiaconatus duo onera inoluuntur alterum voti ſolemnis caſtitatis, alterum penſi horarij, ſed diſpenſatio quoad votum caſtitatis non trahit ſecum diſpenſationem oneris penſi horarij, ſiquidem hæc duo onera ſunt omnino diſiuncta, & ſeparabilia; Ergo &c.

7 Tribuit cauſam faciliori diſpenſationi.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia quantumvis onus recitationis horarum canonicarum non ſit omnino incompatibile cum ſtatu coniugij denegari, tamen non poteſt, quin ſit maxima difficultas in adimplemento vtriuſque, quandoquidem vacare rei familiari, & vxori valde diſtrahit animum, & arduam reddit huiuſmodi horarum canonicarum recitationem, ergo ratione talis difficultatis in executione facilis erit aditus ad diſpenſationem, hæcque erit de facili concedenda.

8 Qui contracto matrimonio ſuſcepit, ſacros ordines tenetur ad officium diuinum.

Hinc facilis erit ſolutio illius alterius quæſiti, an ſcilicet ſi quis contraxerit matrimonium ratum cum quadam fœmina, & deindè clam ad ſubdiaconatus ordinem fuerit promotus, ſed præcepto Pontificis compulſus ad vxorem, quam duxerat, accedendum cum priuatione à munere ordinis, an, inquam, in ea hypotheſi teneatur horas canonicas recitare? Dicendum quippe eſt teneri, prout aſſerunt *Azorius, & Bonacina loc. cit.*, non ſolum, quia tale onus compatitur cum ſtatu coniugij, ſed quia æquum eſt, vt qui contra diſpoſitionem iuris voluit ad ordinem promoueri oneribus eiuſdem ordinis, quantum compatibiliter poteſt, afficiatur.

§. XXII.

An diſpenſatio in voto, vel aliquo alio impedimento poſſit fieri inuito eo, cum quo diſpenſatur.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens poſſe fieri per ſuperiores etiā inuito

Digitized by Google

inuito eo, qui eſt diſpenſandus. 2.

Sententia aſſerens, poſſe eadem irritari, non ſuper illis diſpenſari. 3.

Probabilius poſſunt ſuperiores etiam inuitis ſubditis ſuper votis diſpenſare, quando diſpenſatio ſit neceſſaria ad bonum commune, vel ſpirituale vouentis. 4.

In tali diſpenſatione non eſt neceſſe, quod diſpenſans prohibeat expreſsè voti materiam. num. 5.

Soluuntur rationes pro ſecunda ſententia adducta. 6.

1 *Facti ſeries explicatur.* DISQVISITIO XXII. Alligatus erat Titius voto caſtitatis, vel aliquo alio impedimento affectus. Ipſo reluctante impetrata eſt diſpenſatio ſuper eodem voto, vel impedimento. Quæſitum fuit, an talis diſpenſatio teneat, & proſit eidem reluctanti; Hoc quæſitum in fortioribus terminis procedit, quandò ſuperior ipſe cognita cauſa diſpenſationis ex ſe diſpenſat non requiſitus. Aduerte, potiſſimum procedere hanc difficultatem, quandò diſpenſatio eſt ex cauſa neceſſaria bono communi, vel vtilitati ſpirituali eiuſdem alligati tali voto, vel impedimento.

2 *Sententia aſſerens poſſe fieri talem diſpenſationem.* Nonnulli deducta paritate ab irritatione votorum, quæ ſuperiores etiam inuitis ſubditis poſſe auferre aſſerunt *Aragonius 2. 2. q. 89. art. 9. paulo poſt principium, Suarez tom. 2. de Religione tract. de voto lib. 6. c. 1. ad fin. Sairus in claui Regia lib. 5. c. 8. n. 6.* deducunt etiam poſſe in eiſdem votis, & impedimentis diſpenſare; videtur enim magis derogare iuri irritatio, quam diſpenſatio.

3 *Sententia aſſerens poſſe huiuſmodi vota irritari, non ſic diſpenſari.* Alij dato etiam, quod ſuperiores inuitis ſubditis poſſint eorum vota irritare, negant abſolutè poſſe ſuper eiſdem illis reluctantibus diſpenſare; atque ſic ſentiunt *DD. præallegati locis cit.* Pluribus rationibus adhoc mouentur; & primo ex diſparitate, quam aſſignant inter irritationem, & diſpenſationem in votis ſitam in eo, quod illa poſſit fieri validè, & licitè ſine cauſa, non ſic diſpenſatio. Secundò, quià diſpenſatio eſt beneficium quoddam, quod conferri nequit inuito, nec eidem prodeſſe. Tertiò, quià eo ipſo, quo alligatus tali voto, ſeù impedimento diſpenſationem non acceptat, virtualitèr votum illud de nouo emittit. Quartò, quià illa diſpenſatio eſt quædam gratia, cum detur in fauorem eius, cui fit, ergò nequit in ipſius onus retorqueri; retorqueretur autem, ſi inuito ſic alligato ipſum à tali vinculo abſolueret. Quid igitur concludendum?

4 *Poſſunt diſpẽſare, ſi diſpenſatio ſit neceſſaria.* Reſpondeo, probabilius eſſe, poſſe Superiores etiam inuitis, & nolentibus ipſis talibus votis, ſeù impedimentis alligatis ſuper eiſdem diſpenſare, ſi diſpenſatio ipſa ſit neceſſaria ad bonum commune, vel ſpirituale eiuſdem impediti. *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 24 n. 26 in medio, Beia in ſuis reſponſionibus part. 2. caſu 9. not. 2.* quibus aſſentiri videtur *Diana part. 8. tract. 3. reſol. 86.* Ratio ex eo deducitur, quià reluctantia ſubditorum non poteſt præiudicium inferre iuribus ſuperiorum, nec bono communi, nec ſpirituali eiuſdem alligati talibus votis, & impedimentis, ergò non erit, cur ipſi ſuperiores nequeant in eiſdem votis, ſeù impedimentis diſpenſare. Antecedens probatur, quià poteſtas, quæ eſt in ſuperiore, exiſtente legitima cauſa, & reſpiciente bonum commune eſt omninò independens à voluntate inferioris, ergò ipſius reluctantia ſic exigente bono communi non poteſt eidem ſuperioris poteſtati præiudicium inferre. Confirmatur, quià ſic exigente Reipublicæ ordine, ſeù regimine præferendum eſt bonum commune bono priuato, aſſerente Phyloſopho bonum commune eſſe bonum diuinum, ergò exiſtente cauſa neceſſaria reſpiciente bonum commune poterit ſuperior bonum commune præferre diſpenſando cum inferiori, quandò talis diſpenſatio eſt ſic neceſſaria.

Hic diſputant DD., an ſuperiores adhoc, vt eximant inferiores reluctantes ab onere huiuſmodi votorum ſufficiat, ſi ſimplicitèr diſpenſent, an verò vlterius requiratur, quod prohibeant ſimul voti materiam. Affirmant *Sanchez lib. 4. in Decalogum c. 24. n. 26. Beia d. part. 2. in ſuis reſponſionibus caſ. 9. not. 2. Suarez tom. 2. de Religione tract. de voto lib. 6. c. 1. ad finem.* requiri talem prohibitionem, atque ob hanc rationem ipſos in hanc opinionem abire cenſeo, vt eximantur ab illa difficultate, qua dicitur, quod inferior reluctans, ſeù non acceptans diſpenſationem ſuper voto videatur implicitè, & virtualitèr de nouo vouere; Si igitur ſuperior, nedum diſpenſet, ſed etiam prohibeat materiam, ſupra quam votum illud verſatur, reddit irritum quodcunque votum ſubſequens; cum etenim votum non poſſit eſſe de materia illicita, vtique eſſe non poteſt de materia à legitimo ſuperiore prohibita. Sed quamvis tutius ſit, quandò inferior eſt reluctans diſpenſationi, quod talis materia prohibeatur, non exiſtimo tamen ad validitatem eiuſdem diſpenſationis eſſe neceſſariam talis materiæ prohibitionem expreſſam, quandòquidem talis prohibitio eſt implicitè imbibita in ipſa diſpenſatione, cum etenim ideò ſuperior diſpenſet ſuper illo voto, quià expedit bono communi, ne vouens illo afficiatur, ſeù obligetur, & in hoc iure ſuo vtatur independentèr à voluntate inferioris, ſatis ſuperque indicat, ſe nolle vouentem tali voto teneri, adeoque ſi infe- 5 *In diſpenſatione cũ inuito non eſt neceſſe, quod diſpenſans ſimul prohibeat voti materiam.*

Digitized by Google

inferior votum renouaret, renouaret contra voluntatem ſuperioris, adeoque inualidè, cum voueret rem illicitam.

6 *Soluuntur rationes pro ſecunda ſententia adductæ.*

Nunc ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, reſpondendum eſt, & quidem ad primam dicite hoc re vera eſſe diſcrimen inter irritationem, & diſpenſationem, quod hæc non poſſit fieri ad libitum ſuperioris ſine cauſa, illa verò poſſit, vtique ſine cauſa. Sed quid indè? an propterea exigit voluntatem inferioris, quandò interpellat cauſa, ſeù bonum commune? Ad ſecundam demus, quod illa diſpenſatio ſit beneficium. Demus etiam, quod beneficium non conferatur inuito, quandò nulla neceſſitas vrget, quandò verò talis neceſſitas viget, maximè ſi ſit publica, etiam inuito confertur, quià bonum priuatum debet cedere publicæ neceſſitati, vel vtilitati. Deindè dici non poteſt, conferri rationabilitèr inuito, quandò confertur exigente publica neceſſitate. Ad tertiam patet ex dictis quid ſit dicendum. Deindè, ſi valeret illa ratio, valeret etiam, quod ſuperior non poſſet irritare vota inferioris eo inuito, & reluctante, quod tamen negant aduerſarij, quandòquidem dum diſpenſatus, ſeù melius ille, cuius irritatur votum, non acceptat, videtur quodamodo votum renouare, ſeù de nouo elicere. Quamobrem dicendum eſt etiam vltra ſuperius dicta, quæ validiora ſunt ad euertendam vim huius argumenti, quod, quamvis de nouo per illam retractationem emitteret votum, poſſet adhuc per ſuperiorem infirmari. Ad vltimam dicendum eſt, quod retorqueretur in ipſius onus per accidens ſic exigente bono commune, quod præualere debet.

---

§. XXIII.

An diſpenſatio illegitimi ad beneficia extendatur ad beneficia cathedralis.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Rationes inferentes etiam ad beneficia cathedralis extendi. 2.
Probabilius ex vi illius ſimplicis diſpenſationis non poteſt acquirere canonicatum in Cathedrali 3.
Soluuntur obiecta contraria. 4.

1 *Elucidatur factum.*

DISQVISITIO XXIII. Ortus eſt ex illegitimis natalibus Caius, ratione quorum natalium incapax intelligitur ſacrorum ordinum, & etiam beneficiorum Eccleſiaſticorum. Diſpenſatus fuit per Romanum Pontificem, vt promoueri poſſet ad ſacros ordines, & obtinere beneficia Eccleſiaſtica nulla facta expreſſione, an in alijs inferioribus Eccleſijs, an verò etiam in cathedrali. Beneficium in cathedrali, puta canonicatum petijt, & obtinuit. Quæſitum fuit, an ex vi illius diſpenſationis iuſtè acquiſierit illud beneficium in cathedrali.

2 *Ratio dubitãdi pro ſententia aſſerente diſpenſationem illam extendi.*

Videtur abſolutè aſſerendum, iuſtè fuiſſe acquiſitum illud beneficium, ſeù canonicatum ex vi illius diſpenſationis, quandòquidem canonia eſt beneficium Eccleſiaſticum per textum *in c. ex multis 1. q. 3.* vndè merito docet *Calderinus conſ. 252. alias 31. de praben.*, quod habens gratiam ad beneficia Eccleſiaſtica, in cathedrali poſſit obtinere canonicatum; nec canonicatus etiam in cathedrali ſecundum ſe inuoluit dignitatem *Federicus de Senis conſ.* 80. *factum eſt tale n. 2. in fin. verſ. item non obſtat, quod inſtituit.* Cum igitur verba diſpenſationis ſint adaptabilia acquiſitioni beneficij, ſeù canonicatus in cathedrali, & talis acquiſitio comprehendatur intra formalem conceſſionis ſignificationem, nec excedat limites illius, non video, cur ſic diſpenſatus non poſſit illud, ſeù illum legitimè acquirere, & poſſidere. Nihilominus

3 *Probabilius illa diſpenſatio non extenditur ad canonicatum in cathedrali*

Reſpondeo, probabilius eſſe ex vi illius ſimplicis diſpenſationis iuſtè non acquiſiuiſſe illud beneficium, ſeù canonicatum in cathedrali. *Oldradus conſ. 215. punct. breuia n. 6. verſ. deindè dicitur, Felinus in c. poſtulaſti n. 8. verbo ſexta, & vltima verſ. regula eſt de reſcripsis, Calderinus conſ. 66. in princip. alias 1. de filijs præsbit.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quià ſcilicet diſpenſatio, vtpotè odioſa, & correctoria iuris communis ſemper intelligitur de minoribus, niſi alitèr expreſſa fiat mentio, & ſic diſpenſatus ad ordines ſimplicitèr ſine vlla expreſſione intelligitur præcisè de minoribus, prout ſupra docuimus, & habetur in textu *in c. fin. de translat. prælat. Felinus in d. c. poſtulaſti n. 8. verſ ſexta, & vltima verb. reg eſt*, ergò etiam diſpenſatio quoad beneficia ſimplicitèr intelligenda eſt de minoribus, non autem de canonicatu in cathedrali. Conſequentia probatur, quià canonicatus in cathedrali, licet non præſeferat dignitatem *Federicus de Senis conſ. 80. factum eſt tale in fin. verſ. item non obſtat, quod inſtituit* denegari tamen non poteſt quin præſeferat magnum honorem, cum conſtituat canonicum collateralem Epiſcopi, & ſic dignitatem

Canonicus eſt collateralis Epiſcopi.

ſaltem lato modo continet *Felinus in c. paſtoralis de offic. deleg. n. 12.*, quos honores, & dignitates, licet largo modo ſumptas non cenſetur in diſpenſatione velle Pontifex conferre, niſi exprimat ſic exigente natura diſpenſationis. Confirmatur *ex Rota Romana in antiquis deciſ.* 489.

in

in tit. de officio ord., vbi dictum fuit, quod diſpenſatio Epiſcopi, de qua *in c. 1. de filijs prabit. in 6.* non extendatur ad canonicatus in cathedrali, quinimmò, nec etiam diſpenſatio Papalis, niſi in ea dicatur *quæcunque beneficia*, & pro hac opinione allegat *Ioannem Andream in ſpecul. in rub. de filijs presbit.*, *& Hoſtienſem in c. 2. de offic. archipresbiteri*, quod non alia ratione decisum exiſtimo, niſi quià canonicatus maximum præſefert honorem, præeminentiam in choro per Gloſſam *in c. ſi canonici de offic. ordin. in 6.* prelationem in proceſſionibus etiam in ordine ad Abbates, & habentes alias dignitates per textum *in c. quamvis el. 1. de prabend. in 6.*, vndè merito, ibi *Dominicus de Sancto Gemiano* notat, quod Abbas non poteſt habere honorabiliorem locum, quam canonicus.

At magno honore afficitur.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Quamobrem ad ea, quæ ex aduerſo dicebantur, dicendum eſt, quod quamuis canonia ſit beneficium Eccleſiaſticum, & propterea, quod contineatur intra formalem ſignificationem verborum, quibus concepta eſt diſpenſatio, non tamen ſit beneficium quomodocunque, ſed cum addito alicuius preeminentiæ, & dignitatis ſaltem lato modo, ad quod propterea non videtur extendenda diſpenſatio ſimpliciter conceſſa ad beneficium.

---

§. XXIV.

An in correllatiuis diſpenſatio quoad vnū trahat diſpenſationem quoad alterum.

SVMMARIVM.

In caſu particulari exponitur titulus. 1.
Rationes ſuadentes diſpoſitionem in vno ex relatiuis habere locum in correlatiuo. 2.
Soluuntur rationes contraria ſententia. 3.
Exempla pro noſtra opinione. 4.

1 Facti expoſitio.

DISQVISITIO XXIV. Titius natus fuit ex concubitu cum moniali. Ex ſpeciali poſtea indulto diſpenſatus fuit, vt poſſet matri ſuccedere quoad bona eiuſdem. Hic orta fuit controuerſia, an ex vi illius diſpenſationis, ſeu indulti, ſicuti filius habilitatus eſt ad ſuccedendum Matri, ita & mater poſſit ipſi filio præmorienti in ipſius bonis ſuccedere.

2 Sententia extendens diſpenſationē etiā ad correlatiuum.

Videtur abſolutè in ea hypotheſi, quod filio præmorienti poſſit mater ſuccedere *arg. textus in l. nam, & ſi parentibus ff. de inoffic. teſtament.* vbi dicitur, quod cum votum parentum ſit, vt liberi eis ſuccedant, non ipſi liberis, & vt eis acquirant per textum *in l. de emancipatis C. de legit. hared. & l. ſcripto in fin. ff. vnde lib. & l. penult. ff. de bon. lib. mutato tamen mortalitatis ordine*, quatenus filij præmoriantur parentibus, *non minus parentibus, quam liberis piè relinqui debet*. Cum igitur ex vi illius diſpenſationis conceſſum ſit, vt filius poſſit ſuccedere matri, ſi ſeruato mortalitatis ordine illa præmoriatur, ex vi eiuſdem videtur conceſſum, mutato mortalitatis ordine, vt ſi filius matri præmoriatur, illa valeat iſti ſuccedere; & quidem hoc videtur valdè congruere naturæ correlatiuorum, vt quod de vno diſpoſitum intelligitur, intelligatur, & de altero diſpoſitum per textum *in l. fin., C. de indict. vid. tollen. l. ſi quis ſeruo, C. de furtis l. 1., C. de tranſact. Curſus Conimbricen. in comment. ad Logicam c. 7. de relatis in comment. atributo 3. Antonius de S. Blaſio in tract. de correlatiuis tom. 10. tract. DD. Euerardus in topicis legalibus loco à correlatiuis nu. 8., Baldus conſ. 14. ſuper legitimatione num. 2. lib. 4.*, vnde regula correlatiuorum eſt regula parium *l. Iulia. § ſi procurator, ff. de actionibus empti*, vnde, ſi quid eſt prohibitum vni, cenſetur & prohibitum alteri *Menochius conſ. 136. nu. 10., & 11.*, & ſublato impedimento reſpectu vnius cenſetur, & ablatum reſpectu alterius per textum *in l. alteri, ff. de adim. leg. Barboſa in rub., ff. ſolut. matrim. part. 1. nu. 37. Mar. Antonius var. reſol. lib. 1. reſol. 56. num. 6.*
Nihilominus

3 Quamvis filius ex vi diſpēſationis poſſit ſuccedere matri, non tamen mater filio.

Reſpondeo, in hac hypotheſi, quantumvis filius poſſit ſuccedere matri ex vi illius diſpenſationis, non propterea matrem poſſe ſuccedere filio *Benedictus de Peruſio conſ. 1. Felinus in c. poſtulaſti n. 9. verſ. ſextò, & vlt. declaratio.* Ratio ex eo deducitur primo, quia in ordine ſucceſſionum parentes ad filios, & filij ad parentes non ſunt neceſſario mutuo ſibi correlatiui, nam ſi filij filios habeant, parentes ipſis nō ſuccedunt, vt eſt in confeſſo apud omnes; ergo ex diſpenſatione, qua filij poſſunt ſuccedere parentibus, non bene arguitur, quod parentes poſſint filijs ſuccedere, ſi aliter habeant incapacitatem ad ſuccedendum ipſis. Conſequentia tenet, quia vbi ius ſucceſſionis non eſt mutuo relatiuum, diſpenſatio pro vno non trahit ſecū diſpenſationem pro altero, cum hoc non proueniat ex natura interpretationis, quæ vtpotè correctoria eſt ſtrictè interpretanda, nec ex vi connexionis vnius cum altero, cum vnum poſſit eſſe ſine altero. Secundo, quia diſpenſatio non eſt extendenda ad duo, quando pro vtroque non militat eadem ratio, ſed pro vno fortior ratio retrahens à diſpenſatione, quæ non militat pro alio, at hoc euenit ſecundum præſentem controuerſiam; ergo &c. Minor probatur, quia ratio, propter quam de iure communi excluduntur à ſucceſſione illegitimi eſt propter odioſam qualita-

Nō eſt eadem ratio quoad vtrumque relatiuum.

inferior votum renouaret, renouaret contra voluntatem ſuperioris, adeoque inualidè, cum voueret rem illicitam.

6 Soluuntur rationes pro ſecunda ſententia adductæ.

Nunc ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, reſpondendum eſt, & quidem ad primam dicite hoc re vera eſse diſcrimen inter irritationem, & diſpenſationem, quod hæc non poſsit fieri ad libitum ſuperioris ſine cauſa, illa verò poſſit, vtique ſine cauſa. Sed quid indè? an proptereà exigit voluntatem inferioris, quandò interpellat cauſa, ſeù bonum commune? Ad ſecundam demus, quod illa diſpenſatio ſit beneficium. Demus etiam, quod beneficium non conferatur inuito, quandò nulla neceſſitas vrget, quandò verò talis neceſſitas viget, maximè ſi ſit publica, etiam inuito confertur, quià bonum priuatum debet cedere publicæ neceſſitati, vel vtilitati. Deindè dici non poteſt, conferri rationabilitèr inuito, quandò confertur exigente publica neceſſitate. Ad tertiam patet ex dictis quid ſit dicendum. Deindè, ſi valeret illa ratio, valeret etiam, quod ſuperior non poſset irritare vota inferioris eo inuito, & reluctante, quod tamen negant aduerſarij, quandòquidem dum diſpenſatus, ſeù melius ille, cuius irritatur votum, non acceptat, videtur quodamodo votum renouare, ſeù de nouo elicere. Quamobrem dicendum eſt etiam vltra ſuperius dicta, quæ validiora ſunt ad euertendam vim huius argumenti, quod, quamvis de nouo per illam retractationem emitteret votum, poſset adhuc per ſuperiorem infirmari. Ad vltimam dicendum eſt, quod retorqueretur in ipſius onus per accidens ſic exigente bono commune, quod præualere debet.

---

§. XXIII.

An diſpenſatio illegitimi ad beneficia extendatur ad beneficia cathedralis.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Rationes inferentes etiam ad beneficia cathedralis extendi. 2.
Probabilius ex vi illius ſimplicis diſpenſationis non poteſt acquirere canonicatum in Cathedrali 3.
Soluuntur obiecta contraria. 4.

1 Elucidatur factum.

DISQVISITIO XXIII. Ortus eſt ex illegitimis natalibus Caius, ratione quorum natalium incapax intelligitur ſacrorum ordinum, & etiam beneficiorum Eccleſiaſticorum. Diſpenſatus fuit per Romanum Pontificem, vt promoueri poſset ad ſacros ordines, & obtinere beneficia Eccleſiaſtica nulla facta expreſſione, an in alijs inferioribus Eccleſijs, an verò etiam in cathedrali. Beneficium in cathedrali, puta canonicatum petijt, & obtinuit. Quæſitum fuit, an ex vi illius diſpenſationis iuſtè acquiſierit illud beneficium in cathedrali.

Videtur abſolutè aſserendum, iuſtè fuiſse acquiſitum illud beneficium, ſeù canonicatum ex vi illius diſpenſationis, quandòquidem canonia eſt beneficium Eccleſiaſticum per textum *in c. ex multis 1. q. 3.* vndè merito docet *Calderinus conſ. 252. alias 31. de praben.*, quod habens gratiam ad beneficia Eccleſiaſtica in cathedrali poſſit obtinere canonicatum; nec canonicatus etiam in cathedrali ſecundum ſe inuoluit dignitatem *Federicus de Senis conſ. 80. factum eſt tale n. 2. in fin. verſ. item non obſtat, quod inſtituit.* Cum igitur verba diſpenſationis ſint adaptabilia acquiſitioni beneficij, ſeù canonicatus in cathedrali, & talis acquiſitio comprehendatur intra formalem conceſſionis ſignificationem, nec excedat limites illius, non video, cur ſic diſpenſatus non poſſit illud, ſeù illum legitimè acquirere, & poſſidere. Nihilominus 2 Ratio dubitãdi pro ſententia aſserente diſpenſationem illam extendi.

Reſpondeo, probabilius eſse ex vi illius ſimplicis diſpenſationis iuſtè non acquiſiuiſse illud beneficium, ſeù canonicatum in cathedrali. *Oldradus conſ. 215. punct. breuia n. 6. verſ. deindè dicitur, Felinus in c. poſtulaſti n. 8. verbo ſexta, & vltima verſ. regula eſt de reſcriptis, Calderinus conſ. 66. in princip. alias 1. de filijs præsbit.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quià ſcilicet diſpenſatio, vtpotè odioſa, & correctoria iuris communis ſemper intelligitur de minoribus, niſi alitèr expreſsa fiat mentio, & ſic diſpenſatus ad ordines ſimplicitèr ſine vlla expreſſione intelligitur præcisè de minoribus, prout ſupra docuimus, & habetur in textu *in c. fin. de translat. prælat. Felinus in d. c. poſtulaſti n. 8. verſ. ſexta, & vltima verb. reg. eſt*, ergò etiam diſpenſatio quoad beneficia ſimplicitèr intelligenda eſt de minoribus, non autem de canonicatu in cathedrali. Conſequentia probatur, quià canonicatus in cathedrali, licet non præſeferat dignitatem *Federicus de Senis conſ. 80. factum eſt tale in. fin. verſ. item non obſtat, quod inſtituit* denegari tamen non poteſt quin præſeferat magnum honorem, cum conſtituat canonicum collateralem Epiſcopi, & ſic dignitatem ſaltem lato modo continet *Felinus in c. paſtoralis de offic. deleg. n. 12.*, quos honores, & dignitates, licet largo modo ſumptas non cenſetur in diſpenſatione velle Pontifex conferre, niſi exprimat ſic exigente natura diſpenſationis. Confirmatur *ex Rota Romana in antiquis decif. 489.* 3 Probabilius illa diſpenſatio non extenditur ad canonicatum in cathedrali Canonicus eſt collateralis Epiſcopi.

in

Digitized by Google

in tit. de officio ord., vbi dictum fuit, quod diſpenſatio Epiſcopi, de qua *in c. 1. de filijs prabis in 6.* non extendatur ad canonicatus in cathedrali, quinimmò, nec etiam

Et magno honore aſſicitur. diſpenſatio Papalis, niſi in ea dicatur *quæcunque beneficia*, & pro hac opinione allegat *Ioannem Andraam in ſpecul. in rub. de filijs prasbit.*, & *Hoſtienſem in c. 2. de offic. archipresbiteri*, quod non alia ratione decisum exiſtimo, niſi quia canonicatus maximum præſefert honorem, præminentiam in choro per Gloſam *in c. ſi canonici de offic. ordin. in 6.* prelationem in proceſſionibus etiam in ordine ad Abbates, & habentes alias dignitates per textum *in c. quamvis el 1. de prabend. in 6.*, vndè meritò, ibi *Dominicus de Sancto Gemiano* notat, quod Abbas non poteſt habere honorabiliorem locum, quam canonicus.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ. Quamobrem ad ea, quæ ex aduerſo dicebantur, dicendum eſt, quod quamuis canonia ſit beneficium Eccleſiaſticum, & propterea, quod contineatur intra formalem ſignificationem verborum, quibus concepta eſt diſpenſatio, non tamen ſit beneficium quomodocunque, ſed cum addito alicuius præeminentiæ, & dignitatis ſaltem lato modo, ad quod propterea non videtur extendenda diſpenſatio ſimpliciter conceſſa ad beneficium.

---

§. XXIV.

An in correllatiuis diſpenſatio quoad vnū trahat diſpenſationem quoad alterum.

SVMMARIVM.

In caſu particulari exponitur titulus. 1.
Rationes ſuadentes diſpoſitionem in vno ex relatiuis habere locum in correlatiuo. 2.
Soluuntur rationes contraria ſententia. 3.
Exempla pro noſtra opinione. 4.

1 Facti expoſitio. DISQVISITIO XXIV. Titius natus fuit ex concubitu cum moniali. Ex ſpeciali poſtea indulto diſpenſatus fuit, vt poſſet matri ſuccedere quoad bona eiuſdem. Hic orta fuit controuerſia, an ex vi illius diſpenſationis, ſeu indulti, ſicuti filius habilitatus eſt ad ſuccedendum Matri, ita & mater poſſit ipſi filio præmorienti in ipſius bonis ſuccedere.

2 Sententia extendens diſpenſationē etiā ad correlatiuum. Videtur abſolutè in ea hypotheſi, quod filio præmorienti poſſit mater ſuccedere *arg. textus in l. nam, & ſi parentibus ff. de inoffic. teſtament.* vbi dicitur, quod cum votum parentum ſit, vt liberi eis ſuccedant, non ipſi liberis, & vt eis acquirant per textum *in l. de emancipatis C. de legit. hared. & l. ſcripto in fin. ff. vnde lib. & l. penult. ff. de bon. lib. mutato tamen mortalitatis ordine*, quatenus filij præmoriantur parentibus, *non minus parentibus, quam liberis piè relinqui debet*. Cum igitur ex vi illius diſpenſationis conceſſum ſit, vt filius poſſit ſuccedere matri, ſi ſeruato mortalitatis ordine illa præmoriatur, ex vi eiuſdem videtur conceſſum, mutato mortalitatis ordine, vt ſi filius matri præmoriatur, illa valeat iſti ſuccedere; & quidem hoc videtur valdè congruere naturæ correlatiuorum, vt quod de vno diſpoſitum intelligitur, intelligatur, & de altero diſpoſitum per textum *in l. fin., C. de indict. vid. tollen. l. ſi quis ſeruo, C. de furtis l. 1., C. de tranſact. Curſus Conimbricen. in commens. ad Logicam c. 7. de relatis in comment. attributo 3. Antonius de S. Blaſio in tract. de correlatiuis tom. 10. tract. DD. Euerardus in topicis legalibus loco à correlatiuis nu. 8., Baldus conſ. 14. ſuper legitimatione num. 2. lib. 4.*, vnde regula correlatiuorum eſt regula parium *l. Iulia. § ſi procurator, ff. de actionibus empti*, vnde, ſi quid eſt prohibitum vni, cenſetur & prohibitum alteri *Menochius conſ. 136. nu. 10., & 11.*, & ſublato impedimento reſpectu vnius cenſetur, & ablatum reſpectu alterius per textum *in l. alteri, ff. de adim. leg. Barboſa in rub., ff. ſolut. matrim. part. 1. nu. 37. Mar. Antonius var. reſol. lib. 1. reſol. 56. num. 6.* Nihilominus

Reſpondeo, in hac hypotheſi, quantumvis filius poſſit ſuccedere matri ex vi illius diſpenſationis, non propterea matrem poſſe ſuccedere filio *Benedictus de Peruſio conſ. 1. Felinus in c. poſtulaſti n. 9. verſ. ſexta, & vlt. declaratio*. Ratio ex eo deducitur primo, quia in ordine ſucceſſionum parentes ad filios, & filij ad parentes non ſunt neceſſario mutuo ſibi correlatiui, nam ſi filij filios habeant, parentes ipſis nō ſuccedunt, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo ex diſpenſatione, qua filij poſſunt ſuccedere parentibus, non bene arguitur, quod parentes poſſint filijs ſuccedere, ſi aliter habeant incapacitatem ad ſuccedendum ipſis. Conſequentia tenet, quia vbi ius ſucceſſionis non eſt mutuo relatiuum, diſpenſatio pro vno non trahit ſecū diſpenſationem pro altero, cum hoc non proueniat ex natura interpretationis, quæ vtpotè correctoria eſt ſtrictè interpretanda, nec ex vi connexionis vnius cum altero, cum vnum poſſit eſſe ſine altero. Secundo, quia diſpenſatio non eſt extendenda ad duo, quando pro vtroque non militat eadem ratio, ſed pro vno fortior ratio retrahens à diſpenſatione, quæ non militat pro alio, at hoc euenit ſecundum præſentem controuerſiam; ergo &c. Minor probatur, quia ratio, propter quam de iure communi excluditur à ſucceſſione illegitimi eſt propter odioſam qualita-

Right margin notes: 3 Quamvis filius ex vi diſpēſationis poſſit ſuccedere matri, non tamen mater filio. — Nō eſt eadem ratio quoad vtrumque relatiuum.

ſem coitus, à quo proceſserunt, ſed odioſior eſt qualitas in fœmina, quæ per fornicationem, ſeù adulterium concepit, quā partus eiuſdem, quandoquidem illa eſt ex proprio defectu, hic eſt ex defectu matris, ergò fortior ratio militat diſpenſationis pro partu, quæ non militat pro matre, adeoq; ex diſpenſatione pro filio ad ſuccedendum, nòn bene arguitur ad diſpenſationem pro matre ad ſuccedendum filio. Tertio, quia legitimatio prolis, quando non prouenit ex ſubſequenti matrimonio, non reddit legitimam Matrem, ſicuti non reddit ipſam legitimam coniugem eius, ex cuius concubitu prolem illam progenuit, quia hoc eſt priuilegium Principis præciſe in fauorem eiuſdem prolis, vt poſſit ſuccedere, & beneficium vni conceſſum in ordine ad vnum effectum non ipſo iure extenditur ad alterum, cum ipſius in tali beneficio nullam princeps habeat conſiderationem, ergo diſpenſatio pro prole ad ſuccedendum non trahitur pro matre.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, diſparem eſſe rationem,

3 **Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.**

quoad ſucceſſionem mutuam filij legitimi ad Patrem, ac Parentum ad filios legitimos, quando mutatur ordo mortalitatis, ac quoad ſucceſſionem matris illegitimæ ad filios naturales, & ſpurios, ac filiorum ſpuriorum, & naturalium ad matrem illegitimam, quandoquidem quando parentes, & filij ſunt legitimi ſuccedunt ad inuicem ex diſpoſitione iuris, quod in fauorabilibus latam patitur interpretationem, quando vero filius ſpurius, & naturalis ſuccedit ad matrem illegitimam ſuccedit præciſe ex diſpenſatione, quæ, cum ſit odioſa, eſt ſtrictè interpretanda, nec extendenda vltra limites eiuſdem diſpenſationis *Benedictus de Peruſio d. conſ. 1., & Felin. d. c. poſtulaſti num. 9.* Deinde quoad primum caſum eſt expreſſa iuris diſpoſitio *in d. l. nam, & ſi parentibus, ff. de inoffic. teſtam.* quæ non eſt quoad ſecundum. Ad ea, quæ ſubduntur, dicendum eſt primo, ea militare, quando diſpoſitio quoad vnum eſt à iure communi, ſecus quando eſt ex ſpeciali diſpenſatione in fauorem vnius. Secundo fallunt ea, quæ dicta ſunt de correllatiuis, quando

Non ſemper diſpoſitū quoad vnum relatiuum intelligitur diſpoſitum quoad alterum.

verſamur in diſpoſitionibus, & conuentionibus, quæ ſunt ſtricti iuris *Decius conſ. 212. Viſis quæ accuratè col. 2. num 3., Socinus conſ. 74. difficultatem col. 2. nu. 5. vol. 3., Crauetta de antiquit. temp part. 4. n. 71., & ſeqq. Tuſchus lit. C. concl. 1041. nu. 15. cum ſeqq. Baldus conſ. 188. in fin. nu. 2. lib. 1.* hic autem verſamur in diſpenſationibus, quæ ſunt ſtricte interpretandæ per ſuperius allegata, & probata, Tertio fallunt, quando per ſe non ſunt mutuo correllatiua, ſed tantum pendente aliqua conditione, vt in caſu noſtro. Quarto fallunt, quando non militat eadem ratio pro vtroque correllatiuo *Baldus conſ 188. in ſubtil. in fin. n. 2. verſ. item non obſtat lib. 1.*, vbi quod licet teſtamentum inter liberos valeat coram duobus teſtibus, tamen non valet inter parentes propter diuerſam rationem *Gabriel. concl. 3. nu 51. verſ primo limita tit. de legib., & conſtit.* hocque idem exemplificant in caſu, de quo loquimur de ſpurio per patrem legitimato, quia licet ipſe ſuccedat patri, & matri, non ità è conuerſo, licet ſint correllatiua, quia diuerſa eſt ratio, nam filius non peccauit in aliquo, parentes autem ſic *Fulgoſius conſil. 82., quod incipit Nicolaus de caprolo nu. 2.*, quod dictum pluribus illuſtrat exemplis, & primo in matre tranſeunte ad ſecunda vota, quæ non ſuccedit filijs, quamvis filij ex primo matrimonio ipſi ſuccedant, item quando non petijt tutorem, tunc etenim etiam filij ipſi ſuccedunt, non vice verſa.

Alijs pluribus exemplis poteſt hæc doctrina illuſtrari, & ſimul confirmari reſponſio. Nobis vnum ſufficiat. Hoc ſit in legitima, quæ ſi fuerit aucta reſpectu deſcendentium intelligitur etiam aucta reſpectu aſcendentium per textum *in auth. Nouiſſima cum ibi notatis, C. de inoffic. teſtament.*, quod tamen non procedit, quādo eſt diuerſa ratio reſpectu vtriuſq; ſic v. gr. ſtante ſtatuto, quod legitima filiorum ſit ad medietatem bonorum parentum, hocque excludat Matrem ſtantibus agnatis in certo gradu, hæc tamen non habebit legitimam auctam prout filij, quia non tantum fauet matri, ſicuti filijs *Ioannes de Immola conſ. 114. In cauſa quæ vertitur num. 11. verſ. reſtat nunc videre vſq; in fin.*, ergo, vbi eſt diuerſa ratio, diſpoſitum quoad vnum ex correllatiuis non intelligitur diſpoſitum quoad alterum. 4 **Exempla pro noſtra opinione.**

---

§. XXV.

An priuilegium conceſſum filijs trahatur etiam ad adoptiuos.

SVMMARIVM.

Caſus expoſitio in ſuis terminis. 1.

Extantibus filijs legitimis, & naturalibus priuilegium non trahitur ad adoptiuos. 2.

Sententia aſſerens non trahi ad adoptiuos, quando non extant legitimi, & naturales. 3.

Non extantibus naturalibus, nec legitimis, nec illegitimis trahitur ad adoptiuos. 4.

Non extantibus legitimis naturalibus, ſed tantum illegitimis cum adoptiuis iſti

exclu-

excludunt illos in priuilegio. 5.
Filius adoptiuus regulariter non ſuccedit in feudis. 6.
Potiora ſunt priuilegia adoptiuorum, quam naturalium illegitimorum. 7.
Quomodo verificetur, quod diſpoſitio loquens de filijs comprehendat naturales. 8.
Extantibus cum adoptiuis illegitimis, ſed legitimatis iſti excludunt adoptiuos. 9.

1
Factum tale.

DISQVISITIO XXV. Conceſſerat Princeps intuitu meritorum Antonij pro eiuſdē filijs priuilegium quoddam ſingulare. Antonius filios naturales, nec habebat, nec habere poterat, cum eſſet impotens, vel fortè etiam ſacris initiatus, habebat tamen adoptiuos. Hic quæſitum fuit, an priuilegium illud pro filijs Antonij conceſſum trahatur ad adoptiuos, cum naturales non eſſent.

2
Extantibus legitimis, & naturalibus non trahitur ad adoptiuos.

Extantibus filijs legitimis, & naturalibus reſpectu eiuſdem Antonij priuilegium non trahi ad adoptiuos eſt in iure certiſſimum per textum *in c. adoptiuus ſi de feud. fuer. controu. Baldus in l. ſi quis poſthumos in princip., ff. de lib., & poſth.* Difficultas ſolummodò eſſe poteſt in duplici caſu; primo, quandò alij filij non extant, niſi adoptiui; ſecundò, quandò cum adoptiuis extant quidem naturales, ſed illegitimi, an ſcilicet tunc in tali priuilegio ſint præferendi naturales, & illegitimi cum excluſione adoptiuorum, an verò adoptiui cum excluſione naturalium illegitimorum.

3
Sententia negans trahi ad adoptiuos, quandò nō extant legitimi, & naturales.

Videtur abſolutè dicendum priuilegium illud non extantibus filijs legitimis naturalibus, nec trahi ad adoptiuos, quandò iſti ſolummodò extant, nec ad eoſdem, nec ad naturales illegitimos, quandò ſimul iſti exiſtunt. Ratio ex eo deducitur, quià priuilegia, vtpotè exorbitantia à iure communi, ſicuti & diſpenſationes ſunt ſtrictè interpretanda, nec extendenda vltra propriam formalem, & rigoroſam formam verborum, quibus conceduntur; Nomine autem filiorum ſecundum propriam, & rigoroſam acceptionem veniunt ſolummodò legitimi, & naturales, quibus propterea non extantibus priuilegium ex defectu ſubiecti videtur euaneſcere. Nihilominus

4
Non extantibus naturalibus, nec legitimis, nec illegitimis trahitur ad adoptiuos.

Reſpondeo primo, non extantibus filijs naturalibus, nec legitimis, nec illegitimis, nec extare valentibus priuilegium probabilius trahi ad adoptiuos, in eiſque firmari. *Felinus in c. ſicut Romana n. 7 de reſcript. Baldus de pace conſt. in verb. caſſentur, Alexander in l. 4. §. prætor in 4., & 5. col. ff. de damn. infect., & in ſimilibus, Paulus conſ. 75.* Ratio ex eo deducitur, quià, cum tale priuilegium ſit conceſſum filijs intuitu meritorum Patris, vt præfertur in facti ſerie, præſumitur ex voluntate Principis conferentis, quod conferatur ea intentione, vt gratum fiat Patri omni meliori modo, quo poteſt, & ad normam præſumptæ voluntatis eiuſdem Patris, ſed voluntas Patris præſumitur, quod ſit, vt priuilegium conferatur adoptiuis, quandò non ſunt naturales legitimi potius, quam vt priuilegium euaneſcat, ergò &c. Confirmatur primo, quià priuilegia Principis ita ſunt ſumenda, vt nihil in eiſdem ſit ſuperfluum *Baldus in rub. C. de contrah. empt. in q. 10. Gloſa in l. fin. ff quod metus cauſa, Gloſa in l. poſt quam in gloſ. 1. C. de pac. Phylip in c. paſtoralis in princip. de appoſ., & Ludouicus in repet. l. 1. col. 25 C. de hæred. inſtit.*, ergò priuilegium illud conceſſum filijs intuitu Patris ita debet intelligi, vt quandò non ſint filij legitimi, & naturales applicetur adoptiuis, ne illud reddatur omninò fruſtraneum. Hoc idem pluribus exemplis poteſt illuſtrari, tum in contractibus, tum in legatis, tum in reſcriptis, de quibus ad ſaturitatem *Alexander in l. 4. §. prætor in 4. col. ff. de dam. infect.* Nobis vnum, vel alterum ſufficiet.

Exemplis confirmatur.

Primum ſit *in l. fundus, qui locatus, ff. de fund. inſtru.*, vbi locato fundo cum inſtrumento, ſi ibi ſit inſtrumentum Domini, & coloni intelligitur legatum de inſtrumento domini, ſi verò ibi nullum ſit inſtrumentum Domini intelligitur de illo coloni, ne legatum reddatur inutile, & ſuperfluum. Secundum ſit in mandato teſtatoris, qui, ſi iuſſerit, vt ſoluantur ipſius debita, non intelligitur loqui de præſcriptis bona fide, ſi autem alia non ſint debita, niſi illa, quæ ſic præſcripta ſunt, intelligitur mandatum ad illa extendi, ne mandatum ipſum ſit ſuperfluum. *Baldus in l. quibus diebus §. dominus, ff. de condit., & demonſtrat.*, quod probat præcipuè ex *eod. textu in l. fundus, qui locatus eſt, ff. de fund. inſtruc.* Tertium in legato crediti, quod intelligitur de puro, non in diem, ſi tamen non ſit creditum purum intelligitur de eo, quod habet in diem, ne reddatur legatum ſuperfluum, & inane *Baldus in l. ſi ita ſcripſiſſet, ff. de leg. 2.* Alia, & his ſimilia exempla vide apud *Felinum d. c. ſicut Rom. de reſcript à n. 7. ad 10.*

5
Extantibus ſolum illegitimis naturalibus cum adoptiuis iſti illos excludunt in priuilegio.

Reſpondeo ſecundo, nullis extantibus filijs legitimis, & naturalibus, ſed tantum illegitimis, & naturalibus ſimul cum adoptiuis probabilius priuilegium Principis conceſſum filijs intuitu Patris trahitur ad adoptiuos excluſis illegitimis, & naturalibus. In hanc conſentiunt, quotquot ſuſtinent patri ſuccedere filium adoptiuum ſecluſis illegitimis, & naturalibus, & quotquot ſuſtinent adoptiuos æque ſuccedere cum legitimis, quandò hi extant, & adoptio facta eſt auctoritate Principis, *§. ſed hodie inſtit. de adopt §. ſed & verſ. inuenimus inſtit. de hæred., quæ ab inteſt.*

Digitized by Google

inteſt. def., quandòquidem reſpectu bonorum Patris adoptantis adoptiui tenent locum hæredis ſui per textum *in l. cum adoptiuis* §. *ſed ſi quidem C. de adopt. l. arrogato ff. de ſanator. Baldus in l. eum, quem C. de fideicommiſ. Romanus in l. venter, ff. de acq. hæred.*

Ratio huius ſecundæ reſponſionis ex eo deduci poteſt primo, quià priuilegium Principis conceſſum intuitu meritorum Patris trahi debet ad eum, ad quem trahitur voluntas Principis, & Patris, ſed voluntas Principis, & Patris potius præſumitur trahi ad adoptiuum, quam ad illegitimum, & naturalem, ergò &c. Maior probatur, quià tale priuilegium ſupponitur conceſſum intuitu meritorum Patris erga Principem concedentem, ergò priuilegium illud debet referri ad eum, ad quem principis, & Patris voluntas trahitur. Minor etiam ſic euincitur, quià Pater ex eo, quod aliquem in filium ſibi adoptauerit, ſatis indicauit voluiſse prælationem adoptiui ſupra naturalem illegitimum, & cum voluntas Principis ſit ad remuneranda beneficia ſibi à Patre præſtita præſumi debet referri ad voluntatem eiuſdem Patris, ergò &c.

Pater potius inclinat in filiũ adoptiuũ, quam in illegitimũ naturalem.

6 Filius adoptiuus regulariter non ſuccedit in feudis.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod filius adoptiuus non ſuccedat in feudis §. *adoptiuus ſi de feudo defuncti controu. fuerit inter Dominum, & agn.*, quia adoptiuus eſt tantum filius artifitialis, & ficté talis ad ſimilitudinem naturalium à lege inductus, & iura ſimpliciter loquentia de filijs non trahuntur ad fictos, quod idem dicitur de ſucceſſione in emphytheuſi *Speculator in tit. de locato* §. *nunc aliqua verſ. 68., Immola in l. ſi ita quis* §. *is cui, ff. de legat. 2. Baldus in l. fideicom., ff. de condit., & demonſt.*, ergo hoc idem debet verificari quoad cætera priuilegia à Principe conceſſa; Non, inquam, obeſſe poteſt, quandoquidem fallit hæc regula, vt ſupra innuebamus, quando ex defectu filiorum naturalium, & legitimorum priuilegium redderetur fruſtraneum, niſi traheretur ad adoptiuum *Baldus in l. ſi quis poſthumos in princip. ff. de lib.*, *& poſth. Felinus in c. 1. num. 7. de reſcript.*. Quod ſi aſſeras, hanc exceptionem ceſſare, quando cum adoptiuis extant naturales, & illegitimi, quia tunc priuilegium congruentius his adaptatur, cum iſti ſint vere filij à natura, illi vero non niſi fictione iuris; contra adhuc impugaberis, quia filij naturales, & illegitimi in ordine ad ſucceſſionem in nulla conſideratione habentur, cum ad ſummum ſuccedant in duabus vncijs, quæ ſucceſſio eſt loco alimentorũ; & adoptiui etiam illis exiſtentibus plenè ſuccedant in iuribus patris adoptantis, vnde non eſt, cur priuilegia potius ad illos, quam ad iſtos debeant trahi potiſſimum, cum priuilegia conceſſa intuitu meritorum Patris debeant referri, & regulari ad normam, & voluntatem eiuſdem Patris.

Confirmari poteſt reſponſio, quia Princeps concedens priuilegia conformari præſumitur, quantum poteſt, diſpoſitioni iuris, ed ex diſpoſitione iuris exiſtentibus cum naturalibus illegitimis filijs adoptiuis iſti ſuccedunt illis excluſis, ergo & iſti debent ſuccedere in huiuſmodi priuilegijs excluſis naturalibus, & illegitimis.

Confirmari poteſt vlterius, quia potiora ſunt priuilegia adoptiuorum, quam naturalium illegitimorum, quod ſic euincitur. Exiſtentibus cum legitimis naturalibus filijs adoptiuis, iſti cum illis æque ſuccedunt in bonis, & iuribus Patris per textum *in l. ſi te parens, C. de ſuis, & legit.* §. *adoptiuus Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ.* §. *liberi quoque Inſtit. de ſucceſſ. cog. leg. cum adopt., & l. qui in adoptionem ff. de adopt.*, quinimmo adoptiui excludunt aſcendentes *l. 2.* §. *liberi ff ad Tertullianũ*, & multo magis tranſuerſales *l. cum in adoptiuis*, §. *ſed ne articulum C. de adopt.*, & faciunt partem in legitima *Corn. in conſ. 85. nu. 16 vol. 5. Miſcelan. in tract. de ſucceſſion. ab inteſt. in tertio membro principali art. 1.*; exiſtentibus verò legitimis naturalibus cum illegitimis, iſti nec æquè ſuccedunt, nec excludunt aſcendentes, nec tranſuerſales, nec faciunt partem in legitima, ergò iura in primis præferunt adoptiuos naturalibus, & illegitimis, Deindè ad verificandum priuilegium, ne fruſtraneum reddatur, debet potius ad ipſos referri, quam ad illegitimos, & naturales.

7 Potiora ſũt iura adoptiuorum, quam illegitormũ.

Neque quoad hoc vrgeas, quod diſpoſitio de filijs loquens comprehendat etiam naturales, vt probat *Martha tom. 1. de ſucceſſ. leg. parte 1. q. 2. art. 3. n. 5.* per textum *in l. liberos, ff. de ſenatoribus verſ. ſiuè naturales, ſiuè adoptiui, & l. 1. ff. de bono. poſ. 2. tab. in verſ. liberos accipere debemus, & l. ex facto*, §. *ſi quis rogatus ff ad Trebel.*, vndè etiam dicitur, quod, ſi filij in conditione ſint poſiti, ceſsare faciant naturales ius ſubſtituti, vt ſi quis rogatus fuerit, ſi ſine filijs deceſſerit, reſtitueret hæreditatem, tunc etenim exiſtentibus naturalibus deficit conditio, & iſti excludunt eum, cui facienda eſset reſtitutio hæreditatis *Couaſius in lib. 1. miſcellaneor. iuris cap. 7. Franciſcus Coranus in lib. 10. comment. iur. c. 1 n. 8. Molinus de primogenijs lib. 3 c. 3 n. 43. Menochius lib. 4. præſumpt. 78. n. 6., & 19.*; hocque latè probat *Martha loc. cit. à n. 7. ferè per totum*, ergò etiam exiſtentibus naturalibus illegitimis ſimul cum adoptiuis illi excludent adoptiuos in priuilegio, vel ſaltem cum iſtis ſuccedent; Non, inquam, ſic vrgeas, quià in primis ea, quæ dicuntur in inſtantia ad ſummum veri-

8 Quomodo verificetur quod diſpoſitio loquens de filijs comprehendat etiam naturales.

Digitized by Google

verificantur, quandò naturales inſtituuntur ex teſtamento, quatenus ſcilicet per illud poſſint inſtitui non exiſtentibus filijs legitimis naturalibus, vt loquitur *Achilles de Graſſis in tit. de teſtamentis deciſ. 5.* Deindè ea procedunt, quandò exiſtunt tantum filij naturales, & illegitimi, ſecùs autem, quandò ſimul cum iſtis concurrunt adoptiui, qui certè præferendi videntur ex rationibus, & iuribus ſupra allegatis. Tandem, quandò etiam verificarentur in concurſu naturalium illegitimorum cum adoptiuis intelligēda eſſent dumtaxat per ordinem ad fideicommiſſa, in quibus præſumendus eſt, quod fideicommittens potius iura ſanguinis, quæ magis elucent in naturali illegitimo, reſpexerit, quam iura adoptionis, quæ conſtituunt adoptatum ſolum fictè, & artificialitèr filium, non in ordine ad priuilegia Principis conceſſa intuitu meritorum Patris, in quibus Princeps potius reſpicit affectionem, & inclinationem Patris, cui præſumitur ſe conformare.

9

Legitimati excludunt adoptiuos.

Reſpondeo tertiò, exiſtentibus cum filijs adoptiuis filijs naturalibus, & illegitimis, ſed legitimatis, probabilius eſt, iſtos excludere à priuilegio adoptiuos. Ita ſentire exiſtimo quotquot ſuſtinent legitimatos ſuccedere ad feuda *Ioannes Andreas in c. 1. § naturales nu. 7. ſi de feud. fuerit controu. inter Dom., & Agnat. Martinus Laudenſis in tract. de primog. col. 9. Gulielm. de Perno conſ. 10 Iaſon in l. generalitèr §. cum autem n. 9. C. de inſtit., & ſubſtit. Gabriel. in tit. de legitimatione conſ. 1. n. 21.*, & ità fuiſſe iudicatum in camera Imperiali, in Rota Romana, in ſenatu Burdegalenſi, & in arreſtu Pariſienſi refert *Martha de ſucceſſ. leg. part. 1. q. 11. art. 2. n. 12.* Sed quidquid ſit de hac ſucceſſione legitimatorum quoad feuda. Probatur primo reſponſio, quià concurrentibus ſimul cum filijs legitimis naturalibus filijs adoptiuis priuilegium conceſſum filijs non trahitur ad adoptiuos per textum *in c. adoptiuus, ſi de feud. fuerit controuer. Baldus in l. ſi quis poſthumos in princip. ff. de liber., & poſth.*, quià intantum trahitur ad adoptiuos, in quantum non ſunt legitimi, ne priuilegium ipſum reddatur fruſtraneum per ſuperius allegata iura, & DD., adeoque exiſtentibus legitimis non eſt, cur trahatur ad adoptiuos, ergò etiam concurrentibus, cum adoptiuis naturalibus legitimatis priuilegium non trahetur ad adoptiuos, ſed firmabitur in naturalibus legitimatis, cum legitimati in iure habeantur pro legitimis, & excludat ſubſtitutos *Mantica de coniect. lib. 11. tit. 10. n. 8. Lupus tract. de illegit., & nat. reſt. tom. 3. §. 2.*, qui etiam docet, ita fuiſſe deciſum Florentiæ, & Piſis, & legitimati per reſcriptum à legitimis nihil deferre expreſſo iure ſancitum eſt §.

Legitimati in iure computantur pro legitimis.

liceat vero verſ. nihil à filijs legitimis auth. quibus modis nati effic. leg § reliqui aut. quib. modis nati effic ſui, & §. ſi quis igitur filios auth. eod. tit., & comprobant *Rolandus in conſ. 83. num. 15., & ſeqq. vol. 3., & Iaſon in conſ. 39. nu 10. vol. 3.*, & in omnibus exæquantur, ita vt ſecundum multos etiam agnatis tanquam legitimi ſuccedant per textum §. *generaliter aut quibus modis nati efficiantur ſui Bartolus, & Baldus in l. communium ff. de naturalib. Iaſon conſ. 40. nu 4. vol. 3.*, & admittuntur ad omnes ſucceſſiones, ad quas admittuntur filij legitimi, & naturales §. *reliqui auth. quibus modis nati efficiantur ſui in verſ. illas ſucceſſiones, quas habent ij qui ab initio ſunt legitimi*, vt probant *Rolandus in d. conſ. 83. nu. 17. vol. 3. §. 1. auth. quib. mod. nati eff. ſui in verſ. ſuorum hæredum iura nanciſcuntur, §. & liceat auth. quib. modis nati efficiantur legitimi verſ. ſuos de cætero, & §. 1. Inſtit. de hæred., quæ ab inteſt. defert. in verſ. ſuorum hæredum iura nanciſcuntur.*

Confirmatur primo, quia priuilegium huiuſmodi conceſſum intuitu meritorum Patris reſpicit potiſſimum fauorem familiæ, vt in eadem decor, & ſplendor conſeruetur, ſed decor familiæ æque conſeruatur per legitimatos ſicuti per legitimè natos, & ideo legitimatus alijs agnatis etiam ſuccedit *Ioannes Andreas in addit. ad ſpecul. in tit. de ſucceſſionib. ab inteſtato §. fin. col. penult. Bartolus, & Baldus in d. l. communium ff. de naturalib. Angelus in conſ. 17. col. penult. Alexander in conſ. 2. nu. 12. verſ. ad prædicta facit Tiraquel in l. ſi vnquam verb. ſuſceperit liberos nu 83. C. de reuoc. donat., & in tract. de retract. part. 1. § 1. gloſ. 8. nu. 10.*; Ergo &c.

Saluatur decor familiæ etiam in legitimatis.

Confirmatur ſecundo, quia plura, & fortiora iura aſſiſtunt naturalibus legitimatis, quam aſſiſtant præciſe adoptiuis, ergo non eſt, cur in concurſu naturales legitimati non debeant præferri adoptiuis. Antecedens probatur, quia naturales legitimati habent ius ſanguinis, & legis, adoptiui autem præcisè ius legis. Adde, quod ex eo, quod naturalis fuerit legitimatus à Patre, vel de conſenſu Patris indicat affectionem Patris erga ipſum ad ſuccedendum in ipſius bonis, & iuribus, ergo cum Princeps contulerit priuilegium contemplatione Patris ad eiuſdem affectionis normã retuliſſe cenſendus eſt, adeoque priuilegium in filio naturali legitimato compleri; Neque dicas adoptiuũ, & legitimatum in iure æquiparari *gloſa in l. cum te, & l. cum in adoptiu. C. de adopt. in l. filius C. de mancip. & origin. lib. 10 l. 1 §. 1. in gloſ. magna ff de adminiſt. tut.*, contra enim impugnaberis, quia ea, quæ dicuntur in his iuribus, procedunt dumtaxat quo ad feuda, in quibus nec adopti-

Quomodo in iure legitimati, & adoptiui æquiparentur.

ui,

ui, nec legitimati ſuccedunt, ſed tantum legitimi; non exiſtentibus vero legitimis potior ratio aſſiſtit pro legitimatis.

---

§. XXVI.

An in priuilegio Principis ſuccedat naturalis primo natus, & poſtea legitimatus, an vero ſecundo natus, ſed legitimus ex legitimo matrimonio.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſiæ. 1.

Ex eo, quod inter ſuſceptionem primogeniti ex concubina, & legitimationem eiuſdem mediauerit aliud verum matrimonium, ex quo legitima proles fuerit ſuſcepta, non impeditur legitimatio eiuſdem primogeniti per ſubſequens matrimonium. 2.

Legitimatio primogeniti per ſubſequens matrimonium tenet in ordine ad ſucceſſionem in priuilegio, quantumuis non acceſſerit expreſſus conſenſus Principis. 3.

Excipe tamen quoad ſucceſſionẽ in feudo Ibid.

Legitimatus per ſubſequens matrimonium admittitur ad primogenia. 4.

Primogenitus ex concubina legitimatus per ſubſequens matrimonium præfertur alteri filio legitimo nato, & procreato ex ſubſequenti matrimonio 5.

Primogenitus ex concubina ante matrimoniũ, cum eadem initum præferendus eſt in ſucceſſione priuilegij alijs filijs progenitis ex eadem concubina conſtante cum eadem matrimonio. 6.

Primogenitus ex concubina legitimatus per ſubſequens matrimonium poſt natiuitatem alterius legitimi procreati ex præcedenti matrimonio in ſucceſſione priuilegij, quod eſt primogeniti, non eſt præferendus, ſed poſtponendus ad legitimè natum ante eius legitimationem. 7.

Primogenitus naturalis ex concubina legitimatus per reſcriptum Principis, etiam ante natiuitatem vlterius filij legitimi, non eſt potior eodem legitimo quoad iura primogenitura, aliaq; priuilegia conceſſa primogenitis. 8.

Legitimatio naturalium per reſcriptum Principis reuocatur per natiuitatem legitimorum. 9.

1 Facti ſeries in ſuis terminis.

DISQVISITIO XXVI. Titius ex concubina naturalem ſuſcepit; mox ex vxore legitima alium legitimum, & naturalem procreauit; mortua demum vxore concubinam in matrimonium ſibi legitimè copulauit, ex quo ſubſequenti matrimonio prolem prius ſuſceptam legitimauit. His poſitis Princeps intuitu meritorum Titij filijs eius priuilegium conceſſerat. Orta hic fuit controuerſia, cum illud priuilegium eſſet indiuiduum, an eſſet præferendus primo natus, ſed legitimatus per ſubſequens matrimonium, an vero legitimus ex legitimo matrimonio natus, quamuis ſubſequenter ad ipſum legitimatum.

DD. agentes de hac controuerſia.

Agunt fusè de hoc dubio *Ioannes Andreas in c. ſine culpa in 2. quæſt princip. de reg. iur. in 6. Tiraquel in tract. de iure primog. q. 34. per totum Prapoſitus in c. per venerabilem, §. quod autem nu. 33., & ſeqq. qui filij ſint legitimi Iaſon in l Gallus, §. & quid ſi tantum nu. 89. ff. de lib., & poſth.*

Opinio Marthæ in ordine ad ſucceſſionem feudalem.

Martha *de ſucceſſione leg. part. 1 q. 11. art. 2. nu. 23., & ſeqq.* loquens de feudo abſolute exiſtimat legitimationem per ſubſequens matrimonium nihil operari, niſi Principis directi Domini conſenſus accedat, qui per conſequens docet receptiſſimam eſſe ſententiam inter DD., quod ita legitimatus, licet prius natus non excludat natum vere legitimum, & naturalem *Gofredus in ſumma tit. qui filij ſint legitimi § 2. Hoſtienſis in ſumma eiuſdem tituli, §. quod ſi quis natus Bartolus in l. penult. §. vxor, & ibi Baldus, & Immola ff ſolut. matrimon. Ioannes Faber in l. cum quis C. de naturalib. lib. Angelus in § ſi quis igitur auth. quibus modis nati effic. legit. Paulus de Caſtro in l. Pomponius. §. quæſitum in lectura Paduana, ff de acquir. poſſeſ. Molina de primogen. lib. 3. c. 1. n. 7. Peregrinus de fideicom. art. 27 n. 35. Surdus in conſ. 369. n. 25. vol. 3.*

Aſſerentes hanc controuerſiam eſſe de ſubiecto non ſupponente.

Alij aſſerunt, quæſtionem hanc eſſe de ſubiecto non ſupponente, quandoquidem matrimonium, quod mediat inter ſuſceptionem prioris filij ex concubina, & legitimationem eiuſdem per ſubſequens matrimonium cum eadem concubina impedit eandem legitimationem, prout multos voluiſſe aſſerit *Tiraquel in tract. de iure primogenitorum q 34. nu 4.* incidenter, quantumvis ipſe contrarium ſenſerit allegatis ibidem pro ſe innumeris Doctoribus.

Prima diſtinctio DD. in hac controuerſia.

Alij diſtinguunt, vel etenim primogenitus ex concubina fuit prius legitimatus, antequam ſecundogenitus legitimus orietur, quod tunc contingeret, quandò Pater ex concubina progenuit filium, qui eſt nato primogenitus, & deinde cum eadem concubina contraxit matrimonium, quo conſtante alium filium, qui vtique in origine naturalis eſt, & legitimus, procreauit, vel licet ſit primo natus, non fuit tamen legitimatus, niſi poſt natiuitatem ſecundogeniti legitimi, quatenus ſcilicet ille genitus eſt ex concubina, & poſtea alter ex legitima vxore natus eſt, qua vxore poſtea præmortua, fuerit cum eadem concubina contractum matrimonium, &

per

per conſequens idem primogenitus legitimatus: Iuxta primum ſenſum aſſerunt, primogenitum legitimatum ante natiuitatem legitimi præferendum eſſe in priuigio, & in iuribus primogenituræ *Angelus Ares in §. vltimo in fine Inſtit. de nupt. Tiraquel in tract. de iure primogen. q 34. num. 48.* per textum *in l. cum quis, & l. nuper C. de natural. lib., & §. vlt. in auth. Quib. mod. nati effic. legit., & §. tribus in auth. Quib. mod nati effic. ſui.* Iuxta ſecundum aſſerunt, præferendum eſſe legitimum, & ſi ſecundogenitum, omnes DD. prædallegati pro prima ſententia.

Secunda DD. diſtinctio. Alij tandem diſtingunt, vel primogenitus ex concubina legitimatus eſt per ſubſequens matrimoniũ, vel per reſcriptũ Principis; ſi per ſubſequens matrimonium, quod celebratum fuerit ante ſuſceptionem ſecundogeniti iuxta modum mox expoſitum in præcedenti opinione, vtique aſſerunt prælationem competere ipſi primogenito legitimato, & tales ſunt DD. mox præcitati; ſi vero per reſcriptum Principis, licet antecedenter ad natiuitatem ſecundogeniti legitimi fuerit legitimatus, tunc aſſerunt eidẽ primogenito ſic legitimato non competere prælationem in concurſu cum filio legitimo, ſeu orto ex legitimo matrimonio quamuis ſecundo nato; atque ita ſentiunt plures DD. quos cumulat *Tiraquel in l. ſi vnquam in verbo donatione largitus nu. 226. C. de reuoc. donat.* ad quod aſſerendum ea potiſſimum ratione mouentur, quod legitimatio à Principe facta non tantum roboris habeat, quantũ legitimatio facta per ſubſequens matrimonium, nam legitimatus à Principe non ſuccedit in feudo per textum *in c. naturales ſi de feud. controu. fuerit inter Dom., & Agnat.* legitimati autem per ſubſequens matrimonium in eodem ſuccedunt *Mattheus Afflictus in d. c. naturales in 5. not. col. 1. per textum in §. dubitatum in auth. de inceſt. nupt.*, & per textum *in c. tanta vbi. & hoc voluit Panormitanus col. 2. qui filij ſint legitimi Ioannes Andraas in c. lator col. 2. verſ. dixi autem, & ibi Anchoranus eod. tit. Alberic. in rub. C. de natur. lib. col. 1. verſ. ſed numquid legitimatus Baldus in c. quæ in Eccleſiarum col. penult. verſ. dubitatur vtrum naturalis de conſtit. Alexander in l. ex facto §. ſi quis rogatus lect. 1. col. 9. verſ. quid autem in contractibus ff. ad Trebel. Socin. conſ. 3. in cauſa Domini col. 5. verſ. præterea in caſu noſtro lib. 3.* Quid igitur in hac opinionum varietate concludendum?

2 Poteſt legitimari primogenitus quãtumvis ante legitimationem præceſſerit aliud matrimonium. Reſpondeo primo. Ex eo, quod inter ſuſceptionem primogeniti ex concubina, & legitimationem eiuſdem mediauerit aliud verum matrimonium, ex quo legitima proles fuerit ſuſcepta, non impeditur legitimatio eiuſdem primogeniti per matrimonium ſubſequens cum concubina celebratum mortua prima vxore. *Hoſtienſis in ſumma tit. de filijs presbit. §. quod ſi quis natus, Ioannes Andraas in c. tanta in verb. poſt contractum matrimonium, & ibi Ancharanus col. 3. verſ. 2. facit. Qui filij ſint legit. Phylippus Francus in c. ſine culpa de reg. iur. in 6. Iacobus Aretinus in l. cum decem §. vlt., & ibi Bartolus, & Angelus ff. ſolut. matrimon. Baldus in l cum quis C. de natur. lib. Angelus in § ſi quis igitur in auth. quibus modis nati effic. legit. Antonius Roſella in tract. legitimationis lib. 2. col. 26. Paulus Caſtrenſis in l. Pomponius §. quæſitum in lectura Paduana, & in l. naturaliter in principio in lectura Bononienſi ff. de acquir. poſſeſ.* Ratio ex eo deducitur, quia matrimonium, quod mediat inter ſuſceptionem eiuſdem primogeniti, & matrimonium cum concubina, ex qua procreatus eſt idem primogenitus, non conſtituit eundem primogenitum conceptum, & natum ex coitu damnato, ergò eundem non reddit inhabilem, quin per ſubſequens matrimonium legitimè initum poſſit legitimari. Conſequentia tenet, quià ſubſequens matrimonium legitimat prolem quoad omnes actus legitimos *§. tanta in auth. Quibus modis nati efficiantur legit.* (Non eſſet proles ex coitu damnato.) Antecedens probatur, quia pro tempore conceptionis eiuſdem primogeniti concubina erat talis, quæ poterat eſſe coniux eiuſdem Patris, & ſic conceptus eſt ex libero, & libera. Confirmatur, quià legitimatio reſpectu talis primogeniti nec repugnat ratione originis, nec ratione actionis, qua legitimatur, nec ratione temporis, quo fit legitimatio, ergò &c. non ratione originis, quià conceptus, & natus eſt pro tempore, pro quo inter generantem, & concipientem poterat eſſe matrimonium, non ratione actionis, qua legitimatur, quià illa actio licita omninò eſt, & legitima, cum mortua prima vxore Pater concubinam nullo iure refragante potuerit matrimonio ſibi copulare; non ratione illius temporis, cum pro illo matrimonium potuerit contrahi, quod ex genere ſuo purgat omnia præcedentia legitima, ergò &c.

3 Legitimatio tenet in ordine ad ſucceſſionem in priuilegio per ſubſequens matrimoniũ, quantumvis non acceſſerit poſitiuus conſenſus Principis. Reſpondeo ſecundò. Non redditur inualida legitimatio primogeniti concepti, & nati ex concubina per ſubſequens matrimonium in ordine ad ſucceſſionem in illo priuilegio ex eo, quod non acceſſerit poſitiuus conſenſus Principis, qui illud Priuilegium conceſſit. Hanc reſponſionem intelligo excipiendo ſucceſſionem quoad feudum propriè ſumptum, ad quod non ſuccedit legitimatus per ſubſequens matrimonium, niſi Princeps conſenſerit eidem legitimationi, prout ſcribit *Salicetus in quadam ſuo conſ. incipiente, Comes Palatinus, & in quadam diſput. incipiente*

 Medio-

Mediolanenſis, quam refert *Gloſator conſuetudinum Pariſienſium in* §. 8 *gloſ.* 1. *n.*30. *Alexander conſ* 60. *col* 1. *vol.*2. *Antonius Roſella in tract. de legitimatione lib.*2. *col. penult. verſ. ſed vlterius*, *Cardinalis Alexandrinus in c per venerabilem* §. *quod autem ſibi verſ.*, *ſed quæro*. *Qui filij ſint legitimi*. Reſtringe tamen exceptionem, niſi non exiſtentibus legitimis, nec exiſtere valentibus conceſſio feudi redderetur fruſtranea, quià tunc ex allegatis iuribus ſic legitimatus poſſet etiam ſuccedere in feudo.

Excipe quoad ſucceſſionem in feudo.

Ratio reſponſionis ex eo deducitur, quià priuilegium Principis intuitu meritorum Patris intelligitur in ordine ad filios eiuſdem ſine vlla reſtrictione ad normam ſucceſſionum in bonis eiuſdem Patris, quià intelligitur factum Patri in filijs, & conſtitui inter iura hæreditaria eiuſdem Patris, nec hoc ſupponitur inferre aliquod præiudicium Principi, quandòquidem præeminentia quædam infertur familiæ ſine læſione alicuius iuris in eodem Principe, ergò non requiritur aliquis ſpecialis conſenſus eiuſdem Principis, ſed priuilegium deferri debet in eum ex filijs, qui ſuccedere debet ex diſpoſitione iuris in bona paterna ſeruato iure primogeniti, vel ſecundo geniti. Confirmatur, quià intantum in ſucceſſione feudorum præfertur legitimus ſecundogenitus legitimato primo nato, quià Princeps abdicans à ſe dominium vtile intelligitur abdicare ea intentione, vt minus extenſiuè, quam par ſit, lædatur ipſius ius, adeoque, quod reſtringatur ad ſolos filios legitimos, ne ſcilicet diutius diferatur conſolidatio dominij vtilis cum directo, ſed hæc ratio non militat in priuilegijs, quæ ſolum ſunt aduerſus ius commune, nullumque inferunt præiudicium Principi concedenti, cum nihil ſui abdicet; Neque dicas ex ijs, quæ ſuprà dicebamus, quod priuilegia, quæ aduerſantur iuri communi, ſtrictè ſint interpretanda, quamvis nullum præiudicium inferant tertio, adeoque, quod, quamuis non ſint noxia Principi, non debeant trahi ad legitimatos, niſi cum expreſſo conſenſu eiuſdem Principis; contra enim impugnaberis, quià, cum primogenitus per ſubſequens matrimonium in ordine ad huiuſmodi ſucceſſiones dicatur legitimus ex eo, quod priuilegium ipſi adaptetur, non intelligitur fieri extenſio, ſed ſolummodò applicatio ſuppoſita legitimitate per idem matrimonium, quinimmò ex eo, quod ab hac regula excipiantur ſolummodò iura feudalia, videtur eadem regula in cæteris omnibus non exceptis firmari.

Rationes ſuadentes aſſertum.

4 Non deſeram tamen hic referre ea, quæ ſcribit *Coaruuias in Epitome in* 4. *lib. decretalium in* 2. *part. c.* 8. §. 2. *n.*30. nempè filium primogenitum ex ſequenti matrimonio legitimatum admittendum eſſe ad primogenia, feuda, aliaque omnia, quæ expreſſim filijs natis ex legitimo matrimonio deferuntur, cum hic filius dicatur natus ex matrimonio legitimo, quod probat *ex c. cum in cunctis de elect.*, vbi dicitur Epiſcopum debere eligi natum ex legitimo matrimonio, & tamen *in c. innotuit eodem tit. cum gloſa ibid. communitèr recepta* habetur naturalem per matrimonium ſubſequens legitimatum poſſe in Epiſcopum eligi; vndè communitèr dicunt, hunc filium eſſe legitimum *Antonius in dicto c. innotuit de elect. Paulus de Caſtro in l fin. C. de his, qui ven. ætat. impetrar. Decius in l generalitèr* § *fin C de inſtit.*, *& ſubſtit. Matthæus de Afflict. in c.* 1 §. *naturales quinto not.*, *ſi de feud fuerit conc. inter Dom.*, *& agnat. vbi teſtatur eſſe communem ſententiam*. Hanc refero doctrinam, non quod veram exiſtimem quoad ſucceſſionem in feudis, cum alitèr contrarium aſſeruerim, ſed ad indicandum, quod in ijs, in quibus non eſt ſpecialis exceptio, ſicuti eſt in feudis, legitimatus per ſubſequens matrimonium habeatur pro vero legitimo, adeoque quod non fiat extenſio, ſi concurrentibus cæteris eidem adaptetur priuilegium ſine nouo Principis conſenſu, cum terminis conceſſionis idem priuilegium in eodem adaptetur.

Legitimatus per ſubſequēs matrimonium admittitur ad primogenia.

Reſpondeo tertio, ſi primogenitus ex concubina fuerit per ſubſequens matrimonium prius legitimatus, quam ſecundogenitus ex alio ſubſequenti matrimonio mortua prima vxore, quæ fuerat antecedentèr concubina, procreatus, præferendus eſt idem primogenitus legitimatus quoad ſucceſſionem in illo priuilegio. *Angelus Aretinus in* §. *vlt. in fine Inſtit. de nuptijs*, *Tiraquel tract. de iure primogeniorum diſp* 34. *n* 48. Ratio ex eo deducitur primo, quià ille primogenitus ſic antecedentèr legitimatus ad natiuitatem alterius legitimi habet ea omnia, quæ requiruntur de iure naturæ, & ex diſpoſitione iuris ciuilis ad ſuccedendum, quæ ſunt primæua ad ius alterius legitimi ſecundo nati, ergò non eſt, cur non debeat præferri. Antecedens probatur, quià habet vinculum naturale, quatenus naturalitèr ab eodem Patre, & matre originem trahit, habet vinculum ciuile, quatenus ex diſpoſitione iuris ita ſe habet, ac ſi eſſet legitimè natus *Antonius in d. c. innotuit de elect. Paulus de Caſtro in l fin. C. de his, qui ven. ætat. impet. Decius in l. generalitèr* §. *fin C. de inſtit.*, *& ſubſtit.*, & ſuccedit in alijs omnibus æqualitèr cum filijs legitimis; hæc autem iura habet antecedentèr ad natiuitatem alterius ſecundogeniti, quamvis hic ortum traxerit conſtante vero, & legitimo matrimonio, ergò &c.

5 Primogenitus ex concubina legitimatus per ſubſequens matrimonium cum eadè præfertur alteri filio legitimè procreato, & nato ex ſubſequenti matrimonio.

Secun-

Digitized by Google

Secundo ex ijs, quæ tradunt *Abbas in d. c. tanta in auth Quib. mod. nati efficiantur legitimi col. 2 Antonius in c per venerabilem, qui filij ſint legitimi n. 16. Carolus Molinaus in conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 8 gloſ 1 n. 49. Nicolaus de Vbaldis de ſucceſ. ab inteſt col. 23. Boerius deciſ.* 159. *col.* 2. nempè filium legitimum ratione ſubſecuti matrimonij verè legitimum eſſe etiam in rigore ſtrictæ ſignificationis; vndè merito *Coaruuias in epitome in 4. lib. decretalium in 2. part. c. 8. §. 2. n. 26.* aſſerit, quod attentis verbis huius decretalis conſiderandum ſit tempus à natiuitate ad matrimonium, vel tempus eiuſdem matrimonij, & iuxtà primum abſolutè ſentit, quod filius eo tempore ſit tantum ſictè legitimus; iuxtà ſecundum verò ideſt poſt contractum matrimonium, vel à die eiuſdem contractus ſit cenſendus verè legitimus, non ſictè, quod idem ſentit *Fortunat. in l. Gallus §., & quid, ſi tantum, ff. de lib., & poſth. col.* 126., quià tanta eſt vis matrimonij, vt filij antea geniti poſt contractum matrimonium legitimi habeantur, quare *Baldus in c. licet ad euitanda de elect.*, dicit quod verbum, *habeantur* in ijs, quæ vera ſunt, præſignet veritatem, in ijs, verò quæ non exiſtunt, fictionem, ergò cum conſtitutus ſit verè legitimus non erit, quod, ſi talis factus fuerit ante alterius natiuitatem, non debeat præferri in ijs, quæ ad primogenitum ſpectant.

6 Primogenitus ex concubina ante matrimonium præfertur filijs ex eadem progenitis cō. ſtante cum eadem matrimonio.

In fortioribus terminis deducitur, quod ſi Pater progenito filio ex concubina eandem poſtea ſibi matrimonio copulauerit, & ex eadem conſtante tali matrimonio alios filios procrearit, ille primogenitus, quantumvis conceptus, & natus ante matrimonium, proptèr legitimationem, quam conſequitur ex illo matrimonio antecedentèr ad natiuitatem aliorum filiorum ſit præferendus eiſdem in ijs, quæ ſpectant ad iura primogeniti. Hæc illatio, preterquam quod rationibus mox adductis ad probationem reſponſionis expreſſè euincitur, fortius roboratur ex eo, quià hic prior filius cauſa eſt, proptèr quam Pater concubinam matrimonio ſibi copulauit, & ex ipſa alios filios ſuſcepit, qui proptereà ob gratitudinem potiorem debent recognoſcere per textum *in l. cum quis, & l. nuper C. de natur. lib., & §. vlt. in auth. quib. mod. nati efficiantur legit, & §. tribus in auth. Quibus mod. nat. eff. ſui.*

7 Primogenitus legitimatus poſt filium ex alio matrimonio legitimum non præfertur.

Reſpondeo quarto. Si primogenitus ex concubina fuerit per matrimonium ſubſequens legitimatus poſt natiuitatem alterius legitimi procreati ex præcedenti matrimonio, in ſucceſſione priuilegij, quod eſt primogeniti, non eſt præferendus, ſed poſtponendus ad legitime natum ante eius legitimationem *Ioannes Andreas in c. ſine culpa in prima quaſt. 2. quaſt. princip. de reg. iuris in 6*, circa quam quæſtionem aſſerit ſe conſuluiſſe tres ſolemniſſimos Iuris interpretes, & ſuum præceptorem Theologum, *Iaſon in l. quoties C. de rei vend Ioannes Faber in l. cum quis col. 2. verſ quid ergo C. de natur. lib. lib. Albericus in l cum decem §. 1., ff. de ſolut. Petrus Ancharanus in c quamuis in fine de reſcriptis lib. 6. Cardinalis Alexandrinus in c. per venerabilem, §. quod autem col. 19. verſ & ex his qui eſt n. 32 qui filij ſint legitimi, Tiraquel. in tract. de iure primog. q 34. nu. 4., & ſeqq. Nicolaus de Vbaldis in tract. de ſucceſ. ab inteſtato fol 6. col. 4.* cui licet hæſitans aduerſari videtur *Coaruuias epit. in quartum decret. in 2. part. c. 8. num. 28.*, & pro hac parte aduerſa citat alios.

Hæc reſponſio pluribus poteſt euinci, primo quia ad conſtituendum legitimum ſucceſſorem ad ea, ad quę ius primogeniti vocat, duo requiruntur, & vinculum ſcilicet naturale, & ciuile, ex quibus conſtat ſucceſſio, ſed hæc duo prius reperiuntur in ſecundo genito ex legitimo matrimonio nato, quam in primogenito antecedenter nato ex concubina, & ſubſequenter ad natiuitatem ſecundigeniti legitimi legitimato, ergo ſecundogenitus legitime natus præferendus eſt quoad hoc ius ſuccedendi primo ſubſequenter legitimato. Minor probatur, quia licet in illo primogenito ex concubina prçceſſerit vinculum naturale ratione conceptionis, & natiuitatis, totum tamen conflatum requiſitum ad legitimam ſucceſſionem prius adunatum eſt in ſecundo genito legitimo, nec ratione ſolius natiuitatis oritur illud ius ſuccedendi, ſed ratione vtriuſque vinculi naturalis, ſcilicet per natiuitatem, & ciuilis per legitimationem; vndè benè dicitur *in l. quoties ff. de rei vend.*, quod quando duo requiruntur ad ius quoddam conſequendum ille potior intelligatur, in cuius perſona illa duo adunantur.

Adunantur in legitimo ea, quæ requiruntur ad ſucceſſionem, priuſquam in legitimato.

Dices primo, fortius eſſe vinculum naturale, vtpotè à natura procedens, quam ſit ciuile, quod tantum procedit ex diſpoſitione iuris, cur ergo potius ciuile ſubſequens infirmat naturale præcedens, ſeù potius illud ad ſe trahit, quam naturale præcedens infirmet ciuile ſubſequens, iſtudq; ad ſe trahat? Sed contra, quia non ſit comparatio iuris naturalis ad ciuile, ſed iuris naturalis, & ciuilis, ſimul ad ius præciſe naturale, quod ius naturale, & ciuile prius adunatur in ſecundogenito legitime nato, in qua adunatione conſiſtit ius ad ſucceſſionem, quam in legitimato, cui non acceſſit ius ciuile, niſi poſt natiuitatem legitimam alterius; attenditur autem prioritas in eo, in quo illa iura prius adunantur, non in eo, in quo præxiſtit tantum ius naturale, cum hoc non ſufficiat ad ſucceſſionem. Hæc om-

Ius naturale, & ciuile ſimul præfertur merè naturali.

nia poſſunt illuſtrari exemplo in eo, qui in emptione rei prius per traditionem acquirit dominium eiuſdem rei cum titulo, quamuis alter eundẽ titulum prius acquiſierit; vt v. g. ſi quis rem aliquam vni prius vendiderit, non tamen tradiderit, & poſtea alteri vendiderit, & tradiderit; hic etenim certe, in quo vtrumque prius adimpletum reperitur, præferendus eſt in illa emptione, non alia ratione, niſi, quia in iſto duo requiſita ad translationem Dominij titulus ſcilicet, & traditio poſita ſunt per ea, quæ docuimus *tom* 1. *ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. pranot.* 11. *nu* 2. *in probatione ſecunda partis*, & ratio eſt, quia dominium non transfertur nudis pactis, ſed vſucapionibus, & traditionibus per textum *in l. traditionibus C. de pactis*.

Dices ſecundo, hoc ius ſucceſſionis, ſeù ad ſucceſsionem attendendum eſſe non à die natiuitatis, ſed à die, quo acquiritur ius ad ſuccedendum, ſed ius ad ſuccedendũ eſt à die obitus Patris, ante quem obitum nullum eſt ius, & pro tempore obitus vtraque qualitas adunata eſt in legitimato, ergo &c. Maior probatur, quia, cum agitur de alicuius capacitate, vel incapacitate, non prius inquirenda eſt ipſius conditio, quam quandò ius ad ipſum deuoluitur per textum *in l. in fraudem* § 1 *ff. de his quibus, vt indig., & l. non intelligitur § quando autem ff de iure Fiſci*, quod etiam euincitur ex eo, quod qualitas adiuncta verbo recipit interpretationem ſecundum tempus eiuſdem verbi per textum *in l in delictis § ſi extraneus ff de noxa., & l. Titius ff de milit. teſtam.*, & ſic qualitas ad ſuccedendum attendi debet pro tempore ſucceſsionis. Minor etiam euincitur, quia non prius quis dicitur habere ius ad hæreditatem, vel legatum, quam hæreditas, vel legatum ad ipſum pertineat per textum *in l. non oportet ff. de leg.* 2., & *l. interuenit, ff. de leg. praſtan.*; hæreditas autem, & legatum non prius pertinet ad hæredem, ſeù legatarium, quam interceſserit mors teſtatoris, vel legantis; pro eo autem tempore, vtraque qualitas adunata eſt in primogenito. Sed contra primo, quià hæc ratio ceſsat in ijs, quæ pertinent ad primogenituram, & ad priuilegium principis, de quo ſpeciatim procedit difficultas in hoc titulo, quandòquidem ad ipſa ius acquirit immediatè vocatus eo ipſo, quo habet qualitates à iure requiſitas, quas habet ſecundogenitus ex legitimo matrimonio, antequam primo genitus origine acquiſierit aliam qualitatem legitimitatis, nec Pater in hoc poteſt eidem præiudicium inferre, & ſic etiam reſpondet in hac hypotheſi, *Tiraquel in tract. de iure primog. q.* 34. *n* 44., & *q* 21, & *qu.* 40.; Secundo, quià licet pro tempore

Inſtantia efficax, eiuſque ſolutio.

obitus Patris primogenitus origine habeat vtramque qualitatem adunatam, non tollitur tamen, quin ſecundogenitus ex legitimo matrimonio progenitus vtramque illam qualitatem indiuiſim, & antecedentèr ad illum ſic legitimatum habuerit; & quamuis ſucceſſio ſolum debeatur pro tempore mortis Patris, non tollitur tamen, quin illa deferenda ſit habenti prius titulum legitimum ſuccedendi, qui certè eſt ſecundogenitus legitimus, qui quamvis origine ſit poſterior, in ordine tamen ad ius ſuccedendi eſt anterior, cum prius ad alterum legitimatum vtramque qualitatem ad ſuccedendum indiuiſim habuerit; nec primogenitura quomodocunque confert ad tale ius, ſed primogenitura cum qualitate legitimitatis. Quis autem dubitat in qualitate legitimi ſecundogenitum ex matrimonio legitimo præcedere? Atque, vt hanc veritatem clarius dignoſcas, nota argumentum, quod efformat *Ioannes Andreas in c. ſine culpa in* 2. *q. n.* 14. *in reſponſione, ſeu ſolutione primi argumenti de reg. iur. in* 6. arguit igitur ſic, non valet arguere à diuiſis ad coniuncta, nam vt plurimum contingit fallacia accidentis, ſic non valet dicere. Hæc aſina eſt tua, hæc aſina eſt mater, ergò hæc aſina eſt mater tua, neque ſic valet arguere Ego ſum primus diſcretus in hoc Collegio, & ſum ſacerdos, ergò ſum primus ſacerdos factus in hoc collegio, ergò nec valebit hoc argumentum in ordine ad naturalem legitimatum ſuccedentèr ad alterius legitimi natiuitatem. Iſte eſt primo natus origine, iſte eſt legitimus, ergò eſt primo natus legitimus; ſicuti igitur in qualitate legitimi non eſt primo natus, ità neque erit potior in iure ſuccedendi in ijs, quæ primogeniti legitimi ſunt.

Dices tertio, per illam legitimationem reſtitutio natalium retrotrahitur ad tempus natiuitatis per textum *in l. vlt, ff. de nat. reſtit. Bartolus in l.* 2. *in princip col.* 2. *verſ item talis legitimatio, & ibi Alexander col* 4. *verſ. ſucceſſiuè, & recentiores. ff. de vulg, & pupil. Angelus in l. his verbis § interdum verſ., & idem dicam, ff. de hered. inſtit. Ancharanus conſ.* 225 *videtur prima facie dicendum col* 2. *verſ. his non obſtantibus*, quod eo magis colligitur, quod hæc retrotractio habet etiam locũ in iudicijs, maleficijs, & contractibus per textum *in l. vltim. C. ad macedonianum, & in c. ratihabitionem de reg. iur. in* 6., & congrua quidem ratione in legitimatione hoc ius inductum eſt, nam, ſi non daretur hæc retrotractio, ille legitimatus aliquando fuiſset naturalis tantum, aliquando etiam naturalis, & legitimus, quod eſset monſtrum per ea, quæ notantur *in c cum inhibitio de clandeſtina deſponſat* Cum igitur

Quomodo verificetur, quod reſtitutio natalium retrotrahatur ad tempus natiuitatis.

per

per illam legitimationem reſtitutio natalium retrotrahatur ad tempus conceptionis, ſeù natiuitatis eiuſdem primogeniti naturalis non eſt, cur non habeat vtramque illam qualitatem requiſitam ad ſucceſſionem antecedentèr ad illum ſecundogenitum natum ex legitimo matrimonio. Sed coatrà reſpondent aliqui fallere hanc regulam, quandò illa retrotractio per fictionem cederet in præiudicium alterius, cuius ius læderet, quæ certè reſponſio valida eſt, & efficax per ordinem ad ea, ad quæ ſecundogenitus ex legitimo matrimonio natus ante primogeniti legitimationem habet ius radicatum, qualia ſunt ius primogenituræ, & priuilegij à Principe conceſſi primogenito, cum ad illa plenum ius acquiſierit, in quo nec à Patre poteſt præiudicium ſentire; cæterum in ordine ad ea, ad quæ non habet ius radicatum, ſed tantum in ſpe, non habet locum exceptio *in §. liceat in auth. quibus modis nat. efficiatur legit., & l. ſi mulier diuerterit, ff. ſolut. matrimon.*, quibus iuribus dicitur, quod legitimatio non trahatur retro in præiudicium tertij; Non habet, inquam, locum, quià, cum habeat ille tertius ius tantum in ſpe, vtique ſine iniuria poteſt in eodem eludi; hocque clare habetur *in l. 2., & l. fin ff. de natal. reſtit.* Poteſt vlterius reſponderi ad inſtantiam per fictionem tunc tantum ius rerrotrahi ad ſuum principium, quandò inuariata remanet eadem natura, & conditio eius, in cuius fauorem fieri debet retrottactio, prout conſiderat *Ioannes Andreas in d. c. ſine culpa de reg. iur. in 6.*, per textum *in l. 1. C. de teſtamentaria manumiſſione l. ſi certatum § fin, ff de teſt. mil.*; denegari autem non poteſt, quin quodamodo facta ſit aliqualis mutatio conditionis perſonæ primogenitæ ex concubina, quandò ex ſubſequenti matrimonio ante ipſius legitimationem alius filius legitimus eſt progenitus. Tandem dici poteſt, quod fictio non trahat ius ad ſuum principium, quandò traheretur ad tempus, quo poſset ſequi iuris repugnantia per textum *in l. ſi is, qui ff. de vſucap.* cum igitur pro tempore, pro quo ex legitima vxore progenuit filium, non potuerit concubina eſse ipſius vxor, ideò &c.

Secundo noſtra reſponſio alia ratione ſic euincitur. Succeſſio primogeniti naturalis non eſt abſoluta, ſed conditionata, ſi ſcilicet ipſe legitimetur, ergo ſortiri non poteſt effectum, niſi purificata conditione, ſed quando conditio legitimationis purificatur, iam alter adeptus eſt plenum ius, tam naturale, quam ciuile ad ſuccedendum, ergo iſti deferenda eſt ſucceſſio cum excluſione illius, vtpotè qui conſtitutus eſt anterior, & per conſequens potior in iure. Primum antecedens

Succeſſio filij naturalis eſt conditionata.

ex ſe patet, quià ſine legitimatione nullum ius habet ſuccedendi. Conſequentia etiam tenet, quià ea eſt natura conditionatorum, vt effectus ipſorum ſuſpendatur vſque ad conditionis conplementum, ante quod perindè ſe habent, ac, ſi non eſsent poſita. Confirmari poteſt ex textu *in c. ſi pro te, de reſcriptis*, vbi collatus fuerat canonicatus alicui ſub conditione, ſi conſenſerit Epiſcopus, & tamen ibi dicitur, quod, ſi antequam veniat ille conſenſus, alius canonicatum in illa Eccleſia conſequatur, licet poſtea in fauorem primi ſuperveniat ille conſenſus, ille ſecundus in gratia, qui conditionem præuenit, ſit prior, & potior in iure in aſsecutione præbendæ poſt vacantis. Hæc expreſsè colligo ex *Ioanne Andraa in 6. decret. in c. ſine culpa n. 13. de reg. iuris in 6.*, quæ pluribus alijs illuſtrat exemplis valdè accomodis ad hanc rem confirmandam.

Tertio argumento deducenti ad incongrua hanc eandem reſponſionem euinco. Dato, quod naturalis primogenitus ex legitimatione ſubſequenti ad primum matrimonium legitimum, & validum, ex quo alius filius legitimus procreatus eſt, habilitare poſset ad iura primogeniti, maximè cohiberentur fæminæ nobiles, & ſpectatæ honeſtatis ad contrahendum cum viris, qui antecedentèr ex concubina genuerunt filios, quod tamen eſt contra communem praxim, ſecundum quam indiferentèr nubunt nullo habito reſpectu ad eoſdem primogenitos naturales ex concubina, quod ſignum euidens eſt, quod perſeuerante verò matrimonio non poſſit proles ex concubina antecedentèr ſuſcepta habilitari ad ſucceſſionem in præiudicium filiorum legitimorum. Deindè oh quot periculis ſubiaceret prima vxor legitima, ſi filius ex concubina præcedenter progenitus poſset per ſubſequens matrimonium Patris cum concubina habilitari quoad ſucceſſionem in iuribus primogenituræ, alijſque priuilegijs primogenitis competentibus? De facili enim primogenitus naturalis, vel fortè eius mater concubina poſset conſpirare, & captare mortem primæ vxoris legitimæ, vt per illud matrimonium ſubſequens, quod eſse poteſt cum eadem concubina; habilitaretur ad illa iura, ſeù priuilegia.

Argumenta pro noſtra ſententia deducentia ad inconueniens.

Alia plura argumenta, tàm roborantia noſtram aſsertionem, quam eidem aduerſantia congerit *Ioannes Andrea in d. c. ſine culpa in 2., & principal. q à n. 11. ad 16. de reg. iuris in 6.*, & prima proſequitur efficacibus iuribus, & ſecunda diſsoluit conuincentibus rationibus, ad quem pro clariori notitia præſentis controuerſiæ vos remitto, cum nobis ſufficere debeat principaliora attigiſse.

Reſpondeo quinto. Si primogenitus

S natu-

Digitized by Google

Legitimatus ex reſcripto principis non præfertur legitimis, & naturalibus.

naturalis ex concubina fuerit legitimatus per reſcriptum Principis etiam ante natiuitatem alterius filij legitimi ex legitimo, & vero matrimonio non eſt potior eodem legitimo quoad iura primogenituræ, aliaque priuilegia conceſsa primogenitis. *Immola in c. grandi de ſupl. negl. prælat lib 6. Alexander in l. Gallus §. & quid ſi tantum col. penult. ff. de liber., & poſth., & conſ. 25. circa primum dubium col. 3. verſ. ad prædict. confirmationem lib. 1. Tiraquel tract. de iure primog. q. 34. nu. 50., & ſeqq, Ioannes Andreas in c. ſine culpa de reg. iur. in 6. Couarruuias in lib. 4. decret. in 2. part. c. 8. n. 28. verſ. immò communis illa ſententia.* Ratio ex eo deducitur primo, quià iura quoad legitimatos per reſcriptum Principis tantum tribuunt illud minus, quod cuilibet ex legitimis competere poteſt habenti minimam partem, prout expreſſè colligitur ex textu *not. in c. quoniam variè in auth Quibus mod. nat. efficiantur ſui*, quem textum ad hunc effectum intelligunt *Baldus conſ. 206. caſus talis eſt. Quidam A habebat col. vlt lib. 3. Soccinus conſ. 246. elegantèr col. penult. verſ præterea dicta clauſula lib. 2. Romanus in l. neceſſarius, ff. de acq. hered. Iaſon in l. 1. col. 11. verſ. item attende C quando non pet. part.*, ſed ſi legitimatus haberet ius primogenituræ, & aliorum priuilegiorum primogenitis conceſſis habet non id, quod competit cuique ex filijs legitimis habenti minimam partem, ſed plus quam cæteri liberi, quod aduerſatur tali iuris diſpoſitioni, ergò &c.

Confirmatur primo, quià in multorum
9 ſententia, & quidem non incongruæ rationi innixa legitimatio naturalium per reſcriptum Principis reuocatur per natiuitatem liberorum legitimorum per ea, quæ latè cumulauit *Tiraquel in l. ſi vnquam in verb. donatione largitus n. 226. C. de donat. reuoc Couarruuias epith. in 4. decret. 2. part. c. 8. n. 28. in fin.*, quæ ſententia hic adducitur, non quod certam, & infallibilem pro nunc reputemus, cum alibi erit ſermo ex profeſso, ſed vt indicemus leue ius, quod competit legitimato per reſcriptum Principis in concurſu alterius legitimi procreati ex legitimo matrimonio, ergò non eſt aliqua ratio, qua in concurſu cum legitimo legitimatus per reſcriptum Principis debeat quoad iura primogenituræ eidem legitimo præferri.

Legitimatio naturalium reuocatur per natiuitatē legitimorū

Confirmatur ſecundo, quià quod legitimatus per ſubſequens matrimonium ante natiuitatem alterius legitimi præferendus ſit, eſt ob cauſam matrimonij, quæ maximè fauorabilis eſt, ſed fauor conceſſus ex cauſa priuilegiata, & maximè fauorabili non eſt trahendus ad aliam cauſam, quæ ita fauorabilis non eſt, ergò legitimatus ex reſcripto Principis, in quo non elucet fauor matrimonij non debet ea iura ſortiri, quæ competunt legitimato per ſubſequens matrimonium.

Tandem confirmatur ex eo, quod legitimatio facta à Principe per reſcriptum non tantum roboris habet, ac habeat legitimatio facta per ſubſequens matrimonium, ergò, quantumvis legitimatus per ſubſequens matrimonium ante legitimè natum præferatur in iure primogenituræ, cæteriſque priuilegijs primogenito conceſſis, non tamen erit præferendus legitimatus per reſcriptum Principis. Antecedens probatur, primo quià in multorum ſententia legitimatus per ſubſequens matrimonium ſuccedit ad feuda *Abbas in c. innotuit de elect. col. penult. Ioannes Andreas in c. lator, qui filij ſint legit. Recentiores communitèr in l. generalitèr §. cum autem C. de inſtit., & ſubſtit. Nicolaus Boerius deciſ. 123.*, hancque opinionem eſse communitèr receptam teſtatur *Alexander in l. ex facto §., ſi quis rogatus num. 18. ff. ad Trebell.*, legitimatus verò per reſcriptum principis ad eadem non ſuccedit per textum *in c. 1. §. naturales, ſi de feud. fuer. controu. inter Dominum, & agn Carolus Molin. in conſuet. Pariſien. tit. 1. §. 8. in gloſ. 1. q 8. Tiraquel. lib. 1. de retractu §. 1. in gloſ. 3. n. 6.* Secundò, quià legitimati per matrimonium ſubſequens excludunt fœminas à ſtatuto eaſdem excludente exiſtentibus maſculis, non ſic legitimati per reſcriptum Principis *Tiraquel in repet. l. ſi vnquam in verb. ſuſceperit liberos n. 67. hinc quoque, & n. 81., & quamvis C. de reuoc. donat.* Tertiò legitimatus per ſubſequens matrimonium habet querelam inofficioſæ donationis, non ſic legitimatus ex reſcripto *Baldus in l. 1. col. penult. verſ. item quæro vtrum fil in C. de iure Fiſci lib. 10.* Quartò legitimati per ſubſequens matrimoniū ſuccedunt in Emphytheuſi Eccleſiæ *Petrus Ancharanus conſ. 241. ex tenore priuilegij col. vlt Immola in l. quod dicitur verſ., & per hanc rationem, ff de verb. oblig.* non ſic autem legitimatus per reſcriptum *Baldus in l. generalitèr §. cum autem C. de inſtit., & ſubſtit.*

Iura potiora legitimati per ſubſequens matrimonium comparatiuè ad legitimatum per Principem.

§. XXVII.

Digitized by Google

§. XXVII.

An nullo exiſtente legitimo filio, ſi plures naturales ſimul legitimentur, vel per reſcriptum Principis, vel per oblationem curiæ primogenitus ex illis ſit præferendus in priuilegio conceſſo primogenito.

SVMMARIVM.

Factum proponitur, & explicatur. 1.
Rationes ſuadentes primogenitum non eſſe præferendum. 2.
Opinio ſuſtinens præferendum eſſe primogenitum. 3.
Probabilius præferendus eſt primogenitus. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ.

1 Exponitur factum. DISQVISITIO VXVII Titius ex concubina, quam domi detinebat, cum ipſe eſſet liber, ex coitu non damnato plures filios progenuit. Princeps per indultum eidem priuilegium conceſſerat pro filio primogenito, ſi quos habuiſſet. Cum idem Titius nullos filios legitimos haberet, nec ſpes eſſet, quod foret habiturus, ex prædictis priuilegium, ne fruſtraneum reddatur, trahendum eſt ad naturales, præcipuè ſi legitimentur. Rebus ſic ſtantibus, vel idem Titius matrimonio ſibi copulauit eandem concubinam, ex qua plures filios progenuerat, & conſtante matrimonio alios filios non progenuit, vel fortè nullo contracto matrimonio à Principe reſcriptum impetrauit, quo omnes filij ex eadem concubina fuerunt legitimati, vel fortè omnes fuerunt legitimati per oblationem Curiæ. Hic orta fuit controuerſia, an primogenitus natu in hac hypotheſi quoad illud priuilegium à Principe conceſſum pro primogenito eſſet præferendus.

2 Rationes ſuadentes primogenitum non eſſe præferendum. Ex prædictis in præcedenti diſquiſitione videtur primogenitus non eſſe præferendus, quandòquidem qualitates, quæ requiruntur ad ſucceſſionem, non prius in ipſo adunantur, ac adunentur in cæteris fratribus natu minoribus, præcipuè, ſi ad ſuccedendum requiratur qualitas legitimitatis, ſeù legitimationis; ſicuti enim, quandò concurrit primogenitus legitimatus poſt natiuitatem legitimi, ipſe non præfertur, quià ius naturale, & ciuile prius adunatur in legitimo, quam in ipſo per textum *in l. quoties C. de rei vend.*, & quoties duo requiruntur ad ius quodlibet conſequendum is potior eſt, in cuius perſona eadem prius reperiuntur; ita, quandò concurrit primo natus cum cæteris fratribus ſubſequenter natis, omnes tamen ſimul legitimantur, non videtur iure ipſe præhabendus in ordine ad illud ius ſuccedendi, cum non prius illa duo, vinculum ſcilicet naturale, & ciuile in ipſo reperiantur, ac in cæteris fratribus, adeoque, ſicuti quia priùs in priori caſu illa duo reperiuntur in ſecundo genito legitimo, quamvis ſit poſterior origine ipſe præfertur, ita quià illæ duæ qualitates non prius in ipſo, quam in cæteris fratribus reperiuntur, non videtur ipſe cæteris in illo iure præferendus, quod clarè ſic euincitur, quià ordo ſeruandus eſt priorum ad poſteriora, ſicuti ſimultaneorum ad ſimultanea, ergò ſicuti, quandò illa adunatio qualitatum, in vno prius reperitur, ille præfertur ad eum, in quo per poſterius ſit illa adunatio, ita quandò illa adunatio eſt in vtroque ſimul, & æque primo nullus ex ijs eſt alteri præferendus, ſed omnes æquè primo debent ſuccedere; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod cum in vtroque qualitas legitimationis ſit æquè primo, ſit attendenda ad prælationem alia qualitas prioritatis originis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià illa qualitas prioritatis originis non confert ad præſens inſtitutum, niſi prout eſt affecta qualitate legitimationis, vt videre eſt in primogenito legitimato non niſi poſt natiuitatem alterius legitimi.

In hanc opinionem propendere videntur *Antonius Roſella in tract. legitimationum col. 30. verſ. vbi autem concurrunt, & Cardinal. Alexandrin. in c. per venerabilem §. quod autem col. 32. verſ., ſed dubium poſſet eſſe, qui filij ſint legitimi*, qui tamen alia videntur moueri ratione, nempe, quod, cum hic caſus videatur in iure omiſſus, debeat regulari ad normam diſpoſitionis iuris communis, iuxtà quam, ſicuti omnes filij legitimi æquè primo ſuccedunt in iuribus, & bonis paternis, quod idem intelligendum eſt de æquè primo legitimatis, quandò nulli extant legitimi, ita omnes æquè primo legitimati, quandò nulli extant legitimi, æquè primo in eodem iure debeant ſuccedere; & hoc ſiuè fuerint æquè primo legitimati per ſubſequens matrimonium, ſiuè per reſcriptum Principis, ſiuè per oblationem curiæ, cum non videatur diuerſa ratio.

Ex aduerſo *Cirier in tract. primogenituræ lib. 1. q. 4. col. vlt. verſ. vltimam concluſionem Mod. Pariſ. in conſuet. Pariſ. tit. 1. § 8. gloſ. 1. in 7. q. col. vlt., verſ. ſed quid ſi non ſunt* quibus accedit *Tiraquel tract. de iure primogeniorum q. 34. num. 59. in fin.* abſolute ſuſtinent in ea hypotheſi primogenitum quoad illud ius primogenituræ, cæteraq; priuilegia primogenito conceſſa, cæteris fratribus natu minoribus præferendum, quorum aliam rationem non inuenio, niſi, 3 Opinio ſuſtinens in ea hypotheſi præferendum eſſe primogenitum.

quià

quia primogenitus origine cæteris paribus ſit præferendus, nec quidem incongruè hoc ſtatui videtur, quandoquidem ætati maius ius, vbi alia non concurrunt, videtur ſemper deferendum, cum natu maiores regulariter in cæteris omnibus præferantur, vbi aliud ratio non expoſtulat, vel ius ipſum non diſponit; nec in hoc videntur locum habere ea, quæ dicta ſunt pro prima ſententia, quandoquidem verum quidem eſt, quod ille ſit præferendus, in quo prius illa duo iura requiſita ad ſucceſſionem adunantur, nec in ea hypotheſi habenda ſit ratio prioritatis originis, quia tunc eſt titulus, ratione cuius ille, in quo illa iura fuerunt prius adunata, præferatur, & comparando illud conflatum in vno ad prioritatē originis in altero efficitur quidem, quod prior originę non habeatur in conſideratione, quia fortius ius in altero præualet; comparando verò ad inuicem vtrumq; æque primo legitimatum, ſi in vno præponderet prærogatiua prioris originis, cum aliud non reperiatur in altero, quod præualere poſſit, videtur ratione eiuſdem prærogatiuæ ſimpliciter præferendus, qui eadem pollet. Quid igitur concludendum?

Preferendus eſt primogenitus

Reſpondeo, potiora eſſe iura primogeniti, præcipuè ſi priuilegium ſit indiuiduum, adeoq; ipſum in data hypotheſi, cæteris eſſe præferendum. Conſentiunt DD. pro ſecunda ſententia allegati, & rationes pro eadem adductæ videntur ſufficienter reſponſionem euincere. Vlterius tamen poteſt fortius ſic roborari. Priuilegium Principis, ne reddatur fruſtraneum, trahendum eſt etiam ad impropria, vbi in proprijs, & ſecundum propriam formalem ſignificationem non poteſt verificari per ea, quæ ſupra latè tradidimus, & expreſsè conſtat ex ijs, quæ tradunt *Baldus in rub. C. de contrahend. empt. in q. 10. Gloſa in l. fin., ff quod metus cauſa, Ludouicus in repet. l. 1. col. 25. C. de hæred. inſtit.*, vbi etiam dictum fuit, quod, quantumvis priuilegium Principis non trahatur ad adoptiuos, ſi tamen nulli extent, nec exiſtere poſſint filij legitimi naturales, ad illos trahatur, ne ſit ſuperfluum, ergò etiam in hac hypotheſi, cum priuilegium illud non poſſit trahi ad filios legitimos, cum nulli exiſtant, trahi debet ad naturales, & legitimatos; Inter legitimatos quiſnam eſt potior? non ne, qui primus origine eſt, cum in cæteris omnes ſint pares? Certè in omnibus, in quibus plures in iure pares ſunt, ille præfertur, qui potior eſt tempore. Secundò, quià in controuerſia, an dominium rei duobus venditæ ſit vni, vel alteri per traditionem conferendum, ille cæteris paribus pręferendus eſt, qui prior eſt tempore, ergò etiam in dubio, an priuilegium à Principe conceſſum ſit vni, vel alteri ex filijs conferendum, ille in paritate rationis debebit præferri, qui intèr filios, ſeù fratres eſt prior origine, ſeù tempore. Tertiò, quià, ſi in illa rerum contingentia interogaretur Princeps, cui vellet priuilegium conferri, pręſumendum eſt, quod potius annueret primogenito, quam cęteris origine ſubſequentibus, ergò ex præſumpta voluntate principis in illis circunſtantijs prior natu debet ſuccedere.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Nec obeſſe poſſunt ea, quę ex aduerſo pro contraria ſententia afferebantur; non primum, quià, quantumvis prioritas originis ſecundum ſe non conferat ad ſucceſſionem, quandò deſtituta eſt pręrogatiua legitimitatis comparatiuè ad filium legitimum ſecundo natum ex legitimo matrimonio, eo quià in iſto prius adunantur omnes qualitates requiſitę ad legitimam ſucceſſionem, ac adunentur in illo poſt ſubſequentem legitimationem ad natiuitatem eiuſdem ſecundo nati, confert tamen in ordine ad alterum ſecundo natum, qui etiam eſt deſtitutus tali legitimatione; vndè quantumvis æque primo & legitimitas, vel per ſubſequens matrimonium, vel per reſcriptum Principis, vtrique conferatur, ratione tamen prærogatiuæ originis efficit, vt primus debeat præualere, quod etiam exemplificari poteſt ſeruata proportione in duobus legitimis, ex eodem matrimonio, qui quantumvis ratione legitimitatis habeant æqualem conditionem, ratione tamen temporis, ſeù originis primus præfertur.

Nec etiam obeſſe poteſt ſecundum, quià quantumvis hic caſus videatur omiſſus, metiri tamen debet ad normam iuris, non qua omnes ęqualitèr ſuccedere debeant, ſed ad normam iuris, ſecundum quam prior in tempore potior eſt in iure. Deindè in hac hypotheſi metienda res eſt iuxtà præſumptam Principis concedentis voluntatem potius, quam ſecundum aliquam iuris diſpoſitionem; ex præactis autem Princeps concedens priuilegium primogenito videtur in paritate rationum in cæteris potius reſpicere prioritatem originis, adeoque &c.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

An falſa latinitas vitiet reſcriptum Pontificis quoad priuilegia, & diſpenſationes.

SVMMARIVM.

Status quæſtionis propoſitus. 1.
Excitatur ratio dubitandi ex c. ad audientiam de reſcriptis. 2.
Si peccatum contigerit in falſa latinitate in reſcripto Pontificis, reſcriptum ipſum vitiatur. 3.
Idem intelligitur de reſcriptis aliorum Principum, quæ ex ſtilo curiæ tranſeunt per multas manus. 4.
Intellige, quantumvis falſa latinitas contigerit in vno tantum articulo, & non in alio. 5.
Procedit in reſcriptis etiam expectatiuis gratia. 6.
Explicatur textus in l. Imperator, ff. de ſtat. hom., *cum alijs concordantibus*. 7.
Excipe, ſi falſitas non ſit certa, ſed dubitabilis. 8.
Item, ſi falſitas contingeret in vna dumtaxat littera, ſiuè adaucta, ſiuè dimminuta, ſiuè variata. 9.
Irritatur reſcriptum, quantumvis de Pontificis mente conſtaret. 10.
Si falſitas contigerit defectu orationis, vel dictionis non vitiatur reſcriptum Pontificis. 11.

1 *Refertur ſtatus controuerſiæ.* DISQVISITIO XXVIII. Supplex ad Romanum Pontificem confugit Caius pro impetrando beneficio, vel diſpenſatione ſuper aliquo impedimento. Annuiſſe videtur Pontifex, ſed in reſcripto contigit falſa latinitas, & vtique patens. Hic excitata fuit controuerſia, an ratione illius falſæ latinitatis, præſumptione iuris, & de iure arguatur falſitas conceſſionis, ratione cuius vitietur reſcriptum.

2 *Textus in cap. ad audientiam explicatur.* Excitatur hæc difficultas propter textum *in cap. ad audientiam de reſcriptis*, vbi expreſſè hæc verba continentur. *Ad audientiam noſtram, quod H. de Sancto Stephano ſuper abſolutione ſua literas tibi, vt prima facie videbantur, Apoſtolicas præſentauit. Quibus quoniam manifeſtum continent in conſtructione peccatum, fidem te nolumus adhibere*; ex quibus verbis expreſſè conijcitur, mentem Pontificis eſſe, vt non teneat reſcriptum, in quo contigerit erratũ in latinitate.

Aliqui circa hoc diſtinguunt, vel peccatum in latinitate contingens eſt ex ſe tale, vt ex illo non poſſit conijci mens Pontificis reſcribentis, vel tale, vt eo non obſtante clare eluceat eiuſdem Pontificis mens concedentis; iuxta primum ſenſum aſſerunt, reſcriptum omninò vitiari, nec eidem fidem adhibendam eſſe, iuxta textum præſentem *in c. ad audientiam de reſcript.* iuxtà ſecundum verò ſentiunt non vitiari, quia tunc imperfectionem ſcripturæ ſupplet perfectio intellectus per textũ *in l. cum Pater §. cum imperfecto ff. de leg. Innocentius in c. ex parte de fid. inſtrum.* *Prima diſtinctio circa dubium propoſitũ.*

Alij diſtinguunt, vel etenim peccatum contingit defectu orationis, vel dictionis præciſè, & tunc aſſerunt, non vitiari reſcriptum, ſi de mente Pontificis conſtet *Innocentius in d. c. ex parte de fid. inſtrument.* cui adherere videtur *Felinus in c. ad audientiam de reſcriptis, & alij*, vel contingit circa latinitatem, & tunc ſentiunt vitiari per textum *in d. c. ad audientiam*. Exemplum primi afferunt in eo, quo Pontifex conferre volens beneficium diceret *volumus prouideri Titio de ſpectante ad talem Eccleſiam*, vbi deficit illa particula *beneficio*, vel ſi diceret *Volumus Titio de beneficio ſpectante ad collationem Epiſcopi*, vbi deficit illa particula *prouideri*. *Secunda diſtinctio.*

Reſpondeo primo, ſi peccatum contingerit in falſa latinitate in reſcripto Pontificis, reſcriptum ipſum vitiatur *Felinus in d. c. ad audientiam de reſcriptis, Ludouicus Romanus conſ. 376. Quæſtio eſt numquid num. 11. ad fin.*, & omnes ferè ſcribentes *in d. c. ad audientiam* conſentiunt. Expreſſè euincitur ex verbis eiuſdem textus, quæ mox recitaui, & ratione etiam, cui innititur textus, comprobatur, quià eſt præſumptio iuris, & de iure, quod reſcriptum illud cum illo errore, ſeu falſitate latinitatis non exierit è cancellaria Pontificis, ergò eidem nulla fides de iure eſt adhibenda. Antecedens probatur, quià reſcriptum illud, antequam è cancellaria Pontificis exeat per plures peritorum manus pertranſit, & per conſequens licet erratum, ſeu falſitas poſſit vnius, vel alterius oculos ſubterfugere, non tamen præſumi poteſt, quod omnium euitet conſiderationem, potiſſimum cum magna cum maturitate decoquatur per textum *in c. Apoſtolica 35. quæſt. 9.*, *& cap. cum adeo de reſcript.* 3 *Per falſam latinitatẽ in reſcripto Pontificis reſcriptum vitiatur.*

Hic excitant DD. controuerſiam, an ea, quæ dicuntur de reſcripto Pontificis, quandò falſitas contigit in latinitate, intelligenda ſint etiam de reſcripto aliorum Principum, in quo talis falſitas contingit. Affirmant *Abbas in d. c. ad audientiam de reſcriptis in fin. Bartolus in l. Planius in fin. ff. de au., & arg. leg. Baldus in l. eam quam in princip. C. de fideicom. lib.*, qui ea ratione mouentur, quod Principes regularitèr habeant cancellarias benè ordinatas, & viris doctis refertas. Negat *Felinus in d. c. ad audientiam n. 1. de reſcriptis*, quià licet 4 *Idem intelligendum etiam eſt de reſcriptis aliorum Principũ, quandò ex ſtilo curiæ reſcriptas tranſeunt per multas manus.*

Digitized by Google

Principes in ſuis cancellarijs doctos ſcribas, & peritos habeant, vnus tamen non habet ex proprio munere ſcripturas reuidere, quę ab altero expediuntur; vndè non eſt vlla præſumptio iuris, & de iure, quæ eſt in reſcripto Pontificis, quod ex ſtilo curiæ tranſire debet per multas manus, & oculos, quas, ſeù quos ſubterfugere erratum in latinitate non eſt probabile. Quamobrem id iuris eſse exiſtimo in hoc caſu, quod, ſi ex ſtilo curiæ eorundem Principum reſcripta eorundem tranſeant per plures manus, habeantur pro infectis, ſi error in latinitate contigerit, quià tunc militat præſumptio iuris, & de iure, quæ militat in reſcripto Pontificis, ſi verò ex ſtilo curiæ per vnius, vel alterius tantum manus tranſire debeant, non habeantur pro vitiatis, cum talis præſumptio non militet.

5 Etiam ſi falſa latinitas contigerit in vno tantũ articulo.

Amplia primo reſponſionem, vt procedat, quantumvis error, ſeù falſitas in latinitate circa reſcriptum Pontificis contigerit tantum in vno articulo, & non in altero *Baldus in d. c. ad audientiam, & ibi Felinus, & alijs de reſcrips.*, & ratio ex eo deducitur, quià fides reſcripti eſt indiuidua, ſeù indiuiſibilis, ergò, dum deficit in vno, corruit quoad omnia. Antecedens præterquam quod patet *ex d. c. adientiam & c., ſi ad ſacras diſt. 9.* ex eo etiam euincitur, quià ratio, ob quam dicitur reſcriptum per illam falſitatem vitiari, eſt, quià reſcriptum illud non pręſumitur exire ex cancellaria Pontificis proptèr illam falſitatem; ex eo autem, quod non ſupponatur exire ab eadem cancellaria ſupponitur quoad omnia non habere vim, tanquam, ſi non eſset reſcriptum Pontificis; Neque obeſse poteſt textus *in c., ſi eo tempore de reſcrips. in 6.*, vbi dicitur, quod ſubreptio in vna parte reſcripti non vitiat totum reſcriptum in partibus ſeparatis; Non, inquam, obeſse poteſt, quià eſt diuerſa ratio, & diuerſitas rationis conſiſtit in eo, quod in ſubreptione non ſupponitur falſitas in ſcriptura, ſed falſa expoſitio in parte quoad impretrantem, adeoque non inducit negationem voluntatis Pontificis, nec facit in ea parte, in qua non eſt ſubreptio, pro ea negatione præſumi; falſitas autem in latinitate, cum inducat præſumptionem, quod illa ſcriptura non ſit reſcriptum Pontificis, inducit negationem præſumptionis, quod voluntas Pontificis interceſserit, adeoque &c. Deindè non ità certum eſt, quod ſubreptio in vna parte reſcripti non vitiet totum; cum contrarium plurimi doceant, prout docent de inſtrumento, & teſtimonio *Innocentius in c. fraternitatis de hared.*, *& communitèr in l. ſi ex falſis C. de tranſact.*, vndè iuxtà hanc ſententiam *ad c. ſi eo tempore de reſcrip. in 6.* dicendum eſt, textum illum procedere, quandò ſubreptio contingeret quoad partem principalem, quæ finalitèr mouet Pontificem ad concedendum reſcriptum.

Fides reſcripti eſt indiuidua.

Inſtantia à paritate diſſoluta.

6 Procedit quoad reſcripta etiã expectatiuas gratiæ.

Amplia ſecundo, vt reſponſio non ſolum procedat in reſcriptis gratioſis, ſed etiam in expectatiuis gratiæ, prout notat *Ludouicus Romanus in d. conſ. 376. n. 12.*, & in ſtatutis *Baldus in d. c. ad audientiam de reſcriptis*, vbi ſtatuta æquiparat ad eadem reſcripta.

7 Explicantur nonnulli textus.

Neque ijs, quæ hactenus dicta ſunt, aduerſari poſsunt textus *in l. imperator, ff. de ſtatu hom.*, *& l. qui habebat C. de man. teſtam. l. in legatis C. de legat. 1.*, *& c. ex parte de fid. inſtrum.* in quibus dicitur, quod proptèr malam latinitatem ſcriptura non vitietur. Non, inquam, aduerſari poſsunt, quià huiuſmodi textus procedunt de erroribus, qui quoad latinitatem procedunt ex in curia Notariorum, ſeù Tabellionum in inſtrumentis, & teſtamentis, qui errores non vitiant, ſi de veritate, & voluntate teſtatoris conſtet per textum *in l. errore, & l. ambiguitates C. de teſtamentis*. Ratio autem, cur falſa latinitas non vitiet teſtamentum, ſeù inſtrumentum, vitiet autem reſcriptum Pontificis ex eo deducitur, quià cum teſtamentum, ſeù inſtrumentum quoad expreſſionem ſolum committatur Notario, ſeù Tabellioni, nec vllus ſit, qui corrigat, non exponitur præſumptioni falſitatis; reſcriptum verò Pontificis, cum ex ſtilo Curiæ per multas manus tranſeat, & ſub plurium oculos cadat, ſi fuerit cum illo errore in latinitate, inducit vehementem præſumptionem de iure, quod ab eiuſdem Pontificis cancellaria non emanauerit *Gloſa in d. c. ad audientiam de reſcriptis*.

8 Intellige, ſi falſitas ſit certa.

Plures limitationes vſque ad vndecim quoad hanc noſtram reſponſionem enumerat *Felinus in d. c. ad audientiam de reſcriptis à nu. 3.*, quem tu conſule. Nobis ſufficiat vnam, vel alteram referre. Prima ſit, ſi iſta falſitas in latinitate non ſit manifeſta, ſed dubitabilis, prout etiam excipiunt *Butrius, Abbas, & Imola in d. c. ad audientiam de reſcriptis*, hæcque limitatio colligi poteſt ex verbis eiuſdem textus *in c. ad audientiam*. Ibi. *Quoniam manifeſtum continent in conſtructione peccatum*, ex quo videtur firmari regula, quod non vitietur, ſi non manifeſtum, ſed tantum dubitabile contineat erratum; quod etiam vlterius ex eo euinci poteſt, quod aſserit *Baldus in d. textu*, quod in dubio verba debeant intelligi, ſi poſſit, vt non inferatur peccatum in latinitate *arg. l. Plautius in fin., ff de aur., & arg leg.*. Secunda ſit, quandò peccatum in conſtructione contingeret in vna dumtaxat litera, vel adaucta, vel diminuta, vel variata *Baldus in d. c. ad audientiam, Cardinalis conſ. 95. nobilis, & praſtans amice optimè*; intellige tamen, niſi variatio illa

9 Item niſi falſitas cõtingeret in vna dumtaxat litera,

ita

ita variaret ſignificationem, vt ſenſum deſtrueret propter textum *in c. inter dilectos de fid. inſtrum.* Alias limitationes tu ipſe vide apud eundem *Felinum loc. cit.*

10 Etiam ſi conſtaret de mente Pontificis.

Reſpondeo ſecundo, ea, quæ mox dicta ſunt in præcedenti reſponſione, locum habent, quantumvis de mente Pontificis conſtet, *Felinus in d. cap. ad audientiam de reſcrip. Ludouicus Romanus conſ. 376. & alij magis communitèr.* Ratio ex eo deduci poteſt, quià perfectio intellectus in hoc non ſupplet imperfectionem ſcripturæ per allegatum textum *in l. cum Pater §. cum imperfecta, ff. de legat. 2.* cum ſcriptura illa verſata ſit in multorum manibus, & ſub plurium oculos ceciderit. Deindè in illo textu *c. ad audientiam* optimè præſumitur de mente Pontificis, cum in illo textu verificetur ratio dicti, & tamen ibi Pontifex ait illi reſcripto fidem nō eſſe adhibendam, ergò &c. Tandem, quià ratio, ob quam Pontifex declaret inualiditatem illius reſcripti, etiam militat, vbi conſtaret de mente eiuſdem Pontificis; ea quippe eſt, quià reſcriptum Pontificis per multas manus tranſit, & maxima cum maturitate decoquitur, hæc autem ratio etiam militat, vbi conſtaret de Pontificis mente, ergò &c. Confirmari tandem poteſt ex diſcrimine, quod aſſignat *Gloſa in d. c. ad audientiam in verb. manifeſtum de reſcriptis*, inter peccatum latinitatis contingens in inſtrumentis, & teſtamentis, & peccatum eiuſdem latinitatis contingens in reſcripto Pontificis ſitum in eo, quod illud non noceat, ſi conſtet de ſtipulantis, & teſtantis voluntate, ergò expreſsè ſentit, quod tale erratum in reſcriptis Pontificis noceat, quantumvis de eiuſdem Pontificis mente conſtet, cæteroqui fruſtrà inter vtrumque aſſignaret diſcrimen.

Rationes euincētes intentum.

11 Non vitiatur reſcriptum Pontificis, ex defectu orationis, vel dictionis.

Reſpondeo tertio. Si peccatum contigerit defectu orationis, vel dictionis præcisè probabilius non vitiatur reſcriptum Pontificis. In hanc expreſsè conſentiunt *Felinus in d. c. ad audientiam de reſcriptis, Ludouicus Romanus in d. conſ. 376. Innocentius in d. c. ex parte de fide inſtrum.* Ratio ex eo deduci poteſt, primo quià textus *in d. c. ad audientiam* loquitur præcisè de peccato contingente circa falſam conſtructionem, ſeù falſam latinitatem, ergò non debet trahi ad alium ſenſum, in quo talis conſtructionis, ſeù latinitatis falſitas non conſurgit, ſed tantum defectus orationis; non enim diſpoſitiones legales maximè correctoriæ debent trahi de caſu ad caſum. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quantumvis textus loquatur præcisè de falſitate circa conſtructionem, ſeù latinitatem, ratio tamen, cui innititur textus, militet etiam, quandò interuenit defectus orationis, nec mirum eſt, quod vbi militat eadem ratio, diſpoſitio legis ab vno in alium caſum ſimilem trahatur per textum *in c. in corporalia de transl. Epiſ.* Quod autem eadem militet ratio, facilè ex eo euincitur, quià ex illo errore circa conſtructionem, ſeù circà latinitatem arguitur, quod reſcriptum non emanarit è Pontificis cancellaria, cum improbabile ſit, quod tranſierit per tot manus, & non fuerit correctum, & emendatum peccatum; cum ergò etiam tranſierit per tot manus reſcriptum, quandò eſt cum defectu orationis, videtur eandem præſumptionem inducere, cum probabile non ſit, quod aliquis ex tot, per quorum manus pertranſijt, defectum orationis non emendarit; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià defectus orationis, ſeù dictionis poteſt ſubintelligi præcipuè, cum clauſulæ ex ſtilo curiæ apponi conſuetæ ſemper tacitè inſint; error autem in conſtructione, ſeù in falſa latinitate non poteſt ſubintelligi prouenisse ex cancellaria, cum per tot manus pertranſierit, adeoque inducit præſumptionem, quod ab eadem non emanauerit reſcriptum.

Rationes pro reſponſione.

Secundo reſponſio ex eo euinci poteſt, quod potius ſit præſumptio, quod è cancellaria Pontificis non emanauerit reſcriptum cum manifeſta falſitate in conſtructione, ſeù in latinitate, quam reſcriptum defectuoſum ex omiſſione, ſeù defectu orationis, ſeù dictionis, quandòquidem mala conſtructio arguit ignorantiam, & facilius inducit virum doctum ad correctionem, omiſſio verò non inducit ignorantiæ præſumptionem, ſed potius inaduertentiæ, quæ non ità facilè inducit ad correctionem, cum non reſultet in dedecus eiuſdem cancellariæ, ſed poſſit præintelligi, ſeù ſubintelligi, ergò &c.

---

§. XXIX.

An diſpenſatio ſuper matrimonio inito ſcientèr in gradu prohibitio de iure poſitiuo eximat etiam à cenſuris, quæ impoſitæ ſunt aduerſus ſic contrahentes.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Duplex ſtatus controuerſiæ. 2.
Rationes ſuadentes diſpenſationem non abſoluere à cenſuris. 3.
Sententia aſſerens inducere abſolutionem à cenſuris. 4.
Sententia oppoſita cum ſuis fundamentis. 5.
Stante ſtilo curiæ non eſt neceſſaria abſolutio à cenſuris. 6.
Præciſo ſtilo curiæ non ipſo facto intelligitur

abſolutio à cenſuris. 7.

Ex vi tamen diſpenſationis trahitur facultas ad abſoluendum à cenſuris. 8.

1 Proponitur facti ſeries.

DISQVISITIO XXIX. Impoſita eſt pœna excommunicationis aduerſus contrahentes matrimonium ſcientèr cum impedimento in gradu prohibito *in clement. 1. de conſang., & affin.* per illa verba, *eos qui diuino timore poſtpoſito in ſuarum periculum animarum ſcientèr in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis conſtitutione canonica interdictis matrimonia contrahentes refrænare metu pœnæ ab huiuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes ipſos excommunicationis ſententia ipſo facto decernimus ſubiacere*. Stante hac iuris canonici diſpoſitione Caius vtique non ignarus impedimenti contraxit cum Titia conſanguinea ſua in tertio gradu, & poſteà pœnitens de errore, ſeù potius temerario auſu ſupplex ad Romanum Pontificem confugit pro diſpenſatione ſuper illo impedimento impetrando, à quo impoſitis certis, & ſalutaribus pœnis fuit ſuper illo diſpenſatus, vt ſeruatis Eccleſiæ iuribus poſset iterum cum eadem Titia contrahere, ſed in illa diſpenſatione, ſeù diſpenſationis reſcripto nulla facta fuit mentio abſolutionis ſuper illa excommunicatione contracta ob anſam contrahendi cum illa ſcientia impedimenti. Quæſitum hic fuit, an diſpenſatio Papæ ſuper illo matrimonio prohibito de iure poſitiuo operetur effectum, vt ſic diſpenſati intelligantur abſoluti ab illa excommunicatione, quam contraxerunt in matrimonio contracto cum ſcientia illa impedimenti.

2 Duplex ſtatus controuerſiæ.

Quæſitum propoſitum duplicem poteſt habere ſenſum; primum, an ex vi illius diſpenſationis per Pontificem conceſsæ intelligatur ipſo iure inducta abſolutio ab excommunicatione illa ſic contracta. Secundum, an ſaltem ſit inducta habilitas, vt poſſit ſine alio reſcripto ab eadem abſolui, ita tamen, vt indigeat abſolutione.

3 Rationes ſuadentes diſpēſatione non inducere abſolutionē à cenſuris.

Videtur abſolutè dicendum ex vi illius diſpenſationis non inducta abſolutio ab illa excommunicatione ſic contracta, quandòquidem, quamvis ex eadem cauſa illa excommunicatio ſit inducta, ex qua contractum eſt matrimonium, tolli tamen non poteſt, quin inductum fuerit duplex vinculum, alterum impedimenti, alterum cenſuræ, quod vtrumque eſt ſeparabile; diſpenſatio autem ex genere ſuo eſt talis, vt non trahatur ad omninò diſtincta, & ſeparabilia.

4 Sententia afferens inducere abſolutionē à cenſuris.

Ludouicus *Romanus conſ.* 307. ſentit diſpenſationem Papæ ſuper matrimonio in gradu prohibito ſcientèr contracto habere effectum abſolutionis excommunicationis incurſæ per *clement. 1. de conſanguinitate, & affinit.* Rationem ex eo deducit, quià, cum Princeps beneficium, vel gratiam incapaci ex certa ſcientia confert eo ipſo ſuper incapacitate diſpenſare cenſetur, vel eam de plenitudine poteſtatis tollere per textum *in l. quidem conſulebant, ff. de re iud. l. idem Iulianus, ff. de excu. l. Barbarius §. 1. ff. de offic prætor. l imperialis § ſed & ſi tales C. de nupt.*, ergò, cum Pontifex ſuper illo impedimento diſpenſauerit, & gratiam contrahentibus contulerit ſciens eoſdem affectos eſse nota excommunicationis, (non enim eam ignorare præſumendus eſt, cum omnia iura in ſcrinio pectoris ſui habere cenſeatur per textum *in c. 1. de conſtit in 6. l. omnium C. de teſtam.*) eoſdem ad eandem gratiam recipiendam habilitare per remotionem excommunicationis cenſendus eſt.

Ex aduerſo præter ea, quæ mox adducta ſunt de duplici vinculo, quorum vnum per diſpenſationem alterius non ſoluitur, poteſt ſic, nec inutilitèr procedi. Excommunicatio lata ob aliquod delictum, vel ob læſionem alterius non ipſo iure diſſoluitur, quo ſublatum eſt delictum, vel ſatisfactum parti læſæ, ſed excommunicatus adhuc indiget abſolutione. *Adrianus in 4. quæſt. 3. de clauibus in fin. ad argumenta, Suarez tom. 4. in 3 part. diſp. 52. ſect. 2. n. 3., & de cenſuris diſp. 12. ſect. 2. n. 7. Filiutius tom. 2. tract. 8. c. 6 n. 136. Paulus Laiman tom 1. Theol. mor. tract. 5. part. 2 c. 2. nu. 2 Fernandez in medulla part. 3. c. 7. §. 4. num. 2 Didacus Nugnus in addit. ad tertiam partem qu 17. art 1. Georgius Pollachius in Bullam Vrbani 8 ſect 4. nu. 22, & ſect. 41. num. 18. Marius Alterius de cenſuris lib. 1. diſp. 5. cap. 6 dub 3. Sanctarellus de Iubilæo cap. 15 dub. 14*, qui omnes ſuſtinent excommunicatum, quantumvis emendatum ante abſolutionem ab eadem excommunicatione non conſequi iubilæum, & per conſequens ipſa excommunicatione adhuc ligatum permanere, ergò etiam, quantumvis per diſpenſationem ſublatum fuerit vinculum impedimenti, ratione cuius inducta eſt illa excommunicatio, non proptereà intelligetur ſublata eadem excommunicatio, ſed contrahentes adhuc indigebunt abſolutione ab illa. Quid igitur in hac controuerſia concludendum? 5 Sententia oppoſita refertur.

Reſpondeo, ſtante ſtilo Romanæ curiæ, ſeù Cancellariæ Pontificis, ſecundū quem omnes gratiæ, conceſſiones, diſpenſationes, indulta concedi ſolent præmiſſa abſolutione ab omnibus cēſuris ad effectum dumtaxat huiuſmodi gratias, conceſſiones, indulta, & diſpenſationes conſequendi probabilius eſſe diſpenſationem illam ſuper illo impedimento matrimonij initi in gradu prohibito habere effectum abſolutionis excommunicationis incurſæ ob illud matrimonium ſic ſcientèr contractum; Atq; iuxta hunc ſenſum procedere 6 Stāte ſtilo curiæ non eſt neceſſaria abſolutio à cēſuris.

exi-

exiſtimo *Ludouicum Romanum loc. cit.*, atq; hunc effectum conſequi exiſtimo diſpenſatos, quantumvis in reſcripto non fuerit appoſita illa clauſula *Abſoluentes ab omni vinculo excommunicationis* &c *ad hunc effectum dumtaxat &c.* Ratio ex eo deducitur, quià, vbi expreſſe conſtat de Pontificis diſpenſantis mente, non eſt ambigendum circa effectum abſolutionis, ergò, cum Pontifex expreſsè abſoluat in ordine ad effectum diſpenſationis obtinendum, non debet dubitari de valido effectu eiuſdem abſolutionis, & ad hoc magis conferre poteſt ſcientia, quæ præſumitur in Pontifice diſpenſante, de excommunicatione contracta per ipſos contrahentes; eo enim ipſo quo ſcit eos eſſe excommunicatos, & diſpenſat cum clauſula conſueta abſolutionis, eandem abſolutioné referre cēſendus eſſe ad effectum, quem vtique nouit; nec huiuſmodi effectum abſolutionis ab excommunicatione impedire poteſt, quod eadem fortaſſe clauſula abſolutionis non fuerit appoſita, quandòquidem cum ex ſtilo curiæ apponi conſueuerit habetur ex eodem ſtilo pro oppoſita, vt ſunt vulgatiſſima iura.

7

Præciſo ſtilo curię indiget abſolutione à cenſuris.

Reſpondeo ſecundo, præciſo ſtilo Curiæ, & attenta præciſè natura diſpenſationis, probabilius eſt, diſpenſatos ſuper illo impedimento non ipſo iure intelligi abſolutos ab excommunicatione, quam ob illum contractum ſcientèr initum contraxerunt. Hanc in terminis licet diuerſis, conferentibus tamen validè, & efficaciter ad præſens inſtitutum ſuſtinent *Suarez tom. 4. in ſecundam partem D. Thomæ diſp. 52. ſect. 2. nu. 3, Lauorius part. 2. c. 14. num. 51., Georgius Pollachius in Bullam Vrbani VIII. ſect. 4. nu 23., Alterius lib. 1. de cenſuris diſp. 5. c 6 in fin.* dum dicunt, quod, quandò Papa, vel Epiſcopus, qui poteſt abſoluere ab excommunicatione concedit nominatim, & in particulari tali excommunicato indulgentiam, non conferrat capacitatē eidem ad lucrandam indulgentiam, niſi exprimat, & per conſequens quoad hoc illam conceſſionem non eſſe abſolutam, & efficacem, ſed conditionatam, ſi per illum non ſteterit, & propterea aſſerunt in conceſſione indulgentiæ regulariter concedi poteſtatem abſoluēdi ab excommunicatione, vel dari ipſam abſolutionem ad talem effectum; ex quibus infero, ergò ſi per conceſſionem indulgentiæ nominatim excommunicato per habentem facultatem ipſum abſoluendi ab excommunicatione ipſo iure non aufertur excommunicatio, in fortioribus terminis ipſo iure non auferetur per diſpenſationem ſuper impedimento matrimonij conceſſam per Pontificem, ſi in diſpenſationem non fuerit expreſſa illa ablatio excommunicationis. Hæc conſequentia

Rationes pro aſſertione.

facile ſic deducitur, quià magis videtur connecti conceſſio indulgentiæ cum illa ablatione excommunicationis, quam diſpenſatio ſuper matrimonio inualido ex cōſanguinitate in gradu prohibito cum eadem, quandoquidem illa diſpenſatio, ſeù matrimonium eadem ſtante poteſt ſubſiſtere in ſuo valore quoad ſubſtantiam etiam perſeuerante excommunicatione, non ſic poteſt ſubſiſtere indulgentia perſeuerante ſtatu excommunicationis, ergò, ſi per conceſſionem indulgentiæ nominatim excommunicato factam non intelligitur ipſo iure induci abſolutio ab excommunicatione, multò minùs eadem abſolutio intelligetur inducta per diſpenſationem ſuper illo impedimento matrimonij.

Secundo ex eo poteſt confirmari, quod communiter docent Theologi, & canoniſtæ, excommunicationem ſcilicet auferri per ſolam abſolutionem *Suarez de cenſuris diſp. 19. ſect. 1. nu. 7. Theologi communiter in 4. diſt. 18., & Summiſtæ verbo excommunicatio, & verbo abſolutio, Abbas in c. vlt de matrimon. contracto contra interdictum Eccleſiæ*, ſed per illam diſpenſationem ſuper illo impedimento matrimonij non ponitur abſolutio ab excommmunicatione contracta propter illud matrimonium antecedenter inualidè cum ſcientia inualiditatis contractum, niſi de illa ſimul cum diſpenſatione fiat expreſſio, ergò &c.

Excōmunicatio nō tollitur, niſi per abſolutioné.

Tertiò, quià ſimul ſtare poteſt validitas matrimonij, & quoad fieri, & quoad factum eſſe cum excōmunicatione actualiter perſeuerante per ea, quæ ſupra diximus, quod ſcilicet excommunicati poſſint validè matrimonium contrahere, quo contracto ratione neceſſitatis poſſunt ad inuicem contrahentes cohabitare ſine aliqua noxa, ergò poteſt eſſe diſpenſatio ad valide contrahendum abſque eo, quod neceſſario trahatur abſolutio quoad excommunicationem.

Stare poteſt matrimonium cū excommunicatione.

Neque in hoc audiendus eſt *Nugnus in addit. ad 3. part. q. 17. art. 1. nu. 9.* dum in ſimilibus dicit de conceſſione indulgentiæ, quod, ſi Pontifex concedat excommunicato talem indulgentiam ignorans talem excommunicationem non ſit valida conceſſio, eò quià ſi ſciret forè non conferret; ſi verò conferat cum ſcientia excommunicationis, tunc intelligatur abſoluere ad effectum; vt excommunicatus conſequatur effectum eiuſdem indulgentiæ; Non, inquam, audiendus eſt, quia quantumvis concedat cum ſcientia excommunicationis ſemper intelligitur concedere, ſi ea præſtet, quæ neceſſaria ſunt ad ipſam conceſſionem quoad ſuum effectum conſequendum, adeoq; quod exigat hic abſolutionem à cenſura, ſicuti à peccatis.

Cōfutatio Nugni.

Reſ-

Digitized by Google

8 Reſpondeo tertiò. Quamuis attenta præciſè natura diſpenſationis non intelligatur abſolutus ab excommunicatione, trahitur tamen facultas, vt ſine ſeparatione poſſint abſolui. Deducitur ex textu *in c. vnico element. de conſang., & affinit.*, vbi contrahentes ſcienter matrimonium in gradu prohibito afficiuntur excommunicatione latæ ſententiæ, & *præcipitur Eccleſiæ Prælatis, vt illos, quos eis conſtiterit taliter contraxiſſe excommunicatos publicè tandiu nunciens, ſeù à ſubditis faciant nunciari, donec ſuum humilitèr recognoſcentes errorem ſeparentur ab inuicem, & abſolutionis beneficium obtinere mereantur*; Ex quibus verbis colligo, quod ſicuti, quandò ſuum humilitèr recognoſcunt errorem, & ſeparantur, poſſunt abſolutionem excommunicationis obtinere, & ſine quia recognitione, & ſeparatione non poſſint abſolui, ità quando diſpenſationem ſuper impedimento impetrarunt etiam non poſita ſeparatione poſſint abſolui, ſine qua vtique non poſſent. Illatio ſic euincitur; id præſtat diſpenſatio à legitimo ſuperiore obtenta ſuper impedimento in ordine ad effectum abſolutionis ab excommunicatione, quod præſtat recognitio erroris cum ſeparatione, quandoquidem ratio, propter quam prohibetur abſolutio, quovſque non eſt recognitio, nec ſeparatio, eſt quià non eſt dignus abſolutione, qui conſtanti animo, & peruicaci perſeuerat in delicto, ſed quando iam eſt diſpenſatio ſuper matrimonio ſic inualidè inito non eſt perſeuerantia peruicax in delicto, quandoquidem iam validè matrimonium initum eſt, & per diſpenſationem ceſſat quæcunque malitia, ergò &c.

Ex vi diſpéſationis trahitur facultas abſoluendi à cenſuris.

DISQVISITIONES II.

A decima ad vigeſimam quintam prænotionem excluſiuè.

§. I.

An priuilegium Pontificis conceſſum cum expreſſione patriæ beneficiarij, ſed cum errore eiuſdem tenent.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens reſcriptum tenere, quamvis cum errore patria. 2.
Contraria ſententia, eiuſque rationes. 3.
Reſcriptum reſpicit potius locum originis, quam ſtudij. 4.
Soluuntur rationes pro opportunâ ſententia. 5.

DISQVISITIO I. Pontifex mandauit prouideri in Diœceſi Ticinenſi Caio ſcholari Ticinenſi de beneficio, & tamen Caius eſt Mediolanenſis, ſtudens tamen Ticini, ſeù Papiæ. Orta huic fuit controuerſia, an non obſtante illo errore patriæ reſcriptum illud expeditum in fauorem Caij teneat, an verò nullius penitus ſit roboris. 1

Facti ſeries.

Proponit hanc difficultatem *Felinus in c. ſignificante n. 8. de reſcript.*, vbi pluribus cumulatis pro vtraque parte videtur aſſerere, & concludere pro parte negante, quamuis de ipſius mente expreſsè non conſtet cum referat, obijciat, & ſoluat quaſi pro vtraque ſententia. 2

Sententia aſſerẽs reſcriptũ tenere, quamvis cum errore patriæ.

Pro parte affirmante huiuſmodi reſcriptum tenere militant hæ rationes. Prima *ex c. quià in cauſa de Procurat.*, vbi Pontifex ſtudentes Pariſijs appellat ſcholares Pariſienſes, & ſecundum communem vſum loquendi apud nos ſtudentes Papiæ appellantur ſcholares Papienſes; vndè ſecundum formalem verborum ſignificationem videtur verificari reſcriptum Pontificis in perſona Caij ex eo, quod Papiæ ſtudeat, ratione cuius poteſt dici ſcholaris Papienſis, prout exigit reſcriptum. Secunda ex textu *in cap. Abbate de verb. ſignif.*, vbi dicitur, quod ad verificandam propoſitionem ſufficiat, quod in aliqua qualitate appoſita ſubiecto verificetur prædicatum, & quandò prædicatum afficiens ſecundum aliquam qualitatem ſubiectum in illa inexiſtat, ſeù in ſubiecto ratione illius, licet non inexiſtat ſecundum alteram, interpretatio talis facienda eſt, vt propoſitio verificetur, potius ſumatur prædicatum ſecundum qualitatem, cui inexiſtit, quam ſecundum alteram, ſecundum quam non inexiſtit; Cum igitur in præſenti hypotheſi dictio *Ticinenſis* verificetur ſecundum qualitatem ſcholaris, non ſecundum qualitatem talis perſonæ ſecundum ſe, non eſt, cur non debeat accipi ſecundum quod eſt ſcolaris, ne reſcriptum illud reddatur omninò fruſtraneum. Tertia ex ijs, quæ ſupra diximus, quod, quandò reſcriptum non poteſt verificari ſecundum propriam formalem, & rigoroſam ſignificationem, trahatur etiam ad minus rigoroſam, ne reſcriptum reddatur fruſtraneum, vt diximus in reſcripto fauore filiorum, quod reſpicit propriè legitimos, & naturales, quod tamen, ſi non poſſit verificari in illis, ſi non ſint, nec eſſe poſſint, vtique trahitur ad adoptiuos, quamvis ſolummodò fictione iuris ſint tales, ergò etiam in præſenti hypotheſi, ſi nõ poſſit verificari reſcriptum in fauorem Caij, ratione originis in ciuitate Ticinenſi, verificari tamen debet in fauorem eiuſdem ratione ſtudij, quod peregit in illa ciuitate.

Rationes pro hac opinione.

Pro parte negante militant ſequentes ratio- 3

Contraria ſententia, eiuſque rationes.

rationes. Prima, quià, vbi agitur de beneficio conferendo alicui, potius attenditur locus originis, in quo beneficiandus ortus eſt, quam locus ſtudij, in quo per accidens inhabitat, nec in beneficiando reſpicitur, vbi quis ſtudeat, ſed potius, vndè ſit, per textum *in c. nullus diſt. 61.*, ergò præſumi debet, quod potius Pontifex in illo reſcripto reſpexerit Caium, vt ciuem naturalem Papiæ, quam vt ſtudentem Papiæ. Secunda, quià mens Pontificis in illo reſcripto quodamodo dubio debet coniectari ex præcedentibus, & ſubſequentibus, & ex materia, circa quam verſatur reſcriptum; ſed materia, circa quam verſatur, potius inducit pro loco originis, quam pro loco ſtudij, quandòquidem beneficium ſitum in loco ſtudij regularitèr potius confertur ciui originis, quam extraneo; vndè meritò dicit *Felinus loc. cit.*, quod, ſi Pontifex præciperet Caium ſcholarem Ticinenſem beneficiari extra Diœceſem Ticinenſem, & eſſet oriundus ex loco, in quo eſt beneficium illud conferendum, intelligatur reſcriptum de eodem non ſub qualitate ſcholaris Ticinenſis, ſed prout eſt ciuis talis alterius loci, ſicque illa qualitas enuntiata in reſcripto ſcholaris Ticinenſis eſt ad demonſtrationem talis perſonæ, non ad indicandum, quod attendatur locus ſtudij, ergò è conuerſo, ſi Pontifex mandet beneficiari Caium ſcholarem Ticinenſem in eadem Diœceſi Ticini, & ipſe ſit ciuis alterius ciuitatis, cum Ticini inhabitet ſolummodò ex cauſa ſtudiorum, non præſumendus eſt, quod voluerit beneficiari eundem Titium in eadem Diœceſi Ticinenſi, cum ibi non ſit locus originis, ſed ſtudiorum. Rationes alias adducit *Felinus loc. cit.* quem tu conſule. Quid igitur concludendum?

Pro ſolutione aduerte, reſolutionem propoſiti dubij omninò dependere à circunſtantijs, ex quibus Pontificis mens poteſt coniectari potius relata ad vnam, quam ad alteram partem in illo reſcripto; ſi enim videatur reſpicere perſonam, vt talem, ſed demonſtratam per illam qualitatem ſcholaris Ticinenſis, tunc reſcriptum ſuum ſortietur effectum, & tenebit; ſi verò videatur reſpicere ipſum, vt Ciuem Ticinenſem, tunc, quantumvis ſit ſcholaris Ticinenſis, cum tamen non ſit ciuis originis, reſcriptum non conſequetur ſuum effectum, nec tenebit.

4 Reſcriptũ reſpicit potius locum originis, quam ſtudij.

Reſpondeo, probabilius præſumi in terminis propoſitæ difficultatis, quod Pontifex in illo reſcripto reſpexerit potius locum originis, quam ſtudij, adeoque illam qualitatem ſcholaris Ticinenſis appoſuiſſe ad demonſtrationem perſonæ, non ad reſtrictionem perſonæ affectæ illa qualitate. In hanc conſentiunt *Ioannes Andreas, Immola, Felinus in d. c. poſtulaſti de reſcript.* Rationes pro ſecunda ſententia allatæ hoc ſatis conuincentèr euincunt, quià in collatione beneficiorum potius attenditur locus originis, quam locus ſtudij; nam congruentius fit prouiſio in eodem loco originis, quam in alio, ergò, cum Pontifex nominauerit perſonam, & locum, in quo facienda eſt prouiſio, & nominatus ſit quoad originem extra talem locum, probabilius cenſendum eſt, quod non retulerit mandatum ad ipſum; Neque dicas, quod, cum illa qualitas Ticinenſis coniungatur immediatè, non cum ſubiecto, nempè cum Caio, ſed cum alia qualitate, quæ coniungitur cum eodem Caio, vtique verificetur in eodem Caio, qui, cum ſtudeat Ticini, certè dici poteſt ſcholaris Ticinenſis, adeoque non eſſe, cur non verificetur reſcriptum, quod proptereà in eodem debet perfici; contra enim impugnaberis; quià quantumvis ſecundum ſe illa qualitas Ticinenſis attenta materiali verborum connexione coniungatur cum qualitate ſcholaris, attento tamen ordine ad beneficium, ad quod dirigitur, & mente dirigentis videtur potius coniungi cum ſubiecto ad locum originis, quam cum eodem ad locum ſtudij. Confirmari poteſt reſponſio, quià tàm obiectum, de quo fit mandatum, quam ſubiectum, ad quod dirigitur executio eiuſdem mandati, ſatis reſtringunt, & explicant mentem Pontificis, vt directam ad nationalem originis, nón ad habitantem præcisè cauſa ſtudiorum, quod ex eo euincitur quià, cum mandatum non ſit de prouiſione beneficij determinati, non eſt præſumendum, quod eandem prouiſionem Pontifex voluerit potius committere Epiſcopo extraneo, quam proprio, & nationali, & cum prouiſio beneficiorum congruentius fiat in loco originis reſpectu nationalis, ideo &c.

Ad ea, quæ ex aduerſo afferebantur pro prima ſententia *ex c. quià in cauſa de procurat.* dicendum eſt Pontificem ibi applicare qualitatem Pariſienſis alteri qualitati ſtudioſitatis, ſcilicet, quià ibi aſſignabatur differentia à ſcholaribus, qui Pariſijs non ſtudebant, nec materia, de qua ibi agebatur reſpiciebat potius locum originis, quam locum ſtudiorum, quod ſecùs euenit in præſenti hypotheſi, vt mox probatum eſt.

Soluuntur rationes pro oppoſita ſententia.

Ad ſecundum dicendum eſt ſimili ratione propoſitionem debere verificari ſecundum qualitatem, quam reſpicit diſpoſitum; diſpoſitum autem reſpicit locum originis, & vndè ſit, non ſtudiorum, & vbi ſtudeat; nec verum eſt, quod ſufficiat, quod verificetur in quacunque parte, maximè ſi non faciat ad rem, de qua agitur, & pars illa, in qua verificaretur

non

non attingat mentem diſponentis, ſeù concedentis.

Ad tertium dicendum eſt, reſcriptum, ſeù priuilegium, ne reddatur ſuperfluum, quandò verificari non poteſt in ſubiecto ſecundum propriam, & formalem ſignificationem, trahi etiam ad impropriam, vt dictum eſt de priuilegio conceſſo filijs, quod, quandò iſti naturales, & legitimi non extant, trahitur ad adoptiuos, quandò ſcilicet agitur de re conceſſa, quæ eſt propria concedentis, vel dependens ab ipſius voluntate, vel lædit ſolummodò ius vnius, in cuius quodammodò diſpoſitione ius illud, ſeù bona, quæ conceduntur, exiſtunt; quandò verò agitur de bonis, ſeù beneficijs diuerſæ Diœceſis non eſt trahendum reſcriptum, quod præſumitur eſſe ad vnum Ordinarium, ad alterum etiam ſi directio contigerit ex errore, vt euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam reſcriptum directum ad Epiſcopum Ticinenſem pro Titio ſcholari dicto Ticinenſi ſupponitur ex errore ad eundem directum, eo quod Titius ſupponatur Ciuis Ticinenſis, ſecundum præſumptam Pontificis mentem debuiſſet eſſe ad Epiſcopum Mediolanenſem. Deindè diſpar omninò eſt ratio de priuilegio Principis ſecundum ſe conceſſo filijs alicuius, ac de mandato prouiſionis in fauorem alicuius extra locum originis, quandòquidem primum non eſt in præiudicium alicuius, niſi concedentis, quod propterea, vt verificetur, debet trahi etiam extra propriam, & formalem ſignificationem; ſecundum verò eſt quodammodò in præiudicium Epiſcopi, ad quem dirigitur, cum compellatur beneficium conferre non ſubdito, & in damnum ſubditorum eiuſdem, qui per illam prouiſionem in exteram perſonam priuarentur iure ad conſequendam illam, adeoque non debet fieri extenſio; præcipuè cum non ſupponatur talis mens Pontificis mandantis talem prouiſionem.

---

§. II.

An vigore facultatis commutandi vota poſſint relaxari iuramenta, in quibus eſt turpitudo ex parte recipientis.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Rationes ſuadentes ex vi illius facultatis poſſe relaxari tale iuramentum. 2.
Probabilius ex vi illius facultatis non poteſt iuramentum illud relaxari. 3.
Quandò iuramentum confirmet contractum, & quandò non, remiſſiuè. 4.
Quandò facultas eſt ad vota, & ad iuramenta ſine præiudicio tertij extenditur ad caſum præſentem. 5.

DISQVISITIO II. Suppono pro nunc ſententiam aſſerentem facultatem delegatam diſpenſandi in votis, ſeù eadem commutandi non ſecum trahere facultatem diſpenſandi in iuramentis ſoli Deo factis, eaque commutandi, quidquid ſit de illius ſententiæ veritate, de qua alibi incidet ſermo. Hanc tamen expreſſè ſuſtinent *Nauarrus in ſumma c.27. n.275. verſ. decimo ſexto, & lib.2. conſil. tit. de iure iuri in prima edit. conſ.3. nu. 2. in 2. conſ.1. nu.6.*, *Azorius lib.11. inſtit. moral. c.10. q.2.* cuius opinionis fundamenta recitat *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp.2. nu.16.* quamuis ab ea diſſentiat. His ſuppoſitis pro nunc, ſuppono etiam, quod Titius iniuerit cõtractum cũ Caio, per quem ſe obligauerit ad vſuras ſub iuramento, vel per metum cadentem in conſtantem virum fuerit inductus ad iuſiurandum. Hic iam oritur difficultas, an habens facultatem delegatam ad diſpenſandum in votis, illaq; commutanda, quantumuis ex vi illius facultatis non poſſet in iuramentis diſpenſare, vel illa commutare, poſſit tamen in hac hypotheſi iuramentum illud relaxare. — 1 Status controuerſiæ expoſitus.

Ratio difficultatis in primis oritur ex eo, quia iuramentum eſt adimplendum, quotieſcunque ſinè aliqua noxa iurantis potè adimpleri, & eſt de obligato tali, cuius executio non eſt contra bonos mores naturales reſpectu iurantis, ſeù promittentis ſub iuramento *Abbas c. cum contingat nu 7 de iure iurand*, *Couarruias de pactis tertia parte in princip. num 1.*, *Molina tom.2. de iuſt. diſp 271.*, ſed iuramentum ſoluendi vſuras, quantum eſt ex parte iurantis, eſt tale, vt exequi poſſit ſine aliqua culpa reſpectu eiuſdem, vt latè diximus, dum de mutuo, & vſuris, quandoquidem pactum eaſdem ſoluendi eſt tantum illicitum ex parte mutuantis exigentis, non ex parte mutuatarij ſoluentis, & iuramentum accedens pacto licito non eſt illicitum; item iuramentum rei licitæ metu extortum, quantum eſt ex parte iurantis, eſt licitum, ergò iuramentum ſoluendi vſuras, quantum eſt ex parte mutuatarij obligat ad obſeruantiam per textum *in c. debitores de iure iur.*, *& c.2. de pactis in 6.*, *& c. cum contingat de iure iur.*, quod idem dicendum eſt de iuramento metu extorto ſoluendi vſuras, vel alterius rei licitæ per textum *in c. verum, & c. ſi verum de iure iuran. D. Thomas 2. 2. q.89 art. 7. ad tertium*, *Cardinalis conſ. 137 col. 2.* *Antonius d. c. ſi verò num.5. de iure iur.*, *Gutierez de iuramento prima part. c. 57. n.20.* Hoc fortius euincitur ex ratione D. Thomæ *loc. cit.* — 2 Rationes ſuadentes ex vi illius facultatis poſſe iuramentum relaxari.

Digitized by Google

vli. ſita in eo, quod ex iuramento duplex oritur obligatio, altera verſus hominem, in cuius fauorem iurat, altera verſus Deum, qui in teſtem inuocatur, & ſic licet verſus hominem non obliget ob turpitudinem, quam inuoluit ſaltem reſpectu exigentis, obligat tamen verſus Deum ad ſeruandum id, quod per nomen ſuum promiſit.

3 Probabilius ex vi illius facultatis non poteſt illud iuramentum relaxari.

Reſpondeo, non obſtante illa turpitudine ex parte recipientis, ſeù per metū extorquentis iuramentū ex vi facultatis diſpenſandi in votis, illaque commutandi, non poſſe relaxari illud iuramentū *Sanchez de matrimon. lib.1. diſp.32. nu.17. verſ cæterum oppoſitum credo.* Ratio ex eo deducitur primò, quià illud iuramentum, quantumvis homini non obligaret, non tamen egreditur à ratione iuramenti, nec tranſit in rationem ſimplicis voti, ergò, cum facultas delegata ad relaxanda vota non extendatur ad relaxationem iuramentorum, non poterit in præſenti hypotheſi ad illud iuramentum diſſoluendum trahi. Antecedens probatur, quià votum, qua votum eſt, importat promiſſionem factam Deo, & obligat rem, circa quam cadit votum ipſi Deo, ſed per illud iuramentum promiſſio non fit Deo, ſed homini, quamvis ex capite eidem non obliget ob turpitudinem recipientis, ergò, qua fit homini, non tranſit in votum, ſed remanet ſub præciſis terminis iuramenti, circa quod ratione delegationis ad vota non poteſt delegatus diſponere; neque dicas, quod, cum ſoli Deo ius acquiratur, non homini, cui fit promiſſio ſub illo iuramento, habeat omnes conditiones voti; contra enim impugnaberis, quià ius, quod Deo acquiritur, non eſt ratione rei oblatæ, quæ eidem promittatur, ſed ratione proprij nominis, quod fuit obligatum per iuramentum in illa promiſſione; votum autem factum Deo obligat rem ipſam, quæ cadit ſub voto, ratione eiuſdem ipſi Deo, non præciſè ratione nominis Dei in ipſo inuocati, adeoq; &c.

Secundo, quià in illa promiſſione ſub iuramento ex prædictis in ratione dubitandi conſurgit obligatio verſus Deum ſpeciali quadam ratione, & modo; ſed ex vi delegationis ad relaxandum obligationem ergà Deum ſub vna ratione, & modo contractam, non ſequitur facultas ad relaxandam eandē ſub alio modo initam, ergò &c. Minor probatur, quia, ſicuti mandatum non poteſt extendi vltra terminos, quibus concipitur, & exprimitur, ita nec delegatio; delegatio autem in hac hypotheſi eſt quoad vota, quæ propterea non eſt extendenda ad iuramenta.

Delegatio eſt quoad vota, non quoad iuramenta.

Dices, quod, quantumvis ea, quæ hic dicuntur, vera ſint quoad iuramentum perfectum, & ex omni parte obligatorium, non tamen vera ſint, quandò iuramentum deficit à ſua perfectione, quatenus non obligat ei, cui fit promiſſio, tunc etenim, cum ſolum obliget Deo lato quoquo modo ſaltem quoad effectum, trahitur ad rationem voti, ergò eodem iure, quo poteſt votum ipſum relaxari, poterit & ſolui illud iuramentum. Sed contrà; vel ex illo iuramento conſurgit obligatio ergà Deum, vel non; ſi non; iam ſic iurans non indiget relaxatione, cum nullo vinculo afficiatur; ſi obligat, iam ortum eſt vinculum ergà Deum, non quià res ipſa fuerit Deo oblata, ſed quià ipſe Deus inuocatus eſt, vt teſtis in executionem oblationis homini factæ, quod vinculum nequit abſolui ſine facultate; facultas autem ad relaxationem votorum non extenditur ad iuramenta, & licet iuramentum ipſum deficiat quantum ad obligationem verſus hominem à perfectione, vis tamen iuramenti deſumitur penes ordinem ad Deum, in quo non deficit.

Inſtantia prima aduerſus reſponſionē, eiuſque ſolutio.

Dices vlterius, obligatio, quæ conſurgit ex iuramento ergà Deum, fundatur in obligatione ergà hominem, cum ſit confirmatio eiuſdem, ergò non vigente obligatione verſus hominem ob turpitudinem recipientis, nec vigebit obligatio verſus Deum, quià ceſſante materia, circa quam, ſeù fundamento ruunt omnia in ipſo fundata. Sed contra, quià, vt benè notat *Bartolus in l. ſi quis pro eo nu* 10. *ff de fideiuſ. Abbas c. cum contingat num.* 10. *in initio, & c.1 num. 12. de iure iur., Paulus auth. ſacramenta puberum nu* 3., *& ibi Iaſon nu* 38, *C. ſi aduerſus venditorem, Coaruuias de pactis part.2. §.1. nu.7. verſ quidquid ſit Barboſa l.1. part. 5. nu.73. in fin, & l. alia §. eleganter num* 32 *ff. ſolut. matrim.* eſt diſcrimen inter hoc; iuramentum confirmat contractum, & iuramentum non confirmat, ſed obſeruandum eſt ob diuini nominis honorem; quantumvis igitur iuramentum non firmet in præſenti contractum, cum nullum vinculum eidem nunc addat, obligat tamen in ordine ad Deum, ne teſtis falſus ſit.

Secunda inſtantia, eiuſque ſolutio.

Diſputant hic late DD., quandonam iuramentum dicatur confirmare contractū, & quando non, & quos effectus pariat in vtroque caſu, ſed de hoc late agit *Sanchez de matrimon lib 1 diſput. 32. à nu 2. ad 16.* ad quem vos remitto.

4 Quandò confirmet contractū, & quando non, remiſſiuè.

Hic alia ſuboritur difficultas, an, ſi delegata fuerit facultas non ſolum relaxandi vota, ſed etiam iuramenta, ſi ſint ſine præiuditio tertij, poſſit ſic delegatus in hypotheſi præſentis diſquiſitionis ex vi talis delegationis relaxare illud iuramentum. Reſpondendum exiſtimo affirmatiuè *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 47. art. 3. dubio 3., quod mouet circa tertium argumentum, §. ſed adhuc eſt aduertendum, Sanchez*

Digitized by Google

5 Quandò facultas eſt ad vota, & ad iuramenta ſine præiudicio tertij in hoc caſu extenditur.

de matrimon lib. 1. diſp. 32. n. 17. verſ. cæterum oppoſitum in fine. Ratio ex eo deducitur, quià per illam relaxationem nullum infertur præiudicium promiſſario, cum ex illa promiſſione etiam cum iuramento nullum ius acquiſierit ob turpitudinem, quam inuoluit; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod promittens non peccet reducendo promiſſionem ad effectum per ſolutionem vſurarum, cum tota iniquitas ſit in recipiente: Non, inquam, obeſſe poteſt, quià ſatis eſt ad præſens inſtitutum, quod ius vſurario non fuerit quæſitum, cum ſemper verificetur, quod per illam relaxationem non inferatur præiudicium tertio; neque ex onere vnius ad ſoluendum iuſtus titulus conſequitur in alio ad recipiendum, quia onus ad ſoluendum ratione iuramenti eſt in ordine ad Deum, cuius nomen inuocatum eſt in confirmationem fidei datæ, ne falſus teſtis appareat; cæterum quamvis independentèr à iuramento poſſit mutuatarius ſine aliqua noxa ſoluere, non tamen tenetur.

---

§. III.

An facultas diſpenſandi cum certis, & expreſſis perſonis ſit latè, an ſtrictè interpretanda.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus in ſuis terminis. 1.
Facultas cum expreſſione diſpenſandorum, & ad ipſorum inſtantiam eſt ſtrictè interpretanda. 2.
Facultas diſpenſandi quoad illegitimos ſine expreſſione maiorum, vel minorum ordinum reſtringenda eſt ad minores. 3.
Quando non conſtat, ad cuius inſtantiam ſit conceſſa eſt ſtrictè interpretanda. 4.
Quandò eſt conceſſa pro determinato perſonarum numero, non tamen cum expreſſione, eſt latè interpretanda. 5.

1 Expoſitio caſus.

DISQVISITIO III. Facultatem diſpenſandi ex genere ſuo latè eſſe interpretandam ſatis, ſuperque diximus in præcedentibus ad differentiam diſpenſationum, quæ ex dictis, non niſi ſtrictam patiuntur interpretationem, nec admittunt extenſionem vltra verborum formam, quibus conceduntur. His ſuppoſitis Pontifex, ſeù Princeps communicauit facultatem, vel Epiſcopo, vel alteri perſonæ in dignitate conſtitutæ diſpenſandi in certo genere nominatim cum Antonio, & Andræa, vel indiſtinctè cum certo, & determinato numero, nullius tamen facta in particulari expreſſa mentione. Quæſitum hic fuit, an illa facultas vtroque modo determinata latam, vel ſtrictam patiatur interpretationem.

Pro faciliori ſolutione nonnullæ habendæ ſunt inſpectiones. Prima eſt, quandò eſt cum expreſſione perſonarum, cum quibus facienda eſt diſpenſatio, an illa facultas conceſſa fuerit in gratiam, & ad inſtantiam eius, cui commiſſa eſt illa facultas, an verò ad inſtantiam, & gratiam diſpenſandorum. Secunda, quandò non conſtat, in cuius gratiam conceſſa eſt illa facultas, an præſumenda ſit conceſſa in fauorem commiſſarij, an verò diſpenſandi? Tertia, quandò eſt ſine expreſſione nominis eius, cui beneficium diſpenſationis conferendum eſt, eſt tamen de determinato numero perſonarum, an tunc ſit vna tantum perſona, cui poſſit diſpenſatio conferri, an plures ſint, quibus ex vi illius delegationis commiſſarius poſſit conferre; ex ijs etenim omnibus inſpectionibus diuerſa iura, & diuerſæ rationes decidendi poſſunt oriri. Nonnullæ inſpectiones.

2 Quandò eſt cum expreſſione, & ad inſtantiam eſt ſtrictè interpretanda.

Reſpondeo primo, ſi facultas diſpenſandi fuerit cum expreſſione diſpenſandorum, & ad ipſorum inſtantiam conceſſa, eſt ſtrictè interpretanda, nec extendenda vltra formalem verborum ſignificationem. *Ioannes Andreas c. fin. n. 3. in fin. de ſimon. Alciatus l. 2. in princip. nu. 50. verſ. fallit 2 ff. de verb. oblig. Angelus verb. diſpenſatio n. 9., & ibi Silueſter q. 5. n. 9.*, & expreſſè colligitur *ex c. ſi cui nulla de præbend in 6.* Ratio ex eo deducitur, quià conceſſio talis facultatis habet potius vim diſpenſationis expectans ſolummodò executionem à compromiſſario, ergò iuxtà normam diſpenſationum eſt ſtrictè interpretanda. Antecedens probatur, quià Princeps committens alteri diſpenſationem in aliquo impedimento quoad determinatam perſonam, & nominatim expreſſam, ipſe eſt, qui diſpenſat, & commiſſarius veris exiſtentibus narratis ſolum exequitur, ergò &c. Confirmatur, quià illa facultas diſpenſandi in ordine ad determinatam, & expreſſam perſonam non eſt priuilegium actiuum ipſius commiſſarij, ſed potius beneficium paſſiuum eius, in cuius fauorem exequenda eſt commiſſio, ergò eſt potius diſpenſatio, prout per ipſum exequitur commiſſarium, quam poteſtas diſpenſandi.

Ex hac reſponſione, eiuſque probationibus colligitur primo, priuilegia per bullam Cruciatæ, & Iubilæi non admittere latam interpretationem, quià non ſunt priuilegia actiua commiſſarij, ſed paſſiua eorum, qui bullam cruciatæ recipiunt, & Iubilæum obtinent *Henriquez lib. 7. de Indulg. c. 30. n. 1. Nauarrus lib. 2. conſil. tit. de iurein. in 1. edit. conſ. 3. n. 6.*

Colligitur ſecundò, quod ſi delegata fuerit 3

Digitized by Google

eſt reſtringenda ad minores,

fuerit facultas Epiſcopo ad habilitandum Petrum illegitimum ad ordines nulla facta mentione, nec maiorum, nec minorum, intelligenda ſit quoad minores, non extendenda ad ſacros, & ad maiores, prout etiam latè docuimus in præcedentibus.

3 Si conceſſa fuerit ad inſtantiam commiſſarij eſt latè interpretanda,

Reſpondeo ſecundò, quantumvis illa facultas fuerit delegata in ordine ad determinatas perſonas, & expreſſas in reſcripto, ſi tamen fuerit conceſſa in gratiam, & ad inſtantiam commiſſarij, probabilius eſt latè interpretanda: In hanc reſponſionem propendere videtur *Sanchez de matrimonio lib 8. diſp. 2. n. 6.*, & quot quot ſuſtinent, beneficium Principis actiuum reſpectu commiſſarij latam recipere interpretationem. *Alciatus l. 2. in princip. nu.* 10. *verſ. fallit 2. ff. de verb. obligat. Iacobus de Puteo in ſuis deciſ. lib. 3. deciſ.* 39. *n. 2. Rota in Nouiſ. 3. tom lib. 1. deciſ. 117. in fin., & lib 2. deciſ. 700. in fine*. Ratio ex eo deſumitur, quià in rigore hæc conceſſio non eſt diſpenſatio, ſed propriè facultas diſpenſandi, cum ſit beneficium actiuum ipſius commiſſarij, non paſſiuum diſpenſandorum, ſed facultas diſpenſandi latè eſt interpretanda ad normam beneficij Principis per ea, quæ latè ſuprà docuimus, & tradit *Gloſa c. hi qui verb. in poteſtate, & c. dudum verb. beneficia de prabend. in 6. Bartolus in l. 2. in princip. n. 2. ff. de verb. oblig. Abbas c. at ſi clerici, §. de adulterijs n. 11. de iudicijs, Henriquez lib. 7. de indulg. c. 3 in fin. Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 173. verſ. obſeruandum eſt eum*; ergò &c. Maior ex eo liquet, quià per illam collationem poteſtatis ad diſpenſandum factam in gratiam commiſſarij non fit vulneratio directè iuris communis, ſed ad ſummum concedentis talem poteſtatem, quod, ſi deindè in exercitio eiuſdem poteſtatis delegatæ fiat læſio iuris communis, hoc venit in conſequentiam, & indirectè, quod non attenditur, cum principale propoſitum ſemper ſit inſpiciendum per textum *in l. rogaſti in princip., & l. ſi quis ff. ſi cert pet.*, ergò, cum directè per talem conceſſionem non lædatur ius commune, ſed ad ſummum ius Principis, non erit diſpenſatio, ſed facultas diſpenſandi.

4 Si non conſtet, in cuius fauorē fuerit conceſſa, & ad cuius inſtantiam eſt ſtrictè interpretanda.

Reſpondeo tertio, ſi facultas illa fuerit delegata in ordine ad certas, & nominatim expreſſas perſonas in reſcripto, nec conſtet, in cuius fauorem facta fuerit illa conceſſio, probabilius præſumitur facta in fauorem perſonæ diſpenſandæ, ſeù indigentis diſpenſatione, adeoque ſtrictè eſt interpretanda *Ioannes Andreas c. in cauſis num. 38. de elect, & c. ſi cui nulla ſtatim in princip. de prabend. in 6., & ibi Francus n. 1. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 2. n. 6. remiſſiuè ad librum 8. d. diſp. 38 num.* 90. Ratio ex eo deducitur, quià illa expreſſio perſonæ, quæ indiget diſpenſatione, ſatis indicat præſumptiuè mentem concedentis, quod voluerit eidem conſulere, & vbi aliud non conſtat, facilius præſumendum eſt pro illo, in cuius fauorem cedit exercitium conceſſionis, & commiſſio facta alteri præſumitur eſſe ad executionem, non ad ipſam gratiam conferendam, quandòquidem commiſſiones factæ in ordine ad certas, & expreſſas perſonas ipſarum vtilitatem directè, & principalitèr videntur reſpicere. Confirmatur, quià, cum conceditur commiſſio alicui pro certa, & expreſſa perſona beneficianda vltimato reſpicit beneficium ipſi conferendum, ergò reſpicit ſaltem præſumptiuè fauorem perſonæ diſpenſandæ, adeoque &c.

Reſpondeo quarto, quandò facultas eſt delegata pro determinato perſonarum numero, ſine expreſſione tamen earundem perſonarum probabilius eſt latè interpretanda *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 8. in fine, Nauarrus in c. fin. n. 3. de ſimon. Gambara de auctor. leg. lib. 10 n. 200. Silueſter verb. diſpenſatio q. 5. n.* 9. Ratio ex eo deducitur, quià, ex quo nominatim non ſunt expreſſæ perſonæ, quibus conferenda eſt diſpenſatio, videtur beneficium collatum in fauorem commiſſarij, & quod Princeps concedens gratiam voluerit eidem conferre, ſicque illa facultas potius habet vim poteſtatis ad diſpenſandum, quam ſimplicis diſpenſationis, ergò iuxtà præacta eſt latè interpretanda. 5 Quandò eſt pro determinato numero, non tamen cū expreſſione eſt latè interpretanda.

Hæc adeo vera ſunt, vt procedant etiam in caſu, quo talis facultas conceſſa eſſet pro vna tantum perſona, ſeù ad diſpenſandum cum vna tantum perſona, dummodò illa non ſit nominatim expreſſa *Alciatus l. 2. num* 50. *verſ. fallit 2. ff. de verb. oblig.* Ratio eſt, quià, cum nulla ſit expreſſio determinatæ perſonæ, priuilegium videtur potius commiſſarij, quam diſpenſandi, & ſicut, quandò facultas diſpenſandi conceditur alicui pro determinato numero perſonarum, non tamen alligatur certis perſonis determinatis, & nominatim expreſſis, habetur pro vera facultate, & pro beneficio actiuo commiſſarij, quæ propter eà latè eſt interpretanda, ità quandò conceditur pro vna tantum perſona, quæ tamen ſpecialitèr nominatim, & in indiuiduo non deſignatur, haberi debet pro benficio actiuo, & pro facultate, adeoque &c.

Digitized by Google

§. IV.

An commiſſarius Cruciatæ, cui conceſſa eſt poteſtas diſpenſandi in primo, & ſecundo gradu affinitatis ex copula fornicaria, & legitimandi prolem ſuſceptam, poſſit prolem legitimare non diſpenſando in matrimonio.

SVMMARIVM.

Controuerſia expoſita in ſuis terminis. 1.
Procedit controuerſia quoad legitimationem in ordine ad munera ſpiritualia. 2.
Cõmiſſarius Cruciata non poteſt habilitare ad illa munera ſpiritualia natũ ex illo matrimonio inualido, niſi etiam diſpenſauerit in impedimento matrimonij, vel etiamſi diſpenſauerit in illo impedimento, niſi contrahentes de nouo contraxerint. 3.

DISQVISITIO IV. Conceſſa eſt commiſſario per Bullam cruciatæ pro foro conſcienitæ facultas diſpenſandi in affinitate in primo, & ſecundo gradu conſurgenti ex copula fornicaria, & prolem indè ſuſceptam, vel ſuſcpiendam legitimam decernendi. Hæc facultas ad vtrumque illum effectum non eſt abſoluta, ſed limitata, interuenientibus ſcilicet nonnullis conditionibus, quas enumerat *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 6. nu. 23.* quorum prima eſt, vt non intelligatur de illa facultate diſpenſandi in ordine ad matrimonium contrahendum, ſed ad iam contractum ſeruata forma concilij Tridentini, licet ſit inualidum ratione talis impedimenti; Secunda, vt illud impedimentum ſit occultum. Tertia, vt alter ſaltem ex contrahentibus fuerit in bona fide, quatenus fuerit ignarus impedimenti illius; Quarta, vt in renouatione contractus poſita illa diſpenſatione coniux ignarus impedimenti certior fiat de prioris conſenſus nullitate. His pro notitia ſuppoſitis *Sanchez loc. cit. nu. 26.* proponit caſum ſub his terminis. Supponit primo, quod vterque coniux fuerit conſcius illius impedimenti, & nihilominùs cõtraxerit matrimonium. Secundo, quod ex illo matrimonio fuerit proles procreata, & deindè quærit, an commiſſarius ex vi bullæ cruciatæ poſſit prolem illam legitimare non diſpenſando tamen, vt validè ineatur matrimonium, cum iam alter ex parentibus obierit, & an valeret talis legitimatio, ſi ità fieret, vt etiam diſpenſaret ſuper illo impedimento matrimonij ad effectum, vt de nouo iniretur, quod tamen contrahentes non inirent. Hæc caſus expoſitio ſic per Sanchez relata ex ſe apparet de ſubiecto non ſupponente, & ex ſuis ipſius terminis deſtruitur: ſi enim ſupponit, quod ad diſpenſandum, & ad legitimandam prolem indè ſuſceptam, vel ſuſcipiendam inter cæteras conditiones requiratur, quod alter ſaltem ex contrahentibus ſit in bona fide, quatenus ſit ignarus illius impedimenti, quomodo modo inquirit, vtrum poſſit commiſſarius legitimare prolem ſine diſpenſatione in impedimento matrimonij, dum ſupponit, quod vterque in celebratione contractus fuerit in mala fide, vtpotè conſcius illius impedimenti? Deindè, vt ipſemet Sanchez fatetur in ordine ad ſuccedendum quoad bona temporalia intelligitur ex diſpoſitione iurium ſufficienter legitimus ex eo præcisè, quod fuerit progenitus ex matrimonio ſaltẽ in figura, circa quod alter ſaltem ex contrahentibus fuerit in bona fide. Ad quid igitur hanc quæſtionem excitare? Si etenim vterque coniux fuerit in celebratione contractus in mala fide, iam commiſſarius nullam habet facultatem ad legitimandum, cum talis facultas, quam habet, non ſit abſoluta, ſed conditionata exiſtentibus ſcilicet conditionibus, de quibus ſupra, adeòque altera ex illis conditionibus deficiente non poteſt ſubſiſtere; ſi verò alter eorum fuerit in bona, alter in mala fide proles ſequitur in ſucceſſionibus conditionem eius, qui eſt in bona fide.

1 Difficultas hæc videtur de ſubiecto non ſupponente.

Quod ſi dixerit Sanchez locum habere quæſtionem, etiam ſi vterque in celebratione contractus fuerit in mala fide, quià Bulla Cruciatæ duo diſponit, alterum circà diſpenſationem in illo impedimento matrimonij, alterum circà legitimationem prolis indè ſuſceptæ, ſicque illæ conditiones copulatiuè ſumptæ intelligendæ ſint quoad validitatem prioris effectus, ſcilicet circà impedimentum, non quoad legitimationem; ſtatim impugnabitur, quià eadem oratione vtraq; illa facultas continetur, & per conſequens vtraq; illa facultas, vt valida ſit, exigit copulatiuè omnes illas conditiones. Deindè ipſum ſuis met armis, ſi hoc aſſerat, iugulo; aſſerit enim ipſe, quod facultas ad legitimandum ſit acceſſoria ad facultatẽ diſpenſandi in illo impedimento, adeòq; non poteſt vim habere, niſi ſeruatis omnibus conditionibus, quæ requiruntur ad diſpenſandum in eodem matrimonio.

Non euitat Sanchez vitium ſubiecti non ſupponentes.

Quamobrem reducendo ſtatum controuerſiæ, & ſeriem quæſiti ad ſanum, & poſſibilem ſenſum, inquiremus in ſuppoſitione, quod alter ex contrahentibus contraxerit bona fide poſſit commiſſarius bullæ Cruciatæ ità legitimare, vt habilis ſit etiam natus ex tali matrimonio ad munera ſpiritualia, quantumvis non diſpenſet ſuper impedimento matrimonij, ſi vel diſ-

2 Procedit difficultas, quoad legitimatione in ordine ad munera ſpiritualia.

Digitized by Google

penſet, contrahentes nolint vti diſpenſatione, nec de nouo contrahere. Dixi *vt habilis etiam ſit ad munera ſpiritualia*, quandoquidem in ordine ad bona temporalia parentum habilis intelligitur ex ipſo iure natiuitatis, nam omnia iura clamant, natũ ex matrimonio quãtumvis inualido, inito tamen cum bona fide ſaltem alterius parentis ſuccedere eiſdem parentibus.

Reſpondeo, probabilius Commiſſarium Cruciatæ non poſſe habilitare ad illa munera ſpiritualia natum ex illo matrimonio inualido, niſi etiam diſpenſauerit in matrimonij impedimento, vel etiam ſi diſpenſauerit in illo impedimento, niſi contrahentes de nouo contraxerint. *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 6. num. 26.* qui tamen loquitur in ſuppoſitione, qua vterque contrahens mala fide matrimonium contraxerit. Ratio ex eo deducitur, quià facultas legitimandi ad ea munera ſpiritualia eſt acceſſoria ad facultatem diſpenſandi in illo impedimento matrimonij, & ad matrimonium legitimè initum, ergò commiſſarius non poterit inducere habilitatem, ſeù legitimationem, niſi prius diſpenſauerit in illo matrimonio, illudque fuerit de nouo initum. Antecedens probatur ex contextu verborum, quibus concipitur, & facultas diſpenſandi, & legitimandi, vbi prius apponitur facultas diſpenſandi, & exindè prolem ſuſceptam, & indè ſuſcipiendam legitimam decernendi, vbi nota illam particulam, *exindè*, quæ denotat dependentiam poſterioris à priori, ergò in tantum erit poteſtas legitimandi, in quantum adeſt diſpenſatio ſuper impedimento in illo matrimonio, & matrimonium illud de nouo validè ineatur.

3 Nõ poteſt diſpenſare niſi etiam diſpenſet in matrimonij impedimento

Dices, ſuppoſita hac dependentia legitimationis à validitate matrimonij ex illa diſpenſatione ſuper impedimento, fruſtratoria omninò eſſet illa conceſſio ad legitimandum, ſeù ad prolem legitimam decernendam, quandoquidem poſito matrimonio validò ſubſequentèr inito ex genere ſuo, legitimatur proles antecedenter habita, & exindè ſuſcipienda, ergò, ne admittatur in conceſſione priuilegij ſuperfluum, debemus neceſſario aſſerere poſſe independenter à diſpenſatione ſuper impedimento valide legitimare, & tenere legitimationem, quantumvis matrimonio de nouo non ineatur. Sed contra; facilis eſt reſponſio, ſi aſſeratur, hanc legitimationem præcisè procedere in ordine ad munera ſpiritualia, ad quæ non habilitat legitimatio quomodocunque accepta, quantumvis ſit per ſubſequens matrimonium, quod indè clarè deducitur, quià quoad ſucceſſionem in temporalibus oritur præcisè ex matrimonio valido ſubſequenti; hæc autem habilitas quoad ſpiritualia, certè eſt dependens à diſpenſatione quoad impedimentum, & à matrimonio de nouo contracto; non enim præſumendum eſt, quod Pontifex manente inualiditate matrimonij voluerit illegitimum habilitari ad munera ſpiritualia, & validum fore acceſſorium inualido remanente principali.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

---

§. V.

An Regulares ex vi priuilegiorum poſſint diſpenſare in matrimonio ſcientèr, vel ignorantèr contracto in impedimento affinitatis.

SVMMARIVM.

Refertur priuilegium ex quo oritur ratio dubitandi. 1.
Sententia aſſerens poſſe diſpenſare. 2.
Sententia negans cum ſuis fundamentis. 3.
Probabilius nequeunt regulariter in illo impedimento diſpenſare. 4.

Disqvisitio V. Referunt DD., inter quos præcipuè *Sanchez lib. 8 de matrimonio diſp. 6. nu. 28.* priuilegium, quod aſſerunt conceſſum à Leone X. mendicantibus ad diſpenſandum eum ijs, qui cum ſcientia, aut ignorantia contraxerunt matrimonium cum impedimento affinitatis, modo illud notorium non ſit, nec deductum ad forum contentioſum. Quæſitum fuit, an ſtante tali priuilegio mendicantes, & communicantes cum eiſdem poſſint in præſenti circa illud impedimentum diſpenſare.

1 Priuilegiũ cui innititur diſquiſitio.

Affirmant *Roffenſis in libello de cauſa matrimonij Regis Angliæ in princip., & Veracrux 2. part. ſpeculi art. 27. triplici pag. ante finem verſ., & hoc confirmatur expreſsè* eo, quià priuilegium plenè quoad ius diſpenſandi in hoc caſu illis faueat; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, priuilegium illud non eſſe in vſu, adeòq; nullam vim habere, non, inquam, obeſſe poteſt, quià non vſus propter ſimplicitatem, & iuris ignorantiam non derogat vſui priuilegiorum, niſi talis non vſus ſit legitimè præſcriptus per priuilegium Nicolai IV. conceſſum carthuſienſibus, vt habetur *in compendio minorum tit. Priuilegia Fratrum*, §. 33. priuilegia autem Regularium non tolluntur per quadragenariam præſcriptionem, cum ex indulio Apoſtolico eis conceſſo, & communicato non currat præſcriptio, niſi elapſo ſexagenario anno, vt ex priuilegio Leonis X. Camaldulenſibus, & Vallis Vmbroſæ congregationi expreſsè conſtat, quod refert *Ioannes Baptiſta Confectus in ſummario priuilegiorum mendicantium tit. 12.*

2 Sententia aſſerens poſſe diſpenſare.

c. 1.

Digitized by Google

c. 1. de præſcriptione actiua, & paſſiua Regularium; & ſic requiritur ſpacium centum annorum, vt notat idem Confectus, vbi ſupra, quinimmò præſcriptio inchoata contra Regulares interrumpitur ex frequenti confirmatione, & innouatione priuilegiorum per Summos Pontifices ex certa ſcientia, & ex poteſtatis plenitudine facta, qua quidem innouatione priuilegia ipſa in priſtinum ſtatum aduerſus obſtantia quæque reducuntur, & conſeruantur, prout docet idem *Ioannes Baptiſta Confectus in ſummario Priuilegiorum mendicantium in ſummario Bullæ Sixti IV. bulla aurea nuncupata c. 3. ſub deſcriptione An regularium priuilegia per non vſum, ſeu contrarium vſum, aut per præſcriptionem tollantur*.

3 Sententia negans cũ ſuis fundamentis.

Ex aduerſo negant *Emanuel tom. 3. qq. Regul. q. 2. art. 2., & Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 3. n. 3.*; ille quidem inprimis, quià exiſtimat priuilegium hoc nunquam fuiſſe in vſu, adeoque non poſſe amplius vim habere; deindè quià ſentit non fuiſſe priuilegium abſolutè conceſſum, ſed conceſſionem quandam in caſu particulari; iſte verò, quià exiſtimat hoc priuilegium conceſſum Mendicantibus per Leonem X. ſolum ad id referri, vt poſſint mendicantes poſt matrimonium validè, & legitimè initum diſpenſare cum inceſtuoſis cum conſanguineis coniugis, vt poſſint petere debitum, non autem diſpenſare, vt matrimonium inualidè initum ob impedimentum illud affinitatis poſſit reualidari. Quid igitur in hoc quæſito eſt concludendum?

4 Nequeunt regulares diſpenſare

Reſpondeo, probabilius Regulares non poſſe in impedimento illo diſpenſare. Ita cum allegatis DD. pro parte negante *Sanchez de matrimon. lib. 8 diſp. 6. nu. 28.* Moueor, quià authenticè non conſtat de tali priuilegio; nam reuolutis vniuerſis conſtitutionibus Leonis X nunquam hoc priuilegium inuenire fas fuit, & ſi viuæ vocis oraculo fuerit per eundem Pontificem conceſſum, intelligitur reuocatum per Vrbanum VIII.; Inuenio tamen Priuilegium Pij V. ordini Prædicatorum, vt confeſſarij eiuſdem ordinis poſſint in foro conſcientiæ diſpenſare cum ſæcularibus inter coniugatos, quorum alter eorum cum alterius conſanguinea adulterium perpetrauit ad petendum debitum coniugale, vt habetur *in priuilegio minorum tit. diſpenſatio poſt adnotationem Capucini*, quod priuilegium etiam conceſſit Iulius II. ordini S. Benedicti, vt habetur *in compendio ſocietatis Ieſu tit. diſpenſatio* § 3., & per hoc confirmatur id, quod habet Henriquez pro ſententia negante allegatus: Deindè, quantumuis conſtaret de tali priuilegio eſſet prius examinandæ particulæ conceſſionis vtrum hanc latitudinem importarent, & ſi re vera importarent adhuc ſiſtendum eſſet in negatione iuris pro Regularibus, quià nunquam fuit in vſu, & non ſolum centenaria præſcriptione abolitum, ſed etiam immemorabili, cum nunquam fuerit in viridi obſeruantia; Nec obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, priuilegia ſcilicet Rugularium non aboleri per non vſum, ſeù per præſcriptionem, cum hæc tollatur, ſeù interrumpatur toties, quoties priuilegia confirmantur; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià Clemens VIII. ſub die 13 Iunij 1592 confirmans priuilegia Clericorum Reg. Theatinorum clauſulum appoſuit, *dummodò ſint in vſu*, ergò vbi in vſu non fuerint, non intelliguntur confirmata, nec in aliquo robore eſſe.

Priuilegiũ Pij V. conceſſum ordini Prædicatorum.

§. VI.

An diſpenſatio ſuperueniens reualidet actus præcedentèr irritos.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.

Opinio aſſerens actus præcedentes reualidari. num. 2.

Diſtinctio aſſerens reualidari, ſi diſpenſatio ſit ab habente poteſtatem conferendi beneficium, negans ſi ſit à non habente talem poteſtatem. 3.

Opinio aſſerens reualidari, ſi vitium non irritabat actum. 4.

Si vitium erat occultum, & præſentans habuerit animum verè conferendi per diſpenſationem præſentatio validatur. 5.

Intellige, etiam ſi diſpenſatio fuerit à non habente poteſtatem conferendi beneficium. num. 6.

Etiam ſi vitium notum fuerit præſentanti, ſeù eligenti, dummodò præſentans, ſeù eligens perſeuerauerit in conſenſu vſque ad diſpenſationem. 7.

Non reualidatur, ſi præſentans, ſeù eligens ante diſpenſationem retractauerit præſentationem, ſeù electionem. 8.

Præſentans, ſeù eligens, qui ſolummodò poſt diſpenſationem nouit vitium poteſt præſentationem, ſeù electionem reuocare. 9.

Si vitium fuerit occultum, & electus non fuerit intruſus accedente poſtea diſpenſatione electio ſit valida in radice, & trahitur ad ſuum initium. 10.

DISQVISITIO VI. Præſentatus fuerat Caius ad beneficium, ad quod inhabilis erat, vel quià nota irregularitatis afficiebatur, vel aliquo alio impedimento, & fortè etiam illo vitio perſeuerante electus. Beneficium poſteà diſpenſa- 1

1 Facti ſeries exponitur.

diſpenſa-

Digitized by Google

penſationis ſuper illa irregularitate, ſeù vitio impetrauit. Quæſitum fuit, an eo ipſo, quo diſpenſationem illam obtinuit, intelligantur actus precedentes reualidari abſque noua præſentatione, ſeù electione.

2 Doctores ſentientes actus præcedentes reualidari.

Plerique abſolutè ſuſtinent per illam diſpenſationem reualidari actus præcedentes irritos, inter quos *Speculator tit. de diſpenſatione §. nunc de Epiſcoporum nu penult. Innocentius c. innotuit nu. 2. verſic quidem tamen contradicunt de elect. Milis in repert. lit. D. n. 23. verb. diſpenſatio verſ. diſpenſatio validat electionem*, *Nauarrus lib. 4 conſil. in 2. edit. tit. de ſponſalibus conſ.* 14. *n.* 8. *arg* 5. *Borgaſius de irregul.* 2. *part. tit. de different. terminorum nu* 9. quos omnes ea ratione moueri exiſtimo, quià diſpenſatio tollit impedimentum illud, ratione cuius huiuſmodi actus erant inualidi, ergò tribuit ſubſiſtentiam actibus, quandòquidem aliud non erat, quo irritarentur, niſi illud vitium. Sed, an diſpenſatio huiuſmodi ita reualidet actus, ac, ſi ab initio fuiſsent validi non determinant huiuſmodi DD.

3 Opinio aſſerens reualidari, ſi diſpẽſatio ſit ab habẽte poteſtatem conferendi beneficium, ſecus non.

Alij diſtinguunt; vel etenim diſpenſatio confertur ab eo, qui conferre poteſt beneficium, ad quod Caius fuerat, vel nominatus, vel electus, licet inualidè, vel confertur ab eo, qui talem poteſtatem conferendi beneficium illud non habet. Iuxtà primum ſenſum ſentiunt actus omnes præcedentes per illam diſpenſationem reualidari, quià per illam diſpenſatus quaſi de nouo promouetur ad illud beneficium. Iuxta ſecundum negant eo, quià diſpenſans, cum non habeat poteſtatem conferendi, nec habere poſse videtur poteſtatem ad legitimandos actus inualidos, per quos beneficium ipſum collatum eſt, & per diſpenſationem illam ſolum aufert impedimentum, non autem vim confert actibus inualidis *Cardinalis in cap. innotuit nu.* 5 *oppoſit.* 3. *de elect.*, & alij, quos refert *Innocentius in d. c. innotuit*.

4 Opinio aſſerens reualidari, ſi vitium nõ reddebat præſentationem ipſo iure irritam, ſecus ſi redderet irritam.

Alij aliter diſtinguunt, inter quos *Abbas d. c innotuit n* 11. *de elect* aſserentes, quod, ſi vitium, quo afficiebatur Caius, erat talis conditionis, vt non redderet ipſam præſentationem, vel collationem ipſo iure nullam, ſed tantum irritabilem, tunc per diſpenſationem illi actus reddantur validi ſine nouo conſenſu eorum, ad quos ſpectat præſentatio, vel electio; ſi verò vitium erat talis conditionis, vt ipſo iure redderet irritam præſentationem, vel electionem, & tunc aſſerunt, quod, ſi præſentantes fuerint conſcij talis vitij, per diſpenſationem illam præſentatio illa, ſeù electio reddatur valida ſine nouo præſentantium, ſeù eligentium conſenſu, quià ex quo nouerunt impedimentum, & nihilominus præſentarunt, vel elegerunt intelliguntur in eodem conſenſu perſeuerare, cum non poſſint allegare ignorantiam; ſi verò fuerint talis vitij penitus ignari, aſſerunt actus illos præcedentes non reualidari ſine nouo conſenſu eorum, ad quos ſpectat præſentatio, vel electio. Quid igitur in hac ſententiarum varietate concludendum?

5 Validatur per diſpenſationem præſentatio, ſi vitium erat occultum, & præſentans habebat animũ præſentandi.

Reſpondeo, ſi vitium illud, ob quod infirma eſt præſentatio, vel collatio, fuerit occultum, & præſentans, & conferens habuerit animum verè præſentandi, & conferendi, probabilius eſt per ſubſequentem diſpenſationem reualidari præſentationem, & collationem. In hanc reſponſionem pratèr præcitatos DD pro prima ſententia conſentiunt *Hoſtienſis in d. cap. innotuit n.* 2. *de elect. Felinus c. cum dilectus num.* 4. *de accuſat. Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 6. *n.* 12. *prope fin. Sebaſtianus Sapiè d. c. innotuit de elect. in addit. ad Abbatem num.* 11. *lit. B.* Ratio ex eo deducitur, quià in foro externo illa collatio, cum impedimentum ſit occultum, habetur pro valida, & legitima, vtpotè facta ab habente legitimam poteſtatem præſentandi, ſeù conferendi communitèr ignorata inhabilitate præſentati, ſeù collatarij, ergò non eſt, cur accedente diſpenſatione ſuper impedimento illo occulto non debeat huiuſmodi præſentatio, ſeù collatio fieri valida. Conſequentia probatur, quià exiſtente in foro externo præſentatione, ſeù electione diſpenſatio, quæ accedit ſuper impedimento, ſeù ſuper illo vitio occulto, addit quid quid requiritur pro valore etiam in foro interno, ergò &c. Neque dicas iuxta alibi dicta, quod, ſi contractum fuerit matrimonium cum impedimento dirimente, quantumvis poſtea acceſserit diſpenſatio, ſint adhuc renouandi contrahentium conſenſus, vt ipſum matrimonium reualidetur, ergò etiam, ſi inualidè facta fuerit præſentatio, ſeù electio accedente diſpenſatione ſuper vitio occulto non reualidabitur, niſi renouetur conſenſus præſentantis, ſeù eligentis; contra enim impugnaberis, quià, ſi diſpenſatio pro matrimonio contracto inualido fuerit communi contrahentium conſenſu impetrata, & matrimonium illud in foro externo habitum fuerit, & habeatur pro valido, non eſt ità certum, vt præfertur in inſtantia, quod requiratur nouus conſenſus expreſſus vtriuſque contrahentis, ſed ſufficit perſeuerantia in eodem cum mutua cohabitatione, alijſque, quæ ſunt propria coniugij, quod etiam verificatur in præſentis caſus hypotheſi, ſecundum quam præſentator, ſeù elector contulit, præſentauit, ſeù elegit cum animo verè præſentandi, & eligendi, & cum præſentatio, ſeù electio in foro externo ſubſiſtat, non eſt, cur etiam non reualidetur pro foro interno accedente diſpenſatione ſuper illo vitio, ſeù impedimento.

Rationes, & obiecta propoſitæ, & ſoluta.

Digitized by Google

dimento. Deindè non currit paritas de matrimonio contracto cum impedimento dirimente ſuperueniente ad contractum iam initum diſpenſatione, ac de præſentatione, ſeù electione ad beneficium inualida ratione defectus occulti ſuperueniente poſteà diſpenſatione ſuper eodem defectu. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod tàm præſentatio, quàm diſpenſatio ſuper vitio illo occulto eſt beneficium in fauorem præſentati, & diſpenſati ab altero proueniens, quod proptereà totam vim habet à præſentante, ſeù diſpenſante, vndè, ſi præſentatus, ſeù diſpenſatus fuerit in bona fide, quatenus non ſe intruſerit in beneficio, dicitur illud retinere ſaltem ex titulo colorato, quod propterea validè, & licitè retinetur, ſi acceſſerit ſuper eodem diſpenſatio; matrimonium verò initum cum impedimento dirimente eſt irritum defectu legitimæ formæ non prouenientis ab altero, ſed inexiſtentis in eiſdem contrahentibus, in cuius defectu nec poteſt eſſe titulus coloratus, cum reſpiciat contractum ipſum ſecundum ſe, non prout procedit ſecundum aliquam iuriſdictionem, adeoque non eſt, cur impetrata diſpenſatione forma ipſa non debeat renouari per mutuum ſcilicet contrahentium conſenſum.

6 Etiã ſi diſpenſatio fuerit à nõ habente poteſtatẽ cõferẽdi beneficiũ.

Reſpondeo ſecundò, ea, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione verificantur, ſiuè diſpenſatio prouenerit ab eo, qui habet poteſtatem conferendi illud beneficium, ſiuè ab altero non valente illud conferre, dummodo habeat poteſtatem diſpenſandi ſuper illo vitio occulto, ſeù impedimento. *Speculator tit. de diſpenſatione §. nunc de Epiſcoporum nu. penult.*, *Innocentius c. innotuit nu. 2. verſ. quidam tamen contradicunt de elect.*, *& ibi Hoſtienſis num. 2.*, *Ioannes Andreas n. 5.* aduerſus *Cardinalem in d. c. innotuit nu. 5. oppoſit. 3.*, & alios relatos ab Innocentio loco, quo ſupra. Ratio ex eo deducitur, quià per diſpenſationem non intelliguntur reualidari illæ præcedentes actiones, quatenus per illam de nouo fiat præſentatio, electio, ſeù promiſſio, ſed quatenus remouetur impedimentum, ſeù vitium, ex quo inualiditas conſurgebat, ſed impedimentum illud æque remouetur per diſpenſationem, ſiuè hæc fiat ab habente facultatem conferendi beneficium, ſiuè ab habente præcisè poteſtatem diſpenſandi, & non conferendi, vt per ſe patet, ergò &c. Maior patet ex dictis in præcedenti reſponſione, ſecundum quam ſupponimus collationem illam, ſeù præſentationem in foro externo ſubſiſtere, & conſenſum præſentantis, ſeù eligentis perſeuerare.

7 Reſpondeo tertiò, ſi vitium illud, quantumvis ſecundum ſe occultum, fuerit tamen notum præſentanti, ſeù eligenti, & nihilominùs præſentauerit, ſeù elegerit, & in conſenſu præſentationis, ſeù electionis perſeuerauerit vſque ad diſpenſationem impetratam, probabilius etiam per eandem diſpenſationem rata ſit eadem præſentatio, ſeù electio *Abbas in d. c. innotuit nu. 11. de elect.* à quo non videtur diſſentiri *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 6. num. 12.* dum aſſerit ſententiam Abbatis eſſe probabiliorem. Ratio ex eo deſumitur, quià nihil eſt, ratione cuius nequeat illa præſentatio rata haberi, & ſubſiſtere, ergò re vera valida ſit, adeò vt in vtroque foro poſſit beneficium detineri. Antecedens probatur, quià adeſt præſentatio, ſeù electio, conſenſus præſentantis, ſeù eligentis perſeuerans in ſuo robore, nullumque tunc obſtat vitium, ſeù impedimentum, cum per diſpenſationem intelligatur ſublatum, ergò &c. Accedit, quod, quandò vitium notum fuit præſentanti, & conferenti, non poteſt per eundem allegari nullitas ex facto ipſi cognito per textum *in c. nulli de elect. in 6.* quinimmò, ex quo perſeuerauerit non retractando, præſumitur perſeueraſſe cum conſenſu præſentationis, ſeù collationis.

Etiã ſi notum fuerit præſentanti, ſeù eligẽti, ſi cõſenſus perſeuerauerit vſq; ad diſpenſationem.

8 Non reualidatur, ſi præſentãs, ſeù eligẽs ante diſpenſationem retractauerit præſentationẽ, ſeù electionẽ.

Reſpondeo quartò, ſi vitium fuerit occultum, & præſentans, ſeù eligens fuerit ignarus vitij illius, ſeù impedimenti, & antecedentèr ad diſpenſationem cognito vitio retractarit præſentationem, ſeù electionem per diſpenſationem ſubſequentem non reualidatur præſentatio, & electio, niſi de nouo ponatur conſenſus; ſi verò non fuerit conſcius, niſi poſt diſpenſationem illius vitij, ſeù impedimenti probabilius etiam poteſt retractare præſentationem, ſeù electionem, nec per diſpenſationem rata, & valida ſit electio. Ità quoad primam partem *Abbas loc. cit. Sanchez, & alij*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià pro tempore, pro quo debet perfici, & reualidari eadem præſentatio per diſpenſationem, non adeſt conſenſus præſentantis, & eligentis, ergò non redditur valida per illam diſpenſationem. Antecedens ſecundũ ſe patet, quià, antequam accederet diſpenſatio, præſentatio illa, ſeù electio fuit per præſentantem, & eligentem retractata, adeòq; reuocatus conſenſus. Confirmatur primò, quià gratia conceſſa, & reuocata, antequam ſuum ſortiatur effectum, nullũ ſortitur effectũ *Felinus c. nouit nu. 8. de iudic. Matienzo lib. 5. recopil. tit. 10. lib. 8. gloſ. 1. nu. 5.*, ergò etiam præſentatio, ſeù electio ad beneficium nullum ſortietur effectum, ſi fuerit reuocata, antequam ſuum plenum eſſe fuerit conſecuta. Confirmatur ſecundò, quià ante diſpenſationem ob inhabilitatem præſentatus, ſeù electus nullũ ius conſecutus eſt in beneficio, niſi ad ſummum aliquod incohatum per

per conſenſum præſentantis, ſeù eligentis, ergò reuocato eodem conſenſu antè complementum iuris, nullum penitùs ius habebit in eodem beneficio, ad quod inualidè fuit præſentatus, & electus. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod habetur *in d. c. nulli de elect. in 6.*, vbi dicitur

9 Præſentãs, ſeù eligens cognito vitio poſt diſpenſationem poteſt præſentationẽ, ſeù electionẽ reuocare.

electores poſſe impugnare electionem propriam ex facto eis de nouo detecto, ergò de nouo conſtante electoribus de inualiditate præſentationis, ſeù electionis per ipſos factæ ob inhabilitatem electi, ſeù præſentati poterunt illam electionem non habere ratam, ſed abſolutè impugnare; Neque dicas, quod, quandò inualiditas innoteſcit electoribus, iam ſublata fuerit per diſpenſationem, adeòq; nullo obſtante electum, ſeù præſentatum plenum ius conſecutum fuiſſe in illo beneficio, ergò præſentatio, ſeù electio non poterit amplius impugnari argumento eorum, quæ docent *Felinus in d. c. nonit nu. 8. de indic.*, *& Matienzo lib. 5. recopil. tit. 10. lib. 6 gloſ. 1. num. 6.*; contra enim impugnaberis, quià præſentatus, ſeù electus nullum ius conſequi poteſt, niſi dependentèr à voluntate præſentantis, & eligentis; eligens autem ex ignorantia, ſeù prçſentans ex errore non intelligitur liberè præſentare, ſeù eligere, quià nihil eſt tàm contrarium conſenſui, & libertati, quàm error, & ignorantia per textum *in l. ſi per errorem, ff. de iuriſd. omnium Iud.*, & errantis nullus eſt conſenſuo, & voluntas *l. ſi teſtamentum, & l. non idcircò, C. de iuris, & facti ignor.*, quod adeò verum eſt, vt ignorantia, ſeù error falſç cauſæ vſucapionem non pariat *l error C de vſucap*; vndè, quovſque perſeuerauerit error, ſeù ignorantia ſemper liberum erit electoribus, ſeù præſentatoribus actum, quàm geſſerunt ex eadem ignorantia, retractare, & reuocare. Corfirmatur primo, quià poſito reſcripto cum ignorantia cauſæ ſecundum ſe retrahere valentis à conceſſione poteſt idem reſcriptum reuocari cognita tali cauſa, quià, ſi reſcribens cognouiſſet, non conceſſiſſet, ergò etiam poſita præſentatione, ſeù electione cum errore, ſeù ignorantia inhabilitatis præſentati, ſeú electi cognita poſtea tali inhabilitate poterit electio, ſeù præſentatio impugnari. Confirmatur ſecundò, quià conceſſio ſemper ſupponitur cum tacita conditione, ſi ille, cui fit conceſſio habilis fuerit, ergò non purificata conditione ex eiuſdem conditionis defectu cognito poterit per concedentem conceſſio reuocari.

10 Reſpondeo quinto, ſi electio in foro externo fuerit valida, quatenùs vitium, ſeù impedimentum fuerit occultum, & conferens, ſeù eligens nouerit impedimentũ, & electus non fuerit intruſus, cum bona fide receperit electionẽ, accedente poſtea diſpenſatione ſuper illo vitio, ſeù impedimento probabilius eandem fieri validam in radice, adeòq; trahi ad ſuum initium. Hanc reſponſionem apud neminem expreſsè vidi, ipſamque intellige, ſi Pontifex diſpenſans dixerit, *vt electus valeat in beneficio permanere, ſeù perſeuerare*. Ratio ex eo deducitur, quià ad talem diſpenſationem præceſſit eadem electio ſaltem in figura, & in foro externo valida, quæ conditio etiam requiritur, adhoc vt matrimonium irritum in radice legitimetur. Rurſus conſenſus præſentantis, ſeu eligentis intelligitur perſeuerare quoad talem electionem, ſeù præſentationem. Porrò ex dictis in prima reſponſione per illam diſpenſationem redditur valida præſentatio, ſeù electio ſine nouo cõſenſu præſentantis, ſeù eligentis. Tandem verba diſpenſationis hoc præſtant, quandoquidem perſeuerare, & permanere eam vim habet, vt ſequentia præcedentibus copulet, & ex eis vnicus actus in omnibus, & per omnia æqualis, & cum eiſdem qualitatibus efficiatur per textum *in l. ſed & ſi manente iuncta l. præcedenti in fine, ff. de precario l. ſi cum dies in princip., ff de recept. arbit. l. alienatum in princip. ff. de verb. ſignif.*, ergò, cum omnes conditiones interueniant, quæ requiruntur ad diſpenſationem, & conualidationem in radice, erit illa habilitas per illam diſpenſationem inducta ſic interpretanda. Aduerte hic tamen, quod, ſi diſpenſationi huiuſmodi addatur illa clauſula, vt valeat in beneficio permanere, hæc diſpenſatio non poſſit haberi, niſi per habentem poteſtatem conferendi huiuſmodi beneficium, & prçcipuè per Pontificem; qui enim non habet poteſtatem conferendi, nec poteſt tribuere ius, vt antecedenter ad diſpenſationem valida ſit collatio, quæ erat irrita.

Si vitium fuerit occultum, & electus nõ fuerit intruſus accedente poſtea diſpenſatione ſuper illo vitio electio fit valida in radice, & trahitur ad ſuum initium.

---

§. VIII.

An diſpenſatio ſub conditione reſolutiua ſuſpendat actum.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.

Factum etiam extenditur ad alios contractus oneroſos. 2.

Quid ſit conditio ſuſpenſiua, & reſolutiua, & quanam eius diſcrimina. 3.

Regula ad dignoſcendum quandò conditio ſit ſuſpenſiua, & quandò reſolutiua. 4.

Conditio illa concepta in facti ſerie eſt reſolutiua, non merè ſuſpenſiua. 5.

Pendente adhuc reſolutione contractus ob non ſuperuenientiam conditionis fructus medij tẽporis fiunt eius, in quẽ bona illa tranſierunt. 6.

1 *Facti ſeries expoſita.*

DISQVISITIO VIII. Diſpenſauerat Pontifex, vt Titius, & Caius beneficiarij ſeruatis ad inuicem conditionibus iuri non repugnatibus inter ipſos ſtabiliendis beneficia, quibus gaudebant, inter ſe commutarent. Pacta iuxta diſpenſationem Pontificis inter ſe inierunt, & facta eſt commutatio ea appoſita in commutatione declaratione, quod bona beneficiorum vtriuſque ſint libera, & vbi adeſſent aliqua bona, ſeù aliqua pars ex commutatis, quæ ſubiaceret alicui ficto libellario, non intelligatur de ea facta commutatio, & non aliter, cum aliter &c. De facto inter bona vnius beneficij eſt controuerſia, an aliqua ſint libellaria, nec ne. Hic multiplex orta eſt ratio dubitandi, & quidem in ordine ad effectum, an ſit intelligenda per illam commutationem tranſlata proprietas, & poſſeſſio quoad illa bona libellaria in alterum commutantem ſub conditione tamen reſoluenda, an verò intelligatur ſuſpenſa tranſlatio proprietatis, & poſſeſſionis vſque ad conditionis euentum. Prima eſt, an illa commutatio ſic concepta intelligatur ſub conditione ſuſpenſiua, an verò ſub conditione reſolutiua: Secunda in ſuppoſitione, quod ſit ſub conditione reſolutiua intelligatur commutatio pura ſub conditione tamen reſoluenda, ita tamen, vt ante reſolutionem ille, in quem facta eſt illa commutatio, gaudeat vera poſſeſſione &c.

2 *Factum etiam habet locum in alijs contractibus oneroſis.*

Hæc difficultas, quæ excitatur in terminis commutationis beneficij per diſpenſationem Pontificis quoad bona temporalia eiuſdem beneficij, excitari etiam poteſt in ordine ad quamcunque venditionem, aliumque contractum ex vtraque parte oneroſum, & obligatorium, adeo vt, ſi res vendita intelligatur cum pactis, & conditionibus, de quibus in facti ſeriè mox expoſita, habeatur pro vendita ſub conditione ſuſpenſiua, an verò tantum reſolutiua, & an talis conditio ſuſpendat, an verò ſuſpendatur vſque ad conditionis eiuſdem reſolutionem.

3 *Quid ſit conditio ſuſpenſiua, & reſolutiua, & quæ eius diſcrimina.*

Pro ſolutione aduerte primo nõ fictitiè, nec ſine iuris fundamento inductam eſſe per DD. diſtinctionem intèr conditionem ſuſpenſiuam, & reſolutiuam, maximum etenim inter ſe huiuſmodi conditiones diſcrimen præſeferunt, & cognitio diuerſitatis inter eaſdem plurimum confert ad diuerſa, & ſana iuditia in diuerſis ſecundum contingentias eſformanda. Conditio igitur ſuſpenſiua illa eſt, quæ actum ita ſuſpendit, vt nullum ſortiatur effectum, niſi poſt eiuſdem conditionis euentum per textus *in l. cum ad præſens, ff. ſi certum petat. l. conditionales, ff. de verb. ſignific. l ſi quis ſub conditione dandorum decem, ff. ſi quis omiſſa cauſa teſt.*, & quandò conditio eſt merè ſuſpenſiua rectè dicitur, quod nec dominium, nec poſſeſſio intelligantur tranſlata in emptorem, ſeù donatarium per textum *in l. qui abſentis*, §. 1. *ff. de acq. poſſeſ.* Conditio vero reſolutiua illa eſt, quæ non ſuſpendit actum, nec impedit ipſum eſſe purum, ſed, cum ipſe in ſua origine ſit purus, eueniente conditione reſoluitur per textum *in l. 2 ff de in diem adiect.*, & hoc dignoſcitur ex ipſa vi nominis *reſolutiui*; reſoluere enim eſt quodammodò rumpere, quod autem rumpitur ſupponit priorem ſubſiſtentiam; rumpi enim non poteſt, quod non eſt, nec fuit per textum *in l nam, & ſi ſub conditione, § poſt defectum, ff. de iniuſto rup., & irrit. teſt.* Hanc diſtinctionem cum ſuis explicationibus excepi à *Menochio conſ.* 388 *n.* 15. *& ſeqq.*, qui late, clarè, & dilucide de ea agit. Agunt tamen etiam de eadem *Socinus Senior in conſ. 71. n. 2. lib. 3. Tiraquel in tract. de retract. conuentionali*, §. 2. *gloſ.* 1. *num.* 74., *& clarius in l. ſi vnquam in verb. reuertatur num.* 283. *C. de reuoc. donation.* Ex hac diſtinctione habes, quod quandò contractus, ſiuè ſit emptio, & venditio, ſiuè commutatio, ſiuè quilibet alius contractus oneroſus eſt conceptus ſub conditione ſuſpenſiua, non transferat dominium, nec poſſeſſionem ante conditionis euentum, quandò vero eſt initus ſub conditione reſolutiua transferat quidem dominium, & poſſeſſionem omninò purè; ſed eueniente conditione poſtea reſoluatur. *Menochius loco quo ſupra Grammaticus in deciſ.* 58. *nu.* 10. *Pariſ. in conſ.* 92. *nu.* 22. *lib.* 3.

Aduertè ſecundo regulam, quam tradit idem *Menochius loc. cit. n.* 17. ad digno- 4

Regulæ ad dignoſcendum quandonam conditio ſit ſuſpenſiua, & quandò reſolutiua.

ſcendum, quandonam conditio appoſita in contractu intelligatur ſuſpenſiua, & quandonam reſolutiua. Conſiderandum quippe eſt, an illa conditio reſpiciat actum ineundum, & perfectionem eiuſdem actus, & tunc eſt merè ſuſpenſiua; aut reſpicit actum iam perfectum, & receſſum ab eodem, & tunc eſt reſolutiua *Gloſa, & Caſtrenſis in d. l. 2. ff. de in diem adiect. Tiraquel in d. l. ſi vnquam verb. reuertatur n.* 283. *C. de reuoc. donat*, & ad dignoſcendum quandonam conditio reſpiciat perfectionem actus, aut receſſum ab acto explicant, & varijs illuſtrant exemplis *Menochius, & Tiraquel loc. cit* ad quos propterea vos remitto.

Difficultates igitur ſolummodò eſt pro facti contingentis propoſiti diſcuſſione in inueſtigando, an conditio illa appoſita in contractu reſpiciat perfectionem actus, & ſit ſuſpenſiua, an verò receſſum ab actu, & ſit reſolutiua.

Reſpondeo igitur, primo conditionem 5
illam conceptam in illo contractu commutationis ex diſpenſatione Summi Pontificis probabilius eſſe reſolutiuam, non

merè

Digitized by Google

Illa conditio concepta in illo contractu commutationis in facti ſerie eſt reſolutiua.

merè ſuſpenſiuam. Rationibus pluribus poteſt euinci reſponſio, & primo, quià verba, quibus concipitur ille contractus permutationis, ſunt præſentis temporis *vendunt, ſeù commutant*, & indicant contractum de præſenti, non de futuro perficiendum *Gloſa in l. 2. in verb. conditionalis verſ. ſed ſi dicat, ff. de in diem adiect.*, ergò conditio, quæ ſuprà ipſum cadit, non erit ſuſpenſiua, ſed merè reſolutiua. Conſequentia probatur, quià conditio ſuſpenſiua non reſpicit actum de præſenti, ſed de futuro perficiendum, ergò, cum conditio, de qua agitur, præſuponat actum iam perfectum per tempus de præſenti, vel de præterito non erit ſuſpenſiua, ſed reſolutiua.

Conditio ſuſpenſiua reſpicit actum de futuro.

Secundò ex ijs, quæ docet *Socinus conſ. 170. in præſenti conſult. n. 9. verſ. ad tertium lib. 2.*, quod ſcilicet intelligatur venditio pura, licet apponatur conditio, quod, ſi impediatur, fiat reſtitutio pretij, vel quid ſimile, cum tunc tantum ſit reſoluenda venditio, cum impedimentum obuenerit, & interim emptor facit fructus ſuos, quos non faceret, ſi eſſet conditionalis, ſed hoc idem militat in caſu, de quo hic loquimur, quandòquidem de illis bonis hic, & nunc fit commutatio, & poſteà additur illa declaratio, quod, ſi inter illa bona fuerint libellaria, reſoluatur commutatio, ſeù pro non facta habeatur, ergò &c. Neque obeſſe poſſunt verba, quibus in præſenti hypotheſi concepta eſt commutatio. Ibi *& vbi adeſſent aliqua bona, ſeù aliqua pars ex commutatis, quæ ſubiacerent alicui fictio libellario, non intelligatur de ea facta commutatio, & non alitèr, cum alitèr &c.*, quæ verba, ſeù pacta certè feriunt contractum in ſua origine, & radice, cæteroqui eſſet manifeſta repugnantia in terminis, quod ſcilicet eſſet facta commutatio, & non facta, cum per illud pactum declaretur inualida in ſua origine; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià illa clauſula *non intelligatur de ea facta commutatio*, vtique refertur ad tempus conditionis, pro quo contractus eſt reſoluendus illa non exiſtente, & licet concipiatur per verbum de præſenti, cum tamen referatur ad conditionis euentum, tempus præſens, pro quo illa concipitur, vix haberi poteſt in conſideratione, ſed ſatis eſt, quod operetur, ſeù incipiat operari eueniente caſu, nec mirum eſt, quod id, quod refertur ad tempus futurum concipiatur per verbum de præſenti, cum regularitèr, & ſecundum communem modum loquendi dicatur, *ſi hoc euenerit fiat hoc, ſeù eueniente caſu habeatur &c.* Ex quibus ſequitur, quod, non ſequatur illa repugnantia commutationis, & non commutationis, prout in inſtantia; non ſequitur, inquam, nam reſpectu diuerſitatis temporis vtraque qualitas verificatur, & quod ſcilicet ſic contractus commutationis, antequam caſus adueniat; poſt caſum verò, annullatio eiuſdem contractus.

Ratio Socini ſuadens eſſe reſolutiuã.

Tertiò ex verbis eiuſdem commutationis facilè euincitur, quod per illam conditionem fiat receſſus à contractu, adeoque, quod ſit reſolutiua, *at vbi adeſſent aliqua bona, ſeù aliqua pars ex commutatis*, vbi nota illum particulum *ex commutatis*, quę importat contractum commutationis iam perfectum, & cum deindè ſubdatur *non habeatur, ſeù non intelligatur de ea facta commutatio*, vtique importatur receſſus ab eodem contractu; quæ omnia manifeſte important naturam conditionis reſolutiuæ.

Tertia ratio ſuadêt eſſe reſolutiuam.

Quartò ex ijs, quæ docent *Oldradus conſ. 285. nu 7., & 8. verſ. ad tertiam, Alexander conſ. 91. n. 5. verſ. ſed ſi in aliquo lib. 4.* nempè diſpoſitionem intelligi puram, ſi concipiatur talitèr, vt conferat obligationem, niſi aliqua obſtent, eſſe à principio puram, & reſolutiuam, nec tolli, niſi eueniente conditione, ſed talis eſt diſpoſitio, qua concepta fuit illa commutatio, cum per illam fuerint bona commutata appoſita declaratione, ſeù pacto, niſi obſtet, quod eadem bona, vel aliqua ipſorum ſint libellaria, ergò remanet pura, nec reſoluenda, donec doceatur bona ipſa, vel aliqua ipſorum eſſe libellaria.

Quarta ratio idem euincens.

Quintò ex textu *in l. quidem, ff. de reb. dub.*, vbi ſtatuitur, quod in omnibus caſibus, in quibus notio, an dominium tranſlatum ſit, nec ne, pendet, & ſpecificari debet à futuritione alicuius euentus, tranſlatio nunquam ſtet conditionalitèr, ſed ſemper purè, & ſolummodò ſit reſoluenda adueniente caſu, vt optimè ex illo textu ratiotinatur *Decianus in conſ. 8. num. 214., & ſeq. lib. 1.*, quod varijs illuſtrat exemplis, & præcipuè in hærede alienante bona legata alteri, antequam legatarius agnoſcat, vel repudiet, & concludit talem alienationem eſſe puram, quamvis dependeat ab actu futuræ agnitionis, vel repudiationis, per quem dubium eſt declarandum, ſed hæc omnia eueniunt in caſu præſentis commutationis, ſecundum quam ſpecificatio reſolutionis contractus dependet à futuritione declarationis, ſeù notionis, an illa bona ſit libellaria, nec ne, ergò interim illa commutatio remanet pura, & tantum reſoluenda adueniente caſu illius notionis, ſeù declarationis.

Quinta ratio rėdeus ad idem.

Dices, cum in hypotheſi præſentis caſus agatur de qualitate non pendente à futuro, ſed inexiſtente de facto, vel non exiſtente, non poſſe eſſe, quin, vel in origine irritet diſpoſitionem, ſi inexiſtat, vel reddat actum ipſo iure validum, nec reſoluendum, ſi non exiſtat, ergò, cum illa qualitas bonorum libellariorum verè tunc extiterit, re vera tunc irritauit, ſeù in

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Digitized by Google

in origine actum, qui propterea non potuit importare tranſlationem dominij, nec poſſeſſionis. Sed contra, quia quantumvis illa qualitas bonorum libellariorum extiterit, diſpoſitio tamen dependet à notione, ſeù veritate cognita eiuſdem qualitatis, quæ verè tunc non aderat, quod ſatis eſt ad præſens inſtitutum, ſecundum quod eadem diſpoſitio non videtur reſoluenda, niſi poſito euentu illius notionis, quod etiam illuſtrari poteſt exemplo adducto per Decianum de hærede alienante bona legata, quæ ſecundum ſe erant inalienabilia, quæ qualitas inalienabilitatis erat inexiſtens bonis legatis, & tamen venditio remanet pura, neo reſolubilis, niſi eueniente agnitione legatarij, eiuſque declaratione.

6 Fructus medij temporis fiunt eius, in quē bona illa transferunt per commutationē.

Reſpondeo ſecundo. Pendente adhuc reſolutione contractus ob non ſuperuenientiam conditionis fructus medij temporis pertinent ad eum, ad quem tranſlata ſunt bona illa commutata, ipſeque acquirit ius ad præſcriptionem *Tiraquel ad d. l. ſi vnquam verb. reuertatur n. 283. C. de reuoc. donat. Baldus, & Paulus Caſtrenſis in l. 2. C. de pactis inter empt., & vendit.*, hocque expreſsè euincitur per textum *in l. 2. 3., & 4. ff. de in diem add., & l. 2. §. Sabinus, & §. ſi in diem ff. pro empt.*, & ratio clara ex dictis deducitur, nam, cum interim ille, in quem facta eſt illa commutatio, fuerit dominus, conſequens eſt, & fructus fieri ipſius *l. fructus, & l. in fundo, & l. ex diuerſo, ff. de rei vendit., & l. fructus, ff. de vſuris*. Ex quibus etiam ſequitur, quod donec euenerit caſus, de quo in conuentione, ſit manutenendus in poſſeſſione, & acquirat ius ad præſcribendum dependentèr ab eadem poſſeſſione *Tiraquel in d. l. ſi vnquam verb. reuertatur n. 283. C. de reuoc. donat.*

---

§. IX.

An Pontifex poſſit diſpenſare contra ordinationem Apoſtolorum.

SVMMARIVM.

Refertur dubitationis ſenſus in caſu particulari. 1.

Non omnes ordinationes Apoſtolorum ſunt ſanctiones diuinæ. 2.

Romanus Pontifex in allegata ordinatione Apoſtolica poteſt ex iuſta cauſa diſpenſare. num. 3.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO IX. Ordinauit *Apoſtolus 1. ad Thimoth. 3.*, quod oporteat Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, & per conſequens excludit Bigamum. Quæſitum hic fuit, an Pontifex contra illam ordinationem Apoſtolicam poſſit diſpenſare, vt bigamus promoueatur ad Epiſcopatum, quod quæſitum poteſt etiam extendi in ordine ad Neophitum, de quo etiam diſponit Apoſtolus, vt non promoueatur ad Epiſcopale munus, & dignitatem?

Non arbitrandum eſt Apoſtolum *dicta prima ad Thimotheum III.* non inferre præceptum, ſed tantum conſilium, non neceſſitatem, ſed indicare dumtaxat quandam honeſtatem ad ſignificandam vnionem vnius ſponſi Chriſti cum vna Eccleſia; Non, inquam, arbitrandum quandoquidem verbum, quo concipitur illa ordinatio, nempè *oportet*, excludit quodcunque arbitrium per textum *l. verbum oportere 37., ff. de verb. ſignif.*, & neceſſitatem importat, *vt in auth. de Iudicibus §. oportet verſ. neceſſario collat. 6. l. ſi quandò, C. vndè vi c. non oportet 3. q. 9. c. 1. de præſcript. in 6., c. nam ab vno de re iudic. etiam in 6., Sairus in claui Regia lib. 3. c. 7. nu. 20., Valentia prima 2. diſp. 7. q. 5. punct. 6. q. 3. verſ. ſunt autem circa hæc, Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib 3. c. 2. diſt. 3., Roſa apud Farinacium deciſ. 50. n. 2. in prima collect. nouiſ. Gregorij deciſ. 23. nu. 3.*

Apoſtolus infert præceptum, nō merum conſilium.

Prò ſolutione ſciendum eſt non omnia, quæ ordinarunt Apoſtoli, eſſe ſanctiones diuinas, ſed quandoque meras conſtitutiones canonicas; ſicuti etenim ipſi conſiderari poſſunt, vt Apoſtoli miniſtri Chriſti, viua Spiritus Sancti inſtrumenta, & promulgatores legis diuinæ, & vt Paſtores, præſides, & præfecti Eccleſiarum à Chriſto Domino ſpecialitèr electi, ità ea, quæ præſcribunt, docent, vt miniſtri Chriſti, & Spiritus Sancti viua inſtrumenta, & promulgatores legis diuinæ important ſanctiones diuinas, ea, verò quæ præſtant, vt Paſtores, Præſides, & Eccleſiarum Præfecti ad rectam eiuſdem Eccleſiæ regimen ſunt tantum conſtitutiones canonicæ, quales ſunt illæ, quæ præſcribuntur à Romanis Pontificibus, qui ſunt eorundem Apoſtolorum ſucceſſores. Hæc omnia colliguntur *ex Gloſa in c. ſunt quidam verbe Apoſtoli 25. q. 1.*, eaque ſeruata hac diſtinctione docent *Turrecremata lib. 2. ſumma c. 54., & ſeqq. Auguſtinus Triumph. de poteſt. Eccleſ. q. 60. Azorius inſtit. mor. part. 1. lib. 5. c. 15. q. 4., Sairus in claui Reg lib. 3. c. 10. n. 6.*

2 Nō omnes ordinationes Apoſtolorum ſunt ſanctiones diuinæ.

Reſpondeo, poſſe Romanum Pontificem contra huiuſmodi ordinationem Apoſtolicam maximè ex iuſta cauſa diſpenſare. *D. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. art 3. in corp., & ibi Riccardus art. 4. q. 4., Paludanus q 4. art. 5. nu. 33.; Auguſtinus Barboſa de iure Eccleſ. vniuerſ. lib. 1. c. 2. num. 126., Azorius part. 1. inſtit. mor. lib. 5. c. 15. q 4. Ancharanus conſ. 124. circa bigamos Egidius Bellamera conſ. 28. nu. 5., Sanchez de matrimon. lib 7. diſp. 86. nu. 6.* Ratio ex eo deducitur,

3 Romanus Pontifex poteſt in aliquibus ordinationibus Apoſtolorum ex iuſta cauſa diſpenſare.

Digitized by Google

ducitur, quià Apoſtolus non impoſuit præceptum in perſona Chriſti, tanquam promulgator legis diuinæ, ſed in perſona propria tanquam Paſtor, Præſes, & Præfectus Eccleſiarum à Chriſto Domino electus; ſed in ijs, quæ Apoſtoli præſcripſeruit tanquam directores Eccleſiæ, & Paſtores animarum in ordine ad rectum Eccleſiæ regimen Pontifex poteſt diſpenſare, quandoquidem ex ordinatione diuina Pontifex ſuccedit in plena ipſorum auctoritate, ergò &c. Confirmatur, quià non eſt præſumendum, quod Pontifices voluerint ſibi arrogare poteſtatem, quam non habent ſic diſpenſandi, ſed de facto plures Pontifices in bigamia diſpenſarunt ad effectum, vt ad ſacros ordines poſſent promoueri, vt habetur *in c. Rector diſt.* 34., vbi Martinus diſpenſauit cum bigamo, vt ad ſubdiaconatum promoueretur, *& in Gloſa ibid. verb. fiat*, vbi refertur Pontificem diſpenſaſſe cum Epiſcopo Panormitano, qui bigamus fuerat; Nec obeſſe poſſunt textus *in c. ſunt quidam* 25. *q.* 1, *& in c. non licet de Bigamis*, vbi videtur innui non poſſe Pontifices in hoc diſpenſare; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quandoquidem textus *in d. c. ſunt quidam*, loquitur tantum quoad ea, quæ iuris diuini ſunt, & præcepta ab Apoſtolis in perſona Chriſti, quod expreſſè colligitur *ex Gloſa in d. c. ſunt quidam*, vbi habet *Nam ſi vellet aliquid ſtatuere contra Euangelium, vel contra Apoſtolos, vel Profetas, hæreticus eſſe cenſeretur*; non poteſt autem cenſeri hæreticus, niſi aduerſetur ijs, quæ ſunt contra fidem, & ſunt iuris diuini, vt ex ſe patet: vndè meritò ſubdit eadem *Gloſa poſſe ſuſtineri, quod Papa diſpenſet contra Apoſtolum, non tamen in ijs, quæ pertinent ad articulos fidei*; textus verò *in c. non licet de bigamis* intelligendus eſt, vt notat *Sanchez d. l.* 7. *diſp* 86. *nu.* 6 quatenus ly *non licet* importet difficultatem, non impoſſibilitatem, vel vt dicit *Auguſtinus Barboſa de iure Eccleſiaſtico vniuerſ. lib.* 1. *c.* 2. *nu.* 126, quatenus importet non licere diſpenſare ſine cauſa, benè tamen legitima cauſa interueniente; neque hæc reſponſio obſtare poteſt ijs, quæ ſupra diximus, Pontificem ſcilicet in iure canonico poſſe ſine cauſa diſpenſare vtpotè in propria lege; Non, inquam, obſtare poteſt, quià ea procedunt de valida diſpenſatione, non autem de licita. Deindè ſpecialius ſine legitima cauſa non videtur poſſe diſpenſare in legibus immediatè promanantibus ab Apoſtolis, quandoquidem ipſi ſunt prima radix, & prima regula cuiuſcunque ordinationis canonicæ, à qua propterea ſine legitima cauſa non eſt recedendum.

Ordinauit vt præſes, & director Eccleſiæ.

Ad fortius hanc noſtram reſponſionem roborandam adduci poſſunt plura exempla, in quibus in Apoſtolorum ordinationibus Pontifex potuit diſpenſare, & de facto diſpenſauit, ſic de facto in concilio Gangrenſi diſpenſatum eſt in ſtatuto Apoſtolorũ, quo fuerat ſancitum Præsbiterum ob crimen fornicationis eſſe deponẽdum. Secundò, quià Apoſtolus *prima ad Thimotheum III.* præſcripſit, ne aſſumeretur in Epiſcopum percuſſor, & tamen nullus dubitat, quin Pontifex poſſit cum eo diſpenſare, vt aſſumatur.

---

§. X.

An Pontifex poſſit ſe ipſum abſoluere à iuramento obligatorio, quod præſtitit, ſiuè antè, ſiuè poſt Pontificatum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus controuerſiæ in duplici caſu. 1.

Doctores negantes in vtroq; caſu poſſe ſe abſoluere. 2.

Opinio ſuſtinens, poſſe ſe abſoluere, quandò iurauit, dum eſſet ſolum Cardinalis 3.

Rationes ſuadentes poſſe ſe ipſum abſoluere. 4.

Probabilius poteſt ſe ipſum intercedentibus legitimis cauſis abſoluere 5.

Caſus particularis in quo poteſt ſe abſoluere. 6.

DISQVISITIO X. Promiſerat Pontifex ſub iuramento aliquid efficere, vel omittere, quod erat ſecundum ſe licitum, hocque dum actu eſſet Pontifex, vel fortè etiam huiuſmodi promiſſionem cum iuramento elicuit, quandò ſolummodo erat Cardinalis, quam tamen confirmauit creatus Pontifex. Quæſitum hic fuit, an in vtroque allegato caſu poſſit ſe ipſum ab illo iuramento abſoluere, & ea non efficere, & non ommittere, quæ efficere, vel ommittere promiſit, ſi fuerint licita.

1 Factum in ſuis terminis.

Negant in vtroque caſu *Decius in c. porrecta nu.* 4. *de confirm. vtil., & inut. Felinus in rub. de conſtit. nu* 33. *Ancharanus conſ.* 65. *pro declaratione dubiorum per totum, Decius conſ.* 151. *maximi ponderis per totum num* 10., *Abbas in c. fin. in fin. de inſtit., vbi Apoſtilla dat plures concordantes, Ioannes de Silua tract. de beneficijs in 3 part. q.* 8. *num.* 19., & quoad ſecundum caſum vltra præcitatos *Antonius de Butrio c.* 1. *de conſtit. n* 10. quos omnes ea ratione moueri exiſtimo, quod Pontifex in ijs, quæ iuris diuini ſunt, non poſſit ſe ipſum abſoluere per textum *in c. cum inter P. de renunt., & ibi Abbas in pri. q. col.* 5. *in fin. nu.* 9 iuramentum autem, & votum ſunt iuris diuini.

2 Doctores negantes poſſe ſe abſoluere.

Quoad ſecundum tamen caſum affir-

3

mat

Digitized by Google

Opinio ſtatuens poſſe ſe abſoluere, quandò iurauit dum eſſet ſolum Cardinalis.

mat *Iacobatius tract. de concil. in 7 lib. art. 5. per totum*, vbi ſtatuit, quod non obligent capitula iurata cum voto à Cardinali promiſsa, antequam eſset Pontifex ad effectum, vt ex cauſa non poſſit recedere, & ſe ipſum abſoluere; Idem ſtatuunt alij de iuramento præſtito in conclaui per Cardinalem, qui poſteà in eodem conclaui electus eſt Pontifex, de non eligendis Cardinalibus, & non infeudando, niſi de conſenſu omnium Cardinalium *Alexander conſ. 224. in re, tàm graui lib 6.*, vbi citat Barbatiam, & Dominicum Ruffum ipſius diſcipulum. Rationem ex eo deducunt, quià, quandò Pontifex repræſentat diuerſam perſonam ab ea, quam repræſentabat, dum eſset ſimplicitèr Cardinalis, & ſuprema ſit perſona, quam repreſentat, tribuit maius ius.

4 Rationes ſuadentes poſſe abſoluiè ſe abſoluere.

Ex aduerſo militare videntur ea, quæ docuimus *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon III. Prænot. 17. aſſert. 2 nu. 2.* nempe poſse Pontificem ſecum immediatè diſpenſare in ijs omnibus, in quibus poteſt cum alijs, prout docent *Silueſter verb. lex q. 14 in fin Corradus in templo omn. Iud. lib. 1. c. 1 §. 3 n. 6. Caietanus 1. 2 q 96. art. 5. col. 3 verſ ad hoc dubium*, per rationes ibidem adductas, quod ampliauimus etiam in ordine ad ea, quæ iuris diuini ſunt, & in quibus ex præſumpta Dei voluntate intercedentibus legitimis cauſis poteſt cum alijs diſpenſare; Si ergò poteſt immediate in ijs ſecum diſpenſare, cur non poterit ſe ipſum abſoluere, non enim hoc exigit ſacramentalem confeſſionem, & abſolutionem, quæ non poteſt eſse niſi ab alio. Quid ergò in hac ſpecie concludendum?

5 Probabilius eſt intercedentibus legitimis cauſis poſſe à tali iuramento ſe ipſum abſoluere.

Reſpondeo, probabilius eſse intercedentibus legitimis cauſis poſse Pontificem à tali iuramento ſe ipſum abſoluere; congruentius tamen efficeret, ſi alium eligeret, à quo abſolueretur. In hanc aſsertionem exiſtimo propendere quotquot ſuſtinent poſse in iſtis ſecum immediatè diſpenſare, & ſic præter allegatos ſentiunt *Paludanus in 4. diſt. 38 q. 4. concl. 4. n. 41. Sotus in 4 diſt. 18 q 1. art. 5. concl. 2. Suarez tom 3. in tertiam partem D. Thomæ q 82. art. 11. d. 36. ſect. 2 col antepenult. verſ. ſolet vero.* Ratio ex eo deducitur, quià non eſt repugnantia, nec ex parte actionis, nec ex parte materiæ, ſeù obiecti, nec ex parte termini ad quem dirigitur illud iuramentum, ergò non eſt, cur à tali iuramento non poſſit ſe ipſum abſoluere. Antecedens quoad primam partem probatur, quià illa actio non importat iuriſdictionem contentioſam, quam nemo poteſt in ſe ipſum exercere, nec exigit ſacramentalem abſolutionem, quæ ex diſpoſitione diuina petit eſse ab alio; primum ex ſe patet; ſecundum verò ſic euincitur, quià illud iuramentum ſecundum ſe non inuoluit aliquam noxam, à qua exigat abſolui in ſacramento, ſed ſolum exigit reſolutionem obligationis, ne deficiat non adimplendo; ſed hæc reſolutio obligationis non exigit diuerſitatem perſonæ, quià nihil aliud importat, quam quod relaxetur obligatio, ſicut autem hæc poteſt relaxari per diſpenſationem poſitam per ipſum Pontificem ſecum diſpenſantem per alibi probata, ità etiam poteſt tolli per relaxationem ſimplicitèr factam, ergò ratione actionis non eſt aliqua repugnantia, ratione cuius non poſſit ſe ipſum abſoluere ab illo iuramento. Quoad ſecundam partem etiam euincitur idem antecedens, quià obiectum talis abſolutionis eſt ius acquiſitum Deo ex illa promiſſione iuramento firmata, ſed Pontifex poteſt quoad illud ius Deo acquiſitum abſoluere, primo quià abſoluit de facto in iuramentis aliorum nemine diſceptante, ergò qua eſt obiectum iuris diuini non repugnat ab eodem diſsolui, & cum non exigat abſolutionem ſacramentalem, nec iuriſdictionem contentioſam, nec etiam exigit diuerſitatem perſonæ. Secundò, quià poteſt diſsoluere materiam, circa quam verſatur iuramentum, nempè promiſſionem, quæ eſt actus humanus, & naturalis dependens à poteſtate eiuſdem Pontificis. Quoad tertiam etiam partem ex eo euincitur, quod etiam iuramentum aliorum refertur ad Deum tanquam ad terminum, cum ipſius nomen, vt teſtis inuocetur, & nihilominus extante legitima cauſa à Pontifice diſsoluitur, ergò ex eo, quod referatur ad Deum non tollitur, quin ex cauſa legitima poſſit ab eodem Pontifice diſsolui.

Rationes ſuadentes poteſtatè Pontificis ad ſe abſoluendū.

Vlterius probari poteſt eadem reſponſio. Quià ex quo Pontifex poſt legitimam ſui electionē acceptauit Papatum obligatur de iure diuino erga Eccleſiam, cum contraxerit cum eadem matrimonium ſpirituale, & tamen exiſtente legitima cauſa poteſt diſsoluere illud vinculum eidem renuntiando, ergò exiſtente legitima cauſa poteſt Pontifex ſe abſoluere à iuramento, quod præſtitit. Conſequentia tenet, quià fortius eſt vinculum ratione matrimonij ſpiritualis, quod contraxit cum Eccleſia in ordine ad Deum, quam ſit illud, quod contraxit in iuramento in alio genere, ergò &c.

Poteſt renunciare Papatum, quem acceptauerat

6 Caſus particularis, in quo poteſt ſe abſoluere.

Hinc potes deducere, quod, ſi Pontifex, dum eſset in conclaui, adhuc non creatus vouerit non creare Cardinales exiſtente tamen legitima cauſa, eo quià defectu Cardinalium Eccleſiaſticus ordo, & regimen Chriſtianæ Reipublicæ pateretur poſset ſe ipſum abſoluere à tali iuramento, & Cardinales creare *Alexander conſ. 224. in re tam graui lib. 6.*, cui videtur conſentire *Cardinalis Tuſchus lit. P. verb. Papa concl 50. n. 25.*

Non

Digitized by Google

Non ità tamen facilè concederem, quod poſſit ſe ipſum abſoluere à iuramento, quod præſtitit de non infeudãdo, quandoquidem regularitèr abſolutio à tali iuramento noxia eſt Eccleſiæ, & vix ſubeſſe poteſt legitima cauſa talis abſolutionis, prout notat idem *Alexander d. conſ. 224. & Tuſchus loc. cit.*

§. XI.

An diſpenſatus ad beneficium ſimplex intelligatur diſpenſatus ad alia omnia in tali genere.

SVMMARIVM:

Proponitur ſeries quæſtionis. 1.
Diſpenſatus ſuper illegitimitate natalium in ordine ad conſequendum vnum beneficium ſimplex illo obtento non poteſt aliud obtinere. 2.
Legitimatus à Romano Pontifice obtento vno beneficio ſimplici poteſt aliud conſequi. 3.
Diſpenſatus ſuper ætate ad beneficium ſimplex eo obtento non poteſt aliud conſequi. 4.
Secus, ſi fuerit abſolutè habilitatus ſuper ætate. 5.

1 Factum elucidatur in terminis particularibus.

DISQVISITIO XI. Caius ortus natalibus illegitimis diſpenſatus fuit ſuper defectu natalium, vt non ſolum promoueretur ad ordines, ſed etiam, vt poſſit promoueri ad beneficium ſimplex. Ex vi talis diſpenſationis ad idem beneficium ſimplex promotus eſt. Quæſitum fuit, an ex vi habilitatis inductæ per diſpenſationem ad illud beneficium intelligatur diſpenſatus factus habilis ad alia in eodem genere beneficiorum ſimplicium.

Agunt de hac difficultate *Auguſtinus Barboſa de offic., & poteſtat. Epiſcopi part. 2. allegat. 45 nu 8.*, & ſecundum ſimiles terminos licet in diuerſa ſpecie *Borgninus Caualcanus deciſ part. 1. deciſ. 29., Campanilis in diuerſ. iuris canon. rub. 11. c. 13. nu. 98.* Species autem, de qua agit *Borgninus Caualcanus loc. cit.* eſt in diſpenſato ſuper ætate ad beneficium ſimplex obtinendum; quamvis etenim de iure communi antiquo maior ſeptennio poſset ad ordines maiores promoueri, & beneficium ſimplex conſequi, & retinere; per textum *in c. nullus de temp. ordin. lib. 6.*; de iure tamen nouo concilij Tridentini, nemo quantumvis prima cenſura initiatus, aut in minoribus conſtitutus poteſt conſequi beneficium ſimplex antè decimum quartum annum, prout habetur *ſeſſ. 23. c. 6.*; vndè proponit caſum, in quo ſupponit per breue Gratioſum quemque antè talem ætatis annum à Tridentino præſcriptum conſecutum fuiſſe beneficium ſimplex, & deindè quærit, an ſine noua diſpenſatione antè talem annum intelligatur habilis ad aliud ſimplex beneficium. De vtraq; difficultate, ſcilicet circa diſpenſationem ſuper defectu natalium, & circa defectum ætatis agemus in hac diſquiſitione, pro qua.

Factum ſimile de quo loquitur. Borgninus. Caualcan.

2 Diſpenſatus ſuper illegitimitate natalium in ordine ad beneficium ſimplex obtento vno non poteſt aliud conſequi.

Reſpondeo primo, diſpenſatus ſuper illegitimitate natalium ad beneficium ſimplex, ſi ad illud fuerit promotus, probabilius non poteſt ſine noua diſpenſatione ad aliud ſimplex ſimile promoueri, ſecus ſi fuerit per Romanum Pontificem per legitimationem habilitatus. Ità quoad primam partem *Ioannes Monachus in c. 1. nu. 10. de filijs presbit., Baldus conſ. 51. n. 4., & 5. vol. 5., Paulus de Caſtro in l. ſed ſi ad hac §. patronum, & ibi Iaſon nu. 6 ff. de in ius vocan., & idem Paulus de Caſtro conſ. 200. col. 2. vol. 2., Iaſon conſ. 137. num. 9. verſ. nec fuit vol. 4., Egidius Bellamera conſ. 32. pro introductione col. 2., & 3.* Quoad ſecundam, *Oldradus conſ. 251. verſ. verum eſt in diuerſis Felinus in c. poſtulaſti limit.* 8. *de reſcriptis Ioannes Monachus in d. c. 1. de filijs presb. nu. 12., verſ ſed in litera diſpoſitionis*, qui omnes DD pro vtraq; parte citati, licet loquantur in diuerſis terminis diſpenſationis ſcilicet, & habilitationis ſuper defectu ætatis, trahi tamen poſſunt proptèr identitatem rationis ad ſanum ſenſum noſtræ reſponſionis. Dixi in ſecunda parte, *ſi fuerit per Romanum Pontificem per legitimationem habilitatus*, quià legitimatio per reſcriptum Principis ſæcularis non habilitat illegitimum in ordine ad munera, & officia Eccleſiaſtica, & ſpiritualia, ſecus legitimatio facta per Romanum Pontificem.

Rationes euincentes intentum.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià ex diſpoſitione iuris communis illegitimus eſt inhabilis ad quæcunque munera, & beneficia eccleſiaſtica, ergò diſpenſatio aduerſus idem ius commune reſtringi ſolum debet ad actum, ſuper quo interponitur, & non poteſt extendi de vno actu ad alium, & de vno beneficio ad aliud quantumvis eandem, vel maiorem, vel minorem rationem habeat *Felinus d. c. poſtulaſti ſub nu 8. verſ. circa tertiam quæſtionem de reſcrips. Tiraquel in rep. l. hoc ſermone §. boues nu. 18. ff. de verb. ſignif. Ioannes à Silua in tract. benefic. in 2. part. q. 6. nu. 1.*, quæ omnia conſonant cum ijs, quæ nos ſupra docuimus, nempè diſpenſationes exorbitantes à iure communi eſſe ſtrictè interpretandas, nec in eiſdem valere argumentum à paritate, nec à maioritate rationis. Confirmatur, quià inter cæteras rationes, ob quas dicuntur diſpenſationes contra ius commune, non niſi ſtrictam admittere interpretationem, eſt ambitio, prout notant *Decius in c. at ſi clerici §. de*

adul-

adulterijs n.19. de iud. Abbas in c. ex ratione nu.10., & ſeqq; de ætat., & qualit, Paulus de Caſtro cōſ. 200. viſa ſupradicta col 2. verſ. præterea vol.2., ſed hæc ratio reſtrictionis potiſſimum militat in præſenti hypotheſi, vt per ſe patet, ergò &c.

3 Legitimatus à Romano Pontifice obtento vno beneficio ſimplici poteſt aliud conſequi.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod in hoc differt legitimatio à diſpenſatione, quod illa intelligitur ad omnia, cum auferat abſolutè impedimentum illegitimitatis; hæc verò ad vnum tantum, cum ad illud tantum, & ex natura diſpenſationis, & ex præſumpta mente diſpenſantis reſtringatur; illa dicitur fauorabilis, hæc verò odioſa, & ambitioſa, ergò illa ſuppoſita, ſupponitur habilitas ad omnia, nec euacuatur habilitas per impetrationem vnius ad aliud ſimile beneficium, ſi fuerit ex genere ſuo compatibile, nec tollitur, quin per renuntiationem primi poſſit ſecundum conſequi.

4 Diſpenſatus ſuper ætate in ordine ad beneficium ſimplex eo obtento non poteſt aliud obtinere.

Reſpondeo ſecundo, ſi Caius fuerit diſpenſatus ſuper defectu ætatis non ſimpliciter, ſed in ordine ad illud beneficium probabilius non poteſt conſequi aliud beneficium, poſtquam ad primum fuerit promotus, nec ſimul, hoc eſt retinendo primum cum ſecundo, nec diſiunctiuè, hoc eſt renuntiando primo, vt promoueatur ad ſecundum ſine noua diſpenſatione; ſecùs ſi fuerit ſimpliciter habilitatus ſuper ætate ſine ordine ad illud beneficium. Ità conſentiunt in ſpecie, & in his terminis quotquot fuerunt allegati pro vtraque parte præcedentis reſponſionis, & vlterius *Borgninus Caualcanus prima part. deciſ.29 nu.8.*, qui etiam *ibid. nu.* 15. refert in facti contingentia, præcipuè quoad primam partem, ità fuiſſe declaratum à Summo Pontifice, qui propterea in ordine ad aliud beneficium obtinendum iterum diſpenſauit.

Ratio quoad primam partem deduci poteſt ex ijs, quæ fuerunt adducta in probatione primæ partis præcedentis reſponſionis, quandoquidem etiam hic militat, quod illa diſpenſatio ſuper ætate in ordine ad beneficium ſit exorbitans à iure communi, odioſa, & ambitioſa. Nihilominùs

Dices primò, diſparem omninò eſſe rationem de diſpenſatione in caſu præcedentis reſponſionis quoad illegitimitatem natalium, ac de diſpenſatione in caſu præſentis quoad defectum ætatis. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod de iure communi maior ſeptennio poteſt promoueri ad ordines minores, & ad beneficium ſimplex prout conſtat *ex d. c. nullus de temporib. ordin. lib 6.*, & latè probant *Lambertinus de iure patronat. in 26. art. q.7 princip. part.1 lib.2. nu.5.*, quod ius correctum fuit *per concilium Triden. ſeſſ 23. c.6.*; De iure autem communi illegitimus nunquam eſt habilis ad munera, & beneficia Eccleſiaſtica, & ſpiritualia; ex qua diuerſitate hoc ſequitur, quod cum concilium Tridentinum quoad illam ætatem ſit correctorium iuris communis, ſit odioſum, & per conſequens, dum per diſpenſationem iuri Tridentini derogatur, gratia per eandem conceſſa reducitur ad primæuum ius commune, & dicitur fauorabilis *arg. l. ſi vnus §. pactum, ff de pactis*, & quandò diſpenſatio eſt gratioſa, & fauorabilis in eadem fit extenſio ad caſum ſimilem *Alexander in l. ſi conſtante in princip. num.5., ff. ſolut. matrim., Iaſon in l. omnium nu.11, C. de teſtam. Abbas in c ſi clerici, §. de adulterijs nu.8. de reſcript.*; quæ omnia non militant in caſu diſpenſationis ſuper defectu natalium in ordine ad beneficium ſimplex obtinendum; per illam etenim diſpenſationem declinatur à iure cõmuni, adeòq; &c. Sed contrà, quià quantumvis verum ſit, quod diſpenſatio derogans priuato ſtatuto, & conſuetudini populi, quæ erant iuri communi contraria, ſit fauorabilis, & extẽdenda, quià reducit ad ius commune, quod fauorabile eſt per ea, quæ docent *Antonius c. olim n.6., & 7. de verb. ſignific., & ibi Abbas nu.5., Iaſon l. beneficium n.24., & 35., ff de conſtitut. Princip., Silueſter verb. priuilegium q 3., Ioannes Andreas verb. priuilegium q.3. concl.2. Mandulus conſ.724. nu 16. vol.3, Henriquez lib. 7. de indulgent. c.30. nu.3.*; fallit tamen, quandò diſpenſatio verſatur circa ius commune, quantumvis hæc deroget, ſeù corrigat aliud ius antiquum commune, quandoquidem, cum ius commune nouum, in quo ſit derogatio per diſpenſationem, æquam vim habeat, ac haberet ius antiquum, ſi non eſſet retractatum, & funderetur in æquiori ratione, non eſt, cur talis diſpenſatio debeat dici fauorabilis, cum deroget iuri æquè communi, & fauorabiliori Eccleſiæ, vt per ſe patet; Concilium autem Tridentinum non conſtituit ſolum ius municipale, ſed ius vniuerſale vbique obligans, adeòq &c.

Prima inſtantia aduerſus reſponſioné, eiuſque ſolutio,

Dices ſecundo, examinatus propter vnum beneficium ſimplex, & approbatus, non videtur iterum examinandus ad aliud ſimile beneficium eandem, vel ſimilem examinationem requirens quoad literaturam per textum *in c. de Petro diſt.47., vbi Gloſa in verb. ignota, & Gloſa in c nullus ordinetur clericus Abbas in clem Romani nu. 9. de iureiur. Bertachinus de Epiſcopis in tertia parte lib.3. q.7. verſ. prædicta vera ſunt, Rebuffus in pract. benefic. tit. de cler. ad ſacros ord. malè promot in gloſ.4. n 11.*, ergò etiam diſpenſatus ad beneficium ſimplex, & ad ipſum promotus, non amplius indigebit diſpenſatione in ordine ad aliud beneficium ſimplex, & ſimile obtinendum. Sed contrà, dato pro nunc antecedenti neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis

Secunda inſtantia, eiuſque ſolutio.

in

Digitized by Google

in eo conſiſtit, quià experimentum ſcientiæ eſt ad dignoſcendam qualitatem in ſubiecto inexiſtentem requiſitam ad tale munus, ſeù ad exercitium muneris in tali beneficio, quæ, ſi extat, in ordine ad vnum munus etiam inexiſtit in ordine ad aliud munus ſimile, cum hoc non exigat maiorem peritiam, ac exigat primum; diſpenſatio autem non ſuppònit qualitatem inexiſtentem in ſubiecto ad munus requiſitam, ſed illam ponit, & quidem non quomodocunque, ſed ad normam iuris, & iuxtà naturam diſpenſationis, quæ eſt, vt reſtringatur ad id, ad quod expreſsè conceditur, & non ad alia, adeoque &c.

Inſtabis aduerſus ea, quæ præcipuè dicta ſunt in reſponſione ad inſtantiam primam. In pluribus dictum eſt in præcedentibus, quod diſpoſitiones Concilij Tridentini in ea parte, in qua ſunt correctoriæ iuris communis, ſint ſtrictè interpretandæ, & tamen Concilium Tridentinum conſtituit ius commune, ergò non ſubſiſtit id, quod diximus in præcedenti reſponſione, quod diſpenſatio in iure nouo communi, quod ſit correctorium iuris antiqui etiam communis tanquam odioſa ſit reſtringenda, quandòquidem, ſi ius Tridentini, quantumvis commune, vtpote correctorium iuris communis antiqui eſt ſtrictè interpretandum, vtique ſequitur, quod diſpenſatio in eodem, vtpotè odioſo, & correctorio ſit referenda ad ius commune antiquum, adeoque vtpotè eidem fauorabilis ſit extendenda. Antecedens probatur in lege inducente impedimentum dirimens ob crimen raptus, quę vtpotè correctoria iuris naturæ, ſecundum quod vnicuique liberum eſt contrahere matrimonium, eſt ſtrictiſſimè interpretanda, adeovt non extendatur vltra terminos formales, & rigoroſos eiuſdem raptus; item in lege inualidante matrimoniū ſine aſſiſtentia Parochi, & teſtium, quæ vtpotè diſcordans à iure communi, ſecundum quod vnicuique licitum eſt contrahere matrimonium; non obligat, quandò ex neceſſitate eſt contrahendum, nec poteſt Parochus haberi per ea, quæ alibi dicta ſunt. Sed contra, quià ius nouum Tridentini, quod eſt poſitiuum, vel poteſt comparari ad aliud ius antiquum, quod item ſit poſitiuum, vel comparari poteſt ad ius naturæ; iuxtà primam comparationem non ideo eſt reſtringendum, quià ſit correctorium iuris antiqui, quandòquidem eandem vim habet, quinimmò maiorem, ac habeat ius antiquum, & fundatur in eiſdem principijs iuris humani poſitiui, quod quandoque per mutationem temporum poteſt variari, & congruè attentis circunſtantijs eorundem temporum variatur; vndè, ſi eſt reſtringendum, ideo eſt, vel quià in ſe odium contineat, vel ſecundum ſe ſit exorbitans. Iuxtà ſecundam verò comparationem certè ex eo capite eſt reſtringendum, quià, cum ius naturæ prævaleat, quantum fieri poteſt, debet minus, quam par ſit, lædi; ex irritatione autem matrimonij ob crimen raptus, vel ob non aſſiſtentiam Parochi, & teſtium læditur ius libertatis, quod eſt inditum à natura, adeoque ex hoc capite illa diſpoſitio eſt reſtringenda; quod non militat in diſpoſitione concilij præſcribentis ætatem ad beneficium ſimplex Eccleſiaſticum obtinendum, quæ tantum aduerſatur alteri iuri poſitiuo *in d. c. nullus de temp. ordinan. lib. 6.*, nec ius ad beneficium eſt à natura inditum, ſicuti eſt ius ad matrimonium.

Tertia inſtātia, eiuſque ſolutio.

Ratio ſecundæ partis ea eſt, quià diſpenſatio ſuper ætate ſimpliciter nullo habito reſpectu ad hoc beneficium, ſe habet per modum cuiuſdam legitimationis, non enim ratione materiæ reſtringitur ad munus aliquod ſpeciale, prout notarunt *Paulus de Caſtro conſ. 30. n. 3. vol. 1. Oldradus conſ. 215. verſ. verum eſt in diuerſis, & alij ſupra allegati*, ergò, cum ſublatum intelligatur impedimentum ratione ætatis, vtique non ſolum erit ſic habilitatus capax vnius beneficij, ſed etiam alterius, dummodò, vel ratione ſui, vel ex diſpoſitione iuris vtrumque non ſit incompatibile.

5 *Secus, ſi fuerit abſolutè habilitat⁹ ſuper ætate.*

---

§. XII.

An Epiſcopus in dubio, an res egeat diſpenſatione, poſſit declarare non indigere, an verò teneatur ad cautelam diſpenſare.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Dubium aliud iuris, aliud facti, & quid vtrumque. 2.
Sententia aſſerens in dubio iuris poſſe Epiſcopum declarare, ſeù diſpenſare 3.
Sententia aſſerens in dubio facti poſſe declarare, & diſpenſare. 4.
Præfertur ſententia aſſerens in dubio iuris poſſe diſpenſare. 6.
In dubio, ſi fuerit opinatiuum, ſiuè iuris, ſiuè facti Epiſcopus poteſt declarare, ſi rationes fuerint probabiliores pro negatione impedimenti. 6.
Tutius eſt, ſi diſpenſet ad cautelam. 7.

DISQVISITIO XII. Dum contrahere inter ſe contenderent Titius, & Theodorica matrimonium ortum eſt dubium, an aliqua legitima cauſa obſiſteret, 1

Factum propoſiti in ſuis terminis.

ſteret, quominus poſsent contrahere, factaque diligenti inquiſitione, & adhuc dubio illo perſeuerante res illa, ſeù dubium cum omnibus circunſtantijs, & rationibus hinc inde inducentibus delata, ſeù delatum eſt ad Epiſcopum Diœceſanum ipſorum contrahere intendentium. Hic excitata fuit controuerſia, an Epiſcopus ſuper illo dubio potuerit declarare non eſse neceſsariam diſpenſationem, vel ad cautelam diſpenſare.

Vt clarius hac in controuerſia procedamus conſiderandum hic eſt, an dubium

2 Dubium aliud iuris, aliud facti.

illud ſit iuris, an facti? tunc dicitur adeſse dubium iuris, quandò extant variæ æquè diuerſæ rationes, quæ hinc inde probent ius in tali hypotheſi, vel diſponere, vel nón diſponere de tali impedimento, vel in iure determinatè diſponente inducunt controuerſiam, an illa qualitas, circa quam oritur dubium, comprehendatur nec ne; tunc dicitur eſse dubium facti, quandò eſt controuerſia cum probabilibus rationibus pro vtraque parte, an adſit, vel non adſit illa qualitas, an factum illud extiterit, vel non extiterit ex ſuppoſitione, quod illa qualitas, vel factum, ſi adeſset, comprehenderentur in iure inducente impedimentum. Porrò conſiderandum eſt, an illud dubium, ſiuè fuerit iuris, ſiuè facti, ſit merè ſuſpenſiuum, an opinatiuum, practicum, an ſpeculatiuum, de quorum natura, & conditionibus alibi diſseruimus. Tandem aduertendum eſt, difficultatem procedere de dubio circa legem ſuperioris; ſi etenim eſset circa legem propriam Epiſcopi, vel in qua ipſe poſſit ex proprio officio diſponere, abrogando, diſpenſando, abſoluendo &c. procul dubio poſset declarare, diſpenſare, derogare, abſoluere &c.

Si dubium fuerit iuris affirmant Epiſ-

3 Sententia aſserens in dubio iuris Epiſcopū poſse declarare, ſeù diſpenſare ad cautelam.

copum poſse declarare, vel ad cautelam diſpenſare, quantumvis fuerint rationes probabiliores pro impedimento *Laiman. in Theologia moral lib. 1. tract 4. c. 22. n. 4. Caſtrus Palaus tom. 1. oper. mor. tract. 3. diſp. 6. part. 5. n. 10. Diana part. 4. tract. 3. reſol. 46 Barboſa de offic., & poteſt Epiſcop. part. 2. alleg. 35. nu. 18.* Negant, quandò ſunt rationes probabiliores pro exiſtentia impedimenti *Azorius inſtit. moral. part. 1. lib. 2. cap. 17. q. vlt. Gabriel. Vaſquez 1. 2. diſp. 64 c. 2. Tanner 2. 2. diſp. 4. q. 4. dub. 6 Vincentius Fillintius in q. moral. tom. 2. tract. 21. c. 4. num. 144.*, & alij apud Barboſam loc. cit.

Si vero fuerit dubium facti idem *Auguſtinus Barboſa loc. cit.* diſtinguit, vel eſt

4 Sententia aſserens id poſse etiā in dubio facti.

verè, & propriè dubium, ità vt vna pars non præponderet alteri, vel eſt tale, ità tamen, vt vna pars præponderet alteri; iuxtà primum ſenſum aſserit, non eſse neceſsariam diſpenſationem, quià præſumptio ſtat pro libertate; iuxtà ſecundum aſserit ad cautelam poſse Epiſcopum diſpenſare, & diſpenſationem huiuſmodi requirendam, & pro hac opinione citat *Bonacinam de legibus diſp. 1. q. 2. punct. 1. n. 18. Caſtrum Palaum tom. 1. tract. 3 diſp. 6. punct. 5. n. nu. 10. Trullench in expoſitione Decalogi lib. 2. c. 2. dub. 39. n. 4. in fin.*

Reſpondeo primò, ſi dubium fuerit iuris, & mere ſuſpenſiuum probabilius crederem Epiſcopum poſſe in illo diſpen- 5 Verior eſt ſententia aſserens in dubio iuris poſse diſpenſare.

ſare. Ita in ſimilibus docui *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimonio 3. prænot. 11. num. 8 allegatis ibid pluribus DD.*, vbi, quod in voto caſtitatis, & Religionis dubio poſſit diſpenſare. Id ipſum docent præter præcitatos DD. *Emanuel Sà verb. diſpenſatio nu. 1., Laiman lib. 1. tract. 4. c. 22. num. 4.*, Ratio ex eo deducitur, quià lex inducens impedimentum, & reſeruans ſolutionem eiuſdem Romano Pontifici eſt maximè odioſa, & contra ius naturale libertatis vnicuique inditæ ad contrahendum (ſuppono etenim impedimentū, de quo eſt dubium, eſſe iuris poſitiui,) ſed leges odioſæ præcipuè quoad reſeruationem non extenduntur ad caſus dubios, ergò in eo dubio non erit, cur Epiſcopus non poſſit ſaltem ad cautelam diſpenſare. Confirmatur, quià impedimentum dubiū non eſt ſimpliciter impedimentum, ſed cum addito; reſeruationes autem ſunt intelligendæ de impedimentis ſimpliciter, non de impedimentis diminutis.

Dices primò. In dubijs, vbi agitur de periculo animæ tutior pars eſt eligenda *leg ſi fuerit §. vlt. ff. de reb. dubijs cap iuuenis de ſponſalibus c. ad audientiam de homicid., Couarunias in cap alma mater part. 1 § 2 nu. 5. caſ. 1., & de ſponſalibus part. 1 c. 4. § 1. nu 9. Nauarrus in manual. cap. 27. nu. 139., Emanuel Rodriquez in ſumma tom. 2. cap. 51. nu. 6. concl. 4.*, tutius autem eſt, quod in tali dubio non fiat per inferiorem diſpenſatio, ne forte, ſi fuerit impedimentum, verè exponantur diſpenſati per inferiorem periculo peccatorum, & damnationis æternæ; ſicque, vel erit recurrendum ad Romanum Pontificem, vel abſtinendum à contractu. *Bonacina de legibus diſp. 1 qu. 2. punct. 1. num. 18.* Sed contra, quia, quantumvis allegatum axioma verificetur quoad ſubſtantiam actus, non tamen video, quomodo verificari debeat quoad reſeruationem, quæ ex genere ſuo eſt odioſa; ſic in dubio, an aliqua actio ſit peccaminoſa, nec ne, eſt ab illa abſtinendum, ne illam exercens exponatur periculo damnationis æternæ, vel, ſi illam exercuerit, tenetur quidē clauibus ſubijcere, vt abſolutionem obtineat, ne fortè, ſi in veritate fuerit peccaminoſa, inficiat operantem vſque ad interitum ſpiritualem; non tamen intelligo, actionem illam

habere

Digitized by Google

Quomodo verificetur, quod in dubijs tutior pars ſit eligenda,

habere viculum reſeruationis, quandòquidem, cum hæc ſit odioſa, non eſt intelligenda, niſi de crimine, vel impedimento certo, & vſquequaque completo; non enim quis lege cenſetur obſtrictus quovſque de lege eidem certo moralitèr conſtet; & quamvis dubium ſit, vt ſuppponitur, an ius diſponat de tali impedimento, non eſt tamen dubium, quod in caſibus, & impedimentis reſeruatis ex genere ſuo ſuperiori puta Pontifici poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſi illi caſus, ſeù impedimenta ſint dubia, quià reſeruatio ex genere ſuo non eſt, niſi de caſu certo; Quamobrem in præſenti hypotheſi dico, ſic dubitantem ſibi ſufficientèr conſulere ſe ſubijciendo diſpenſationi Epiſcopi, nam ex vna parte non contrahit ex ſe cum illo dubio, ſed dubium illud ſupponit ſuperiori, vt impedimentum, ſi quod eſt, dirimatur per eundem ſuperiorem; ex alio capite ſuperior illud dirimens non excedit limites ſuæ facultatis, cum in dubio non intelligatur reſeruatum proptèr mox dicta.

Hæc, quę dicta ſunt de dubio ſuſpenſiuo iuris, proportionalitèr intelligenda ſunt de dubio ſuſpenſiuo facti, quandòquidem factum ipſum in facto non intelligitur reſeruatum, & leges odioſæ reſpiciunt factum certum, & perfectum, non dubium, & imperfectum.

6 *In dubio opinatiuo, ſiuè iuris, ſiuè facti poteſt declarare,*

Reſpondeo ſecundò Si dubium fuerit merè opinatiuum, ſiuè fuerit iuris, ſiuè facti, & rationes probabilius inclinent pro negatione impedimenti probabilius poteſt Epiſcopus ad cautelam in illo impedimento diſpenſare, & in rigore non eſt neceſſaria diſpenſatio; tutius tamen, ſi fuerit iuris, exigerem diſpenſationem ab Epiſcopo, non puram omiſſionem; ſi verò rationes probabilius inclinent pro exiſtentia impedimenti ſtante moderna declaratione Sanctiſſimi D. N. Innocentij Papæ XI. nunc regnantis, qua damnauit propoſitionem ſecundam, qua dicebatur licere etiam in materia ſacramentorum ſequi ſententiam probabilem relicta tutiori recurrendum eſt ad Romanum Pontificem pro diſpenſatione, vel ſaltem ad Epiſcopum; atque ità præcipuè quoad hanc ſecundam partem ſentire exiſtimo *Azorium Inſtit. moral. part 1. lib 2 c. 17. q vlt Tannerum 2. 2. diſp. 4. q. 4. dubium 6. Beccanum in ſumma tom. 2. tract 1. c. 4 q 9. num. 13. Malderum in 1. 2. quæſt. 16. art. 5. diſp. 68.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià nemine diſceptante in controuerſijs, ſiuè circa ius, ſiuè circa factum licitum eſt ſequi ſententiam probabiliorem relicta probabili, quinimmò æquitas, & ratio potius hoc ſuadet, & ad hoc obligat, ergò extantibus rationibus validioribus pro non exiſtentia impedimenti poterit opinans in eandem partem inclinare, nec exigere diſpenſationem, vel pro libertate exigere ad cautelam ab Epiſcopo.

Dixi, *tutius tamen, ſi fuerit iuris, exigerem diſpenſationem ab Epiſcopo*. Rationem huius exceptionis non quidem neceſſarię, ſed ad melius, & tutius eſſe ex eo deduco, quià, cum ius ſit certum, quod inducit impedimentum, & ſolum dubietas verſetur circa factum, an ſcilicet factum ipſum comprehendatur ſub tali iure, videtur ius ipſum in tali dubio facti eſſe in poſſeſſione, adeoque &c. Hoc tamen non inducit neceſſitatem, quandòquidem, cum fortiores rationes militent pro parte negatiua, quod ſcilicet factum illud non comprehendatur ſub tali iure, fortius ius inducunt pro libertate. 7

7 Tutius tamen eſt, ſi diſpenſet ad cautelam.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod præſcribitur in eadem declaratione Sanctiſſimi D. D. N. Innocentij Papæ XI., vbi in materia præcipuè ſacramentorum prohibetur ſequi ſententiam minus probabilem relicta probabiliori, quod fortius vrget, quandò amplectendo minus probabilem exponeremur periculo damni ſpiritualis; in qua hypotheſi propterea eſſet ad Romanum Pontificem pro diſpenſatione recurrendum. Quià nihilominus probabilitas pro altera parte multum minuit de certitudine exiſtentiæ impedimenti non improbabile crederem Epiſcopum poſſe in eo caſu diſpenſare.

---

§. XIII.

An, quandò diſpenſatio in voto poteſt eſſe ab Epiſcopo, poſſit ſcholaris in eodem diſpenſari ab Epiſcopo loci, vbi ſtudet.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Sententia aſſerens poſſe ab Epiſcopo loci, vbi ſtudet, diſpenſari. 2.
Sententia negans cum ſuis fundamentis. 3.
Præfertur ſententia negans. 4.
Cur poſſint recipere ſacramenta pænitentiæ, & Euchariſtiæ à Parocho talis loci, & non diſpenſari ſuper voto. 5.
Cur debeatur quarta funeralium Parocho loci, vbi quis moritur, & Epiſcopus illius loci non poſſit diſpenſare 6.
In caſu neceſſitatis Epiſcopus illius loci poteſt diſpenſare. 7.

DISQVISITIO XIII. Caius Ciuis Mediolanenſis cauſa ſtudiorum Bononiam ſe contulit, ibique ſuper voto, quod elicuerat ab Epiſcopo Bononienſi diſpenſationem petebat. Suppono, quod facul- 1

1 Factum in ſuis terminis,

tas diſpenſandi in illo voto reſideat penes Epiſcopum, & non penes alium inferiorem. Orta hic fuit controuerſia, an Epiſcopus Bononienſis potuerit ſuper illo voto cum Caio diſpenſare.

2 Sententia aſſerens poſſe diſpenſari.

Affirmant abſolutè *Sanchez de matrim. lib. 3. diſp. 22. num. 11., & ſeqq. Leſſius lib. 2. c. 40. dub. 13. nu. 103.*, qui ea potiſſimum ratione mouentur, quià, cum regulariter ſcholares in loco ſtudiorum pro maiore anni parte habitent, conſtituuntur ſubditi illius loci, ſicuti etiam conſtituuntur ſubditi in ordine ad ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, prout eſt in confeſſo apud omnes, ergò etiam conſtituuntur ſubditi ad effectum, vt à proprijs votis poſſint ſolui. Accedit, quod, cum pro maiori anni parte ibi habitent, & fortè etiam ad multos annos, videntur etiam ſufficienter contrahere domicilium ad effectum, vt ibidem poſſint contrahere matrimonium, ergò etiam ad effectum, vt poſſint ſolui à voto.

3 Sententia negans refertur cum ſuis rationibus.

Negant verò *Abbas in c. nullus nu. 4. de Parochijs Silueſter verb. domicilium, & ibi Angelus, Suarez de Religione lib. 6. de voto c. 11. nu. 11., Auguſtinus Barboſa de offic., & poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 33. n. 18.* Ipſorum fundamentum eſt, quià, quandò diſpenſatio, vel abſolutio eſt reſeruata Epiſcopo quoad vota, & iuramenta, intelligitur de Epiſcopo illius Diœceſis, cuius abſoluendus, ſeù diſpenſandus eſt ſubditus, ſeù in qua habet domicilium, non præcisè habitationem, ſed ſcholaris reſpectu Epiſcopi Diœceſis, in qua ſtudet, ſeù inhabitat cauſa ſtudiorum non eſt ſubditus, nec proprie dicitur ibi habere domicilium, ſed ad ſummum habitationem per textum *in c. cum nullus de tempor. ordin. in 6.*, ergò ab illo non poteſt abſolui, nec diſpenſari. Maior patet, quià, ex quo ſunt diſtinctæ Diœceſes reſpectu diuerſorum Epiſcoporum, vnus Epiſcopus quoad iuriſdictionem in ordine ad Diœceſim alterius, perindè ſe habet, ac ſi non eſſet Epiſcopus, ergò abſolutio, & diſpenſatio reſeruata Epiſcopo intelligitur de proprio Epiſcopo Diœceſano, non de alieno. Quid igitur in hac controuerſia concludendum?

4 Præfertur ſententia negans.

Reſpondeo, probabilius eſſe Epiſcopum Academiæ, vbi per accidens cauſa ſtudiorum ſcholaris etiam pro maiori parte anni degit, non poſſe auctoritate ordinaria diſpenſare in illo voto. Ità præter præallegatos DD. pro ſententia negante *Tabiena verb. domicilium ad finem, & verb. Parochia q. 2. num. 3., Aloyſius in quodam conſ. nu. 43.*, quod refert *Menochius conſ. 398. vol. 4., Roſella verb. domicilium nu. vnico, & alij.* Ratio ſuperius adducta pro ſententia negante hoc ſatis efficaciter euincit; & pro hac facit textus *in c. is qui de ſepulturis in 6.*, vbi dicitur, quod ſe transferens ad villam cauſa recreationis, vel ad exercenda ruralia non effici villæ Parochianum, ſed proprij domicilij, quod non alia ratione ſtatuere exiſtimo, niſi quià illuc ſe tranſtulit ad tempus cum animo redeundi ad ſuam vrbem, & non ibi permanendi, ſed hoc idem contingit in ſcholari, qui ſe tranſtulit ad locum academiæ non cum animo deſerendi proprium domicilium, ſed ad illud poſt ſtudia redeundi, ergò &c. Rurſus euincitur ex ijs, quæ docent *Gloſſa in d. c. is qui de ſepult. in 6. poſt caſus poſitionem verſ. nota, quod ex ſola mora, & ibi Dominicus in princip. n. 2., & 5*, vbi aſſerunt ex ſola mora in loco non effici quem Parochianum, ſi non habuerit animum ibi permanendi, quod in ſimilibus aſſerunt *Hoſtienſis in ſumma tit de Parochis §. penult. nu. 7. ad fin., & Abbas in c. in noſtra n. 11 de ſepult.*, ergò, cum abſolutio, ſeù diſpenſatio reſeruetur ad Epiſcopum Diœceſanum illius, qui abſoluendus, ſeù diſpenſandus eſt, non poterit illa impendi per Epiſcopum academiæ, cuius non eſt ſubditus, cum animum non habuerit ibi permanendi, nec patrium domicilium deſeruerit. Confirmatur, quià permanente ſcolari in loco academiæ non pertinet ad Epiſcopum academiæ eidem concedere dimiſſorias pro ordinatione, ſed ad Epiſcopum proprium Diœceſanum *Silueſter verb. domicilium, & verbo Confeſſor. 1. § 10., Auguſtinus Barboſa part. 2. de offic., & poteſtat. Epiſcopi alleg. 26. nu. 19.*, quinimmò, nec ipſe Epiſcopus academiæ poteſt illum ordinare ſine dimiſſorijs Epiſcopi Diœceſani, ergò etiam &c.

Rationes, quibus innititur reſponſio.

5 Cur poſſint abſolui à peccatis, non à voto.

Dices primò. Quoad ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſufficientèr ſcolaris conſtituitur ſubditus Epiſcopo academiæ, ergò etiam ſufficienter conſtituitur ſubditus ad effectum, vt poſſit abſolui, vel diſpenſari ſuper voto. Sed contrà in primis *Hoſtienſis in ſumma tit de Parochis § penul. nu 7.* non libentèr admittit aſſumptum, cum aſſerat ſcholaſticos triginta annos habitantes in loco ſtudij non poſſe illius parocho fateri, niſi illuc ex proprij Parochi licentia ſe tranſtulerint, & latè hoc etiam probat *tit. de pænit., & remiſ. §. cui ruſtici nu 44.*, cui etiam aſſentiuntur *Abbas in c. nullus nu. 4. de Parochis Roſella verb domicilium n. vnic., Silueſter verb. Parochia in fin., & verb. Confeſſor 1. §. 10.* Sed, quid quid ſit de hoc, cum praxis quoad hæc ſacramenta contrarium ſuadeat, nec Parochi proprij ſcientes quoad hæc contradicant, dico diſparem omninò eſſe rationem de confeſſione, & communione, ac de abſolutione à voto, & diſpenſatione ſuper eodem, quandò eſt reſeruatum Epiſcopo, quandòquidem, cum ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſint maximè neceſſaria, nòn eſt præſumendum, quod Eccleſia in caſu diuturnæ abſentiæ,

vel

Digitized by Google

vel ex cauſa neceſſitatis, vel vtilitatis, vel ex quacunque alia voluerit habitantes extra proprium domicilium priuare beneficio huiuſmodi ſacramentorum, ac proindè ex præſumpta eiuſdem Eccleſiæ voluntate vbique habitantes quoad illa conſtituuntur ſubditi loci, ſeù poſsunt ſe conſtituere ſpontè ſubditos Epiſcopo, ſeù Parocho loci, vbi habitant; quod non militat quoad ea, quæ omninò voluntaria ſunt, cuiuſmodi eſt promotio ad ſacros ordines, vel abſolutio, ſeù diſpenſatio ſuper vota Epiſcopis reſeruata, vt notant *Silueſter verb. confeſſor 1. §. 10., & Auguſtinus Barboſa d. part. 2. alleg 36. n. 19.*

Alia inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices ſecundò, ſacramentum matrimonij non computatur inter neceſsaria reſpectu huius, vel illius perſonæ determinatæ, & tamen is dicitur proprius parochus ad coniungendum aliquos matrimonio, qui *in cap. omnis de pœnitentia, & remiſſ.* appellatur proprius ſacerdos ad audiendas eorum confeſſiones, ſed ſacerdos ad audiendas confeſſiones dicitur ille, in cuius Parochia eſt habitatio pro maiori anni parte, vt docent *Angelus verb. domicilium n. vnico ad finem, & ibi Silueſter n. 2. Innocentius d. c. omnis n. 6. de pœnit., & remiſſ. Ioann. Andreas n. 13. Cardin. n. 6., & alij*, ergò &c. Sed contrà; quià nomine proprij ſacerdotis ad audiendas confeſſiones in allegato textu venit ille, qui ex officio tenetur tale ſacramentum adminiſtrare, qui propterea non poteſt eſſe, niſi proprius Parochus, ac proindè etiam dicitur proprius ſacerdos ad coniungendos matrimonio ſubditos ratione qualitatis paroci proprij, qua afficitur. Quod, ſi præallegati DD. dixerint proprium ſacerdotem ad audiendas confeſſiones illũ eſſe, in cuius parochia pro maiori anni parte habitant, hoc dixerint, quià, cum ex officio poteſtas abſoluendi ſit alligata Parochis, ille in neceſſitate dicitur proprius ſacerdos adhoc munus, qui præeſt illi parochiæ reſpectu illorum, qui in illa inhabitant, cum commodè proprius domicilij haberi non poſſit propter diſtantiam; Vndè componendo omnia, quæ in inſtantia dicuntur ſic debent intelligi. Ille eſt proprius ſacerdos ad coniugendos aliquos in matrimonium, qui eſt proprius ad audiendas illorum confeſſiones ex proprio munere quomodocunque excepto caſu neceſſitatis; hic autem non eſt, niſi proprius parochus domicilij; ille verò, qui non eſt talis, niſi ratione neceſſitatis, quamvis ſit talis in ordine ad confeſſionem, quæ maximè neceſſaria eſt, non eſt tamen talis in ordine ad matrimonium, cum hoc ſacramentum reſpectu talium perſonarum non ſit ita neceſſarium.

Dices tertiò, ex *cap. in noſtra de ſepult.*,
6 vbi dicitur, *ſoluta quarta Parochiali Eccleſia, de cuius Parochia mortuorum corpora aſſumuntur*, vbi ponderatur præcisè habitatio, non animus ibi permanendi, ergò etiam &c. Sed contrà ea, quæ dicuntur in allegato textu ſecundum quid verificantur, non abſolutè; quarta etenim debetur quidem ſecundum partem Parochiali Eccleſiæ, de qua corpora mortuorum aſſumuntur, quandò mortui ſunt alienigenæ, & hoc propter congruam rationem munerum ſcilicet parochialium, quæ alienus Parochus exercuit; altera etenim pars debetur Parocho domicilij, vt præcipuè ſtatutum eſt in hac Mediolanenſi Eccleſia, prout habetur expreſſe in Conc. Prou.

Cur debetur quarta funeralium Eccleſiæ in qua mortuorum corpora aſſumuntur, & Epiſcopus illius loci non poſſit diſpenſare.

Hic immediatè ſuboritur difficultas, quid eſſet agendum, ſi vrgeret neceſſitas diſpenſationis, nec ſcholaris poſſet adire proprium Epiſcopum domicilij? Monet *Auguſtinus Barboſa part. 2. de offic., & poteſtate Epiſcopi alleg. 36. d. nu. 19.* vix poſſe eſſe hunc caſum neceſſitatis; ſi nihilominus daretur, tunc *Suarez tom. 2 de Religione lib. 6 de voto c. 11. n. 11.* aſſerit Epiſcopum academię poſſe ſuſpendere executionem voti ex tacita proprij Epiſcopi licentia. Bonacina verò *diſp 4 q. 2. punct. 7. §. 4. n. 6.* ſentit Epiſcopum proprium Diœceſanum poſſe cum hoc diſpenſare etiam ſi ſit extra propriam Diœceſim. 7

In caſu neceſſitatis poteſt diſpenſare.

---

§. XIV.

An alienigena, ſi ſe transferat extra proprium domicilium animo ibi permanendi, ibique incipiat habitare, & poſtea animum mutet, poſſit per Epiſcopum illius loci diſpenſari in voto.

SVMMARIVM.

Refertur facti ſeries. 1.
Sententia negans Epiſcopum illius loci poſſe diſpenſare. 2
Epiſcopus ille poteſt diſpenſare. 3.

DISQVISITIO XIV. Sempronius Ciuis Mediolanenſis Taurinum ſe contulit animo ibi perpetuo permanendi relicto Mediolani domicilio. De facto in Ciuitate Taurinenſi cæpit inhabitare cum illa intentione, & animo, ſed poſteà animum illic permanendi mutauit, non tamen adhuc deſijt ibi inhabitare. Affectus erat Sempronius voto, cuius ſolutio, ſeù diſpenſatio eſt reſeruata Epiſcopo. Quæſitum fuit, an per Epiſcopum Taurini, etiam ſi animum mutarit ibi habitandi, non tamen de facto mutarit habitationem Taurinenſem, poſset in illo voto diſpenſari? 1

Factum expoſitum.

Vide-

Digitized by Google

2 *Sententia negans poſſe diſpenſare.*

Videtur abſolutè negandum, quià, quantumvis daremus per illum animum habitandi, & actualem inceptionem habitationis acquiſierit in ciuitate Taurini domicilium, licet per multum temporis non habitauerit, prout euincitur *ex l. domicilium, ff. ad municip.*, vbi dicitur *domicilium re, & facto transfertur, & Gloſa ibi verb. domicilium ſubdit facto ſub intellige, & animo nam hæc duo ſunt neceſſaria*, & conſentiunt, *Hoſtienſis in ſumma tit de Parochys § penult. nu.7., Pelinus c. dilectus 2. de reſcript n.12. verſ. ſecundus caſus, & verſ. ſecundo limita, Nauarrus lib. 1. conſ in 2. edit. de temp ord. conſ.10. nu. 2., Menochius de arbitrar. lib. 2. cent.1. caſ.86. nu.2*, ex quo tamen mutauit animum ibi inhabitandi, videtur ceſſiſſe illi domicilio, quandoquidem deſinit id, quod requiritur ad conſtituendum domicilium. Nihilominus

3 *Poteſt probabilius diſpenſare*

Reſpondeo, Epiſcopum Taurinenſem in ea hypotheſi poſſe ſuper illo voto diſpenſare. Ità expreſsè ſentit *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 23. num. 16.* à quo non diſſentiunt *Gloſa in d. l. domicilium verb. domicilium, ff. ad municip., & l. origine ad fin., C. de municip lib. 10., & l. de iure verb. ad munera, ff ad municip., Baldus in l. fin. C. de municip., & orig lib. 10., & aliy*, dum aſſerunt, non amitti domicilium ſolo animo. Ratio ex eo deducitur primò, quià per illam mutationem animi habitandi in ciuitate Taurini non amittit ibidem domicilium, ergò ab Epiſcopo Taurini, tanquam à proprio Epiſcopo domicilij poterit ſuper illo voto diſpenſari. Antecedens probatur, quià per aliquam voluntatem habitandi perpetuo in aliquo loco ſine facto hoc eſt ſine actuali habitatione non acquiritur domicilium in tali loco, vt expreſsè colligitur *ex d. l. domicilium, ff. ad municip.*, & docent *Dominicus c. cum nullus de tempor. ordidan. in 6. in princip. num. 11. Mananus c. licet ratione nu 23. de foro compet Angelus verb. domicilium nu vnico, & ibi Silueſter n.2. Alciatus l pupillus § incola n.1. ff. de verb. ſignif.*, ergò, nec ſolo animo amittitur, niſi etiam accedat factum, nempè deſitio actualis habitationis. Conſequentia probatur, quià ea requiruntur ad diſſolutionem, quæ concurrunt ad conſtitutionem *arg c. 1. de reg. iuris*. Neque dicas, quod ex genere ſuo ad conſtituendum domicilium requiratur diutina inhabitatio, & tamen ſi fuerit animus perpetuo inhabitandi etiam cum modica habitatione conſtituitur domicilium, ergò, ſi fuerit modica inhabitatio, & ceſſarit animus perpetuo habitandi deſinet eſſe domicilium: ſi etenim ille animus perpetuo habitandi cum modica habitatione conſtituit domicilium, cur mutatio illius animi cum illa modica habitatione illud non deſtruet? & in hoc verificatur, quod per eas cauſas, per quas res naſcitur, diſſoluatur: contra enim impugnaberis, quià veriſſimum eſt, quod per modicam habitationem ſimul cum animo perpetuo habitandi in aliquo loco conſtituatur domicilium in tali loco; non enim ad illud conſtituendum requiritur actualis perpetua habitatio, ſicuti requiritur animus perpetuo habitandi, nego tamen indè ſequi, quod per ſolam mutationem voluntatis ibidem habitandi, ſi non ceſſat habitatio, quod amittatur ius domicilij: quare ad ſaluandam proportionem ità eſſet Phyloſophandum, quod ſicuti per actualem modicam habitationem in aliquo loco, cum animo ibi perpetuo habitandi conſtituitur domiciliũ, quamvis in effectu adhuc diutina habitatio non fuerit poſita, ità non deſtituatur dictum domicilium per ſolam mutationem animi ibi inhabitandi, niſi perſeuerante tali mutatione non fuerit poſita actualis deſitio ſaltem modica eiuſdem habitationis; ſicuti enim ad conſtituendum requiritur ſimul cum tali animo permanendi ſaltem modica habitatio, ità ad diſſoluendum vltra mutationem animi ibi permanendi requiritur ſaltem modica non habitatio, ſeù deſitio habitationis.

Per ſolam voluntaté mutandi domicilium hoc non mutatur.

Probatur vlterius noſtra reſponſio, quià per illam mutationem voluntatis, non hactenus derelicta habitatione non dici poteſt Sempronius propriè vagus, quià ex alibi fusè dictis duo copulatiuè requiruntur, & quod habitationem à loco, in quo erat extraxerit, & quod nullibi fixerit, quæ reſpectu eiuſdem non verificantur, cum adhuc è ciuitate Taurini non extraxerit, ergò adhuc retinet domicilium; hoc autem Mediolani non habet amplius, ergò Taurini, cæteroqui non eſset, cur vagus non eſset dicendus.

---

§. XV.

An Epiſcopus loci originis poſſit diſpenſare in voto.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſia. 1.
Quid requiratur ad conſtituendum domicilium originis. 2.
Si quis natus fuerit incidentèr in vno loco, quo parentes caſu obuenerint Epiſcopus illius loci non poteſt cum illo diſpenſare ſuper voto. 3.
Nec item poteſt diſpenſare, quantumvis Parentes ibi domicilium habuerint, quod poſt natiuitatem filij dereliquerint. 4

Cur

Cur quis debeat ordinari, vel recipere litteras dimiſſorias ab Epiſcopo originis, & non poſſit ab illo diſpenſari. 5.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO XV. Caius natus eſt ex Antonio, & Caia legitimis parentibus in hac Ciuitate Mediolani, quo aduenerant non animo permanendi, ſed ad aliqua negotia obeunda, vel fortè etiam hic natus eſt, vbi parentes tunc habebant domicilium, quod tamen paulo poſt natiuitatem eiuſdem dereliquerunt, & ſe tranſtulerunt in ciuitatem Bononiæ cum animo ibi perpetuò permanendi. Caius poſteà factus adultus emiſit votum, cuius ſolutio reſeruata eſt Epiſcopo. Quęſitum fuit, an Epiſcopus Mediolanenſis, ſi poſtea Caius huc aduenerit, poſſit auctoritate propria, & ordinaria ipſum abſoluere à voto, ſeù ſuper illo diſpenſare.

2 Quid requiratur ad conſtituendum domiciliũ originis.

Pro ſolutione aduertendum eſt ad conſtituendum domicilium originis non ſatis eſse quemquam natum eſse in tali loco, quo parentes caſu obuenerint ad aliqua negotia obeunda, vel recreationis cauſa; nam tunc proles ex illis tali loco nata per fictionem reputatur, vt orta in loco, in quo parentes habent habitationis domicilium, prout expreſsè colligitur *ex l. filios C. de municip. l. ciues C. de incolis lib.* 10., vbi dicitur *unde cum profectus eſt videtur peregrinari*; hoc idem ſtatuunt *Bartolus in d. l. filios n. 4. Abbas c. Rodulphus de reſcript. n. 9. Rebuffus rub. de collat. §. cum vero verb. natus*; ſed requiritur, quod Parentes, quandò proles nata eſt ibi habuerint proprium domicilium habitationis, quià tunc proles quoad originem ſequitur domicilium habitationis parentum, & in hoc ferè omnes conueniunt, licet aliqui cum hęſitatione, inter quos *Gregorius Lopez l. 2. verb. Maguer tit. 24. p. 4. Maſcardus de probationib. conc.* 807. *num* 5. His ſuppoſitis

3 Si quis incidenter natus fuerit in loco, quo parentes caſu obuenerint, non poteſt ab Epiſcopo illius loci diſpenſari.

Reſpondeo primo. Si Caius natus fuerit incidentèr Mediolani, quo parentes caſu obuenerint, nec ibi habuerint domicilium habitationis Epiſcopus Mediolani non poteſt cum illo ſuper illo voto diſpenſare. Ita ſentire videntur *Zipa tract. de peſte in 2. parte octauo peſtis priuilegio, Salzedo pract. cap.* 75 *num.* 27. *Angelus verb. Ciuis nu.* 3 *Silueſter verb. ciuitas q.* 14. *Nauarrus lib.* 3. *conſ tit. de prabendis in* 1. *edit. conſ.* 41., qui omnes cum alijs ſuſtinent per illam natiuitatem non acquiri domicilium originis, quo poſito ſic arguo pro reſponſione. Sic natus Mediolani non habet domicilium originis, nec habitationis, ergò non ſubditur Epiſcopo Mediolani in ordine ad ſolutionem, & diſpenſationem votorum, quæ iuxtà ſuperius dicta reſeruantur Epiſcopo, quandòquidem non quicunque Epiſcopus poteſt abſoluere, & diſpenſare, ſed tantum Epiſcopus proprius. Antecedens ſecundum ſe patet, quià ex præactis non acquirit per illam natiuitatem domicilium originis, nec habere poteſt domicilium habitationis, cum Parentes ibi non habitauerint animo permanendi, nec ipſe poſt natiuitatem ibidem ſedem fixerit.

4 Nec item, parentes ibi habuerint domicilium, quod poſtea cum filio dereliquerint.

Reſpondeo ſecundo, probabilius eſse, ſi parentes tunc Mediolani domicilium habitationis propriè habuerint, ibique perſeuerante tali domicilio Caius ortus fuerit, quantumvis poſt ipſius natiuitatem parentes cum eodem Sempronio ibi domicilium dereliquerint, non poſse Caium per Archiepiſcopum Mediolanenſem ſuper voto Epiſcopo reſeruato diſpenſari. Conſonat cum ijs, quæ docuimus *tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. I. pranot.* 24. *nu* 1. atque ita ſentiunt *Sanchez de matrimon. lib 3. diſp.* 23. *nu.* 7. *Gutierez de matrimon c.* 62 *nu.* 29 *Zippaus lib. 4. tit. de Sponſalibus nu* 13. *verſ. non ſimpliciter, & alij*, quos retuli *dict. pranot.* 24. *nu.* 1. Ratio in primis ex ijs deduci poteſt, quæ ibi dicta ſunt, nempe matrimonium non poſſe valide contrahi coram Parocho originis, ſit ſit præciſe talis, ex quo ſequitur, quod nec poſſit cõtrahi corã Epiſcopo illius Diæceſis in qua eſt talis Parochus originis, cum enim in ordine ad hæc munera non ſit ſubditus Parochi originis, nec ſubditus videtur ordinario originis, ergò nec poterit per Epiſcopum loci, cuius eſt præciſè originarius, diſpenſari ſuper votis. Conſequentia probatur, quià ratio, propter quam coram Parocho, vel ordinario originis non poteſt contrahi matrimonium ea eſt, quià illi propriè, nõ ſunt Parochus, nec Epiſcopus proprius reſpectiuè, ſed Epiſcopus, qui non ſit proprius, non poteſt diſpenſare in votis exterorum, ergò &c. Neque dicas, quod domicilium originis, nunquam amittatur, cum ſit naturale, & per conſequens immutabile, adeoque, quod ſemper perſeueret ius in Epiſcopo, & Parocho loci quoad originarios in ipſo; contra enim impugnaberis admitto, quod domicilium originis ſit immutabile, cum ſit à natura per textum *in leg. aſſumptio ff. ad municip.*, vbi ſic legitur. *Neque recuſando patriam, ex qua oriundus eſt, mutare poteſt*, quod idem habetur in *leg. origine C. de municip. lib.* 10., nego tamen, quod per originarium mutato domicilio habitationis Epiſcopus, ſeù Parochus originis retineat ius, & poteſtatem in ipſum originarium ſuæ Diæceſis, ſeù Parochiæ, quià in ordine ad iuriſdictionalia potiùs attenditur habitatio, quã origo, cum iuriſdictio ſit in perſonas exiſtentes in loco, nõ in perſonas quomodocunque, ſeù vbicunque exiſtentes; vnde etiam benedicitur, quod, ſi quis ſibi alibi à do-

Ille Epiſcopus non eſt proprius.

à domicilio originis ſtatuerit domicilium habitationis canonica portio debeatur Parocho habitationis, non Parocho originis, quod intelligendum eſt, ſi domicilium originis deſeruerit, prout notat *Dominicus in cap.2 § cum ab eo n 2 not.2. de ſepult in 6.*, quod ſignum eſt, quod per mutationem domicilij habitationis nullum onus retineat circa Parochum, ſeù ordinarium originis, & per conſequens, quod hic nullum ius retineat, cum onus in inferiore, & ius in ſuperiore ſibi ſint correllatiua.

Probari poteſt ſecundo; Quià per mutationem domicilij habitationis originarius ſe ſubtrahit à quibuſcunque oneribus loci originis; non enim æquum eſt, vt oneribus duplicis loci ſimul ſubiaceat, ergò per mutationem eiuſdem domicilij cedere præſumendus eſt iuribus loci originis ſaltem quoad ea, quæ non ſunt affixa origini, ſeù loco eiuſdem, ſed proueniunt à libera voluntate eiuſdem mutantis, cuiuſmodi eſt votum, ſicuti enim liberè ſe eximit à tali loco quoad onera, ita quoad iura ſaltem voluntaria, ſeù in ijs, quæ pendent à propria voluntate ſe ſubtrahere cenſendus eſt; non enim æquum eſt, vt gaudeat iuribus, & non ſubiaceat oneribus.

5 Cur poſſit ab illo Epiſcopo ordinari, & non ab illo diſpenſari.

Dices, per talem mutationem domicilij habitationis nec abſolutè eximi ab oneribus, nec ſubtrahi à iuribus; non primum, quià, ſi velit ordinari, ordinari debet ab Epiſcopo originis, vel ab eo recipere dimiſſorias, prout expreſſe habetur *in c. cum nullus de temp. ordin. in 6.*, vbi ſic legitur. *Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cuius diœceſi eſt is, qui ad ordines promoueri deſiderat, oriundus*; non ſecundum, quià vt docent *Gloſa in cap fin. verb. habitatores de Parochijs Bartolus in leg eius qui manumiſit § Celſus nu. 1 ff. de munic. Menochius de præſumpt. lib 6 præſumpt. 42 num. 5.* domiciliũ originis eſt immutabile quoad munera, & honores, ſecus, quoad iuriſdictionem, ergò &c. Sed contra, incipiendo ab hoc vltimo ex mente huiuſmodi DD iam habeo meum intentum quoad diſpenſationem ſuper voto, cum hoc pertineat ad iuriſdictionem, quæ amittitur mutato domicilio habitationis. Deinde ea, quæ dicuntur quoad honores, & quoad munera intelligenda ſunt, quoad ea, quæ ſunt affixa ipſi origini, quatenus ſcilicet conferri non poſſint, niſi originarijs formaliter, vt talibus, non quoad ea, quæ ſunt voluntaria &c. Ad illud, quod dicitur primo loco dicendum eſt illam diſpoſitionem quoad ſacramentum ordinis eſſe ſpecialem, nec extendendam ad alia, prout colligitur ex ipſo textu - Ibi - *Intelligitur in hoc caſu*, vbi nota illam particulum *in hoc caſu*, quæ eſt limitatiua, & ſegregatiua ab alijs caſibus, & cum ſit caſus exceptus firmat regulam in contrariũ *leg. nam, quod leg. quare §. fin in primo reſp. ff. de penu leg. l. quæſitum §. idem reſpondit vbi Gloſa in verb. non poteſt ff de fund. inſtruct. Menochius de arbitr. lib. 1. quæſt. 3. nu. 4 Valaſcus conſult. 45. nu. 1. in fin. Stephanus Gratianus diſcept. forenſ tom. 3. cap. 522.*

Specialis diſpoſitio, quoad ſacramentũ ordinis.

Instantia propoſita, & ſoluta.

Neque ex hoc vrgeas, ergò inefficax eſt ratio, quam ſuperius adduximus *ſub hoc eod. tit de matrimon III. Diſq. 2. §. 13. in probatione reſponſ. ad fin.* quaque inferebamus ex eo, quod ad Epiſcopum Diœceſanum ſpectat conferre dimiſſorias pro ordinibus ſuſcipiendis, etiam ad eundem ſpectare abſoluere, ſeù diſpenſare ſuper voto reſeruato Epiſcopo; ſi etenim hoc ſpeciale eſt quoad ordinationem, & conceſſionem dimiſſoriarum non poteſt extendi quoad hanc diſpenſationem, ſeù abſolutionem; contra enim impugnaberis, quià ibi non erat ſermo de Epiſcopo præcisè originis comparatiuè ad Diœceſanum, ſed de Epiſcopo originis ſimul, & Diœceſis comparatiuè ad Epiſcopum academiæ, & ſic inferebamus, quod ſicuti potius ad Epiſcopum Diœceſanum ſpectat dimiſſorias concedere, quam ad Epiſcopum academiæ, ita ad ipſum potius ſpectat diſpenſare in voto, quam ad iſtum. Deindè ibi erat ſermo præſcindendo ab Epiſcopo originis, & ſolummodò comparando Diœceſanum ad Epiſcopum academiæ, & ſicuti in eo caſu, in quo non eſt ſpecialis diſpoſitio iuris, dictum eſt illum præferri in ordinatione, & conceſſione dimiſſoriarum ad iſtum, ità dicendum eſt in cæteris preferendum.

Dices ſecundo, qui habet duas Parochias, in quibus pro æquali anni tempore habitet, poteſt ab alterutro ex Epiſcopis illarum Parochiarum ſuper voto diſpenſari, ſicuti poteſt in matrimonio alterutrius ex illis Parochis habere aſſiſtentiam, ergò qui habet domicilium originis, & ſimul habitationis poterit ab Epiſcopo, vel vnius, vel alterius domicilij ſuper voto diſpenſare, quinimmò fortiori iure ab ordinario originis; tum quià naturalia præualeat accidentalibus per textum *in l. qui habet in princip., & ibi Dinus, & Bartolus, ff. de tutelis*; tum quià domicilium originis potentius eſt, vtpotè quod nunquam deperditur per textum *in l. ſenatores, ff. de ſenat.*, & docent *Paralta in l. vnum de familia §. ſi de falcidia n. 13., ff. de legat. 2.* Sed contrà dato pro nunc antecedenti maximè, quod plures negant potiſſimum in ordine ad aſſiſtentiam matrimonij, cum dicant illum ſolum eſſe Parochum ad hoc munus, in cuius Parochia tunc degunt contrahentes, quandò contrahere intendunt, neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quià, qui habet

habet duplicem Parochiam domicilij, in qua æqualitèr pro anni tempore habitat, habet omnia requiſita, vt gaudeat priuilegijs vtriuſque, & in ordine maximè ad fauorabilia ſubditur vtriuſque ordinarij, vel Parochi iuriſdictioni, cum iuriſdictio ſequatur domicilium; qui verò habet duplex domicilium, alterum originis, alterum iuriſdictionis, non habet per domicilium originis omnia requiſita ad effectū iuriſdictionis, cum, vt aſſerebam, iuriſdictio potius reſpiciat habitationem, quam originem; vndè benè dicitur, quod nomine domicilij in dubio non veniat originis domicilium, ſed habitationis *Gloſa cap. Ratnum §. cum verò verbo vnam dictam de reſcript. in 6. Alexander in l. penult. n. 11. de iuriſd. omnium Iudic.* Ad ea, quæ ſubduntur de qualitatibus domicilij originis, dicendum eſt, qualitates illas verificari, ſed non conferre ad præſens inſtitutum, cum in ordine ad iuriſdictionem attendatur potius habitatio, quam origo iuxtà ſuperius dicta.

§. XVI.

An, ſi mulier eadem die, qua contrahit nuptias, ſit tranſitura ad domum mariti validè contrahat coram Parocho proprio domicilij, quod debet deſerere, & ſi inualidè cōtraxit matrimonium, quod eadem die eſt ratificandum, poſtquam tranſijt ad domum mariti, illud ratificare poſſit coram prioris Domicilij Parocho.

SVMMARIVM.

Proponitur duplex caſus in terminis particularibus. 1.

Non inualidatur matrimonium contractum coram Parocho loci, à quo contrahens eadem die contractus, eſt receſſurus. 2.

Si matrimonium illud fuerit inualidum, & ſit iterandum eadem die, qua contrahens receſſit ab illo loco, poteſt reiterari coram Parocho eiuſdem loci, à quo receſſit. 3.

DISQVISITIO XVI. Occaſione præcedentium diſquiſitionum aperitur via ad hanc, quam propono, licet non conferre videatur ad naturam, ſeu proprietates diſpenſationum, de quibus in præſenti agimus. Caſus duplex hic eſt.

1 Duplex caſus propoſitus.

Titia huius Parochiæ D. Alexandri in Zebedia Mediolani hac die prima Iunij 1685. tranſitura eſt ad domum Caij ſitam in Parochia D. Bartholomæi in porta orientali, & hac eadem die ante diſceſſum contrahit cum eodem Caio matrimonium aſſiſtente Parocho D. Alexandri. Rurſus matrimonium, quod hac die contraxit cum eodem Caio aſſiſtente Parocho D. Alexandri inualidum eſt ex aliqua cauſa, qua eadem die remota eſt ratificandum, poſtquam iam tranſierit Titia ad domum mariti; in ratificatione aſſiſtit item Parochus D. Alexandri. Hic duplex orta eſt difficultas. Prima, an ex ſuppoſitione, quod illud matrimonium contractum coram Parocho D. Alexandri eadem die, qua mulier tranſitura eſt ad domum mariti extra primam Parochiam ex alijs cauſis ſit validum intelligatur etiam validum ex aſſiſtentia Parochi D. Alexandri, cum immediatè ex ipſius Parochiâ ſit abitura. Secunda, an illud matrimonium ex alia cauſa inualidum, ſi cauſa illa eadem die remoueatur, & renouetur poſt diſceſſum à propria Parochia coram priori Parocho, intelligatur validè renouari.

Rationes dubitandi pro primo caſu.

Ratio dubitandi pro prima difficultate ex eo conſurgit, quià ex vna parte ex deliberatione eadem die contrahendi, & adeundi domum mariti extra Parochiam ceſſauit animus permanendi in parochia, in qua prius habebat domicilium, & per conſequens deſijt etiam vna ex conditionibus requiſitis ad idem domicilium conſeruandum; ex alia parte, cum iam ſit abitura, perindè eſt, ac ſi iam abierit, & reliquerit habitationem; quæ enim in proximo ſunt perindè eſt, ac, ſi iam ſint, & quæ parum diſtant nihil diſtare videntur ex allegatis vulgatiſſimis iuribus; quinimmò etiam ſupponere poſſumus, quod eadem Titia res ſuas domeſticas, & ſuppellectilem ad domum eiuſdem Caij præuie dimiſerit, quod indicat quodammodo domicilium extraxiſſe ad aliam Parochiam, & ſolum per accidens in prima, quæ erat propria, permanere.

Rationes dubitandi pro ſecundo caſu.

Ratio dubitandi pro ſecunda difficultate, quod facta illâ tranſmigratione, etiam ſi matrimonium fuerit inualidum, non poſſit amplius Parochus primus aſſiſtere validè ex eo deſumitur, quià tunc non ſolum deſijt animus permanendi in prima Parochia, ſed etiam de facto ab eadem fuerit tranſlata habitatio, ergò Parochus illius prioris Parochiæ nullum penitus ius habet aſſiſtendi, quod præcipuè confirmatur ex iis, quæ dicta ſunt ſuperius, quod, ſicut modica habitatione cum animo ibi perpetuo permanendi, acquiritur domicilium per textum *in l. domicilium, ff ad municipalem*, & docent *Hoſtieſis in ſumma tit. de Parochijs §. penult. n. 7. Nauarrus lib. 1. conſil. in 2. edit. de tempt ord. conſ* 10. *nu.* 2.

ita illud amittatur per animum alibi permanendi cum deſitione etiam modica habitationis hic. Quod verò poſſit validè aſſiſtere ex eo deducitur primo, quod per illam priorem aſſiſtentiam ad matrimonium, quantumvis ex alio capite inualidum, actio ſaltem per ipſum intelligitur incohata, nec res quodamodo intelligitur amplius integra; quoad actiones autem iam incohatas videtur in eodem perſeuerare iuriſdictio, prout habetur in textu *in c. gratum de offic. deleg.*; ſecundo, quià per illam nouam aſſiſtentiam renouatur prior contractus, qui non fuit inualidus ex defectu aſſiſtentiæ, ſed ex alia cauſa tunc non cognita, ſed renouatio exigit eaſdem cauſas, quibus primò fuit initus remoto precisè impedimento occulto, quod prius inerat, ergò coram eodem vtique poteſt iniri, & renouari. Tertiò, quià in multorum ſententia, ſi matrimonium fuerit celebratum coram Parocho, & teſtibus, ſed ex impedimento occulto fuerit inualidum, eodem cognito, & remoto ſufficit renouatio conſenſus ad idem reualidandum, nec requiritur noua aſſiſtentia Parochi, & teſtium, cum ſufficiat prima aſſiſtentia præſtita per eundem Parochum primæ parochiæ, ergò eadem aſſiſtentia poterit ad vberiorem cautelam per eundem Parochum renouari, cum referatur ad primam. Quartò, quià per illam aſſiſtentiam poteſt dici, quod pro eadem die, qua dicta Titia fuit ſubdita ſuæ Parochiæ Parochus aſtiterit eiuſdem matrimonio, & parum referre poteſt, quod iam ab eadem Parochia receſſerit, quandòquidem per modicum illud tempus non ſupponitur diſcontinuatio talis, vt etiam non continuetur iuriſdictio in Parocho maximè attento præcedenti actu. Quintò, quià ille receſſus à priori Parochia eſt poſitus relatiuè ad matrimonium in eadem iam initum, adeovt poſitus non fuiſſet, ſi matrimonium illud nõ fuiſſet initum, ergo, cum illud matrimonium ibidem initum perindè ſe habeat, ac ſi non fuerit initum, cum ſupponatur inualidum, non demet iuriſdictionem Parocho eiuſdem primæ parochiæ ad aſſiſtendum, cum non fuerit abſolutè ſublata prior habitatio, ſed tantum conditionatè. Quid igitur in his caſibus concludendum?

2 Reſpondeo primo. Matrimonium illud initum inter Titiam, & Caium, ſi fuerit ex alio capite validum, initum coram Parocho loci, à quo eadem die contractus Titia eſt diſceſſura, vt ſe transferat ad domum mariti extra talem Parochiam, ſeù locum, eſſe abſolutè validum. *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 23. nu. 15.*, & quotquot ſuſtinent per ſolum animum deſerendi domicilium ſine actuali mutatione habitationis non amitti domicilium. Ratio ex eo deducitur, quià illud matrimonium eſt initum coram legitimo Parocho, nec habet ex alio capite, vt ſupponitur, aliquem defectum ſubſtantialem, ergò non eſt, cur non debeat ſubſiſtere. Antecedens probatur ex ſupradictis, quià domicilium non amittitur per ſolum animum ipſum derelinquendi, & ſe alio transferendi cum intentione ibi perpetuo permanendi, niſi etiam actu deſeratur primum domicilium, ergò, ſi tunc, quandò adhuc prima habitatio non eſt derelicta, contractum fuerit matrimonium coram Parocho illius habitationis non adhuc derelictæ, erit contractum coram proprio Parocho, ſeù legitimo.

Non inualidatur matrimonium contractũ coram Parocho loci, à quo contrahens eadem die eſt diſceſſurus.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ dicta ſunt in ratione dubitandi pro prima parte; non enim ſufficit animus derelinquendi habitationem, niſi etiam actu deſeratur; nec valet, quod etiam in proximo ſit deſitio habitationis, ac proinde ita habeatur, ac, ſi de facto ſit; non valet, inquam, quià quoad ea, quæ important priuationem iuris requiritur actualitas, nec ſufficit proximitas, & ad ſummum in poſitiuis, & fauorabilibus fictione iuris ea, quæ in proximo ſunt, dicuntur eſſe, non ſic in negatiuis, & odioſis. Deindè etiam in fauorabilibus, vbi agitur de fauore vnius, & de præiudicio alterius proximitas ad actum non ſufficit, nec potius attenditur fauor vnius, quam præiudicium alterius; minus officit id, quod ſubditur de rebus domeſticis, & ſuppellectili iam translata; minus, inquam, quià nec habitatio, nec deſitio habitationis conſtituitur per res domeſticas, & ſuppelectilem, ſed per perſonas habitantes, vel deſinentes habitare; vndè, quod iam fuerint translatæ, indicat animum primam habitationem derelinquendi, & conſtituendi aliam in alio loco, in quo fuerint illæ translatæ, non verò denotat actualem deſitionem habitationis in tali loco, niſi ſimul per ſona fuerit translata.

Non ſufficit animus derelinquendi habitationē.

3 Reſpondeo ſecundo. Probabilius eſſe, ſi illud matrimonium contractum coram Parocho habitationis, vbi primò habitabat Titia, fuerit irritum, & eadem die, poſtquam translata eſt ad domum mariti, ſit iterandum, adhuc validè poſſe iterationi aſſiſtere eundem Parochum primæ habitationis. Eſt directè contra *Sanchez de matrimon. lib. 3. diſp. 23. n. 15.* Hanc reſponſionem ſatis efficaciter euincunt rationes adductæ in ſecunda ratione dubitandi pro parte inferente ipſum adhuc validè poſſe aſſiſtere, quarum tamen aliquæ patiuntur exceptiones, & præcipuè illa, qua dicitur, quod, quandò actio iam eſt incohata, & res amplius non eſt integra iuriſdictio perſeueret in eo, qui incæpit vſq; ad conſummationem actus; patitur, inquam, excep-

Si matrimonium contractum corã Parocho loci, à quo eſt receſſurus côtrahẽs, & de facto receſſit, ſit inualidũ, & eadem die iterandum poteſt validè iterari coram Parocho loci, à quo receſſit.

exceptionem, quià ea, quæ in eadem dicuntur, verificantur ſolummodo quoad ea, quæ ſunt delegationis, ſi delegans interim excommunicetur, iuxtà quem ſenſum loquitur textus *in d. c. grauum de offic. deleg.*, non autem de poteſtate ordinaria, quæ etiam actu non perfecto deſinit. Vlterius tamen ſic roboratur reſponſio, quià in ijs, quæ ſunt iuriſdictionis merè voluntariæ incohatio operis tribuit ius ad perfectionem eiuſdem, ſed aſſiſtentia Parochi ad matrimonium, vel non pertinet ad iuriſdictionem, vt tantum ad iuriſdictionem voluntariam, vt alibi latè probauimus, ergò incohatio eiuſdem aſſiſtentiæ per denuntiationes, aliaq; tribuet &c. Maior probatur in iuriſdictione, quæ tribuitur tempore Iubilæi confeſſario ad abſoluendum à caſibus reſeruatis, à quibus, ſi non abſoluerit pro illo tempore, vel quià non fuerint ex obliuione ſuppoſita clauibus, vel ex alia cauſa poteſt eodem tempore Iubilæi elapſo abſoluere, prout docent *Stunica q. 5. de voto nu 37.*, *Henriquez lib. 7. de indulgentijs c. 11. n. 4.*, *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 15. nu. 17.*, *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuileg ſect. 1. caſ. 39. nu. 2.*, vbi etiam rationem ad rem noſtram maximè idoneam adducit, quià ſcilicet iuriſdictio ſemel habita, & re non integra non expirat, quovſque finiatur, & terminetur, prout docent *Emanuel Sà in ſumma verb indulgentia nu 14.*, *Antonius Gabriel tom. 2. tit. de prob. concl. 5. §. 35.*, *& 41.* Neque dicas, hæc verificari tantum, quandò ex conuentione partium iuriſdictio huiuſmodi prorogatur, ſecus, quandò nulla ſit prorogatio, vt ſentire videntur *Sanchez d. lib. 8. diſp. 15. nu 17.*, *Sanctarellus de Iubil. c. 8. dub. 7.*; contra enim impugnaberis, quià in hac etiam hypotheſi, quantumvis non ſit expreſſa partium cõuentio de prorogatione, ſupponitur tamen implicita, & præſumpta Pontificis concedentis mens, & voluntas, ergò, cum etiam in noſtro caſu iuriſdictio ſemel fuerit habita, & cauſa coram eodem iam fuerit cœpta, non expirabit, quovſq; &c. Confirmatur, quià illa mutatio habitationis facta per Titiam non fuit abſoluta, ſed ſuppoſitiua in ordine ſcilicet ad matrimonium, ſi fuerit validum, ergò, ſi illud non fuerit validum, illa mutatio tanquam facta ratione matrimonij perindè habebitur, ac ſi non fuerit facta, & tunc tantum rata habebitur, quando matrimonium confirmabitur.

Incohatio operis tribuit ius ad perfectionem.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ opponebantur in initio dubitationis pro ſecunda parte, (quod ſcilicet tunc abſolute deſijrit domicilium in prima Parochia, non ſolum propter fixum animum illam derelinquendi, & ſe transferendi ad domum mariti, ſed etiam propter actualem ceſſationem à domicilio in eadem Parochia) Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià in primis prius domicilium non eſt abſolutè derelictum, cum animo non amplius in eodem permanendi, ſed tantum conditionate, & ex ſuppoſitione validitatis matrimonij, quod ſictiti, ſi non fuiſſet poſitum, non induxiſſet animum recedendi, ità ſi fuit poſitum, ſed inualidè non intelligitur inducere animum, niſi ad ſummum conditionatum alibi perſeuerandi, ſi matrimonium valuerit, qua propterea conditione non ſubſiſtente talis animus non intelligitur adeſſe. Deindè dato etiam, quod deſierit primum domicilium, adhuc tamen permanet in Parocho ius aſſiſtendi propter cauſam iam apud ipſum incohatam, quæ ius tribuit vſq; ad conſummationem actus iuxtà ſuperius dicta.

Soluuntur rationes dubitandi.

---

§. XVII.

An facultas, ſiuè ordinaria, ſiuè delegata commutandi, ſeù diſpenſandi in votis extendatur ad vota in fauorem tertij, ſiuè acceptata, ſiuè nondum acceptata.

SVMMARIVM:

Factum ſub ſuis terminis. 1.
Votum poteſt fieri immediatè Deo, & mediatè tertio, & è contra. 2.
Sententia aſſerens, non poſſe diſpenſari, quomodocunque fuerit conceptum ſine conſenſu eius, in cuius fauorem factum eſt. 3.
Sententia aſſerens, quandò nondum ſunt acceptata, poſſe diſpenſari per habentem poteſtatem ordinariam, non verò per habentem ſolum delegatam. 4.
Sententia aſſerens poſſe diſpenſari, quandò immediatè refertur ad Deum, ſecus quandò immediatè ad creaturam. 5.
Communior ſententia, quod, quandò votum acceptatum eſt à tertio, non poſſit relaxari. 6.
Si votum illud adhuc non fuerit acceptatum poteſt Epiſcopus auctoritate ordinaria ſuper illo diſpenſare. 7.
Etiam commiſſarius per auctoritatem delegatam. 8.
Intellige ſiuè votum, ſeù iuramentum fuerit immediatè relatum ad Deum, & mediatè ad creaturam, ſiuè è contra. 9
Intellige etiam, quantumvis promiſſio cum iuramento, ſeù voto fuerit relata ad aliquem Sanctum 10.
Si votum fuerit iam à tertio acceptatum regulariter nequit Epiſcopus poteſtate ordinaria ſuper illo diſpenſare, nec commiſſarius poteſtate delegata. 11.
Limita, niſi promiſſio cum voto, vel iuramento eſſet facta ſoli Deo. 12.

Digitized by Google

Quod ſentiendum ſit, quandò facta eſt ſimul Deo, & homini. 13.

1 Exponitur factum ſecundum duplicem caſum.

DISQVISITIO XVII. Votum emiſerat, ſeù iuramentum Caius de certa eleemoſina eroganda pauperi, vel loco pio. Nondum pauper, ſeù locus pius acceptauit promiſſionem ſub voto, vel iuramento, vel demus etiam, quod acceptauerit. Hic oritur controuerſia, an Epiſcopus auctoritate ordinariâ in vtroque caſu ſuper illo voto, ſeù iuramento poſſit diſpenſare, & an etiam poſſit delegatus ad huiuſmodi vota diſpenſanda, vel commutanda ex vi commiſſionis, ſeù delegationis diſpenſare in eiſdem, vel eadem commutare.

2 Duplex modus cõcipiendi votum, ſeù iuramentum.

Prò ſolutione aduerte primo, huiuſmodi votum, ſeù iuramentum potuiſſe dupliciter concipi; vel quatenus vtrumque factum fuerit immediatè Deo, & mediatè tertio, vel immediatè tertio, & mediatè Deo; primo modo contingeret caſus, quandò quis diceret Promitto, vel iuro Deo me daturum pecuniam in eleemoſinam tali pauperi, vel calicem tali Eccleſiæ, vbi vides promiſſionem immediatè referri in Deum, eiuſdemq; executionem terminari in creaturam; ſecundo modo contingeret, quandò diceret: Promitto tali Eccleſiæ, vel Pauperi, vel iuro me daturum, vel calicem, vel pecuniam reſpectiuè.

3 Sententia aſſerentiũ non poſſe diſpenſari ſine conſenſu eius, in cuius fauorem factũ eſt, quomodocunque fuerit votum, vel iuramentũ conceptũ.

Quandò votum nondum eſt acceptatum à tertio, in cuius fauorem factum eſt, idem intellige de iuramento, ſiuè factum fuerit immediatè Deo, & mediatè creaturæ, ſiuè viceverſa immediatè creaturæ, & mediatè Deo, iuxtà modum explicatum non deſunt, qui aſſerant non poſſe per diſpenſationem, ſi‿è ab Epiſcopo habente auctoritatem ordinariam, ſiuè à delegato ex vi commiſſionis relaxari ſine conſenſu eius, in cuius fauorem votum illud, ſeu iuramentum emiſsunt eſt. Ità ſuſtinent plurimi, quos citat *Sanchez lib. 4. ſumma c 41 n.6.*, & præcipuè *D. Antoninus 2 part. tit 11. c. 1. §. vlt. verſ. de temporal: ſubſtantia Roſella in ſumma, verb. votum* 5. *nu.* 6 Rationem huius dicti ex eo deſumunt, quià ille, in cuius fauorem factum eſt votum, vel iuramentum, poteſt compellere vouentem, vel iurantem implorato Iudicis auxilio ad adimplementum, vel executionem eiuſdem voti, vel iuramenti, quod certè præſtare non poſſet, niſi ius aliquod ex illo voto, & iuramento acquiſiuiſſet; ſi autem ius tertio fuerit acquiſitum, non videtur eſſe facultas in præiudicium illius ad illud relaxandum ſine illius conſenſu.

4 Aliqui diſtiguunt circà hunc caſum, & dicunt Epiſcopum habentem auctoritatem ordinariam diſpenſandi in huiuſmodi votis, vel iuramentis poſſe etiam diſpenſare, quandò emiſsa ſunt in fauorem tertij, quantumvis adhuc non fuerint acceptata; delegatum autem ex vi commiſſionis ad diſpenſandum ſimplicitèr non poſſe commiſſionem prorogare ad huiuſmodi vota, quandò ſunt in fauorem tertij. Ex eo potiſſimum moueri exiſtimo; quià delegans, ſeù committens ſemper præſumitur delegare, ſeù committere ſaluo iure tertij, & committendo videtur ea delegare, quæ ordinaria, & conſueta ſunt, non ea, ad quæ ipſe delegans per ſe ipſum non aſſolet poteſtatem exercere, niſi rarò, & grauioribus cauſis interuenientibus.

Sententia aſſerens poſſe diſpẽſari per poteſtatẽ ordinariã; non per delegatam

5 Sententia aſſerens poſſe diſpenſari, quandò immediatè refertur ad Deum, ſecus quãdò immediatè ad creaturam.

Alij, inter quos *Azorius tom.1. inſtit mor. lib 11. c. 19. q. 11*, adhuc diſtinguunt, & aſſerunt, quod, ſi votum, vel iuramentum referatur immediatè ad Deum, & mediatè ad creaturam poſſit Epiſcopus, vel delegatus votum illud relaxare, ſeù iuramentum, eo quià ſolus Deus conſtituitur creditor, ſicuti in cæteris votis, & iuramentis; ſi verò votum, vel iuramentum referatur immediatè in creaturam, & mediatè in Deum, tunc, nec Epiſcopus, nec delegatus poſſit votum illud, ſeù iuramentum relaxare, cùm ipſa creatura facta ſit creditrix, & poſſit cogere ad complementum.

6 Communior ſententia, quod non poſſit diſpẽſare, quãdò votum, vel iuramentũ eſt acceptatum à tertio.

Quandò verò votum, vel iuramentum iam eſt acceptatum à tertio, in cuius fauorem factum eſt, tunc communitèr aſſerunt, nec Epiſcopum auctoritate ordinaria, nec delegatum auctoritate commiſſa poſſe per diſpenſationem votum illud, ſeù iuramentum relaxare. Atq; ſic ſentiunt *Rodriquez tom.1. qq. Reg q. 63. art 4.*, *& 2. part ſumma c. 101. nu 6.*, *Suarez tom 2. de Religion. c. 15. n. 11.*, *Sanchez lib 4 ſumma c. 41. num. 8.*, *Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 36. num. 2.*, *Moneta de commut. vlt. vol. c. 6. num. 64.*, *Baſilius Pontius de matrimon. lib 8. c. 8. §. 1. num. 8.*, *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 7. nu. 7.*

Hoc aſſertum, quod commune aſſerunt, varijs modis explicant, diſtinguunt, reſtringunt, & ampliant ſecundum modum, quo concepta ſunt, huiuſmodi votum, & iuramentum, ſecundum obiectum ad quod diriguntur, ſecundum modum, quo acceptantur, ſecundum finem, ad quem diriguntur, & ſecundum reſpectus, quos habere poſſunt.

Nonnullæ ſententiæ reſtringentes communem opinionẽ.

Sic primo, quoad modum, quo concepta ſunt, aſſerunt aliqui, quod, ſi promiſſio facta ſit ſoli Deo, quamvis reſultet in commodum tertij, vel Eccleſiæ, vt ſi dicatur *promitto Deo, me daturum pauperi, vel Eccleſiæ*, & tertius ſit præſens, & acceptet, adhuc poſſit Epiſcopus auctoritate ordinaria, & delegatus ex vi commiſſio-

nis

Primo ratione modi.

nis ſuper illo voto, & iuramento diſpenſare *Leſſius lib. 2 de iuſt. c. 40 dub. 11. n. 90. Sanchez lib. 4. ſumma c. 41. nu. 14.* rationemque adducit Sanchez, quià tunc nullus initus eſt contractus cum illo tertio. Si verò promiſſio facta ſit, & Deo, & homini, ita tamen, vt dirigatur ad hominem, vt ſi dicatur Promitto Deo, me tibi daturum &c., & tunc in varias abeunt opiniones.

Secundo ratione acceptationis.

Secundò in ordine ad modum, quo acceptantur, aliqui aſſerunt, quod, ſi ille, in cuius fauorem elicitur illud votum, ſeù iuramentum, fuerit tantum præſens, & non acceptarit expreſsè, ſeù non elicuerit actum poſitiuum, quo dignoſcatur facta acceptatio, poſſit adhuc Epiſcopus poteſtate ordinaria diſpenſare, & delegatus ex vi commiſſionis, alij verò, quod in ea hypotheſi poſſit Epiſcopus, non ſic delegatus.

Tertio ratione finis.

Tertiò in ordine ad finem, ad quem diriguntur, aſſerunt aliqui, quod, ſi facta fuerint v. gr. Eccleſiæ non proptèr hominis vtilitatem, ſed principalitèr proptèr Dei honorem, & cultum poſſint per habentem poteſtatem ordinariam, vel delegatam diſpenſari; atque huic ſententiæ videntur adhærere *Caietanus 2. 2. q 88. art. 12 paulo poſt princip. verſ. ad euidentiam, Petrus Nauarra lib. 2 dereſtit. c. 1. in noua edit. dub. 13. nu. 14.*; alij verò ſecundum varias diſtinctiones procedunt. His ſic pro notitia ſuppoſitis.

7 Si non fuerit acceptatum poteſt per Epiſcopũ auctoritate ordinaria diſpenſari.

Reſpondeo primo. Si votum illud, ſeù iuramentum fuerit emiſſum, & non adhuc acceptatum probabilius poteſt Epiſcopus auctoritate ordinaria ſuper illo diſpenſare *Vega 2. part. ſumma c. 28 § 4. in gloſ. H. Graſſius lib. 2. deciſ. aurear. c. 30. n. 12 Zerula 1 part. praxis Epiſ. verb. votum §. 2. Paulus Laiman lib. 4 tract. 3. c. 11. n. 7. Fillintius part. 2 tract. 26. c. 9. num. 257. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub priuil. ſect. 2. caſ. 7. nu. 2.* etiam non habito conſenſu illius, in cuius fauorem factum eſt illud votum, ſeù iuramentum. Ratio ex eo deducitur, quià ante acceptationem per tale votum, ſeù iuramentum nullum ius, nullaque obligatio acquiritur homini, in cuius fauorem illa facta ſunt, ſed tota obligatio acquiritur Deo, qui in teſtem inuocatur, ſed Epiſcopus quoad obligationes, quæ acquiruntur Deo per vota, & iuramenta in materia non reſeruata poteſt diſpenſare, eaſq; relaxare, ergò &c. Maior patet, quià, quantumuis talia iuraméta intelligantur facta homini, cum referantur in ipſius vtilitatem, ſeù commodũ, quoad obligationẽ tamen referũtur tanquam iuramenta facta Deo, cum obligent intuitu ſolius honoris Dei. Neque obeſse poteſt, ſi aſſeratur, quod ille, in cuius gratiam factum eſt iuramentum, ſeù votum poſſit implorato Iudicis officio compellere iurantem, & vouentem ad implementum voti, ſeù iuramenti *arg. c. ex parte de cenſib., & l. 2. de pollicit. Gloſa communitèr recepta in c. ſcimus 12. q. 1. Panormitanus in d. c. ex parte de cenſibus*, ergò ius aliquod acquiſiuit ex illo voto, & iuramento, circa quod proptereà Epiſcopus non poterit ſe ingerere. Contra enim impugnaberis, quia dato etiam, quod poſſit implorare Iudicis officium, vt compellat ad adimplementum eorundem, ſi tamen antecedentèr fuerit per diſpenſationem relaxatum, nullum amplius ius ad ſic compellendum habebit; vndè ad ſummum ius aliquod habebit, cum ante diſpenſationem, & reuocationem voluntatis vouentis acceptauerit quantum eſt de ſe, & actionem intentarit ad complementum, prout ſaltem implicitè innuere videntur *Nauarrus in ſumma c. 12. n. 78 Ioannes Vallerus verb. votum diſſ. 1. n. 2 poſt initium, & n. 3 in fine.*

8 Etiam commiſſarius per auctoritatem delegatam.

Reſpondeo ſecundo. Iuxtà terminos præcedentis, ſeù mox poſitæ diſtinctionis non ſolum Epiſcopus per poteſtatem ordinariam poteſt ſuper illo voto, ſeù iuramento diſpenſare, ſed etiam commiſſarius per poteſtatem delegatam *Rodriquez tom. 1. qq. regul. q. 63. art. 4., & 2. part ſum. mac. 101. n. 6. Ioannes Vallerus verb votum diſſ. 1. nu 2 Paulus Laiman lib 4 tract 3. c. 21. n. 7. Baſilius Pontius de matrimon. lib. 8. c 8 §. 1. n. 8. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuil. ſect. 2. caſ. 7. n. 2.* Ratio ex eo deducitur, quià facultas illa delegata non reſtringitur, niſi quoad vota reſeruata, & ad alia omnia non reſeruata extenditur, ſed votum, & iuramentum, de quibus agitur, non ſunt ex reſeruatis ratione materiæ, nec ex genere ſuo reſeruantur ratione iuris tertio acquiſiti, cum ex prædictis in prima reſponſione ante acceptationem nullum ius acquiſierit, ſed totum ius cedat Deo, ergò non eſt, cur ad illorum ſolutionem per diſpenſationem non poſſit extendi. Confirmatur primo, quià, quantumuis diſpenſatio ſit ſtrictè interpretanda, facultas tamen diſpenſandi latam patitur interpretationem, atque hoc non ſolum intelligitur de tali poteſtate ordinaria, ſed etiam delegata *Gloſ. cap. hi qui verb in poteſtate in fin. 15. quaeſt. 8. Oldradus conſ 152. nu 1 Bartolus in l. 2. in princip n. 2 ff de verb oblig, & ibi Baldus num. vnico, Immola num. 21. Bartolomaeus Socinus conſ. 33 nu 14. vol. 3.*, ergò in dubio eſt extendenda, ſicque in hac hypotheſi non erit, cur non amplianda ſit ad vim diſpenſandi in voto, & iuramento, de quibus agitur. Confirmatur ſecundo, quià, ſi quid obeſſet, ne talis facultas ad hunc caſum eſſet extendenda, maximè hoc eſſet, vel quià non præſumitur voluntas,

voluntas committentis inferri ad hunc caſum non ordinarium, & inſuetum, vel quià cederet in præiuditium illius tertij, in cuius gratiam illa emiſſa ſunt; ſed nullum ex his verū eſt, ergò &c. Minor quoad primam partem ex eo euincitur, quià talis facultas diſpenſandi eſt ex liberalitate Principis concedentis, quæ regularitèr, & principalitèr attenditur per textum *in l. ſocium, qui in eum ff. pro ſocio l. ſed ſi plures §. in arrogato, ff. de vulgar.*; liberalitas autem principis, vtpotè fauorabilis, (cum maximè gratioſum ſit, vt eluceat eiuſdem beneficentia) eſt latè interpretanda, & extendenda; quoad ſecundam verò partem patet ex dictis non acquirere ius, niſi poſt acceptationem.

9
Siuè fuerit immediatè relatum ad Deum, & mediatè ad creaturam, ſiuè è contra.

Reſpondeo tertio. Hæc, quæ dicta ſunt in præcedentibus reſponſionibus, æquè verificantur, ſiuè iuramentum, & votum immediatè referantur ad Deum, & mediatè ad illum tertium, ſiuè referātur immediatè ad illum tertium, & mediatè ad Deum. *Moneta de commut. vlt vol. c. 6. nu.64.*, *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuileg. ſect.2. caſ 7. num 4*, *Armilla verb. diſpenſare nu. 21.*, *Tabiena verb diſpenſatio q.12. nu.14. ad fin.*, *Sanchez lib. 4. ſumma c. 41. nu. 11.* contra *Azorium tom 1. inſtit moral. lib.11. c 19. q. 12.*. Ratio ex eo deducitur, quià quomodocunque illud votum referatur, ſiuè immediatè, ſiuè mediatè tantum ad Deum antè acceptationem eius, in cuius gratiam emiſſum eſt, ſolus Deus fit creditor, cum in ipſius honorem referatur, nec ille tertius ius aliquod acquirit, niſi poſt acceptationem, & ſi quod ius habet, hoc tantum conſiſtit in vtili aliqua ratione implorandi iudicis auxilium, quæ non confert ius ad rem, vt videre eſt in legatis relictis fratribus minoribus, qui ſolum poſſunt tale Iudicis officium implorare, nec tamen ſequitur, quod in illis ius aliquod ad rem habeant, vt apertè habetur *ex c exigit de verb ſignific. in 6. Clem exiui*. nec non *extrauag Ioannis XXII. quorundam extrauag*, *quià nonnunquam*, *& extrauag. ad conditorem eod tit.*, ſed in ijs, in quibus ſolum ius Deo acquiritur, non ſolum Pontifex auctoritate ordinaria poteſt diſpenſare, ſed etiam commiſſarius poteſtate delegata, ergò &c.

10
Etiā ſi fuerit directa ad aliquē Sanctum.

Hæc, quæ dicuntur, adeò vera ſunt, vt extendantur etiam, quid quid in contrarium dixerint aliqui, ad relaxandum votum, ſeù iuramentum cum promiſſione directa in aliquem Sanctum, puta conſtruendi Eccleſiam in ipſius honorem *Sanchez lib.4. ſumma c.41 nu 12.*, *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect. 2. caſ. 7. nu. 5.*, *Caietanus in ſuis quodlib. tom.2. tract. 11. q.3 verſ. nec oportet in huiuſmodi votis* Rationes plurimas huius extenſionis adducit *Sanchez loc. cit.* quem lector poterit conſulere. Nobis hæc vna ſufficiat, quià obligatio facta alicui Sancto, perindè ſe habet, ac ſi eſſet facta Deo, tum quià Sancti, cum ad gloriam peruenerint, intelliguntur ſub eodem foro Dei; tum quià perfectiſſimè intelliguntur Deo in ſuis voluntatibus conformari; vndè ſicuti ea, quæ ſunt immediatè ad Deum, ſubduntur Epiſcoporum diſpenſationi, ità &c.

11
Nō poteſt, ſi votum fuerit acceptatum.

Reſpondeo quartò. Regularitèr loquendo, ſi votum illud, ſeù iuramentum fuerit emiſſum in fauorem tertij, & ab eodem acceptatum, nequit Epiſcopus auctoritate ordinaria diſpenſare, nec commiſſarius poteſtate delegata. In hanc reſponſionem conſentiunt *Ioannes Angelus Boſſius de tripl Iubil priuileg ſect. 2. caſ. 7. nu.7.*, *Sanchez lib 4. ſummæ c. 41 nu 13.* *Moneta de commut vlt volunt c 6. nu 67, & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quià tunc illa vota, ſeù iuramenta tranſeunt quodamodo in contractum, & acceptans acquirit ius proprium ſaltem ad rem in re promiſſa, & per votum, ſeù iuramentum confirmata; per poteſtatem autem, ſiuè ordinariam, ſiuè delegatam non poteſt iuri tertij iam quæſito derogari, ergò &c.

Dixi *regularitèr loquendo*, nam reſponſio ſecundum diuerſos reſpectus pati poteſt diuerſas limitationes, & reſtrictiones, & quidem.

12
Niſi eſſet factum ſoli Deo.

Limita primò in hypotheſi, quà promiſſio, ſeù iuramentum, quæ dicuntur reſultare in commodum, & vtilitatem tertij eſſet facta ſoli Deo: tunc enim etiam poſt acceptationem eiuſdem tertij poſſent auctoritate Epiſcopi, ſeù delegati per diſpenſationem relaxari; *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg ſect 2. caſ. 7. nu 8.*, *Sanchez lib 4. ſummæ c 4 num 14.* Ratio ex eo deducitur, quià ex illa promiſſione, ſeù iuramento ſolus Deus fit creditor, & nullo modo ille tertius, ergò &c. Antecedens probatur, quià promiſſio fit Deo, & tertius ille ſe habet ſolum, vt materia, circà quam, ſeù vt obiectum, circà quod obſequium Deo promiſſum verſari debet; illi autem ius acquiritur, cui fit promiſſio, non illi, circà quem verſatur promiſſio.

13
Quid ſentiendum ſit, quandò factū eſt ſimul Deo, & homini.

Circà hanc limitationem inſurgit ratio dubitandi, an etiam intelligenda ſit, quandò promiſſio facta eſt ſimul Deo, & homini? Circà quam rationem dubitandi diſtinguendum exiſtimo in ordine ad commiſſarium per poteſtatem delegatam, & in ordine ad Epiſcopum per poteſtatem ordinariam. In ordine ad primum ſentio non poſſe diſpenſare *Laiman lib 4 tract 3. c.11. nu.7.*, *& tract 4. c. 8. nu. 21.*. Ratio ex eo deducitur, quià facultas delegata ſemper intelligitur de votis, & iuramentis pijs, vel ſoli Deo factis, vel nondum accepta-

acceptatis, quatenus non cedunt in præiudicium tertij. In ordine ad ſecundum aliqui diſtinguunt, vel illa promiſſio, & iuramentum facta Deo, & homini ſimul poſita ſunt, vel ſucceſſiuè, & ſeorſim, quatenus primo poſita fuerit promiſſio homini, & poſtea iuramento Deo etiam poſita, & confirmata; affirmant in ſecundo caſu, negant in primo, quià poteſt Epiſcopus tollere ius ſubſequentèr poſitũ erga Deum per iuramentum, per quod vinculum eneruatur etiam promiſſio facta homini; quod non videtur de facili poſſe contingere, quandò promiſſio, & iuramentum ſimul ſunt poſita. Nihilominus interueniente legitima cauſa crederem in vtroque caſu per ſublationem iuramenti Epiſcopum non obſtante acceptatione tollere hanc obligationem. Duplicem autem caſum, in quo Epiſcopus per relaxationem iuramenti, ſeù voti poteſt tollere hanc obligationem, aſſignat *Sanchez lib. 4. ſumma cap. 41. nu. 16*, quem tu conſule.

Limita ſecundo in hypotheſi, qua promiſſio, ſeù iuramentum facta Deo, & homini emiſsa fuerint in præſentia hominis, in cuius etiam vtilitatem cedere deberent, tacentis, & poſitiuè, ſeù per actum poſitiuum non acceptantis; niſi alia concurrerint, quæ infallibilitèr inferant acceptationem. Ratio ea eſt, quià, dum non conſtat de acceptatione, liberum ſemper eſt Epiſcopo diſpenſare; taciturnitas autem illa cum præſentià non ſtat pro acceptatione.

§. XVIII.

Quid operetur diſpenſatio præuentiua.

SVMMARIVM.

Explicatur in quo ſenſu accipiendus ſit titulus. 1.
Sententia negans illas tranſlationes ſic factas validas eſſe. 2.
Illæ tranſlationes ſic facta per Prælatum vigore conceſſionis Pontificis tenent. 3.
Quem effectum pariat diſpenſatio præuentiua. num. 4.
Exemplis illuſtratur aſſertum. 5.
Proponitur obiectum, & diſſoluitur. 6.

1 *Explicatio tituli.* DISQVISITIO XVIII. Diſpenſauit Romanus Pontifex cum perſona iam clericali tonſura initiata ſibi, vel Eccleſiæ benemerita, vt retinere poſset, & recipere quaſcunq; penſiones reſeruatas, etiam ſi contigerit contrahere matrimonium cum quacunque muliere etiam vidua, & ſucceſſiuè cum diuerſis nupta, vel aliter corrupta ſemel vel pluries, & etiam ad plura, & ſucceſſiuè diuerſa vota matrimonialia tranſire decernendo per contractum matrimonij quomodocunque etiam iterati cum perſonis corruptis non extingui huiuſmodi penſiones ipſi reſeruatas. Contigit tamen, quod Pontifex in Indulto diſpenſationis in eadem perſona exegerit qualitatem perſonæ Eccleſiaſticæ. Rurſus idem Pontifex cum Prælato Eccleſiaſtico diſpenſauit, vt transferre poſset penſiones ſibi reſeruatas in fauorem vnius, vel plurium perſonarum Eccleſiaſticarum, ita vt huiuſmodi tranſlationes effectum ſortiantur perindè, ac ſi eſsent ab eodem Pontifice conciſtorialitèr tranſlatæ. Duabus his diſpenſationibus ſuppoſitis Prælatus hic tranſtulit virtute conceſſionis ſibi per Pontificem factæ penſionem ſuper fructibus eiuſdem Epiſcopatus, qua ipſe gaudebat, in perſonam illam benemeritam Pontifici, cui præcedenter conceſserat poſſe recipere, & retinere penſiones, etiam ſi contigerit contrahere cum vidua, ſeù alio modo corrupta, ſeù tranſire ad ſecundas, vel etiam tertias nuptias, & quidem hæc tranſlatio facta eſt, poſtquam eadem perſona benemerita Pontifici, ab eoque diſpenſata tranſierat ad vota cum corrupta, vel ad ſecundas nuptias. Hic orta eſt controuerſia, an illa translatio ſic facta tanquam valida ſuſtineatur, vel poſſit ſuſtineri.

Negatiuè reſpondendum videtur, quandòquidem facultas conceſsa Prælato transferendi illas penſiones non extenditur, niſi in ordine ad perſonas Eccleſiaſticas terminatiuè; perſona autem illa, quantumuis prima tonſura initiata non poteſt amplius dici Eccleſiaſtica, quandòquidem per bigamiam priuata intelligitur quocunque priuilegio clericali per textum *in c. 1. de bigam. in 6.*, quod præcipuè verum eſt quoad primam tonſuram, quæ, cum non ſit ordo, vt ſentiunt communitèr Theologi, nec imprimit caractherem, nec aliquid indelebile, quod ceſſare nòn debeat per bigamiam propriè ſumptam; & hoc eo fortius verificatur, quià, cum verſemur in diſpenſationibus, quæ ex genere ſuo ſunt ſtrictè interpretandæ, non debemus exire à verbis proprijs, & rigoroſis, ſecundum quæ concipiuntur. Nihilominus 2 *Sententia negans validas eſſe illas tranſlationes.*

Reſpondeo, illas tranſlationes factas per illum Prælatum vigore conceſſionis eidem factæ per Pontificem ſuſtineri, vt validas, nec extingui per bigamiam, ſiuè præcedentem tranſlationes huiuſmodi, ſiuè ſubſequentem. Hanc expreſsè ſuſtinet *Auguſtinus Barboſa de offic., & poteſt. Epiſcop. part. 2. allegat. 47. nu. 2., & ſeqq. ferè per totum*, vbi refert obiecta contraria, 3 *Illæ tranſlationes validæ ſũt.*

ſoluit

Digitized by Google

ſoluit, varijſque rationibus comprobat aſsertum.

Ratio ex eo deducitur primo, quià, quidquid ſit, quod prima tonſura ſit ordo, vel quod imprimat caractherem, nec ne, certum tamen eſt, quod ſit irriterabilis, & quod aliquem effectum moralitèr ab anima inſeparabilem producat, ratione cuius non poſſit amplius de nouo conferri;

Semper remanet Clericus.

& quamuis poſſit contingere, quod eadem tonſura ſuſcepta ex aliquo defectu tonſuratus priuetur priuilegijs clericalibus, non tamen deſinit eſse clericus *Butrius in c. Ioannes n. 17. de cleric. coniug.*, *& ibi Immola n. 18. in fin. Couaruuias in c. quià nos n. 4. de teſtam. Abbas in c. 1 n 6. de vit., & honeſt. Cler.*, & ità pluries fuiſse definitum in Rota Rom. refert *Auguſtinus Barboſa loc. cit*, & præcipuè *in vno Cæſaraugustana Penſionis* 18. *Iunij* 1610. *coram Cardin. Lancelloto*, ergò perſona illa benemerita Pontifici non obſtante bigamia, cum ad huc remaneat in ſtatu clericali, habet conditiones requiſitas, vt poſſit gaudere iure illius translationis penſionum reſeruatarum; Neque dicas, ad effectum iuris gaudendi huiuſmodi penſionibus non ſufficere, quod quis ſit clericus habitu, ſed vlterius requiri, quod gaudere poſſit priuilegijs clericalibus, quibus in præſenti hypotheſi priuatur per bigamiam; ſicuti igitur alijs priuatur priuilegijs, non eſt, cur priuari non debeat iure etiam gaudendi penſionibus, cum hoc etiam inter priuilegia clericalia numeretur; contra enim impugnaberis, quià, quantumvis ex genere ſuo per bigamiam priuetur priuilegijs clericalibus, & per conſequens etiam iure ad penſiones, fallit tamen, quandò in ordine ad iſtas eſt ſpecialitèr diſpenſatus, vt euenit in caſu noſtro; quamvis etenim daremus, quod per bigamiam cæteris priuilegijs clericalibus priuatus remaneat, cum clericatu tamen habitu vigore illius diſpenſationis ſpecialis retineret ius ad eaſdem penſiones, non vt præcisè laicus, ſed vt Clericus, & Eccleſiaſticus ſaltem habitu.

Ratio ſecundo ex eo deduci poteſt, quià, cum Pontifex diſpenſauerit cum perſona illa benemerita, ſibi ante contractam bigamiam ad effectum, vt eadem etiam poſteà poſita retinere, & recipere poſset penſiones reſeruatas, ſoliſque clericis de iure ordinario applicabiles, expreſsè, & certo præueniendo diſpenſauit, ne, poſtquam caſus bigamiæ obuenerit, inficiat perſonam præuentiuè diſpenſatam, ſed diſpenſatio præuentiua talis naturæ, & efficaciæ eſt, vt tollat effectum, ad quem datur in caſu contingentiæ perindè, ac ſi ille effectus non eſset poſitus, & diſpenſatus ità remaneat poſt caſum, ac erat ante eundem caſum *Turrecremata in cap. quis ante nu. 1., & ibi Præpoſitus n. 1. diſt. 84. Molina de iuſt., & iur. tom 2. tract. 2 diſp. 108. verſ. quoniam eo ipſo, Ioannes Andræas in reg in generali nu. 3. verſ. quadrageſimus ſeptimus de reg. iuris in 6. Ancharanus conſ. 404. in primo dubio*, ergò &c. Expreſsè in terminis formalibus huiuſmodi docet reſponſionem noſtram *Rota Romana in cit. Cæſaraugustana penſionis* 18 *Iunij* 1610. *coram Cardinal. Lancelloto*.

4
Quem effectum pariat diſpenſatio præuentiua.

Ratio tertio deduci poteſt ex ijs, quæ ſupra docuimus, dum de poteſtate Pontificis diſpenſandi in radice matrimonij, quod ſcilicet, ſi Pontifex diſpenſet quoad matrimonium iam inualidè contractum ex nunc pro tunc intelligatur non ſolum actus omnes ſubſequentes legitimos reddere, ſed etiam præcedentes abolendo illos, ſeù legem, ob quam illi eſsent illegitimi, vt conſtat *ex clem. vnica de immunit. Eccl*, vbi Clemens V. reuocat quaſdã prædeceſsorũ cõſtitutiones etiam quoad effectus pręcedentes. Ibi. *Quidquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas penitus reuocamus, ac haberi volumus pro infectis*, vbi *Gloſa verb. pro infectis, & ibi Card. n. 6. oppoſit. 1* aſſerunt, quod tanta ſit Pontificis poteſtas circà ea, quæ ſunt iuris poſitiui, vt poſſit ea reuocare, prout ex tunc, quandò edita ſunt, ac ſi nunquam edita fuiſſent,

Reuocat, prout ex tunc

quod idem docet *Abbas in c. non debet in fin. de conſang., & affin. Ioannes Andræas in c. per venerabilem num. 30. qui filij ſint legit., & ibi Cardin. num. 9. q. 1.*, *Ancharanus c. vnico num 3 de ſponſal. in fin. Felinus in c. quæ in Eccleſiarum nu. 21. verſ ſecundo amplia de conſtit. Angelus verb. Papa num. 4.*, *Roſella verb. illegitimus n. 15.*, ergò à fortiori Pontifex diſpenſando præuentiuè antè contractam bigamiam, vt ſi quis clericus prima tonſura initiatus eandem contraxerit, vel per tranſitum ad ſecundas nuptias, vel per contractum cum vidua, vel corrupta alio modo, videtur auferre eandem bigamiam, ne conſequatur ſuos effectus, cum aduenerit, & efficere, vt talitèr habeatur, ac ſi non fuerit poſita, & per conſequens talis diſpenſatio efficit, vt omnes actus ſubſequentes validi ſint non obſtante bigamia, quæ cæteroqui contraheretur, ſi non eſſet illa diſpenſatio. Conſequentia tenet, quià plus videtur poſſe Pontifex in ordine ad actus ponendos, ac in ordine ad iam poſitos, ergò, ſi in ordine ad iſtos &c. etiam in ordine ad illos, cum effectus tam in ordine ad actus præteritos, quam ad futuros ſupponantur eſſe de iure poſitiuo.

Ratio quarto deduci poteſt ex varijs exemplis plurimum conferentibus ad præſens inſtitutum; & primo in clerico diſpenſato per Pontificem ad proficiſcendum ad bellum, qui eo ipſo intelligitur diſpenſatus ab irregularitate, ſi quam

con-

Digitized by Google

contraxerit per necem, & occiſionem. *Molina tom. 2. de iuſt., & iure tract. 2. diſp. 108. Auila de cenſuris part. 7. de homicid. in bello diſp. 6. dub. 2. in concl.* Secundo in Iudicibus, qui ſi fuerint per priuilegium præcedens diſpenſati in cauſis criminalibus ad iuſtitiam adminiſtrandam eximuntur ab irregularitate, ſi contigerit eos quempiam ad mortem damnare *Sairus de cenſuris lib. 6. c. 18.* Tertiò in ſacerdotibus, qui, ſi diſpenſentur ad exercendam artem medicam, eo ipſo cenſentur diſpenſati ab irregularitate, ſi quam ex tali exercitio contraxerint ob mortem alicuius indè ſecutam, niſi voluntariè mortem illam intulerint, ergò etiam, ſi Clericus antecedenter ad contractam bigamiam fuerit clericus diſpenſatus ad penſiones retinendas, vel recipiendas, quantumvis contigerit, eum ſecundas nuptias contrahere, vel ducere viduam, vel corruptam, eo ipſo intelligitur exemptus ab eadem bigamia, & ab effectibus eiuſdem.

5 Exemplis illuſtratur aſſertum.

Tandem hæc eadem reſponſio euinci poteſt pluribus Rotæ Romanæ deciſionibus, prout refert *Auguſtinus Barboſa de offic., & poteſt Epiſcop. part. 2. alleg. 47.*

6 Proponitur obiectum, & diſſoluitur

Nec obeſſe poteſt ijs, quæ hactenus dicta ſunt, obiectum deſumptum ex verbis diſpenſationis, *ſi contigerit contrahere matrimonium*, quæ verba, cùm ſint conditionalia, videntur ſuſpendere effectum vſque ad conditionis euentum, ſcilicet poſt contractam bigamiam, ſicque diſpenſatio illa non eſt præuentiua, quæ valeat tollere incurſum bigamiæ, ſeù efficere, ne contrahatur, ſed conſecutiua; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià quod apponatur illa particula, quæ videtur conditionalis, eſt ad effectum, vt exprimeretur caſus diſpenſationis. Cæterum de facto Pontifex de præſenti diſpenſat, cum vtatur verbo præſentis temporis, *diſpenſamus*, ſicque diſpenſatio eſt pura, & præuentiua, & hic, & nunc indultum Pontificis quoad efficaciam conſtituit, licet quoad effectum executionis expectet caſum futurum expreſſum in diſpenſatione *Gigas de penſionibus conſ. 22. n. 10. verſ. puto tamen*; ac perindè ſe habet illa diſpenſatio, ac ſi diceretur. *Ita concedimus poſſe frui penſionibus, vt ſi obuenerit caſus bigamiæ hic, & nunc prò tunc eidem derogamus perindè, ac ſi bigamia tunc non fuerit poſita.*

---

§. XIX.

An conceſſa per Pontificem generali facultate diſpenſandi in votis ſine exceptione cenſeatur conceſſa facultas quoad vota caſtitatis, & Religionis.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Rationes ſuadentes poſſe tunc confeſſarios diſpenſare. 2.
Si nulla facta fuerit expreſſio quoad reſeruata, non poteſt confeſſarius diſpenſare ſuper voto caſtitatis perpetuæ. 3.
Non eſt certum, quod in generali conceſſione ſine exceptione veniat facultas diſpenſandi quoad vota peregrinationis reſeruata. 4.
Si in generali conceſſione facta fuerit expreſſio etiam quoad vota caſtitatis probabilius poteſt confeſſarius ſuper illis diſpenſare. num. 5.

DISQVISITIO XIX. In quodam Iubilæo Pontifex indefinitè conceſſit omnibus confeſſarijs ab ordinario approbatis facultatem permutandi vota, aut etiam in illis diſpenſandi; & in tali conceſſione nullum expreſsè excepit. Orta fuit tunc controuerſia, an quilibet ex confeſſarijs approbatis vigore illius conceſſionis indefinitæ potuerit vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis commutare, aut in illis diſpenſare. 1 Facti ſeries exponitur.

Videtur abſolutè affirmandum, potuiſſe tunc confeſsarios illa vota commutare, in illiſque diſpenſare, quià, quantumvis diſpenſationes, vt potè ſtricti iuris ſint reſtringendæ, non ampliandæ, facultas tamen diſpenſandi, vt potè gratioſa, & fauorabilis latiſſimam admittit interpretationem per iura, & rationes, quas, ſeù quas latè ſuprà commendauimus. Accedit, quod, cum hæc facultas procedat à ſupremo Principe, ideſt Pontifice, apud quem reſidet omnis plenitudo poteſtatis, & ſit in ordine ad beneficia populorum; videtur attenta natura, & qualitate gratiæ, quæ meram redolet liberalitatem Pontificis, & fauorem eorum, qui diſpenſatione indigent, non reſtringi ad caſus aliquos in particulari, ſed ad omnes prorogari. 2 Rationes ſuadentes poſse tunc confeſsarios diſpẽſare.

Suarez *de Religione tom. 2. lib. 6. de voto cap. 25., & Sanchez lib. 4 ſummæ c. 40., & libro 8 de matrimon. diſp. 9. n 2.* diſtinguunt, vel etenim Pontifex in illa conceſſione facultatem conceſſit etiam cum expreſſione votorum ſibi reſeruatorum, licet

non expreſſerit votum caſtitatis perpetuæ, & Religionis, & ſic ille *loc. cit n.*5., iſte verò *d. c.* 40. *n.* 17. aſſerunt confeſſarium ex vi illius facultatis poſſe diſpenſare etiam in huiuſmodi votis caſtitatis, & Religionis; vel præcisè in illa conceſſione conceſſit facultatem quoad diſpenſationem ſuper vota nihil exprimendo de reſeruatis, & ſic vterque ſentit confeſſarium ex vi illius conceſſionis, non poſſe ſuper huiuſmodi vota diſpenſare, ille quidem *loc. cit. nu.* 3., iſte verò *d c* 40. *nu.* 15. Rationem prioris partis ex eo deducunt, quià facta illa expreſſione reſeruationis votorum videtur mens Pontificis referri ad quæcunque reſeruata, nec vlla ratio potius reſtringit ad vnum reſeruatum, quam ad alterũ; quinimmò expreſſio illimitata quoad excepta non firmat regulam quoad aliquem caſum in particulari. Rationem ſecundę partis ex eo deſumunt, quià in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſunt ſpecialitèr reſeruata, niſi exprimantur.

3 Nulla facta expreſſione quoad reſeruata confeſſarius non poteſt diſpenſare.

Reſpondeò primo, ſi nulla facta fuerit expreſſio quoad reſeruata ex vi illius conceſſionis generalis, nõ poſſe confeſſarium diſpenſare ſuper vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis *Sotus lib.* 7 *de iuſt q.*4 *art.* 3. *Rodriquez in bullam Cruciatæ* §. 9. *nu.* 124. *Vega* 2. *part. ſumma c.* 126. *caſ.* 104 *Paulus Laiman lib.* 4 *tract.* 4. *c.* 8. *nu.* 7. *Bonacina in decem præcepta diſp* 4 *q.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num* 12. *Baſilius Pontius lib.* 8. *de matrimon. c.* 10. *nu.* 1. *Alphonſus Leo de Iubilæo part.* 2. *q.* 13. *n.* 80. *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuil. ſect.* 2. *c.* 8 *num* 20. Ratio ex eo deducitur, quià in generali conceſſione non veniunt ea, quæ regularitèr in ſimilibus non aſſolent concedi, quin potius conſueuerunt excipi præcipuè, quandò generalis conceſſio non eſt concepta verbis prægnantibus quoquo modo extendentibus voluntatem concedentis etiã ad reſeruata; ſed vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis regularitèr non ſolent concedi, ſed potius in ſimilibus conceſſionibus, & in paribus cauſis conſueuerunt excipi, ergò non veniunt in conceſſione generali Iubilæi, niſi de illis fiat ſpecialis expreſſio.

Rationes pro reſpõſione.

Confirmatur, quià, vbi expreſsè non conſtat de mente Pontificis concedentis, an ſcilicet extendatur ad reſeruata, nec ne, menſuranda res eſt ad normam ſtili curiæ, & eorum, quæ in ſimilibus, vt plurimum accidunt, quæque regularitèr conceduntur, non eorum, quæ non ſolent concedi, niſi in ſpeciali, & non niſi in caſu raro per vulgatiſſima iura, ſed facultas diſpenſandi in votis caſtitatis, & Religionis perpetuæ non niſi rariſſimè, quinimmò ferè nunquam in Iubilæis conſueuit concedi, ergò &c. Confirmatur ſecundo, quià huiuſmodi vota habent ſpecialem ſtrictiſſimam, & antiquiſſimam reſeruationem, & materia, circa quam verſantur, eſt grauiſſima, ergò veriſimile non eſt, quod veniant in conceſſione, quæ regularitèr ſit quoad alia, quorum reſeruatio non eſt ita ſtricta, nec antiqua, nec materia ita grauis eſt.

4 Nõ eſt certum, quod in generali conceſſione tempore Iubilæi ſine exceptione veniat facultas diſpenſandi, quoad vota peregrinationis.

Dices, in generali conceſſione facta pro tempore Iubilæi, facultatis ad commutanda vota, vel ad diſpenſandum in eiſdem nulla facta exceptione venit etiam facultas diſpenſandi quoad tria vota peregrinationis in Hieruſalem, ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobum Compoſtellanum, quantumvis hæc ſint ex reſeruatis, niſi expreſsè excipiantur *Sotus lib.* 7. *de iuſt. q.* 4. *art.* 3. *Rodriquez in bullam cruciatæ* §. 9. *num* 124, *&* 2. *part. ſumma c.* 99. *n.* 1. *Ioannes Malderus de virtutib. tract.* 10. *c.* 5. *dub.* 10. *verſ nota* 3. *Sanchez lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 9. *n.* 2., ergò etiam in huiuſmodi generali conceſſione facta ſine vlla exceptione veniet etiam facultas quoad vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis non obſtante reſeruatione; ſi enim reſeruatio non officit quoad alia reſeruata, nec videtur officere quoad iſta. Sed contra; aſſumptum non ita verum eſt, quin à pluribus etiam magni nominis DD., & præcipuè ab *ipſo met Sanch. citato* pro eodẽ aſſumpto *d. lib.* 8. *diſp* 9 *nu.* 2. negetur, qui, quamvis re vera hoc loco illud approbauerit, retractauit tamen *lib.* 4 *ſumma c.* 40. *num.* 16. Hoc idem negant *Suarez tom.* 2. *de Religione lib.* 6. *de voto c.* 25. *nu.* 4. *Fillitius tract.* 26. *c.* 9. *nu.* 274 *Paulus Laiman lib.* 4. *tract.* 4 *c* 8. *n.* 7. *Bonacina in decem præcepta Decal diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7 § 4. *n.* 12. *Iulius Laurius de Iubilæo part.* 2. *c.* 27. *n.* 6. hocque etiam probabilius, & tutius exiſtimat *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuileg. ſect.* 2. *caſ.* 8. *n.* 22. Deindè dato etiam pro nunc illo aſſumpto non currit paritas quoad vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis, quandòquidem iſta ſtrictiori iure reſeruantur, nec itá facile conceduntur, quinimmò ex conſueto ſtilo, & recepta conſuetudine exigunt ſpeciale mandatum proptèr grauitatem materiæ, & non niſi ex grauioribus cauſis in ipſis ſit relaxatio; in generali autem conceſſione non veniunt ea, quæ ex ſtilo, & conſuetudine exigunt ſpeciale mandatum; ſicuti videre eſt in conceſſione generali abſolutionis quoad peccata reſeruata, in qua etiam non comprehenduntur ſecundum communiorem ſententiam ea, quæ ſimile mandatum exigunt. Huic etiam reſponſioni non modicum fauere poteſt praxis modernorum temporum, ſecundum quam Pontifices concedentes Iubilæa dumtaxat reſeruant vota caſtitatis, & Religionis perpetuæ non exceptis tribus votis peregrinationis, de quibus ſupra, quod

expreſsè

Digitized by Google

expreſsè iudicat relaxationem ab his votis caſtitatis, & Religionis non ità facilè concedi per Romanos Pontifices, adeòq; non venire in generali conſueta conceſſione.

Si facta fuerit expreſſio quoad vota reſeruata poteſt diſpenſari ſuper voto caſtitatis.

4 Reſpondeo ſecundo. Si in conceſſione generali tempore Iubilei facta fuerit indefinitè expreſſio quoad vota reſeruata, probabilius etiam exiſtimo in illa venire vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis. Ità expreſsè ſentit *Suarez lib. 2. de Religione lib.6. de voto Sanchez lib 4. ſumma c 40. nu. 17., Bonacina in decem præcepta diſp. 4. q.2. punct. 7. §.4. nu. 12., Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi priuilegio ſect. 2. caſ. 8. nu. 23.* Ratio ex eo deducitur, quià, ex quo Pontifex facultatē prorogauit etiam ad reſeruata ſine vlla expreſſione, ſeù exceptione ſatis indicauit amplam ſuam voluntatem non reſtrictam ad aliqua tantum in particulari, ergò non eſt, cur non debeat intelligi etiam quoad vota reſeruata caſtitatis, & Religionis perpetuæ; tota etenim ratio, cur nequeant confeſſarij abſoluere, diſpenſare, commutare, eſt intuitu reſeruationis, ergò ſublata reſeruatione, ſeù conceſſa facultate etiam quoad reſeruata non erit, cur non poſſint etiam ſuper illis diſpenſare, ſeù illa commutare. Confirmatur, quià in generalibus conceſſionibus etiam cum expreſſione reſeruatorum, vbi Pontifices caſum aliquem per confeſſarios nolunt relaxari, regularitèr excipiunt à conceſſione, ergò etiam ſi voluiſſent exceptionem à generali conceſſione quoad vota caſtitatis, & Religionis vtiq; expreſsè excepiſſent, ergò, cum non exceperint, & facultatem conceſſerint quoad reſeruata, præſumendum eſt eandem prorogaſſe quoad eadem vota caſtitatis, & Religionis.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices primo, in generali conceſſione non veniunt ea, quæ exigunt ſpeciale mādatum *Auguſtinus Barboſa in axiomat. iuris vſu freq axiom. 106. n.9 in fin. Cardinal. Tuſchus tom. 4. lit. T. concl. 31. per totam,* ſed diſpenſatio quoad vota caſtitatis, & Religionis perpetuæ ex ſtilo curiæ regularitèr non conceditur, niſi per ſpeciale mandatum, cum regularitèr in omnibus conceſſionibus excipiantur, & vt plurimū pro illis ſpeciales literæ expediantur, ergò &c. Sed contra, quia ea, quæ dicuntur in inſtantia, ad ſummum verificantur, quādo conceſſio eſt ad inſtantiam partis, ſecus quando præciſè procedit ex gratia concedentis ſine vlla penitus reſtrictione; tūc etenim generalis diſpoſitio potius ampliatur, quam reſtringatur, *Corn. conſ. 67. n.4. lib.1 Cardin. Tuſcus d. concl. 31. nu. 55.* quod etiam verificatur, quando generalis ſermo reſpicit liberationem vinculi abſolutorij, quia extenditur generalitèr *Baldus conſ. 201. circa fin. verſ. nam cum hoc pactum lib. 2.*, & ratio eſt, quia generalis locutio nihil intactum relinquit, & verba generalia omnia includunt *Crauet. conſ. 134. n.5.*, & generaliter intelligitur de omnibus comprehenſis inter fines, quibus concipitur ipſa conceſſio, cum generaliter comprehendat omnia, quæ ſunt intra fines ſpecificatos *Signor. Hemod. conſil. 60. Magnificus D. in princip.*; termini autem habiles in hac hypotheſi ſufficientèr ſpecificantur per expreſſionem votorum reſeruatorum, ad quæ datur facultas diſpenſandi, quæ etiam, cum fauorabilis ſit, admittit quamcunque extenſionem intra formalem verborum ſignificationem per ſuperius latè commendata; Nec officere poſſunt ea, quæ ſubduntur, diſpenſandi ſcilicet facultatem quoad huiuſmodi vota concedi per ſpeciale mandatum regulariter; Non, inquam, officere poteſt, quia hoc dumtaxat procedit, quando diſpenſatio fit in caſu particulari, & ad inſtantiam partis, quod etiam euenit, quando fit ſpecialiter diſpenſatio in alijs tribus votis peregrinationis; non autem, quando fit per generale indultum, vt in caſu Iubilæi.

Alterius inſtantiæ ſolutio.

Dices ſecundo. Diſpenſationes quoad vota caſtitatis perpetuæ, & Religionis exigere ſpecialiores cauſas, adeoque maiorem peritiam in diſpenſante, ac proindè probabile non eſſe, quod facultatem huiuſmodi voluerit Pontifex indefinitè omnibus confeſſarijs concedere in conceſſione generali ad vota reſeruata. Sed contra, quia veriſſimum eſt, quod diſpenſatio quoad huiuſmodi vota, cum iuris diuini ſint, debeat eſse ex iuſta, & rationabili cauſa, cum etiam Pōtifex non niſi ex tali cauſa diſpenſet; committendo tamen huiuſmodi diſpenſationem etiam in generali conceſſione ad vota reſeruata intelligitur committere ſub ea tacita conditione, ſi iuſta ſubſit cauſa diſpenſationis, & in hoc implicitè videtur grauare conſcientiam diſpenſantis; vnde confeſsarius debet ſuo munere fungi indagando cauſas, ponderando, an ſint iuſtæ, & legitimæ nec ne, & vbi opus fuerit, conſulendo peritiores, & in hoc elucet amplior gratia Pontificis concedentis, quod munus diſpenſationis non reſtringit ad confeſsarium ex approbatis, qui ſit Magiſter in Theologia, vel Doctor canonum, ſicuti conſueuit pro foro conſcientiæ in ſimilibus commiſſionibus ſpecialibus, ſed ad omnes confeſsarios pro tali tempore prorogauerit.

Digitized by Google

§. XX.

An facultas diſpenſandi quoad votum caſtitatis intelligatur etiam quoad votum Religionis.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes poſſe diſpenſari, & facultatem extendi. 2.
Per illam conceſſionem non intelligitur facultas diſpenſandi quoad votum Religionis. num. 3.
Quomodo intelligatur particula etiam. 4.
Conceſſa facultate quoad reſeruatā etiam caſtitatis addendo particulā &c. intelligitur etiam facultas quoad votum Religionis. 5.
Conceſſa facultate diſpenſandi quoad vota reſeruata excepto caſtitatis, vel Religionis in neutro poteſt diſpenſari. 6.

1 Facti ſeries expoſita. DISQVISITIO XX. Pontifex in conceſſione Iubilæi, ſeù in alia generali commiſſione facultatem diſpenſandi in votis in hanc formam expreſſit. *Concedimus confeſſarijs ab ordinario approbatis facultatem diſpenſandi in omnibus votis etiam caſtitatis*, non tamen expreſſit votum Religionis. Hic orta fuit controuerſia, an vigore illius conceſſionis potuerint confeſſarij approbati diſpenſare etiam ſuper voto ſimplici Religionis.

2 Rationes ſuadentes poſſe diſpenſari. Videtur abſolutè dicendum, vtique etiam poſſe ex vi illius facultatis ſuper voto ſimplici Religionis diſpenſare, quandoquidem conceſſio quoad vnum trahitur etiam quoad ſimilia, & æqualia: æquali autem, & æque ſtricto iure reſeruatur votum Religionis, & caſtitatis: vndè *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi priuilegio ſect. 2. caſ. 8. nu. 28.* immeritò aſſerit, quod conceſſis omnibus votis præter peregrinationem Romanam, & Compoſtellam intelligatur cōceſſum Hieroſolimitanum, cum exceptis ſimilibus preſumi debeat & exceptum aliud ſimile, cum ſit eadem ratio, quinimmò grauius ſit quoad quantitatem itineris, ergò viceuerſa conceſſo cum omnibus votis etiam voto caſtitatis intelligi debet conceſſum & votum ſimplex Religionis, cum ſit eadem ratio, eodemq; & ſimili iure hoc reſeruetur. Nihilominus

3 Non intelligitur cōceſſa facultas quoad votum Religionis. Reſpondeo, per illam conceſſionem non intelligi conceſſum votum Religionis *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuilegio ſect. 2. c. 8. nu. 29.*, *Sanchez lib. 4. ſumma c. 40. num. 21.*, *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto c. 25. nu. 8.* Ratio ex eo deducitur, quià, ſi Pontifex voluiſſet concedere etiam votum Religionis, vtique expreſſiſſet, ſicuti expreſſit votū caſtitatis, ergò, cum hoc tantum expreſſerit, & non illud, intelligendus eſt vnum expreſſum conceſſiſſe, non autem alterum non expreſſum; nec valet regula, quod conceſſo æquali intelligatur conceſſum, & alterum coæquale; non valet, inquam, quià gratis omninò dicitur ex conceſſione æqualis argui conceſſionem & alterius æqualis, ſicuti ex conceſſione voti peregrinationis ad limina Apoſtolorum non benè præſumitur conceſſum votum peregrinationis Compoſtellanæ, & Hieroſolimitanæ. Deindè quamvis eodem iure reſeruetur votum caſtitatis, & Religionis, denegari tamen non poteſt, quin votum Religionis ex genere ſuo ſit grauius, cum implicitè etiam inuoluat votum futurum eiuſdem caſtitatis, & vlterius iugum graue ſubiectionis Religioſæ. Sed hæc ratio modicum roboris habet, nam ex ea ſequeretur, quod conceſſo voto Religionis intelligeretur, & conceſſum votum caſtitatis, quod tamen non eſt dicendum, cum poſſet Pontifex velle eximere à iugo Religionis, non à voto caſtitatis. Confirmatur reſponſio, quià eſt quid maius vtrumq; concedere, quam vnum tantum, ergò conceſſo altero non intelligitur conceſſum vtrumq;

Dices particulam, *etiam*, quæ apponitur in conceſſione relatiuè ad votum caſtitatis eſſe implicatiuam, & exprimere caſum magis dubitabilem, & implicare minùs dubitabilem per textum *in l. etiam, ff. de verb. ſignific. l. conuenſiunculas, C. de Epiſcop., & Cler. l. etiam, C. ſi tutor, vel curator, Decius in l. quanquam num. 10., C. de teſtam. milit., Rota apud Farinacium deciſ. 689 nu. 4. in 1. collect. nouiſ., & in recent. deciſ. 222 num. 3., & deciſ. 721. num. 5.*, quod adeò verum eſt, vt procedat, ſiuè materia ſit fauorabilis, ſiuè odioſa, quià eſt dictio implicatiua ad maiora expreſſa etiam in materia ſtricta, & exorbitante *Geminianus conſ. 65. n. 7. verſ. ſed dictio etiam Pariſius conſ. 46 nu. 30. lib. 4., Rota in vna Auxrina bonorum 4 Maij 1602. coram Cardinal Sacrato*, ergò per illam importatur conceſſio in præſenti hypotheſi etiam ad votum Religionis, ſi implicat maiora expreſſis. Sed contra, quià illa particula *Etiam*, eſt quidem ampliatiua eius, ſupra quod cadit comparatiuè ad ea, quæ fuerunt expreſſa, quamvis ſit quid maius illis, non autem alterius, ſupra quod non cadit, cum de illo nihil ſit diſpoſitum, & in hoc ſenſu verificatur, quod ſtet augmentatiuè per textum *in l. 1, C. de teſtib., Riminal. conſ. 246. n. 83. vol. 3. Cardin. Pereira qq. forenſ. conſ. 29. nu. 11.*; augmentatiuè itaquam, 4 Quomodo intelligatur particula *etiam*

Digitized by Google

inquam, quatenus præcedentèr expreſſis addit id, quod de nouo exponitur, & efficit, vt ſub eadem ipſorum diſpoſitione cadat *Natta conſ. 476. nu. 8*, *Staphil. de lit. gratia tit. de sexta forma nu. 3.*, *Ruinus conſ. 86. nu. 4. lib. 1.*, *Galganeſus de condit. & demonſt. part. 2. c. 1. q. 12. nu. 6.*; non autem copulando aliud, de quo in tali oratione nihil eſt diſpoſitum. Adde, quod, cum illa dictio *etiam* in præſenti hypotheſi addat quid magis, ac regularitèr ſoleat concedi, non ſit præſumendum, quod vltrà id, quod præter conſuetum conceditur protrahat conceſſionem ad vlteriora, quæ non exprimuntur.

Facile tamen hic non acquieſcerem aliquorum dicto, qui aſſerunt, quod, quantumuis in conceſsione diceretur. *Concedimus vota reſeruata etiam caſtitatis* addẽdo particulam &c. non concederetur facultas diſpenſandi ſuper voto Religionis, prout ſentire videtur *Sanchez lib 4. ſumma c. 40. n 21.*, cum aſſerat præcedentem rationem hoc etiam euincere non obſtante illa particula &c. Non, inquam, libenter acquieſcerem, quià illa particula &c. debet referri ad aliquod, quod non fuerit in præcedentibus expreſſum, & aliquod operari ſupra expreſſa; cum autem ad aliud referri non poſsit, niſi ad votum Religionis, cum cætera omnia in præcedentibus fuerint expreſsè appoſita, vtique ad illud referri cenſendum eſt, ne illa dictio ſit mẽdoſa, & inutilis, & aliquem effectum operetur. Accedit, quod illa dictio ſpecialiter apponitur voto caſtitatis, quod eſt ſpecialiori iure reſeruatum, & propterea cõceſſionem prorogat quoad ea, quæ eodem iure reſeruantur, cuiuſmodi eſt votum Religionis, nam hoc ſolum in illa hypotheſi eſt illud, quod indigere poteſt diſpenſatione.

5 Conceſſa facultate quoad vota reſeruata etiam caſtitatis addita particula &c. venit etiã votum Religionis.

Ex quibus omnibus poteris deducere, quid dicendum ſit, ſi Pontifex conceſſionem conciperet ſub hac forma *Concedimus omnia vota excepto voto caſtitatis, vel Religionis*, an ſcilicet in ea hypotheſi poſſit commiſſarius in neutro diſpenſare, vel in altero tantum? Videtur abſolutè dicendum poſſe in altero ex illis diſpenſare ex vi illius conceſſionis, non in vtroque, quãdoquidem illa dictio ſtat diſiunctiuè *l. ſi ex toto § 1 ff. de legat. 1. l. ille aut ille in princip. ff. de legat. 3 l. Titio ff. de legat. 2. Rolandus à Valle conſ. 99. nu 56. tom. 4. de acq. poſſeſ. in princip.* adeoque vni, vel alteri tantum ex expreſſis videtur ſolummodò poſſe applicari, non vtrique ſimul. Nihilominus probabilius crederem, commiſſarium in ea hypotheſi ſuper neutro poſſe diſpenſare. Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi exceptio ex præſumpta Pontificis mente refertur ad vtrumque votum, nec eſt aliqua ratio, cur potius pro vno militet, quam pro altero; vndè ſenſus eſt, quod fiat exceptio quoad huiuſmodi votum, ſiuè ſit Religionis, ſiuè ſit caſtitatis, prout in ſimilibus explicant *Baldus conſ 45. & 450. lib. 5. Romanus conſ 186. num. 7. in fine Flamin Pariſ. de confident. benef. q. 32 n. 40.* dum dicunt dictionem illam eſſe alternatiuam, quæ idem importat, quod ſeu, aut ſiuè; quin immo in ſimilibus contendunt aliqui, nec immerito, iſtam particulam ſtare expoſitiuè perindè, ac ſi, ſonet idem, ac ideſt, *Pariſius conſ. 110. n. 18. vol. 3 Iacobatius de concil. lib. 3. art. 1. n. 110. Mandoſius in gloſ. facult § & proprium in verb.* aut *in fin. pag 323.* vbi ſcilicet hanc dictionem accipi pro *ſicut*, & quod eſt congruè in præſenti hypotheſi ſumitur hæc explicatio, quià, cum verſemur in ſpecialiter, ſeu ſpecialiori iure æquè reſeruatis, non eſt præſumendum Pontificem vnum voluiſſe concedere altero denegato, ſed vtrumque excepiſſe à generali conceſſione, & hoc expoſitiuè expreſſiſſe per illam particulam, *aut*

Conceſſa facultate excepto voto caſtitatis, vel Religionis in neutro poteſt diſpenſari.

§. XXI.

An conceſſa facultate quoad omnia vota reſeruata excepto voto triplicis peregrinationis intelligatur conceſſum votum caſtitatis, & Religionis.

SVMMARIVM:

Factum elucidatur in terminis particularibus. 1.
Rationes ſuadentes intelligi conceſſum votum caſtitatis, & Religionis. 2.
Rationes ſuadentes non intelligi conceſſum 3.
Præfertur ſententia aſſerens intelligi conceſſum. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

DISQVISITIO XXI. Occaſione cuiuſdam Iubilæi Pontifex confeſſarijs approbatis ab ordinario conceſſit facultatem diſpenſandi ſuper omnia vota in hanc formam. *Concedimus omnia vota reſeruata exceptis votis triplicis peregrinationis Romana ſcilicet, Compoſtellana, & Hieroſolimitana.* Controuerſum hic fuit, an ex vi illius conceſſionis generalis ſuper omnia reſeruata exceptis præcisè illis tribus potuerint Confeſſarij approbati ſuper voto caſtitatis, & Religionis diſpenſare? 1

1 Facti ſeries expoſita.

Ex vno capite vtique videntur potuiſſe abſolutè diſpenſare, quandoquidem illa conceſſio quoad reſeruata debet aliquid operari, ne reddatur priuilegium omnino inutile, mendoſum, & ſine vllo prorſus effectu per textum *in l. 3. in princip. ff. de iur.* 2

2 Rationes ſuadentes intelligi conceſſum votum caſtitatis, & Religionis

iur. iur. l. ſi quando 109. *ff. de leg.* 1., *c ſi Papa in fin. de priuileg. lib.* 6. *c.* 1. *in Iudice de appel. item in* 6. *Felinus in cap. qualiter, & quando n.* 25. *de accuſ.*, nihil autem operaretur, niſi porrigeretur ad vota caſtitatis, & Religionis; quandoquidem vota reſeruata non ſunt, niſi illa quinque caſtitatis, & Religionis, & illius triplicis peregrinationis; cum igitur hæc tria expreſsè excipiantur à generali illa conceſſione, ſi facultas non extenderetur ad prima in ordine ad reſeruata nullam penitus vim haberet, ſicque eſſet mendoſa, & inutilis, atque ſic ſentire videntur *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuileg. ſect.* 2. *caſ.* 8. *n.* 30. *Sanchez lib.* 4. *ſumma c* 40. *n.* 10. *Suarez tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto c.* 25 *n.* 8.

Ex alio capite videtur abſolutè dicendum, quod reſeruatis votis triplicis pere-

3 Rationes ſuadentes non intelligi conceſſum.

grinationis intelligantur etiam reſeruata vota caſtitatis, & Religionis, quià negato id, quod minus eſt, ſubintelligitur negatum, quod maius eſt. Accedit primò, quod regula illa, qua dicitur, quod exceptio firmat regulam in contrarium intelligatur quoad caſus minores, & æquales, non autẽ quoad maiores, & diſſimiles, ergo exceptio, quod non poſsint diſpenſare in votis triplicis peregrinationis, non efficit, quod poſsint diſpenſare in votis caſtitatis, & Religionis, quandoquidem hæc maiora ſunt, & diſſimilia, & quidem quod exceptio firmat regulã ſolummodò quo ad caſus minores, & æquales, non quoad maiores, & diſſimiles expreſsè docent *Coaruuias var. reſol lib* 2. *c.* 5. *n.* 7. *Sotus lib.* 7. *de iuſt quæſt* 4 *art.* 2. *in fine corporis. Suarez d tom* 2 *de Religione lib.* 6 *c.* 25 *n* 7. *Sanchez lib* 4 *ſumma c.* 40. *n.* 20. *Bonacina in decem precept diſp.* 4 *q.* 2 *punct.* 7. §. 4 *n* 13. *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil priuil. ſect.* 2. *caſ* 8 *n.* 27. Accedit ſecundo, quod conceſſis minoribus non ideò intelligũtur cõceſſa maiora, ergo exceptis minoribus à fortiori intelligantur maiora excepta. Conſequentia probatur, quià, ſi in conceſſionibus, quæ ſunt fauorabiles, non fit extenſio ad derogandum maioribus, à fortiori in exceptionibus, quæ ſunt limitatiuæ conceſſionis, non videtur eiſdem maioribus denegari? Quid igitur concludendum?

Reſpondeo, probabilius eſſe in data hypotheſi poſſe ſuper voto caſtitatis, & Re-

4 Præfertur ſententia aſſerens intelligi conceſſum.

ligionis diſpenſari. Ita DD. præallegati pro prima parte dubitandi, & rationes pro ea adductæ hoc efficacitèr ſuadent, & efficacius ex eo deducitur, quia, ne priuilegium Principis reddatur fruſtraneum, verba priuilegij ſunt potius in impropriam ſignificationem deflectenda, quam quolibet effectu carere debeant; ſic ſuperius diximus, quod, quamuis gratia Principis conceſsa filijs alicuius ſecundum ſe non trahatur ad adoptiuos, nihilominus non exiſtentibus legitimis, & naturalibus, ne reddatur vacua ad eoſdem adoptiuos adaptetur, ergo à fortiori, quando alitèr operari non poteſt, trahi poterit ad propriam verborum ſignificationem, quando ſcilicet verba ipſa adaptari poſſunt caſui, de quo agitur. Quis autem non videt votum caſtitatis, ſeu Religionis contineri intra propriam ſignificationem votorum reſeruatorum?

Ad ea, quæ dicebantur pro ſecunda parte dubitandi, dicendum eſt, ea omnia 5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

procedere dumtaxat in caſu, quo priuilegium ſaltem in modico poſſet ſortiri effectu, quia tunc mens concedentis dirigi præſumenda eſſet ad caſum, quo poſſet operari, quantumuis in modico, nec tunc priuilegium eſſet mendoſum, & inutile; non quando priuilegium, niſi extenderetur ad maiora, redderetur ſuperfluum, quià tunc, ne ſit fruſtranea mens concedentis, ad ea debet prorogari; vt euinci poteſt exemplo adducto de priuilegio conceſſo filijs alicuius, quod, quamuis ſecundum ſe intelligatur ſolummodò de naturalibus, & legitimis, ſi tamen in his ſortiri non poſſet effectum, eo quià nec extent, nec poſſibiles ſint, trahitur ad adoptiuos.

---

§. XXII.

An vota caſtitatis, & Religionis ita ſint reſeruata Pontifici, vt ſine ipſius auctoritate, ſeù commiſſione nequeant in melius commutari.

SVMMARIVM.

Controuerſia in varijs caſibus exponitur. 1.
Sententia negans poſſe commutari in melius. num. 2.
Sententia affirmans poſſe commutari. 3.
Omnia vota ex illis quinque reſeruatis Pontifici poſſunt commutari in profeſſionem ſolemnem Religionis. 4.
Stante moderno iure poteſt mutari votum peregrinationis Hieroſolymitanæ in votum peregrinationis Romanæ. 5.
Votum peregrinationis Compoſtellanæ poteſt commutari in Romanam. 6.
Votum caſtitatis poteſt mutari in votum Religionis, non è contra. 7.
Votum emiſſum à magno Principe de redemptione terræ ſanctæ à poteſtate Saracenorum probabilius non poteſt commutari in profeſſionem Religioſam. 8.

Dis-

1 Controuerſia in varijs caſibus expoſita.

DISQVISITIO XXII. Titius emiſit votum peregrinationis, vel Romanæ, vel Compoſtellanæ, vel Hieroſolymitanæ. Rurſus Caius aliud votum caſtitatis perpetuæ elicuit; Fabius autem Religionis. Porrò magnus aliquis, & præpotens Princeps vouit omnibus ſuis viribus redimere terram ſanctam à Saracenorum captiuitate. Hic orta eſt difficultas, an Titius votum illud peregrinationis ſine Pontificis auctoritate, ſed per ſe ipſum, vel media ſolum auctoritate confeſſarij poſſit commutare in votum caſtitatis, vel Religionis; item, an Caius votum caſtitatis poſſit ſic in votum Religionis commutare, Fabius votum Religionis in votum ſubſidij præſtandi ad redemptionem terræ ſanctæ. Tandem, an Princeps votum illud redemptionis Ieruſalem poſſit commutare in profeſſionem Religioſam.

Tota hæc controuerſia in omnibus his caſibus propoſita ad illud vnicum caput reducitur, an quis vota reſeruata Pontifici poſſit, vel per ſe ipſum, vel per Prælatum, aut confeſſarium habentem quidem facultatem circa vota, non tamen circa reſeruata Pontifici, commutare in melius, circa quam difficultatem diuiſos inuenio DD., qui tamen in hoc vno conueniunt, quod poſſint cætera omnia vota, quantumvis Pontifici reſeruata reſolui, & commutari in ſolemnem Religionis profeſſionem.

2 Sententia negãs poſſe commutari in melius.

Negant quoad reliqua omnia *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 40 dub. 13. nu. 104. in fine, Suarez tom. 2. de Religione lib 6. de voto c. 21. num. 17. Alphonſus Leo de Iubil part. 2 q. 13. num. 82.*, qui ea ratione generali mouentur, quià huiuſmodi vota dicuntur reſeruata Pontifici, adeoque ad eundem eorum commutatio pertinere videtur, nec hæc reſeruatio in ordine ad commutationem in melius dici poteſt aduerſari bonis moribus eo, quià impediat maiorem honeſtatem, quæ proueniret ex meliori bono; non, inquam, aduerſari poteſt, quià per illam reſeruationem non impedit melius bonum, ſed tantum præſcribit modum, quo debeat fieri talis commutatio, nempe per auctoritatem Pontificis, ſicuti ſuperior per reſeruationem quoad peccata non impedit melius bonum frequentis confeſſionis, ſed tantum præſcribit modum, quo licitè fieri poſſit talis confeſſio, nempe per abſolutionem obtentam ab eodem ſuperiore.

3 Sententia affirmans poſſe commutari.

Affirmant verò abſolutè quoad reliqua *Petrus Arragonius 2. 2. q. 8. art. 12. dicto 3. in corrolario, Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 6. punct. 7. verſ. hac ipſa ratione, Ioannes Malderus tract. 10 c. 5. dub. 11. verſ. dicto tertio.* Rationem ex eo deducunt, quià intantum Pontifex huiuſmodi vota ſibi reſeruat, eorumque commutationem, in quantum ius Deo quæſitum non vult demi per quamcunque auctoritatem, nec mutari, niſi in melius, ipſeque in dubio conſtituitur à Deo, vt Iudex ad declarandum, an illud bonum, in quo fieri intenditur commutatio, ſit melius, nec ne, ergò, cum ex ſe certo, & euidentèr conſtet bonum illud longè eſſe melius, non erit neceſſaria auctoritas Pontificis ad illam commutationem, ſed poterit, vel per ſe ipſum, vel per Prælatum proprium commutari. Confirmatur, quià reſeruatio eſt, ne per propriam auctoritatem, vel Prælati inferioris inferatur præiudicium iuri Deo quæſito, ſed quandò bonum, in quod fieri debet commutatio, eſt certò, & euidentèr melius, & Deo gratius, non poteſt Deo præiudicium inferri, ergò non intelligitur reſeruatio. Quod igitur in hac controuerſia concludendum?

Reſpondeo primo, omnia vota ex illis quinque reſeruatis Romano Pontifici poſſunt abſque auctoritate eiuſdem in profeſſionem ſolemnem Religionis commutari. Ita vltra DD. omnes citatos pro ſententia affirmatiua *Silueſter verb. votum 4. q. 7 verſ. 3. Sanchez lib. 4 ſumma c. 52. num. 4. Filliutius tom. 2 tract. 26. c. 10. n. 282. Ioannes Angelus Boſſius de tripl Iubilæi priuilegio ſect. 2. caſ. 8. n. 36 Nauarrus c 12. num. 78.* Expreſsè deducitur hæc reſponſio ex textu *in c. ſcriptura de voto, & voti redempt.*, vbi ſic legitur. *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obligationem commutare*, & vlterius ratione ſic euincitur, quià talis eſt ſtatus Religionis, vt alteri cuicunque regularitèr præferatur, & proptèr ipſum vincula plura, quantumvis ſtricta diſſoluantur, quæ proptèr alia non diſſoluerentur; ſic intèr cætera matrimonium ratum, quod cæteroqui indiſſolubile eſt, & habet rationem ſacramenti per ipſam ſolemnem profeſſionem diſſoluitur, ergò à fortiori propriâ auctoritate poterunt diſſolui cætera vota, quantumvis reſeruata per ipſam ſolemnem profeſſionem in Religione approbata emiſſam. Conſequentia probatur, quià fortius eſt vinculum, quod conſurgit ex matrimonio rato, & legitimo, quam ſit votum peregrinationis, quod euincitur, tum ex eo, quod illud eſt Sacramentum, cuius ſpeciale bonum eſt indiſſolubilitas; tum ex eo, quod facilius Pontifices in his diſpenſant, quam in iſto, cum non niſi ex grauiſſima cauſa beneficium diſpenſationis præſtent in matrimonio rato. Confirmatur, quià talis commutatio cæterorum votorum in ſolemnem profeſſionem in Religione fit auctoritate iuris ſic diſponentis *in d. c. ſcriptura de voto, & voti redempt.*, ergò non indiget alia auctoritate, vt validè fiat.

4 Omnia vota poſſunt commutari in profeſſionem ſolemnem Religionis

Ref-

Digitized by Google

4 Votum peregrinationis poteſt commutari in votũ caſtitatis, vel Religionis.

Reſpondeo ſecundo, probabilius eſſe Titium poſſe ſine auctoritate Pontificis, ſed propria, vel proprij Prælati, vel Confeſſarij habentis facultatem commutandi vota non reſeruata vota peregrinationis commutare in votum caſtitatis, vel Religionis. Ita ſuſtinent DD. omnes præallegati pro ſententia affirmatiua, & vlterius *Sairus lib. 6. Clauis c. 12. n. 14. Ioannes Malderus tract. 10. c 5. dub 11. verſ. dicto tertio, D. Thomas 2.2. q. 88. art. 12. Fernandez in ſuo examin. Theol. mor. part. 1. c. 6. §. 11. n. 2.* Pro cuius reſponſionis clariori notitia aduerte votum caſtitatis perpetuæ, & Religionis ex genere ſuo ſtrictius eſſe, & perfectius, quam ſint vota illa peregrinationis, quod ex multis colligitur, primo ex maiori difficultate, quam habet Pontifex in diſpenſatione illius, quam in diſpenſatione iſtorum, cum in Iubilæis crebrò facultatem concedant quoad iſta, nunquam, vel vix quoad illa, & facultas quoad votum caſtitatis, & Religionis, vbi non eſt exceptio, trahit ſecum facultatem quoad vota peregrinationum, cum illa ſit in ordine ad maiora, non ſic facultas quoad iſta trahit facultatem quoad illa, cum fiat comparatio minoris ad maius. Secundò, quià per votum caſtitatis, & Religionis obligatur vouens Deo, & quoad potentiam, & quoad actus ſui corporis, vt ſcilicet illæſum ſeruetur à quocunque concubitu carnali, quod eſt quid perfectius, quam ſe obligare præcisè ad iter in honorem eiuſdem Dei; vnde merito dicitur Prouerb. 16. *Omnis ponderatio non eſt digna animo continenti.* Quo ſuppoſito ſic argumentor; Deus, qui ex voto ius acquiſiuit, non præſumitur rationabilitèr inuitus, quod quis propria auctoritate pro re minus æſtimabili, & minus ſecundùm ſe grata conferat aliquod ex obiecto æſtimabilius, & per ſe gratius, nec ad hoc exigit alicuius ſuperioris miniſterium, ergò, cum ex præactis votum caſtitatis, & Religionis perpetuæ ſit ſecundum ſe quid æſtimabilius, & ex genere ſuo gratius, quam ſit votum peregrinationis, poterit iſtud iuxtà rationabilitèr præſumptam Dei voluntatem in illud licitè commutari. Antecedens patet, quià ex genere ſuo debitum ſoluitur per quid æſtimabilius ipſi debito; Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod inuito creditore vnum pro altero nequeat ſolui, vt ſunt vulgatiſſima iura, adeoque, quod nequeat fieri talis commutatio ſine ſuperioris legitimi auctoritate, qui habeat declarare mentem Dei acceptantis talem commutationem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià nulla poteſt eſſe præſumptio, quod Deus poſſit eſſe inuitus de illa commutatione, cum ei ex genere ſuo gratius donum offeratur, nec Deus mouetur, ſicuti homines potius ex propenſione ad vnum, quam ad alterum, ſed ex obiecto ſecundum ſe, quod, ſi fuerit perfectius, facilius acceptatur; nec exigit ſuperioris miniſterium ad declarandam ſuam voluntatem, niſi quandò dubium eſt, quod obiectum, quod offertur pro alio prius promiſſo ſit magis, vel æquè bonum, nec ne? Cæterum, quandò euidentèr conſtat de maiori bonitate non eſt neceſſarium tale miniſterium, cum ex genere ſuo gratius, & æſtimabilius maiori cum facilitate acceptetur.

9 Stante moderno iure poteſt obligatus voto peregrinationis Hieroſolymitanæ illud commutare in votum peregrinationis Romanæ.

Reſpondeo tertio. Stante moderno iure Titius obligatus voto peregrinationis Hieroſolymitanæ poteſt ex ſe illud commutare in votum peregrinationis Romanæ, vel Compoſtellanæ. Non moueor præcisè ea ratione, qua mouentur *Panormitanus, & Gloſa in c. ex multa de Voto Fumus verb. Diſpenſatio, Tabieno eod. verb. n. 11., Angles de voto art. 8 difficul 9., Burgaſius de irregul. part. 6. de voto nu. 82., Graffius lib. 2. deciſ. aur. c. 31 num. 21*, qui diſtinguentes, quandò huiuſmodi votum fuit emiſſum ſolum cauſa deuotionis ad viſitanda illa loca ſancta, cum reuerentia, & deuotione, ac quandò fuit emiſſum ad debellandum infideles, & liberandum glorioſum Chriſti ſepulchrum ab eorum impietate aſſerunt, quandò iuxtà primum ſenſum eſt emiſſum non eſſe reſeruatum Romano Pontifici, benè tamen, quandò eſt elicitum iuxtà ſecundum ſenſum. Non moueor, inquam, quià longè probabilius eſt, quod vtroque modo, & ex vtroque fine emiſſum ſit Pontifici reſeruatum, prout docent *Silueſter verb votum num. 3. verſ. quartum, Rodriquez in bullam Cruciatæ §. 9. nu. 124., & 2 part. ſummæ c. 99. num. 1., & ex noſtris, Homobonus 3. part. examin. tract. 13. c. 11. p 124 Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil priuileg. ſect. 2. caſ. 8 num. 10.* Moueor igitur, quià, quandò emiſſum eſt ſolius deuotionis cauſa, non poteſt vouens illud exequi ſine Papæ licentia ſub pena excommunicationis latæ ſententiæ eidem Papæ reſeruatæ, prout teſtantur *D. Antoninus 3. part. tit. 24. c. 30. in fine Suarez de cenſuris diſp. 22. ſect. 6. nu 6., Sanchez lib 4. ſumma c. 23. nu. 9.* Quo poſito ſic ad rem noſtram argumentor. Votum non exequibile, niſi per Pontificis diſpenſationem, non eſt votum certo obligatorium, ſed tantum dependentèr ab euentu futuræ conditionis, ſcilicet conceſſionis Pontificiæ; Sed votum non certo obligatorium, ſed pendens à futuro euentu voluntatis ab altero dependentis eſt commutabile cum alio voto certo in eodem genere, cum incertum in ſuo genere poſſit cum certo in eodem mutari; quinimmò ex eo, quod ipſius executio pendeat à voluntate Principis in multorum ſententia, habetur,

&

Digitized by Google

& reputatur pro impoſſibili per textum in *l. continuus 137. §. cum quis, ff. de verb. oblig., & l. inter ſtipulantem §. ſacrum, ff. de verb. oblig.* Confirmatur, quia votum illud peregrinationis Hieroſolymitanę intelligitur emiſſum ſub tacita conditione, ſi Pontifici placuerit, ſeu facultatem conceſſerit, ſed votum conditionale pendente adhuc conditione poteſt diſſolui, & mutari, ſiquidem ante illam, nullam penitus vim habet, ergò &c.

6 **Votum peregrinationis Compoſtellanę poteſt mutari in Romanam.**

Reſpondeo quartò. Si Titius vouerit peregrinationem Compoſtellanam intercedente legitima cauſa poteſt ex ſe, vel auctoritate proprij prælati, vel confeſſarij habentis facultatem quoad vota non reſeruata votum illud commutare in peregrinationem Romanam, vel è contra peregrinationem Romanam in Compoſtellanam. Ità ſuſtinere tenentur quotquot ſuſtinent poſſe commutari votum in æquale propria auctoritate vouentis, *Arragonnius in 2. 2. D. Thomæ q. 88. art. 12. dub. 1. dicto 3. Bonacina tract. de legibus diſp. 492. punct. 7. § 3. num. 8. Fernandez in ſuo examine Theol. mor. part. 1. c. 6. §. 11. nu. 2.* hancque etiam probabilem exiſtimat *Suarez de Religione tom. 2. lib. 6. cap. 19. num. 4. in initio*, quamuis contrariæ ſententiæ præcedentèr adhæſerit, tanquam probabiliori. Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi vota ad inuicem comparata computantur æqualia, ad eundem finem ordinantur, æquè ſtricto iure reſeruantur, & in eodem ordine conſtituuntur, ergò non eſt, cur ad inuicem non poſſint commutari, cum per talem commutationem non violetur ius Deo, ſed eidem æquale in eodem ordine deferatur, vbi autem ſeruatur æqualitas ſecundum ſe patens non videtur exigi miniſterium Pontificis, vt determinet, quid Deo ſit acceptius; æquale autem euidentèr eſt æquè acceptabile; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod grauius vnum, vel alterum eſſe poteſt comparatiuè ad loca, in quibus huiuſmodi vota emittuntur, quandòquidem contingere poteſt, vt qui emiſit votum Compoſtellanum diu diſtet Compoſtella, & modicum Roma; & qui emiſit votum peregrinationis Romanæ diu diſtet Roma, & parum Compoſtella, & ſic non mutare in æquale, ſed in longè inferius; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià cum ratio finalis, ob quam emiſſum eſt illud votum ſit cultus Dei, & veneratio Sanctorum, ad quam ordinatur illud votum, videtur materialitèr omninò ſe habere, quod iter ſit maius, vel minus, cum ſolum intendatur id, quod habet rationem finis. Si tamen ſupponas vouentem non ſolum habere pro fine cultum, & honorem Dei, & Sanctorum, ſed etiam pœnitentiam, & carnis macerationem in diutino illo itinere, tunc non renuerem aſſerere, quod, ſi ſit conſiderabilis differentia in itinere, adeovt diutinum commutetur in modicum, non poſſit propria auctoritate fieri, quià non tantum conferretur Deo, quantum eidem fuit per primum votum promiſſum.

7 **Votum caſtitatis poteſt mutari in votum Religionis, non è contra.**

Reſpondeo quinto. Si Titius vouerit caſtitatem perpetuam poteſt illam propria auctoritate commutare in votum Religionis, non è contra. In hanc etiam reſponſionem propendere videntur quotquot ſuſtinent poſſe votum mutari in melius, vel æquale propria auctoritate, non autem in deterius. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià votum Religionis ex genere ſuo eſt ſtrictius, & ad plura obligat, quam votum ſimplex caſtitatis, ergò hoc in illud poterit commutari ex generali regula, quod vota reſeruata poſſint in melius commutari, cum illud, in quod commutantur, ſint Deo acceptabiliora, & gratiora. Antecedens probatur, quià votum Religionis præter implicitum ordinem, quem habet ad caſtitatem, dicit etiam onus graue ſubeundum ex vi illius ſubiectionis perpetuæ &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod poſito præcisè voto Religionis non intelligatur vouens ante executionem voti alligatus voto caſtitatis, vndè ſi antecedentèr fornicationem commiſerit, vel ante profeſſionem non conſtituitur reus fracti voti, nec ſacrilegij, adeoque ex hoc capite non videtur votum Religionis ſtrictius voto caſtitatis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià dato etiam, quod hic, & nunc facta illa commutatione votum caſtitatis non obliget, adeòut, ſi actus fornicationis interim committatur, non contrahatur ſpecialis malitia ſacrilegij, quod multi negant, aſſerentes ex vi voti Religionis, in quod commutatum eſt illud caſtitatis, obligari etiam ad caſtitatem, & per violationem illius committi ſacrilegium etiam antecedentèr ad profeſſionem; hoc etiam, inquam, dato, adhuc eſſet mutatio in melius, ſeu ſaltem æquale; nam ex vno capite ex vi illius voti Religionis, in quod facta eſt illa commutatio caſtitatis, obligatur ad non contrahendum matrimonium, & ex alio ex præcepto diuino ab actibus fornicationis prohibetur, quinimmò in ordine ad hos actus in multorum ſententia non poteſt eſſe votum in rigore, cum nequeat eſſe de re præcepta; ſtante igitur tali onere non contrahendi matrimonium, & abſtinendi ab actibus fornicarijs melius eſt, & Deo gratius ſubijci oneri perpetuæ ſubiectionis Religioſæ, quam præcisè ſubijci voto caſtitatis, quandòquidem hoc, quantum eſt in ordine ad vitandas nuptias in illo inuoluitur, & quantum ad abſtinen-

Digitized by Google

dum ab actibus fornicarijs ſub alio iure continetur, & ſic præter hoc ius Deo acquiritur ius ad perpetuam ſubiectionem vouentis Religionem; & hæc obligatio ad Religionem, cum oneribus eiuſdem præponderat illi defectui, ſi in quo eſt, caſtitatis ſub formali, & expreſſa ratione eiuſdem, maximè cum onus caſtitatis ſub alia ratione, & titulo adhuc vigeat.

8 Votum à magno Principe emiſſum de redemptione terræ Sanctæ nõ poteſt mutari in profeſſionem Religioſã.

Reſpondeo ſextò, votum emiſſum à magno Principe de redemptione terræ Sanctæ à poteſtate Saracenorum probabilius propria auctoritate non poteſt cõmutari in Religionis profeſſionem *Sairus lib 6. clauis c 12 nu. 14. Angelus verb. votum 4. quæſtio 2.* aduerſus *Ioannem Angelum Boſſium de tripl Iubilæi priuileg ſect. 2. caſ. 8. n. 36. in fine*. Ratio ex eo deducitur, quià illud votum redemptionis Ieruſalem præponderat profeſſioni in Religione, cum maiorem Chriſti nominis gloriam præferat, & ordinetur ad extinguendum dedecus Chriſtianorum, qui maximè vilipenduntur in ſacris locis, in quibus eorum redemptio per effuſionem ſanguinis Chriſti Domini operata eſt; quinimmo quandoque Pontifices in ordine ad ſimiles cauſas iam in Religione legitimè profeſſis facultatem tribuunt exeundi, & aduerſus huiuſmodi nefarios Chriſtiani nominis hoſtes pugnandi; quod ſignum euidens eſt huiuſmodi opera in ordine ad bonum commune præponderare operibus Religionis, adeoque votum talis Religionis maximè in præpotente perfectius in hoc eſſe, & magis attendendum. Neque ob eſſe poteſt, quod textus *in d. c. ſcriptura de voto, & voti redempt.* loquatur generaliter, quod ſcilicet quodcunque votum poſſit reſolui in ſolemnem Religionis profeſſionem, qui propterea etiam ſit intelligendus de hoc voto redemptionis Ieruſalem in magno Principe, & præpotente; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià ibi fit comparatio conſuetorum votorum, quæ relata ad ſolemnem profeſſionem minora intelliguntur, & minorem præſeferunt vtilitatem tum in ordine ad ipſum vouentem, tum in ordine ad bonum publicum; hoc autem agitur de voto inſueto, quod in maiorem redolet vtilitatem, adeoque &c.

§. XXIII.

An diſpenſatio ſuper voto, vel ex obliuione, vel ex alia cauſa non petita tempore Iubilæi poſſit peti tranſacto Iubilæo.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Non adimpletis operibus iniunctis nequit quis tranſacto Iubilæo ſuper votis diſpenſari. 2.
Sententia negans etiam quando opera ſunt adimpleta poſſe diſpenſari. 3.
Probabilius etiam elapſo Iubilæo poteſt diſpenſari. 4.
Satisfit rationibus oppoſitis. 5.

DISQVISITIO XXIII. Pro tempore Iubilæi conceſſa fuerat facultas confeſſarijs à quocunque ordinario approbatis diſpenſandi, vel ſuper irregularitate ex quocunque delicto, alijſque votis quantumuis Romano Pontifici reſeruatis. Titius, vel irregularitate ex homicidio tenebatur, vel aliquo voto reſeruato. Adimpleuit omnia onera iniuncta in Iubilæo, & ſupponitur Iubilæum acquiſiuiſſe; nec tamen in illo petijt, vel ex obliuione, vel ex aliqua alia cauſa diſpenſationem ſuper irregularitate, vel voto reſeruato. Quæſitum hic fuit, an tranſacto Iubilæo, ſeu tempore Iubilæi etiam poſt multos annos poſſit vigore illius diſpenſari ſuper illa irregularitate, ſeu ſuper illo voto. 1 Exponitur facti ſeries.

Dixi in facta ſerie, *& ſupponitur Iubilæum acquiſiuiſſe*, cum opere ad illud conſequendum iniuncta elicuerit, nam quando iniuncta non præſtitit neque lucratus eſt Iubilæum, quantumuis *Homobonus de Bonis de caſib. reſeru. part. 1. c. 5. obſeruat. 5. §. erat autem, & Alphonſus Leo de Iubil. part. 2. num. 203. in fine, & alij apud eoſdem* ſuſtineant etiam tranſacto tempore Iubilæi poſſe ſuper irregularitate illiſque votis oblatis poſſe diſpenſatio per quemcunque confeſſarium approbatum; probabilior tamen, & communior tantum docet vota oblita irregularitatem, quæ ſaltem generaliter non fuerunt commutata pro tempore Iubilæi, ſeu diſpenſata non poſſe eodem tranſacto ex vi eiuſdem Iubilæi diſpenſari *Sanchez lib. 4. ſumma c. 54. nu. 52. Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuil. ſect. 2. caſ. 40. n. 2.*, quibus adhærere videntur *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. c. 16. nu. 15. in fin. Sanctarellus c. 8. dub. 13. verſ. inolere*; nec incongruæ rationi hæc communior ſententia innititur; quandoquidem nec tempore Iubilæi ſublata ſunt per diſpenſationem, nec ſpecialem, nec generalem, 2 Non adimpletis operibus iniũctis nequit quis elapſo Iubileo ſuper voto diſpenſari.

Digitized by Google

lem, vt ſupponitur, nec amplius remanet in confeſſario facultas ſuper illo diſpenſando, cum ratio propter, quam talis facultas conceſſa eſt non ſubſiſtat, cum hæc ſit Iubilæum, quod verè non obtentum ſupponitur ob non implementum operum; quod ſi aſſeras, quod neque hac ratione ſubſiſteret diſpenſatio ſpeciatim poſita ſuper voto expreſſo, ſeu irregularitate pro tempore Iubilæi, quandòquidem facultas eſt per ordinem ad Iubilæum, quod ſi ex defectu executionis operum iniunctorum non obtineatur non præſtat vim, vt gaudere quis poſſet effectu diſpenſationis, quod tamen non videtur aſſeri à patronis huius noſtræ reſponſionis, dum aſſerunt non poſſe elapſo Iubilæo diſpenſari, ſi pro tempore eiuſdem Iubilæi non fuerit poſita ſaltem generalis diſpenſatio, qui per conſequens videntur tenere, quod ſi illa fuerit poſita poſſit poni diſpenſatio eo elapſo, quià exceptio firmat regulam ex vulgatiſſimis iuribus, & tamen procedunt in ſuppoſitione, quod opera iniuncta non fuerint tunc præſtita, nec obtentum Iubilæum. *Si*, inquam hoc aſſeras ſtatim impugnaberis, quià, ſi re vera quis opera iniuncta non præſtiterit, non videò quomodò valide poſſit conſequi priuilegium diſpenſationis ſuper votis, & irregularitate. Quamobrem ea, quæ dicuntur dicere aſſertores noſtræ opinionis procedunt dumtaxat, quandò præſtita ſunt omnia opera iniuncta, & dubium eſt de conſecutione Iubilæi tunc etenim ſemper præſumitur in fauorem exequentis huiuſmodi opera, & etiam Iubilæi.

3 Sententia negans etiã quando opera ſunt adimpleta poſſe diſpenſari.

Siſtendo igitur in terminis, ſecundum quos irretitus irregularitate, ſeu voto ſupponatur omnia opera iniuncta præſtitiſſe, & conſecutum fuiſſe Iubilæum, & pro tempore Iubilæi nulla facta fuerit per cõfeſſarium electum diſpenſatio nec in genere, nec in ſpecie quoad oblita, vel omiſſa aſſerent eodem tempore elapſo in vi eiuſdem Iubilæi non poſſe ſuper illis diſpenſari *Rodriquez in ſumma prima parte c.* 148. *num.* 18. *Regius in ſuis reſol. c.* 21. *per totum, Ludouicus Beia part.* 2. *reſponſ. caſu nono in ordine qui eſt primus ex propoſitis in Congregatione habita feria* 3. *die* 29. *Maij Iulius Laurius de Iubileo part. prima c.* 14. *nu.* 92. *verſ. recentiores Bonacina in decem præcepta diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 7. §. 3. *num.* 14. Rationem ex eo deducunt, quià elapſo tempore Iubilæi in ordine ad huiuſmodi diſpenſationes ceſſat iuriſdictio in confeſſarijs, nec poteſt dici prorogata ex conuentione pænitentis, & confeſſarij, cum nec in genere, nec in ſpecie de illis facta fuerit mentio pro tempore eiuſdem Iubilæi; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod quoad peccata oblita reſeruata intelligatur prorogata huiuſmodi iuriſdictio, vt videtur eſſe cõmunior conſenſus, adeòque videatur etiã prorogata quoad huiuſmodi vota, & irregularitatem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià in ordine ad peccata oblita reſeruata abſolutio præcedens præſtita pro tempore Iubilæi ſaltem virtualitèr, & implicita ad ipſa refertur, quià datur in ordine ad remiſſionem peccatorum, quæ neceſſaria eſt ad effectum Iubilæi cõſequendum, & propterea abſoluens, cum debeat intendere omni modo, quo poteſt talem remiſſionem, debet etiam intendere abſoluere à reſeruatis; in ordine verò ad vota, & ad irregularitatem ipſa abſolutio præcedens præſtita pro tempore Iubilæi ex ſe non refertur ad diſpenſationem quoad illa, cum poſſit eſſe remiſſio peccatorum, quantum ad effectum conſequendi Iubilæum remanente voto in ſuo robore, & item irregularitate, adeòque &c. Nihilominus

4 Probabilius poteſt diſpenſari.

Reſpondeo, etiam elapſo tempore Iubilæi Titium, qui præſtitit pro tempore eiuſdem omnia opera iniuncta, & conſecutus eſt idem Iubilæum poſſe ſuper illis votis, & irregularitate diſpenſari, non obſtante, quod pro eodem tempore Iubilæi, nec generalis diſpenſatio fuerit poſita. *Fernandez in medulla part.* 3. *c.* 7. § 8. *n.* 6. *Sanctarellus de Iubilæo c.* 13. *dub.* 1., *Zerula lib.* 2. *de Iubilæo c.* 12. *dub.* 10., *Sanchez lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 15. *nu.* 13., *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iub. priuileg. ſect.* 2. *caſ.* 45. *num.* 4., & hic plures alios refert. Ratio ex eo deducitur, quià cauſa quantumvis delegata, quandò iam cæpta eſt quoad iuriſdictionem poteſt prorogari vſq; ad conſummationem eiuſdem cauſæ per textum *in c. gratum, & c. relatum de offic. deleg. l. quià, ff. de iuriſd. omn. Iud. Auendanus de exeq. mandat. c.* 1. *num.* 11., Sed in præſenti hypotheſi cenſetur ex implicito voluntate pænitentis prorogata iuriſdictio etiam in ordine ad vota, & irregularitatem, ergò &c. Minor probatur, quià ex eo, quod executus fuerit omnia opera iniuncta, & Iubilæum fuerit conſecutus intelligitur ea omnia voluiſſe conſequi, quæ eidem competere poſſunt ex vi eiuſdem Iubilæi, & ex tunc acquirere ius pro omni tempore, pro quo continget priuilegijs eiuſdem frui, ergo ex tunc intelligitur prorogaſſe iuriſdictionem non ſolum eiuſdem confeſſarij, ſed cuiuſcunque alterius, quem contigerit eligi de nouo per eundem pœnitentem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur priuilegia, & facultatem eiſdem vtendi per diſpenſationem, vel commutationem eſſe alligata, ſeu alligatam certo, & determinato tempori, nempè quindecim diebus prò quibus conceditur ipſum Iubilæum, quo

Digitized by Google

propterea elapſo non eſt, cur non debeat talis facultas expirare; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia facultas etiam delegata ex conſenſu partium poteſt prorogari extra tempus, ad quod eſt data dummodò fiat prorogatio pro tempore habili, & pro quo durat ex conceſſione ipſa facultas; vt contingit in præſenti hypotheſi ſecundum, quam præſumitur pœnitens, qui opera iniuncta adimpleuit voluiſſe omnia, quæ ex eodem Iubilæo ipſi poſſunt competere, & extunc pro quocunque tempore, vnde quandò elapſo termino Iubilæi actu conceditur diſpenſatio refertur ad tempus, pro quo prorogato eſt talis facultas, cum in virtute talis prorogationis illam diſpenſationem obtineat! Dici etiam poteſt cum *Diana part. 2. tract. 16. & ſecundo miſcelan. reſolut. 9. verſ. ſed ego contrariam Ioanne Angelo Boſſio de triplici Iubilæi priuilegio ſect. 2. caſ. 45. n. 4.*, & alijs, quod quamuis opera in Iubilæo præſcripta ſint alligata tempori eiuſdem Iubilæi, adeò vt extrà illud validè non poſſint præſtari, priuilegium, tamen quod ex illis conſequitur non videtur illi tempori alligatum, ſicuti, ſi Pontifex eroganti eleemoſinam pro certo die concedat priuilegium aliquod eleemoſina quidem eſt alligata certo termino, ſeu illi dici, non tamen priuilegium ipſum, quod elapſo tali tempore poteſt conſequi.

5 Satisfit rationibus oppoſitis. Ex quibus omnibus habes, quid reſpondeas ad rationes contrariæ opinionis; dic etenim iuriſdictionem confeſſarij non expirare cum tempore Iubilæi; tum quià virtualitèr intelligitur prorogata ex præſumpto conſenſu eiuſdem pœnitentis; tum quià licet opera ſint efficacia tali tempori, non tamen priuilegium, quod conſequitur ad illa.

---

§. XXIV.

An vota commutata, ſeu diſpenſata vigore Iubilæi reuiuiſcant eo poſteà non obtento.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
DD. aſſerentes poſita diſpenſatione, & non adimpletis operibus vota reuiuiſcere, & in ſuo robore permanere. 2.
Sententia oppoſita magis communis. 3.
Si pro tempore, quo diſpenſationem obtinuit intendebat conſequi Iubilæum per opera iniuncta, vtique vota non reuiuiſcunt illis non adimpletis, ſecus ſi non intendebat conſequi Iubilæum, nec opera exequi. 4.
Si pro tempore diſpenſationi fuerit animus conſequendi Iubilæum, & pro tempore eiuſdem Iubilæi fuerit ille animus reuocatus probabilius indiget noua diſpenſatione. 5.

DISQVISITIO XXIV. Titlus alligatus pluribus votis etiam reſeruatis conceſſo pro aliquo tempore Iubilæo, quod lucrari intendebat virtute eiuſdem obtinuit diſpenſationem ſuper eadem vota non tamen adhuc completis operibus iniunctis. Poſita tali diſpenſatione conſulto, & deliberata voluntate non proſecutus eſt opera iniuncta, ſed ea pœnitus omiſit, & per conſequens Iubilæum non obtinuit. Quæſitum hic fuit, an licite poſſet gaudere beneficio diſpenſationis, an verò vota ipſa perinde, ac ſi non eſſet diſpenſata permaneant in ſuo robore, & adhuc obligent. 1 Status diſquiſitionis expoſitus.

Nonnulli ex Neotericis apud *Dianam part. 2. tract. 16. & 2. Miſcel. reſol. 10.*, & præcipuè *Raphael della Torre in 2. 2. tom. 1. q. 88. art. 12. diſp. vlt. n. 5.* aſſerunt vota illa non adimpletis operibus iniunctis reuiuiſcere, & adhuc in ſuo robore perſeuerare; vndè dicunt, quod per illam diſpenſationem vota ſuſpendantur vſque ad eorundem operum complementum, quibus propterea non adimpletis votum, ſeu vota redeunt ad ſuum ius primæuum. 2 Sententia aſſerẽs reuiuiſcere.

Communior tamen ſententia ſuſtinet vota illa poſt illam diſpenſationem non reuiuiſcere *Graſſius lib. 4. deciſ. aurear. c. 15. n. 37. Henriquez lib. 7. ſumma c. 11. num. 4. Georgius Pollachinus in Bullam Vrbani VIII. ſect. 42. nu. 69.*, & alij plures quos citat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubilæi priuileg ſect. 2. caſ. 39. n. 1.* Rationem adducunt, quià illa facultas abſoluendi, commutandi, ſeu diſpenſandi pro tempore Iubilæi eſt conceſſa abſolutè abſque conditione rei acidentiæ; poſita autem diſpenſatione pro tempore habili, per quam abſolute vota extinguuntur non eſt, cur poſteà debeant reuiuiſcere; cum ius ſemel extinctum non amplius reuiuiſcat. 3 Sententia oppoſita magis cõmunis.

Reſpondeo, cum diſtinctione, vel etenim allegatus huiuſmodi votis, vel irregularitate pro tempore, quo diſpenſationem ſuper illa obtinuit, intendebat conſequi Iubilæum per executionem operam iniunctorum, & deinde impetrata tali diſpenſationem mutata voluntate opera illa omiſit, nec conſecutus eſt Iubilæum; vel pro tali tempore, nec voluit Iubilæum conſequi, nec opera iniuncta præſtare. Iuxtà primum ſenſum probabiliorem exiſtimo communiorem opinionem mox recitatam, quod ſcilicet poſtmodum huiuſmodi vota non reuiuiſcant. Iuxtà ſecundum verò ſenſum ſentio non ſolum reuiuiſcere, ſed nec huiuſmodi vota ex- 4 Si pro tẽpore diſpenſationis intẽdebat conſequi Iubilæum vota nõ reuiuiſcũt, ſecus, ſi illud nõ intẽdebat.

extincta eſſe. Iuxtà primum loquuntur omnes DD. pro eadem cõmunio opinione relata, & vlterius *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto c. 16. nu. 9. Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 15. n. 22., & lib 4. ſumma c 59. n. 49. Filliutius tom. 1. tract. 8. c. 10. n. 8. Laiman. lib. 5. tract. 7. c. 8. num. 9.* Iuxtà ſecundum præter præcitatos pro prima opinione loquitur *Nugnus in addit. ad tertiam partem tom 2. q 9. art. 2. dub. 4. in fin.*

Non præſcribitur ordo ſeruandus in huiuſmodi operibus.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià ad commutationem votorum, ad diſpenſationem ſuper eiſdem, & ſuper irregularitate, & ad abſolutionem reſeruatorum non requiritur, quod opera iniuncta prius exequantur, prout communitèr tenent DD. etiam contrariæ ſententiæ, cum non præſcribatur ordo ſeruandus in huiuſmodi operibus, ſed poſſint incohari à confeſſione peccatorum, in qua ponitur ipſa commutatio diſpenſatio, & abſolutio *Suarez tom. 2. de Religione lib 6. de voto c. 16. nu. 6., Sanchez lib. 4. ſumma c. 54. num. 42. Leo de Iubilæo part. 2. num. 5. Sanctarellus de Iubil. c. 12.*, & in eo caſu commutatio, abſolutio, & diſpenſatio abſolutè, & ſimplicitèr datur, non dependenter à futura conditione, ergo, ſi tunc fuerit animus lucrandi Iubilæum, & exequendi opera omnia iniuncta pro tempore habili non erit, cur illa diſpenſatio, commutatio &c. facta in illa confeſſione non teneat, & quamvis poſteà omnia opera non exequantur, nec Iubilæum lucretur, non erit, cur vota debeant reuiuiſcere; cum ius ſemel abſolute extinctum non amplius reuiuiſcat. Hæc conſequentia probatur, quià cum non requiratur ordo in executione huiuſmodi operum iniunctorum poſito propoſito efficaci illa præſtandi pro tempore habili habetur quidquid requiritur ad validam diſpenſationem ſimplicem, & abſolutam, quæ cum non fuerit poſita ſub conditione immediatè ſuum conſequitur effectum; ergo &c. Confirmatur exemplo in ſententia eorum, qui aſſerunt in Sacramento Euchariſtiæ non poſſe validè conſecrari vnam ſpeciem ſine intentione conſecrationis in altera, qui tamen docent, quod ſi habita intentione conſecrandi in vtraque in vna conſecrat, & poſteà mutata voluntate ceſſet à conſecratione alterius primũ validè conſecratam eſſe cum poſita fuerit conſecratio ſine conditione, & in executione non pendeat ab euentu futuræ conditionis, ergo etiam, ſi quis habita intentione lucrandi Iubilæum, & exequendi omnia, quæ ad ipſum conſequendum requiruntur fuerit primò diſpenſatus ſuper voto, & deindè mutata voluntate, nec opera iniuncta executus fuerit, nec conſecutus Iubilæum non erit inualida diſpenſatio, cum ad illius valorem non prærequiratur executio omnium operum iniunctorum, ſed ſola intentio, & efficax illa exequendi, nec diſpenſatio ponatur conditionalitèr, nec pendeat ab euentu futuræ conditionis.

Euincitur exemplo, & paritate.

Facultas diſpenſandi eſt per ordinem ad Iubilæũ

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià dum antecedentèr ad abſolutionem, & diſpenſationem non aderat voluntas conſequendi Iubilæum, nec exequendi opera iniuncta non aderant ea omnia, quæ requiruntur ad validam diſpenſationem, quandòquidem Pontifex non concedit Iubilæi priuilegia, niſi in ordine ad illud obtinendum, ergò ſecluſa voluntate lucrandi Iubilæum priuilegia eiuſdem nullam vim habere poſſunt, cum deficiant ea, quę ex diſpoſitione concedentis requirantur ad eadem priuilegia, ſeù ad valorem eorundem. Iuxtà hanc ſecundam partem pręſentis reſponſionis ſequitur, quod abſolutè non teneat diſpenſatio, non quod eius effectus ſuſpendatur vſque ad implementum operum iniunctorum, quià dum poſita eſt diſpenſatio non erant ſubſtantialitèr requiſita ad ipſius conſecutionem validam. Confirmatur, quià deficiente intentione lucrandi Iubilæum, & exequendi opera iniuncta non tenet abſolutio quoad peccata reſeruata, prout docet *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuileg. ſect. 2. caſ. 31. num. 4. verb. neque valet argumentum*, & implicitè etiam ſentiunt *Nauarrus in miſcell. de orat. 19, & in ſumma c. 26. n. 13. Zerula in praxi Epiſcop. part. prima verb abſolutio § 11. Bonacina de ſacrament. diſp. 5. q. 7. punct. 5. § 5. n. 16. Sanctarellus de Iubil. c. 12. dub. 1.* dum dicunt, quod teneat abſolutio, ſi tempore eiuſdem abſolutus habuerit animum lucrandi Iubilæum, & exequendi opera iniuncta, ex quo ſequitur, quod, ſi talem animum non habuerit non teneat abſolutio, cum exceptio firmet regulam, ergò deficiente tali intentione, nec tenebit diſpenſatio ſuper vota, & irregularitates. Conſequentia probatur, quià magis videtur connecti cum abſolutione abſolutio à reſeruatis, quam diſpenſatio in votis, ergò &c.

5 Si animus voti conſequendi Iubilęum fuerit reuocatus intra tempus Iubilei diſpēſatus indiget alia diſpenſatione.

Si autem hic inquiras, quid ſit dicendum, quandò pro tempore diſpenſationis non habuit animum lucrandi Iubilæum, nec adimplendi opera iniuncta, & poſteà obtenta diſpenſatione mutato animo opera illa executus eſt, & conſecutus Iubilæum, an ſcilicet ſine alio reualidetur illa diſpenſatio, an verò requiratur, quod de nouo ponatur? Videtur abſolutè dicendum ſine alio immediatè reualidari, quandòquidem pro tempore habili poſita eſt diſpenſatio, ad implementum operum, & conſecutio Iubilæi, & licet pro tempore, quo poſita fuit diſpenſatio non fuerit animus lucrandi Iubilæum, nec adimplendi opera, quià tamen

talis

talis animus retractatus fuit in tempore habili durante ſcilicet Iubilæo, hoc eſt intra tempus præſcriptum ſunt omnia poſita, quæ requiruntur ad conſecutionem priuilegiorum potiſſimum cum ex ſupradictis non præſcribatur ordo in executione huiuſmodi operum. Hoc confirmari poteſt ex ijs, quæ plurimi docent de eo, qui contraxit fictè ſponſalia ſine animo ſe obligandi, qui ſi reuocet illam fictionem eadem immediatè reualidat. Nihilominus probabilius ſentiunt alij requiri nouam diſpenſationem; quandòquidem prima in ſua origine omninò infecta eſt, & ita habetur, ac ſi non eſset poſita, nec præcisè remanet ſuſpenſa, vt ſupra innuebamus, ergò non poteſt reualidari niſi noua diſpenſatio conſtituatur: Neque dicas inualiditatem ſolum conſurgere ex defectu voluntatis conſequendi Iubilæum, quo propterea defectu ſublato per nouum actum illud conſequendi non eſt, cur non reuiuiſcat, ſicuti reuiuiſcunt ſponſalia fictè contracta per reuocationem fictionis per actum internum; Contra enim impugnaberis, quia ad validam diſpenſationem non ſolum requiruntur requiſita ex parte diſpenſandi, ſed vlterius poteſtas, & exercitium validum iuriſdictionis in diſpenſante, cum hæc duo in ordine ad hunc effectum ſibi ſint correlatiua, vnde ex defectu ex parte diſpenſati, ſeù diſpenſandi reſultat etiam defectus legitimæ poteſtatis in diſpenſante cum hæc poteſtas ſit ſolummodò ſuppoſitis requiſitis; licet igitur ſubſequentèr defectus ex parte diſpenſandi per nouum actum auferatur, quià tamen in ordine ad illum actum diſpenſationis iam poſitum per diſpenſantem nihil de nouo ponitur, ideo actus ipſe diſpenſationis ex parte diſpenſantis remanet deficiens, & infectus, qui propterea ad ſui validitatem indiget renouatione. Quid igitur in hac controuerſia concludendum? Vtramque opinionem probabilem exiſtimo, probabiliorem tamen, & tutiorem arbitror ſecundam, & rationes pro eadem adductæ ſatis efficacitèr ipſam euincunt. Solum obeſse poteſt paritas adducta de ſponſalibus fictè contractis, quæ reualidantur per ſolum conſenſum internum reuocantem fictionem, nec diſparitas aſſignata poteſt quidquam officere, quandò quidem ſicuti in diſpenſatione requiritur habilitas in ſubiectò, & poteſtas in diſpenſante ita in ſponſalibus requiritur promiſſio in vno, & repromiſſio in altero, & ſicuti reualidantur ſponſalia fictè contracta per ſolam reuocationem fictionis ex parte eius, qui fixit, quià ſupponitur alter, qui verum conſenſum præbuit perſeuerare in eodem, ità non eſt, cur non reualidetur diſpenſatio per reuocationem prioris voluntatis non exequendi opera iniuncta, cum præſumatur voluntas diſpenſantis perſeuerare, nec minus valor repromiſſionis dependet à validitate promiſſionis, ac poteſtas in diſpenſante dependeat ab habilitate diſpenſati. Sed hæc omnia etiam poſsunt eludi ex eo, quod valor repromiſſionis ſolum dependet à voluntate repromittentis, in qua propterea poteſt validè perſeuerare; facultas autem in diſpenſante dependet à voluntate Pontificis concedentis, à qua totam vim ſumit; cum autem Pontifex non intelligatur hanc vim conferre niſi in ordine ad Iubilæum, ſeù ad voluntatem idem conſequendi; hinc eſt, quod deficiente tali voluntate pro tempore, pro quo confertur diſpenſatio, deficiat etiam poteſtas adeoque actus diſpenſationis, qui præcipuè ſumitur penes diſpenſantem per indè ſe habeat, ac ſi non fuerit poſitus, ſicque dici non poteſt, quod in eodem validè perſeueret.

Diſpar ratio de reuocatione fictionis in ſponſalibus fictè contractis.

---

§. XXV.

An, qui tempore Iubilæi non cōfeſsus eſt, cum nullius peccati læthalis ſibi conſcius eſset, nec petijt diſpenſationem ſuper voto poſſit poſteà à quocunque confeſsario à ſe electo à peccatis reſeruatis inculpabilitèr oblitis pro tempore Iubilæi abſolui, & diſpenſari.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Regularitèr non eſt neceſſaria confeſſio ad conſequendum Iubilæum, quandò ſunt adeſt culpæ læthalitèr. 2.
Intellige niſi iniungatur, vt opus, ſeù vt pars operis. 3.
Sententia Sanchez aſſerentis etiam tranſacto Iubilæo poſſe eligi confeſſarium à quo abſoluatur, & diſpenſetur. 4.
Sententia negans cum ſuis fundamentis. 5.
Sententia affirmatiua præfertur. 6.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 7.

DISQVISITIO XXV. Currente tempore Iubilæi Titius executus eſt omnia opera iniuncta, & Iubilæum ipſum præſumitur conſecutus, ſed cum pro tali tempore ſibi conſcius non eſset alicuius peccati læthalis confeſſionem omiſit, nec pro tunc petijt diſpenſationem à voto. Elapſo eiuſdem Iubilæi tempore recordatus eſt peccati læthalis reſeruati, cognouitque

1 *Exponitur factum in caſu particulari.*

Digitized by Google

uitque votum illud, quo afficiebatur, valdè ſibi oneroſum forè. Quæſitum fuit, an in data hypotheſi elapſo eiuſdem Iubilæi tempore poſset ſibi confeſsarium ex approbatis eligere, à quo poſset à reſeruato abſolui, & ſuper voto diſpenſari?

2 Confeſſio non eſt neceſſaria ad conſequendum Iubilæum, quàndò non adeſt peccatum læthale.

Antequam ad reſolutionem præſentis, quæ ſit deueniam præſuppono regulantèr ad conſequendum Iubilæum non eſse neceſsariam confeſſionem in eo, qui ſibi nullius peccati læthalis conſcius eſt, ſed dumtaxat venialium, prout docent *Silueſter verb. indulgentia nu.* 27. *D. Antoninus prima part. tit.* 10. *cap.* 3. §. 5. *col.* 3. *Zerula de Iubil lib.* 1. *c.* 15. *dub.* 16 *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuil. ſect.* 4. *caſ.* 19. §. 3. Ratio ex eo deduci poteſt, quià Pontifices in ſuis indultis præſumi debent loqui iuxtà ius commune annuæ confeſſionis niſi aliud exprimant, ſed ius commune iuxtà communiorem opinionem non obligat niſi ad confeſſionem læthalium. Accedit, quod regularitèr confeſſio præſcribitur per modum diſpoſitionis ad habilitandam animam per gratiam ad acquirendam remiſſionem pœnæ, quod Pontifex in ſuis indultis intendit, ſed qui caret peccatis læthalibus iam habet id, quod Pontifex per confeſſionem intendit.

3 Intellige, niſi iniungatur, vt opus, ſeù vt pars operis.

Dixi *regularitèr*, quandò ſcilicet confeſſio apponitur per modum maioris diſpoſitionis, nam ſi iniungatur, vel vt opus, vel vt pars operis probabilius ſentio ſine confeſſione venialium, ſi lethalia non extent, non conſequi Iubilæum, cuius ratio euidens eſt, quià ſine opere præſcripto non obtinetur indulgentia, cum ſit ſtricti iuris, & ſicuti quis non obtineret indulgentiam ſine eleemoſina, ſi illa præſcribatur, ita nec obtinere poteſt ſine confeſſione, ſi illa per modum operis iniungatur. Quomodo autem dignoſci poſſit quandonam per modum diſpoſitionis iniungatur, & quandonam per modum operis, ſeù partis operis ex verbis Bullæ dignoſcendum eſt; ſi enim præſcribitur ſub conditione, vel per verba æquipollentia conditioni, vt ſi dicatur *Indulgentiam concedimus, ſi confiteantur*, vel ſola præſcribatur confeſſio ſine alijs operibus tunc ſentiendum eſt præſcribi tanquam opus, & neceſsariam eſse; ſi verò non præſcribatur ſub conditione, ſed dicatur *Confeſſis, & attritis concedimus* &c. addendo alia opera expreſsa per modum conditionis, vel per verba æquipollentia, tunc dicendum eſt apponi per modum diſpoſitionis, & non neceſsariam eſse.

Procedit igitur quæſitum, quandò confeſſio præcipitur ſolummodò per modum diſpoſitionis; ſi enim præcipiatur, vel vt opus, vel vt pars operis non poteſt locum habere, quandòquidem deficiente opere iniuncto, vel parte operis non conſequeretur Iubilæum, adeoque non eſset, cur inquireretur, an vigore ipſius poſset poſteà poni abſolutio ſuper reſeruatis inculpabilitèr oblitis, & diſpenſatio ſuper votis.

4 Sententia aſſerens poſſe abſolui, & diſpenſari.

Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 15. *n* 17., *&* 19., *& lib.* 4. *ſumma c.* 54. *n.* 39., *&* 41., hocque probabilius etiam exiſtimat *Ioannes Angelus Boſſius de tripl. Iubil. priuil. ſect* 1. *caſ.* 30. *n.* 2. ſentit in hac hypotheſi tranſacto etiam Iubilæo poſse eligi confeſsarium ex approbatis, qui abſoluat ab huiuſmodi peccatis inculpabilitèr oblitis, & diſpenſet ſuper votis. Rationem adducit ex ijs, quæ etiam nos ſupra dicebamus, quod ſcilicet, licet opera iniuncta alligentur certo tempori priuilegium tamen, quod indè conſequitur illi tempori non adſtringitur, ergò etiam eodem elapſo, ſi opera iniuncta fuerint adimpleta poterit, qui adimpleuit gaudere priuilegio, ſibique confeſsarium eligere à quo abſoluatur à peccatis illis reſeruatis, & diſpenſetur in votis.

5 Sententia negans, cũ ſuis fundamentis.

Ex aduerſo negant *Roſella verb. confeſſio* 2. *num* 6. *Angelus verb. confeſſio* 2. *num* 12. *Silueſter eod. verb. confeſſio* 1. *num.* 7. *Nauarrus in ſumma c.* 26. *num.* 13. *Sairus lib.* 7. *Theſauri c.* 14. *nu.* 8., *& ſeqq. Florenus de caſib. reſeru. c.* 4. §. 10. *verſ ant confeſſus eſt habenti*, *Henriquez lib* 6. *ſumma c.* 16. *n.* 6. quibus adhærere videtur, *Suarez de pænit. diſp.* 31. *ſect.* 4. *num.* 20. *in fin.* Ratio iſtorum ea eſse poteſt, quià cum in confeſſione non incæpta fuerit cauſa non videtur eadem prorogata extra tempus Iubilæi, quià prorogatio debet eſse ex conſenſu non ſolum pænitentis, ſed etiam confeſsarij; vbi autem confeſſio non eſt habita non potuit accedere conſenſus Confeſsarij ad prorogationem. Secundò, quià dato etiam, quod ſuppoſito adimplemento operum iniunctorum priuilegium non ſit alligatum tempori, cui opera eadem ſunt alligata, vbi tamen priuilegium non cæpit habere vim à confeſſione, non videtur in aliquo firmari, & propterea cum tempore præſcripto penitus euanuiſse. Quid igitur in hac controuerſia concludendum?

6 Sententia affirmatiuè præfertur.

Reſpondeo probabilius eſse poſse etiam elapſo tempore Iubilæi ſibi eligere confeſsarium ex approbatis, à quo abſoluatur à peccatis illis reſeruatis inculpabilitèr oblitis, & diſpenſetur ſuper vota. Ita *Sanchez loc. quo ſupra*, & præcipuè in terminis *num.* 19., *& Ioannes Angelus Boſſius*, cum pluribus Neſtoricis allegatis ab *Henriquez lib.* 6. *de pænit. c.* 16. *num.* 6. *in comment. lit. H.* Ratio ex eo deducitur, quod aſserebamus pro prima ſententia affirmante, quod ſcilicet, licet opera iniuncta ſint alligata tempori priuilegium

tamen.

Digitized by Google

tamen, quod indè conſequitur poſſit eſſe extra illud tempus, & exequens opera iniuncta præſumitur voluiſſe ex illis acquirere quidquid ex illis prouenire poteſt, ergò, qui executus eſt huiuſmodi opera iniuncta, & pro eo tempore ex obliuione inculpabili non obtinuit abſolutionem à reſeruatis, nec diſpenſationem ſuper voto habita cognitione poterit ex vi Iubilæi acquiſiti, & executionis operum iniunctorum velle, & conſequi, quæ tunc non conſecutus eſt ex obliuione, vel ex alio capite. Confirmatur ex ijs, quæ ſupra ſub hoc eodem titulo dicta ſunt nempe *ſub tit. Contractus XV de matrim. 3. Diſq. 2.* §. 18. nempe, quod, ſi quis pro tempore Iubilæi executus fuerit opera iniuncta, & conſecutus Iubilæum, & in confeſſione ex obliuione inculpabili omiſerit peccatum aliquod reſeruatum, nec petijrit diſpenſationem ſuper voto, poſſit eodem tempore elapſo abſolutionem illam, & diſpenſationem obtinere, ergò etiam, quandò cum ſibi non eſſet pro eo tempore conſcius alicuius peccati lethalis omiſit confeſſionem poterit habita cognitione alicuius peccati læthalis reſeruati antecedentèr commiſſi ex vi Iubilæi acquiſiti, velle abſolutionem ab eodem, & etiam diſpenſationem ſuper voto; Neque dicas diſparem eſſe rationem, quandò confeſſio præmiſſa eſt, ac quandò nulla confeſſio præceſſit, quandòquidem, quandò præmiſſa eſt per abſolutionem vnius peccati cætera omnia intelliguntur indirectè remiſſa, quandò verò nulla præceſſit confeſſio, nec directè, nec indirectè eſt abſolutio ab illo reſeruato, nec diſpenſatio ſuper voto: contrà enim impugnaberis; quià quantumvis fortior ratio militet, quandò præmiſſa eſt confeſſio ex illo motiuo, quod adducitur in inſtantia, non tollitur tamen quin ſit ſufficiens ratio intuitu Iubilæi acquiſiti; quandò etiam nulla habita eſt confeſſio pro tempore eiuſdem Iubilæi, quià cum hoc ſupponatur acquiſitum non obſtante illa omiſſione confeſſionis tribuit ius ad ea omnia, quæ ex vi ipſius conceduntur.

Rationes euincentes aſſertum.

Hac ratione *Sanchez d. lib. 8. diſp. 15. n. 21.* quamuis doceat, quod quando acquiſitum non eſt Iubilæum præmiſſa, tamen eſt confeſſio cum intentione exequendi opera iniuncta, quæ poſteà mutata voluntate omiſit in vigore illius confeſſionis poſſit pœnitens à reſeruatis ex obliuione omiſſis, etiam eodem elapſo abſolui; non poſſit tamen ab eiſdem poſteà abſolui, ſi nulla tunc habita fuerit confeſſio, eo quod non haberet conſcientiam culpæ læthalis; quamvis, inquam, hoc doceat, docet tamen *d. diſp. 15. num. 19.*, quod ſi ille omnia opera iniuncta fuerit executus, & conſecutus fuerit Iubilæum, quamvis confeſſionem nullam præmiſerit, cum ſibi nullius lęthalis eſſet conſcius, poſſit poſteà cognito peccato læthali reſeruato ex vi eiuſdem Iubilæi acquiſiti velle abſolui ab illo à confeſſario approbato per ſe ad illud munus eligendo. Rationem diuerſitatis ex eo adducit, quià quando Iubilæum non eſt acquiſitum nec vlla eſt præmiſſa confeſſio ex nullo capite oritur ius, vt eo elapſo poſſit à peccatis reſeruatis non confeſſis abſolui; non ex vi præcedentis ſacramentalis abſolutionis, cum nulla fuerit habita; non ex vi Iubilæi, cum hoc non fuerit acquiſitum; Quando vero nulla eſt præmiſſa confeſſio, cum pænitens nullius læthalis tunc ſibi fuerit conſcius, acquiſitum tamen ſit Iubilæum, quamvis ex vi confeſſionis Sacramentalis non poſſit abſolui cum nulla præceſſerit, poteſt tamen abſolui vi Iubilęi acquiſiti, cum hoc conferat ius ad omnia priuilegia; Ex quibus habes ex vi Iubilæi poſſe impendi abſolutionem, quæ pro tempore eiuſdem non fuit impenſa.

7 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primum dic, quod quantumvis per confeſſionem non incæpta fuerit cauſa, adeòque ex vi eiuſdem non poſſit dici prorogari per cetera tamen opera iniuncta adimpleta, & per Iubilæum acquiſitum ius ortum fuerit ad priuilegia, quæ conſequuntur ad ipſa, quod ius quantumvis oriatur pro tempore Iubilæi executionem tamen non exigit neceſſariò pro eodem tempore, quod idem dic ad ſecundã.

---

§. XXVI.

An diſpenſatio reſtringatur tantum ad tempus conceſſum, quandò ex errore petentis minus petitum eſt; & concedens æquè maius conceſſiſſet, ſi fuiſſet petitum.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Rationes ſuadentes poſſe vti illa diſpenſatione. 2.
Diſpenſatio non poteſt ſuffragarì, niſi ad tempus quo eſt conceſſa. 3.
Satisfit rationibus contrarijs. 4.

1 Factũ expoſitum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XXVI. Caius Diaconus Regularis, qui tantum adimpleuerat vigeſimum tertium ſuæ ætatis annum recurſum habuit ad Romanum Pontificem pro diſpenſatione ſuper ætate ad effectum, vt poſſet ordinari ante tempus à iure præſcriptum ad Sacerdotium,

Ex

Digitized by Google

Ex errore diſpenſationem petijt pro vndecim dumtaxat menſibus, cum tamen comparatiuè ad proxima ſacra tempora, pro quibus haberi debebat ordinatio, deeſſent ad legitimam ætatem menſes vndecim, cum decem diebus. Annuit Pontifex iuxtà petitionem, & diſpenſationem conceſſit pro vndecim menſibus, quæ diſpenſatio quoad tempus ſufficiens non erat, cum pro tempore ordinationis deeſſent vltrà vndecim menſes, pro quibus cōceſſa erat diſpenſatio, decem dies, ſuper quos eadem non cadebat. Certum eſt, quod, ſi petitio poſita fuiſſet ad maius tempus intra tredecim menſes, æquè primò, ſeù eadem facilitate fuiſſet prorogata conceſſio, cum ex ſtilo curiæ eadem compoſitione pecuniaria diſpenſatio concedatur ad tredecim, ac ad decem, vel ſex, vel tres menſes. Quæſitum hic fuit, an, cum talis petitio fuerit poſita limitatè ad vndecim menſes ex errore, potuerit conceſſio etiam limitata ad illud tempus ex præſumpta Pontificis voluntate prorogari ad illud, tempus, quod deficit, adeò vt Caius potuerit ordinari pro temporibus ſacris tunc occurrentibus quantumvis defecerint illi decem dies.

2 Rationes ſuadentes poſſe vti illa diſpenſatione.

Videtur prima fronte dicendum poſſe Caium ex præſumpta Pontificis voluntate diſpenſatione illa vti, & ordinari etiam ſi ad tempus conceſſionis defecerint decem illi dies, de quibus in facti ſerie, quià ſi tempus illud re vera deficiens à legitima ætate fuiſſet expreſſum, adhuc Pontifex eadem facilitate conceſſiſſet, cum ex ſtilo Curiæ eodem negotio concedatur diſpenſatio ad tredecim menſes, ac ad decem, vel quatuor; in conceſſione autem quantumvis minoris intelligitur etiam virtualitèr conceſſum maius, quandò maius, & minus eodem modo, & eadem facilitate conceditur, nec concedens ad vnũ diffi ilior eſt, quam ad alterum, & error ex ignorantia contingens tunc non vitiat, quandò eo non obſtante concederentur litteræ *Speculator tit. de diſpenſatione §. dicendum reſtat nu 10. verſ. quid ſi Innocentius c. dudum el 2 nu. 15. verſ. validam de elect. Decius c. poſtulaſti in noua edit. num 11. not. 4. & c. ſuper literis in gloſ. verb. literas num. 33. de reſcript. & ibi Beroius in ſecunda lectur a num. 35. Pariſius conſ. 4. num. 35. vol 4.* qui omnes docent errorem contingentem ex ignorantia non vitiare reſcriptum, quandò eodem errore non contingente æquè primò reſcriptum concederetur.

Intentio Pontificis eſt ad ſanandũ defectũ ætatis.

Accedit, quod tàm intentio petentis diſpenſationem, quàm mens Pontificis diſpenſantis eſt ſanandi defectum, qui ex ætate contingit, quique ex diſpoſitione iuris impedit ordinis ſuſceptionem, ergò, quantumvis diſpenſatio non ſit conceſſa ſpecificè pro vndecim menſibus cum decem diebus trahi tamen poteſt ad tale tempus ex Pontificis diſpenſantis interpretatiua voluntate rationabilitèr præſumpta. Conſequentia probatur, quia, cum ex vno capite Pontificis mens referatur ad indigentiam petentis, & ex alio ex conſueto ſtilo non potius reſtringatur ad vndecim, quam ad duodecim menſes, cum indiferentèr ſine vlla reſtrictione concedatur, ſiue petenti pro vndecim, ſiue petenti pro duodecim menſibus, æquè deducitur, quod diſpenſatio intrà limites, ſecundum quos ſolet concedi, referatur ad tempus indigentiæ; nec error ille poteſt vitiare, cum ſit circa qualitatem, quæ non retraheret, ſi error ille non contigiſſet. Nihilominus

3 Diſpenſatio nō poteſt ſuffragari, niſi ad tēpus, pro quo eſt conceſſa.

Reſpondeo, diſpenſationem illam non poſſe ſuffragari, niſi pro tempore, ad quod eſt conceſſa, nec poſſe protrahi ad tempus, ad quod ſolet concedi, & fuiſſet conceſſa, ſi fuiſſet petita. Ratio ex eo deducitur, primò quod ſupra dicebamus, diſpenſationes ſcilicet exorbitantes à iure eſſe ſtrictè interpretandas etiam in contingentia dubij, an referatur ad caſum, nec nec, prout habetur *in cap. 1. §. ille rem de filijs præben. in 6. Felinus c. poſtulaſti nu. 8. verſ. vnde dicit de reſcript. Iaſon l. beneficium n. 8. de conſtit. Princip.*, ergo à fortiori debet ſtrictè accipi, quandò verba conceſſionis expreſsè talem ponunt expreſſionem. Secundò, quià, quamvis admitteretur, quod diſpenſatio ad comprehenſa ſecundum propriam verborum ſignificationem, & naturam extendatur, prout notant *Angelus in l fin. col. 2. verſ. item opponitur ff. de conſtit. Princip. Abbas cap. ex parte el 3. not. 2. de decimis Decius reg. ſemper in obſcuris nu. 11. vbi Cagnolus nu. 21. ff. de reg iuris*

Diſpenſatio nō trahitur vltrà propriam verborum ſignificationem.

non tamen trahitur vltrà propriam, & formalem eorundem verborum ſignificationem, vt eſt in confeſſo apud omnes, ſed diſpenſatio ad vndecim menſes nullo modo comprehendit menſes duodecim, cum minus ſecundum ſe non contineat maius, ergo &c. Tertiò, quià diſpenſatio ſuper conſanguinitate ex errore poſita, cum eſſet tantum impedimentum affinitatis non trahitur ad affinitatem *Covarruuias 4. decret. prima part. c. 8. §. 8. nu. 11. Sakedo addit. ad reg. 195. Bernardi Diaz ad fin. Ludouicus Lopez, 2. parte inſtructorij, vbi de claub. c. 9. col. 5. & prima part. c. 50. col 2.* non obſtante, quod facilius Pontifex fuiſſet conceſſurus, ſi ſola affinitas fuiſſet expreſſa, ergo etiam diſpenſatio, quinimmò à fortiori conceſſa ad vndecim menſes trahi non poteſt vltrà tale tempus, quantumvis æquè primo Pontifex fuiſſet conceſſurus, ſi maius tempus fuiſſet expreſſum intra limites tredecim menſium. Conſequentia tenet, quià ſi id, quod maius eſt, quià non continet in ſua

linea, id quod minus eſt non trahitur ad illud minus, multo minus, quod minus eſt, cum non contineat in ſe quod maius eſt poterit ad illud trahi.

Ex ijs deducere poteris, quid reſpondeas ad obiecta, ad primum etenim dic, quod, quantumvis Pontifex eadem facilitate conceſſiſſet ad tempus intra tredecim menſes, ac conceſſerit ad vndecim, conceſſio tamen de facto poſita terminetur, ſeù reſtringatur tantum ad menſes vndecim, quæ propterea, vt talis, non eſt extendenda. Quamobrem ad ea, quæ ex DD. allegatis afferuntur, dicendum eſt, verificari, quandò conceſſio eſt poſita de determinato ſubiecto, & ſolum eſt defectus aliquis ex parte cauſæ impulſiuæ remanente in ſuo robore cauſa finali motiua; cum etenim tunc diſpenſatio terminatiuè referatur ad rem expreſſam in eadem diſpenſatione, & cauſa finalis mouens vere ſubſiſtat, parum referre debet, quod cauſa impulſiua deficiat; cæterum in caſu noſtro, cum conceſſio reſtringatur ad determinatum obiectum, ſeù tempus, non eſt, cur vltrà illud poſſit prorogari. 4 Satisfit rationibus contrarijs.

Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, mentem quidem Pontificis referri ad ſanandum defectum, qui contingit ex parte ætatis, non quomodocunque, ſed ſecundum quod ipſi exponitur, & licet æquè primo conceſſiſſet, ſi vlterius tempus fuiſſet expoſitum, non ſequitur tamen, quod ad vlterius conceſſerit, & conceſſio attendenda eſt ad normam verborum, ſub quorum conceptu eſt poſita, non aliter, nec eſt attendendum, quid Pontifex facturus fuiſſet, ſed quid fecerit.

---

§. XXVII.

Cuius expenſis impetranda ſit diſpenſatio.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis proponitur. 1.
Conſentiente vtroque ad Matrimonium non expreſſo; cuius expenſis diſpenſatio impetranda ſit, impetranda eſt expenſis vtriuſque. 2.
Si ſponſus ſub ſpe Matrimonij conſanguineam violauerit tenetur ad Matrimonium, & ad diſpenſationem obtinendam. 3.
Non tamen proprijs expenſis, ſi illa conſenſeris violationi. 4.
Secus ſi inuitam, & per vim violauerit. 5.
Si ſine conſenſu alterius ad matrimonium quis diſpenſationem obtinuerit, non obligat ipſum alterum ad retribuendum pro expenſis. 6.
Secus ſi impetrata diſpenſatione altero ignorante conuentum poſteà fuerit de matrimonio contrahendo. 7.

DISQVISITIO XXVI. Contendentes inter ſe contrahere Matrimonium Titius, & Caia conſanguinei in tertio gradu, vel affines in ſecundo, vel quolibet alio impedimento ſe tenente ex parte vtriuſque; & dirimente affecti communi conſenſu impetrarunt diſpenſationem ſuper illo impedimento; in conſenſu tamen ad impetrationem ponendam præſtito nihil dixerunt de expenſis diſpenſationis, an ſcilicet eſſent faciendæ integrè per maritum, an verò per coniugem. Quæſitum hic fuit, ad quemnam ex illis in hac hypotheſi de facto pertineant. Rurſus hæc controuerſia excitari poteſt in caſu, quo Titius deſiderans Caiam conſanguineam, vel cum qua habet impedimentum dirimens ex vtraque parte ſibi matrimonio copulare ipſa inconſulta, cuique Matrimonium non promiſit, diſpenſationem ſuper illo impedimento impetrarit, an ſcilicet tunc impetratio talis diſpenſationis debeat eſſe expenſis ſolius impetrantis, an verò vtriuſque. 1 Exponitur facti ſeries.

Reſpondeo primò, conſentiente vtroque, vel expreſsè, vel tacitè cum ſcientia illius impedimenti in Matrimonium non expreſſo, cuius expenſis diſpenſatio ſit impetranda, expenſæ vtrique debēt eſſe communes, ſi nihil dictum fuerit de onere huiuſmodi expenſarum Ità expreſsè *Sanchez lib. 5. de Matrimonio diſp 5. num.37. & lib. 7. diſp. 36 n.1.*, qui quamuis neminem citet, ex forma tamen verborum, quibus exprimit hoc aſſertum, videtur ſupponere eſſe commune. Ratio ex eo deducitur, quià talis diſpenſatio ex genere ſuo eſt in fauorem vtriuſque, & cauſa communis vtrique, ergo, vbi facta fuerit in vtrumque conuentio de Matrimonio ineundo, & de diſpenſatione impetranda non facta expreſſione, cuius expenſis hęc ſit obtinenda, communibus expenſis erit impetranda. Conſequentia tenet, quià commune commodum communi incommodo eſt compenſandum. Dixi *vel tacitè conſentiente*, quod contingeret in caſu, quo Titius promitteret Caiæ conſanguineæ Matrimonium, & ipſa de facto acceptat promiſſionem, & repromittit, nam eo ipſo, quod repromittit ſciens adeſſe impedimentum tacitè conuenit de diſpenſatione impetranda, quandòquidem, qui conſentit in finem, conſentit neceſſariò in ea omnia, quæ conducunt ad finem, & ſine quibus finis obtineri non poteſt, & proinde in ea hypotheſi perinde ſe habet, ac ſi conſenſerit ad talem diſpenſationem obtinendā, & per conſequens idem dicendum eſt, quod dicitur quando præſtitit conſenſum expreſſum. 2 Cōſentiente vtroque ad matrimonium ſcientia impedimenti expenſæ debēt eſſe cōmunes.

Hæc

Digitized by Google

3 Intellige, niſi alter teneatur ratione legati, vel alteri⁹ rationis contrahere cũ illa.

Hæc reſponſio intelligenda eſt, quandò vterque eſt liber ad contrahendum, vel non contrahendum; ſi etenim ſupponas, quod alter ipſorum ex aliquo titulo teneatur ratione legati, vel fideicommiſſi, vel ſucceſſionis maioratus matrimonium illud contrahere, quatenus vocatus fuerit ad illa, ſi matrimonium cum illa conſanguinea contraxerit, tunc certè non communibus expenſis diſpenſatio eſſet impetranda, ſed illius dumtaxat, qui ſic obligatus, & grauatus eſt, prout docent *Meres de maioratu 1. parte q. 50. nu. 3., & 4. parte q. 40. num. 20. Sanchez de matrim. lib. 5. diſp. 5. nu. 21., & lib. 8. diſp. 36. nu. 2.* Ratio ex eo deducitur, quià, cum ipſe teneatur tale matrimonium contrahere, tenetur tollere omnia impedimenta, quæ talis matrimonij executioni poſſunt obſiſtere.

Hic excitant DD. dubium, an, ſi Titius promiſerit matrimonium conſanguineæ, ipſamque ſpe matrimonij violauerit, teneatur diſpenſationem proprijs expenſis impetrare. Negat abſolutè *Nauarrus lib 4. conſ. in prima edit. tit. de ſponſalib. conſ. 25.* Rationem ex eo deducit, quià nec per illam promiſſionem, nec per illam violationem ſe obligauit ad illam diſpenſationem obtinendam, nec ad expenſas illius, quamuis animum habuerit illam impetrandi, niſi illum animum fęminæ conſanguineę violatę denuntiauerit; nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, ex quo promiſerit matrimonium, ſe obligauerit ad ea omnia, quę ſunt neceſſaria ad matrimonium ipſum adimplendum, maximè ſi acceſſerit violatio, adeoque ad diſpenſationem ipſam impetrandam: Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, vt inquit ipſe Nauarrus, promiſſio tantum adhoc extenditur, vt teneatur matrimonium contrahere, ſi obtenta fuerit diſpenſatio. Sanchez verò *lib. 5. de matrimon. diſp. 5. num. 36.* aſſerit obligari ad procurandam diſpenſationem, non tamen integrè ad expenſas eiuſdem. Rationem primæ partis ex eo deducit, quià per illam promiſſionem ſe

3 Si quis conſanguineã violauerit ſub ſpe matrimonij tenetur ad diſpenſationem obtinendã.

obligauit ad matrimonium ineundum, conceſſa diſpenſatione, ergò etiam ſe obligauit ad eandem diſpenſationem impetrandam. Conſequentia probatur, quià obligatus ad aliquod efficiendum intelligitur etiam obligatus ad efficiendum ea, quæ ſunt neceſſaria, vt actus, ad quem ſe obligauit, teneat iuxtà textum *in l. huiuſmodi in princip. nu. 27. ff. de legat. 1.*, & iuxtà hunc ſenſum loquuntur *Tabiena verb. ſponſalia q 8. nu. 9. Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 47. art. 5. dub. 2 Nauarrus lib. 4. conſil. in 2. edit. tit de conſang. conſ. 6. in fin.* Rationem verò ſecundæ partis ex eo trahunt, quod quamuis ratione promiſſionis, & violationis teneatur illud matrimonium contrahere, & per conſequens impetrare diſpenſationem, quià tamen hæc diſpenſatio in vtriuſque fauorem cedit, debet communibus expenſis obtineri, nam per complementum matrimonij vtique adimpletur promiſſio, & reſtituitur fama violatæ, ergò, ſi quid aliud eſt inſumendum, ab vtroque eſt inſumendum. Quoad primam partem, vtique adhærendum opinioni Sanchez exiſtimo propter rationes ab eo adductas: Quoad ſecundam cum diſtinctione procedo; vel etenim illa conſanguinea ſub ſpe matrimonij conſenſit proprię violationi; vel inuita violata eſt; ſi primum;

4 Non tamen integrè proprijs expenſis, ſi illa conſenſerit violationi.

eidem Sanchez conſentio, quod ſcilicet expenſę diſpenſationis debeant eſſe communes, eo quià Titius, nec ex genere ſuo tenetur ad integras illas expenſas, cum diſpenſatio ipſa cedat vtriuſque commodo; nec ratione violationis in pœnam, cum conſentienti nulla fiat iniuria, & ſi quę iniuria inferatur, compenſetur per matrimonium; ſi ſecundum; exiſtimo ratione delicti teneri ad illas expenſas diſpenſationis ipſum, qui vim intulit; quià ſcilicet ratione iniurię alteri illatę tenetur ſe habilem reddere ad compenſandum eidem honorem, quem abſtulit,

5 Secùs, ſi inuitam violauerit.

adeoque ex ſe ad remouenda omnia impedimenta, & licet in hoc etiam caſu illa diſpenſatio cedat in vtriuſque commodum, & vtilitatem, nihilominus, quià fęmina vim paſſa eſt cum iniuria, ęquum eſt, vt ſine maiori detrimento expenſarum conſequatur nuptias.

6 Si ſine conſenſu alterius ad matrimonium alter diſpenſationem obtinuerit, non obligat alterum ad retribuendũ.

Reſpondeo ſecundò. Si ſine alterius conſenſu ſiuè expreſſo, ſiuè tacito impetrata fuerit diſpenſatio, quatenus non præcedente promiſſione, nec repromiſſione matrimonij alter intendens matrimonium cum conſanguinea, vel affecta impedimento dirimente diſpenſationem ipſa omninò inconſulta impetrat, regulariter loquendo ille, qui ſic impetrauit, non obligat alterum ad retributionem partis earundem expenſarum *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 36. nu. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià conſanguinea, in ordine ad cuius nuptias diſpenſationem illam impetrauit, cum fuerit omninò inſcia matrimonij, nec expreſsè, nec tacitè conſenſit in illas nuptias ante diſpenſationem impetratam, nec expreſsè, nec tacitè ſe obligauit ad partem illarum expenſarum, ergò non eſt, cur ad illarum retributionem teneatur: Neque dicas, teneri, quià diſpenſatio ipſa cedit etiam in illius commodum, & vtilitatem; contrà enim impugnaberis, quià, quantumvis cedat in ipſius vtilitatem, quià tamen non conſenſit, niſi poſt eius impetrationem, præſumendum eſt conſentire ſuppoſita tali diſpenſatione obtenta per alterum, fortaſ-

ſis non conſenſura, ſi illa fuiſset communibus expenſis impetranda; nec in hoc ſupponi debet inuitus ille, qui independentèr ab alterius voluntate impetrauit, quandòquidem, cum impetrarit neſcius, an alter ſit conſenſurus in matrimonium, ſe ſpontè expoſuit periculo eas amittendi, ſi alter non conſenſerit, & præſumitur eas inſumpſiſse ad effectum, vt facilius alteram præmoueret ad conſentiendum ea ratione, quod ratione diſpenſationis nihil eſset inſumptura.

7 Secus, ſi impetrata diſpẽſatione altero ignorante cõuentum poſteà fuerit de matrimonio contrahendo.

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam ſi impetrata per alterum diſpenſatione conuentum fuerit de matrimonio contrahendo cum conſanguinea penitus ignara diſpenſationis impetratæ, vtique hæc videtur teneri ad partem expenſarum contribuendam, prout docet etiam *Sanchez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quià, cum conſenſerit in matrimonium penitus ignara diſpenſationis impetratæ perindè eſt, ac ſi conſenſerit eadem non impetrata, ſed quandò conſentit in matrimonium cum conſanguinea diſpenſatione adhuc non impetrata per ſuperius dicta tenetur ad medietatem expenſarum pro illa; ergò etiam tenebitur ad illam medietatem, quandò iam fuerat per alterum diſpenſatio impetrata, ipſa tamen penitus diſpenſationem impetratam ignorabat. Maior ex eo patet, quià quoad hunc effectum non eſse, & non apparere ex vulgatiſſimis iuribus paria ſunt. Neque obeſse poteſt, ſi dicatur, quod ex eo, quod alter impetrauit independentèr ab alterius conſenſu, videatur impetraſse cum animo ex proprijs in integro perſoluendi huiuſmodi expenſas, adeoque medietatem illarum non poſse exigere ab altero, qui non conſenſit; Non, inquam, obeſse poteſt, quià, ex quo impetrauit, & tacuit diſpenſationem vſque ad conſenſum ab altero præſtitum, præſumitur voluiſse talium expenſarum quoad medietatem reintegrationem, & ad hoc exegiſse conſenſum alterius, dum exegit repromiſſionem matrimonij ante manifeſtationem eiuſdem diſpenſationis.

---

§. XXVII.

An impetrata diſpenſatione poſito conſenſu vtriuſque ad matrimonium, ſi alter reſiliat, teneatur ad integras expenſas diſpenſationis.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis. 1.
Varia cauſa, ex quibus quis poteſt exitire à promiſſione. 2.
Si reſiliat iuſtè à fide data matrimonij ſine culpa alterius expenſa remanent communes. 3.
Si doloſè contraxerit cum animo ingrediendi Religionem, & ex eodem motiuo reſilierit, tenetur ad expenſas, quas alter fecit. 4.
Si facta conuentione de matrimonio, & non de expenſis diſpenſationis, dum alter procurat, alter reſiliat ex motiuo non concurrendi ad expenſas, tenetur ad integras, ſi interim diſpenſatio emanarit. 5.
Si alter iuſtè reſiliat, altero præbente culpabilem cauſam reſiliendi, tenetur, qui cauſam dedit, ad integras expenſas. 6.
Intellige etiam, ſi maſculus fornicando cauſam dederit fæmina reſiliendi. 7.
Si alter iniuſtè receſſerit à fide data poſt impetratam diſpenſationem tenetur ad reſarciendas alteri expenſas. 8.

1 Factum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XXVII. Conuenerant adinuicem de contrahendo matrimonio Titius, & Caia conſanguinei, vel affines in ſecundo gradu. Hac data conuentione per alterum ipſorum impetrata eſt diſpenſatio facta integra ſolutione expenſarum pro ipſa. Omnibus ſic compoſitis alter receſſit à promiſſione. Quæſitum hic fuit, an reſiliens teneatur ad integras expenſas factas pro eadem diſpenſatione.

2 Variæ cauſæ, ex quibus poteſt quis reſilire à promiſſione.

Ex plurimis cauſis contingere poteſt, quod hic reſiliat à promiſſione; primò iuſtè abſque tamen culpa alterius, quod contingeret in caſu, quo innixus probabili fundamento, arbitraretur promiſſionem factam non obligare, vel quo decerneret ad Religionem tranſire, vel alter in notabilem deformitatem incideret; Secundò iuſtè quidem, ſed altero culpabilem præbente reſiliendi cauſam, quod contingeret in caſu, quo alter fornicaretur; Tertiò iniuſtè, quatenus ſine vlla prorſus cauſa recederet. Iuxtà has omnes cauſas præſens diſquiſitio in præſenti diluetur. Pro qua.

3 Si reſiliat iuſtè à fide data matrimonij expenſæ ad hunc remanent communes.

Reſpondeo primo, ſi Titius reſiliat iuſtè à fide matrimonij data, ſine culpa tamen alterius non tenetur alteri partem expenſarum, quam ſoluit, reficere, ſed vterque ad ſuam partem tenetur *Sanchez de matrimon. lib. 5. diſp. 5. nu. 33. & lib. 8. diſp. 36. nu. 4. Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt. 47. art. 5. dub. 2.* Ratio ex eo deducitur primo, quià ſic reſiliens ex legitima cauſa non tenetur ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtæ acceptionis, nec ratione contractus ad alteri reſarciendam partem, quam ſoluit, ergò ad ſuam dumtaxat partem tenetur. Antecedens quoad primam partem euincitur, quià ipſe ex parte alterius nihil recepit, nec in aliquo factus eſt ditior, vt per ſe patet, ergò ratione

Digitized by Google

ratione rei acceptæ non tenetur; Quoad ſecundam item euincitur, quià recedendo ſupppoſita legitima cauſa non infert alteri iniuriam, cum vtatur iure ſuo. Quoad tertiam tandem ſic deducitur, quià contractus ille ex genere ſuo non eſt inſolubilis, & quandò eſt legitima cauſa reſiliendi, cogi poteſt reſiliens ad aliquod damnum ſubeundum; Nec obeſſe poteſt textus *in L. ſi pecuniam in princip., ff. de condict. causa data*, vbi dicitur, dantem pecuniam alteri ad effectum, vt Capuam iret, altero non profecto, ſi poſtea reſiliat, licitè reſilire, ita tamen, vt indemnitas alteri præſtetur eius, quod expendit, ergò etiam in præſenti hypotheſi, quamvis poſſit iuſtè reſilire, tenetur tamen alterum indemnem conſeruare, cum nulla culpa afficiatur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià diſpoſitio *in d. l. ſi pecuniam*, eſt ſpecialis omninò, & ſingularis, & inuoluit ſpecialem rationem, quæ non militat in caſu noſtro, quandòquidem in illo caſu, ſi alter deſtinatus ad proficiſcendum Capuam expenſas aliquas fecerit, fecit præcisè intuitu mandantis profectionem, cui propterea incumbit onus illas compenſandi; in noſtro autem caſu expenſæ factæ ſunt in fauorem vtriuſque, ſeù in cauſam communem, adeoque non eſt, cur iuſtè reſiliens teneatur expenſas ab altero factas in ſuam vtilitatem, ſeù in cauſam communem compenſare. Alteram diſparitatem aſſignat *Sanchez lib. 5. de matrimon. diſp. 5. num. 33. verſ. tertio quià hic non tenetur*, ſitam in eo, quod in primo caſu non eſt æqua vtriuſque conditio, quandòquidem in eo caſu mandans poteſt reſilire, non ſic mandatarius, adeoque æquum fuit, vt onus reficiendi expenſas refunderetur in eundem mandantem; in ſecundo autem caſu eſt æqualis vtriuſque conditio, adeoque non eſt, cur reſilienti ex cauſa totum onus imponatur.

4 **Si doloſe contraxerit ex motiuo ingrediēdi religionē tenetur ad partē expenſarum, quas alter ſoluit.**

Diſputant hic DD. an ſi doloſe contraxerit cum animo ſcilicet reſiliendi à fide data ex motiuo ſibi à iure competente ingrediendi ſcilicet Religionem teneatur ſic reſiliens ad partem expenſarum, quam alter ſoluit, reſarciendam. Probabilius exiſtimo teneri *Sanchez de Matrim. lib. 5. diſp. 5. nu. 34. & lib. 8. diſp. 36. nu. 5.* Ratio ex eo deducitur, quià ipſe ſic reſiliens per ingreſſum in Religionem fuit cauſa iniuſta expenſarum, quas alter fecit in impetratione diſpenſationis, quià, quantumvis licitè ingrediatur, illicitè tamen alterum decepit in impetratione illius diſpenſationis, cum animum non haberet perficiendi, & conſummandi contractum, ergo &c.

Vlterius ſic euincitur eadem reſponſio, quià, ſi ipſi contrahentes conſanguinei expreſsè conueniſſent, quod licitum eſſet vtrique reſilire, alter reſiliens non teneretur alteri expenſas diſpenſationis pro ſua medietate reſarcire, nam quoad hoc eſt æqualis vtriuſque contrahentis conditio, nam, ſi alter etiam reſiliat, non tenetur verſus hunc ad hoc onus, ſed hæc conditio tacitè ineſt, quando ſuperuenit iuſta cauſa reſiliendi, cum vnuſquiſque contrahere præſumatur ſub ea conditione, ſi res in eodem ſtatu permaneant, vel niſi elegerint perfectiorem ſtatum, ergo &c.

5 **Si conuentum fuerit de matrimonio cō trahendo & nihil dictum fuerit de expenſis diſpēſationis, & dū alter diſpēſationem procurat, alter reſiliat ex motiuo, quod nolit concurrere ad expenſas tenetur ad integras expenſas, ſi interim literæ diſpenſationis emanatint.**

Hic oritur difficultas, an ſi conuentio facta fuerit inter conſanguineos, vel inter aliter impeditos de contrahendo matrimonio, nihil tamen dictum fuerit de expenſis diſpenſationis, & interim, dum alter diſpenſationem procurat, alter reſiliat ex eo motiuo, quod nolit pro ſua rata concurrere ad huiuſmodi expenſas, & interim factis expenſis exeat reſcriptum diſpenſationis, an, inquam, in ea hypotheſi teneatur ille, qui reſilit, non ſolum ad contribuendum pro ſua parte, ſed etiam ad reſarciendum alteri pro expenſis, quas pro ſui parte fecit. Probabilius ſentio, ſic reſilientem teneri ad integras expenſas, quæ factæ ſunt pro impetratione talis diſpenſationis. Ità ſentire exiſtimo, quotquot ſuſtinent, quod, quando facta eſt conuentio per promiſſionem, & repromiſſionem de incundo matrimonio, quantumvis nihil expreſsè dictum fuerit de expenſis diſpenſationis, teneatur vterque pro rata ad huiuſmodi expenſas, & præcipuè *Sanchez de matrimon. lib. 5. diſp. 5. num. 37. & lib. 8. diſp. 36. num. 1. Tabiena verb ſponſalia q. 8. nu. 19. Armilla ibi nu. 11. Petrus de Ledeſma de matrim q 47. art. 5. dub. 2.* Ratio ex eo deducitur, quià hic reſilit à contractu ſine aliqua iuſta, & legitima cauſa, & ex genere ſuo ad illas expenſas obligatur, ergo tenetur expenſas illas alteri abſolutè reſarcire. Antecedens probatur, quià, ex quo conſenſit matrimonio cum conſanguinea ſe obligauit ad ea, quæ ſunt neceſſaria ad illud perficiendum, & ad onera, tum, quæ conſequuntur, tum, quæ prærequiruntur argumento eorum, quæ tradit *Iaſon in l. huiuſmodi in princip. num 27. ff de legat. 1.*, ergo, ſi ex hoc capite præcisè recedit, recedit ſolummodò ex eo, quod nolit perſiſtere in contractu, cum nolit ea perficere, quæ ſunt neceſſaria contractui, & ſic recedit, quià vult, non quià aliqua ratio legitima moueat ad receſſum, ſed qui recedit ſine cauſa, tenetur ad integras expenſas, quandòquidem fuit in cauſa, cur alter expenſas illas fecerit, nullumque ex illis conſequatur effectum, & quidem culpabili, prout latius infrà videbimus, ergo &c.

Reſpondeo ſecundò. Si alter iuſtè reſilit altero præbente cauſam culpabilem ratio-

6 Si alter dederat culpabilem cauſam reſiliendi tenetur ad integras expenſas.

tionabilis diſceſſus tenetur, qui cauſam dedit ad integras expenſas diſpenſationis. Hoc contingeret in caſu, quo fœmina conſanguinea fornicaretur ante contractum matrimonium. In hanc conſentit *Sanchez de matrim lib.8. diſp.36. n.6. & lib.5. diſp.5. nu.34.* Ratio ex eo deducitur, quià ipſa fœmina conſanguinea ſic fornicans dedit cauſam, & quidam iniuſtam receſſui, & maſculus non ſponte, ſed quaſi coactus recedit, ne teneatur notam dedecoris ſubire, ergo ipſa fœmina, vt cauſa iniuſta tenetur damna expenſarum in impetratione diſpenſationis pati; ipſa etenim eſt cauſa receſſus, nec æquum eſt, vt ex ipſius culpa, & quidem enormi alter innocens careat fine, quem intendit, & ſimul debeat priuari iure ad expenſas, quas fecit in ordine ad talem finem aſſequendum.

7 Intellige, etiã ſi maſculus fornicando causã dederit fœminæ reſiliẽdi.

Hic oritur difficultas, an, ſi maſculus ipſe poſt obtentam diſpenſationem, & ante contractum matrimonium fornicetur, & fœmina ob hanc cauſam reſiliat à promiſſione, teneatur ipſe maſculus ad integras expenſas diſpenſationis. Dirimenda videtur hæc difficultas iuxta ea, quæ diximus *tom 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. II. Praenot. 9. num. 6* ſcilicet aſſerendo, & ipſum maſculum teneri, ſi fornicatus fuerit, ad integras expenſas diſpenſationis. Ratio ex eo deducitur, quià etiam per fornicationem maſculi contingentem poſt datam fidem, ſed ante contractum matrimonij fœmina poteſt recedere ab eadem fide per ea, quæ docent *Abbas in c. quemadmodum de iure iurando nu. 4. Paludanus in 4. diſt.27. q.1. art.3. caſ. 1. n. 17. Brunellus de ſponſalibus concl.8. n.4. Menochius de arbitrar. lib 2 cent. 5. caſ. 455. num. 5. Henriquez lib. 11 de matrimon c.14. num 6. Ludouicus Lopez 2. part. in tract. de matrim. c. 38.*, ergo ſicuti, ſi fœmina fornicetur, & maſculus ob id reſiliat, tenetur eadem fœmina expenſas eidem reſarcire, tenebitur & maſculus eaſdem reſarcire fœminæ, ſi ipſe ex fornicatione eiuſdem maſculi reſiliat à fide data matrimonij; Neque obeſſe poteſt diſparitas, quam aſſignat *Sanchez de matrimon. lib.5. diſput. 5. num.34.*, quod ſcilicet non ſequantur in maſculo fornicante illa notabilis mutatio, & dedecus in fœmina, quæ, ſeù, quod contingeret in fornicatione fœminæ reſpectu viri, adeòque &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quià adæquata ratio diſſolutionis contractus non eſt ſolum illa notabilis rerum viciſſitudo, & mutatio & dedecus, ſed etiam fides violata, & læſa promiſſio, quæ æquè contingit ſiue maſculus, ſiue fœmina fornicetur, quæ læſio, ſicuti tribuit ius reſpectu innocentis ad reſiliendum, cum ſit ex culpa alterius, ità etiam tribuit ius reſilienti, vt compenſetur in expenſis, quas fecit in ordine ad eundem contractum.

Reſpondeo tertiò, ſi alter iniuſtè receſſerit à fide data poſt impetratam diſpenſationem, tenetur ad reſeruandas alteri expenſas, quas fecit, in impetratione diſpenſationis. In hanc reſponſionem propendent omnes nullo penitus excepto; nec difficilis eſt probatio, quandòquidem ipſe fuit iniuſta cauſa, quod alter non conſequatur effectum, ad quem ex communi conſenſu ſaltem tacito ordinatæ fuerunt illæ expenſæ. 8

§. XXVIII.

An deflorans virginem conſanguineam bonæ famæ, aut eam infamans fide data matrimonij poſſit ingredi Religionem, & an tunc teneatur expenſas diſpenſationis integras perſoluere.

SVMMARIVM.

Factum, & varij ſtatus diſquiſitionis. 1.

Si data fide conſanguineam violauerit, & communibus expenſis impetrata fuerit diſpenſatio, non poteſt violans ingredi Religionem. 2.

Si ingrediatur tenetur expenſas ſoluere. 3.

Si nulla fide data matrimonij conſentientem violauerit, & deindè data fide matrimonij impetrata fuerit communibus expenſis diſpenſatio, ſi poſteà reſiliat ad effectum ingrediendi Religionem in foro interno non tenetur ad partem expenſarum alteri retribuendam. 4.

Si conſanguineam violauerit ſub promiſſione pecuniæ, & poſteà pro pecunia matrimonium ſpoponderit, & communibus expenſis impetrauerit diſpenſationẽ, non tenetur expenſas diſpenſationis reſarcire, ſi ingrediatur Religionem. 5.

Si per vim conſanguineam violauerit, & deindè obtenta diſpenſatione matrimonium promiſerit tenetur ad expenſas, ſi Religionem ingrediatur. 6.

DISQVISITIO XXVIII. Titius fide data matrimonij futuri Caiam virginem ſibi conſanguineam deflorauit; poſteà impetrata diſpenſatione ſuper illo impedimento contendebat Religionem ingredi. Hic orta fuit controuerſia, an iuſtè potuerit hoc præſtare, & an, ſi præſtiterit, obligatus fuerit fœminæ expenſas diſpenſationis, quas fecit, compenſare. 1 Facti ſeries.

Secundum diuerſam facti contingentiam dirimenda eſt hæc quæſito, vel etenim fidem dedit matrimonij, & ſub ea ſpe Virginem deflorauit, ſeu cum ea ità ſe habuit, vt ſi non contrahatur matrimonium, illa ſit grauem famæ iacturam perpeſ- *Varij ſtatus diſquiſitionis.*

Digitized by Google

peſſura; vel nullam fidem dedit matrimonij futuri, ſed fæminam ſponte conſentientem, vel leuibus precibus inductam deflorauit, & poſteà matrimonium promiſit impetrata ſuper impedimento diſpenſatione communibus expenſis ex conuentione; vel etiam nulla data fide matrimonij fæmina conſenſit deflorationi propriæ ſub promiſſione tamen certę ſummæ pecuniariæ, & deindè impetrata diſpenſatione ſuper impedimento illa promiſſio pecuniaria commutata eſt in promiſſionem futuri matrimonij; vel tandem fæmina iniurioſè violata eſt, ſcilicet per vim, vel per dolum, ſeu per preces violentiæ equipollentes, & poſteà ad conſulendum iacturæ famæ per deflorantem data eſt fides matrimonij futuri. Iuxtà omnes hos ſenſus præſens diſquiſitio procedit, & examinabitur Pro quo

2 Si data fide matrimonij cõſanguineã violauerit, & cõmunibus expẽſis impetrata fuerit diſpẽſatio, non poteſt violans ingredi Religionem.

Reſpondeo primò, ſi Titius fide data matrimonij ſub ea ſpe virginem conſanguineam deflorauit, & deindè communibus expenſis ex conuentione impetrata fuerit diſpenſatio non poteſt licitè ingredi Religionem, & ſi ingreſſus fuerit, tenetur quoad expenſas diſpenſationis fæminam violatam reſarcire. Conſonat cum ijs, quæ docuimus *tom. 5. ſub tit. Contract. XIV de ſponſalib. II. prænot. 3 aſſert 3. n. 4.*, atque in ipſam propendent *Henriquez lib. 11. de matrimon c. 13. n 3 in comment lit K. Manuel primo tom. ſumma in 2 edit. c. 245. nu 11. Reginaldus lib 31 nu. 258. Sanchez de matrim. lib. 8 diſp 36. n. 8. relatiuè ad lib 1. diſp 44 per totum* Ratio, quod in ea hypotheſi non poſſit iuſtè ſponſa deflorata diſſentiente ingredi Religionem, clarè liquet ex ijs, quæ docuimus *d. tom 5. loc. cit ſub d n. 4* ad quæ vos remitto.

3 Si ingrediatur tenetur expenſas diſpẽſationis impartiri.

Quod verò Titius, ſi ingrediatur, teneatur expenſas diſpenſationis eidem reſarcire ex eo deducitur, quià contrà omne ius alteri aſſiſtens recedit, & eſt cauſa iniurioſa, cur altera non conſequatur effectum, ad quem illas expenſas ordinauerat, ergo non eſt, cur ad illas expenſas reſarciendas non teneatur. Confirmatur, quià deflorator tenetur damna virginalis integritatis amiſſæ reſarcire per ea, quæ docuimus *d. tom. 5 ſub tit Contractus VIV de ſponſalib. II. Prænot. 3. aſſert 3 n. 4.*, ergo etiam tenetur damna, quæ eidem fæminæ defloratæ in bonis fortunæ ex non implemento promiſſionis obueniunt, compenſare, quià nõ ſolum eſt cauſa iniuſta damnorum, quæ ex tali defloratione proueniunt in fama, & bonis vitæ eiuſdem fæminæ, ſed etiam damnorum, quæ contingunt in bonis fortunæ per illam diſpenſationem impetratam: Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ex diſpenſatione diuina perfectior ſtatus eidem ſponſo permittatur, cui præponderare non poſſunt damna contingentia fæminæ ex illa defloratione, cum potius in ſpiritualibus ſibi debeat quis conſulere, quam reparationi damnorum temporalium alterius; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià licet ſecundum ſe bona ſpiritualia propria ſint præferenda bonis temporalibus alienis; fallit tamen, quandò in ordine ad bona temporalia aliena præceſſit obligatio ex iuſtitia, quià tunc hæc primum locum habere debent, cum Deus non acceptet oblationes hominum alteri obligatas, & cum detrimento alterius.

4 Violata conſanguinea conſẽtiente data poſteà fide matrimonij, & obtẽta diſpenſatione non tenetur ad partem, ſi Religionẽ ingrediatur.

Reſpondeo ſecundò, ſi Titius nulla data fide matrimonij fæminam conſanguineam conſentientem, vel leuibus precibus inductam violauerit, & poſteà fidem dederit matrimonij impetrata communibus expenſis diſpenſatione, ſi poſteà fide data reſilierit ad effectum ingrediendi Religionem, in foro interno non tenetur ad partem expenſarum alteri contingentem reſarciendam. In hanc conſenſit *Sanchez lib. 8 de matrim diſp. 36. n. 9.* Ratio ex eo deducitur, quià, ſi communi conſenſu, ſiue expreſſo, ſiuè tacito in matrimonium futurum, & per conſequens in diſpenſationẽ impetrandam concepta fuerit promiſſio, & repromiſſio, & alter ingreſſurus Religionem recedat ad effectũ perfectioris ſtatus, non tenetur hic expenſas diſpenſationis alteri compenſare per ea, quæ ſuperius latè docuimus, ergo nec tenebitur ad earundem compenſationem, ſi antecedenter ad promiſſionem matrimonij fæminam conſentientem, vel leuibus precibus motam violauerit, & poſteà data fide matrimonij receſſerit Religionem ingreſſurus. Conſequentia probatur, quià, quod antecedenter conſentientem violauerit nulla præſtita fide matrimonij nihil confert ad onus illius matrimonij, perindè, ac ſi aliam quamcunque fęminam corruperit, ergo, ſicuti, quandò nulla præceſſit fornicatio, ſed ſolus præſtitus conſenſus ad matrimonium ex vtraque parte, ſi recedat ex fine ingrediendi Religionem non tenetur expenſas diſpenſationis reſarcire, nec tenebitur etiam reſarcire, quantumvis ſecuta fuerit antecedenter violatio, dummodò non facta fuerit intentione, ſeù promiſſione matrimonij. Confirmatur, quià illa fæmina nullam patitur honoris iacturam ex illo ingreſſu, ſed dumtaxat ex defloratione, cui ipſe ſponte conſenſit ſine vllo onere matrimonij, ergo ratione eiuſdem ingreſſus non tenetur ingrediens ad aliquod onus compenſationis.

Dixi, *in foro interno*, quandòquidem, ſi non probaretur, quod violatio illa eſſet facta ſine promiſſione matrimonij, in foro externo compelleretur deflorans ſtare promiſſis, cum eſſet præſumptio, quod

ex

ex tali promiſſione ſecuta fuerit defloratio *arg l. 1 ad fin. de rapt. Virg. Abbas c. 1. n. 2. de adulter. Nauarrus in ſumma c. 16 n. 16. Gutierez qq. canon. lib. 1. c. 37. nu. 11.*

5 Si conſanguineam violauerit, cum promiſſione pecuniæ, ſi poſteà pro pecunia matrimonium promiſerit, & communibus expenſis impetrauerit diſpenſationem non tenetur, ſi Religionē ingrediatur, reſarcire expenſas diſpenſationis, benè tamē pecuniam promiſſam ſoluere.

Reſpondeo tertio. Si Titius nulla fide data matrimonij Virginem conſanguineam violauerit, cum promiſſione tamen ſummæ pecuniariæ, & deindè poſt deflorationem mutata voluntate loco pecuniæ promiſſæ matrimonium ſpoponderit, & ſuper impedimento communibus expenſis impetrauerit diſpenſationem, & poſteà ex motiuo perfectioris ſtatus in Religione à promiſſione illa matrimonij recedat, non tenetur ad reſarciendas fœminæ violatæ expenſas diſpenſationis, ſed tantum ad ſummam illam pecuniariam, quam anteeedentèr promiſit, intuitu violationis. In hanc reſponſionem expreſsè propendet *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 36. num.* 10. Rationem ex eo deduco, quià illa promiſſio matrimonij facta eſt ſubſequētèr ad deflorationem eiuſdem virginis conſanguineæ, ergò, ſicuti, quià in præcedenti reſponſione promiſſio facta fuit ſubſequentèr ad deflorationem, in qua nulla fuit imbibita obligatio matrimonij, ingrediens Monaſterium non tenetur ad vllam expenſarum refectionem pro diſpenſatione, nec tenebitur in præſenti hypotheſi, cum etiam in ipſa in defloratione nulla poſita ſit obligatio matrimonij. Neque obeſse poteſt, ſi aſſeratur, diſparem eſſe rationem in caſu, de quo hic loquimur, ac in caſu præcedentis reſponſionis, quandòquidem in præſenti ſupponitur in defloratione interueniſſe promiſſionem ſummæ pecuniariæ, & poſteà loco eiuſdem ſummæ ſubrogatam eſſe promiſſionem matrimonij; ſubrogatum autem importat eaſdem conditiones, & ſapit naturam eius, cui ſubrogatur; Non, inquam, obeſse poteſt, quià non ſolum attendendum eſt ſubrogatum ſub ea ratione, ſub qua ſubrogatum eſt, ſed ſecundum conditiones, quæ propriæ naturæ conueniunt rei ſubrogatæ; de natura autem matrimonij, ſeù promiſſionis eiuſdem eſt, quod obliget, niſi perfectior ſtatus eligatur, quæ conditio non competit ex genere ſuo promiſſioni ſummæ pecuniariæ, vt per ſe patet.

6 Si per vim conſanguineam violauerit, & deindè ſpōdens matrimoniū impetrata diſpenſatione tenetur expenſas reſarcire, & ingrediatur Religionē.

Reſpondeo quarto. Si Titius iniurioſè hoc eſt per vim, aut dolum, vel per preces æquiualentes coactioni fœminam conſanguineam violarit nulla data tunc fide matrimonij, & poſtea, vt eidem ſatiſfaceret pro illa defloratione impetrata diſpenſatione communibus expenſis matrimonium promiſerit, congruentius non poteſt intuitu perfectioris ſtatus Religionem ingredi, & ſi ingreſſus fuerit, tenetur ad expenſas diſpenſationis eidem reſarciendas. Conſentit *Sanchez loc. cit. nu.* 11. Ratio ex eo deducitur, quià ex vi illius violentæ, & iniurioſæ violationis tenetur in multorum ſententia illam ducere, vel ſaltem in communiori ſententia iuxtà textum *in cap. 1. de adulterijs* diſiunctiuè ducere, vel dotare, vel dotem, quam habebat, augere, prout latè docet *Gutierez qq. canon. lib 1. cap. 37. num 7., & ſeqq.*, ſicque illa promiſſio ſaltem ſub diſiuncto non eſt liberalis, ſed quodamodo debita; cum autem ſubſequentèr violans promiſſerit matrimonium defloratæ, iam ex pluribus, ad quæ ſub diſiuncto tenebatur, ab vnum, nempè ad matrimonium per electionem ſpontaneam ſe determinauit, & quidem non imponendo ſibi nouam obligationem, ſed diſiunctiuam determinando ad alteram ipſius partem; determinata autem obligatione debita ex iuſtitia non poteſt amplius ab eadem recedere, quià, quandò fit determinatio ad vnum ex debitis ex iuſtitia, quod ſemel electum eſt cum conſenſu partis, non poteſt amplius reijci, cum creditor ius ad illud perfectè acquiſierit.

---

§. XXIX.

Quomodo oriatur obligatio reſarciendi expenſas ex promiſſione matrimonij intèr conſanguineos.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis exponitur. 1.
Sententia Soti aſſerentis promiſſionem obligare ex honeſtate, ne expenſa diſpenſationis fruſtra fiant. 2.
Opinio aliorum aſſerentium obligare reuocabilitèr. 3.
Præfertur opinio aſſerens, quòd quamuis non obliget ad matrimonium, obliget tamen ad expenſas diſpenſationis. 4.

DISQVISITIO XXIX. Indubitatum eſt apud omnes promiſſionem de re illicita, ſeù impoſſibili in ſua origine inualidam eſſe; quod autem in ſua origine inualidum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere per textum *in l. quod ab initio, ff. de reg. iuris, & l. ſi tibi decem § ſi pactus, ff. de pactis*. Promiſſio autem de matrimonio futuro inter conſanguineos certè eſt de re illicita, & impoſſibili, cum inter ipſos non poſſit eſſe matrimonium obſtante impedimento dirimente conſanguinitatis; nec iuuat dicere promiſſionem illam conceptam intelligi. *Si Pontifex diſpenſauerit*, quandòquidem communius ſentiunt DD. conditionem illam in nulla habendam eſſe conſideratione 1 Exponitur diſquiſitio in caſu particulari.

Digitized by Google

tione, quandòquidem cum pendeat à Principis voluntate habetur pro impoſſibili, vt præcipuè docent *Ioannes Andreas in c. ſuper eo de condit. appoſit nu. 2. & ibi Innocentius, & Hoſtienſis in init. Ancharanus nu. 7. Cardinal. nu. 2. q. penult. Henricus c. fin. eodem tit. nu. 2. in fin. Phylippus Probus in addit ad Monachum cap. vnico de ſponſalib. in 6. num. 11. Additionator Decij l. ea, quæ rarò num. 4., ff. de reg. iur.*, & ex Theologis, *Victoria in ſumma de matrimon. num. 258. Sotus in 4. diſt. 29. q. 2. art. 1. Veracrux 1. part. ſpeculi art. 19. verſ., quod ſi quæras, Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 47. art. 5 dub. 2. concl. 2.* Modo hic iam quæritur, quomodo poſſit ſubſiſtere obligatio ad reſarciendas expenſas; ſi non ſubſiſtat in ſua radice promiſſio, ex qua ſolummodò poteſt oriri obligatio?

Non habet locum in noſtris principijs. In noſtris principijs, ſecundum quæ aſſeruimus promiſſionem ſub tali conditione conceptam ſubſiſtere, vix aliquid habet difficultatis præſens diſquiſitio, quandòquidem, ſi tenet promiſſio, oritur etiam obligatio ſuppoſita illa diſpenſatione tanquam conditione purificata. Difficultas igitur potiſſimum conſiſtit in ſententia aſſerente talem promiſſionem, vtpotè conceptam ſub conditione impoſſibili non tenere.

2 Opinio Soti. Sotus *in 4. diſt. 29. q. 2. art. 1.* aſſerit, quod, quantumvis illa promiſſio non obliget in vim ſponſalium, obliget tamen ex honeſtate, ne expenſæ diſpenſationis fruſtra fiant.

3 Opinio aſſerentium obligare reuocabilitèr. Gutierez *qq. canon. lib. 1. c. 22. n. 17., & ſeqq Manuel. in ſumma tom. 1. in 2. edit. cap. 44. num. 9.* docent talem promiſſionem non obligare quidem irreuocabilitèr, ſed reuocabilitèr, & poſſe alterutrum contrahentem alterò inuito reſilire ante, & poſt diſpenſationem impetratam, niſi ea impetrata ratificetur conſenſus, eo modo, quo ſponſalia impuberum obligant quidem, ſed reuocabilitèr, cum poſſit vterque puber factus reſilire. Sed, an in hac hypotheſi, ſi alter reſiliat ſine alia cauſa, teneatur ad expenſas reſarciendas diſpenſationis, ſi hæc impetrata fuerit, huiuſmodi DD. non ſtatuunt.

4 Quamvis non obliget ad matrimonium, obligat tamen ad expenſas diſpenſationis. Reſpondeo iuxtà hanc ſententiam, quod, quamvis talis promiſſio ſecundum ſe non obliget ad matrimonium, obliget tamen ad ea in vim pacti ſaltem implicitè, quæ prærequiruntur, vt talis contractus validè, & licitè iniri poſſit, & ſic quantumvis impetrata diſpenſatione, quæ eſt potiſſimum prærequiſitum, poſſit alter recedere à contractu, niſi conſenſum ratificauerit, non tamen eximitur ab onere aſſumpto ad reſarciendas expenſas factas pro tali diſpenſatione, ſi indè ſine cauſa receſſerit. In hac opinionem videtur coincidere opinio *Soti in 4. d. diſt. 29. q. 2. art. 1.* Ratio ex eo deducitur, quià, quamvis à iure vetetur, ne promiſſiones fiant de re impoſſibili, &, ſi fiant, habeantur pro non factis, non tamen vetatur, ne procuretur relaxatio impedimenti, ratione cuius res promiſſa reddatur poſſibilis, & licita, ergò, quantumvis non obligentur per illam ſponſionem in vim ſponſalium, obligantur tamen ex vi illius ad ea, quæ fiunt, vt ſponſalia illa reddantur valida; Neque dicas, quod ex vi promiſſionis ſimplicitèr non intelligatur facta conuentio de illa diſpenſatione impetranda, vt contractus fieret licitus, & validus, adeoque non eſſe, cur reſiliens teneatur ad expenſas pro illa; contra enim impugnaberis, quià eo ipſo, quod facta eſt promiſſio, & repromiſſio de matrimonio futuro cum cognitione illius conſanguinitatis, ſupponitur facta obligatio de ratificando conſenſu, ſi omnia requiſita ad validitatem contractus poſita fuerint, adeoque etiam poſita obligatio ad ponenda ea, quæ prærequiruntur ad validatem actus *arg doctrina Iaſonis in l. huiuſmodi in princip n. 27. ff. de legat. 1.*

Ad ea, quæ in expoſitione diſquiſitionis dicebantur, talem promiſſionem ſcilicet eſſe infectam in radice, adeoque tractu temporis non poſſe conualeſcere, nec cohoneſtari; ex eo, quod ponatur ſub conditione, *ſi Pontifex diſpenſauerit* dicendum eſt, quod, quamuis ſit infecta in ratione promiſſionis formalitèr, non ſit tamen infecta in ratione pacti de promittendo verè, & realitèr, ſi omnia requiſita fuerint poſita, & eo ipſo, quo adeſt tale pactum de promittendo, ſi illa poſita fuerint, intelligitur obligatio quoad ea, quæ deſiderantur ad ponenda talia requiſita. 5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

---

§. XXX.

Exponitur caſus, & quæritur, an in eodem duplex interueniat affinitas vtraque in impetratione diſpenſationis explicanda.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus in ſuis terminis. 1.

Inter deſcendentes Titij, & Petri non conſurgit duplex affinitas. 2.

Martinus non eſt affinis cum Catherina relicta à Paulo ex duplici titulo. 3.

DISQVISITIO XXX. Titius duxit in vxorem Bertam ſororem Petri. Ex Titio, & Berta naſcitur Sempronius. Ex Sempronio naſcitur Paulus, qui ducit in vxorem Catherinam, qua ſuperſtite moritur Paulus ipſius maritus. Rurſus Pe- 1 Factū expoſitum in caſu particulari.

Digitized by Google

trus frater Bertæ vxoris Titij ducit in vxorem Annam ſororem eiuſdem Titij. Ex Petro, & Anna naſcitur Franciſcus, ex Franciſco naſcitur Martinus, qui intendit ducere in vxorem prædictam Catharinam viduam, quæ fuerat vxor Pauli prędefuncti. Quæritur, an Martinus, & Catharina ſint affines ex duplici capite, &, an in impetratione diſpenſationis ſint explicanda duo capita affinitatis.

Ratio dubitandi, à quo deſumatur.

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod Titius ducens Bertam vxorem Petri contrahit affinitatem cum omnibus conſanguineis eiuſdem Bertæ in eo gradu, in quo ipſa Berta cum illis ſeruat conſanguinitatem, ſicuti viceuerſa eadem Berta cõtrahit affinitatem cum conſanguineis Titij in eo gradu, in quo ipſe Titius eſt conſanguineus cum illis. Cum igitur ex alio capite Petrus frater eiuſdem Bertæ matrimonium contraxerit cum Anna ſorore Titij mariti Bertæ ſororis ſuæ, contraxit per conſequens affinitatem cum omnibus conſanguineis eiuſdem Annæ, & per conſequens affinitatem aliam cum eodem Titio, & cum omnibus conſanguineis eiuſdem Annæ; vndè Petrus, & Titius duplicem adinuicem contraxerunt affinitatem; alteram, qua Titius duxit Bertam ſororem Petri. alteram, qua Petrus duxit Annam ſororem Titij. Rurſus cum Titius per matrimonium cum Berta contraxerit affinitatem cum omnibus conſanguineis eiuſdem Bertæ in eo gradu, in quo Berta eſt cum illis conſanguinea, per conſequens contraxit affinitatem in ſecundo gradu cum Franciſco deſcendente immediatè à Petro & Anna, & in tertio gradu cum Martino deſcendente ab eodem Franciſco; & viceverſa Petrus per matrimonium, quod contraxit cum Anna ſorore Titij, contraxit cum eodem Titio affinitatem in primo gradu. cum Sempronio deſcendente ab eodem Titio, & Berta in ſecundo gradu, & cum Paulo deſcendente ab eodem Sempronio, & marito Catherinæ in tertio gradu.

2 Inter deſcendentes Titij, & Petri nõ conſurgit duplex affinitas.

Ex eo autem, quod Titius, & Petrus ad inuicem contraxerint duplicem affinitatem, diſſidium modo eſt, an eadem duplex affinitas deſcenderit ſecundum proportionem gradum in conſanguineis vtriuſque comparatiuè ad ſe inuicem; qua in controuerſia dicendum eſt in linea affinitatis non conſurgere illam duplicem affinitatem inter conſanguineos vtriuſq; coniugis inter ſe *Emanuel Sa de impedim. matrim. nu.4. Reginaldus lib. 31. n.145. Henriquez lib 12. c.10 n 1. Sanchez lib.7. diſp 67. nu 2. Guterez de matrimon. diſp. 22. dub. 4*, quià inter conſanguineos mariti, & conſanguineos vxoris nulla prorſus eſt affinitus, nec inter affines oritur aliud vinculum cum quacunque alia perſona; vndè filia vxoris ex alio matrimonio habita, aut ex fornicatione cum altero poteſt nubere filio, aut fratri mariti *Sanchez de matrim. lib.7. diſp.67. nu 2.*, & duæ ſorores poſſunt nubere duobus fratribus *c. quod ſuper his de conſang & affin.*, & quis poteſt in vxorem accipere relictam à propriæ vxoris fratre.

Reducendo iam rem ad terminos proprios præſentis diſquiſitionis iam patet, quod, quamvis Titius nubendo Bertæ ſorori Petri, & Petrus nubendo Annæ ſorori Titij, vterque contraxerit comparatiuè ad conſanguineos alterius affinitatem ſecundum proprium gradum conſanguinitatis, ſecundum quem vnus ipſorum eſt conſanguineus ad illos ſemper ſeruata debita relatione, non propterea conſanguinei Titij fiant affines conſanguineis Petri, nec è contra conſanguinei Petri, conſanguineis Titij: Ex eo tamen, quod Berta ſoror Petri nupſerit Titio, & Anna ſoror Titij nupſerit Petro, ſequitur, quod filij, & Nepotes vtriuſque ſibi ſint ad inuicem conſanguinei ſecundum proportionem graduum, ſecundum quam diſtant à communi ſtipite, filij quidem Titij cum conſanguineis Petri intuitu Bertæ ſororis eiuſdem Petri, & filij Petri cum conſanguineis Titij intuitu Annæ ſororis eiuſdẽ Titij, & ſic ſucceſſiue de nepotibus ab vtroque deſcendentibus ad inuicem comparatis. Quibus ſuppoſitis

Reſpondeo, Martinum non eſſe affinem cum Catharina relicta à Paulo, niſi quatenus erat conſanguinea cum eodem Paulo, & quidem in eo gradu, in quo conſanguinitatem habebat cum eodem Paulo, & per conſequens in impetratione diſpenſationis non teneri, niſi eundem gradum exprimere. Ratio ex eo deducitur, quià non eſt aſſignabile, in quo duplex illa affinitas fundetur; non enim poteſt fundari in eo, quod Titius nupſerit Bertæ ſorori Petri, & Petrus nupſerit Annæ ſorori Titij, quandòquidem affinitas reſtringitur inter eoſdem Petrum, & Titium ad conſanguineos vtriuſque, non autem dilatatur ad eoſdem conſanguineos inter ſe; cum enim ex genere ſuo affinitas contracta per maritum cum conſanguineis vxoris non deſcendat ad filios eiuſdẽ mariti comparatiuè ad eoſdem conſanguineos vxoris per textum *in c. ſuper his de conſang. & affin.*, & prout docet *Bonacina de matrimon. q. 2. punct.12. prop.1. n.2.*, cum alijs communiter ab eodem allegatis, nec eadem deſcendere in alijs deſcendentibus alterius Mariti, qui contraxit cum ſorore primi mariti comparatiue ad filios, & nepotes eiuſdem primi cenſenda eſt. Stat igitur ſolum, quod Martinus ſolummodò ſit affinis Catherinæ, quatenus hæc nupſit Paulo, qui erat conſanguineus eiuſdem Martini in tertio gradu, adeòque

3 Martinus non eſt affinis cum Catherina relicta à Paulo ex duplici titulo.

eſt

Digitized by Google

eſt ſolummodò affinis cum eadem in tertio gradu, ſicque petita diſpenſatione pro affinitate in tertio gradu non erit, cur eadem obtenta non poſſit validè, & licitè contrahere cum eadem Catherina.

---

§. XXXI.

An in ſuppoſitione, quod Catherina ſit affecta affinitate ex duplici titulo cum Martino teneatur vtrumque titulum exponere.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries ex ſuppoſitione. 1.
Vtrumque caput affinitatis eſt exponendum. 2.
In odioſis duplum non continetur ſub ſimplo. 3.

1 Factum ex ſuppoſitione propoſitum. DISQVISITIO XXXI. Iuxtà terminos præcedentis diſquiſitionis ſuppono Catherinam non ſolum eſſe affinem Martini ex eo, quod fuerit mulier Pauli conſanguinei eiuſdem Martini in tertio gradu, ſed etiam affinem ex alio titulo in quarto tamen dumtaxat gradu. Hoc ſuppoſito, dum intendunt ad inuicem contrahere idem Martinus, & Catherina matrimonium, quæritur, an in impetratione diſpenſationis teneantur affinitatem ex vtroque capite exponere? & quidem dubium non eſt, quod non ſufficiat exponere gradum remotiorem ex vno titulo, reticito proximiori ex alio titulo, quandòquidem gradus remotior non continet in ſe proximiorem. Difficultas igitur potior ſiſtit in eo, an ſufficiat exprimere gradum proximiorem reticito remotiori.

2 Vtrumque caput affinitatis eſt exponendum. Reſpondeo, vtrumque caput affinitatis eſſe exponendum, nec ſufficere exprimere titulum, ex quo proximior affinitas conſurgit. Conſonat cum ijs, quæ ſupra docuimus *hoc eod. tom. ſub tit. Contractus XV. de matrim III. Pranot. 23. n. 3.*, & conſentit *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp 24. num. 10.* Ratio ex eo deducitur, quod in odioſis, cuiuſmodi ſunt diſpenſationes contrà ius commune, duplum non continetur, ſub ſimplo *Bartolus in l. Gallus §. & quid ſi tantum num. 3. ff. de lib. & poſth.* per textum *in l. vim paſſam verſ. praſcript. ff. ad leg. Iul. de adult.*, ergo, cum duplex ſit impedimentum affinitatis inter Martinum, & Catherinam, ſub diſpenſatione vnius non cadit diſpenſatio ſuper altero; Ne-

3 Duplum in odioſis non continetur ſub ſimplo. que dicas in diſpenſatione ſtrictioris contineri id, quod minus, maximè cum verremur in eodem ordine affinitatis, quod etiam latè diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim, 3. diſp. 23. n. 4.* dum aſſeruimus, quod quando contrahere volentes diſtant ex eodem titulo inæqualiter à cõmuni ſtipite ſufficiat, quod exprimatur gradus remotior, prout docent *Probus addit. ad Monachum rub. de cognat. ſpirit. num. vnico verſ & quando ſunt Coaruuias 4. decret. 2 part c. 6. §* 10. *nu.* 12. *Ludouicus Lopez 3. part. inſtruct vbi de matrim. c. 49. in impedimento conſanguinitatis col. 5. verſ. poſtremo*; contrà enim impugnaberis, quià, quantumvis duplex illa affinitas ſit in eodem ordine affinitatis, prouenit tamen ex diuerſo principio, quod ſatis eſt ad inducendum onus expreſſionis vtriuſque in impetratione diſpenſationis; vt videre etiam eſt in conſanguineis ex duplici principio, ſeù motiuo, quod vtrumque eſt exprimendum; Neque ea, quæ obijciuntur ex alibi dictis, vim aliquam in hoc inferunt, quandòquidem ea procedunt, quandò non ſolum ex eodem ordine, ſed etiam ex eodem principio illa affinitas oritur, licet ſit inæqualitas ratione perſonarum magis, vel minus diſtantium à communi ſtipite, vt ſi ex eadem copula, ſiuè licita, ſiuè illicita oritur v. g. conſanguinitas, & conſtituitur ſtipes, & deindè conſanguinei ex parte maſculi minus diſtant ab eodem ſtipite pura in ſecundo tantum gradu, & conſanguinei ex parte fœminæ diſtant magis, pura in quarto, tunc etenim ſufficit expreſſio remotioris gradus; ea autem, quæ hic dicuntur, procedunt à diuerſo principio, & conſtituunt duplicem affinitatem, adeòque vtraque eſt exprimenda.

Vlterius eadem reſponſio poteſt ſic euinci, quià, quandò affinitas conſurgit ex duplici capite, ſeù duplici principio, non eſt eadem ſanguinis communicatio, Non eſt eadem ſanguinis cõmunicatio. ſed diuerſa, ſeù oritur ex diuerſa ſanguinum communicatione, ſed per diſpenſationem ſuper vna ſanguinis communicatione non trahitur neceſſario diſpenſatio ſuper altera, quamvis ſit magis remota, cum quoad hoc non ſit præſumenda intentio diſpenſantis, quinimmò, ſi Pontifici vtraque exponeretur, difficilius diſpenſaret, ergo &c. Accedit vlterius id, quod fuſis paginis ſparſim diximus, quod ſcilicet diſpenſationes ſint ſtrictè interpretandæ, nec trahendæ à caſu expreſſo ad caſum non expreſſum, præcipuè, ſi huiuſmodi caſus ad inuicem non communicent; vna autem affinitas in præſenti hypotheſi non communicat cum altera, cum proueniat ex diuerſo principio, & importat diuerſam ſanguinum communicationem, ergo &c.

Digitized by Google

§. XXXII.

An facultas diſpenſandi in certo aliquo gradu etiam cum perſona determinata extendatur ad diſpenſandum cum eadem in eodem gradu duplicato.

SVMMARIVM.

Duplex ſenſus diſquiſitionis proponitur. 1.
Sententia negans, poſſe diſpenſare in gradu illo duplicato, quando facultas eſt ad diſpenſandum in tertio gradu in genere 2.
Quando facultas eſt quoad perſonam determinatam ſententia affirmans. 3.
Sententia negans exponitur. 4.
Si facultas illa ſit indefinita quoad perſonas commiſſarius poteſt diſpenſare in gradu duplicato. 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 6.
Si fuerit pro determinata perſona extenditur, ſi fuerit conceſſa in fauorem commiſſarij, non extenditur, ſi fuerit in fauorem petentis. 7.
Quandonam præſumatur, quod fuerit in fauorem commiſſarij, & quando in fauorem petentis. 8.

1 Duplex ſenſus diſquiſitionis

DISQVISITIO XXXII. Conceſſa fuerat per Romanum Pontificem cuidam Epiſcopo facultas diſpenſandi in tertio gradu, vel conſanguinitatis, vel affinitatis, vel in genere cum ſuis ſubditis, vel in ſpecie, & in indiuiduo cum certa, & determinata perſona. Quæſitum hic fuit, an ex vi illius facultatis ſibi conceſſæ poſſet indiferenter cum omnibus affectis impedimento in tali gradu diſpenſare, quantumvis ille gradus eſſet duplicatus, ſi conceſſio fuerit indefinita ſaltem quoad ſuos ſubditos, an verò cum perſona illa determinata, ſi duplicato gradu in illo impedimento afficiatur, & conceſſio fuerit ad illam perſonam determinatam limitata, & reſtricta.

Quoad primam partem negat *Milis in ſuo repert lit. D num. 23. verb. diſpenſatio verſ. diſpenſandi facultas* paritate deducta ex facultate conceſſa diſpenſandi cum nato ex adulterio, quam aſſerit non extendi, quandò natus eſt ex vtriuſque parentis adulterio, cum ſimplex non contineatur ſub mixto.

2 Quandò facultas eſt in genere ſententia negans,

Ex aduerſo affirmant *Calderinus conſ 1. num. vnico de conſanguin. Alexander de Neuo cap. quod dilectio ad fin de conſanguin. Felinus c fin. num. 8. de ſimonia, Iacobus de Puteo deciſ. 39 num. 2. lib 3. Rota Romana in nouiſſimis volum 3. lib. 1. deciſ. 117. num. 3.* deducta ratione ex generali regula, ſecundum quam dicitur, quod diſpenſatio ſit ſtrictè, facultas autem diſpenſandi latè interpretanda.

3 Quandò facultas eſt quoad perſonam determinatam ſententia affirmans.

Quoad ſecundam partem, quandò ſcilicet facultas conceſſa eſt pro determinata perſona affirmant facultatem illam extendi ad gradum duplicatum, quotquot ſuſtinent extendi, quandò facultas eſt conceſſa pro diſpenſatione in tali gradu cum omnibus ſubditis illius, cui conceſſa eſt talis facultas, & ſiſtunt in eodem fundamento, quod ſcilicet facultas ſit amplianda, nec deſinit eſſe talis, eo quià coarctetur in ordine ad vnam determinatam perſonam, cum habeat vires in ordine ad eandem, quas habet facultas indefinita in ordine ad omnes.

4 Sententia negans exponitur.

Ex aduerſo negant alij, eo quià illa facultas diſpenſandi in ordine ad determinatam perſonam habet vim formalis diſpenſationis, quæ proueniat immediatè ab ipſo concedente, & executio dependeat tantum à commiſſario, cui dicitur conceſſa facultas diſpenſandi cum illo; Diſpenſatio autem formalitèr ſumpta ex ſuperius latè dictis ſemper eſt ſtrictè interpretanda. Quid igitur in hac controuerſia concludendum?

5 Quandò facultas eſt indefinita commiſſarius poteſt diſpenſare in gradu illo duplicato.

Reſpondeo primo, Epiſcopum illum ex vi illius facultatis indefinitæ quoad perſonas diſpenſandi in certo gradu poſſe diſpenſare in eodem gradu duplicato. Ita prætèr præcitatos *Propoſitus in d. cap. quod dilectio num. 8. verſ. quæro Papa, Ripa reſp. 11. n. 16. de reſcript. Gambara de auct legat. lib. 7. diſpenſatione legatorum circa matrimonialem num 46. Felinus cap. & ſi clerici §. de adulterijs num. 8. de iudicijs.* Ratio ex eo deducitur primo, quià poteſtas propria diſpenſandi, ſiuè ſit ordinaria, ſiuè delegata eſt fauorabilis, & amplianda per ea, quæ ſuprà latè diximus, & in fauorabilibus duplum continetur ſub ſimplo, *Bartolus in l. Gallus §. & quid ſi tantum n. 3. ff de lib, & poſth.*, ergò conceſſa ad diſpenſandum in certo gradu extendetur ad diſpenſandum in eodem, quantumvis fuerit duplicatus. Secundò, quià hæc poteſtas indefinitè conceſſa ad diſpenſandum cum omnibus in certo gradu eſt in fauorem eius, cui conceſſa eſt, & merum Principis beneficium; beneficium autem Principis latè interpretandum eſt ad textum *in c. olim de verb. ſignif., & l beneficium, ff. de conſtitut. Princip*, quod potiſſimum verificatur, quandò priuilegium non eſt contra ius, ſed ſolum contra ipſum concedentem.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ex quibus patet, quid reſpondendum quoad ea, quæ ex aduerſo afferebantur; quamvis etenim diſpenſatio ſuper illegitimitate natalium non extendatur ad illegitimum ex adulterio vtriuſque parentis, vt alibi diximus; poteſtas tamen legi-

Digitized by Google

legitimandi natum ex adulterio extenditur ad natum adulterinum ex vtroque parente proptèr diuerſitatem aſſignatam inter diſpenſationem, quæ ſtricti iuris eſt, vtpotè odioſa, & inter facultatem diſpenſandi, quæ vtpotè fauorabilis, eſt amplianda, & extendenda.

7 Si facultas fuerit pro determinata perſona extenditur ad gradum duplicatũ, ſi fuerit in fauorem commiſſarij, non extẽditur, ſi fuerit in fauorem petentis.

Reſpondeo ſecundo. Si talis facultas diſpenſandi in tali gradu dirigatur ad determinatam perſonam in reſcripto nominatam probabilius, ſi fuerit conceſsa in fauorem eiuſdem perſonæ, non extenditur ad talem gradum duplicatum, ſecus verò, ſi conceſsa fuerit in fauorem electi ad diſpenſandum, *Ioannes Andreas cap. fin. nu. 3. in fin. de ſimonia, & ibi Antonius num. 5. Abbas nu. 3. Altiatus l. 2 in princip. num. 50. verſ. fallit ſecundo. ff. de verb oblig., & ibi Gallianla num. 11. Gambara de aucl. leg. lib. 10. nu. 200. Iacobus de Puteo in ſuis deciſ. lib 3. deciſ. 39. num 2. Coarruuias 4. decret. 2. part. c. 8. § 8. in fin.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià illa facultas diſpenſandi quoad certam perſonam expreſsè nominatam quoad impedimentum in certo, & determinato gradu, ſi ſit in fauorem perſonæ diſpenſandæ, habet potius naturam propriæ, & formalis diſpenſationis, cuius executio committatur ei, cui dicitur talis facultas commiſsa diſpenſandi, ſed formalis diſpenſatio, vtpotè ſtrictè interpretanda, non trahitur ad caſum duplum, niſi exprimatur, ergò &c. Confirmatur, quià quandò eſt facultas conceſsa pro determinata, & expreſſim nominata perſona, & in vtilitatem ipſius eſt potius beneficium Principis paſſiuum reſpectu eiuſdem perſonę, quam actiuum reſpectu eius, cui committitur talis facultas, ergò non eſt ex genere ſuo extendenda, ſed potius reſtringenda, vt non plus, quam par ſit, lædat ius commune, quandòquidem tunc correſpondet formali diſpenſationi. Ratio ſecundę partis ex eo deducitur, quià, quandò talis facultas conceditur in fauorem ipſius, qui debet diſpenſare, habet rationem beneficij actiui reſpectu eiuſdem, & potius poteſtatis, quam formalis diſpenſationis; beneficium autem actiuum Principis, ſeù poteſtas collata ad diſpenſandum latè eſt interpretanda per vulgatiſſima iura ſparſim alibi allegata; hocque habetur *in c. ſi cui nulla de præbendis in 6.*, & prętер præcitatos DD. hoc ſuſtinent *Angelus verb. diſpenſatio num. 9., & ibi Silueſter q. 5. num. 9. Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 2. num. 6.*, & nos etiam ſuprà tradidimus, ni fallor.

8 Quandonam præſumatur, quod fuerit in fauorẽ commiſſarij, & quandò in fauorem petentis.

Si autem hic inquiras, quandonam ſit pręſumendum, quod hæc facultas fuerit conceſsa, vel in fauorem commiſsarij, vel in fauorem eius, cui cedere debet diſpenſatio, attendendum eſt in primis ad cuius petitionem fuerit conceſsa, an ſcilicet commiſsarij diſpenſaturi, an verò indigentis diſpenſatione, & tunc, ſi ad petitionem iſtius fuerit conceſsa pręſumendum eſt, quod referatur ad ipſius fauorem, ſi verò ad inſtantiam illius, quod referatur ad fauorem commiſsarij diſpenſaturi, prout notat *Iacobus de Puteo in ſuis deciſ. d. lib. 3. deciſ. 39. nu. 2. Rota Romana in nouiſſimis 3. tom. lib. 1. deciſ. 117. in fin., & lib 2. deciſ. 700 in fin.* Deindè in dubio, an in fauorem vnius, vel alterius fuerit conceſsa, præſumerem potius pro ipſo diſpenſando, ſeù indigente diſpenſatione.

---

§. XXXIII.

An error communis circa gradum reddat validam diſpenſationem.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Sententia aſſerens validum matrimonium ex illa diſpenſatione cum errore communi. num. 2.
Rationes pro tali ſententia. 3.
Probabilius illa diſpenſatio non tenet, non obſtante errore communi. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 5.

1 Factum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XXXIII. Communitèr habebantur Titius, & Theodorica conſanguinei, vel affines in tertio tantum gradu, vel fortè reputabantur affines, cum tamen re vera eſsent affines, vel conſanguinei in ſecundo gradu, vel fortè, vt aſserebamus, affines, cum tamen eſsent conſanguinei. Stante hoc errore communi recurſum habuerunt ad Romanum Pontificem petentes diſpenſationem pro tertio tantum gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, cum eſsent affines, & conſanguinei in ſecundo, vel pro affinitate in determinato gradu, cum eſsent cõſanguinei in illo gradu, & tali diſpenſatione dignati ſunt iuxtà petita. Quæſitum hic fuit, an errore communi ſuffragante illa diſpenſatio ſic conceſsa ſubſiſteret, & redderet matrimonium illud validum.

2 Sententia aſſerens validum fore matrimonium contractũ ex illa diſpẽſatione cum errore cõmuni.

Ex paritate rationis videntur affirmare validum fore illud matrimonium contractum ex illa diſpenſatione cum errore communi, *Lapus allegat. 89 n 9 Dominicus c. ſuſceptum nu. 5. de reſcript in 6. Felinus cap. in noſtra num. 38. verſ., quod dictum eſt de reſcriptis, Rebuffus in concordatis in forma mandati Apoſtolici paulò ante verſ. item expreſſo, Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 3. caſ. 202. num. 104.* dum aſserunt, quod

Digitized by Google

quod vacante aliquo beneficio, ſi impetretur, non expreſſo modo vacationis non teneat quidem reſcriptum conceſſionis, ſi diuerſus modus vacationis fuerit expoſitus, hancque ponunt exceptionem *niſi eſſet error communis exiſtimans modo illo expoſito illud beneficium vacaſſe*, ergò etiam in præſenti hypotheſi diſpenſatio illa arbitranda eſt non ſubſiſtere cum expoſitione diuerſi gradus, vel tituli ab eo, in quo ſunt contrahentes, niſi communis error teneat impedimentum eſſe in eo gradu, vel titulo, quo fuit expoſitus in libello petitionis.

3 Rationes pro tali ſententia. Rationes plurimæ huius opinionis poſſunt adduci, & primo, quià quoad valorem actuum opinio communis quandoque prefertur veritati, vt videre eſt in eo, qui communitèr reputatur Parochus, cum tamen talis non ſit, cuius actus iuriſdictionales ex communi errore cum titulo colorato legitimantur, vt latè alibi diximus. Secundò ex eo, quod dicitur communitèr, quod error communis faciat ius per textum *in l. Barbarius, ff. de offic. prætor.* Tertiò, quià tunc contrahentes bona fide contraxerunt, & quidem contractum ex genere ſuo indiſſolubilem, & vtique rationabilis præſumptio eſſet, quod, ſi poſt factum Pontifex interrogaretur de illo contracto ſic inito per bonam fidem contrahentium exiſtente communi errore illum non diſſolueret, nec declararet diſſoluendum, ergò &c. Nihilominus his minimè obſtantibus.

4 Probabilius illa diſpẽſatio non ſuffragatur. Reſpondeo, probabilius eſſe illam diſpenſationem non ſuffragari non obſtante illo errore communi, ſed cognito errore contractum illum diſſoluendum eſſe. Ita expreſsè, & in his terminis *Sanchez de matrimon. lib.* 8. *diſp.* 24. *num.* 20 Rationes plurimas huius reſponſionis poſſem adducere, quas tamen ad paucas reſtringo. Prima eſt, quià, ſi quis contrahat cum impedimento dirimente occulto, quantumvis bona fide etiam accedente communi errore inualidè contrahit, & detecto impedimento matrimonium illud eſt diſſoluendum, & coniuges ſeparandi, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergò etiam, ſi quis contrahat cum impedimento in vno gradu, ſeù in vno titulo, quod tamen ſit in gradu ſtrictiori, & in diuerſo titulo, quantumvis communi errore gradus minus ſtrictus, & titulus diuerſus habeatur pro vero, & acceſſerit diſpenſatio pro tali gradu minus ſtricto, & titulo diuerſo expoſito in ſupplici libello non tenebit contractus. Conſequentia probatur, quià ex vno capite bona fides, & error communis in caſu antecedentis nihil confert ad validitatem contractus, quinimmò, ſi contractus eſſet in gradu prohibito, qui tamen reputaretur communi errore non prohibitus, adhuc eſſet nullus; ex alio capite diſpenſatio quoad alium gradum, ſeù titulum non expreſſum non confert, cum ſit ſtricti iuris, & non extenditur ad non expreſſa maximè, ſi ſit ſtrictioris iuris, & in diuerſo ordine, ſeù titulo, ergò &c. Secunda, quià diſpenſatio ſolum operatur in eo gradu, qui exponitur, & reliqua in ſuo robore relinquit, nec augendo, nec demendo, ergo, cum referatur ad ſolum tertium gradum affinitatis, vel conſanguinitatis, vel ad conſanguinitatem, cum impedimentum ſit affinitatis, conſanguinitas in ſecundo gradu, vel etiã affinitas adhuc permanebit in ſuo robore, adeòque &c. Tertia, quià textus *in l. Barbarius ff. de offic. Prætor.*, in quo fundantur DD contrariæ opinionis loquitur tantum quoad iuriſdictionalia, & vim tantum habet, quandò habens titulum coloratum habet titulum à legitimo ſuperiore, ſed hic verſamur in impedimento, quod afficit contrahentes, eoſdemque inhabiles reddit ad contrahendum, & eius oppoſitum potius ſpectat ad formam, quam ad efficientem, ergo &c. Rationes pro reſponſione.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, nunc reſpondendum eſt, & quidem quoad paritatem adductam de beneficio vacante impetrata ſine vera enuntiatione modo, quo vacauit, dicendum eſt diſparem eſſe rationem, quantumvis in illo, & in noſtro caſu æquè interceſſerit error communis, & bona fides. Ratio diuerſitatis in eo conſiſtit, quod error quoad modum vacationis beneficij eſt error ſolummodò quoad accidens, non in ſubſtantia, cum beneficium illud verè vacauerit; error autem quoad gradum, vel quoad titulum eſt error quoad ſubſtantiam, cum ex genere ſuo irritet matrimonium, cum reddat contrahentes inhabiles ad contrahendum, adeòque &c. Ad illud, quod primo loco, & ſecundo affertur pro probatione dicendum eſt, ea verificari ſolummodò, quando defectus eſt ex parte cauſæ efficientis, & quoad iuriſdictionalia ſuppoſito, quod titulus proceſſerit à legitimo ſuperiore habente poteſtatem conferendi, licet poſteà ceſſarit, permanente tamen errore communi, quod non ceſſarit; hic autem defectus, de quo loquimur, ſe tenet potius ex parte formæ, ſeù ſubiecti, quod inhabile ſupponitur, adeòque quo ad illam, ſeù illud non poteſt habere locum error communis, nec opinio aduerſus veritatem ſecundum ſe ipſam verificatam; Hoc clarè videre eſt in eo, qui cum errore communi contraxit in impedimento occulto dirimente, quod, ſi detegatur, matrimonium eſt diſſoluendum, non niſi, quià illud impedimentum pertinet ad formam, & reddit contrahentes in-

ha-

Digitized by Google

habiles; ex aduerſo, ſi quis contrahat matrimonium ſine vllo impedimento ex parte ſui cum aſſiſtentia tamen alicuius non Sacerdotis deputati à Parocho ad aſſiſtendum, qui tamen communi errore habeatur pro Sacerdote validè contrahit, & cognito errore non eſt diſſoluendum, non niſi, quià hic error verſatur circa ea, quæ pertinent ad iuriſdictionem, & cauſam efficientem, in quibus error communis facit ius. Ad illud, quod tertio loco ſubditur dicendum eſt gratis omninò præſumi, quod, ſi Pontifex interrogaretur poſt contractum matrimonium non reſponderet diſſoluendum, ſeu ex vi illius præcedentis diſpenſationis tenere; cum ex ſtilo curiæ matrimonia inita in gradu ſtrictiori ab illo, qui fuit expoſitus, habeantur pro inualidis; probabile tamen foret, quod in illo caſu erroris communis, & bonæ fidei, quibus contractum fuit illud matrimonium, & conſummatum per nouam diſpenſationem Pontifex annueret conualidationi contractus, ne damna irreperent fœminæ violatæ, & proli: cæterum non eſt, cur ex vi illius præcedentis diſpenſationis ſecundum ſe illud matrimonium debeat tenere, cum illa vtpotè odioſa non poſſit extendi à caſu minus ſtricto ad ſtrictiorem.

§. XXXIV.

An priuilegium conceſſum Indis noui orbis, vt poſſint nubere in tertio, & quarto gradu, extendatur, quandò alter diſtat ſolummodò in ſecundo gradu à ſtipite, alter in tertio, vel quarto.

SVMMARIVM.

Dilucidatur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens, quod, quando gradus propinquior ſtipiti eſt primus non teneat diſpenſatio, in qua ſolius gradus remotioris fit mentio. 2.
Contraria ſententia eſt verior, & præfertur. 3.
Indultum Pauli III. intelligitur etiam quoad cognationem adoptiuam. 4.
In matrimonio ineundo in partibus Indiæ inter conſanguineos in gradibus ibi permiſſis non ſunt neceſſariæ literæ declaratoriæ. 5.

1 Explicatur diſquiſitionis ſenſus.

DISQVISITIO XXXIV. Paulus III. fel. record. conceſſit Indis Noui orbis, vt, quantumuis ſint conſanguinei in tertio, vel quarto gradu inter ſe, poſſet nihilominus ſine alia diſpenſatione contrahere matrimonium. Hoc ſuppoſito priuilegio Calidonia in illis regionibus diſtabat tantum in ſecundo gradu à communi ſtipite; Titius verò, vel in tertio, vel in quarto gradu. Quæſitum hic fuit, an ex vi illius conceſſionis Pauli III. poſſent iſti ad inuicem contrahere ſine alia diſpenſatione, & ſine litteris declaratorijs præſcriptis a Pio V. *in motu quodam proprio edito de anno* 1566. *die 26. Auguſti incipiente Sanctiſſimus*; atque etiam hoc quæſitum extendi poteſt, quando Calidonia diſtaret tantum in primo gradu à communi ſtipite.

2 Sententia aſſerens, quod quando gradus propinquior ſtipiti eſt primus, non teneat diſpenſatio, in qua ſolius gradus remotioris facta eſt mentio.

Sanchez *lib 8 de matrimon diſp. 34. n. 32. & num.* 34. aſſerit, quandò propinquior gradus ſtipiti eſt primus, nullatenus valere diſpenſationem, in qua ſolius gradus remotioris fit mentio, hocque conſtare aſſerit ex declaratione Pij V. in ſuo motu proprio, vbi declarat literas non poſſe ſubreptione notari defectu expreſſionis gradus proximioris conſanguinitatis, vel affinitatis, illa tamen addita exceptione *Dummodò primum quoquomodo non attingant, cum in eo Sanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat*, atque eidem Sanchez adhæret *Petrus de Ledeſma q. 54. art. 2. col. penult. not. 1.* Nihilominus

3 Contraria ſententia eſt verior, & præfertur.

Reſpondeo primò, quod, quantumvis Calidonia diſtaret tantum in primo gradu à communi ſtipite, & Titius in tertio, vel quarto, adhuc tamen poſſent in illis regionibus validè inter ſe contrahere matrimonium *VeraCrux prima parte ſpecul art 44. pag. 3. concl. 3. Vega 2. tom ſummæ c 34 caſ 126. in fin. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 24. n* 25. Ratio in primis ex eo deducitur, quià huiuſmodi conceſſio, cum ſit facta in fauorem integræ regionis, non habet præcisè rationem diſpenſationis, ſed legis communis in tali regione, ſed lex communis eſt latè interpretanda, quandò eſt fauorabilis, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo eſt extendenda, ità vt reſpiciat gradum remotiorem, non autem propinquiorem. Deindè dato etiam, quod habeat vim diſpenſationis, cum tamen verſetur circa diſpoſitionem iuris communis ab eodem recipit interpretationem; at attento iure communi diſtantia graduum in ordine ad impediendum, vel non impediendum matrimonium attenditur ſecundum remotiorem, ergo &c. Rurſus ſtante tali Pontificio indulto in talibus regionibus, pro quibus eſt conceſſum matrimonium vltrà ſecundum gradum initum, perinde ſe habet, ac ſi in alijs regionibus, in quibus non viget tale indultum, ſeu pro quibus non eſt cōceſſum, eſſet contractum vltrà quartum gradum, quandòquidem tale indultum impedimentum reſtringit ad ſecundum gradum, quod ius commune extendit vſque ad quartum, ſed matrimonium alibi contractum vltrà quartum gradum reſpectu vnius, quamvis alter diſtet ſolummodò in inferiori gradu, abſolutè tenet ſine vlla diſpenſatione, ergo matrimonium ibi contractum vltrà ſecundum

dum

dum gradum tenebit, quantumvis alter ex contrahentibus diſtet ſolummodò, vel in ſecundo, vel in primo gradu; Neque ijs, quæ hic dicuntur, obſtat limitatio poſita à Pio V. in ſuo motu proprio, qua dicitur *dummodò primum quoquo modo non attingant*; Non obſtat, inquam, quià, vt bene inquit *Petrus de Ledeſma q. 54. art. 2 col. penult. not. 1.* limitatio Pij V. intelligenda eſt, quando vterque contrahens eſt in gradu prohibito licet inæqualitèr, v.g. attento iure communi vnus in quarto gradu, alter in primo, ſecus quando alter eſt in gradu non prohibito, puta in quinto, vel ſexto, alter verò in primo, quià tunc nulla habenda eſt ratio de primo gradu, ſed tantum de remotiori alterius, qui non eſt in ordine prohibitionis; cum autem in præſenti hypotheſi ſtante indulto Pontificis pro illis regionibus gradus prohibitionis extendatur ad ſecundum, & non vlterius, ſequitur, quod, ſi alter ex contrahentibus ſit vltrà ſecundum gradum, vel conſanguinitatis, vel affinitatis non ſit attendendus primus, quo alter afficitur.

Explicatio motus proprij Pij V., vt non repugnans reſponſioni.

Hic diſputant DD., an indultum Pauli III. pro illis regionibus intelligendum ſit ſolummodò quoad conſanguinitatem, & affinitatem, an verò etiam quoad alia impedimenta, & quidem ex quo indultum loquitur de gradibus videtur reſtringi ad prædicta ſolummodò, quandòquidem in alijs impedimentis non recenſentur gradus, adeoque ad illa ſolummodò diſpoſitionem Pontificiam reſtringunt *Veracrux prima parte ſpeculi art. 44. pag. 3. concl. 3. Vega in ſumma tom. 2. cap. 34 caſ. 126. in fin.* Difficultas poteſt eſſe ſolummodò quoad cognationem præcipuè adoptiuam, in qua gradus etiam poſſunt numerari. Sed quoad hanc etiam, ſuppoſito, quod de iure communi dirimat matrimonium, vſque ad quartum gradum, de qua re alibi, exiſtimandum eſt comprehendi in dicta Pontificis diſpoſitione, quandòquidem hæc dicitur talis per ordinem ad cognationem carnalem, ad cuius normam menſuratur, & ad cuius ſimilitudinem vim ſortitur; quandò autem quid diſpoſitum eſt de prototipo, quod maius eſt, intelligendum eſt in fortioribus terminis diſpoſitum de eo, quod eſt tale per ordinem ad ipſum, ſcù de figura.

4 Indultum Pauli III. intelligitur etiam quoad cognationem adoptiuà.

Reſpòndeo ſecundo, in hypotheſi matrimonij ineundi in regionibus Indiæ inter conſanguineos, quorum alter ſit in tertio gradu, alter in primo, vel ſecundo diſtet à ſtipite, non ſunt neceſſariæ litteræ declaratoriæ præſcriptæ à Pio V. in ſuo motu proprio, de quo ſupra. Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi litteræ declaratoriç non ſunt neceſſariæ, quandò nullum adeſt impedimentum ad contrahendum, vt videre eſt attento iure communi, quandò alter ex contrahentibus diſtat à communi ſtipite in quinto, vel ſexto gradu, licet alter diſtet ſolummodò ab eodem ſtipite in primo, vel ſecundo gradu, inter quos nullum adeſt impedimentum, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, inter diſtantem à communi ſtipite in tertio gradu, & diſtantem ab eodem, vel in primo, vel in ſecundo tantum, nullum adeſt impedimentum, cum ſtante indulto impedimentum reſtringatur ad ſecundum ſolummodò gradum, ergò non ſunt neceſſariæ huiuſmodi declaratoriæ literæ.

5 In matrimonio ineundo in regionibus Indiæ non ſunt neceſſariæ literæ declaratoriæ.

Adderem, quod, quantumvis præſupponeremus adeſſe impedimentum, quandò alter eſſet in tertio gradu, & alter in primo, vel ſecundo, & impetratam eſſe diſpenſationem facta mentione ſolummodò gradus remotioris, adhuc probabile eſſet, quod huiuſmodi literę declaratorię pro gradu propinquiori non eſſent neceſſariæ, quià non eſt præſumendum, quod Pontifex rem, quæ non eſt neceſſaria ad ſubſtantiam contractus, quales ſunt huiuſmodi literæ declaratoriæ, voluerit in regionibus adeo diſſitis cum tanto incommodo contrahentium, præcipuè cum Bullæ Pontificiæ non tranſeant vltra montes.

---

§. XXXV.

An in impetratione diſpenſationis in publica honeſtate neceſſariò facienda ſit mentio, an proueniat ex matrimonio rato, vel ex ſponſalibus.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens ſufficere expreſſionem publicæ honeſtatis in genere. 2.
Quando prouenit ex matrimonio rato neceſſariò facienda eſt mentio de origine talis honeſtatis. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 4.
Si impedimentum publicæ honeſtatis ortum fuerit non ex matrimonio rato, ſed ex ſponſalibus, & in impetratione diſpenſationis expreſſus fuerit primus gradus, non tamen titulus, ex quo prouenit, tenet diſpenſatio. 5.

DISQVISITIO XXXV. Contraxerat legitimè ſponſalia Caius cum Meuia, vel fortè etiam matrimonium per verba de præſenti, non tamen conſummauerat. Diſſolutis huiuſmodi ſponſalibus, vel matrimonio per obitum Meuiæ, vel ex alia legitima cauſa Caius contendebet

1 Exponitur factum in ſuis terminis.

Digitized by Google

debat matrimonium contrahere cum Calidonia ſorore eiuſdem Meuiæ prædefunctæ, cumque intercederet impedimentum publicæ honeſtatis, ſuper eodem petijt diſpenſationem non facta mentione, an illa honeſtas proueniret, vel ex matrimonio rato, vel ex ſolis legitimis ſponſalibus. Quæſitum hic fuit, an illa diſpenſatio extendatur ad publicam honeſtatem, ſiuè illa fuerit orta ex matrimonio rato, ſiuè ex ſolis ſponſalibus.

2 Sententia aſſerens ſufficere, vt fiat expoſitio publicæ honeſtatis in genere.

Videtur abſolutè aſſerendum, ſufficere, ſi fiat mentio publicæ honeſtatis in genere, quandòquidem eodem iure inducta eſt honeſtas, ſiuè pro matrimonio, ſiuè pro ſponſalibus, & reſpicit eundem finem, quomodocunque proueniat, &, ſi quod ex diſpoſitione iuris eſt diſcrimen, illud eſt, quod honeſtas ex matrimonio rato impedit vſque ad quartum gradum, honeſtas verò ex ſponſalibus legitimis reſtringit impedimentum ad primum tantum gradum. Cum autem in præſenti ſupponatur fieri mentio de eadem honeſtate in primo gradu, licet non exprimatur, vtrum proueniat ex matrimonio, vel ex ſponſalibus, videtur ſufficientèr exprimi id, quod intendunt iura, & finis, ex quo, ſeù ex quibus inductum eſt illud impedimentum, adeoque diſpenſationem illam ſubſiſtere, & parere effectum relaxationis illius impedimenti obſtantis. Nihilominus

3 Quandò prouenit ex matrimonio rato facienda eſt mentio de origine talis honeſtatis.

Reſpondeo, probabilius eſſe, faciendam eſſe ex neceſſitate mentionem de origine talis honeſtatis, an ſcilicet prouenerit ex matrimonio rato, an verò tantum ex ſponſalibus, quandò prouenit ex matrimonio rato. *Sanchez de matrimonio lib. 8. diſp. 24 num. 16.* Ratio ex eo deducitur, quià in materia odioſa verba ſunt in minori ſignificato accipienda per textum, *in cap. fin de prebend., & cap. cum illis in primo reſponſo, & cap. quamuis eod. tit. in 6. Dominicus conſ 33. num 8. Ioannes Andreas in arbore affinitatis §. ad arborem affinitatis num 5.*, licet hic loquatur in terminis diuerſis affinitatis, qui tamen ex paritate rationis valdè conferunt ad præſens inſtitutum; quis autem dubitet multò vrgentius eſſe impedimentum conſurgens ex matrimonio rato, quam ſit illud, quod pullulat ex ſponſalibus? ergò diſpenſatio poſita ſuper publica honeſtate, quantumvis in primo gradu ſine expreſſione, an orta ſit ex matrimonio rato, vel ex ſponſalibus, intelligi tantum debet de honeſtate ex ſponſalibus proueniente, non ex matrimonio. Confirmatur, quià diſpenſationes, vtpotè odioſæ intelligendę ſunt ſecundum eam reſtrictionem, ſecundum quam minus lædant ius commune ex vulgatiſſimis iuribus ſparſim ſuprà allegatis; minus autem læditur ius commune ex eo, quod fiat abrogatio honeſtatis quoad ſponſalia, ac ſi fieret abrogatio quoad matrimonium ratum; cuius plurima poſſunt eſſe manifeſta inditia, & primo, quià facilius, & ex leuioribus cauſis diſſoluuntur ſponſalia, quantumvis legitimè inita, ac diſſoluatur matrimonium ratum, cum hoc tranſierit in ſacramentum, & non poſſit diſſolui, niſi per ingreſſum in Religionem, vel per diſpenſationem Romani Pontificis, qui non niſi ex grauiſſimis cauſis diſſolutionem concedit; ſponſalia verò etiam per mutuum conſenſum, & per ſuperuenientiam alicuius cauſæ quantumvis extrinſecæ diſſoluuntur. Secundò, quià *Concilium Trident. ſeſſ. 24 de matrimon. cap. 3.* ſtatuit, quod ex ſponſalibus legitimè initis honeſtas impediat, & dirimat tantum in primo gradu, honeſtas verò ex matrimonio rato impediat, & dirimat vſque ad quartum gradum, quod ſignum euidens eſt, quod potentius ſit impedimentum honeſtatis, quæ oritur ex matrimonio rato, ac ſit illa, quæ oritur ex ſponſalibus.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, quod quamvis ex eodem iure, & fine inductum fuerit impedimentum, ſiuè ex ſponſalibus, ſiuè ex matrimonio rato proueniens, illud tamen reddatur fortius, & potentius, vel minus fortè ex materia, circa quam verſatur, vt videre etiam eſt in cæteris præceptis, quæ ſtrictius obligant in materia ſtrictiori, & grauiori, quam in minus ſtricta, & leuiori; hocque ipſa iura cognouerunt, dum faciliorem diſſolutionem potius in vna materia conceſſerunt, quam in altera, & vinculum protraxerunt ad vlteriores gradus potius in vna, quam in altera.

5 Si honeſtas proueniat ex ſponſalib⁹, & fuerit in impetratione diſpenſationis expreſſus primus gradus, non titulus, tenet diſpenſatio.

Hic oritur difficultas, an, ſi impedimentum publicæ honeſtatis ortum fuerit non ex matrimonio rato, ſed ex ſimplicibus ſponſalibus, & in impetratione diſpenſationis expreſſus quidem fuerit primus gradus, non tamen titulus, ex quo prouenerit, teneat diſpenſatio. Affirmatiuè ſentiendum exiſtimo. Ratio eſt, quià illa diſpenſatio, ne ſit fruſtranea, debet aliquid operari, ſi ſubiectum ſit aptum, vt poſſit in eodem operari, & forma, ſecundum quam concepta eſt diſpenſatio in ordine ad effectum, qui intenditur, comprehendatur intra terminos, quibus illum effectum poſſit cauſare, ſed in ordine ad honeſtatem prouenientem ex præciſis ſponſalibus diſpenſatio illa poteſt operari ſine egreſſu è terminis formalibus, quibus eſt concepta, & ſecundum iuris diſpoſitionem in materia odioſa vim habet in minori ſignificato, vt per ſe patet, ergò non eſt, cur in ordine ad illam non debeat ſuum ſortiri effectum. Confirmatur, quià

Digitized by Google

quià ex genere ſuo in dubio diſpenſatio ſumitur, prout minus lædit ius commune, ergò in eodem dubio in qualitate minus graui debet vim ſuam ſumere, quandò ad eandem verba poſſunt vtilitèr referri.

---

§. XXXVI.

An in poteſtate diſpenſandi in affinitate includatur etiam poteſtas diſpenſandi in publica honeſtate.

SVMMARIVM.

Expoſitio caſus particularis. 1.
Probabilius poteſtas diſpenſandi ſuper affinitate trabitur ad poteſtatem diſpenſandi ſuper publica honeſtate. 2.
Cur poteſtas diſpenſandi ſuper conſanguinitate non trabatur ad diſpenſandum ſuper affinitate, & tamen poteſtas diſpenſandi ſuper affinitate trabatur ad publicam honeſtatem. 3.
Affinitas eſt genus ad ſe ipſam, vel vt ortam ex copula licita, vel illicita. 4.
Facultas diſpenſandi ſuper affinitate trabitur ad publicam honeſtatem etiam non exiſtente affinitate. 5.

1 Exponitur factum in ſuis terminis. DISQVISITIO XXXVI. Contendunt aliqui diſpenſationem ſuper affinitate non trahi ad publicam honeſtatem, niſi iſtius facta fuerit mentio, & etiam dato, quod explicetur, affinitatem ortam eſſe ex copula licita, nam quamvis ex ea neceſſariò publica conſurgat honeſtas, quià tamen diſpenſatio, vt potè odioſa eſt ſtrictè interpretanda, non eſt trahenda ad caſum non expreſſum. Contrarium tamen nos alibi docuimus, quando facta fuit explicatio affinitatis ex copula licita, quià tacitè facta fuit mentio illius per expreſſionem iſtius. Dată tamen pro nunc illa ſententia, quam ſuſtinent *Dominicus conſ.33. nu 8 Ioannes Andraas in arbore affinitatis § ad arborem affinitatis n. 5. Henriquez lib.7. de Indulgentijs c. 30. nu. 2. in fine* excitatur hic difficultas, an ſicuti diſpenſatio illa non trahitur ad publicam honeſtatem, ità & facultas diſpenſandi ſuper affinitate non trahatur ad facultatem diſpenſandi etiam ſuper honeſtate.

2 Poteſtas diſpenſandi ſuper affinitate trahitur ad diſpenſandum ſuper publica honeſtate. Reſpondeo, probabilius poteſtatem diſpenſandi ſuper affinitate trahi etiam ad poteſtatem diſpenſandi ſuper publica honeſtate, quandò hæc ex illa prouenit *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 24. num. 41.* Ratio ex eo deducitur, quià, quantumvis diſpenſationes ſint ſtricti iuris, facultas tamen diſpenſandi, vtpotè priuilegium actiuum Principis eſt late interpretanda, & extendenda, & hac ratione diximus ſuperius, quod facultas diſpenſandi extendatur etiam ad gradū duplicatum, quamvis ad eundem non extendatur diſpenſatio ipſa, ergo facultas diſpenſandi quoad affinitatem trahi etiam poteſt ad diſpenſandum in publica honeſtate ab eadem prouenienie; Neque obſtare poſſunt ea, quæ ſupra commendauimus, nempè poteſtatem diſpenſandi non extendi ad quoſcunque caſus, ſed ad caſus ſolummodò quoquo modo adaptabiles caſibus in poteſtate expreſſis *Felinus c. fin. n.8 limit.1. de ſimon. Gambara de auctorit. legat. lib. 10. nu. 203.* qui etiam per conſequens docent non extendi de caſu ad caſum non comprehenſum ſub lata verborum ſignificatione; ſed publica honeſtas non comprehenditur ſub formali affinitatis ſignificatione; Non, inquam, obſtare poſſunt, quià vt refert præmemoratus *Felinus in c poſtulaſti num. 11. limit. 4. de reſcriptis* poteſtas diſpenſandi, quamvis non trahatur ad non comprehenſa ſub lata verborum ſignificatione, fallit tamen quoad conſecutiua etiam ſeparabilia, in quibus eſt eadem, vel maior ratio, publica autem honeſtas, quando affinitas eſt ex copula licita, ab eadem nedum ſeparabilitèr, ſed etiam inſeparabilitèr conſequitur, adeòque &c.

3 Non valet argumentum à cōſāguinitate ad affinitatem, bene ab affinitate in ordine ad honeſtatem. Ex his etiam reſpondere poteris ad obiectum, quo aſſeritur, poteſtatem diſpenſandi ſuper conſanguinitate non trahi ad diſpenſandum ſuper affinitate, quamvis hæc importet vinculum minus ſtrictum, & rigoroſum, adeòque ſeruata paritate poteſtatem diſpenſandi ſuper affinitate non trahi ad poteſtatem diſpenſandi ſuper publica honeſtate, cum hæc etiam reſpectu illius ſit minus ſtrictum, & rigoroſum vinculum; Facile, inquam, reſpondere poteris, ſi aſſeras in primis aſſumptum non ita certum eſſe, ſicuti præfertur, & ſupponitur; facultas etenim, quæ ex genere ſuo fauorabilis eſt, conceſſa ad maius videtur etiam conceſſa ad id, quod minus eſt, licet quoad formales diſpenſationes non valeat argumentum à maiori ad minus, nec ex identitate rationis, eo quià odioſæ ſint. Deindè non valet argumentum à poteſtate diſpenſandi ſuper conſanguinitate ad affinitatem, ſicuti valet à poteſtate diſpenſandi ſuper affinitate ad poteſtatem diſpenſandi ſuper publica honeſtate, quandòquidem conſanguinitas, & affinitas ſunt relatiue ad diuerſa ſubiecta, adeò vt conſanguinitas, quæ oritur in vno, pariat affinitatem reſpectu alterius; affinitas autem, & publica honeſtas in præſenti hypotheſi eſt reſpectu eiuſdem, adeòque &c.

Vlterius poteſt ſic euinci reſponſio, quià

Digitized by Google

4 Affinitas eſt quoddam genus ad ipſam velut ortã ex copula licita, vel illicita.

quià affinitas eſt quoddam genus ad eandem affinitatem, vel vt ortam à copula licita, vel illicita, ergo facultas indefinita diſpenſandi ſuper affinitate indefinitè trahitur ad vtramque, adeòque etiam ex copula licita; quandò autem eſt ex copula licita indiuiſibilitèr eſt annexa cum publica honeſtate; Facultas autem conceſſa ad ſolutionem alicuius vinculi in ordine ad aliquem effectum trahit ſecum ea, quæ ſunt indiuiſibiliter connexa cum tali vinculo in ordine ad conſequendum talem effectum.

5 Trahitur etiã ad honeſtaté nõ exiſtente affinitate.

Hic excitant controuerſiam DD., ac ex vi illius facultatis diſpenſandi ſuper affinitate poſſit poni diſpenſatio ſuper ſimplici publica honeſtate non exiſtente affinitate. Hoc contingere poſſet in hypotheſi, qua contractum eſſet matrimonium ratum, & non conſummatum cum conſanguinea eius, cum qua quis contrahere de nouo intendit, vel ſponſalia legitimè cum ſorore ipſius, quæ poſteà fuerint diſſoluta, in quo caſu nulla eſſet affinitas, cum hæc conſurgat ſolummodò ex conſummatione, Affirmatiuè reſpondet *Sanchez d. lib.* 8. *de matrimonio diſp.* 24. *nu.* 41., & quidem congruè, quandòquidem ex præſumpta Pontificis concedentis facultatem diſpenſandi ſuper affinitate voluntate conceſſa intelligitur facultas etiam pro publica honeſtate, quod ſic euincitur, nam eo ipſo, quod ſupponitur affinitas ex copula licita præſupponuntur præceſſiſſe ſponſalia, & matrimonium ratum, & per conſequens ortum impedimentum publicæ honeſtatis; quotieſcunque autem conceditur facultas ad id, quod conſequitur ex neceſſaria ſuppoſitione, & præcedentia alterius, ſuppouitur etiam conceſſa ad illud alterum talis facultas.

DISQVISITIONES III.

Ad reliquas omnes de matrimonio III. Prænotiones

§. I.

An habens beneficium Parochiale, cuius ob vitium occultum incapax eſt, poſſit expedire literas pro foro interno, ſi cæteras habeat qualitates adhoc munus requiſitas.

SVMMARIVM.

Refertur facti ſeries. 1.
Sententia aſſerens, poſſe hunc validè abſoluere à peccatis, non tamen validè huiuſmodi literas expedire. 2.
Huiuſmodi Parochus putatiuus poteſt, ſi eligatur, validè expedire. 3.
Intellige, ſiue fuerit tali vitio affectus, vel antecedenter ad electionem, vel ſubſequenter. 4.
Argumenta oppoſita, eorumque ſolutiones. 5.

1 Proponitur factũ.

DISQVISITIO I. Collatum fuerat beneficium Parochiale Caio verè magiſtro in Theologia, vel Doctori Canonum, cuius tamen beneficij incapax erat ob vitium occultum. Ad hunc delatæ fuerunt literæ ſacræ pænitentiariæ pro executione diſpenſationis pro foro interno. Quæſitum hic fuit, an potuerit valide non obſtante illo vitio, ratione cuius erat incapax beneficij illius Parochialis, huiuſmodi literas expedire.

2 Sententia aſſerens non poſſe expedire, licet poſſit abſoluere.

Petrus de Ledeſma *in ſumma Sacramentorum Vbi de panit. c.* 13. *poſt primam concl. dub.* 3. docuit ipſum, cui ſic collatum eſt illud beneficium, poſſe Sacramentales cõfeſſiones audire, ab eiſque valide abſoluere, negauit tamen, poſſe huiuſmodi literas valide expedire. Sed neutiquam poſſum percipere, quo fundamento poſſit hunc ſuum ſenſum ſtabilire. Quid enim aliud requiritur ad hoc, vt quis ſit commiſſarius aptus ad huiuſmodi literas expediendas, niſi, quod ſit, vel Doctor in Theologia, vel in Sacris Canonibus, & quod ſit ab ordinario approbatus ad Sacramentales Confeſſiones audiendas? Deindè, ſi ratione tituli colorati aptus eſt ad confeſſiones Sacramentales excipiendas, vt fatetur ipſe Ledeſma, cur non aptus erit ad huiuſmodi literas expediendas, cum cæteras præſumatur habere qualitates? Eo autem ipſo, quod electus eſt ad Parochiale beneficium, hocque illi eſt collatum, intelligitur ad Sacramentales Confeſſiones approbatus; nec officere poſſe videtur illud vitium occultum, quandòquidem, ſi hoc extante errore communi non vitiat Sacramentalem Confeſſionem, nec videtur poſſe vitiare expeditionem literarum quoad impedimenta dirimentia, ad quæ auferenda datæ ſunt huiuſmodi literæ; cum aliud iſtæ non exigant vltrà lauream in Theologia, & in Sacris Canonibus, & approbationem commiſſarij ab ordinario in confeſſarium. Quamobrem

Reiicitur hæc ſententia.

3 Si eligatur poteſt validè expedire.

Reſpondeo, huiuſmodi Parochum putatiuum, ſi fuerit electus ad expediendas huiuſmodi literas, eaſque expedierit, validè expediuiſſe. In hanc conſentiunt *Sanchez lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 34. *num* 14., & quotquot ſuſtinent, habentem titulum coloratum cum errore communi, hancque in ſimilibus terminis docent *Gloſa fin. c. decernimus de ſententia excommun. in* 6. & *c. ad probandum verb. innodatus de ſent.* &

re iudic. & ibi Hoſtienſis ſuper verſ. publicè innodatus, Ioannes Andraas nu 8. *Antonius n.* 11. *Innocentius c. ſi vere de ſent. excommunic. ArchiDiaconus cap. quodautem* 24. *q.* 1. *verſ in ea gloſ. ibi toleranda Bartolus in l. Barbatius ff. de offic prætor in prima lectura nu* 7. *& in* 2. *nu.* 9. *Coarnuias c alma mater prima part.* §. 7. *n.* 9. *Riccardus in* 4. *diſt.* 18. *art.* 7. *q* 2. *ad* 2. *D Antoninus* 3. *part. tit* 24. *c.* 77. *verſ.* 10. *&* 11. *Sotus in* 4. *diſt.* 22 *q.* 2. *art.* 1. *ad fin. ante ſolutionem ad primum*. Ratio ex eo deducitur, quià geſta præcipuè iuriſdictionalia per habentem titulum coloratum cum errore communi tenent, prout habetur ex *l Barbatius ff de offic. prætor.*, & è contrario ſenſu deducitur *in d.c. ad probandum de ſententia, & re iudicata*, vbi ſic legitur *Ità ut, ſi pro eo, quod vnus ex iudicibus excommunicationis vinculo eſt publicè innodatus*, ergo, quandò occultè tali vitio eſt affectus, erit legitimus actus per eum elicitus; & quidem iure merito hoc decernitur, quandòquidem ità expedit recto Eccleſiæ, ſeù Reipublicę Regimini, ne inde plurima oriantur ſcandala, & ſic geſta maxima cum Eccleſiæ, & Reipublicæ confuſione, & perturbatione reſcindātur; vndè in eo in quo eſt defectus ex parte huiſcemodi geſta operantis exiſtat, defectum ipſum ſupplet Eccleſia, vel Reſpublica, prout docent *Caietanus in ſumma verb. abſolutionis impedimenta, tit. Abſolutio nonnullis circumſtantijs impeditur Medina lib* 1. *ſumma cap* 11 §. 3 *Ludouicus Lopez prima pars. inſtruct. c.* 3. § *iteranda eſt confeſſio. &* 2. *part de excommunicatione c* 15. §. *ſed hic iam occurrit*.

Solum hic diſputant DD., an ea, quæ in hac reſponſione dicta ſunt, ſint ſolummodò intelligenda, quandò vitium illud, ratione cuius ipſe Caius intelligitur incapax illius beneficij parochialis, ſuperuenit ipſi collationi, & communitèr ignoratur, an verò etiam, quandò præcedit ipſam collationem. In qua controuerſia *Phyliarchus dè offic. ſacerdotis tom.* 1. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. *paulo poſt principium*, loquens in terminis excommunicationis occultæ, qua quis irretitur ante officij adeptionem, aſſerit, geſta per eum non valere, & ea ratione meo iudicio moueri videtur, quià ratione illius vitij incapax redditur ad acquirendum illud officium, ſeù beneficium Parochiale, & licet per ſuperuenientiam illius non priuetur, quandò iam adeptum eſt beneficium, quandò tamen præcedit vitium facilius impedit aſſecutionem, quià plura requiruntur ad eijciendum, quam ad impediendum ingreſſum iuxtà illud, *Turpius recipitur, quam non admittitur hoſpes*. Nihilominus contrarium, & quidem probabilius ſentiunt *Caietanus in ſumma loc. cit. Manuel in ſumma tom.* 1. *in* 2. *edit. c.* 60. *nu.* 3.

4 Intellige, ſiuè vitiũ fuerit antecedētèr ad collationẽ, ſiuè ſubſequentèr.

Vega lib. 5. *ſumma caſ.* 223. *Sanchez de matrim. lib.* 3. *diſp.* 22. *num.* 30. Ratio ex eo deducitur, quià hic habet titulum putatiuum à legitimo ſuperiore habente poteſtatem conferendi, & vtique cum errore communi, nec illa præexiſtentia vitij, ſeù incapacitatis occultæ aliquid demit de iuriſdictione, ſeù de iure ad exercenda munera collata per tale beneficium, ergò non eſt, cur non poſſit exercere illud munus expediendi literas Apoſtolicas, ſi habeat alias qualitates ad hoc munus requiſitas. Antecedens quoad primam partem non vertitur in dubium; quoad ſecundam ſic euincitur, quià illud vitium ſecundum ſe latens non tollit iam antecedentèr adeptum, vt fatentur ipſi aduerſarij, ergò nec impedit, quominus tale ius poſſit acquiri. Conſequentia probatur, quià, quod illud vitium præceſſerit, efficit quidem, quod ſic electus non habeat titulum realem; non tamen efficit, quod non habeat titulum putatiuum cum communi errore; omnes autem DD. indiferentèr aſſerunt geſta per habentem titulum putatiuum cum communi errore tenere, nec diſtinguunt, quandò vitium, ratione cuius eſt incapax, præceſſit, vel quandò ſubſecutum eſt. Ad illud, quod ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt, quod, quandò vitium eſt ex genere ſuo priuatiuum iuris, æquè ſecundum ſe priuet, poſtquam idem ius acquiſitum eſt, ac efficiat, ne acquiratur, quandò nondum acquiſitum eſt, & è contrà; ſicuti igitur, quandò ius iam acquiſitum eſt, non priuat acquirentem exiſtente titulo colorato cum errore communi iure efficiendi geſta valida ſupplente Eccleſia, ſeù Republica defectum iuris realis in ordine ad hunc effectum validitatis actuum, ita quandò nondum acquiſitum eſt, non priuat iure ad acquirendum ſecundum titulum coloratum exiſtente eodem errore communi, & ne acta poſteà geſta poſt eandem acquiſitionem ſupplente eadem Eccleſia defectum, teneant.

Rationes pro aſſerto, & confutationes obiectionũ

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in reſponſione militat textus *in c. aduerſus de immunitate Eccleſ. verſ., quià verò*, vbi eſt ſermo de geſtis per Iudicem, quando iuriſdictio ligata eſt excommunicatione etiam occulta poſt adeptum officium contracta, & ibi ſic habetur *Adijcimus, quod conſtitutiones, & ſententia, quæ à talibus fuerint promulgata, inanes, & irrita habeatur nullo vnquam tempore valitura*, & proptereà ſic ſenſerunt, *Gloſa c infamis* 3. *q.* 7. *verb. dum putaretur, ArchiDiaconus c. alienationes* 12. *q.* 2. *in initio, Antonius cap ſciſcitatus n.* 24. *de reſcriptis*. Sed facili negotio ad hunc textum poſſumus reſpondere, aſſerentes procedere, quandò eſt publicè excommunicatus, prout explicat *Gloſa in d. cap. aduerſus*

5 Argumenta oppoſita, eorumque ſolutiones.

aduerſus verbo tempore, vbi habet. *Sic patet, quod ſententia tempore excommunicationis lata nulla eſt, nec etiam conualeſcere poteſt, immò, ſi detegatur poſt ſententiam, quòd aliquis fuerit publicè excommunicatus, retractatur ſententia*, vbi nota illam particulam, *quod fuerit publicè excommunicatus*; Conformis eſt huic Gloſæ explicationi textus *in cap. exceptionem ad fin. de except.*, vbi ſic legitur. *Excommunicatus autem publicè, & ſi huiuſmodi exceptio non opponitur, nihilominus eſt officio Iudicis repellendus*; expreſſio autem poſita in illa particula *publicè* à contrario ſenſu deducit, non eſſe repellendum, ſi occultè, & intercedente errore communi fuerit excommunicatus.

§. II.

An reſpectu Religioſorum, quibus ex priuilegio competit huiuſmodi literas expedire, dummodò ſint ad confeſſiones approbati ab ordinario, requiratur approbatio, antequam literæ datæ ſint, an verò ſufficiat, quod præceſſerit ad expeditionem earundem.

S V M M A R I V M.

Priuilegium ſocietatis Ieſu, vt confeſſarij eiuſdem etiam non magiſtri in Theologia poſſint literas pænitentiariæ expedire de facultate ſuorum ſuperiorum. 1.

Hoc priuilegium per communicationem extenditur ad alios ordines. 2.

Exponitur factum. 3.

Quantumuis approbatio ſubſecuta fuerit ad literas datas, poteſt tamen ſic approbatus literas huiuſmodi expedire. 4.

Siuè in ordine ad Religioſos ſocietatis Ieſu, ſiuè aliorum ordinum requiritur deputatio Generalis, vel aliorum ſuperiorum, ſi generalis in eoſdem hoc priuilegium transtuleris. 4.

1 Priuilegiũ Societatis Ieſu, vt cõfeſſarij, quantumvis non magiſtri in Theologia, vel ſacris Canonibus ex facultate ſuper orũ ſuorum

DISQVISITIO II. Suppono ex alibi dictis Sacerdotibus Societatis Ieſu ab Epiſcopo approbatis ad confeſſiones audiendas, quantumvis non fuerint inſigniti laurea, vel in Theologia, vel in ſacris canonibus ex Priuilegio Gregorij XIII. conceſſo die 3. Aprilis anni 1582. competere poſſe exequi literas pænitentiariæ ſacræ, & diſpenſationes expedire accedente deputatione Generalis eiuſdem ſocietatis, vel licentia, quæ modo translata eſt in omnes ſuperiores locorum, & per euſdem poteſt in alios confeſſarios transfundi ex declaratione, & commiſſione eiuſdem Generalis, vt refert *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 34. num. 11.* Suppono vlterius, hoc idem priuilegium competere Congregationi noſtræ, alijſque ordinibus communicantibus cum eadem ſocietate Ieſu per viam communicationis, vel nouæ conceſſionis. His ſuppoſitis

poſſint literas pænitentiariæ expedire.

2 Hoc priuilegium extẽditur ad alios ordines.

Titius affectus aliquo impedimento occulto, ratione cuius non poterat contrahere matrimonium, recurſum habuit ad ſacram Pœnitentiariam pro diſpenſatione pro foro interno in illo impedimento, à qua expeditæ fuerunt literæ de more ad Doctorem ſacrorum Canonum, vel Magiſtrũ in Theologia ex approbatis ad confeſſiones ab ordinario. Pro tempore datæ huiuſmodi litterarum Dorothæus ſacerdos noſtræ Congregationis, vel alterius ordinis ex participantibus in priuilegijs cum ſocietate Ieſu nondum erat ab ordinario approbatus ad confeſſiones, vel non deputatus à Generali ad huiuſmodi litteras ſacræ pænitentiariæ expediendas, ſed acceptis literis ab eo, in cuius fauorem fuerant expeditæ, approbationem obtinuit, & deputationem. Quæſitum hic fuit, an ſacerdos ſic electus ex vi illius ſubſequentis approbationis, & deputationis potuerit validè, & licitè huiuſmodi literas exequi.

3 Exponitur factum.

Reſpondeo affirmatiuè: Conſentit *Sanchez d. lib. 8. de matrimon. diſp. 34. num. 11. Manuel qq. Reg. tom. 1. q. 63 art. 8. in fin.* Ratio ex eo deducitur primo, quià pro tempore executionis huiuſmodi literarum adſunt in electo omnes conditiones, & qualitates requiſitæ ad validam executionem ipſarum, ergò non erit, cur validè, & licitè non poſſit illas exequi. Conſequentia probatur, quià in ordine ad munus, quod debet exercere, non prærequiruntur conditiones, ſed ſatis eſt, quod exiſtant pro tempore executionis; non enim pro eodem tempore, quo facultas committitur, requiritur poteſtas in commiſſario, præcipuè, cum non committatur determinatæ perſonæ, ſed perſonæ eligendæ per eum, in cuius fauorem fit commiſſio, & ſic ſufficit, quod poteſtas fuerit pro tempore electionis, quinimmò ſolum pro tempore executionis, non enim eſt repugnantia, quin aliquis eligatur ad munus exequendum, ſi pro tempore executionis habebit conditiones requiſitas ad illud munus. Confirmari poteſt, quod in eodem indulto, ſeu priuilegio expreſsè dicitur *approbati, vel approbandis*, quæ verba referuntur ad approbationem futuram, dummodò ſit ante executionem operis. Confirmari poteſt ſecundo, quià, quandò commiſſio non fit determinatæ perſonę ſub qualitatibus indiuiduantibus talem perſonam, ſed ſub ratione digni-

4 Poteſt literas huiuſmodi expedire.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

tatis,

tatis, vel alicuius officij illa commiſſio refertur præmortua tali perſona affectæ tali qualitate dignitatis ad perſonam ſucceſſorem in tali dignitate, vel officio, vt eſt in confeſso apud omnes, & tamen talis perſona pro tempore illius commiſſionis expeditæ non erat affecta illa dignitate, cum illam non fuerit aſsecuta, niſi poſt mortem prioris Officialis, &c. ergò non requiritur, quod pro tempore commiſſionis adſint conditiones requiſitæ ad executionem muneris, ſed ſatis eſt, quod præcedant eandem executionem.

5 Monet tamen hic Sanchez, quod alij Religioſi mendicantes, & qui eorum priuilegijs fruuntur, non poſſint hoc priuilegio vti, niſi fuerint à ſuis Generalibus deſignati, vel de eorum licentia à ſuis ſuperioribus, cum huiuſmodi priuilegium hanc conditionem importet. Sed hoc etiam eſt commune ſacerdotibus Societatis Ieſu, cum nihil ſpeciale pro ipſis priuatiuè quoad alios fuerit diſpoſitum; vndè, ſi Generalis eiuſdem Societatis poteſt indiferentèr, ſeù potuit hoc priuilegium extendere quoad omnes, non video, cur Generales cæterarum Religionum non poſſint quoad omnes ſuos ſubditos approbatos ad confeſſiones audiendas ab ordinarijs locorum extendere, cum idem ſit priuilegium quoad omnes Religiones; nec ex eo, quod hæc facultas, ſeù priuilegium ſit immediatè conceſsum ſocietati minuitur quoad alias Religiones participantes in priuilegijs cum ipſa.

In ordine ad Religioſos cuiuſcunque ordinis requiritur deputatio ſuperiorũ ad hoc munus.

§. III.

An, ſi officialis, vel ordinarius, qui ex vi commiſſionis diſpenſauit in matrimonio inualido omiſit decernere prolem legitimam ſuſceptam, poſſit poſteà decernere.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis. 1.
Sententia aſſerens non poſſe amplius decernere ſuper prole. 2.
Poteſt ex interuallo decretum interponere, & prolem ſuſceptam legitimam declarare. 3.
Capta cauſa in foro externo per officialem in diſpenſatione ſuper impedimento non poteſt per alium perfici quoad legitimationem prolis, niſi primus remoueatur ab officio. 4.
Capta cauſa in foro interno per confeſſarium poteſt per alium perfici. 5.

1 DISQVISITIO III. Comiſſa fuerat diſpenſatio, vel pro foro interno confeſſario ex approbatis ab ordinario Doctori Canonum, vel Magiſtro in Theologia, vel officiali alicuius Diœceſis pro foro etiam externo in impedimento matrimonij addita clauſula *prolem exinde ſuſceptam legitimandi*. Executus eſt alter, vel vterque commiſſarius diſpenſationem quoad impedimentum matrimonij, non tamen decreuit prolem antecedenter ſuſceptam eſſe legitimam, prout præſcribebatur in diplomate. Quæſitum hic fuit, an Confeſſarius executa illa commiſſione in Sacramentali Confeſſione quoad diſpẽſationem impedimenti pro foro interno, & officialis pro foro externo nulla facta mentione legitimationis prolis ſuſceptæ, poſſit ex poſtea etiam ad hunc effectum legitimationis producere.

Refertur ſeries facti.

2 Videtur abſolute dicendum, neutrum poſſe amplius decernere, niſi ſibi ſpecialitèr ius reſeruarit ad decernendum ex interuallo, quandòquidem, ex quo functus eſt munere ſuo, non poteſt amplius ſe ingere per textum *in l. Iudex poſteaquam ff. de ſententia, & re iudic.*, & ex quo principale executus eſt ſine reſeruatione iuris ad acceſſorium, videtur ius ad illud decernendum amiſiſſe; Neque ex eo, quod diſpenſauerit in matrimonio inualido conſequitur, quod proles antecedenter ſuſcepta ad illam diſpenſationem fiat legitima ex vi illius diſpenſationis ſine vllo decreto talis legitimationis, quamvis ex natura ſua proles poſt illam diſpenſationem ſuſcipienda reddatur legitima. Ratio huius diuerſitatis ex eo deſumitur, quià poſita diſpenſatione proles, quæ inde ſubſequitur, oritur ex matrimonio legitimo, adeòque non eſt, cur non debeat eſſe legitima; proles verò ſuſcepta ante diſpenſationem matrimonij non legitimatur ex vi matrimonij ſubſequentis, cum ſit ſpuria per textum *in c. ſtante Qui fil. ſint legit.*, vtpotè nata ex ijs, inter quos non poterat eſſe matrimonium obſtante impedimento dirimente, nec ex vi præcedentis matrimonij, cum nullum interceſſerit; quare ſolum legitimatur ex decreto ordinarij, vel confeſſarij, cui committitur, vt ſi preces veritate nitantur diſpenſet in impedimento, & decernat prolem ſuſceptam haberi pro legitima, quæ duo ſunt ſeparabilia ſaltem in eo ſenſu, quod primum poſſit exequi ſine ſecundo, licet dubium ſit, an ſecundum poſſit exequi ſine primo. Nihilominus

Sententia aſſerens non poſſe amplius decernere.

Ipſius fundamenta.

3 Reſpondeo, quod ſublato per diſpenſationem impedimento, & per conſequens conualidato matrimonio antecedenter inualidè inito, nec tamen tunc interpoſito decreto per officialem, vel confeſſarium legitimationis prolis prius ſuſceptæ poſſit ex interuallo idem officialis, ſeù confeſſarius idem decretum interponere, & prolem ſuſceptam legitimam declarare *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 7. n. 17.* Ratio

Poteſt ex interuallo prolem legitimam declarare.

ex

Digitized by Google

ex eo deducitur primò, quià tàm officialis, quàm confeſſarius in ea hypotheſi per illam diſpenſationem ſuper impedimento iam cauſam cæpit, nec abſolute quoad omnia ſibi commiſſa terminauit, ergo non erit, cur quoad partem omiſſam non poſſit etiam ex interuallo perficere, non enim per eiuſdem cauſæ inceptionem, & terminationem quoad vnam partem præſumitur à ſe abdicaſſe iuriſdictionem quoad alteram partem omiſſam. Secundò, quià ex quo cauſa cæpta eſt, nec terminata pro tunc quoad omnes partes in commiſſione contentas videtur ex conſenſu partium ſcilicet ipſius commiſſarij, & indigétis diſpenſatione prorogata iuriſdictio ad eam perficiendam; qui etenim ſe ſupponit ad gratiam recipiendam, ſupponitur velle ea omnia, quæ ad complementum gratiæ requiruntur, &, ſi ex tunc non obtineant, velle ex interuallo obtinere. Tertio ex dictis in præcedentibus in eo, qui confeſſario ad lucrandum Iubilæum exponit

Rationes pro reſpõſione. peccata ſua, & ex obliuione, vel ex alia cauſa ex tunc non impetrat abſolutionem ſuper reſeruata, vel diſpenſationem, vel commutationem ſuper voto, qui eodem Iubilæi tempore elapſo poteſt ex vi eiuſdẽ etiam ex interuallo petere abſolutionem, diſpenſationem, & commutationem ſuper eiſdem per ea, quæ ſupra diximus *ſub hoc eodem tit. de matrimon. III. Diſq. II. § 23. in reſponſione*, & vlterius docent *Fagundez in medulla part 3. c. 7. §. 8. n. 6. Sanctarellus de Iubilæo c. 13 dub. 1. Ioannes Angelus Boſſius de triplici Iubilæi priuilegio ſect. 2 caſ. 45. n 4.*, & hoc non alia ratione niſi, quià cauſa iam cæpta eſt per Iubilæum, & Iubilæum ipſum acquiſitum, vi cuius ius conſecutum eſt ad omnia priuilegia ex eodem promanantia, ergo etiam, qui iam incæpit gaudere beneficio commiſſionis per diſpenſationem ſuper impedimento poteſt velle perfectionem eiuſdem commiſſionis per decretum ſuper legitimatione prolis.

4 Cæpta cauſa per officialem in foro externo non poſsũt per alium perfici.

Hic ſolummodò oritur difficultas, an cæpta cauſa coram officiali pro foro externo, & coram confeſſario in foro interno per diſpenſationem ſuper impedimento matrimonij poſſit complementum ab alio peti ſuper legitimatione prolis. Reſpondendum eſt quoad officialem, qui regularitèr eſt ordinarius, cæpta cauſa coram eodem non poſse perfici coram alio, quantumvis eiuſdem auctoritatis, niſi eodem remoto ab officio, vel præmortuo alter eidem ſucceſſerit in officio; quoad confeſſarium verò cæpta cauſa coram vno per diſpenſationem ſuper impedimento matrimonij poſſe per alium compleri quoad decretum legitimationis prolis antecedenter ſuſceptæ. Conſentit in hanc reſponſionem *Sanchez de matrimon. lib. 8. diſp. 7. nu. 17.* Ratio quoad primam partem, quià quoad iudicia in foro externo cæpta coram vno Iudice non poſſunt per alium, qui non ſit ſucceſſor in officio, perfici, quià maxima oriretur confuſio in Republica, facilè ſubterfugerentur iudicia, & vix perficerentur cum ab vno ad alterum Iudicem imperfecta adhuc cauſa daretur aditus, & ab iſto altero ad alium, ergo ad hæc incommoda euitanda congruum fuit, vt iura præſcriberent, ne ab vno ad alterum fiat tranſitus, niſi perfecta cauſa, & per viam appellationis. Ratio quoad ſecundam partem ea eſt, quià in iudicijs voluntarijs pertinentibus ad forum pænitentiale, & internum animæ non illæ confunderentur iuriſdictiones, non illæ confuſiones orirentur, nec illa incommoda; ſicuti enim ex prædictis vno confeſſario electo ex approbatis, qui ſit Magiſter in Theologia, vel Doctor Canonum, poteſt ille, qui elegit ab eius iudicio declinare, & alterius expectare iudicium, ità non eſt, cur recepto per vnum beneficio diſpenſationis ſuper impedimento non poſſit ab alio expectare beneficium decreti ſuper legitimatione prolis antecedenter ſuſceptæ.

---

§. IV.

An ſine recepta executione commiſſionis ſuper impedimento matrimonij poſſit exigi decretum ſuper legitimatione prolis.

S V M M A R I V M.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens ſine diſpenſatione ſuper matrimonio poſſe interponi decretum ſuper legitimatione prolis. 2.
Non ſubſiſtit decretum ſuper legitimatione prolis non interpoſita diſpenſatione ſuper matrimonio. 3.
Si inuerſo ordine prius poſitum fuit decretum ſuper legitimatione prolis, & poſtea diſpenſatio ſuper impedimento. & initum matrimonium proles intelligitur legitimata. 4.
Soluuntur rationes oppoſita. 5.

DISQVISITIO IV. Contracto matrimonio ex impedimento dirimente inualido, eoque perſeuerante ſuſcepta prole tãdem coniuges impetrarunt commiſſionem, vel officiali pro foro externo, vel confeſſario ex approbatis ab ordinario Magiſtro in Theologia, vel Doctori Canonum directam, vt cum eis ſtante veritate precum diſpenſaret ſuper impedimento, & prolem antecedenter ſuſceptã legi- 1 Proponitur facti ſeries.

legi-

legitimam declararet. Non executa commiſſione quoad diſpenſationem ſuper impedimento exigebant à commiſſario coniuges putatiui, vt decerneret ſuper legitimatione prolis, Quæſitum fuit, an validè, & licitè quoad hanc partem poſſet exequi commiſſionem non executa priori parte quoad diſpenſationem ſuper impedimento, ſeu ſuper inualiditate matrimonij? Hoc dubium alibi excitaſſe arbitror, dum forte inquirerem, an, ſi commiſſarius executus fuerit commiſſionem, tam diſpenſando ſuper impedimento matrimonij, quàm decernendo prolem antecedentèr ſuſceptam legitimam eſſe, & poſteà poſita tali diſpenſatione matrimonium non fuerit initum, legitimatio illa ſubſiſteret. Nihilominus ad vlteriorem doctrinam, & ad ſtrictius propoſitam difficultatem dirimendam placet in terminis iuxta hanc facti ſeriem iterum diſcutere. Pro qua

2 Sententia aſſerens poſſe ſine diſpẽſatione interponi decretum ſuper legitimatione.

Videtur in primis, dicendum vtique poſſe non executa diſpenſatione ſuper impedimento matrimonij decretum interponere ſuper legitimatione prolis antecedenter ſuſceptæ, quandòquidem commiſſio vtrumque inuoluit, & vnum ab altero eſt ſeparabile mutuo, quandòquidem poteſt eſſe legitimatio prolis abſque eo, quod matrimonium reualidetur, & poteſt eſſe matrimonium validum abſque eo, quod proles antecedenter ad ipſum habita ſit legitima; & ſicuti ex dictis in præcedenti diſquiſitione poſita diſpenſatione ſuper impedimento matrimonij nulla facta declaratione ſuper legitimate prolis non intelligitur hæc legitima, ità ſi poſita ſit declaratio ſuper legitimate prolis, & non poſita diſpenſatio ſuper impedimento matrimonij intelligetur quidem proles legitimata, non tamen matrimonium validum. Nihilominus

3 Non ſubſiſtet decretum ſuper legitimatione prolis non interpoſita diſpẽſatione ſuper matrimonio.

Reſpondeo, non ſubſiſtere decretum ſuper legitimitate prolis non interpoſita diſpenſatione ſuper impedimento matrimonij *Sanchez de matrimon lib. 8. diſp. 7. nu.* 15. Ratio ex eo deducitur, quià, quantumvis poſſit contingere legitimatio prolis non conſolidato matrimonio, cum legitimatio non ſolum proueniat ex matrimonio ſubſequenti inter parẽtes eiuſdem prolis inito, ſed etiam per reſcriptum Principis, vt eſt in confeſſo apud omnes, in præſenti tamen hypotheſi legitimatio prolis eſt in fauorem matrimonij ineundi, & dependenter ab illo, ergo non poſita diſpenſatione ſuper matrimonio non poterit vim habere decretum de legitimitate prolis antecedenter ſuſceptæ, ſi quidem quandò vnum cõceditur propter aliud principalitèr intentum, ſi hoc vim non ſortiatur, neque illud poteſt vim ſortiri. Confirmatur primò ex eodem *Sanchez loc. cit.*, quià, ſi poſita diſpenſatione ſuper impedimento matrimonij, & decreto ſuper legitimitate prolis parentes mutata voluntate matrimonium non ratificarent, ſeu non inirent de nouo, proles illa ex vi illius decreti non intelligeretur legitima, ergo multo minus intelligetur legitima ex vi illius decreti, ſi non fuerit interpoſita diſpenſatio ſuper impedimento, ſeu ſuper inualiditate matrimonij. Confirmatur ſecundò, quià reſcriptum Pontificis intelligitur eſſe ad normam petitionis, & non aliter, nec alio modo, ſed petitio potiſſimum, & principaliter fuit ſuper impedimẽto matrimonij ad effectum ipſum conualidandi, dependenter à quo effectu, vt diſpenſatio ſit efficacior, & cum pleno effectu, Pontifex addit commiſſionem decreti ſuper legitimitate prolis, ergo non poſito in eſſe principaliori intento, & principalitèr petito non poterit ſubſiſtere id, quod adijcitur in conſequentiam, & conceditur tantum ad pleniorem conſecutionem illius cum pleno effectu. Ratio fundamentalis horum omnium ea eſt, quià, quandò vnum conceditur propter aliud præcisè, eo non poſito in eſſe non poteſt vim vllam ſortiri, ſiquidem ſine illo non fuiſset in præſenti hypotheſi conceſſum.

Reſcripti Pontificis eſt ad normam petitionis.

4 Si prius fuerit poſitum decretum ſuper legitimatione, & deindè poſita diſpenſatio, & matrimonium, proles intelligitur legitima.

Hic tamen oritur difficultas, an, ſi inuerſo ordine poſitum fuiſet decretum ſuper legitimitate prolis antecedentèr ſuſceptæ, & deindè ex interuallo facta diſpenſatio ſuper impedimento matrimonij nulla habita relatione ad primum decretum, nec facta mentione eiuſdem, & vigore talis diſpenſationis initum fuerit matrimonium, an, inquam, eo ipſo virtute prioris decreti intelligatur proles legitima conſtituta. Abſolutè ſentio, legitimam eſſe prolem conſtitutam, dummodò primum decretum non fuerit poſitiuè retractatum, Ratio ex eo deducitur, quià commiſſio Pontificis non exigit ordinem in executione commiſſorum, ſed tantum intendit, quod decretum ſuper legitimitate ſit dumtaxat in fauorem matrimonij validi per ipſos diſpenſatos ineundi; ſed hic finis à Pontifice intentus æquè ſaluatur, ſiuè decretum legitimitatis præmittatur, ſiuè ſubſequatur, ergò &c. Minor probatur, quià illa præcedentia decreti materialitèr omninò ſe habet, cum in effectu ſolummodò vim ſortiatur, quandò ponitur diſpenſatio, & dependentèr ab illa matrimonium, nec ex eo, quod præceſſerit, deſinit moralitèr, ſed perſeuerat non quidem ſecundum ſuam vim, & effectum, ſed quoad ſuum eſſe, & quaſi conditionalitèr vſque ad complementum diſpenſationis, & matrimonij, quo deindè poſito acquirit vim, & propterea perficitur ſecun-

Digitized by Google

ſecundum derogationem illegitimitatis.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad ea, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt, quod, quantumvis ex genere ſuo poſſit eſſe diſpenſatio ſuper matrimonio inualido ſine legitimatione prolis antecedentèr ſuſceptæ, & legitimatio prolis per reſcriptum Principis; in hac tamen hypotheſi, qua decretum ſuper legitimatione conceditur proptèr matrimonium ineundum, ſeù in fauorem ipſius, non poteſt hoc interponi ſine ordine ad illud, adeoque eo ſublato non poteſt vim vllam ſortiri proptèr rationes adductas in probatione.

§. V.

An proles concepta ante diſpenſationem, ſi ea iam impetrata naſcatur, habeatur pro naturali, & legitimetur per ſubſequens matrimonium.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
In quo conſiſtat ratio dubitandi. 2.
Si proles fuerit concepta ante diſpenſationem, nata tamen poſt expeditionem literarum, & poſt matrimonium initum habetur pro legitima. 3
Si concepta fuerit ante diſpenſationem, & nata poſt literas expeditas, ante tamen matrimonium habetur pro naturali, & per matrimonium legitimatur. 4.
Si concepta fuerit ante petitionem diſpenſationis, & nata poſt literas præſentatas ordinario, ante tamen earum expeditionem, non habetur pro naturali, & non legitimatur per ſubſequens matrimonium. num. 5.

1 Factum expoſitum in caſu particulari.

DISQVISITIO V. Ex parentibus conſanguineis concepta fuerat proles, qui ad effectum ineundi matrimonium inter ſe recurſum habuerunt per ſupplicem libellum ad Romanum Pontificem, à quo impetrarunt literas commiſſiuas ordinario, vt veris exiſtentibus narratis ſuper impedimento illo diſpenſaret. Nata eſt proles iam huiuſmodi literis expeditis à Romana Curia, ſed vel ante expeditionem factam ab ordinario, vel ſi poſt eandem, antequam matrimonium, in ordine ad quod data eſt diſpenſatio, iniretur. Quæſitum hic fuit, an proles illa habeatur pro naturali, & per ſubſequens matrimonium legitimetur?

Tota ratio dubitandi pendet ab eo, an illa proles, quantumvis concepta ante diſpenſationem, nata tamen poſt literas expeditas à Romana Curia, & commiſſas ordinario, ſed ante expeditionem eiuſdem ordinarij; vel ſi poſt talem expeditionem, ante tamen initum matrimonium, cenſenda ſit naturalis, an verò adhuc ſpuria; ſi enim pro naturali habeatur, certum eſt, quod per ſubſequens matrimonium legitimaretur per textum *in c. cauſa Qui filij ſint legit.* Qua in controuerſia *Baldus in l. Paulus in prima lectura nu* 2. *ff. de ſtatu homin.*, vbi allegat *Gulielmum*, *Cinum*, & *Archidiaconum* exiſtimat, filios conceptos ante diſpenſationem, eſſe ſpurios, quamvis poſteà Pontifex diſpenſet, vbi videtur expreſsè docere in ordine ad ſpurietatem prolis, attendendum eſſe præcisè tempus conceptionis. Ex aduerſo ſuſtinent adhoc, vt proles dicatur naturalis, ſufficere, vt tempore conceptionis, vel natiuitatis prolis potuerit eſſe matrimonium inter parentes eiuſdem prolis *Abbas d. cap. tanta Qui filij ſint legit. in fin. Couaruuias* 4. *decret. part.* 2. *cap* 8. §. 2 *num* 2. *Gregorius Lopez l.* 2 *tit.* 15. *quæſt.* 9. *verb*, *ſed pone in fin. part.* 2. *Molina tom.* 1. *de iuſt tract* 2. *diſp.* 172. *verſ filius naturalis*. Sed, an habenda ſit proles pro ſpuria, ſi concepta fuerit ante petitionem diſpenſationis, ſed nata poſt literas expeditas à Romana Curia, & ordinario conſignatas, ante tamen expeditionem eiuſdem ordinarij, nihil expreſsè ſtatuunt DD., quare nobis inquirendum relinquunt.

2 In quo conſiſtat ratio dubitandi.

3 Si proles fuerit concepta ante diſpēſationem, nata tamen fuerit poſt expeditioné literarum, & poſt cótractum matrimonium habetur pro legitima.

Reſpondeo primo, ſi proles fuerit concepta ante diſpenſationem, nata tamen fuerit poſt expeditionem literarum factam ab ordinario, & poſt contractum matrimonium, habetur pro naturali, & per matrimonium ipſum ſic initum redditur legitima quoad omnia. Ita expreſsè ſentiunt quotquot ſuſtinent, ſufficere, vt dicatur naturalis, quod nata fuerit pro tempore, pro quo parentes poſſent inter ſe contrahere matrimonium, & vltra allegatos hoc docent *Spino ſpecul. teſtam. gloſ.* 15. *num.* 118., & *ſeqq. Sanchez de matrim. lib.* 8. *diſp.* 7. *num.* 19. Ratio ex eo deducitur, quià, quamuis de iure Cæſareo videatur etiam requiri, quod proles concepta fuerit pro tempore, pro quo parentes poſſent inter ſe contrahere ad hoc, vt dicatur naturalis, de iure tamen canonico ſufficit, vel quod concepta ſit, vel nata pro eo tempore, pro quo parentes poſſent contrahere, vt docet *Abbas d cap. tanta Qui filij ſint legitimi*, & *Couaruuias* 4. *decret.* 2. *parte cap.* 8 § 2. *num* 1., vbi teſtatur de communi, ſed quandò eſt naturalis ipſo iure redditur legitima per ſubſequens matrimonium per textum *in d. cap tanta Qui filij ſint legitimi*, ergò &c. Ad ea, quæ affere-

afferebantur ex *Baldo in d. l. Paulus in prima lectura num. 2 ff. de ſtatu hom.* dicendum eſt Baldum, prout eum explicat *Gregorius Lopez lib. 2. tit. 15. verb ſino el filo quaſt. 9. verſ. , ſed pene , in fin. part. 2.* intelligendum eſſe, quandò proles concepta eſt, & nata ante diſpenſationem, ſecùs, ſi nata fuerit poſt diſpenſationem.

4 Si concepta fuerit ante diſpẽſationem, & nata poſt expeditionem literarum ante matrimonium initum habetur pro naturali, & per ſubſequens matrimonium legitimatur.

Reſpondeo ſecundo, ſi proles concepta fuerit ante diſpenſationem, & nata poſt expeditionem literarum factam ab ordinario, ante tamen matrimonium initum adhuc habetur pro naturali, & per ſubſequens matrimonium legitimatur. Conſentiunt omnes relati pro præcedenti reſponſione, & rationes pro ea adductæ ipſam efficacitèr euincunt. Ratio dubitandi ſolum conſiſtit in eo, quod alibi dicebamus, quod ſcilicet ſic diſpenſati, ſi ante initum matrimonium ſimul coeant, non ſolum committant peccatum ſimplicis fornicationis, ſed etiam inceſtus, quod ſignum eſt, quod impedimentum conſanguinitatis ſtante etiam diſpenſatione non ſubtrahatur, niſi per actualem contractum eiuſdem matrimonij, tanquam per conditionem completiuam eiuſdem diſpenſationis: Sed facili negotio ab hac ratione dubitandi me eximo, aſſerens ſufficere, quod parentes tunc poſſint contrahere matrimonium, quandò proles nata eſt, non quod antecedentèr contraxerint, prout loquuntur præcitati DD. pro prima reſponſione, & licet ante contractum matrimonium poſita etiam diſpenſatione coeuntes committant inceſtum, non ſimplicem fornicationem, non tollitur tamen, quin pro eo tempore, quo coierunt, non potuerint contrahere matrimonium.

5 Si concepta fuerit ante petitionem diſpenſationis, & nata poſt literas expeditas à curia, & præſentatas ordinario, ante tamẽ expeditionem non habetur pro naturali.

Reſpondeo tertio, ſi proles fuerit concepta ante petitionem diſpenſationis, & nata poſt literas à Romana curia expeditas, & præſentatas ordinario, ante tamen expeditionem ab eodem factam, probabilius eſt prolem illam non haberi pro naturali, adeoque per ſubſequens matrimonium non legitimari. Conſentiunt quotquot ſuſtinent ad validitatem diſpenſationis requiri, quod commiſſarius cognoſcat veritatem precum expoſitarum in ſupplici libello, eamque cognitionem importari, tanquam formam, & conditionem, prout in particulari docet *Sanchez de matrimon. lib. 8 diſp 34. nu. 26.* cum ex hoc ſatis conſtet non ſufficere ad derogandum impedimento, quod literæ à Romana Curia fuerint expeditæ, & præſentatę ordinario, antequam cauſa cognita ipſe ſuam ſententiam interpoſuerit. Ratio huius reſponſionis ex eo deduci poteſt primo, quià per illam commiſſionem, ſeù expeditionem literarum à Romana curia non ponitur diſpenſatio, ſed conceditur facultas ad diſpenſandum; non enim commiſſarius eſt merè executor ſententiæ diſpenſationis, ſed etiam cognitor cauſæ; neque obeſſe poſſunt ea, quę alibi dicta ſunt, quod ſcilicet, quandò facultas diſpenſandi conceſſa eſt alicui in ordine ad certam, & determinatam perſonam in reſcripto nominatim expreſſam, pro certo, & determinato impedimento habeat vim formalis diſpenſationis, & ſolum commiſſario demandetur executio ſuppoſita precum expoſitarum veritate; cum igitur ſupponatur lata diſpenſatio per Pontificem committentem iam intelligitur ante natiuitatem ſublatum impedimentum, & per conſequens proles ſupponitur nata pro tempore, pro quo parentes poterant licitè, & validè contrahere matrimonium, adeoque naturalis; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià licet dici poſſit habere vim diſpenſationis in actu ſignato, non poteſt tamen dici habere vim eiuſdem in actu exercito, vndè dici poteſt, quod ille, qui hanc commiſſionem impetrauit, habeat ius, vt veris exiſtentibus narratis fiat applicatio, non tamen dici poteſt, quod ſortitus fuerit effectum diſpenſationis, cum adhuc pendeat à cognitione cauſæ, quare ad ea, quæ ex alibi dictis in contrarium afferebantur, dicendum eſt, ſecundum diuerſam conſiderationem illam commiſſionem, & poſſe habere rationem facultatis, & rationem diſpenſationis; Diſpenſationis quidem, quatenus eſt beneficium paſſiuum ipſius diſpenſandi ſuppoſita veritate precum; facultatis ad diſpenſandum, quatenus ad commiſſarium ſpectat declarare, an veritate preces innitantur, nec ne, à qua declaratione pendet valor eiuſdem diſpenſationis, vndè non eſt merus executor diſpenſationis iam poſitæ, ſed etiam Iudex commiſſarius ad iudagandum, definiendum, & declarandum, ſine qua declaratione, indagatione effectum non ſortiretur diſpenſatio, quod ſatis eſt ad præſens inſtitutum.

Rationes pro reſponſione.

Vlterius reſponſio ſic euincitur, quià, quantumvis illa commiſſio haberet vim formalis diſpenſationis, non eſſet tamen abſoluta, ſed conditionata, *ſi preces veritati nitantur*, & declaratio, an veritati nitantur, nec ne pendet ab eodem commiſſario, ſed conceſſio conditionata non ſortitur ſuum effectum pendente adhuc conditione, vt ſunt vulgatiſſima iura, ergò &c.

Vlterius ſic euincitur ex illis verbis, quæ in huiuſmodi commiſſionibus apponi ſolent, *cognita cauſa*, quæ important formam, & conditionem, ergò illa non cognita, nec poſita declaratione ſuper illa non poteſt ſubſiſtere diſpenſatio.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

An diſpenſationes, vt validæ ſint, debeant ordinario præſentari.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis propoſita. 1.
Ratio dubitandi deſumpta ex Concil. Trid. num. 2.
Concilium Tridentinum non procedit de literis ſacra pænitentiaria. 3.
Litera dataria proſunt pro vtroque foro.
Litera dataria pro diſpenſationibus, ſi non fuerint præſentata ordinario, nec proſunt pro foro interno. 5.
Matrimonium contractum non præſentatis ordinario literis non revalidatur, quantumvis poſteà litera præſententur. 6.
An verò poſſit revalidari, ſi præſentatis literis de nouo ineatur remiſſiuè. 7.

1 Proponitur ſeries facti.

DISQVISITIO VI. Impetrauerat Caius diſpenſationem ſuper impedimento à Romano Pontifice ad contrahendum matrimonium cum Felicia ſua conſanguinea, & vigore eiuſdem contraxit cum eadem non exhibitis literis diſpenſationis proprio ordinario. Quæſitum fuit, an matrimonium illud ſubſiſteret, an verò pro irrito eſset habendum, quantùmvis in literis eiuſdem diſpenſationis nullum fuerit impoſitum onus illas præſentandi.

2 Ratio dubitandi deſumpta ex Côcil. Trid.

Originem trahit hæc difficultas à diſpoſitione *Concil. Tridens ſeſſ. 22. cap 5. de reformatione*, vbi decernitur diſpenſationes nullius fore roboris, niſi ordinario eas impetrantis præſententur. Circà cuius diſpoſitionis intellectum hoc vnum certum eſt, eam non intelligi de diſpenſationibus ſacræ pænitentiariæ pro foro interno, cum literæ eaſdem continentes ſint ſoli confeſſario ex approbatis ab eodem ordinario, qui fuerit magiſter in Theologia, & Doctor ſacrorum canonum præſentandæ, & poſtea dilacerandæ, vt diximus in explicatione clauſularum commiſſionis emanantium à ſacra pænitentiaria. Difficultas igitur eſt ſolummodò, an expeditæ pro foro externo, ſi non fuerint ordinario præſentatæ, nullum ſortiantur effectum, nec pro foro externo, nec pro interno, an ſolummodò vim amittant pro foro externo?

3 Non procedit de literis ſacræ pænitentiariæ.

4 Literæ datariæ proſunt pro vtroque foro.

Certum eſt, quod, quantumvis literæ expeditæ à ſacra pænitentiaria ſolum proſint pro foro interno, adeo vt pro externo nullius ſint roboris; expeditæ tamen à Dataria non ſolum pro foro externo validæ ſint, ſi ſeruatæ fuerint conditiones, vel in eiſdem præſcriptæ, vel à iure ſtatutæ, & ſuum ſortiantur effectum, ſed etiam in foro interno animæ, cum abſolutè demant impedimentum. Tota ratio dubitandi eſt, cum habeant vim pro vtroque foro, an quamvis proptèr diſpoſitionem Concilij non acquirant vim pro foro externo, quandò non fuerunt præſentatæ ordinario, ſortiantur tamen vim in foro conſcientiæ, adeo vt ſi contraxerint ſine illa præſentatione tuti ſint in conſcientia? quamuis contrahentes in foro externo poſſint compelli ad recedendum à contractu. Secundò, ſi contraxerint non facta illa præſentatione ordinario poſſit conualeſcere contractus, ſi poſteà præſententur.

5 Nec proſût pro foro interno, ſi non fuerint præſêtatæ ordinario.

Reſpondeo primo, probabilius eſſe huiuſmodi diſpenſationes, nec ſuffragari pro foro interno. Conſentire videtur *Sanchez lib. 8. de matrimon diſp. 34. n. 23.* Ratio ex eo deducitur, quià conceſſiones ſumi debent ad normam, ſecundum quam conceduntur, & pro vtroque foro intantum inſeruiunt, in quantum ſeruantur ea, quæ in eiſdem conceſſionibus iniunguntur, ſed in præſenti hypotheſi ità diſpenſatio conceditur, vt præſentetur ordinario, & ſi non præſentetur, nullius penitus roboris ſit; vbi nota ly *nullius*, quæ cum ſit particula negatiua tollit quamcunque vim pro quocunque ſtatu poſſet operari, ergo &c. Neque dicas, clauſulam hanc annullatiuam non comprehendi in ipſo reſcripto diſpenſationis, adeòque nulla habendam eſſe in conſideratione; quandòquidem non eſt præſumendum, quod conceſſionem abſolutè poſitam voluerit Pontifex reſtringere ſine expreſſione, & cum talis diſpenſatio proueniat à Pontifice nullum recognoſcente ſuperiorem in terris ſupponitur côceſſa cum derogatione cuiuſcunque alterius iuris eo ipſo, quod non eſt relata ad ius ipſum; contrà enim impugnaberis, quià conceſſiones omnes factæ à ſuperiore, quantumvis nullum recognoſcente Superiorem, ſupponuntur factæ ad normam iuris, niſi eiuſdem iuris fiat expreſſa derogatio; non intelligitur autem facta derogatio, niſi fiat expreſſa mentio iuris, cui fiat derogatio; & licet in diſpenſatione adderentur conſuetæ, & generales clauſulæ derogatoriæ, hæ tamen non intelligerentur referri ad hoc ſpeciale ius Tridentini, niſi eius fieret expreſſa, & indiuidua mentio, cum clauſulæ generales referantur ſolum ad ius, cui fit per tale priuilegium, ſeu diſpenſationem derogatio. Confirmatur vlterius, quià diſpenſationes, quę emanant à Dataria, prout contradiſtinguuntur ab illis, quæ emanant à Sacra pœnitentiaria principalitèr ſunt pro foro externo, ne ſcilicet vlla poſſit eſſe impugnatio, & ſolum conſecutiuè pro foro inter-

no, ergo, cum ſine præſentatione facta Ordinario non ſubſiſtant pro foro externo, nec intelligendæ ſunt ſubſiſtere pro interno.

6 Contracto matrimonio nõ facta præſẽtatione ordinario ipſum non reualidatur, quantumvis poſteà literæ præſentẽtur.

Reſpondeo ſecundò, ſi non facta præſentatione ordinario ex vi diſpenſationis contractum fuerit matrimonium per ſic diſpenſatos, eoque poſteà conſummato, vel agente ordinario ad diſſolutionem, vel ſponte ob periculum, ne ex eo defectu diſſoluatur, fuerint præſentatæ, probabilius ex vi illius præſentationis matrimonium antecedenter initum non reualidatur. Ratio ex eo deducitur, quià, quod in origine inualidum fuit, non poteſt tractu temporis conualeſcere, ſed quandò matrimonium illud fuit initum literis ordinario non præſentatis, fuit in ſua origine inualidum, ſiquidem diſpenſatio nullius penitus fuit valoris ex diſpoſitione Concilij Tridentini præallegata, ergo per illam præſentationem factam ſubſequenter ad idem matrimonium conſummatum non poteſt conualeſcere.

7 An poſſit facta præſentatione validè poſteà initi.

Quod ſi quæras, an ſaltem facta præſentatione huiuſmodi literarum ordinario poſt contractum, & conſummatum matrimonium inualidum poſſit ex vi huiuſmodi literarum, & præſentationis de nouo renouato conſenſu contrahentium iniri: Dubium eſt maximum, & reſolutio pendet ex eo, an per illud matrimoniũ contractum, & conſummatum ſine præſentatione facta ordinario reddantur abſoluè irritæ literæ diſpenſationis, adeò vt, nec ex interuallo poſſint operari, an verò in ordine ad illam actionem ſolummodò ſint irritæ, & in ordine ad aliam legitimè ineundam ſuſpendantur vſquequo illa actio legitima fiat. Qua in difficultate abſolutè reſpondendum exiſtimant aliqui, ex vi illius diſpenſationis, & præſentationis non poſſe, nec per nouos actus ſubſequentes matrimonium conualidari: quod ex eo deducunt, quià *concil. Trident. ſeſſ. 24. de matrimon. c. 5.* ſi quis ſcienter contrahat matrimonium intra gradus à iure prohibitos ſeparandus eſt, & carere debet ſpe futuræ diſpenſationis, ſed in hac hypotheſi contraxiſſet ſcienter intra gradus à iure prohibitos, & quidem ſine vlla diſpenſatione, ergo carere debet ſpe futuræ diſpenſationis in ordine ad illud matrimonium validè contrahendum, ergo illa diſpenſatio præcedenter habita non poteſt eidem ſuffragari imposterum. Minor probatur, quià illa diſpenſatio antecedenter habita, cum non fuerit præſentata in ordine ad illud matrimonium, habetur, ac ſi non eſſet poſita, cum ex eodem Concil. Trident. nullius penitus roboris ſit, ergo perindè ſe habet, ac ſi illud matrimonium eſſet ſcienter inualide initum; adeòque propter illud delictum attentatum carere debet ſpe futuræ diſpenſationis in ordine ad illud matrimonium. Secunda conſequentia ſic euincitur, quià, ſi in pœnam attentati, & commiſſi delicti priuatur ſpe diſpẽſationis futuræ, ergo etiam debet carere effectu diſpenſationis iam poſitæ, ſed inualidæ. Conſequentia probatur, tum quià illa diſpenſatio in ordine ad priorem illum contractum perinde eſt, ac ſi non eſſet poſita, & nullius roboris eſt; tum quià delictum illud attentati matrimonij cum ſcientia impedimenti dirimentis, & inualidatis diſpenſationis meretur non ſolum pœnam negationis futuræ diſpenſationis, ſed etiam carentiæ effectus diſpenſationis iam poſitæ; tum quià, ſi in ea hypotheſi Pontifex interrogaretur, an vellet diſpenſationem illam ſubſiſtere non obſtante, quod matrimonium illud contractum fuerit ſcientèr cum ſcientia impedimenti, & inualiditatis diſpenſationis ob non adimpletas conditiones in ea contentas, præſumendum eſt, quod reſponderet, velle non ſubſiſtere, ſicuti ſi rogaretur de diſpenſando ſuper impedimento matrimonij, quod contractum eſt cum ſcientia talis impedimenti diſpenſationem illam veriſimiliter non concederet propter diſpoſitionem *eiuſdem Concilij Trident. d. ſeſſ. 24. de matrimon. c. 5.*

Sententia negatiua.

Ex aduerſo alij ſuſtinent per nouos actus contrahentium facta prius diſpenſationis præſentatione ordinario poſſe eundem contractum antecedenter inualidum innouari, & reualidari ex vi eiſdem diſpenſationis. Rationem ex eo deducunt, quià inualiditas diſpenſationis non præſentatæ ordinario, quæ *ex Concil. Trident. dict. c. 5. ſeſſ. 22. de reform.* decernitur, non eſt abſoluta, & in ordine ad quemcunque actum, ſed in ordine tantum ad actum initum ſine tali præſentatione; non enim ex vi illius diſpoſitionis prohibetur quicunque alius actus futurus ſeruari, cum nullum ius de tali inualiditate in ordine ad ſubſequentes actus ſeruata iuris ſolemnitate reperiatur diſponere, & cum ius Tridentini in ea parte ſit correctorium iuris naturalis, ſecundum quod liberum eſt cuicunque contrahere, vbi natura ipſa non aduerſatur, vtique eſt ſtricte interpretandum, adeò vt intelligatur ſolummodò in ordine ad illum actũ, in quo interceſſit ſolummodò ille defectus præſentationis. Ad rationem, quæ ex aduerſa parte afferebantur, dicendum eſt, diſparem eſſe rationem, quandò matrimonium ſcientèr contractum eſt in impedimento dirimente ſine vlla præcedenti diſpenſatione, ac quandò ſcienter contractum eſt cum tali impedimento, ſed cum diſpenſatione, quæ tamen in ordine ad primum actum fuit inualida defectu præſentationis. Ratio diuerſitatis ex eo conſurgit, primò quià in primo caſu ità eſt

Sententia affirmatiua, eiuſque rationes.

ex-

Digitized by Google

expreſſè in iure decretum, non ſic in ſecundò, & cum illa diſpoſitio in primo caſu ſit odioſa, & declinans à iure naturæ non eſt trahenda ad ſecundum caſum non expreſſum. Secundò, quià in primo caſu attentatum eſt delictum nullo penitus iure ſuffragante; in ſecundò autem ratione diſpenſationis emanatæ e curia Romana attentatum eſt iure aliquo ſaltem inchoato ſuffragante, adeòque &c. Quid igitur concludendum? Rationes pro vtraque parte ſatis validas cernis. Tu cogita. Meo videri probabilior eſt prima ſententia, & rationes efficaciores.

§. VII.

Inſtructiones quædam pro obtinenda diſpenſatione pro foro interno relatiuè ad prædicta.

SVMMARIVM.

Quibus in caſibus expediantur literæ à Sacra pænitentiaria ſuper impedimentis. 1.
Sacra Pænitentiaria non diſpenſat niſi in caſibus occultis. 2.
Quando dicatur impedimentum neutro machinante, vel vtroque, vel altero. 3.
Quænam debeat inveſtigare Parochus, vel Confeſſarius circa hæc impedimenta. 4.
Quænam debeat aduertere in ſcribendo. 5.
Formula literarum per confeſſarium ſcribendarum pro impedimento Neutro machinante. 6.
Alia, ſi matrimonium fuerit contractum exiſtente tali impedimento. 7.
Formula pro affinitate ex copula illicita in ordine ad contrahendum. 8.
In ordine ad iam contractum. 9.
Alia pro impedimento vtroque, vel altero machinante. 10.

1 Quibus in caſibus potiſſimum emanẽt literæ Pœnitentiariæ.

DISQVISITIO VII. In tribus præcipue impedimentis, ſi fuerint occulta, diſpenſatio poteſt, & ſolet emanare à Sacra Pœnitentiaria, ſcilicet in impedimento, quod dicitur *Neutro machinante*, affinitatis prouenientis ex actu fornicario, & vtroque, vel altero machinante, quæ omnia ſunt impedimenta ex genere ſuo dirimentia, quibus etiam adde votum ſimplex caſtitatis, & Religionis, quod tamen eſt inter impedimenta ſimplicitèr impedientia. Ad plenam igitur intelligentiam eorum, quæ fieri debent pro huiuſmodi diſpenſationibus impetrandis placet hæc, quæ ſubdo, præſcribere.

Primo aduertendum eſt, Sacram Pænitentiariam non concedere pro huiuſmodi impedimentis diſpenſationes, ſi loquamur de dirimentibus, niſi fuerint occulta, nam ſi fuerint notoria, & publica ſpectat ad Datariam huiuſmodi diſpenſationes concedere. Quandonam autem dicantur publica, & notoria, & quandonam occulta ad hunc effectum dictum fuit ſupra. Dixi, ſi loquamur de dirimentibus, nam ſi ſit ſermo de voto ſimplicis caſtitatis, & Religionis, quantumvis hoc fuerit notorium, vel de facili probabile, adhuc ab eadem pænitentiaria poſſet emanare diſpenſatio. 2 Non diſpẽſat, niſi in caſibus occultis.

Secundò aduertendum eſt, impedimentum *Neutro machinante* tunc eſſe, quandò quis adulterauit cum vxore alterius præmiſſa promiſſione, & repromiſſione cum eadem de ipſa ducenda, ſi maritus ipſius præmoriatur ad ipſam, dummodò tamen neuter concurrat, vel directè, vel indirectè ad mortem eiuſdem mariti; de hoc impedimento latè egimus *tom. 6 ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 2. dum de impedimentis dirimentibus*; impedimentum affinitatis ex actu fornicario tunc eſt, quandò duo fornicarie ſe cognouerunt; ex qua fornicaria cognitione conſurgit affinitas reſpectiuè vnius ex ſe carnalitèr cognoſcentibus cum conſanguineis alterius quoad ſecundum tantum gradum, & non vlterius, & de hoc etiam egimus *eod. tom. 6.* dum de impedimento affinitatis; impedimentum verò vtroque, vel altero machinante tunc eſt, quandò adulterans, aut alter ipſorum ad complendas promiſſiones moliuntur mortem coniugis innocentis, aut cooperantur directè, vel indirectè morti eiuſdem; De hoc etiam impedimento latè egimus loco citat. dum de impedimento criminis dirimente. In hoc vltimo caſu regulariter non conceditur diſpenſatio, nec ſupponitur facultas conceſſa diſpenſandi Maiori Pœnitentiario; quià nihilominus, ſi machinatio eſſet occulta, & cauſæ graues, & compatibiles allegarentur, poſſet quandòque contingere diſpenſatio, vt de facto quandòque dicitur conceſſa, ideò ſub hoc titulo apponitur. 3 Quandonã dicatur impedimentum *neutro machinante*, & quãdo *vtroque, vel altero machinante*.

Cum igitur ad Confeſſarium, vel ad Parochum contigerit aliquis ex his caſibus, in quibus contrahere volentes afficiatur aliquo ex enuntiatis impedimentis, debet diligenter examinare pænitentem, vt rem totam ſincerè aperiat, inquirat, quale ſit impedimentum, an re vera occultum, an de contracto matrimonio, vel de contrahendo agatur; item quæ cauſæ allegentur pro diſpenſatione obtinenda, Habita verò totius cauſæ notitia ſcribat caſum in charta, quocunque carac̃here, dummodo legi poſſit, idque ſiue latina, ſiue qualibet alia cuiuslibet regionis natiua lingua, omiſſis inutilibus, reticito etiam nomine, & cognomine pœnitentis, quamvis nullum ſit periculum rem, & per- 4 Quonam debeat inveſtigare confeſſarius.

perſonam prodendi, ſed poſito præciſè NN., & caſum ſic inſcriptum directè mittat per communem Tabellarium Romam Maiori Pœnitentiario in hunc modum à tergo

Eminentiſs., & Reuerendiſs. D. Cardinali Maiori Pœnitentiario.

5 Aduertenda in ſcribendo.

Sic autem caſum proponet, ſed aduertat ſcriptor, vt in literis Romam per eum miſſis eidem Eminentiſs. Pœnitentiario Maiori ſignificet, quomodo, & qua via reſponſum mittendum ſit per publicum Tabellionem terminando literas Eminentiſſimo inſcriptas in hunc ferè modum. Dignetur Eminentia Veſtra reſcribere NN. in Ciuitate N. pro tali oppido N.

Eminentiſs., & Reuerendiſs. Domine.

Si ſit pro impedimento *Neutro machinante* dicatur

6 Formula literarum pro impedimento *neutro machinante.*

NN. qui adulterauit cum NN. coniuge NN. cum promiſſione acceptata futuri matrimonij mortuo marito ſine vlla machinatione, mortuo eodem marito intendi cum ipſa contrahere, atque ad talem contractum vrget cauſa inimicitias ſedandi inter parentes, vel quod alter non poſſet nubere congruè, vel &c. Quare humilimè ſupplicat pro diſpenſatione

Si ſit pro eodem impedimento contracto iam matrimonio dicatur

7 Aliæ, ſi matrimoniũ iam fuerit contractũ.

NN qui adulterauit cum NN. &c. additis reliquis, pro vt ſupra vſque ad illud, intendit &c. *cum eadem NN. conſcius, vel neſcius impedimenti, quod eſt occultum cõtraxit, quare eum abſque ſcandalo ſeparari non poſſit humilimè ſupplicat pro remedio &c.*

Si ſit pro impedimento affinitatis ex actu fornicario in ordine ad contrahendum dicatur

8 Formula pro affinitate orta ex copula fornicaria in ordine ad contrahendum.

NN, qui matrem eius antea carnaliter cognouerat, vel eius conſanguineam in ſecundo gradu (dicatur expreſsè gradus, in quo facienda eſt diſpenſatio) *intendit contrahere matrimonium cum NN. atque ea contrahendi ratio militat, quod alter non poſſet congruè nubere, vel quod hic contractus valdè proderit ad ſedandas inimicitias &c. quare humilime ſuplicat pro diſpenſatione*

Si verò ſit pro tali impedimento contracto iam matrimonio dicatur

NN. qui matrem eius cognouit, vel &c. additis reliquis vſque ad ly intendit, *contraxit matrimonium cum NN. conſcius, vel neſcius impedimenti, quod eſt occultum, quare eum abſque ſcandalo ſeparari non poſſit, humilimè ſupplicat pro remedio*

9 Alia in ordine ad cõtractum.

Si ſit pro impedimento *vtroque, vel altero machinante* dicatur

10 Aliæ pro impedimẽto vtroque, *vel altero machinante.*

NN. intendit contrahere matrimonium, vel contraxit cum NN., cum qua adulterauit, & vterque, vel alter ipſorum machinatus eſt mortem mariti, & cum vigeat talis, vel tali cauſa, quæ exprimatur, quæ certe debet eſſe grauiſſima, cum ex qualibet cauſa in hoc impedimento non diſpenſetur, *humilime ſupplicat pro remedio.*

Hæc exemplaria ſufficiant pro reliquis, & diuerſis cauſis, cum ad earum normam poſſint efformari expreſſis ſingulis cauſis interuenientibus. Huiuſmodi diſpenſationes, quæ emanant ex Sacra Pœnitentiaria conceduntur gratis pro foro interno excepto eo, quod quandòque debetur expeditionario, quandò ipſe adhibetur, pro labore. Quare aduerte, quod ſupradicta, quæ immediatè poſſunt, vel per Parochum, vel per Confeſſarium fieri per literas, poſſint etiam fieri dirigendo notitiam ad expeditionarium, vt ea omnia præſtet, quæ ſupra dicta ſunt, qua in hypotheſi debet ipſe expeditionarius certiorari de omnibus circunſtantijs, qualitate locorum &c.

Expediuntur gratis.

Aduerte vlterius, quod, ſi in illo oppido, ſeu Ciuitate, à qua ad Eminentiſſimum Maiorem Pęnitentiarium ſcribitur, non fuerint Confeſſores Doctores Sacrorum Canonum, vel Magiſtri in Theologia, vel ſi adſint, pœnitens non poſſit de facili induci ei aperire ſuam conſcientiam, cum iam aperuerit alicui confeſſario non graduato hoc ipſum in literis miſſis ad Maiorem Pœnitentiarium ſit aperiendum, quia, vt ſpero, de opportuno remedio prouidebit.

Alia notitia.

Quod, ſi datis literis ad Eminentiſſimum Maiorem Pœnitentiarium reſponſum pro tempore opportuno ad manus Confeſſarij, vel pœnitentis non deuenerit, tunc poterunt Confeſſarij, ſeu pœnitentes iterum ſcribere, vt ſi fortè fuerit deperdita prima Epiſtola, altera ad manus Eminentiſſimi Maioris Pœnitentiarij perueniat, & indigentiæ pœnitentium conſulatur. Has notitias pro directione Confeſſariorum, Parochorum, ſeu pœnitentium præſcripſiſſe ſufficiat. Reliqua ad iſtarum normam poterunt efformari.

§.VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Inſtructiones pro diſpenſationibus impetrandis pro foro externo in forma pauperum.

SVMMARIVM.

Nonnulla notabilia circa præſentes diſpenſationes in forma pauperum. 1.
Formula literarum teſtimonialium tam pro paupertate, quàm pro gradibus. 2.
Quænam debeant deponere teſtes. 3.
De quibus debeat certiorari expeditionarius. 4.

DISQVISITIO VIII. Quomodo regenda res ſit, quotieſcunque impetranda eſt diſpenſatio in forma pauperum.

1 Aduertenda circa rem præſentem.

Aduerte primò, quandòque contingere poſſe, vt maximè expediat, quod inter duos contrahatur matrimonium, inter quos eſt impedimentum dirimens, vel quod inter ipſos contractum ſcienter, vel ignoranter non diſſoluatur intercedentibus cauſis legitimis, & maximè vrgentibus, cumque non habeant, quo poſſint impetrare diſpenſationem, nec ſponſus, quo poſſit Romam pergere ad pœnitentiam ſubeundam, vel componendum cum fabrica D. Petri, cum deficiant bonis fortunæ, & ſolum victitent ex propria induſtria, & ſuarum manuum operibus, ſit impetranda huiuſmodi diſpenſatio in communi forma pauperum, pro qua propterea obtinẽda in præſenti inſtructiones congruas præmittendas duximus.

Aduerte ſecundò, quod quotieſcunque in hac forma petenda eſt diſpenſatio ſemper præmittenda ſit Expeditionario fides Ordinarij, aut ipſius Vicarij Generalis in ſpiritualibus ſupra paupertatem Oratoris. In hac autem fide ſpecialis habenda eſt mentio gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, qui intercedit inter contrahere volentes, & item eorumdem paupertatis, & miſerabilitatis, & quod ſponſus non poſſit adire Romam &c. cum victitent labore manuum ſuarum, vt ſupra; fides autẽ huiuſmodi ſic concipienda erit,

Nos ALOYSIVS LAVTIVS Iuris vtriuſq; Doct. &c. Eminentiſs., & Reuerendiſs. D. D. Federici S. R. E. Cardinalis, & Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi in Spiritualibus Vicarius Generalis.

2 Formula literarum teſtimonialium.

V*Niuerſis, & ſingulis, ad quos præſentes noſtræ peruenerint fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, ſicuti ex teſtibus fide dignis coram nobis præuio iuramento examinatis N.N. ex loco N. noſtræ Diœceſis, qui ſimul matrimonium contrahere cupiunt obtenta à Sede Apoſtolica opportuna diſpenſatione ſuper quarto ſimplici, vel duplici, aut tertio, & quarto &c. conſanguinitatis, vel affinitatis, quo inuicem ſunt coniuncti, & inter ſe attinent, eſſe adeo pauperes, & miſerabiles, vt eorum labore, & induſtria tantum viuant. In quorum fidem &c. Dat. Mediolani hac die menſis* 1685.

Aloyſius Lautius Vic. Gen.

Loco † Sigilli.

3 Quænam debeat deponere teſtes.

In quantum ad teſtium depoſitiones ſufficiet, quod deponant, ſe ſcire ſponſos non habere tot redditus, qui ſufficiant pro eorum manutentione, niſi per eorum induſtriam, & labores ſuppleatur talis defectus, quinimmò, ſi ſponſi ſint nobiles, & iuxta conditionem, & ſtatum proprium non ſufficerent mille aurei pro eorum victu, & congrua ſuſtentatione, niſi defectus ad congruam ſuſtentationem eſſet ſupplendus per eorum laborem, & induſtriam, poſſent abſolutè dici pauperes, & miſerabiles ad hunc effectum diſpenſationis obtinendæ in forma pauperum.

4 De quibus debeat certiorari expeditionarius.

Præter prædictam fidem debet expeditionarius perfectè certiorari de cauſis compellentibus ad prædictam diſpenſationem impetrandam, & determinatè de gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, & an hæc orta fuerit ex copula licita, & coniugali, an verò ex illicita, & fornicaria, an matrimonium ſit contractum, vel adhuc contrahendum, & alia huiuſmodi, in reliquis generalibus ſupplebit peritia eiuſdem expeditionarij.

§. IX.

Inſtructiones in genere pro obtinendis diſpenſationibus matrimonialibus pro foro externo.

SVMMARIVM.

Quænam ſint impedimenta, pro quibus habetur recurſus. 1.
Quandonam ſit impedimentum conſanguinitatis. 2.
Quando affinitatis. 3.
Quando publicæ honeſtatis. 4.
Quando compaternitatis. 5.
Cauſa, propter quas conceduntur diſpenſationes. 6.
Explicatur cauſa propter dotem competentem. 7.
Propter dotem cum augmento. 8.
Pro indotata. 9.
Propter anguſtiam locorum. 10.

Pro-

Digitized by Google

Propter anguſtiam, & ſi extra. 11.
Propter ſedandas inimicitias. 12.
Propter infamiam, & ſcandala. 13.
Recurſus etiam habetur propter defectum ætatis, & quid tunc requiratur. 14.

DISQVISITIO IX. Cum ſæpè contingat affectos aliquo impedimento dirimente hæſitare circa modum impetrandæ diſpenſationis, & quandòque ex imperitia, & ignorantia non exponi expeditionarijs, quæ exponenda ſunt, & per conſequens crebro reddi diſpenſationes ſubreptitias, vel obreptitias, ideò quæſita fuit inſtructio quędam generalis eorum, quæ exponenda ſunt, ne tot contingant obreptiones, vel ſubreptiones. Pro qua

1 Impedimenta, pro quibus habetur recurſus. Hoc regulare eſt, quod impedimenta ob quæ regularitèr habetur recurſus ad Romanum Pontificem pro diſpenſatione hæc ſint.

1 Conſanguinitas.
2 Affinitas.
3 Compaternitas.
4 Publica honeſtas.
5 Neutro Machinante.
6 Affinitas proueniens ex actu fornicario.
7 Vtroque, vel altero Machinante

hæcque enumerantur præcisè, non quià in aliquibus alijs non poſſit Pontifex diſpenſare, ſed quià ex conſueto non ſolet in alijs diſpenſare, & non niſi ex grauiſſimis cauſis. Porrò enumerantur inter impedimenta quoad diſpenſationes pro foro externo, Neutro Machinante, affinitas ex actu fornicario, vtroque vel altero Machinante, quod intelligendum eſt, quandò ſunt notoria, & publica, nam, quandò ſunt occulta, poteſt haberi recurſus ad Sacram Pœnitentiariam, à qua iuxtà ſuperius dicta emanat diſpenſatio pro foro interno. Expoſitiò horum impedimentorum latè iam habita fuit ſupra, dum de ſingulis impedimentis dirimentibus. Pro faciliori tamen captu rudiorum eadem breuiter reſtringo.

2 Quandonam ſit impedimentum conſanguinitatis. Conſanguinitas tunc eſt, quandò ab eodem ſtipite per carnalem propagationem plures procedentes communicant ratione eiuſdem inter ſe in eodem ſanguine. Huiuſmodi ſunt fratres, conſobrini, nepotes, pronepotes &c. qui eo gradu conſanguinitatis dicuntur inter ſe diſtare, quo remotior diſtat à communi ſtipite. Hæc conſanguinitas, ſi ſit per lineam rectam, probabilius dirimit in quocunque gradu vſque in infinitum, ſi ſit in linea tranſuerſali vſque ad quartum gradum.

3 Quandò affinitatis. Affinitas eſt quædam attinentia conſurgens ex matrimonio rato, & conſummato inter duos, ratione cuius vnus ex coniugibus ſit affinis cum conſanguineis alterius in eo gradu, quo hic alter eſt illis conſanguineus, & vice verſa. Hæc dirimit matrimonium vſque ad quartum gradum.

4 Quandò publicæ honeſtatis. Honeſtas tunc eſt, quandò quis contrahit matrimonium per verba de præſenti cùm aliqua, quod tamen non conſummat, in ordine ad conſanguineos eius, cum qua contrahit, vel legitimè ſponſalia cum eadem, ratione etenim talium contractuum conſurgit quędam honeſtas, ratione cuius alter ex coniugibus mortuo altero, vel diſſolutis ſponſalibus non poteſt contrahere cum conſanguineis eius, cum quo prius contraxerat. Hæc honeſtas, ſi fuerit ex matrimonio rato, dirimit vſque ad ſecundum gradum, ſi verò ex ſponſalibus præcisè ſolummodò dirimit in primo gradu.

5 Quandò compaternitatis. Compaternitas conſurgit, quandò quis ſuſcipit, vel in baptiſmo, vel in confirmatione baptizandum, vel confirmandum; tunc etenim conſurgit cognatio ſpiritualis inter ipſum ſuſcipientem, & ſuſceptum, & inter ipſum ſuſcipientem, & parentes carnales eiuſdem ſuſcepti, ratione cuius adinuicem iſti nequeunt contrahere.

De reliquis tribus impedimentis nempè Neutro machinante, affinitatis ex actu fornicario, vtroque, vel altero tantum machinante actum eſt ſupra, dum de inſtructionibus pro diſpenſationibus in foro interno; nec alia eſt differentia, niſi, quià in illo illa impedimenta ſupponuntur occulta, in iſto notoria, vel de facili probabilia.

Secundò hoc regulare eſt, quod ad impetrandas huiuſmodi diſpenſationes requirantur legitimæ cauſæ, cæteroqui, vel non conceduntur, vel non niſi cum compoſitione pecuniaria in ordine ad bonum commune; Huiuſmodi autem cauſæ, quæ ſolent allegari, ſunt.

6 Cauſæ, propter quas conceduntur diſpẽſationes.

1 Propter dotem incompetentem.
2 Propter dotem cum augmento.
3 Pro indotata.
4 Pro muliere virgine 24. annorum, & vltrà.
5 Propter anguſtiam loci, ſeu locorum.
6 Propter anguſtiam, & ſi extra.
7 Propter ſedandas inimicitias.
8 Propter infamias, & ſcandala

7 Propter dotem incompetentem. Singulas in particulari expono. Propter dotem incompetentem tunc eſt, quandò dos, quam habet fęmina, non eſt ſufficiens, vt congruè poſſit nubere alteri paris, ſeu æqualis conditionis cum ipſa, niſi nubat parenti, qui cum illa dote incompetenti velit illam ducere.

8 Propter dotem cũ augmẽto. Propter dotem cum augmento, tunc eſt, quandò fœmina non habet congruam dotem proprio ſtatui, & conditioni, cum qua cum æquali poſſit nubere, & inuenit conſanguineum volentem eidem nubere, &

Digitized by Google

& non ſolum acquieſcit illi doti incongruæ, ſed vlterius eandem dotem ex proprijs auget, ità vt ex illo augmento eandem dotem congruam afficiat. Hoc idem poteſt habere locum, quantumvis non ipſe, qui vult eam ducere, conſtituat illud augmentum, ſed alius ab ipſo, quicunque ille fuerit, dummodò eo intuitu conſtituat, vt contrahatur illud matrimonium, & ſine quo non conſtitueret.

9 Pro indotata. Pro indotata tunc eſt, quandò ob defectum dotis fœmina non inuenit, cui nubat; niſi conſanguineum, qui velit, vel eam ducere ſine dote, vel ex proprijs dotem illi conſtituere.

10 Propter anguſtiam loci, ſeu locorum. Propter anguſtiam loci, ſeu locorum, tunc eſt, quando in loco, in quo eſt, ſeu viuit fœmina, pauci extant habitatores, vt fœmina ipſa inuenire non poſſit, cui congruè nubat iuxtà propriam conditionem, niſi conſanguineum, vel affinem, atque hæc cauſa habet etiam locum, quantumvis ſponſa ſit vnius oppidi, vel ruris, & ſponſus alterius, quià ob anguſtiam locorum militat eadem ratio, quod inueniri non poſſit, cum quo congruè nubat, niſi cum illo conſanguineo, ſeu affine. Quandòque repertum eſt ex hac cauſa Pontificem diſpenſaſſe, quantumvis fœmina degeret in Ciuitate, quià non habetur ratio præcisè ad locum, ſed ad perſonas in tali loco, cum quibus congruè poſſit nubere. Verum tamen eſt, quod in hac vltima hypotheſi, quod locus, in quo fœmina degit, ſi ſit Ciuitas, regularitèr exigitur duplex componenda propter præſumptionem, quod non ſit tantus defectus perſonarum &c.

11 Propter anguſtiã, & ſi extrà. Propter anguſtiam, & ſi extrà, tunc eſt, quandò ob anguſtiam loci fœmina non inuenit virum paris conditionis, niſi conſanguineum, vel affinem, & quamvis extrà poſſet congruè nubere, non haberet tamen congruam dotem, cum dos, quæ ſufficit in illo loco, non habeatur pro congrua in alio loco. Hæc tamen cauſa, *& ſi extra*, non exprimenda eſt, niſi quandò cum tertio gradu concurrit etiam ſecundus, nam quandò eſt gradus tertius, & quartus hæc cauſa non eſt neceſſaria, cum ſit ſufficiens ſimplex cauſa ob anguſtiam loci, ſeu locorum.

12 Propter ſedandas inimicitias. Propter ſedandas inimicitias, quandò inimicitiæ plures, & graues vigent inter parentes vtriuſque ortæ ex alia cauſa præcedenti, & ex illo matrimonio ſperatur tranquilitas, & pax inter eoſdem parentes.

13 Propter infamias, & ſcandala. Propter infamias, & ſcandala tunc eſt, quandò fœmina eſt in graui periculo conſtituta enormis infamiæ, & ſcandalorum ob nimias familiaritates quas habuit cum illo, cum quo intendit nubere, quantumvis inter ipſos copula carnalis non fuerit habita, vndè, ſi matrimonium non contraheretur, diſamata remaneret, nec facilè inueniret, cui nuberet.

Hic latè diſputant aliqui, an quandò inter ſic impeditos antecedenter habita ſit copula ſit neceſſario in impetratione talis diſpenſationis facienda mentio de eadem, adeò vt ſine illa mentione ſubreptitia intelligatur diſpenſatio. Sed de hoc latè nos egimus ſupra *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. III. pranot. 23. n. 19. per totum*, ad quæ vos remitto.

Vltrà impedimenta mox enumerata, ob quæ habetur recurſus ad Romanum Pontificem pro diſpenſationibus allegata altera ex prædictis cauſis, quandòque ex cauſa ætatis recurſus ad eundem habetur, & tunc contingit, quandò ſponſus non compleuit adhuc decimum quartum annum, vel ſponſa duodecimum, & Pontifex etiam in eadem ætate diſpenſat, dummodò non deſint anni, ſed ad ſummum menſes. Ad hanc tamen regularitèr neceſſaria eſt fides Epiſcopi Diœceſis, in qua degunt ipſe contrahentes, nec ſufficit fides Vicarij Generalis eiuſdem, & Epiſcopus ipſe debet teſtari, ſe vidiſſe eum, cui deficit ætas ſcilicet tot menſium, & aſſerere ex eiuſdem aſpectu, aſtutia, & malitia coniectari habilem eſſe ad matrimonium, eandemque malitiam probabilitèr poſſe ſupplere defectum ætatis. Idem debet atteſtari de vtroque, ſi vtrique deficiat ætas à iure præſcripta ad contrahendum cum eiſdem conditionibus, expreſſione ætatis, aſtutiæ, malitiæ &c. Qua ſtante atteſtatione compertum eſt Romanum Pontificem ſuper tali defectu ætatis quandòque diſpenſaſſe. 14 Recurſus etiam habetur pro defectu ætatis, & tunc quid requiratur

---

§. X.

Quomodo ſint exponendi gradus conſanguinitatis, & affinitatis in impetratione diſpenſationis.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtat ſenſus diſquiſitionis. 1.
Ex ſtilo Curiæ facienda eſt mentio gradus proximioris cum remotiori. 2.
Quomodo intelligenda ſit diſtantia in duplici, vel triplici quarto &c. 3.

DISQVISITIO X. Dictum eſt in præcedentibus à remotiori gradu, ſiue in conſanguinitate, ſiue in affinitate ſummendã eſſe rationem impedimenti, adeò vt eo gradu intelligantur conſanguinei, vel affines diſtare inter ſe, quo remotior dictat à communi ſtipite, & ſic, ſi remo- 1 Senſus diſquiſitionis expoſitus.

Digitized by Google

tior diſtat à ſtipite per quattuor gradus, eodem gradu intelligatur diſtare ab altero conſanguineo, quantumvis hic diſtet tantum, vel ſecundo, vel tertio gradu à ſtipite. Ratio jam dubitandi ex eo conſurgit primo, cur cum diſtantia graduum ſit ſumenda ſolummodò à remotiori, in impetrationibus tamen diſpenſationum facienda ſit mentio etiam proximioris, quo alter minus diſtat à ſtipite. Secundò, quomodò intelligendum ſit, quod quis v. g. dicatur diſtare ab altero in duplici, vel triplici quarto, in duplicibus tertio, & quarto in triplicibus tertio, & quarto, in tertio, & quarto ex vno, & duplici quarto ex altero, & ſimilibus.

2 Reſpondeo primò, re vera faciendam eſſe mentionem gradus proximioris cum remotiori in impetratione diſpenſationis, non quià ex genere ſuo proximior conſtituat ſtrictius impedimentum, ſed quià hoc præſcribitur ex ſtilo curiæ, qui vim legis habet; & Pontifex attento tali ſtilo non præſumitur velle diſpenſare, niſi facta tali expreſſione. In hanc reſponſionem ſentio omnes conſentire, qui ſtatuunt impedimentum deſumi à gradu remotiori. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià, ſi quis diſtet à communi ſtipite per quinque, vel ſex gradus, & alter tantum in ſecundo non eſt impedimentum dirimens inter ipſos, nec neceſſaria eſt diſpenſatio, ergo ex genere ſuo gradus proximior non conſtituit ſtrictius impedimentum. Ratio ſecundæ partis ex eodem ſtilo facile deducitur, ſecundum quem præſcribuntur regulæ expreſſionis faciendæ, & quid magis exigitur in diſpenſationibus, quando vnus eſt proximior, alter remotior intra terminos tamen quarti gradus, quam exigatur, quando vterque eſt in gradu remotiori, vndè, ſi non fiat talis expreſſio vtriuſque gradus, ſed tantum remotioris, non erit quidem inualidum matrimonium ex genere ſuo, ſed quià Pontifex non intendit concedere diſpenſationem in remotiori gradu, niſi fiat etiam expreſſio proximioris.

Facienda eſt mentio gradus proximioris cũ remotiori.

3 Reſpondeo ſecundò, intelligentiam illius diſtantiæ in duplici, vel in triplici quarto, in duplicibus tertio, & quarto, in triplicibus tertio, & quarto; in tertio, & quarto ex vno, & duplici quarto ex altero deſumendam eſſe ex auctoribus, cum ſatis latam exigat explicationem, in qua non vacat immorari, & ex vno capite non multum faceſſat ad præſens inſtitutum, & ex alio non contineat difficultatem talem, quæ ex lectura DD. non poſſit percipi. Hæc diſtantia potiſſimum inducta eſt in ordine ad diſpenſationes, in quarum impetratione ex ſtilo Curiæ facienda eſt illa expreſſio diſtantiæ, vel in tertio, vel in quarto, ſiue in duplicibus, ſiue in triplicibus modo expoſito in ratione dubitandi.

Quomodo intelligẽda ſit diſtantia in duplici quarto, in triplici quarto &c.

Eſſet hic exponenda taxa, quæ ex ſtilo Curiæ inducta eſt, quandò per compoſitionem pecuniariam conceduntur diſpenſationes, vt vnuſquiſque nouerit, quantum ſit inſumendum, ex quacunque cauſa proueniant huiuſmodi diſpenſationes, ſed quià hoc non videtur ſpectare ad trutinam Theologicam, ſed ad verſantes in foro, & in Curia, ideò pro hac vos ad eos remitto.

CON-

Digitized by Google

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio IV. hoc eſt de ſecundis nuptijs.

QVamvis Sacramentum Matrimonij, potiſſimum, ſi fuerit conſummatum, ordinatum ſit ad ſignificandam vnionem indiſſolubilem Chriſti Domini cum Eccleſia per carnem aſſumptam, vel verbi Diuini cum humanitate per vnionem hypoſtaticam, quæ eſt vnius cum vna ſponſa; attamen ex labili hominum viciſſitudine, & inconſtanti natura, ſecundum quam alter quandòque permanet altero deſinente, non ità debuit coarctari, vt vltrà primum contractum iam diſſolutum per obitum alterius nequeat propagari aſſerente Apoſtolo ad Roman. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*, & prima ad Chorint. 8. *Si dormierit vir eius liberata eſt, cui vult, nubat*; Neque etenim in rapreſentato, & rapreſentante, ſeu figura, & figurato omnimoda ratio ſignificationis ſecundum omnia exigenda eſt, ſed talis ſolummodò, qualis ſufficiat ad ſpiritualem illam vnionem præſignandam, ſecus Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium non eſſet rapreſentatiuum, & ſignificatiuum Sacrificij cruenti, cum hoc ſemel oblatum ſit pro peccatis noſtris, illud verò ſit multiplex, & toties offeratur, quoties Sacrificium peragitur. Suppoſito iam, quod matrimonium altero coniuge deficiente poſſit iterari, quæſtiones circa ipſum, ſeu circa ſecundas nuptias inſtituimus dirimendas, quas vniuerſas ſub hoc titulo examinabimus.

Digitized by Google

PRÆNOTIO I.

Euincitur aduerſus nonnullos hæreticos ſecundas, & vlteriores nuptias diſſolutis primis licitas eſse omni iure.

SVMMARIVM.

Refertur quædam hæreſis Montani. 1.
Diſſolutis primis nuptijs ob obitum alterius licitæ ſunt quocunque iure aliæ nuptiæ. num. 2.
Soluuntur hæreticorum fundamenta. 3.

QVamuis in præambulo præſentis tituli ex teſtimonijs Apoſtoli indicauerimus præmortuo altero ex coniugibus ſuperſtitem poſse liberè, & licitè tranſire ad ſecundas, & vlteriores nuptias, quià tamen plures circà hoc emanarunt hæreticorum errores ex falſa intelligentia, vel conciliorum, vel SS. PP. contrarium ſuadentium non incongruè ad veritatem catholicam aduerſus eorum prauitatem comprobandam placuit prænotionem hanc inſtituere: qua eorum detegatur verſutia, & veritas chriſtiana illuſtretur.

1 Refertur quædam Hæreſis Montani. Quidam igitur Montanus impius catholicæ veritatis euerſor, & cum eo Cataphrigæ teſte *D. Auguſt. lib. de hæreſib. cap. 26.* quibus adhæſit *Tertullianus lib. de Monogamia*, *& Nouatiani* teſte *concil Niceno can.* 8. impiè ſecundas, & vlteriores nuptias etiam primis diſſolutis damnauerunt, vel quod aduerſentur fini illius ſignificationis vnionis indiſſolubilis vnius Chriſti cum vna eccleſia, vel vnius verbi cum vna carne aſſumpta, vel quod paſſim huiuſmodi nuptiæ appellentur à Sanctis PP. malæ, vt à *D. Ambroſio in prima ad corinth* 7., vel fornicationes *ab auctore operis imperfecti homil. 32. in Matthæum*, vel abhominabiles à *D Hieronymo contra Iouinianum lib.* 1., vel grauitèr punibiles à *concil. Neocæſarienſi c.* 3., *&* 7., *& à Concil. Laodiceno cap* 1., vel quod à iure ciuili ſub grauibus pœnis interdicantur *l. fœmina l. generaliter l. ſi quis prioris § in illo l. hac edictali in princ. auth. ex teſtament. C. de ſecundis nuptijs*. Sit tamen.

2 Licitę ſunt ſecundæ nuptiæ quocunque iure. ASSERTIO. Diſſolutis prioribus nuptijs per obitum alterius coniugis nuptiæ ſecundæ, & vlteriores non vitiantur, nec ex iure naturæ; nec ex iure diuino naturali, nec ex poſitiuo, nec ex iure Eccleſiaſtico, nec ex ciuili. In hanc conſentiunt *D. Auguſtinus lib.* 2. *contra aduerſarium legum cap.* 11., *& lib.* 16 *de ciuitate Dei cap.* 44 *D. Hieronymus in Apologetico contra Iouinianum D. Chriſoſtomus hom.* 20. *in Epiſtolam ad Epheſ.*

Probatur iam primo, quod non vitientur iure naturæ; quià attento præcisè iure naturæ matrimonium inſtitutum eſt, vel in officium eiuſdem naturæ, vel in remedium concupiſcentiæ, prout docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrim I. prænot.* 1. *nu.* 1., & tradunt *D. Thomas* 3. *part q* 61. *art.* 2. *ad tertium*, *Gonetus in* 3. *part. D. Thomæ diſp.* 5. *num* 7., *& alij*, ſed officium naturæ, & remedium concupiſcentiæ potiſſimum vigent diſſolutis nuptijs per obitum alterius coniugis, quandòquidem ſemper natura dictat propagationem ſpeciei, & concupiſcentia fortius viget poſt primas nuptias præcipuè in fœminis, quæ poſt primos concubitus ſolent eſse magis luxurioſæ, ergò poſt diſſolutas primas nuptias adhuc ius naturæ dictat alias, & vlteriores nuptias, quæ propterea attento eodem iure non vitiantur. Hac eadem ratione euincitur non vitiari de iure naturali diuino, quandòquidem hoc non diſcrepat ab eodem iure naturæ. — Non vetiatur iure naturæ. — Feminæ poſt primas nuptias ſunt magis luxurioſæ.

Probatur ſecundo, quod non vitientur iure diuino poſitiuo; nam, (præterquam quod hoc clarè euincunt teſtimonia Apoſtoli allegata in præambulo præſentis tituli, quæ inducunt probationem poſitiuam) nullum eſt aſſignabile ius poſitiuum diuinum, quod huiuſmodi nuptias ſecundas, & vlteriores prohibeat; neque dicas, quod, quantumvis expreſsè nullum ius diuinum has prohibeat, prohibeat tamen implicitè ex eo, quod matrimonium ordinauerit ad ſignificandam illam vnionem indiſſolubilem vnius ſponſi Chriſti cum vna ſponſa Eccleſia, eo modo, quo, quià ordinauit baptiſmum ad ſignificandam vnam mortem, & ſepulturam Chriſti, prohibetur implicitè, ne baptiſmus ipſe iteretur; contra enim impugnaberis, quià proportio ſignificationis ad rem ſignificatam attendenda eſt ſecundum habitudinem, quam habet ſignificans ſecundum naturam propriam ad ſignificatum, adeo vt, quantum exigit ipſius natura, illud repræſentet, non enim requiritur, quod ſecundum omnia repræſentet, cum non poſſit habere omnes qualitates formales, quas habet ipſum ſignificatum, cæteroqui ſicuti ſponſalitium ſpirituale Chriſti Domini cum Eccleſia eſt perpetuum, & æternum, ſicuti ſempiternum eſt ipſius ſacerdotium, adeo vt nunquam poſſit ſolui, cum Chriſtus, & Eccleſia maneant in æternum, ità & matrimonium corporale vnius cum altera deberet eſse ſempiternum, quod tamen dici non poteſt attenta labili hominum natura, ſecundum quam alter deficit altero ad — Nec vetatur iure diuino.

ad tempus permanente, & licet perſeuerent quoad animas, quæ à parte poſt æternæ ſunt, & immortales, hoc tamen ad rem non facit, quià matrimonium non eſt ſpirituale ſimplicitèr, ſed potius corporale, cum ſit in remedium concupiſcentiæ, & in officium naturæ, & ad propagationem ſpeciei, vndè deficientibus corporibus deſinit ipſum matrimonium ad differentiam matrimonij Chriſti Domini cum Eccleſia, ſeù verbi diuini cum humanitate, quod, cum ſit merè ſpirituale, adhuc corporibus deficientibus perſeuerat, & maximè conſumatur in patria cum animabus iuſtorum per gloriam. Sufficit igitur, quod matrimonium corporale rapræſentet illam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia ad modum naturæ contrahentium, hoc eſt quandiu perſeuerauerint ipſi contrahentes, cæteroqui, ſi omnimoda requireretur rapræſentatio, matrimonium deberet eſſe omninò indiſſolubile, quod falſum eſt, cum morte alterius coniugis diſſoluatur. Ad illud, quod ſubditur de baptiſmo, dicendum eſt, non currere paritatem, quandòquidem principalis effectus baptiſmi cauſatur in anima, qui ſemper perſeuerat, cum ſit carather indelebilis, & propterea non poſſit deſinere, & per conſequens in ſuo effectu habet ſemper rapræſentare mortem, & ſepulturam Chriſti Domini, quod non militat in matrimonio, qui præcipuum ſuum effectum cauſat in ordine ad corpora, nec producit caractherem indelebilem, adeoque &c.

Nec iure Eccleſiaſtico.

Probatur tertiò, quod non vitientur ex iure Eccleſiaſtico *ex concil. Niceno cap* 8. præcipiente Nouationis redeuntibus ad Eccleſiam, vt profiteantur ſe communicaturos cum ijs, qui ad ſecundas nuptias tranſierunt; per quod damnatur eorum error, quo damnabant vlteriores nuptias primis diſſolutis. Secundò *ex concil. Florent. in inſtructione Armenorum*, quod ſecundas nuptias prægnantibus verbis approbat. Tertiò ex textu *in cap.* 1., *& cap. vir de ſecundis nuptijs*, vbi licet interdicantur benedictiones, ne repetitæ vileſcant, ſupponuntur eædem ſecundæ nuptiæ licitæ, & non reprobatæ ab Eccleſia. Tandem ex pluribus S. S. P.P. auctoritatibus, & præcipuè *D. Auguſtini lib.* 2. *contra aduerſarium legum cap.* 11., *& lib.* 16. *de ciuitate Dei cap.* 34., *& D. Chriſoſtomi homil.* 20. *in Epiſt. ad Epheſios*, & ex communi praxi Eccleſiæ.

Nec iure ciuili.

Probatur quarto, quod non vitientur ex iure ciuili; primo, quià ius ciuile nullam habet poteſtatem quoad matrimonia, ex quo eleuata ſunt ad eſſe ſacramenti. Secundò, quià, quantumvis aliquid circà eadem diſpoſuerit, correctum tamen eſt per ius canonicum, tanquam contra bonos mores, & contra libertatem matrimonij. Tertiò, quià diſpoſitiones iuris ciuilis, ſi quæ ſunt, non verſantur circa ſubſtantiam earundem ſecundarum nuptiarum, ſed vel circa dotem, vel circa alia conſequentia.

3 Soluuntur hæreticorum argumenta.

Quare ad fundamenta aduerſantium hæreticorum iam patet ex dictis, quid reſpondendum. Solum remanet aliquid addendum quoad nuncupationes fornicationum, abhominationum, punibilitatis, quas ex SS. PP. hæretici deſumpſerunt; Die etenim ſic per eoſdem S.S. PP appellari, non quià ſecundum ſe inhoneſtatem aliquam præſeferant, ſed quià nimium ardorem concupiſcentiæ vt plurimum in ſic contrahentibus indicant, qui certè abhominabilis eſt, cum carnalibus animos nimium illaqueet, & à ſpiritualibus cohibeat, vndè proptèr hunc reſpectum imponitur pæna, nec tamen per hoc ipſæ nuptiæ ſecundæ per ſe conſideratæ vitiantur; nec alitèr SS. PP. ſunt intelligendi, cæteroqui ſibimet ipſis aduerſarentur, vt colligitur ex auctoritatibus allegatis in probatione quartæ partis aſſertionis. Eccleſia item tranſeuntes ad ſecundas nuptias bigamos conſtituit, & à ſacrorum ordinum ſuſceptione prohibet, non quià ſecundæ nuptiæ in ſe malæ ſint, ſed quià, cum præſeferant illum nimium ardorem concupiſcentiæ, qui valdè diſſonus eſt ſtatui Eccleſiaſtico, & Clericali, qui potiſſimum dirigitur ad diuina, valdè æquum fuit, vt ſic conuerſos ad carnalia ab eodem ſtatu auerteret; potuit enim ſua gratuita beneficia nolle conferre, & ſpiritualia ijs, quos ab eiſdem ſpiritualibus nouerit nimium auerſos, & ad carnalia procliues, & conuerſos. Dici etiam poteſt in ordine ad huiuſmodi bigamos Eccleſiam ipſos à ſacrorum ordinum ſuſceptione auertere, quià maximè deceat ad ſacra miniſteria electos, & deſtinatos ſpeciali conſecratione maiorem præſeferre in ſe ipſis ſignificationem vnionis Chriſti Domini cum Eccleſia, quam certè non præſeferunt bigami, cum ſint diuiſi in pluribus carnibus.

Agunt hic fusè DD. de cauſis, ob quas interdicuntur benedictiones ſolemnes in ſecundis nuptijs, & de pænis contra ſacerdotes benedicentes, ſed quià nos fusè de ijs egimus *tom.* 6. *ſub tit. Contractus XV. de matrimon. I. prænot.* 38. in ijs amplius non immoramur.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIO II.

Qualis certitudo requiratur de morte alterius coniugis, vt alter poſſit licitè tranſire ad ſecundas nuptias, & quos effectus pariat.

SVMMARIVM.

Requiritur certitudo de morte coniugis. 1.

Articuli examinandi in hac prænotione. 2.

Certitudo ſufficiens non habetur per longam abſentiam alterius coniugis, nec per famam. 3.

Requiritur certus nuntius, vel alia probatio moralis ad Iudicis iudicium Ibid.

In alia probatione morali non poteſt ad ſecundas nuptias tranſire, niſi expectato Eccleſiæ iudicio. 4.

Non ſufficit quinquennium abſentiæ ex iure ciuili antiquo præſcriptum. 5.

Fama, nec plenè, nec integrè probat. 6.

Fama cum adminiculis certis plenè probat. num. 7.

Quænam ſint adminicula certò probantia. num. 8.

Iura, proptèr quæ requiritur certus nuntius, num. 9.

Per ly certum nuntium *venit determinata perſona.* 10.

Vbi eſt diſtantia conſiderabilis ſufficit vnus teſtis. 11.

Si coniux non habito certo nuntio, nec alia morali certitudine conuolarit ad ſecundas nuptias, iſta tenent, ſi verè alius fuerit mortuus, ſecus non. 12.

Contrahens ſine tali certitudine peccaret grauitèr. 13.

Qui ſine tali certitudine contraheret, non poſſet petere debitum, teneretur tamen reddere. 14.

Ex dubio vnius alter non eſt ſpoliandus ſuo iure. 15.

Si vterque dubia fide contraxerit de morte alterius coniugis perſeuerante dubio neuter poteſt petere, nec reddere, ſecus dubio depoſito. 16.

Si habita morali certitudine de obitu alterius coniugis ſuperſtes tranſierit ad ſecunda vota, & præſumptus mortuus apparuerit, diſſoluuntur ſecundæ nuptiæ, & ſuperſtes eidem reſtituendus eſt. 17.

Filij procreati ex ſecundis nuptijs initis cum prudenti credulitate obitus alterius coniugis habentur pro legitimis, & quomodo ſuccedant. 18.

Proles habita ex matrimonio inualido cum bona fide alterius parentis ſuccedit in bonis vtriuſque. 19.

Nec requiritur, quod matrimonium inualidum conualidetur per aliud ſubſequens validum. 20.

Si coniux, de cuius obitu habita fuit moralis certitudo, re vera fuerit mortuus, & reſurrexerit, alter, qui tranſiuit ad ſecundas nuptias, non eſt ipſi reſtituendus. 21.

QVamuis ſecundæ nuptiæ non interdicantur, nec bigamia ſecundum ſubſtantiam illicita ſit, licet inducat incapacitatem quoad munera Eccleſiaſtica, poligamia tamen ſecundum ſe, & de iure naturali diuino eſt interdicta, & nuptiæ ſecundæ primis non diſſolutis ſunt omninò illicitæ, & inualidæ; vndè maximè congruum fuit, vt Eccleſia ſatageret, vt nedum ipſa poligamia à fidelibus arceretur, ſed quodcunque periculum etiam eiuſdem incurrendæ. Quamobrem meritò ſtatuit, ne ad ſecundas nuptias deueniatur, niſi conſtet moralitèr de diſſolutione primarum per obitum alterius ex coniugibus, prout habetur *ex cap. Dominus de ſecundis nuptijs* – Ibi – *Sanè ſuper matrimonijs, quæ quidam ex vobis contraxerunt nondum habita obeuntis coniugis certitudine, reſpondemus: vt nullus amodo ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quod ab hac vita migrauerit coniux.*

1 Requiritur certitudo de morte coniugis.

Quamobrem circa præſentem iuris Eccleſiaſtici diſpoſitionem ſub hoc titulo plura veniunt examinanda. Primum, qualis certitudo mortis alterius coniugis requiratur ad hoc, vt alter licitè, & validè poſſit ad ſecundas nuptias conuolare. Secundum, an, ſi non habita tali certitudine coniux conuolarit ad alias nuptias, teneant huiuſmodi nuptiæ. Tertium, an coniux, qui ſine tali certitudine ad alias nuptias tranſijt, poſſit petere, & reddere debitum, an verò teneatur reddere, licet non poſſit petere. Quartum, an ſi contractis ſecundis nuptijs habita illa morali, & congrua certitudine de morte alterius hic ex interuallo incolumis apparuerit ſint ſecundæ nuptiæ diſſoluendæ, & coniux, qui ad ſecundas conuolauit, ſit reſtituendus iſti ſuperſtiti. Quintum in hac vltima hypotheſi, ſi medio tempore inter ſecundas nuptias contractas habita illa certitudine, & apparitionem prioris coniugis, ex eiſdem ſecundis nuptijs procreati fuerint filij, an iſti habendi ſint legitimi, & ſuccedere debeant, vt tales in bonis patris putatiui, & bonis maternis, ſi mater fuerit, quæ habita illa certitudine tranſierit ad ſecundas nuptias ſimul cum filijs procreatis à legitimo coniuge ſuperſtite, ſiuè huiuſmodi filij nati fuerint ex primo matrimonio, antequam contraherentur ſecundæ nuptiæ, ſiuè poſtquam redeunte eodem coniuge legitimo eædem ſecundæ nuptiæ fuerint diſſolutæ.

2 Articuli examinandi circa hanc quæſtionem.

diſſolutæ. Sextum, an, ſi reuera prior coniux, de cuius morte certitudo habita fuerat, fuerit mortuus,& poſteà ex diuina clementia reſurrexerit, ſint diſſoluendæ ſecundæ nuptiæ, & coniux reſtituenda primo, qui reſurrexit, & alia huiuſmodi.

3 Non ſufficit diutina abſentia alteri' coniugis.

Assertio I. Ad hanc certitudinem inducendam non ſufficit diutina abſentia alterius coniugis ſine alia probatione de morte, nec ſola fama de morte eiuſdem, ſed requiritur certum nuntium, vel alia moralis probatio, quæ arbitrio iudicis attentis omnibus circunſtantijs habeatur pro ſufficienti. *Gloſa cap. in præſentia in fin. de ſponſal. Abbas cap. quoniam §. porro n. 12. vt lite non conteſt. Innocentius cap. dominus de ſecundis nupt. num. vnico, Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit 12. num. 131. Sotus in 4. diſt. 37 quæſt. vnica art 3. verſ. de hac verò certitudine, Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. cap. 83. §. quià virum, Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 46 num. 6.*

4 Vbi non eſt certus nuntius debet expectari Eccleſię iudicium.

Ad clariorem intelligentiam huius aſsertionis aduerte, quod, quamvis videatur ſufficere, vt quis poſſit ad ſecundas nuptias conuolare propria auctoritate, quod habeat certum nuntium de morte alterius coniugis, quod videtur colligi *ex dict. cap. in præſentia de ſponſal. in fin.*, vbi ſic legitur. *Non poſſunt tales ad aliorum conſortium conuolare, nec permittas, eos auctoritate Eccleſiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum*, vbi vides, duo præcipi; primum, quod ex ſe non poſsint contrahere, ſecundum, nec eiſdem permitti contractum auctoritate Eccleſiæ, niſi ponatur conditio de certo nuntio, ergò, cum hæc poſita fuerit, vtique poterunt ex ſe contrahere; quamvis, inquam, hoc videatur ſufficere, quandò tamen agitur de alia probatione, & certitudine morali, non poteſt propria auctoritate alias nuptias contrahere, ſed debet expectare iudicium Eccleſiæ, quod innuiſse videntur *Antonius cap. in præſentia de ſponſal. num. 7. Armilla verb. matrimonium num. 45. Tabiena verb impedimentum impedim 10. q 1. num 2. Couarruuias 4. decret. 2. part. cap. 7. §. 3. nu. 4 VeraCrux prima part. ſpeculi art. 42. concl. 1.* dum aſserunt in huiuſmodi probationibus, an ſufficiant, ſtandum eſse arbitrio Iudicis. His ergò ſic ſuppoſitis.

Probatur primo, quod non ſufficiat diutina abſentia alterius coniugis. Ex diutina abſentia alterius coniugis præciſè non reſultat certitudo de ipſius obitu, cum talis abſentia prouenire poſſit, vel ex captiuitate, vel ex deportatione, vel ex alijs cauſis ignotis, ergò ex eadem non poteſt licitè fieri tranſitus ad ſecundas nuptias, cum ſine certitudine hæ non poſſint licitè iniri. Accedit primo, quod extante dubio de ſubſiſtentia prioris matrimonij ob incertitudinem mortis alterius coniugis potius eſt ius primi matrimonij, quam ſecundo initi cum illo dubio, quià in dubio ſemper melior eſt conditio poſſidentis, ergò cum diutina illa abſentia non inducat ſecundum ſe certitudinem, ſed ad ſummum ingerat dubietatem, prius matrimonium erit in ſua poſseſſione manutenendum, donec conſtiterit &c. Accedit ſecundo, quod, vbi agitur de periculo animæ vitando, in dubio ſemper tutior pars ſit eligenda ad effectum, vt periculum illud, ſeù peccatum, in quo conſiſtit, vitetur, vt ſunt vulgatiſſima iura; tutius autem eſt abſtinere à ſecundis nuptijs, quià in hoc nullum adeſt periculum, quam eaſdem contrahere, quià imminet periculum nullitatis, & adulterij, ergò &c.

Diutina abſentia poteſt ex alia cauſa prouenire.

5 Non ſufficit quinquennium abſentię.

Neque ijs, quæ hic dicuntur, obeſſe poſſunt diſpoſitiones iuris ciuilis *in l. vxores ff. de diuort.*, vbi decernitur quinquennium, per quod mulier expectet virum abſentem, vt alteri poſſit nubere, *& in l. vxor C. de repud.*, vbi hoc tempus reſtringitur ad quadriennium; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià huiuſmodi iura correcta ſunt per aliud ius ciuile *in auth hodie C de repudijs*,& fortius per ius canonicum *in c. præſentia de ſponſalibus*, vbi decernitur, quod ob nullam abſentiam tranſiri poſſit ad ſecundas nuptias, niſi alia mortis adſit certitudo.

Quædam limitatio nō approbata.

Limitant tamen nonnulli aſſertionem, vt non procedat, quandò computato tempore abſentiæ, & ætatis eius, qui eſt abſens, attento naturali curſu valde probabile, & certum moraliter eſt, quod amplius non poſſit viuere, quod aliqui dilatant ad tempus, quo ipſe abſens compleuerit centeſimum annum, cum vltrà talem annum iura non prçſumant vitam hominis durare per textum *in l. fin. C. de Sacroſanct. Eccl.*, ſed hæc limitatio non ſolida eſt, cum iura non præſumāt, vitam hominis pro eo tempore durare, cum pauci ad talem ætatem perueniant; iura autem non præſumunt, quod rariſſimè contingit: vndè ad allegatum textum *in d. l fin.* dicendum eſt, ipſum probare tantum negatiuè, quatenus non præſumant vltrà centeſimum annum durare, non affirmatiuè, prout notat *Couarruuias 2. variar. c 7. n. 6. verſ. 3.*

6 Fama, nec plene, nec integre probat.

Probatur ſecundò, quod non ſufficiat fama ſecundum ſe ſumpta, quià ex diſpoſitione *d. cap. in præſentia de ſponſal. in fin.* requiritur ad validam probationem ad hunc effectum certus nuntius, vt volunt *Hoſtienſis in ſumma tit. de ſponſa duorum num 6., & in d. c. in præſentia in fine, & ibi Abbas n 6.*, vel certum nuntium, vt volunt alij apud *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 46. n. 11.*, ſed fama ſecundum ſe ſumpta non eſt huiuſmodi, cum proueniat ab incer-

cer-

Digitized by Google

certo auctore, & plerumque fallaci. Accedit, quod fama, nec certo, nec integrè probet *Gutierez 2. practic. q. 8. num. 4. Vera Crux prima part ſpeculi art. 42. concl. 1.*, vbi autem vertitur periculum animæ, integra, & certa probatio requiritur.

7 Fama cum certis adminiculis plene probat.

Dixi, *nec ſola fama, vel fama ſecundum ſe*; quandòquidem, ſi fama adiungatur alijs adminiculis ſecundum ſe concludentibus poteſt inducere ſufficientem probationem ad hunc effectum *D Antoninus 3. part tit. 1. c. 9. in fin. Sotus in 4 diſt. 37. q. vnica art. 5. verſ. in primis, Nauarrus in ſumma c. 22. num. 53. Menochius de adipiſc. poſſeſ. remed 4. n. 672.* Ratio ex eo deducitur, quià fama publica cum huiuſmodi adminiculis habet rationem plenæ probationis moralis *Gloſa c quoniam frequenter verb. præſumatur, vt lite conteſt. Antonius d. c. in præſentia nu. 7. de ſponſalib.*

8 Quænam ſint adminicula certo probantia.

Quænam autem ſint huiuſmodi adminicula? Sotus *d. q vnica art. 5. verſ. in primis, Ludouicus Lopez 2. part inſtruct. de matrimon. c. 55, & prima parte c. 83. §. quià vtrum* enumerant longitudinem abſentiæ. Maſcardus *de probationib concl* 1072. *n.* 7., cum alijs, quos ibidem refert, enumerat longæuam ætatem, & ægritudinem coniugis abſentis cum diuturnitate abſentiæ. Tabiena *verb impedimentum impedimento* 10 *q.* 2 *nu* 2 *Nauarrus in ſumma c. 22. num. 53. Phyliarchus de offic. Sacerdot. tom. 1 part. 2 lib. 3. cap. 9* inter adminicula concurrentia ſimul cum fama publica enumerant ſenectutem cum longitudine abſentiæ, circumſtantiam belli, ſi in eodem fuerit, & ſecuta fuerit pugna, & multum poſt tempus non redierit. Alij alia aſſignant. Ego arbitrio Iudicis hæc omnia remitto, qui ſecundum circunſtantias iudicet.

Aduerte tamen, quod ad hoc, vt fama probet, plures requirantur conditiones, prima, vt duplici teſte probetur per textum *in c. licet de teſtib., & atteſt.*, qui teſtes ſint omni exceptione maiores, qui deponant, ſe audiuiſſe à fide dignis *Menochius conſ. 70. n. 21 vol. 1.*, & aſſerant ſe audiuiſſe publicè à maiori parte populi *Maſcardus concl.* 1075. *n* 10., & aſſerant, ſe credere ità rem ſe habere *Menochius conſ. 60. num. 21. vol. 1.*

9 Iura, propter quæ requiritur certus Nũtius.

Probatur tertiò quoad certum nuntium *ex c. in præſentia de ſponſal. in fin.*-ibi- *Non poſſunt tales ad aliorum conſortium conuolare, nec permittas eos auctoritate Eccleſiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

Hic ſolum diſputant DD., an per ly *certum Nuntium*, intelligatur certa perſona, quæ deferat mortem coniugis, an verò certam notitiam delatam accepto ly *Nuntio* in genere neutro; nam ex diuerſa illius nominis acceptione conſurgere poteſt diuerſum ius; ſi etenim accipiatur in genere neutro videtur exigere ad plene probandum atteſtationem plurium, cum dictum vnius non plene probet, quià dictum vnius eſt dictum nullius per textum *in l. iuris iurandi verſ. ſimili modo C. de teſtib.*, ſi vero accipiatur pro certa perſona denuntiante ſumpto vocabulo in genere maſculino, tunc ex diſpoſitione talis iuris illius ſufficeret atteſtatio. Qua in controuerſia intelligunt de certa perſona deferente *Hoſtienſis in ſumma tit. de ſponſa duorum n. 6. Angelus verb. matrimon 3. impedim. 13. n. 4.*, de certa verò notitia ſentiunt alij apud *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 46. n 12.*, qui etiam hanc maximè commendat, & approbat. Probabilius ſentio, venire certam perſonam deferentem, & deponentem de obitu alterius. Ratio ex eo deducitur, quià, cum agatur de re ſecuta in diuerſis, & diſtinctis regionibus, non eſt facilis plurium atteſtatio, cum diſſitarum regionum non ſit frequens communicatio; quandò autem non eſt facilis communicatio, non poteſt de facili haberi plena probatio, & vbi plena haberi non poteſt, ſufficit ea, quæ haberi poteſt *l. non omnes § à barbaris ff. de re militari*. 10

10 Per ly *certum nuntium* venit determinata perſona.

Hinc facile deducere poteris, quod, vbi fuerit diſtantia loci conſiderabilis, ſufficiat vnus teſtis, ſi fuerit fide dignus, & omni exceptione maior conſiderata qualitate perſonæ; quià tunc eſſet difficilis alia probatio, & ſi veriſimilia deponat, eidem credendum erit, prout etiam fatetur *Sanchez de matrim lib. 2. diſp. 45. num. 12.*, ſi vero modica fuerit diſtantia, & facilis plena haberi poſſet probatio, tunc certe eadem eſſet exigenda. Vbi tamen ex diſtantia locorum plena haberi non poſſet probatio, ſtandum eſſet arbitrio Iudicis in decernendo, an atteſtatio vnius eſſet ſufficiens attenta qualitate perſonæ, & veriſimilium, quæ deponit. 11

11 Vbi eſt diſtantia loci conſiderabilis ſufficit vnus teſtis, ſi ſit fide dignus.

Probatur quartò quoad aliam moralem probationem *ex c. quoniam §. porro verſ. ſi autem, vt lite non conteſt.*, vbi ſic legitur. *Si autem de carnali coniugio ſit agendum, tandiu alteruter coniugum expectetur, donec de ipſius obitu veriſimiliter præſumatur*, vbi vides, facultatem ſecundo nubendi non reſtringi ad certum nuntium, ſed extendi ad alias veriſimiles probationes moralitèr inducentes credulitatem obitus alterius coniugis, cum hoc tamen diſcrimine, quod, vbi agitur de certo nuntio, non ſic expectandum tantum tempus, nec requiritur ità exactum examen Eccleſiæ; vbi vero agitur de alijs moralibus probationibus, diligenter indaganda ſint omnia, & petendum Eccleſiæ iudicium, & Iudicis arbitrium conſideratis omnibus &c. Nec obeſſe poteſt textus *in d. cap. in præſentia de ſponſalib.*, vbi videtur determinate requiri certus nuntius; Non, in-

Moralis probatio exigit ſtrictius examen.

quam,

Digitized by Google

quam, obeſſe poteſt, quià, licet ille textus requirat certum nuntium, non excludit tamen æquiualentem moralem probationem, ſed illum requirit, & ibi exprimit tanquam modum probationis magis proprium, & conſuetum in ſimilibus. Deindè, ſi ly *certum nuntium* intelligeretur in genere neutro, vt intelligunt alij, iam inuolueret indifferentiam ad probationem, vel per teſtes, vel per famam cum alijs adminiculis, vel ad quamcunque aliam probationem per iura approbatam.

12 Nō habito certo Nūtio, nec morali probatione nuptiæ tenent, ſi alter fuerit mortuus, ſecus non tenent.

Assertio II. Si coniux non habita illa morali certitudine, vel per certum nuntium, vel per aliam moralem æquiualentem probationem de obitu ſui coniugis conuolarit ad ſecundas nuptias cum altero, probabilius tenent illæ ſecundæ nuptiæ, ſi re vera mortuus fuerit maritus, non tenent, ſi non fuerit mortuus. In hanc conſentit *Bonacina de matrimon. q. 3 punct. 10. num. 18.* dum aſſerit tenere matrimonium initum per eum, qui falſo credebat, ſuperſtitem eſſe priorem vxorem, ſed re vera erat mortua; ſi etenim tenet, quandò credebat eſſe ſuperſtitem, cum eſſet mortua, à fortiori tenere cenſendum eſt, quandò dubius erat, an ſuperſtes eſſet, an mortua. Hoc idem tenent quotquot ſuſtinent, quandò alter coniux non certo nouit ſuum coniugem mortuum eſſe, ſed tantum dubitat, teneri quidam petenti reddere debitum, non poſſe tamen petere iuxtà textum *in c. inquiſitioni de ſent. excommun.*, atque hi ſunt inter cæteros *Valentia tom 4. diſp. 10. q. 2. punct. 2. Nauarrus in ſumma c. 22. n. 53 Henriquez lib 15. c. 15. n. 13. Gutierez de matrimon. c. 49. nu. 36., & ſeqq. Sanchez lib. 2. de matrimon diſp. 41. n. 52*, dum etenim ſentiunt, teneri reddere debitum, vtique ſentiunt, matrimonium illud tenere in ſuppoſitione, quod fuerit coniux mortuus, cæteroqui non eſſet, quo debitum illud, ſeu illius redditio poſſet cohoneſtari.

Probatur primò, quià exiſtente vere morte coniugis omnia eſſentialia concurrunt, quæ requiruntur ad validitatem illius ſecundi matrimonij, eadem non exiſtente extat impedimentum ligaminis, ratione cuius non poteſt contrahere, ergo illud ſecundum Sacramentum ſubſiſtet, ſi prior coniux fuerit mortuus, non ſubſiſtet, ſi ille fuerit ſuperſtes. Antecedens quoad primam partem facile liquet, quià adeſt ſufficiens conſenſus, ſupponitur enim, qui dubius eſt de obitu prioris coniugis, habere intentionem contrahendi, quantum poteſt, & actualem conſenſum præbere; adeſt, & habilitas in contrahentibus, nam altero coniuge præmortuo vere prius vinculum eſt abſolutè diſſolutum; Neque dicas, conſenſum non poſſe ferri in obiectum, quod certo non cognoſcatur, vt poſſibile, conſenſus etenim, vt ſit liber, voluntarius, & efficax dependet à cognitione, cum autem non ſit certa, & abſoluta cognitio, nec poteſt eſſe certus, & abſolutus conſenſus: quandò autem non eſt moralis certitudo de obitu alterius coniugis non eſt certa cognitio de obiecto poſſibili, ergo defectu proportionati conſenſus non poteſt eſſe validum matrimonium; contrà enim impugnaberis, quià conſenſus fertur in obiectum aprehenſum, vt poſſibile, & in ſe ipſo vere, & realiter eſt tale, & quamvis certitudo de illo obiecto non habeatur, non officit tamen, quià conſenſus ſupponitur poni ſub conditione, ſi mors prioris coniugis vere ſecuta fuerit, nec illa conditio implicita vitiat, aut ſuſpendit contractum, quandòquidem eſt de obiecto præſenti, vel præterito; conditio autem de obiecto præſenti, vel præterito, nec vitiat, nec ſuſpendit *Sotus in 4. diſt 29. q. 2. art. 1 verſ. ſit ergo 2. concluſio, Corduba in ſumma q. 46. Sanchez de matrimon. lib. 5. diſp. 7. n 1. Ludouicus Lopez 2 part. inſtruct. materia de matrim. c. 42.*, nec ignorantia de exiſtentia illius conditionis poteſt obſiſtere validitati, quandòquidem contrahentes intendunt abſolutè contrahere, niſi alter coniux fuerit ſuperſtes, ergo, cum reuera non fuerit ſuperſtes, quantumvis mors non certo ſciatur à contrahentibus non erit quid deficiens eorum intentioni. Vide quæ diximus in ſimilibus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal. 1. prænot. 5. ſect. 9. num. 9.* Non exiſtente autem tali conditione pro tempore contractus, ipſe non poteſt ſubſiſtere, cum etiam conſenſus tunc deficiat, quandòquidem regulatur ad normam conditionis.

Conſenſus ſupponitur poni conditionate.

Non negauerim tamen, quod taliter contrahendo ſine illa morali certitudine grauitèr peccaret, tùm quià ſe exponeret periculo adulterij, ſi alter eſſet ſuperſtes; tùm quià faceret in re graui contrà præceptum Eccleſiæ volentis non contrahi ſecundas nuptias, niſi certo moralitèr conſtet de obitu alterius. 13

13 Cōtrahens ſine tali Nuntio, & morali probatione peccaret grauiter.

Probatur ſecundò *ex cap. dominus de ſecundis nuptijs*, vbi expreſsè dicitur dubitantem de obitu prioris coniugis teneri reddere, quod eſt actus matrimonij, ergo, quià ſupponit matrimonium illud tenere.

Assertio III. Coniux, qui ſine tali morali certitudine de obitu alterius tranſijt ad ſecundas nuptias non poteſt petere debitum: tenetur tamē reddere *Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 41 n 2. Bonacina de matrimon. q. 4 punct. 10. nu. 17. Innocentius in d. cap. Dominus nu. vnico de ſecundis nupt. Roſella verb impedimentum impedim 12 n. 1. Siluester verb. matrimonium 4. q. 9. dict. 1.* So- 14

14 Cōtrahens ſine tali certitudine nō poſſet petere debitum, teneretur tamē reddere.

Digitized by Google

Solonius 2.2. q 61. tract. de dominio q 5. art. 6. ratione vlt. fin concl. Palatios in 4. diſt. 27. diſp. 3.

Colligitur expreſsè *ex d. c. Dominus de ſecundis nupt*, vbi ſic habetur *Sanè ſuper matrimonijs, quæ quidem ex vobis contraxerunt nondum habita obeuntis coniugis certitudine, reſpondemus, vt nullus amodo ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quod ab hac vita migrauerit coniux, ſi verò aliquis hoc non ſeruauit, & de morte prioris coniugis adhuc exiſtimat ſibi dubitandum, ei, quæ ſibi nupſit debitum non deneget poſtulanti, quod à ſe tamen nouerit nullatenus exigendum.*

15 Ex dubio vnius alter non eſt ſpoliandus ſuo iure.

Ratio aſſertionis, & huius textus ex eo deducitur, quià ex dubio vnius alter, qui eſt in bona fide, non eſt ſpoliandus ſuo iure, & ſua poſſeſſione, ergo ſub hac conſideratione alteri petenti tenetur reddere; ex alia parte, cum ipſa ſic dubitans non acquiſierit plenam poſſeſſionem, nullum ius habet petendi, cum incipiens poſſeſſionem dubia fide non dicatur vere poſſidere, ergo &c.

16 Si vterque dubia fide cõtraxerit neuter poteſt petere, vel reddere.

Hic diſputant DD., an, ſi vterque contraxerit dubia fide de morte prioris coniugis neuter poſſit petere, & reddere, an vero vterque teneatur reddere? Silueſter *verb. matrimonium 4. q. 9. dicto 2. Bartholomæus de Ledeſma de matrimon dub 20. concl. prima* aſſerunt vtrumque teneri reddere. Contrariam tamen ſententiam certiſſimam arbitror cum *Sanchez dict. lib. 2. diſp. 41. num 8*, qui alios plures allegat, eaque ratione moueor, quià vterque non habet poſſeſſionem, cum eandem inceperit in mala fide; ſi tamen dubium illud practicè deponant ob rationales cauſas, & arbitrentur, matrimonium illud eſſe validum, non incongruè crederem, poſſe tunc reddere, & petere, quià per depoſitionem illius dubij perfectam acquirunt poſſeſſionem.

17 Si habita morali certitudine, & contractis ſecundis nuptijs præſũptus mortuus apparuerit, ſuperſtes, qui tranſijt ad ſecũdas nuptias, ipſi reſtituẽdus eſt.

Assertio IV. Si habita illa morali certitudine de obitu alterius alter ſuperſtes tranſierit ad ſecundas nuptias, & deinde ex interuallo, qui præſumebatur mortuus, apparuerit, diſſoluuntur ſecundæ nuptiæ, & coniux, qui ſecundo nupſit, reſtituendus, vel reſtituenda eſt primo. *Valentia tom. 4. diſp. 10. q 2. punct. 2. VeraCrux prima part. ſpecul. art. 42. concl. 1. Bonacina de matrimon q 3 punct. 10. n 17.*

Non difficilis erit probatio huius aſſertionis, ſi conſideres ad ea, quæ ſupra dicta ſunt, quod ſcilicet teneant ſecundæ nuptiæ, ſi coniux, de cuius morte agitur, vere fuerit mortuus, non teneant, ſi non fuerit mortuus, quandòquidem in primo caſu verificatur conditio de præſenti, vel præterito in principio ſubintellecta; in ſecundo vero, cum talis conditio non exiſtat, vel non extiterit, non poteſt contractus ſubſiſtere, ergo conſtante de non exiſtentia conditionis non erit, cur ſecundæ nuptiæ non debeant diſſolui, & coniux, qui ad eaſdem tranſierit, non debeat primo ſuperſtiti reſtitui. Quod ſi dicas, quod antecedentèr ad cognitionem ſuperexiſtentiæ coniugis, qui credebatur mortuus, copula inter ipſos, qui contraxerunt ſecundas nuptias, fuerit licita, non fornicaria, ergo, quià illæ nuptiæ ſubſiſtebant; non enim poteſt eſſe licita copula extra matrimonium, ſeu, quæ non ſit coniugalis, ergo ratione inualiditatis primi matrimonij nõ eſt reſtituendus coniux primo ſuperſtiti; Statim impugnaberis, quia licita quidem fuit copula habita inter coniugem, qui tranſiuit ad ſecundas nuptias, & eam, quam duxit ratione bonæ fidei, qua credebatur illud matrimonium validum, non, quià vera fuerit coniugalis, niſi ſecundum aprehenſionem rationabiliter moraliter veram. Hoc clare euincitur exemplo in ijs, qui contraxerunt bona fide cum impedimento dirimente occulto, qui, ſi antecedenter ad cognitionem impedimenti conſummarint, non peccarunt, & tamen matrimonium illud eſt nullum, & poſt cognitionem diſſoluendum.

18 Filij procreati ex ſecundis nuptijs initis cũ prudenti credulitate obitus alterius coniugis habentur pro legitimis.

Assertio V. Filij procreati ex ſecundis nuptijs initis cũ prudenti credulitate, & morali certitudine obitus alterius coniugis, & eadem certitudine perſeuerante probabilius habentur pro legitimis quo ad ſucceſſionem in bonis paternis, & maternis, & ſimul ſuccedunt cum filijs eius, qui ſecundas nuptias contraxit, habitis à coniuge ſuperſtite, in bonis eiuſdem, qui eaſdem ſecundas nuptias iniuit, non vero in bonis ſuperſtitis. Hoc ſentire videntur *Acoſta c ſi pater prima parte verbo vxorem n. 2 de teſtament. in 6. Matienzo lib 5. recopil. 1. rubric. gloſ 1 n. 116. Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 8. § 5 num 17 Rojas epit ſucceſſ. c. 30 nu 38 Gutierez lib. 3. pract. tot. q. 74.* dum aſſerunt filios natos ex matrimonio bona fide alterius parentis inito eſſe vere legitimos non ſolum quoad parentem habentem bonam fidem, ſed etiam quoad alium malam fidem habentem, quod probant *ex c. ex tenore, & c. cum inter, c. peruenit, qui filij ſint legitimi.* Quibus ſuppoſitis, tanquam in vtroque iure veris.

19 Proles habita ex matrimonio inualido cum bona fide alterius parente ſuccedit in bonis vtriuſque parentis.

Probatur eadem aſſertio. Quandò proles naſcitur ex matrimonio inualido cum bona fide alterius ex parentibus verè habetur pro legitima, & ſuccedit in bonis vtriuſque parentis, quantumvis alter fuerit in mala, ſeu dubia fide, vt ſentiunt DD. allegati, & alij magis communiter, qui ſolummòdò diſcrepant in eo, an parens, qui contraxit in mala fide habeatur pro legitimo, & ſuccedat in bonis prolis, quod aliqui videntur negare, eo quod parens,

qui

qui in mala fide contraxit factùs eſt reus culpæ, & per conſequens pœnæ, ne ſuccedat in bonis filij, neue ex ſua culpa, & delicto commodum reportet aduerſus textum *in l. ſiue hæreditaria ff. de negot. geſt.* Cæterum, quod proles habeatur pro legitima, & ſuccedat in bonis vtriuſque parentis etiam illius, qui mala fide contraxit, omnes ferè conſentiunt, quandòquidem proles nihil mali geſſit, adeòque non eſt, cur ſit priuanda iuribus, quæ eidem leges concedunt; nec monſtruoſum eſt, quod filius reſpectu Patris habeatur pro legitimo; Pater autem reſpectu filij non habeatur pro tali militantibus diuerſis rationibus pro vtroque, & ideo ius in prolis fauorem conceſſum non eſt extendendum ad fauorem patris deliquentis *Acoſta in c. ſi Pater prima part. dict. verbo vxorem num. 2. de teſtament in 6. Barboſa in l. ſi cum dotem 23. §. fin. num. 11. ff. ſolut. matrim.*, ergo à fortiori legitima habebitur, quandò vtriuſque parentis optima fide cum prudenti credulitate, & morali certitudine approbante Eccleſia contractum eſt matrimonium, & eadem bona fide perſeuerante cum illis omnibus conditionibus approbantibus, ſeu à iure approbatis ex illo matrimonio procreata eſt illa proles.

20 **Nec requiritur, quod matrimonium inualidum conualidetur per aliud ſubſequens validum.**

Dices primo, hæc omnia, quę dicuntur in aſſumpto antecedentis, verificari dumtaxat, quandò matrimonium ex parte vnius, vel vtriuſque initum eſt bona fide, & poſteà cognito impedimento conualidatum eſt per diſpenſationem, & per nouum vtriuſque contrahentis conſenſum; tunc etenim in virtute ſubſequentis matrimonij validi omnia præcedentia bona fide inita purgantur; ſecus verò, quandò cognito impedimento, nec ſubſequitur diſpenſatio, nec ſubſequentèr de nouo initur aliud matrimonium, per quod primum conualidetur, quin potius diſſoluitur, vt euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam conſtito de priori coniuge ſuperſtite nulla habetur ratio de ſecundis nuptijs, quæ abſolutè diſſoluuntur; tunc etenim non eſt, per quid conſolidetur legitimatio prolis ex illis nuptijs irritis ſuſcepta. Sed contra, quià gratis omninò dicitur, quod legitimatio conſolidetur ſolummodò in ſubſequenti matrimonio valido, quià textus *in d. c. ex tenore* legitimationem fundat præcisè in bona fide alterius contrahentis, nec ſupponit poſteà reualidatum eſſe matrimonium; ibi etenim erat ſermo de ſuccedendo in hæreditate Patris, qui fuerat ex adulterio genitus, eo quià Pater ipſius Patris, de cuius ſucceſſione agebatur, matrimonialitèr ſibi copulauerat aliam fœminam, qua ſuperſtite, hanc etiam in facie Eccleſiæ ſibi coniunxit, ex qua filium, qui modo agit de ſucceſſione, procreauerat. Circa quod factum conſultus Pontifex reſpondit in hęc verba *Intelligentes, quod Pater prædicti R. matrem ipſius in faciem Eccleſiæ ignaram, quod aliam ſibi matrimonialitèr copulaſſet, duxerit in vxorem, & dum ipſa coniux ipſius legitima putaretur, dictum R. ſuſceperit ex eadem; in fauorem prolis potius declinamus memoratum R. legitimum reputantes*, ibique per gloſam adducitur ratio, quià ignorantia alterius parentis facit, quod filij de tali matrimonio nati legitimi ſint, & fauor prolis ad hoc coadiuuet, vbi vides in primis legitimationem fundari in bona fide, & ignorantia alterius contrahentis; Deindè non dici aliud matrimonium validum fuiſſe initum, cum primum conſiſteret; Hoc idem expreſsè euincitur *ex d. cap. per venit Qui filij ſint legitimi*, vbi perſeuerarunt coniuges in illo matrimonio vſque ad mortem, cum fuerit celebratum in facie Eccleſiæ, & bona fide, & poſteà agebatur de ipſius inualiditate ad effectum excludendi prolem ab ea ſuſceptam ab hæreditate, & tamen ibi dictum fuit per Pontificem prolem legitimam eſſe nuntiandam, ibique adducit rationem Gloſa. *Nota, quod ex quo matrimonium in facie Eccleſiæ contractum eſt, filij indè nati debent legitimi iudicari*, vbi vides, aliud matrimonium contractum non eſſe inter eoſdem, ſeù non renouatum primum, & tamen proles legitima nuntiatur ob ſolam bonam fidem contrahentium.

Dices ſecundo, in hac ſpeciali hypotheſi aſſertionis non poſſe habere locum ea, quæ dicta ſunt in fauorem prolis ex ſecundis nuptijs ſuſceptæ, quandòquidem ipſius ſucceſſio in bonis parentis, qui tranſiuit ad ſecundas nuptias, cederet in detrimentum prolis ab eodem, & primo coniuge ſuſceptæ; peto enim, vel fuit vxor, quæ ſuppoſita morte mariti prioris tranſiuit ad ſecundas nuptias, & ex qua à ſecundo marito procreata eſt proles, vel fuit prior maritus, quæ ſuppoſita morte vxoris cum alia vxore tranſiuit ad ſecunda vota, & ex eadem progenuit prolem; cum tamen à primo matrimonio, vel antecedentèr ad ſecundas nuptias alia proles legitima fuerit progenita, vel poſt diſſolutionem ſecundarum nuptiarum apparente de primo coniuge ſuperſtite; ſi primum dicatur, iam proles ſuſcepta ex ſecundis nuptijs ſuccederet ſaltem in legitima cum prole ſuſcepta ex legitimo primo matrimonio in bonis dotalibus matris; ſi ſecundum, ſuccederet in bonis paternis ſaltem in legitima cum alijs filijs procreatis ex alio legitimo matrimonio, & ſic eiſdem præiudicium ingereret, ergò ratione **Inſtantia propoſita, & diſſoluta.**

 eiuſdem

Digitized by Google

eiuſdem præiudicij concurrentibus legitimis illi non debent ſuccedere. Sed contra, quià illud præiudicium non eſt attendendum, ſicuti non attenditur, quandò alter ex coniugibus mortuo altero tranſit ad ſecunda vota, ex quibus alij filij procreantur, hæc etenim eſt conditio libertatis parentum, qui non adſtringuntur ad vnum matrimonium ſimplicitèr, ſed eo diſſoluto poſſunt ad aliud, ſeù alia tranſire, nec ex eo, quod multiplicentur filij ex ſecundo, & vlteriori matrimonio iniuria infertur filijs primi, qui ius tantum habent ſuccedendi æqualitèr cum filijs legitimis, & quod multiplicentur hæredes cum ipſis concurrentes eſt ex conditione naturæ, & libertatis parentum ad contrahendum.

21 Coniux, qui tranſiuit ad ſecunda vota, non eſt reſtituendus primę, ſi hęc fuerit mortuus, & poſteà reſurrexerit.

Assertio VI. Si coniux, de cuius obitu habita fuerat moralis certitudo, re vera fuerat mortuus, & diuina clementia reſurrexerit, alter qui ad ſecundas nuptias tranſijt, non eſt eidem reſtituendus, ſed permanere debet in coniugio cum ſecundo coniuge. Hic eſt caſus Metaphyſicus, cum ſecundum ordinem naturæ euenire non poſſit, quià tamen ſic diſponente Deo poteſt euenire, non incongruè hic quæſtio de eodem inſtituitur, vt conſtet, quid eodem eueniente agendum ſit.

Probatur aſſertio, quià matrimonium etiam quoad vinculum coniugale diſſoluitur per obitum verum, & realem alterius coniugis, prout aſſerit Apoſtolus *ad Romanos* 7. *Quæ ſub viro eſt mulier alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir eius ſoluta eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro, & prima ad Corinth.* 8. *Si dormierit vir eius liberata eſt, cui vult, nubat* ergò eodem verè mortuo, ſi ſuperſtes tranſierit ad ſecunda vota, quantumvis mortuus reſurrexerit, coniux ſupreſtes iam alijs nuptijs legitimè copulatus non erit eidem reſtituendus.

Vinculum coniugale per mortē alteri' diſſoluitur.

Conſequentia probatur, tùm quià coniux extinctus, ſeù mortuus amiſit per mortem quodcunque ius, quod habebat in coniugem ſuperſtitem, cum per talem mortem ab ipſius lege ſuperſtes liberatus fuerit; ius autem ſemel abſolutè extinctum non amplius reuiuiſcit ex vulgatiſſimis iuribus; tum quià coniux, qui cum altero ſuperſtite ex primo matrimonio contraxit nuptias, acquiſiuit perfectiſſimum ius in corpus eiuſdem ſuperſtitis, quo non debet priuari per reſurrectionem prioris coniugis, cum ipſe per mortem amiſerit quodcunque ius, ad quod non poteſt habere regreſſum cum à priuatione ad habitum non detur regreſſus: Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi Sacerdos occubuerit, & deindè ex diuina clementia reuocatus fuerit ad vitam, poſſit adhuc munera ſacerdotalia exercere, ergò etiam &c., quod idem dic de baptizato mortuo, qui ſi reuiuiſcat, non exigit iterum baptizari; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quidquid ſit de aſſumpto antecedentis, patentiſſima apparet diſparitas; quandòquidem ſacerdotium, & baptiſmus indelebilem imprimunt caractherem in anima, ratione cuius poſſunt viuificati illa munera exercere, quod non militat quoad matrimonium.

PRÆNOTIO III.

De pœnis iure ciuili impoſitis aduerſus contrahentes nuptias intra annum luctus.

SVMMARIVM.

Pœna in ordine ad ſecundas nuptias varia, & in ordine ad quas nuptias procedat titulus. 1.

Huiuſmodi pœnæ afficiunt ſolummodò fœminas tranſeuntes ad ſecundas nuptias intra annum luctus, non maſculos. 2.

Vidua tranſiens ad ſecundas nuptias intra annum luctus incurrit infamiam iuris, quam etiam incurrit vir eam ducens. num. 3.

Hæc pœna ipſo iure incurritur. 4.

Annus luctus non connumerandus eſt à die ſcientiæ, ſed à die obitus. 5.

Vidua non eximitur ab hac pœna ex eo, quod fuerit minor. 6.

Vidua nubens intra annum luctus redditur incapax cuiuſcunque hæreditatis, legati, & donationis cauſa mortis. 7.

Venit etiam pœna ſucceſſionis ab inteſtato vltra tertium gradum. 8.

Cur hæreditas, quâ priuatur coniux, deferatur potius ad cohæredes, quam ad fiſcum. 9.

An extendatur ad hæreditatem relictam ab extraneo remiſſiuè. 10.

Vxor intra annum luctus tranſiens ad ſecunda vota non poteſt ſecundo marito dare in dotem, nec ex vltima voluntate vltra tertiam ſuorum bonorum partem. 11.

Ex vi l. 1. C. de ſecundis nupt. *non prohibetur donare inter viuos ſecundo marito vltra tertiam bonorum partem.* 12.

Habita facultate à priori marito tranſeundi ad ſecundas nuptias mulier euitat hanc pœnam, ſi tranſeat poſt annum luctus, ſecus ſi antea. 13.

Filijs prioris matrimonij conſentientibus non euitat pœnam. 14.

Tertia bonorum pars quomodo ſit deducenda. 15.

Ex

Ex vi leg. 2. C. de ſecundis nuptijs, *non probibetur donare extraneo vltra tertiam bonorum partem*. 16.

Illa tertia bonorum pars eſt computanda ſimul cum parte dotis, qua contingit ſecundo marito. 17.

Secundus maritus, cui delata eſt hæreditas vxoris, tenetur eandem reſtituere excepta tertia bonorum parte. 18.

Præmortuo primo marito, cui nupſit intra annum luctus poteſt tertio marito, cui nupſit poſt annum luctus ſecundi, relinquere vltra tertiam bonorum partem. num. 19.

Mulier nubens intra annum luctus priuatur omnibus ſibi relictis à priori marito in vltima ipſius voluntate. 20.

Non priuatur alijs ſibi donatis à priori marito extra vltimam voluntatem. 21.

Priuatur iocalibus, & ſponſalitia largitate. 22., *& donationibus proptèr nuptias. num*. 23.

Illa bona deferuntur ad hæredes mariti ab inteſtato, & in eorum defectum fiſco. 24.

Priuatur etiam quoad vſufructum. 25.

Ipſo iure priuatur, tàm bonis relictis per teſtamentum, quàm ſponſalitia largitate, & donationibus proptèr nuptias. 26.

Mulier tranſiens ad ſecunda vota intra annum luctus tenetur dare medietatem bonorum filijs prioris matrimonij. 27.

Hancque medietatem eiſdem filijs tenetur de facto dare in ipſo tranſitu ad ſecundas nuptias. 28.

Decedente altero ex duobus filijs prioris matrimonij alter ſuccedit, decedente verò vtroque illa dimidia pars redit ad matrem. 29.

1 Pœnæ in ordine ad nuptias variæ.

PÆnæ aliæ poſsunt eſse impoſitæ à iure ciuili communi, aliæ à iure municipali cuiuſcunque regionis, aliæ à teſtatoribus impoſitæ contra contrahentes ſecundas nuptias intra annum luctus. Rurſus aliæ imponuntur ſecundis nuptijs intra annum luctus, atque hæ regularitèr ſunt in odium ſic tranſeuntis ob reuerentiam non reſeruatam priori coniugi, ob neglectum filiorum, ſi qui fuerint ex priori matrimonio; aliæ ſecundis nuptijs abſolutè etiam vltrà annum luctus, atque hæ regulariter ſunt in fauorem filiorum prioris matrimonij. Sub hoc titulo erit præciſè ſermo de ſecundis nuptijs, ſeu de pœnis ſecundarum nuptiarum de iure communi aduerſus tranſeuntes ad ſecundas nuptias intra annum luctus. De reliquis agetur ſucceſſiuè in ſubſequentibus.

2 Huiuſmodi pœnæ afficiũt ſolummodò fœminas tranſeuntes ad ſecunda vota intra annũ luctus, non ſic maſculus.

Antequam vlterius procedam, hoc vnũ aduerto, huiuſmodi pœnas de iure communi ciuili afficientes coniuges tranſeuntes ad ſecundas nuptias intrà annum luctus intelligendas eſſe reſtrictiuè ad fœminas relictas à prioribus maritis, non extendendas regulariter etiam ad maritos viduos ducentes intra annum luctus alias vxores, prout docent *Hoſtienſis in ſumma tit. de ſecundis nuptijs num. 5. verſ. ſic vidiſtis, Angelus auth de non eligendo ſecundo habentes § quià vero n. 15. Ripa l. fæmina in princip. q 1. n. 2. in nona edit. C. de ſecundis nuptijs Tiraquel. in l. boues §. hoc ſermone in princip. ff. de verb. ſignif Acoſta l cum tale §. ſi arbitram in fin. n. 33 ff de condit & demonſt.* Ratio huius limitationis multiplex eſſe poteſt; primò, quià tanta non eſt inhoneſtas in viduo tranſeunte intra annum luctus ad ſecundas nuptias, quanta eſt in fœmina. Secundò, quià maritus non tenetur lugere vxorem, ſicut vxor maritum per textum *in l. vxores C. de his, qui notant. infam.* Tertiò, quià maiorem indecentiam præſefert quoad fœminam, quam quoad maſculum, cum poſſit inducere perturbationem ſanguinum, & incertitudinem prolis *Baldus in l decreto n. 2. C ex quibus cauſis infamia irroget. Ioannes Garonis in l. 1. C de ſecundis nups. nu. 109. Ripa in rub. C. de ſecundis nuptijs num. 17. Theſaurus qq. forenſ. lib. 1 q. 28. n. 1. & ſeqq.*

3 Fœmina incurrit infamiã iuris.

Aſſertio I. Vidua tranſiens ad ſecundas nuptias mortuo primo marito intra annũ luctus incurrit infamiam iuris, quam etiam incurrit vir eam ducens *Ioannes Angelus Boſſius de matrim contractu c. 11. nu 263. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 87. num. 3.*

Expreſsè colligitur *ex l. 1. C. de ſecundis nuptijs, & auth. de ſecundis nuptijs § prima ſiquidem collat. 4.*, nec immerito iura huiuſmodi pænam induxerunt, quandò quidem vxor ſic tranſiens ad ſecundas nuptias nimis ingratam ſe exhibet marito, illiuſq; animam offendit, ſeque carnis illecebris deditam potius, quam luctui ob iacturam prioris coniugis. Quod autem etiam maritus eandem ducens intrà annum luctus eandem pœnam incurrat ex eiſdem textibus euincitur, & ratio ſuadet, quià communicat cum eadem fœmina ſic delinquente, & ſubeunte talem pœnam, & potius curare videtur de iſtius conſortio, quam de propria fama.

Offendit animam prioris mariti.

Circa hanc aſſertionem nonnullæ conſurgunt rationes dubitandi, & primò, an huiuſmodi pæna incurratur ipſo iure, & facto, an verò exigat Iudicis ſententiam, ſiue reſolutoriam, ſiuè declaratoriam. Secundò, an hic annus luctus ſit numerandus à die mortis viri, an vero à die ſcientiæ ad incurrendas has, & ſimiles pœnas, de quibus infra. Tertiò, an incurrat, ſi fuerit minor.

4 Hæc pæna ipſo iure incurritur.

In ordine ad primam aſſero, ipſo iure hanc pœnam incurri, quod colligitur ex verbis textus *in d. l. 1 C. de ſecundis nuptijs*, vbi pœna huiuſmodi importatur per verba præſentis temporis, & ſignificantia in-

Digitized by Google

incurſum immediatum, maximè cum ſit pœna, quæ non exigit hominis miniſterium. Ibi. *Ex iure quidem nouiſſimo ſit infamis*, quod etiam colligitur ex textu *in auth. de nuptijs § prima ſiquidem*, vbi ſuppoſito delicto ſubditur, quod immediate ſubſequatur pœna. Ibi. *Infamia mox ſequatur, & erit omnino mulier propter nuptiarum feſtinationem infamis*, vbi nota illam particulam *mox*, *& omnino*, quæ indicant immediatè pœnam poſt delictum incurri ſine alio, & licet huiuſmodi particulæ adijciantur tempori futuro, nempè *ſequetur*, *& erit*, hoc eſt, quià ſtatuitur lex non quoad factum iam poſitum, ſed ad factum futurum, ſi ſcilicet ponetur, quare eodem poſito non erit, cur huiuſmodi pœna debeat ſuſpendi *Tiraquel. in l. ſi vnquam verb. reuertatur à nu. 76. C. de reuoc. donat. Gloſa fin. in l. decreto C. ex quibus cauſis infam. irrog. Azor. in ſumma tit. de ſecundis nuptijs num. 2.*

5 Annus luctus non connumerandus eſt ſolummodò à die ſcientiæ, ſed à die obitus.

In ordine ad ſecundam videtur dicendum, annum hunc luctus connumerandum eſſe ſolummodò à die ſcientiæ, quandòquidem tunc ſolum incipit occaſio luctus, & ab illa die ſolummodò incipere poteſt ingratitudo vxoris erga maritum prædefunctum, cum tunc tantum incipiat cognitio. Nihilominus ſentiendum eſt, incipere à die obitus eiuſdem mariti *Gloſa in l. ſi qua mulier verb. feſtinatione C. ad Senatus conſul. Tertul.* Expreſsè colligitur *ex l. genero ff. de ijs, qui notant. infam.* Ibi. *ſed cum tempus luctus continuum eſt, merito & ignoranti cedit à die mortis mariti*. Ratio generalis hæc eſſe poteſt, quià, cum hæc infamia inducatur per modum pœnæ, reſtringenda eſt ad tempus à iure præfinitum, non extendenda, maximè cum poſt annum à die obitus conſideratum multæ rationes, ob quas inducta eſt hæc pœna, non militent, præcipuè periculum commixtionis ſanguinum, & incertitudo prolis.

6 Vidua non eximitur ab hac pœna ex eo, quod fuerit minor.

In ordine ad tertiam dicendum eſt, probabilius non eximi ab hac, vel ſimilibus pœnis viduam tranſeuntem ad ſecundas nuptias intra annum luctus, quantumvis fuerit minor *Baldus in l. 1. paulo poſt principium C. de ſecundis nuptijs, & ibi Garronis in noua edit. n. 5. not. 1.* Ratio ex eo deducitur, quià licet minor ratione ætatis eximatur à pluribus pœnis, ab hac tamen ſpecialitèr non eximitur, cum etiam in eadem militet ratio ingratitudinis, impudicitiæ, defectus amoris erga priorem maritum, nec in malis moribus minori ſubuenitur *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 87. nu. 17.*

7 Redditur incapax cuiuſcunque ſucceſſionis cauſa mortis.

Assertio II. Vidua nubens intra annũ luctus redditur incapax cuiuſcunque hæreditatis, fideicommiſſi, legatorum, donationum cauſa mortis *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. nu. 265. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 87. n. 7.*

Expreſsè colligitur *ex l. 1. C. de ſecundis nupt.* Ibi. *Omnium præterea hæreditatum, legatorum, fidei commiſſorum ſuprema voluntate relictorum, mortis cauſa donationum ſit expers; hæc namque omnia ab hæredibus, vel cohæredibus, aut ab inteſtato ſuccedentibus vendicari iubemus.*

Hac ſuppoſita legis diſpoſitione quoad ea, quæ in eadem expreſſa ſunt, vix remanet locus ambigendi. Solum dubitari poteſt primò quoad hæreditatem ab inteſtato eidem obuenientem, an ſcilicet eiuſdem etiam reddatur impotens, ſeu incapax. Nonnulli arbitrantur, pœnam priuationis quoad hæreditatem prouenientem ab inteſtato non afficere eandem ſecundo nubentem intrà annum luctus, eo quià hæc pœna non ſit extendenda vltrà expreſſa; in iure autem quoad ſic nubentes non exprimitur hæc pœna, vt videre eſt in allegato textu. Addunt, quod, quià in eadem pœna exprimitur donatio cauſa mortis, non verò donatio inter viuos, hæc non veniat ſub illa diſpoſitione, vt docent *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 87. num. 7. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. num. 265. Camillus Borellus in ſumma deciſ. tom. 3. tit. 2. num. 31. Gloſa in d. l. 1. verb. cauſa C. de ſecundis nupt. & ibi Cinus n. 4. q. 4. Baldus nu. 3. in fin. Decius n. 10. not. 8. Salicetus n. 5. q. 3.*, ergo etiam, quià in eadem lege exprimitur hæreditas ex ſuprema voluntate, non verò hæreditas ab inteſtato, hanc ſub illa diſpoſitione neutiquam venire cenſendum eſt. Nihilominus ſentiendum eſt, venire etiam ſub tali pæna ſucceſſionem ab inteſtato vltrà tertium gradum, prout expreſsè dicitur in eod. textu *in l. 1. C. de ſecundis nuptijs in fine*, & docent *Decius in d. l. 1. C. de ſecundis nupt. & Sanchez, & Boſſius loc. cit.*, vndè hoc eſt diſcrimen quoad præſentem effectum inter hæreditatem ex teſtamento, & ſucceſſionem ab inteſtato, quod fœmina ſecundo nubens intra annum luctus priuatur hæreditate ex teſtamento, ſiue proueniat ab extraneo, ſiue à coniuncto in quocunque gradu; ſucceſſione vero ab inteſtato ſolummodò, ſi eidem obueniat ab aliquo ſibi coniuncto vltrà tertium gradum, & hoc ob diſpoſitionem iuris *in d. l. 1. C. de ſecundis nupt. in fine*, quæ, dum facit mentionem de ſucceſſione vltrà tertium gradum, vtique intelligenda eſt de ſucceſſione ab inteſtato. Cæterum, ſi nulla ibi fieret mentio, non incongruè arbitrarer ex vi illius diſpoſitionis non venire ſucceſſionem ab inteſtato propter rationes adductas pro contraria opinione.

8 Priuatur etiam ſucceſſione ab inteſtatæ vltra tertiũ gradum.

Dubitari poteſt ſecundò, cur, cum fœmina ſic nubens infrà annum luctus redditur

9 *Cur hæreditas, qua priuatur coniux, deferatur potius ad cohæredes, quam ad fiſcum.* datur incapax hæreditatis ex teſtamento, legatorum, & donationum cauſa mortis dicantur eadem hæreditas, legata, & donationes potius tranſire, vel ad cohæredes, vel ad eos, quibus hæreditas deuoluitur ab inteſtato, quam ad fiſcum. Reſpondendum eſt, ideo non deferri ad fiſcum, ſed ad cohæredes, vel ad habentes ius ſuccedendi ab inteſtato, quià ratione incapacitatis diſpoſitio illa teſtamentaria habetur pro non facta, vnde fœmina ſic inſtituta nullum ius acquiſiuit in illa hæreditate, legato, donatione cauſa mortis &c., quæpropterea ex ſuo delicto non poteſt in fiſcum transferre. Diuerſimode autem res ſe haberet, ſi non fuiſſet ipſo iure ex illo tranſitu ad ſecundas nuptias pro tempore luctus facta incapax, ſed illam hæreditatem, legatum, vel donationem fuiſſet aſſecuta, & poſteà in pœnam delicti eiſdem priuata, tunc etenim hæreditas ab ipſa, tanquam ab indigna ſublata tranſiret ad fiſcum, quià tunc hæredes, vel cohæredes eiuſdem nullum ius haberent. Hæc omnia attente conſiderauit *Bartolus in l. hereditas n. 3. C. de his de quibus, vt indignis, & Cinus l. 1. n. 8. q. 7. C. de ſecundis nuptijs, Couaruuias 4. decret. 2. part. c. 8. §. 5. n. 9. in fin.* Hinc merito emanauit illa praxis, ſecundum quam teſtatores inſtituentes aliquos hæredes in cauſam delicti vocant alios hæredes ad eam ſucceſſionem priuantes ex nunc pro tunc delinquentes; tunc etenim ſuppoſito delicto ipſe delinquens redditur incapax, & vocati ſuccedunt, non fiſcus, prout notat *Iaſon in l. ſi ab hoſtibus n. 4. ff. ſolut. matrim.*

10 *An priuatio hæreditatis extédatur ad relictã ab extraneo remiſſiuè.* Dubitari poteſt tertiò, an illa pœna intelligenda ſit de quacunque hæreditate, vel legato, vel donatione cauſa mortis delata à quacunque extraneo, an verò ſolummodò a coniunctis, & qualibus. Theſaurus *qq. forenſ. lib. 1. q. 28. num. 11.* aſſerit huiuſmodi pœnam quoad relicta ex teſtamento reſtringi ſolummodò quo ad bona à filio, vel filiorum agnatis, aut aſcendentibus relicta, non quoad relicta ab extraneo, prout etiam attribuit *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. nu. 265. in fin. Sancheſio lib. 8. de matrimon. diſp. 87. n. 29. verſ. nam ibidem decernitur*; ſed Sanchez loquitur in terminis ſatis diuerſis, nempè de relicto ſub conditione, ſi ad ſecundas nuptias non tranſierit. Cæterum ipſe Sanchez, ſi in ſenſu aſſertionis intelligendus eſſet, ſibi ipſi ex directo eſſet contrarius, quandòquidem *d. diſp. 87 n. 9.* aſſerit hanc pœnam intelligendam eſſe generalitèr, nec propterea eſſe reſtringendam.

11 *Nõ poteſt dare ſecũdo marito vltrà tertiam bonorũ ſuorum partẽ.* Assertio III. Vxor poſt obitum prioris mariti intrà annum luctus non poteſt ſecundo marito, cui nubit, dare in dotem, nec ex vltima voluntate vltrà tertiam ſuorum bonorum partem *Camillus Borellus in ſumma deciſ. tom. 3. tit. 2. n. 31. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 87. num. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. num. 264.*

Expreſsè colligitur hæc aſſertio *ex d. l. 1. C. de ſecundis nuptijs.* Ibi-*Prætereà ſecundò viro vltra tertiam partem bonorum in dotem non det, neque ei ex teſtamento pluſquam tertiam partem relinquat.*

Variæ rationes dubitandi. Circa hanc aſſertionem, & iuris diſpoſitionem plerœque inſurgunt rationes dubitandi, & primò, an hæc diſpoſitio pænalis intelligenda ſit dumtaxat de bonis ex teſtamento relictis, an vero etiam de bonis per donationem inter viuos. Secundò, an eadem tertia pars, quæ relinqui poteſt ex teſtamento, computanda ſit deductis legatis, an vero eiſdem comprehenſis. Tertiò, an vltrà tertiam bonorum partem poſſit donare extraneo. Quartò, quid ſentiendum ſit, ſi vxor, quæ intra annum luctus ad ſecundas nuptias tranſiuit, inſtituerit in integrum hæredem poſteriorem maritum non obſtante hac iuris diſpoſitione. Quintò, an, ſi vxor intra annum luctus tranſierit ad ſecundas nuptias, & deinde præmortuo ſecundo marito poſt annum à die eiuſdem ſecundi obitus ad tertias nuptias conuolarit, poſſit huic tertio marito, vel in dotem deferre, vel teſtamento relinquere vltrà tertiam ſuorum bonorum partem.

Ratio aſſerens poſſe inter viuos donare vltra tertiam bonorum partem. Ad primam videtur abſolutè dicendum, vtique poſſe mulierem hanc inter viuos donare ſecundo marito vltra tertiam ſuorum bonorum partem, quod ex ijs euinci poteſt, quæ dicta ſunt, quod ſcilicet, cum hæc diſpoſitio ſit pænalis, non ſit extendenda vltra expreſſa; in dicto autem textu ſit expreſſio de relictis ex teſtamento, non autem de donatis inter viuos, vt ex ſe patet, ergò non eſt extendenda ad eadem inter viuos donata. Hac eadem ratione dictum fuit ſupra, quod diſpoſitio legalis reddens mulierem ſic nubentem incapacem cuiuſcunque hæreditatis non extendatur ad donationes inter viuos, quià de his nulla facta fuit expreſſio in tali diſpoſitione. Nihilominus *Gloſa in d. l. 1. in verb. teſtamentũ C. de ſecundis nuptijs* expreſsè docet ſub hac diſpoſitione venire etiam donationes inter viuos, adeo vt mulier ſic nubens non poſſit poſteriori marito donare inter viuos vltra tertiam bonorum ſuorum partem, quæ ea potiſſimnm ratione mouetur, quià hoc eſſet expreſsè in fraudem legis, ſeù aperire viam, qua fiat contra legem, pro vt habetur *in l. hac edictali, ff. de ſecundis nupt.* Sed non libentèr acquieſcerem huic rationi, quandòquidem hac ratione, nec eidem mulieri ſic nubenti fieri poſset donatio inter viuos,

Ratio aſſerens non poſſe inter viuos donare vltra tertiam bonorum partem.

cum

eum hæc etiam interpretari poſſit facta in fraudem legis, quod tamen eſt contra ſuperius dicta, & contra DD., & iura ſupra allegatos, ſeù allegata. Alia ratione mouetur *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 87. num. 4*, quod ſcilicet donationes inter virum, & vxorem conſtante matrimonio abſolutè nullius roboris ſint per textum *in l. 1. 2. 3., & 4., ff. de donat. inter vir., & vxor., & in l cum hic ſtatus, ff. eodem*, niſi confirmentur morte donantis; quandò autem morte donantis confirmantur, habent vim relicti in teſtamento *l Papinianus, & l. donatis, ff. de donat. inter vir., & vxor.*, ſed hæc etiam probatio Sanchez latas patitur exceptiones; & primo nullam vim habet, ſi quandò conſtituitur tertia pars bonorum pro dote ante matrimonium fieret ab eadem marito donatio inter viuos de reliquis ſuis bonis; tunc etenim non militaret ratio donationis inter virum, & vxorem, cum adhuc non eſset conſtitutum matrimonium, nec ante matrimonium prohibentur huiuſmodi donationes, ſicuti nec prohibentur iocalia, nec ſponſalitiæ largitatis per ea, quæ vidimus, dum de ſponſalibus. Secundò, quod donatio facta inter viuos confirmetur morte donatoris ſtare poteſt dupliciter; vel quatenus donator donationem, quam inter viuos fecerat, per expreſsa verba confirmet in teſtamento, vel quatenus præmoriatur non reuocata tali donatione; quocunque autem ex his duobus modis fiat, non habet vim ſimpliciter relicti per teſtamentum; nam ſi præcisè præceſserit mors, nullaque in teſtamento facta fuerit expreſsa confirmatio, non ſortitur eadem donatio vim ex teſtamento, cum nullum conditum fuerit, ſi verò præceſserit mors, & conditum teſtamentum, in quo expreſsè confirmata fuerit eadem donatio facta inter viuos, tunc nec poteſt ſuffragari; vel etenim donatio antecedenter valida fuit, & ſic vim non habet à teſtamento, ſed ex vi propria, vel inualida, & ſic non poteſt confirmari, quià confirmatio ſequitur conditionem prioris actus, qui, ſi non ſubſiſtit in origine, nec videtur poſse ſubſiſtere confirmatio. Tertiò, quià hæc non ſubſiſtentia donationis non eſset ex iure *in d. l. 1 C. de ſecundis nuptijs*, ſed ex

12 Ex vi *l. 1. C. de ſecundis nuptijs*, non vetatur donare vltra tertiam bonorum partem.

vi diſpoſitionis alterius iuris interdicentis donationes inter virum, & vxorem conſtante matrimonio, quod æquè militat, ſiuè vxor tranſierit ad ſecundas nuptias intra annum luctus, ſiuè eodem elapſo. Quamobrem probabilius crederem ex vi talis iuris *in l. 1. C. de ſecundis nuptijs*, non prohiberi vxorem ſic tranſeuntem ad ſecundas nuptias intra annum luctus donare inter viuos ſecundo marito vltra tertiam bonorum partem. Dixi *ex vi talis iuris in d l. 1. C. de ſecundis nuptijs*; quandò quidem, ſi ex alio capite prouoniat hæc prohibitio, non eſt in pœnam, quià nubat ſecundo intra annum luctus primi mariti. Rationes adductæ in principio huius primæ difficultatis hoc expreſsè euincunt, cum enim verſemur in pœnalibus, diſpoſitio non extenditur vltra verborum formam, qua concipitur.

Hic ſolum circa hanc difficultatem oritur ratio dubitandi, an ſi per priorem maritum prædefunctum data fuerit facultas vxori contrahendi intra annum luctus, & diſponendi pro ſuo arbitrio de bonis ſuis poſſit hæc, vel in dotem dare vltra tertiam bonorum ſuorum partem, vel teſtamento relinquere ſecundo marito. Agit de hac difficultate *Ludouicus Romanus ſingul 248.*, vbi refert *Baldum in l. filius quem habentem C. famil. erciſ., & in l. 1. C. de ſecundis nuptijs*, aſserentem fœminam ſic de conſenſu prioris viri nubentem euitare pœnas iuris. Nihilominus ipſe diſtinguit hoc pacto, & quidem rectè; aut nubit intra annum marito priori hoc ipſi concedente; aut de permiſſione viri nubit poſt annum luctus. Iuxtà primum ſenſum aſserit, huiuſmodi pœnas iuris non euitare; Iuxtà ſecundum eandem eximit ab huiuſmodi pœnis. Secundum vtrumque ſenſum adhæreo *Romano*, cuius rationibus plurimum fido. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià nubere intra annum luctus eſt contra bonos mores ciuiles, vt colligitur ex eodem textu *in l. 1. C. de ſecundis nuptijs* ibi *In his, quæ correptionem morum*, ſed in his, quæ ſunt contra bonos mores ciuiles maritus non poteſt diſponere per textum *in l. turpia, §. ſi quis inquilari, ff. de legat. 1.*, ergò &c Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià fœminam ſecundo nubere poſt annum luctus non eſt, nec contra bonos mores ciuiles, nec naturales, & ſi quæ pœna aduerſus ipſam inducatur, vt *in l. fœmina, & in l. generaliter C. de ſecundis nuptijs* eſt præcisè, quià videatur iniuriam aliqualem inferre animæ prioris mariti *in auth de nuptijs §., qui verò verſ. nos igitur*, ſed quandò prior maritus conſentit eidem nulla penitus infertur iniuria, vt *l. 1. §. vſque adeo, ff. de iniu., & in regula ſcienti de reg iur. in 6.*, ergò &c. Sed, an filijs primi matrimonij conſentientibus euitet mater pœnas tranſeundo ad ſecundas nuptias poſt annum luctus affirmat abſolutè idem *Romanus in d. ſing. 248. in fin.* eamque adducit rationem, quià per ſecundum matrimonium infert iniuriam filijs primi *in §. Gregorian. de non eligend. 2. nub, & in auth. de nuptijs §. ſed vltro*; ceſsat autem hæc iniuria filijs conſentientibus, ergò &c., &c. Sed monerem Romanum rationem finalem ob

13 Concedente primo marito facultatem tranſeundi ad ſecundas nuptias ipſa euitet hãc pœnam, ſi tranſeat poſt annũ luctus, ſecus, ſi antea.

14 Filijs verò conſentientibus non euitat hãc pœnam.

Digitized by Google

ob quam induƈta eſt huiuſmodi pœna, non eſse adæquatè ob iniuriam filiorum primi matrimonij, ſed etiam, vt ipſe etiam prænotauit, ob iniuriam, quæ fit animæ primi mariti, & licet ceſset prima ratio filijs conſentientibus, non ceſsat tamen ſecunda iniuriæ factæ animæ prioris mariti.

15 Tertia bonorũ pars computanda eſt deductis legatis, ſi factis legatis dictum fuerit, quod ſuccedat in illa tertia parte, ſecùs, ſi nullis factis legatis

Ad ſecundam aſſerendum cenſeo, tertiam partem, quam vxor nubens intra annum luctus poteſt ex teſtamento relinquere ſecundo marito, computandam eſse deductis legatis, ſi factis legatis dictum fuerit in teſtamento, quod ſuccedat in tertia bonorum parte, ſeù hæreditatis; ſi verò dictum fuerit, quod abſolutè ſuccedat in tertia bonorum omnium parte habito etiam reſpectu ad legata, tunc computandam eſse tertiam bonorum partem etiam comprehenſis legatis. Ità quoad primam partem *Saliceus in d. l. 1. C. de ſecundis nuptijs nu. 5., & ibi Garronis num.* 113 *Sanchez de matrimon. lib 7. diſp. 87. num.* 3. Ratio eiuſdem primæ partis ex eo deducitur, quià ex hæreditate ſemper ſunt detrahenda legata, quæ alijs debentur ab hæredibus, & reſpectu hæredum ex voluntate teſtatoris computantur, tanquam æs alienum, ergò, ſicuti hæredes ſuccedunt in hæreditate deductis legatis, etiam maritus ſecundus, qui ex voluntate eiuſdem teſtatoris, & ex diſpoſitione iuris *in d. l. 1. C. de ſecundis nuptijs*, habet tantum ſucedere in tertia parte, in ea tantum poteſt ſuccedere deductis eiſdem legatis. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià textus *in d. l. 1. C. de ſecundis nuptijs*, loquitur non de tertia parte hæreditatis, ſed de tertia parte omnium bonorum, ergò, ſicuti, ſi relinqueret omnia bona in hæreditatem, & pro tertia parte inſtitueret ſecundum maritum, hic ſuccederet adæquatè in eadem tetia parte nullo penitus deducto, ita ſi relinqueret omnia bona partim in legatis, partim in hæreditate ea adiecta conditione, vt ſecundus maritus ſuccederet in tertia parte non facta detractione legatorum, vtique poterit legitimè ſuccedere in eadem tertia parte non detractis legatis, quandòquidem talis ſucceſſio non eſset contra diſpoſitionem iuris in tali *l. 1. C. de ſecundis nuptijs*, quæ ſolum diſponit de bonis in genere, non de bonis hæreditatis præcisè, vt hæreditatis, nec contra mentem vxoris teſtatricis, cum hæc expreſsè ſuam mentem declarauerit, vt ſucceſſio eſset in tertia parte comprehenſis legatis per eam relictis, ſeù venientibus legatis in computatione omnium bonorum relictorum.

Ad tertiam aſſerendum eſt, ex vi diſpoſitionis textus *in l. 1. C. de ſecundis nuptijs* non prohiberi vxorem ſecundò nubentem intra annum luctus relinquere ex teſtamento vltra tertiam bonorum partem extraneo *Gloſa auth de nuptijs col. 4. § prima ſiquidem verb neque marito, Azor. in ſumma cap. de ſecundis nuptijs num. 2. Præpoſitus rub. de ſecundis nuptijs num 2 Albericus l 1. n. 1. C de ſecundis nuptijs, Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 87. num. 4 in fin.* Dixi *ex vi diſpoſitionis textus in l. 1. C. de ſecundis nuptijs*, quandòquidem ex alio titulo quandoque poteſt vetari, ne etiam extraneo poſſit relinquere vltra tertiam bonorum ſuorum partem, vt contingeret ſtante ſtatuto, quod vxor tranſiens ad ſecundas nuptias teneatur ſeruare medietatem bonorum ſuorum filijs primi matrimonij, vel alio modo, ſeù iure alligaretur. Ratio huius aſſertionis ex eo deducitur, quià hæc lex diſponens, ne poſſit marito relinquere vltra tertiam bonorum ſuorum partem, eſt pœnalis, & exorbitans à iure naturæ, ergò non eſt extendenda vltra propriam verborum formam, qua concipitur; verba autem, quibus concipitur, reſtringuntur ad ſecundum maritum, quandò eidem fœmina nubit intra annum luctus, ergò non eſt extendenda ad alium extraneum ab eodem ſecundo marito. Confirmatur ex eo, quod mulier ſecundo nubens intra annum luctus non priuatur iure, dominio, & vſufructu ſuorum bonorum, ergò nec priuatur iure, ne poſſit de eiſdem diſponere pro ſuo arbitrio, dummodò non diſponat contra iuris diſpoſitionem; diſpoſitio autem iuris reſtringitur dumtaxat ad ſecundum maritum, cui nupſit intra annum luctus, ergò &c.

16 Ex vi *l. 1. C. de ſecundis nuptijs*, non prohibetur vxor donare extraneo vltra tertiam bonorum partem.

Hic ſolum oritur difficultas, an, cum regularitèr dicatur, quod maritus ſuccedat in vna parte dotis ſimul cum filijs, hæc pars computanda ſit cum tertia parte, quam vxor poteſt ipſi relinquere ex teſtamento, an verò ea dempta poſſit mulier eidem relinquere tertiam bonorum ſuorum partem. Probabilius ſentio, tertiam hanc partem computandam eſse ſimul cum illa parte, quæ contingit eidem ſecundo marito quoad dotem. Ratio ex eo deducitur, quod per illam diſpoſitionem iuris *in l. 1. C de ſecundis nuptijs*, prohibetur vxor ſic tranſiens ad ſecundas nuptias relinquere ſecundo marito, ſiuè in dotem, ſiuè titulo teſtamenti ex vltima voluntate, pluſquam tertiam bonorum ſuorum partem, prout ex eodem textu docent *Camillus Borellus ſumma deciſ. tom. 3. tit. 2. num. 31. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 87. num. 4.*, ſed, ſi vltra tertiam bonorum partem relictam in teſtamento

17 Illa tertia bonorum pars computãda eſt cum illa parte dotis, quę cõtingit ſecundo marito.

Digitized by Google

etiam acquireret dotem quoad illam partem ſibi competentem quid magis acquireret, ac ſit diſpoſitum in illo iure *l. 1. eod. tit.*, ergo &c.

18 Ad quartam aſſerendum eſt, quod, ſi vxor, quæ tranſiuit ad ſecundas nuptias intra annum luctus, reliquerit in ſuo vltimo teſtamento totam hæreditatem ſuam, ſeu instituerit hæredem in omnibus ſuis bonis ſecundum maritum, teneatur hic reſtituere hæredibus ab inteſtato eiuſdem mulieris quidquid vltrà tertiam partem habuit *Gloſ. in l. 1. verb. teſtamento C. de ſecundis nupt. & ibi Cinus q. 1. Salicetus num. 5.* Ad firmandum hoc aſſertum nonnulla ſunt prius ſtabilienda, & primò, quomodò non inualidetur abſolutè teſtamentum, eo quod vocatus fuerit ad totum ille, qui ex diſpoſitione iuris erat omninò incapax ad ſuccedendum in toto. Secundò dato, quod illa inſtitutio ſubſiſteret quoad tertiam bonorum partem, quomodo poſſit verificari, quod mulier illa partim teſtata, partim inteſtata deceſſerit cõtra textum *in reg. ius noſtrum 7. ff. de reg. iur.*, & quidem in ordine ad primum firmum debet manere, quod nec ex diſpoſitione iuris, nec ex præſumpta mente teſtatoris reddatur inualidum teſtamentum quoad totum; non ex diſpoſitione iuris, quià vtile per inutile non vitiatur, quandò vnum eſt ſeparabile ab altero *l. ſed. & ſi decem ff. de conſt. pecun. l. 1. § penult. ff. verb. alleg.* non ex mente vxoris teſtatricis, quæ ex quo inſtituit in toto, præſumitur eidem marito voluiſſe relinquere quid quid potuit relinquere, adeòque non eſt, cur relictum quoad tertiam partem non poſſit ſubſiſtere; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod non valet, vt ago, nec valet, vt valere poteſt *l. 1. § cum de conſt. pec.*, *& l. 1. C. de lat. lib. toll.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quando agitur contrà teſtamentum ad illud in dubio fertur ſententia pro teſtamento *l. ſi pars ff. de inoff. teſtam.*, quod idem verificatur in dubio dotis *l. in dubijs ff. de reg. iur.*, & in cauſa liberali *l. interpret ff. de re iud.* quamobrem ad textum allegatum *in d. l. 1. § cum ff. de conſt. pecun.* dicendum eſt textum illum fallere, quando agitur de cauſa teſtamentaria, & liberali, in qua, quandò quid fit pluſquam fieri debeat, videtur etiam ipſum fieri, quod fieri poteſt per textum *in l. ſi is cui ff. quemad. ſeruit. amit. l. ſi ſe ff. de re iud. l. non ſunt liber. ff. de ſtat. hom.* Minus obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod actio teſtamentaria, qua quis hæres conſtituitur pro integro, ſit actio indiuidua, adeòque vitiata quoad partem videatur vitiata quoad totum; Minus, inquam, obeſſe poteſt, quià actio teſtamentaria eſt tantum indiuidua in ordine ad ea, de quibus poteſt diſponere teſtator, & inſtitutus poteſt recipere, & ad ea tantum reſtringitur, vt videre eſt in teſtamento condito in fauorem vnius, cui plene deferatur hæreditas, quod non irritatur ex eo, quod in bonis hæreditatis ſint aliqua vinculata, vel titulo fideicommiſſi, vel inalienabilia ab eodem teſtatore, adeòque &c. quod etiam militat in præſenti hypotheſi. In ordine ad ſecundum nonnulli aſſerunt, in hac hypotheſi non poſſe dici mulierem deceſſiſſe partim teſtatam, partim inteſtatam, ſed maritum intelligi inſolidum eſſe hæredem, quamvis teneatur poſteà reſtituere hæredibus eiuſdem mulieris ab inteſtato id, quod habuit vltrà tertiam bonorum partem *Gloſa in l. 1. verb. teſtamento C. de ſecundis nupt. & ibi Cinus q. 1. Salicetus n. 5.* Sed hæc ſententia videtur aduerſari ijs, quæ ſupra dicebamus, nempè, quod quandò quis acquirit hæreditatem, & deinde, tanquam indignus priuatur, ſuccedat Fiſcus, non illi, qui veniunt ab inteſtato ad differentiam eius, qui antecedenter redditur incapax ad ſuccedendum, quià tunc teſtamentum habetur pro non ſcripto, & cum ipſe nullum ius acquiſierit, non dicitur hæreditate acquiſita priuari in pænam, adeòque non eſt, cur non debeant venire ſuccedentes ab inteſtato ad excluſionem fiſci, prout notarunt *Bartolus in l. hæreditas nu. 3. C. de his, quibus vt indignis, & ibi Baldus n. 6. Paulus n. 5. Salicetus n. 10. Cinus l. 1. num. 6. q. 8. C. de ſecundis nuptijs, & ibi Decius n. 10. not. 8. Garronis ibi in noua edit. nu. 40. Gulielmus Benedictus cap. Raynutius verb. mortuo itaque el primo n. 37. de teſtam. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 8. § 5. nu. 9. in fin. Boſſius pract. tit. de his quibus, vt indignis bona auferuntur n. 3.*, cum igitur ſecundus maritus inſolidum inſtitutus fuerit hæres, adeòque hæreditatem acquiſierit, & deindè priuetur, non videtur transfundere ius in ſucceſſores ab inteſtato, ſed in fiſcum, Alij aſſerunt, hunc eſſe caſum ſpecialem, in quo mulier poteſt partim inteſtata decedere; atque hi ſunt *Bartolus in d. l. 1. n. 1., & ibi Baldus nu. 10. Garronis nu. 114. C. de ſecundis nupt.* Vtraque opinio probabilis eſt, & ſuſtineri poteſt; ſolum remanet reſpondendum ad obiectum aduerſus primum propoſitum ex doctrina Bartoli, & aliorum deſumpta differentia, quando quis redditur incapax ſucceſſionis antecedenter, ac quando poſita ſucceſſione ad hæreditatem eadem in pænam priuatur; Dicendum igitur eſt primo, ea, quæ dicta ſunt, procedere dumtaxat, quando quis priuatur hæreditate iam quæſita ex propria culpa ſubſequenti ad acquiſitionem eiuſdem hæreditatis, ſecus autem, quando ex culpa præcedenti teſtatoris, ob quam ipſe teſtator non priuatur iure ad propria bona, ſeu dominio eorundem, quià licet tunc in pænam priuetur iure diſponendi de

Secundus maritus, cui per vxorem relicta eſt integra hæreditas, tenetur reſtituere hæredibus eandem excepta tertia bonorum parte.

Non redditur inualidum teſtamentũ.

Obiecta propoſita, & diſſoluta.

Quomodò verificari poteſt, quod vxor partim teſtata, partim inteſtata decedat.

Dubium diſſolutũ.

Digitized by Google

de illis in fauorem alicuius, non proptereà, bona illa, ſi diſponat in fauorem illius, in quem prohibetur diſponere, tranſeunt in eundem ſecundum maritum, vt perſeuerent penes eundem, ſed vt per ipſum deferantur ad ſucceſſores ab inteſtato, eo modo, quo bona fideicommiſſo ſubiecta tranſeunt ad hæredem, vt per ipſum deferantur ad vocatos, qui eadem debent accipere de manu hæredis. Quibus propterea ſuppoſitis facile erit probare aſſertum, quandòquidem ipſe non prohibetur ſuccedere in tertiam bonorum partem ex teſtamento, & ex alia parte ſaluatur ius diſponens de priuatione iuris quoad alia bona vltra talem tertiam partem, ergo &c.

19 Si nupſerit tertio marito poſt annum luctus ſecũdi poteſt eidẽ tertio relinquere vltra tertiã bonorũ partem.

Ad quintam dicendũ eſt, quod, ſi mulier nupſerit intra annum luctus ſecundo viro, & deindè ipſo præmortuo elapſo anno ab obitu ipſius tranſierit ad tertias, non prohibeatur tertio marito dare in dotem, vel relinquere in teſtamento vltra tertiam bonorum ſuorum partem *Baldus in l. 1. num 2. C. de ſecundis nupt. Garronis in noua edit. ibid nu 27. Sanchez de matrimon lib. 7. diſp. 87. n. 6. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contr c. 11. n. 264.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi pœna ex vi diſpoſitionis illius *legis primæ C. de ſecundis nuptijs*, afficit ſolummodò vxorem in ordine ad maritum, cui nupſit intra annum luctus, ſed in ordine ad tertium maritum, quam duxit poſt annum luctus ſecundi mariti hæc ratio non militat, ergo &c.

20 Priuatur omnibus ſibi relictis à priori marito in vltima ipſius voluntate.

Assertio IV. Mulier nubens intra annum luctus priuatur omnibus ſibi relictis à priori viro in ſuprema eius voluntate *Gloſa auth. eiuſdem pœnis verb. priuetur C. de ſecundis nupt. Baldus l. 1. n 6. C. eod. tit. & ibi Decius n. 15. not. 13. Surdus de alimentis tit. 7. q. 22 n. 14. Sanchez de matrimon lib 7. diſp. 87. n. 10. Ioannes Angelus Boſſius c. 11. num. 266. Carpanus ad Statuta Mediolani tom. 1. c. 333. n. 15.*

Expreſsè euincitur *ex d. l. 1. C. de ſecundis nupt.* Ibi-*ijs etiam amittendis, quæ prior maritus ei ſuprema voluntate reliquerit.*

Nonnulla dubia excitata.

Hic nonnulla conſurgunt dubia examinanda. Primum eſt, an ex vi talis diſpoſitionis priuetur etiam donationibus ſibi à priori viro factis. Secundum, an etiam iocalibus, ſponſalitia largitate. Tertium ex ſuppoſitione, quod illis priuetur, cuinam deferantur. Quartum, an illis priuetur ſolum quoad vſumfructum, an vero etiam quoad proprietatem. Quintum, an tam relictis in ſuprema voluntate, quàm iocalibus, & ſponſalitia largitate priuetur ipſo iure, an verò requiratur Iudicis ſententia.

21 Non priuatur alijs ſibi donatis extra vltimam voluntatẽ.

Ad primum reſpondeo, ex vi talis diſpoſitionis non priuari donatis ſibi à priori viro, quidquid exaduerſo dixerit *Sanchez d. lib. 7. diſp. 87. n. 11.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi diſpoſitio pænalis eſt, & reſtringitur ad relicta in ſuprema voluntate, ergo non eſt extendenda ad donata antecedenter ad mortem, & non in diſpoſitione vltimæ voluntatis, Dixi *ex vi huius diſpoſitionis*; non enim denegarem, quod, ſi fuerint donata conſtante matrimonio non ſubſiſteret ex textu *in l. 1., 2 & 4. C. de donat. inter virum, & vxorem*; ſi vero fuerint donata ante nuptias videndum eſt, an veniant nomine ſponſalitiæ largitatis, an vero donationis ante nuptias, vel propter nuptias, de qua re infra.

22 Priuatur etiam iocalibus, & ſponſalitia largitate.

Ad ſecundum dicendum eſt, priuari etiam iocalibus, & ſponſalitia largitate *Sanchez lib. 7. de matrimon diſp. 87. nu 12. Gloſa l. 2. verb. amittat, & ibi Cinus q. 1 C. de ſecundis nupt. Azorius in ſumma tit. de ſecundis nupt. num 2. in fine, Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract c. 11. nu. 266.* Expreſsè colligitur *ex l 2. C. de ſecundis nupt.* Ibi-*Omnia, quæ de prioris mariti bonis, vel iure ſponſalium, vel iudicio defuncti coniugis conſecuta fuerit, amittat*, ſed an priuetur etiam donationibus propter nuptias ex vi huius iuris affirmatiuè reſpondendum exiſtimo, quandòquidem ex dictis *tom 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal III. prænot. 16. nu 2.* donatio propter nuptias nihil aliud eſt, quam augmentum dotis factum per virum, vel alterum loco ipſius, ſeu contemplatione ipſius, quæ modo libera eſt, non neceſſaria, vt habet *Gloſa in auth æqualitas verb. pari C de donat. ante nuptias*; donationes autem liberæ vetantur *in d. l. 2. C de ſecundis nuptijs*, ſeu reuocatur per illa verba *Omnia, quæ de prioris mariti bonis, vel iure ſponſalium*, vbi per ly *iure ſponſalium*, intelligitur quidquid confertur libere intuitu matrimonij.

23 Et etiam donationibus propter nuptias.

24 Illa bona deferuntur ad hæredes mariti ab inteſtato.

Ad tertium, illa bona donata à priori coniuge vxori, quæ durante anno luctus tranſiuit ad ſecunda vota, deferuntur ad hæredes mariti defuncti ab inteſtato, & in ſubſidium, ſeu eis deficientibus fiſco *Sanchez de matrimo. lib. 7. diſp. 89. n. 10. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract c. 11. nu. 266.* Hæc omnia colliguntur ex dicta *l 1. C de ſecundis nuptijs, & ibi Gloſa verb. ſuprema.* Quinam autem ſint hæredes ab inteſtato, quibus extantibus non ſuccedit fiſcus, & quibus non extantibus ille ſuccedit, numerantur decem, & ſunt filius, & filia, nepos, & nepta, Pater, & mater, Auus, & Auia, frater, & ſoror mariti prædefuncti ſeruatis inter eoſdem gradibus.

25 Priuatur etiam quoad vſufructum.

Ad quartum dicendum eſt, priuari non ſolum quoad proprietatem, ſed etiam quoad vſumfructum *Baldus in d. l. 1 nu. 6. C de ſecundis nuptijs, Surdus de alimentis tit. 7. q. 22. n 14. Sanchez de matrimon lib 7. diſp. 87. num. 10. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract c. 11. n. 266.* Ratio ex eo de-

ducitur, quià maior eſt culpa tranſitus ad ſecundas nuptias durante anno luctus, ac ipſo elapſo, ergo grauior eſt præſumenda pæna illata pro illa, ac pro iſta, ſed quando tranſit poſt annum luctus ad ſecunda vota ſola proprietate priuatur retento vſufructu, vt aſſerunt idem *Boſſius, & Sanchez loc. cit.*, ergo, quando tranſit intra annum luctus, non ſolum proprietate, ſed etiam vſufructu priuanda eſt, cæteroqui fruſtra quoad hoc diſtinxiſſent iura, quando mulier tranſiuit ad ſecunda vota durante anno luctus, ac quando tranſit eodem elapſo.

Ad quintum *Sanchez, & Ioannes Angelus Boſſius loc. cit* aſſerunt, ipſo iure priuari relictis per teſtamentum, non vero iocalibus, ſeu ſponſalitia largitate, pro quorum priuatione requiritur ſententia. Rationem adducunt, quià in ordine ad relicta ex teſtamento redditur incapax, adeòque illa non acquirit, in ordine verò ad ſponſalitiam largitatem, cum illam iam acquiſierit, eſt priuanda iam acquiſito, adeòque videtur exigere Iudicis ſententiam. Sed conſideratis verbis, quibus in iure vtraque priuatio inducitur, non video, cur diuerſimodè in ordine ad huiuſmodi bona, ſiue relicta per teſtamentum, ſiuè donata ante nuptias, ſiue propter nuptias ſit diſcurrendum; quando etenim inducitur priuatio quoad relicta per teſtamentum, dicitur *ijs etiam amittendis, quæ prior maritus ſuprema voluntate ei reliquerit*; quando verò inducitur quoad donata iure ſponſalium dicitur. *Omnia, quæ de prius mariti bonis, vel iure ſponſalium, vel iuditio defuncti coniugis conſecuta fuerit, amittat*, vbi in primis comparemus verba; in prima diſpoſitione dicitur *ijs amittendis*, vbi connotatur amiſſio pro tempore futuro; in ſecunda dicitur, *amittat*, quæ particula potius importat tempus præſens, vt ex ſe patet, & quamvis, vt notant *Sanchez loc cit & Boſſius, Gloſa in l 2. verbo amittat C. de ſecundis nuptijs, & ibi Cinus q. 1. Salicetus nu. vnico* connotaret tempus futurum, eodem tamen modo cōciperetur, quo concepta fuit pæna quoad relicta per teſtamentum, quæ etiam exprimitur per tempus futurum. Deindè *in eadem l. 2. C. de ſecundis nuptijs* ſub eiſdem terminis, & ſub eadem oratione, & ſignificatione imponitur pæna, & quoad amiſſionem ſponſalitiæ largitatis, & quoad priuationem relictorum per ſupremam voluntatem. Ibi. *Omnia, quæ de prioris mariti bonis, vel iure ſponſalium, vel iudicio defuncti coniugis ſuprema voluntate ei reliquerit, amittat*, ergo attenta iuris diſpoſitione eodem modo de vtraque phyloſophandum eſt, adeò vt, vel vtraque exigat Iudicis ſententiam, vel neutra. Dicendum igitur eſt, probabilius eſſe ipſo iure vtriſque bonis illos priuari, cum vtraque lex ſit diſpoſitiua, & eodem modo vtramque pænam inferat; quoad relicta autem per teſtamentum fatetur ipſe *Sanchez loc. cit. nu. 10. in fine*, quod non exigatur ſententia, ſed quod ipſo iure deperdantur, ergo hoc idem ſentiendum eſt quoad donata iure ſponſalium, Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ſupra dicebantur, quod ſcilicet in ordine ad relicta per teſtamentum reddatur incapax, in ordine vero ad donata ſit ſolummodo priuanda, adeòque, quod iſta exigant ſententiam, non illa: Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià in primis etiam in ordine ad relicta per ſupremam voluntatem inducitur amiſſio, ſeu priuatio, priuatio autem ſupponit habitum *c. ad diſſoluendum extra. de deſponſ. impub. l. decem ff. de verb. oblig.* Deindè non eſt repugnantia, quin per legem diſpoſitiuam ipſo iure ob pænam delicti quis priuetur poſſeſſione iam habita, vt contingit in præſenti hypotheſi.

26 *Ipſo iure priuatur, tàm bonis relictis per teſtamentum, quàm ſponſalitia largitate, & donatione proptèr nuptias.*

ASSERTIO V. Mulier tranſiens ad ſecunda vota intra annum luctus tenetur dare medietatem bonorum filijs prioris matrimonij *Gutierez de matrim. cap. 108. num 9 Sanchez de matrim. d. lib. 7. diſp 87. num. 16. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 11. num. 267.*

27 Tenetur dare medietatem bonorū filijs prioris matrimonij.

Expreſsè colligitur *ex l ſi qua mulier 4. C. ad Sen. conſ. Tertul, & in auth de ſecundis nuptijs §. prima ſiquidem col 4.*

Solum hic oritur difficultas, an teneatur de facto dare eandem medietatem bonorum in effectu, quandò tranſit ad ſecunda vota intra annum luctus, an verò ſolummodò teneatur eiſdem reſeruare eandem medietatem retento apud ſe vſufructu omnium bonorum vſque ad proprium obitum. Sentio abſolutè, teneri de facto illam medietatem filijs prioris matrimonij tribuere non retento eorundem vſufructu *in d. l. ſi qua mulier C. ad ſenatus conſul. Tertull.* Ibi. *Si facultatum omnium, quæ fuerunt tempore nuptiarum medietatem filio, vel filia, filijs, ſeù filiabus donauerit, quos habebat ex viro priore ſuſceptos pure ſcilicet, & omni donationis ſolemnitate completa, nec retento quidem vſufructu.*

28 Tenetur de facto dare, nec retento vſufructu.

Alia hinc ſuboritur difficultas, quid iuris ſit, ſi filij prioris matrimonij fuerint duo, & poſtquam mater cum feſtinatione tranſiuit ad ſecunda vota, alter ipſorum occubuerit, & quid, ſi vterque occubuerit nullo relicto hærede neceſsario. In ordine ad primum aſserendum eſt, quod altero ex filijs prioris matrimonij præcedente alter ſuperſtes ſuccedat in ipſius parte, vtroque verò decedente illa medietas bonorum redeat ad matrem; hæcque omnia colliguntur *ex d. l. ſi qua mulier C. ad ſenatus conſul. Tert.*

29 Decedente altero ex duobus filijs alter ſuccedit, decedente verò vtroque illa dimidia pars redit ad matrē.

PRÆ-

PRÆNOTIO IV.

Quid ſentiendum ſit, quandò mulier feſtinantèr tranſiuit ad ſecunda vota, alterum tamen ex duobus matrimonijs fuit inualidum, vel poſterius non conſummatum.

SVMMARIVM.

Titulus expoſitus ſecundum duplicem facti contingentiam. 1

Si matrimonium prius fuerit inualidum, mulier tranſiens ad ſecundum etiam intra annum luctus non incurrit pænas iuris. num. 2.

Mulier eximitur ab huiuſmodi pænis, ſi antecedentèr ad ſecundas nuptias, ad quas feſtinauit, nouerit matrimonium prius fuiſse inualidum. 3.

Si prius matrimonium fuerit validum, & ſecundum inualidum non euitat pænas iuris. 4.

Euitat pænas, ſi vtrumque fuerit irritum 5.

Non incurrit has pænas, ſi intra annum luctus fornicetur. 6.

Cur euitat has pænas fornicando, non ſic tranſeundo ad ſecundas nuptias. 7.

Siuè matrimonium primum, ſiuè ſecundum initum intra annum luctus conſummatum non fuerit, non euitantur pænæ contra nubentes intra annum luctus. 8.

1 *Exponitur ſenſus tituli.* Titulus propoſitus examinatur in ordine ad pænas in præcedenti prænotione expoſitas, & quidem ſecundum duplicem facti contingentiam, vel etenim prius matrimonium, à quo mortuo marito vxor ſuperſtes feſtinantèr conuolauit ad ſecundas nuptias, fuit ex aliquo impedimento dirimente inualidum, & ſecundum, ad quod feſtinantèr tranſijt, validum, vel vice verſa primum omninò validum, & ſecundum inualidum. Rurſus, vel prius matrimonium non fuit conſummatum, quantumvis fuerit ratum, & validum, vel ſi ipſum fuerit conſummatum, non tamen ſecundum, ad quod vxor feſtinantèr pertranſijt. Iuxtà has conſiderationes præſens titulus diluetur.

2 *Si matrimonium prius fuerit inualidum non incurrit pænas iuris.* Assertio I. Si matrimonium prius fuerit inualidum mulier etiam intra annum luctus tranſiens ad ſecunda vota minimè incurrit pænas in præcedenti prænotione recenſitas. *Ripa rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. num.* 14. *verſ. ſed de alio dubitari poteſt, Sanchez de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 87. *n.* 18.

Ratio ex eo deducitur, quià per ſecundum matrimonium initum etiam intra annum luctus nulla infertur iniuria priori marito, quandòquidem, nec prius matrimonium erat matrimonium, nec prior maritus erat vere maritus, ergo non eſt, cur mulier ex illo tranſiens ad ſecundas nuptias validas affici debeat illis pænis. Conſequentia probatur, quià illæ pænæ potiſſimum iniunctæ ſunt in pænam læſionis, & iniuriæ impictæ animæ coniugis, ergò, ſi non fuerit verus coniux, huiuſmodi pænæ non poſſunt afficere alterum tranſeuntem poſt obitum illius ad ſecundas nuptias etiam intra annum luctus. Confirmatur, quià qui non eſt verus coniux non meretur luctum per annum, ergò &c.

Hic non poſſum acquieſcere rationi nude ſumptæ, quam inter cæteras adducit *Sanchez loc. cit*, quod ſcilicet ſecundum matrimonium legitimè contractum ſit, adeòque non mereatur pænam per textum *in l. Gracchius C. ad leg. Iul. de adult.*, Non, inquam, poſſum acquieſcere, quià, vel per ly, *legitimè*, intelligit, quod validè contractum ſit, & ſic argumentum nullam vim habet, quandòquidem etiam, quandò prius matrimonium validum fuit, mulier intra annum luctus tranſiens ad ſecunda vota validè contrahit, & tamen non eximitur ab illis pænis, vtſupra probatum fuit; vel per ly, *legitimè*, intelligit, quod contractum fuerit ſecundum leges ciuiles, ſeù eiſdem ſeruatis, & hoc dici non poteſt, quandòquidem iura vetant contrahi ſecundas nuptias feſtinantèr, quantum eſt ex parte mulieris, cum hoc præſeferat impudicitiam, & periculum perturbationis ſanguinum; hoc igitur erit, per quod eximatur ab huiuſmodi pænis, quod primum non fuerit matrimonium, & ſubſequentes nuptiæ cum ſecundo non ſint ſecundæ, ſed primæ, cum præcedentes non fuerint validæ. *Cõfutatur ratio Sanchez.*

Ex ijs, quæ dicta ſunt in hac aſsertione, duo emanant dubia; alterum, an ſi primum matrimonium inualidum quidem fuerit ſecundum ſe ob impedimentum dirimens occultum, fuerit tamen reputatum validum tùm apud contrahentes, tùm apud cæteros omnes ob ignorantiam illius impedimenti eximat mulierem ab huiuſmodi pænis, ſi diſſoluto illo matrimonio per mortem coniugis, & tunc tantum apparente de illo impedimento conuolet ad ſecundas nuptias feſtinantèr, ſeù intra annum luctus; alterum, an vxor eximatur ab his pænis contrahens ſecundo feſtinantèr, quandò vtrumque matrimonium fuit irritum. *Nonnullæ rationes dubitandi.*

Ad primum aſserendum videtur, quod quidem vxor ſic tranſiens non eximatur ab huiuſmodi pænis, quandòquidem primum

Digitized by Google

primum matrimonium, cum perſeuerauerit cum bona fide vtriuſque contrahentis, vtique fundat iura vtriuſque ſaltem quantum pertinet ad forum externum; huiuſmodi autem pœnæ, vtpotè iuris ciuilis reſpiciunt potiſſimum matrimonium pro foro externo validè ſubſiſtens, ergò in ordine ad has pœnas perindè ſe habet primum illud matrimonium, ac ſi eſset abſolutè validum. Accedit, quod huiuſmodi pœnæ non ſolum intelliguntur illatæ proptèr iniuriam, quæ fit priori marito, dum eo præmortuo vxor feſtinantèr tranſit ad ſecundas nuptias, ſed etiam proptèr iniuriam illatas filijs, ſi qui fuerint, eiuſdem prioris matrimonij, ſed filij eiuſdem prioris matrimonij quantumvis ſecundum ſe inualidi, vt potè, qui concepti ſunt, & nati cum bona fide vtriuſque parentis, habentur pro veris, & legitimis per ſuperius allegata iura concludentiſſima, ergò ratione iniuriæ eiſdem filijs illatæ per feſtinatas illas ſecundas nuptias non eximetur mulier ſic tranſiens ab illis pœnis à iure comminatis.

3 *Eximitur ab huiuſmodi pœnis, ſi nouerit matrimonium prius fuiſſe inualidum.*

Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo, eximi ab huiuſmodi pœnis, ſi antecedentèr ad ſecundas nuptias, ad quas feſtinauit, nouerit matrimonium prius fuiſse inualidum. Ab hac opinione non diſſentiri arbitror *Sanchez lib. 7 de matrimonio diſp* 87. *num* 18. dum aſserit, ſi primum matrimonium fuerit irritum, huiuſmodi pœnas non incurri. Ratio ex eo deducitur, quià in pœnalibus, & correctorijs iuris naturæ pœna in rigore non contrahitur, niſi plenè fuerit conſummatum delictum; ſed in præſenti hypotheſi delictum conſummatum non ſupponitur, ergò &c. Minor probatur, quià delictum, ob quod huiuſmodi pœnæ fuerunt impoſitæ, reſpicit duo extrema, ſcilicet & matrimonium primum, tanquam terminum à Quo, & matrimonium ſecundum feſtinantèr initum, tanquam terminum ad quem, ex quibus reſultat iniuria illa, de qua ſupra, in ordine ad priorem maritum, ſeù animam ipſius prædefuncti, ſed in præſenti hypotheſi non ſunt duo illa extrema, ſiquidem prius matrimonium non fuit verum matrimonium, ergò &c. Confirmatur, quià, ſi conſtante matrimonio inualido bona fide contracto, quantumvis ex eodem filij fuerint procreati, ſucceſsu temporis cognoſcatur inualiditas ob impedimentum dirimens interueniens, poteſt vxor ab eodem matrimonio recedere, & alteri impunè nubere, quandòquidem bona fides, qua illud prius matrimonium fuit initum, non obligat ad contractum cognita inualiditate, ergò etiam, ſi diſsoluto matrimonio inualido ſecundum ſe, licet valido in facie Eccleſiæ per obitum ſuppoſiti mariti cognita poſteà inualiditate poterit ad alias nuptias impunè vxor confugere.

Rationes ſuadentes intentum.

Conſequentia probatur, quià maior videtur inferri iniuria marito priori viuenti per feſtinatum tranſitum ad ſecundas nuptias, quandò matrimonium fuit occultè inualidum, ac inferatur eidem iam mortuo, ergò, ſi quandò viuente marito cognoſcitur inualiditas matrimonij poteſt impunè tranſire feſtinantèr ad ſecundas nuptias, poterit etiam à fortiori tranſire ad eaſdem ipſo iam mortuo. Ad oppoſita facilis erit reſponſio, ſi aſseratur, quod, quantumvis in foro externo illud matrimonium ſubſiſteret ante cognitionem impedimenti irritantis; poſita tamen cognitione in vtroque foro ita reputetur inualidum, ac ſi abinitio fuerit tale, quandòquidem erat impotentia intèr contrahentes; vnde in ea hypotheſi bona fides efficit quidem, quod contrahentes non peccarint actus coniugales exercendo, non tamen, quod contractus ipſe fuerit validus. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, nullam inferri iniuriam filijs prioris matrimonij inualidi, qui quantumvis ratione bonæ fidei parentum admittantur ad ſucceſſionem eorundem, non tamen habent ius, vt compellant matrem ad permanendum vltra annum in ſtatu viduitatis, cum ad hoc ad ſummum obligetur tantum ex vi matrimonij, quod in præſenti hypotheſi non poteſt obligare, cum fuerit ſecundum ſe inualidum.

Ad ſecundam aſserendum eſt, vxorem vitare huiuſmodi pœnas, ſi tranſeat feſtinantèr ad ſecundas nuptias etiam, ſi primum, & ſecundum matrimonium fuerit inualidum. *Sanchez de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 87. *num.* 18. Ratio ex eo deducitur, quià in hac etiam hypotheſi nulla infertur iniuria priori matrimonio, cum illud fuerit inualidum. 4 *Euitat etiā huiſmodi pœnas, ſi vtrumque matrimonium fuerit irritum.*

Assertio II. Si prius matrimonium fuerit validum, & ſecundum, ad quod feſtinantèr vxor tranſit, inualidum ex aliquo impedimento probabilius eſt ipſam non euitare prædictas pœnas à iure ſtatutas contra præpropere feſtinantes ad ſecundas nuptias *Garronis in l.* 1. *in nona edit. C. de ſecundis nupt. num* 10 *not.*3. quidquid ex aduerſo ſenſerint, *Albericus in l. fœmina* 8. *num* 5., *ff. de ſenat. Sanchez de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 87. *num.*18, qui in hoc caſu diſtinguentes aſserunt, quod, ſi fœmina ſecundo nubens intra annum luctus ignara impedimenti contraxerit, non incurrat huiuſmodi pœnas ea ratione, quod id, quod viſione factum eſt habeatur pro non facto per textum *in l. quoties, ff., qui ſatis dare cogantur*, & non præſtet impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum *reg. non præſtat de reg. iur. in* 6.

5 *Non euitat pœnas, ſi prius matrimonium fuerit validum, & ſecundum inualidum.*

Digitized by Google

in 6. incurrat verò, ſi contraxerit ſecundo conſcia impedimenti. Nihilominus

Probatur aſſertio, quià potiſſima ratio, ob quam inductæ fuerunt huiuſmodi leges pænales, eſt iniuria, quæ infertur priori marito præmortuo, dum nulla habita de eodem ratione intra annum luctus ſit tranſitus ad alias nuptias, vel, vt alij volunt, periculum perturbationis ſanguinum, & incertitudo prolis *Baldus in l decreto C. ex quib. cauſ. infam. irrogat n. 2. & 3.*, ſed hæc iniuria, perturbatio ſanguinum, & prolis incertitudo æquè obuenit, quamuis ſecundum matrimonium fuerit inualidū, vt per ſe patet, ergo &c.

6 Non incurrit has pœnas, ſi poſt obitū primi mariti intra annum luctus fornicetur.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi illa vxor poſt obitum prioris mariti intra annum luctus nullo habito matrimonio fornicetur, non contrahat præallegatas pœnas, quandòquidem iura huiuſmodi ſunt pęnalia, quæ non extenduntur vltrà verborum formam, qua concipiuntur, ergo nec eaſdem contrahet, ſi tranſeat intra eundem annum ad alias nuptias, ſed inualidas, quandòquidem omnes concubitus ex illis prouenïens, cum non ſit coniugalis, non poteſt eſſe, niſi fornicarius. Sed contrà neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis ex eo deſumitur, quià in primo caſu nullum interuenit matrimonium, nec in re, nec in figura; in ſecundo autem licet non interueniat in re, interuenit tamen in figura, cum contractum ſupponatur cum iuris ſolemnitatibus; ius autem ciuile quoad ſuas pęnas reſpicit potiſſimum matrimonium, prout contractus eſt, & in figura tale, cum non poſſit ſe ingerere quoad ea, quæ ſpectant ad matrimonium, vt ſacramentum, nec conſiderare impedimenta iure canonico inducta, adeòque, vbi iſtud interuenit ſaltem in figura, iuſtè poteſt contrahentes proprijs pęnis afficere; Nec abſolutè verum eſt, quod non matrimonium, & matrimonium inualidum in omnibus æquiparentur, quandòquidem, vt alibi vidimus, plura conueniunt matrimonio in figura, quæ non poſſunt competere non matrimonio, & præcipuè Pontifex non poteſt diſpenſare in radice, quandò nullum præceſſit matrimonium, ſecus verò, ſi præceſſit matrimonium in figura, ſed inualidum.

7 Cur euitet has pœnas fornicādo, nō ſic trāſeundo ad ſecundas nuptias.

Ad rationem ſecundum diſtinctionem appoſitam ab *Alberico, & Sanchez* potius contrarium inferendum videtur, quandòquidem, quandò nubit ignara impedimēti, contrahit animo verè contrahendi exiſtimans validè contrahere, & ſic non eſt, cur, quantum eſt ex ſe, non debeat contrahere pœnas iuris, quandò verò nubit conſcia impedimenti, iam nouit illum contractum non poſſe ſubſiſtere, adeòque non poteſt habere animum verè contrahendi, & ſic non conſentit vere in matrimonium, ſed in actus fornicarios, pro quibus non contrahit pœnas iuris.

Reiicitur Sanchez & Albericus.

Assertio III. Si vel prius matrimonium, vel ſecundum intra annum luctus initum conſummatum non fuerit, probabilius fœmina tranſiens ad ſecundas nuptias feſtinanter non euitat huiuſmodi pœnas. *Riparub C de ſecundis nuptijs in noua edit. nn 16 & 17* quidquid ex aduerſo ſenſerint *Antonius Gabriel. tom 4. commun. opin. lib. 3. tit de ſecundis nuptijs concl 5. n. 8. Sanchez lib 7 de matrim diſp 87 n 19.*

8 Siue primum matrimoniū ſiue ſecundum initū intra annū luctus cōſummatū non fuerit non euitātur pœnæ.

Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quià iura inducentia huiuſmodi pœnas loquuntur præcisè de ſecundis nuptijs, quæ æquè verificantur, ſiue priores, ſiue poſteriores non fuerint conſummatæ; quandoquidem nuptias faciunt conſenſus, non copula, ergo vbicunque fuerit verificatum, quod fuerit contractum primum matrimonium per verba de præſenti, & deindè præmortuo marito aliud iterum fuerit initum per verba etiam de præſenti, ſeruatiſque omnibus iuris ſolemnitatibus, quantumuis alterum illorum non fuerit conſummatum, pœnæ illatæ per huiuſmodi iura non euitabuntur.

Rationes oppoſitæ diſſoluuntur.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in odioſis, & pœnalibus nomine nuptiarum veniat ſolum matrimonium conſummatum, quià pœnæ reſpiciunt delictum vſquequaque completum; matrimonium autem feſtinanter initum, in quo coſiſiſtit delictum, iuxta ius ciuile non intelligitur ex omni parte completum, niſi fuerit conſummatum. Accedit, quod quandò primum matrimonium conſummatum non eſt, non militat ratio, ob quā inductæ ſunt huiuſmodi pœnæ; fuit enim, quià pro eo anno mors mariti per vxorem eſt lugenda, quando autem matrimonium non eſt conſummatum, mors illa non eſt lugenda per textum *in l. vxores ff. de his qui not. infamia.* -Ibi- *Sponſi nullus luctus eſt*, & per textum *in l. ſolet ff. eod* -Ibi- *quæ virum elegit intra id tempus ſponſam fuiſſe non nocet*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià gratis omninò dicitur nomine nuptiarum non venire in rigore, niſi ſolum matrimonium conſummatum; nuptiæ etenim appellantur ab obnubendo, ſeu velando, quià quaſi nube obtegitur virgo velamine quodam, dum bene dicitur, & hoc in peccati admiſſi erubeſcentiam, dum à ſerpente decepta virum ſuum fefellit, quod deductum fuit ex illo Geneſ. 32., vbi videns Rebecca virum ſuum Iſaac deambulantem obuiam ei veniens caput ſuum velauit; quandò autem fœmina velatur, & benedicitur, non ſupponitur matrimonium conſummatum; Deindè in hoc etiam valet, quod nuptias faciat conſenſus per verba de præſenti, non copula,

quæ

Digitized by Google

quæ eſt quid ſubſequens, ſeu accidentarium. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, iura allegata intelligenda eſſe ſolummodò, quandò præciſè inita ſunt ſponſalia, ſeu matrimonium per verba de futuro, prout etiam adnotaſſe videtur *Gloſa in d. l. ſolet ff. de his, qui notantur infamia in verb. ſponſam*, quod etiam colligi poteſt ex ijs, quæ nos docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 1. praenot. 1. nu. 1.*, quod etiam expreſsè affirmarunt *Ioannes Lupus tract. de matrim. n. 1. Panormitanus in rubr. de ſponſal. nu. 3. & ibi Felinus nu. 1. propè initium verb. item aduerte.*

Probatur ſecundò ſpecialitèr, quandò primum matrimonium conſummatum non fuit. Ratio adæquata, ob quam inductæ fuerunt huiuſmodi pænæ, non eſt ſola confuſio ſanguinum, nec incertitudo prolis, ſed etiam iniuria illata priori marito ob feſtinatas ſecundas nuptias, ſed hæc vltima ratio æquè militat, quandò primum matrimonium initum eſt quidem validè, licet non conſummatum, ergo &c. Minor probatur, quià prior maritus, ex quo initum eſt primum matrimonium, ius acquiſiuit in corpus alterius coniugis, & vt ſibi ſeruetur fides matrimonialis, eaque obſequia ſibi debeantur, quæ vel ex natura matrimonij, vel ex diſpoſitione iuris propria ſunt mariti, & coniugis, ſed inter cætera obſequia eſt, quod vxor per annum ab obitu mariti lugeat, nec tranſeat ad feſtiuitates alterius matrimonij, ergo &c.

PRÆNOTIO V.

De pœnis mulierum abſolutè ſecundo nubentium.

SVMMARIVM.

Coniux tranſiens ad ſecundas nuptias non poteſt, nec in dotem, nec alio titulo tradere ſecundo coniugi pluſquam dederit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus tribuit. 1.

Æquè hac pæna afficit maritum, ac vxorem tranſeuntem ad ſecundas nuptias. 2.

Illud minus, quod conferre poteſt ſecundo marito, non eſt computandum ſolum relatiuè ad id, quod confert ex teſtamento, ſed etiam relatiuè ad id, quod contulit antecedenter ex alio titulo, vel donationis, vel gratuita liberalitatis. 3.

Si ex priori matrimonio nulla relicta fuerit proles, vel hæc facta fuerit incapax, poteſt relinquere ſecundo marito quidquid voluerit. 4.

Si plus reliquerit ſecundo marito, ac reliquerit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus relictum eſt, illud relictum ſecundò marito vitiatur tantum quoad exceſſum. 5.

Exceſſus non ſolum poteſt reuocari per filios prioris matrimonij quoad proprietatem, ſed etiam quoad fructus. 6.

Non tamen poteſt reuocari quoad vſumfructum, quouſque ille, qui detulit, vixerit. 7.

Illud, quod relinqui poteſt ſecundo marito, intelligendum eſt comprehenſa etiam legitima debita filijs prioris matrimonij. 8.

Ea, quæ dicuntur à Patre, vel matre tranſeuntibus ad ſecundas nuptias exiſtentibus filijs prioris matrimonij, intelligenda ſunt de auo, & auia ſic tranſeuntibus exiſtentibus nepotibus. 9.

Si Pater tranſiens ad ſecunda vota reliquerit tantum in teſtamento centum filiæ prioris matrimonij adiecta clauſula, quod plus habere non poſſit, & reliquum ſuorum bonorum reliquerit ſecundæ coniugi poteſt filia reuocare exceſſum 10.

Etiam. ſi filia non fuerit hæres Patris. 11.

Extante ſtatuto, ſeu iure municipali, quod maritus lucretur dotem, an poſſit filius prioris matrimonij reuocare exceſſum, quem mater contulit vitrico. 12.

Sententia negans poſſe reuocare. Ibid.

Sententia affirmans cum ſuis fundamentis. Ibid

Coniux eo ipſo, quod tranſit ad ſecunda vota, amittit proprietatem omnium bonorum, quæ conſecutus eſt à coniuge prædefuncto, eaque transfert ad filios prioris matrimonij retento ſolum vſufructu. 13.

Hæc diſpoſitio æquè verificatur in ordine ad vxorem tranſeuntem ad ſecunda vota, ac quoad maritum ſecundo ſic nubentem. 14.

Et in ordine ad quæcunque bona titulo lucratiuo delata ad ſecundum coniugem. 15.

Proprietas illorum bonorum deuoluitur ipſo iure ad filios primi matrimonij. 16.

Mater binnuba in illis bonis titulo lucratiuo acquiſitis à primo marito meliorare nequit conditionem vnius ex filijs eiuſdem primi mariti. 17.

Nec poteſt meliorare conditionem vnius ex filijs prioris matrimonij in bonis, quæ acquiſiuit in ſucceſſione filij eiuſdem primi matrimonij. 18.

Si coniux binnuba donauerit bona à primo marito habita, filij primi matrimonij non poſſunt ea reuocare ipſa viuente. 19.

Si coniux binnubus conſumpſerit bona acquiſita à primo coniuge, tenentur hæredes eiuſdem ipſo mortuo reſtituere filijs prioris matrimonij æſtimationem illorum bonorum. 20.

Vſusfructus talium bonorum remanens in conſumptis ad mortem coniugis binnubi debetur hæredibus eiuſdem. 21.

Si mater ante tranſitum ad ſecundas nuptias bona aliqua à primo marito acquiſita alie-

naue-

nauerit, & deinde ſecundo nupſerit vtique filij prioris mariti poſt obitum matris poſſunt bona illa reuocare. 22.

Etiam, ſi filij prioris matrimonij non fuerint heredes Patris, poſſunt bona illa ſic alienata per matrem binnubam reuocare. 22.

Si filij prioris matrimonij fuerint heredes matris binnubæ non poſſunt bona ab eadem titulo lucratiuo à primo marito acquiſita, & per ipſam alienata reuocare. 23.

Bona, quæ coniux binnubus amittit, ſunt ea, quæ titulo lucratiuo acquiſiuit ex patrimonio coniugis præmortui, ſiue ex vltima voluntate, ſiue ex titulo donationis. 24.

Item bona, quæ data ſunt in augmentum dotis. 25.

Item donationes propter nuptias. 26.

Item arra, ſeu iocalia. 27.

Item omnia, quæ titulo lucratiuo acquiſiuit intuitu prioris matrimonij. 28.

Non veniunt tamen arra, quæ iuxta morem hiſpanum à marito conferuntur vxori in remunerationem pudicitiæ, ſeu nobilitatis. 29.

Veniunt tamen donata inter viuos, vel in vltima voluntate à marito vxori. 30.

Mulier binnuba amittit legatum à marito relictum, quantumuis facta fuerit facultas de eodem liberè diſponendi. 31.

Legatum relictum à priori marito vxori, ante ſecundas nuptias poteſt illud conſequi præſtita tamen cautione de illo cum fructibus reſtituendo in caſu &c. 32.

Mulier binnuba amittit etiam bona, quæ conſecuta eſt ex ſucceſſione ab inteſtato alicuius filij prioris matrimonij. 33.

Etiam ſi illa bona filius acquiſierit ab Auo, vel Auia. 34.

Limita, niſi filius ſucceſſiſſet Auo, vel Auiæ titulo oneroſo. 35.

Mater binnuba tenetur bona, in quibus ex ſubſtitutione pupillari Patris ſucceſſit filio prædefuncto, reſeruare filijs prioris matrimonij. 36.

Mater binnuba acquirit pleno iure ea, quæ ſibi ex teſtamento filij obueniunt. 37.

Mater tranſiens ad ſecunda vota tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij bona, quæ pater viuens aſſignauit filiæ communi ad nubendum, & hæc prædeceſſerit abſque deſcendentibus mortuo etiam Patre conſtituente. 38.

Non tamen bona, quæ ipſa eidem filiæ conſtituit in dotem ſimul cum bonis mariti. 39.

Amittit item bona, quæ conſecuta eſt ex ſucceſſione filij prioris matrimonij, ſiue immediatè, ſiuè mediatè 40.

Non amittit bona ſibi per priorem maritum relicta, ex quocumque titulo lucratiuo, ſi nulla proles ex primo matrimonio fuerit ſuſcepta. 41.

Si proles fuerit habita, ſed deceſſerit ante obitum matris licet poſt ſecundas nuptias, mater non amittit bona ſibi per priorem maritum relicta. 42.

Quomodo mater binnuba per mortem filiorum acquirat proprietatem bonorum, quam ipſo iure amiſerat per ſecundas nuptias. 43.

Si vltimus ex filijs prioris matrimonij prædeceſſerit matri binnubæ, condito tamen teſtamento, quo ſibi inſtituit heredem tertium cum iure præcipuè ad proprietatem bonorum, quæ ſibi competit in bonis eidem Matri relictis per Patrem, adhuc Mater per mortem eiuſdem filij acquirit illam proprietatem bonorum. 44.

Si filij prioris matrimonij conſenſerint ſecundis nuptijs matris, ſiue cooperati fuerint, ſiue ceſſerint iuri ſuo quoad illam proprietatem bonorum, mater ipſa pleno iure conſequitur eadem bona. 45.

Non ſufficit ad liberandam matrem binnubam ab hac pœna conſenſus tacitus filiorum prioris matrimonij quomodocumque. 46.

Si concurrant cum conſenſu tacito alia circunſtantiæ probabilius liberant matrem binnubam ab hac pœna. 47.

Requiritur conſenſus omnium filiorum ad liberandam Matrem binnubam adæquatè ab hac pœna. 48.

Filij ad præbendum hunc conſenſum cum effectu debent eſſe puberes. 49.

Nec ſufficit aſſiſtentia, & conſenſus Tutoris quandò eſſent impuberes. 50.

Mortuis filijs omnibus prioris matrimonij, ſi eorum filij ſuperſtites ad ipſos fuerint, ſufficit eorum conſenſus ad liberandam matrem, ſeu auunculam ab hac pœna. 51.

Si prior maritus ante obitum facultatem fecerit vxori tranſeundi ad ſecundas nuptias, hæc tranſeundo non amittit bona à marito eidem relicta. 52.

Habito conſenſu à priori marito tranſeundi ad ſecundas nuptias non euitat vxor binnuba pœnas iuris ſtatutas contra nubentes intra annum luctus, ſi intra illum annum præpropere nubat. 53.

Si ſecundo nubat ex facultate Principis, an euitet has pœnas remiſſiuè. 54.

HActenus egimus de determinatis pœnis, quæ afficiunt vxores feſtinanter intra annum luctus ab obitu prioris coniugis tranſeuntes ad ſecundas nuptias; nunc de pœnis, quæ eaſdem afficiunt prout neglecto priori matrimonio etiam poſt annum luctus aliud contrahunt matrimonium, quę pœnæ potius reſpiciunt fauorem filiorum prioris matrimonij, quam delictum fœminæ ad eaſdem ſecundas nuptias properantis; Circa quas pœnas erit ſpeciale dubium, an æquè afficiant coniugem ſuperſtitem ex primo matrimonio; ſiue fuerit maritus, ſiue vxor, de quo dubio in ordine ad diuerſas pœnas erit ſermo in diſcuſſione earundem ſingillatim per ſingulas aſſertiones.

1 Non poteſt plus tribuere ſecũdo coniugi, quã dederit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus tribuit.

Assertio I. Prima pœna, quæ afficit tranſeuntes ad ſecundas nuptias, eſt, quod ſic tranſiens altero præmortuo non poſſit, nec in dotem, nec alio titulo tradere ſecundo coniugi, cui nubit, pluſquam dederit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus reliquit. In hanc conſentiunt *Petrus Gregorius ſintag. iur. lib. 9 c. 26. nu 53. Antonius Gabr. com. opin. lib. 3. de ſecundis nupt concl 4 Sanchez de matrim lib. 7. diſp. 88. nu. 3. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contr. c 11. n. 272.*

Expreſsè colligitur ex textu *in l. hac edictali in princ. C. de ſecundis nupt, & in auth de ſecundis nupt. §. oportet verò nobis*, & ſpecialiter *in d. l. hac edictali* habetur. *Quem filius, vel filia habet, cui minor portio vltima voluntate relicta, aut data fuerit, aut donata.*

2 Æquè hæc pœna afficit maritũ, ac vxorẽ.

Hæc autem pœna æquè afficit maritum ſuperſtitem, ſi hic præmortua prima vxore tranſierit ad ſecundas nuptias, ſiue vxorem, ſi præmortuo primo marito ad ſimiles nuptias conuolarit, prout notauit *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. num. 272. Sanchez dict. lib. 7. diſp. 88. nu. 3. in fin. Garronis rub. C. de ſecundis nupt. num. 9. præn. 2.* & clarè deducitur ex *ead. l. hac edictali C. de ſecundis nupt.*, vbi dicitur *Pater, materne*

3 Illud minus computandum eſt ad id, quod contulit vni ex filijs, ex quocunq; titulo gratuito.

Ex hac tamen aſſertione plura controuertibilia poſſunt deduci, & primò, an illud, quod conferre poteſt coniux ſuperſtes alteri coniugi, cui ſecundo nubit, ſit computandum præcisè relatiuè ad id, quod confert ex teſtamento, an verò etiã ad id, quod contulit antecedenter ex alio titulo, vel donationis, vel gratuitæ liberalitatis. Abſolutè ſentiendum eſt, computandum eſſe comparatiuè ad vtrumque. *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 88 num 3. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c 11. nu. 272.* Expreſsè colligitur ex verbis eiuſdem textus *in l. hac edictali in princip.* Ibi *quam filius, vel filia habet. cui minor portio vltima voluntate relicta, vel data fuerit, vel donata*; & hæc omnia per iura inducta fuerunt, ne coniux ſuperſtes ob nimiam procliuitatem in ſecundum coniugem præiudicium inferat in ſuis bonis filijs prioris matrimonij, prout notant communiter ſcribentes *in hac l. hac edictal.*

4 Si ex priori matrimonio nulla relicta fuerit proles, vel hæc ſit incapax, poteſt relinquere ſecũdo marito quidquid voluerit.

Secundò, an, ſi ex priori matrimonio nulla relicta fuerit proles, vel ſi relicta fuerit, facta ſit incapax ſucceſſionis, eo quià profeſſa fuerit in Religione incapaci dominij, & proprietatis, poſſit coniux ſuperſtes relinquere, quodcunque voluerit ex propriis bonis ſecundo coniugi; Abſolutè reſpondendum eſt affirmatiuè; *Angelus in d. l. hac edictali n. 15. C. de ſecundis nuptijs, Ioannes Angelus Boſſius, & Sanchez loc. cit* Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quià cauſa finalis talis reſtitutionis eſt, ne præiudicium inferatur filijs prioris matrimonij ex nimia propenſione in ſecundum coniugem, ſed hæc ratio non militat, quando ex primo matrimonio nulla relicta fuit proles, vel ſi fuerit relicta, facta ſit incapax ſucceſſionis propter profeſſionem emiſſam in monaſterio incapaci dominij, quià incapax reputatur, perindè, ac ſi eſſet mortua per textum *in l. ſi neceſſe §. deportatus ff. de bon liber. Angelus in d. l. hac edictali n. 15. C. de ſecundis nupt.*, ergo &c Hac eadem ratione euincitur, quod ſi filius fuerit ex primo matrimonio vnicus, qui factus fuerit incapax ſucceſſionis paternæ, vel maternæ ex delicto, ob quod ſuccedere deberet fiſcus, antequam bona eidem fuerint delata, poſſit coniux ſuperſtes ſecundo coniugi relinquere, quodcunque ſibi fuerit beneplacitum, quandòquidem etiam ille filius habetur pro mortuo ciuilitèr iuxtà allegatum textum *in d. l. ſi neceſſe.* Dixi *antequam bona eidem fuerint delata*; nam, ſi titulo donationis inter viuos, vel emancipationis eidẽ fuerint abſolutè, & quoad dominium, & quoad vſumfructũ tradita, & posteà deliquerit, adeò vt ratione delicti eiuſdem ſit priuãdus, eadem bona tranſirent in Fiſcum, nec de ijs coniux ſuperſtes, qui plene detulerat, poſſet diſponere in fauorem ſecundi coniugis.

Tertiò, an, ſi coniux ſuperſtes plus dederit, vel reliquerit ſecundo coniugi, quam dederit alteri ex filijs prioris matrimonij, relictum ſecundo coniugi intelligatur irritum quoad totum, an verò tantum quoad exceſſum. Videtur dicendum irritari quoad totum, quandòquidem ſtipulatio, qua illud totum relictum eſt, videtur indiuidua, quæ propterea, ſi vitiatur in parte, intelligitur vitiata quoad totum. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, vitiari tantum quoad exceſſum. Colligitur expreſsè *ex d. l. hac edictali in fine princip.* Ibi *Sin verò pluſquam ſtatutum eſt aliquid Nouercæ, vel vitrico relictum, vel donatum, aut datum fuerit, tanquam non ſcriptum, aut relictum, vel donatum, aut datum ſit, ad perſonas deferri liberorum, aut inter eas diuidi iubemus*, vbi nota, quod non ſimplicitèr relictum, donatum, aut datum irritatur, & iubeatur deferri ad perſonas filiorum, ſed id, quod plus relictum, datum, aut donatum eſt *Gloſa in d. l. hac edictali verb. diuidi, Alexander de Neuo cap. fin. num. 8 de ſecundis nupt Sanchez de matrimon lib. 7 diſp. 88 num 3.* Hoc idem poteſt euinci paritate, ſeù ſponſalitiæ largitatis, quæ, ſi excedat quantitatem à iure taxatam, non irritatur quoad totum, ſed tantum quoad exceſſum *Ioannes Lupus l. 10. Tauri num. 11. Suarez l. 1. num 10. verſ. nota vlterius tit. 2. lib. 3. fori, Padilla auth. res, quæ num. 19.* 5 Non vitiatur quoad totum, ſed tantum quoad exceſſum.

C. com.

Digitized by Google

C. commun. de leg. Molina tom 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 431. verſ. illud eſt obſeruandum, quod expreſſè colligitur *ex l. ſancimus 34. in init. C. de donat.* Ibi - *Si quid autem ſupra legitimam definitionem fuerit donatum, hoc quod ſuperfluum eſt, tantummodò non valere,* quæ omnia firmari poſſunt *in reg. vtile 37. de reg. iur. in 6.*, vbi dicitur, *quod vtile per inutile non vitietur.*

6 Poteſt reuocari exceſſus etiā quoad fructus.

Quartò, an, ſi plus fuerit datum, vel relictum ſecundo coniugi, quam illud minus, quod traditum eſt alteri ex filijs prioris matrimonij, poſſit non minus exceſſus per eoſdem filios prioris matrimonij, ſed etiam fructus eiuſdem exceſſus reuocari. Reſpondendum eſt, poſſe etiam per eoſdem filios fructus exceſſus reuocari *Borrellus ſumma deciſ. tom. 3. tit. 2. num. 135. Baldus conſ. 336. in fin. vol. 3. Riminald. conſ. 333. num. 19., & ſeqq. Ioannes Angelus Boſſius cap. 11. nu. 273.* atque ita adiudicaſſe Senatum Mantuanum refert *Surdus deciſ. 171. num. 4, & 6.* Ratio autem ea eſt, quià, ex quo non debetur exceſſus ille, nec debentur fructus eiuſdem; cui etenim non competit principale, nec competunt acceſſoria.

7 Nō tamen exceſſus ille poteſt reuocari quoad vſūfructum viuente illo, qui detulit.

Quintò, an ea, quæ dicta ſunt in præcedentibus dubijs, æquè intelligenda ſint quoad dominium, ac quoad vſumfructum, quoadvſque ipſe coniux ſuperſtes, qui eundem exceſſum contulit, vixerit, an verò intelligenda ſint ſolummodò quoad dominium, & proprietatem, adeo vt præmoriente coniuge, qui detulit, teneatur alter proprietatem reſtituere, non vſumfructum. Sentiendum eſt, intelligi ſolummodò quoad dominium, & proprietatem, non autem quoad vſumfructum, quovſque ipſe coniux, qui contulit, vixerit. Ratio ex eo deducitur, quià, quantumvis coniux ſuperſtes tranſeat ad ſecundas nuptias, non propterea ipſo iure priuatur vſu ſuorum bonorum, quinimmò, nec dominio, & proprietate, quamvis quoad hæc ex diſpoſitione iuris teneatur reſeruare congruam portionem filijs prioris matrimonij, ſi fuerit vxor, vel ex bonis, quæ remanent pro tempore mortis, eiſdem relinquere legitimam, ſi fuerit maritus, & relatiuè ad ipſos Pater, ergò, quoadvſque vixerit, poterit vſumfructum eorum ſecundo coniugi concedere, ſicuti enim poteſt ipſe eodem gaudere, ità poteſt in alium coniugem transferre; Neque hæc, quæ hic dicuntur, aduerſantur ijs, quæ dicta ſunt in reſolutione præcedentis dubij, nempè filios præcedentis matrimonij poſſe reuocare exceſſum non ſolum quoad proprietatem, ſed etiam quoad fructus indè perceptos; Non, inquam, aduerſantur, quià ea procedunt, quandò per coniugem ſuperſtitem ex primo matrimonio abſolutè tranſlata ſunt in ſecundum coniugem, etiam quoad proprietatem, adeovt ratione proprietatis gauiſus ſit fructibus, & quidem in commodum proprium, non in commodum coniugij; non autem, quandò vſufructu gauiſus eſt iure coniugis, qui contulit, & quidem ad vtilitatem matrimonij; Ea autem, quæ hic dicuntur, procedunt tantum, quandò nomine, & iure coniugis conferentis, alter gauiſus eſt fructibus bonorum ipſius conferentis in ordine ad communem vtilitatem.

Sextò, an id, quod relinqui poteſt per coniugem ſuperſtitem alteri ſecundo coniugi ad normam minoris portionis, quæ relinqui poteſt alteri ex filijs prioris matrimonij, intelligendum ſit detracta legitima eiſdem filijs prioris matrimonij debita, an verò etiam ipſa comprehenſa? Sentiendum eſt intelligi comprehenſam etiam legitima, ſeù eadem computata, adeo vt; ſi illud minus, quod relictum eſt alteri ex filijs prioris matrimonij contineat ſolummodò legitimam ipſi debitam, tantundem ſolummodò poſſit relinqui ſecundæ vxori, ſi verò illud minus relictum contineat, & legitimam, & quid aliud, hoc etiam poſſit relinqui ſecundæ coniugi. In hunc ſenſum videtur inclinare *Baldus in l. hac edict. C. de ſecundis nupt. num. 18.*, vbi dicit, quod, *ſi teſtator legitimam reliquerit filio, poſſit etiam vſque ad quantitatem legitimæ relinquere Nouercæ*; & hinc ſolui poteſt alia quæſtio, quam excitat *idem Baldus loc. cit.* ſub his terminis. Ponit, quod aliquis Pater habeat in bonis ducentum, & ex primo matrimonio habeat vnum filium, & conuolarit ad ſecunda vota; Deindè condat teſtamentum, in quo detracto legato inſtituat filium hæredem quoad ſexaginta, & relinquat ſecundæ vxori octuaginta, & tandem quærit, vtrum filius primi matrimonij poſſit reuocare illum exceſſum relictum ſecundæ vxori ſupra ſexaginta ſibi relicta. Arguit pro filio *argumento deſumpto à textu in hac l. hac edictali*, quod poſſit reuocare exceſſum, & poſteà concludit pro Nouerca ea motus ratione, quià, quantumvis filio prioris matrimonij relicta ſint tantummodò ſexaginta ex vi inſtitutionis teſtamentariæ, eidem tamen accreſcere debeant ab inteſtato alia ſexaginta, & ſic habebit centum viginta, vndè mirum non erit, quod ipſa Nouerca poſſit habere octuaginta. Ex quibus habes, quod id, quod relinquere poteſt coniux ſuperſtes ex primo matrimonio ſecundo coniugi, computandum ſit in ordine ad omnia bona, quæ contingent filio ex primo matrimonio.

8 Intelligendū eſt comprehenſa etiam legitima debita filijs prioris matrimonij.

Casus expoſitus, & ſolutus.

Septimo, an ea, quæ hactenus dicta ſunt de Patre, & matre tranſeuntibus ad

Digitized by Google

Ea, quæ dicuntur de Patre, & matre intelliguntur etiam de auo, & auia.

ſecunda vota exiſtentibus filijs ex primo matrimonio æquè intelligenda ſint de Auo, & Auia, adeo vt, ſi habeant nepotem ex filio præmortuo, & ſpreta naturali charitate nepotis tranſeant ád ſecunda vota non poſſint plus relinquere ſecundæ vxori, vel ſecundo marito, ac relinquant eidem Nepoti. Cui dubio reſpondet *idem Baldus in d. l. hac edictali num. 2. de ſecundis nuptijs*, legem hanc extendi etiam ad Auum, & Auiam, & ſic ſenſiſse aſserit Imperatorem ſuper hoc conſultum; Rationemque adducit, quià ſtatutum loquens de Patre, & matre extenditur etiam ad Auum, & Auiam; & charitatem, quam debemus filijs, debemus etiam Nepotibus, & hoc ſciendum eſt, quod ſecunda vxor Aui dicitur Nouerca magna, ſecunda verò vxor Patris dicitur tantum Nouerca, & ſimplicitèr ſine addito.

10 Si filiæ prioris matrimonij reliquerit determinatam ſummam cum clauſula, vt aliud habere non poſſit, & reliquū ſecundo coniugi poteſt filia reuocare exceſsum.

Octauò, an, ſi Pater tranſiens ad ſecunda vota reliquerit tantum in teſtamento centum filiæ, quam habuit ex primo matrimonio ea adiecta clauſula, quod plus non poſſit petere, & habere; & ipſa percipiat hoc legatum, & deindè reliquum ſuorum bonorum relinquat ſecundæ coniugi, poſſit ea non obſtante filia ex vi *huius l. hac edictali* reuocare exceſsum ab eadem ſecunda coniuge, ſeù propria Nouerca? Prima fronte videtur, quod non poſſit reuocare talem exceſsum eo, quià recipiendo illud legatum conſenſit in diſpoſitionem teſtamentariam Patris, quam propterea non videtur poſteà poſse impugnare per textum *in l. ſi quandò § fin. ff. de inoffic. teſt.* Nihilominus contrarium conſuluit, & quidem congruè *Baldus in d. l. hac edictali num. 27. C. de ſecundis nuptijs*, eo quià arbitretur illam clauſulam, *quod plus non poſſit petere, nec habere* habeatur pro non ſcripta, & ſic legatum illud habetur pro ſimplici legato, cuius agnitio, & aditio non poteſt impedire beneficium huius legis, quod autem illa clauſula habeatur pro non ſcripta, ex eo deducitur, quià videtur inducta in fauorem Nouercæ, & per conſequens in fraudem filiæ. Sed, an in hac hypotheſi filia poſſit reuocare exceſsum relictum Nouercæ, quantumvis non fuerit hæres Patris, vel matris eſt in diſſidio apud DD. Nonnulli arbitrantur poſse tantum reuocare, prout eſt hæres, quandòquidem, ex quo illa clauſula habetur pro non adiecta, vt aſseruit *Baldus loc. cit.*, omnia remanent in corpore patrimonij diſponentis; patrimonium autem oportet deferri iure hæreditario. Nihilominus contrarium aſserit idem *Baldus loc. cit.* docens ex vi diſpoſitionis textus *in hac l. hac edictali* poſse reuocare, & quidem congruè, quandòquidem hic textus non

11 Etiam, ſi filia non fuerit hæres Patris.

ſolum exceſsum aufert Nouercæ, ſed etiam expreſsè defert filijs prioris matrimonij, & delatio operatur ſingulare beneficium huius legis.

12 Extante ſtatuto, quod maritus lucretur dotem, an poſſit filius reuocare exceſſum.

Nono, an, ſi extaret ſtatutum municipale, quod maritus lucretur dotem, poſſit hoc non obſtante filius prioris matrimonij reuocare exceſsum, quem mater contulit vitrico. Plura de hoc dubio diſseruit *Antonius Gabriel comm opin. lib. 3. de ſecundis nuptijs concl. 4.* quem tu conſule. Nonnulli apud *Baldum in l. hac edictali C. de ſecundis nuptijs num. 5.* ſtatuunt filium prioris matrimonij non poſse hunc exceſsum reuocare, quod multis contendunt probare rationibus, & primo, quià ſtatutum eſt lex poſterior, quæ derogat huic legi communi, tanquam anteriori; ſecundo, quià ſtatuta non recipiunt interpretationem à iure communi, maximè, ſi interpretatio ſit correctoria eorundem ſtatutorum.

Sententia negans.

Ex aduerſo alij ſtatuunt adhuc poſse reuocare; eaque ratione mouentur, quià huiuſmodi ſtatutum æquiparatur pacto *arg. l. item, quià ff. de pactis, & l. nec ex prætorio, ff. de re iud.*, ſed per pactum de lucrando dotem non demitur poteſtas filijs prioris matrimonij reuocandi exceſsum, vt *in hac l. hac edictali* decernitur, ergò neque per ſtatutum, cum tacitum non ſit maioris potentiæ, quam ſit expreſsum per textum *in l. qui ad certum, ff. locati*, atque huic ſecundæ opinioni adhærere videtur *Baldus in d. l. hac edictali C. de ſecundis nuptijs num. 8.* dum aſserit, quod ille, qui non poteſt alienare per pactum, debeat facere, & curare, ne alienatur ex diſpoſitione legali per textum *in l. Codicillis § penult., ff. de legat. 2.*, & in terminis præſentis controuerſiæ ſtatuit, quod vxor non debuit dare tantàm dotem, vt ex forma ſtatuti lucrum tranſcenderet legalem menſuram, & quod eſt vltra quoad hunc effectum lucrandi, non valeat *per Gloſam in l. ſi ità, quis § ea lege, ff. de verb. oblig.*; hocque idem videtur ſtatuiſse *in l. vnica C. de inoff. dom., & in l. ea lege C. ad cond. ob. cauſ.*

Sententia affirmans.

Hæc tamen intellige, niſi per tale ſtatutum, vel expreſsè, vel per verba æquivalentia fieret derogatio diſpoſitioni iuris *in l. hac edictali C. de ſecundis nupt.*, quandòquidem tunc diſpoſitio ſtatutaria non poſset ab eadem *l. hac edictali* interpretationem accipere, prout notat *Ludouicus Romanus conſ. 44. incip. Ex ſupra narrato themate num 6. in fin.* nam re vera per ſtatuta municipalia poteſt fieri derogatio iuri communi, vt videre eſt in pluribus ſimilibus. Sed, an ea, quæ dicuntur in hac limitatione, intelligenda ſint nullis extantibus liberis ex priori matrimonio, an verò etiam eiſdem extantibus dijudicandum erit ex verbis

Magis probabilis videtur ſecunda ſententia affirmans.

ſtatuti

Digitized by Google

ſtatuti, ſi etenim per eadem expreſsè fiat derogatio iuri communi, vel talia verba ſint adeo prægnantia, vt videantur quemcunque caſum comprehendere, tunc certè ſentiendum eſt, etiam extantibus filijs ex priori matrimonio ſecundo marito acquiri, quidquid eſt eidem collatum ſupra taxam ſtatutam in hac *lege hac edictali*, dummodò non fiat præiudicium filijs prioris matrimonij in ijs, quæ ipſis competunt de iure naturæ, nempe quoad legitimam; ſi verò non fiat illa derogatio expreſſa, vel per illa verba, prægnantia, probabilius eſt exiſtentibus filijs prioris matrimonij non acquiri per ſecundum maritum illum exceſſum, quià ſtatuta vtpotè derogatoria iuris communis ſunt ſtrictè interpetanda, & ſufficit, quod verificentur in aliqua tantum parte, quod in præſenti eueniet, quandò ex priori matrimonio nulli extant liberi.

13 Coniux eo ipſo, quod tranſit ad ſecunda vota, amittit proprietatem omnium bonorum, quæ cõſecutus eſt à coniuge prædefuncto.

Assertio II. Secunda pœna eſt, vt eo ipſo, quod coniux tranſit ad ſecunda vota, amittat proprietatem omnium bonorum, quæ à coniuge prædefuncto conſecutus eſt, & ea transferat ad filios prioris matrimonij retento ſolo vſufructu. In hanc aſſertionem omnes ferè propendent, & intèr cæteros *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 88. num. 2. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 11. num. 275.*

Expreſsè colligitur, *ex l. fœmina C. de ſecundis nuptijs, & ex auth. de nuptijs §. hinc alia verſ., ſed quanta.*

14 Æquè verificatur, ſiue in ordine ad vxoré, ſiue in ordine ad maritũ.

Amplia primo hanc aſſertionem, vt non ſolum procedat quoad mulierem ſecundo nubentem, ſed etiam quoad maritum poſt mortem vxoris tranſeuntem ad ſecunda vota, prout docet *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. num. 276. Angelus, Salicetus, Baldus, & alij ſcribentes in d. l. fœmina C. de ſecundis nupt., & in l. generaliter C. eod. tit. Antonius Gabriel. lib. 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 1., 2. & 3. Stephanus Gratianus tom. 3. diſcept. for. in addit. ad c. 519. Rota Rom. deciſ. 639. apud Farinacium in recent. par. 2.*, & expreſsè colligitur *ex l. generaliter C. de ſecundis nuptijs*; intellige tamen quoad ea, quæ ſunt deuoluta titulo lucratiuo.

15 Et in ordine ad quecunq; bona delata titulo lucratiuo ad ſecundũ coniugem.

Amplia ſecundo, aſſertionem procedere in ordine ad quæcunque bona titulo lucratiuo delata ad ſecundum coniugem. Expreſsè colligitur *ex d. l. fœmina C. de ſecundis nupt.* - Ibi - *Fœmina, quæ ſuſceptis ex priori matrimonio filijs ad ſecundas poſt luctus tempus ſtatutum tranſierint nuptias quidquid ex facultatibus priorum maritorum ſponſalium iure, quidquid etiam nuptiarum ſolemnitate perceperunt, aut quidquid mortis cauſa donationibus factis, aut teſtamento iure directo, aut ſi fidei commiſſi, aut legati titulo, vel cuiuslibet munifica liberalitatis præmio ex bonis priorum maritorum fuerint aſſecutæ, id totum, ità ut perceperit, integrum ad filios, quos ex præcedenti coniugio habuerint, tranſmittant.* Idem colligitur *in l. hac edictali §. his illud C. de ſecundis nupt. & l. 2. C. de indict. viduit., & l. mater ad Tertullianum, & auth. de nuptijs §. ſi vero expectes col. 4.*

16 Proprietas illorũ bonorum deuoluitur ipſo iure ad filios prioris matrimonij.

Amplia tertio, quod proprietas prædictorum bonorum ipſo iure deuoluatur ad filios prioris matrimonij. Expreſsè colligitur *ex l. generalitèr in princip. C. de ſecundis nupt.* - Ibi - *Dominium autem rerum, quæ liberis per huius legis, vel præteritarum conſtitutionum auctoritatem ſeruantur ad liberos pertinere decernimus; itaque defuncto eo, qui liberis ſeruabat, extantes ab omni poſſeſſore liberi vindicabunt*, vbi nota hanc poſtremam particulam, *vindicabunt*, quæ ſupponit dominium in vindicante per textum *in l. in rem ff. de rei vendicatione*; Neque obeſſe poteſt textus *in l. traditionibus C. de pactis*, vbi dicitur, quod dominia rerum non transferantur nudis pactis, ſed traditionibus, & vſucapionibus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quamvis hoc regularitèr procedat, fallit tamen quandòque in pleriſque, & primo in venditione rei determinatæ in indiuiduo. Secundò, quando lex immediatè alicui aufert dominium rei ſuæ, & in alterum transfert, vt euenit in præſenti hypotheſi, & docet *Nicolaus Arelacanus in d. l. generaliter num. 96. in noua edit. C. de ſecundis nupt.*

Circa ea, quæ dicta ſunt in præſenti aſſertione, nonnulla veniunt dubia maximè controuertibilia examinanda, quæ mox profero, & diluo. Primum eſt, an mater binnuba poſſit pro ſuo arbitrio quoad illa bona, quæ titulo lucratiuo acquiſiuit à primo marito, præferre aliquem in particulari filiorum prioris matrimonij, illiuſque conditionem in aliqua parte meliorare. Iuxtà textum *in l. Generalitèr in principio verb. diuidendi, & l. fœmina item in princip. C. de ſecundis nuptijs*, videtur reſpondendum vtique poſſe præferre. Nihilominus ſentiendum eſt, non poſſe, quià prædicta iura correcta intelliguntur per ius authenticorum *in aut. lucrum C. de ſecundis nupt.* - Ibi - *Lucrum hoc æqualiter inter liberos diſtribuitur, non arbitrio parentis permittitur*, & vtique iure merito hæc correctio inducta eſt, quandòquidem proprietas ipſorum bonorum iure ipſo immediatè deuoluitur ad eoſdem filios eiuſdem matrimonij, qui æquale ius habent; & hoc idem decernitur *in auth. nupt. §. veniens collat. 4. & auth. de non eligen. 2. nub. §. proſpeximus col. 1.*

17 Mater binnuba non poteſt que ad bona titulo lucratiuo acquiſita à primo marito meliorare cõditionem vnius ex filijs.

Secundum eſt, an coniux binnubus non ſolum teneatur bona acquiſita à priori coniuge immediatè titulo lucratiuo reſeruare filijs prioris matrimonij, in eiſque

quoad

18 quoad illos ſeruare æqualitatem, ſed etiã bona, quæ ex ſucceſſione filij prioris matrimonij, in quibus filius parenti prædefuncto ſucceſſerat, habuit, adeò vt, nec in eiſdem poſſit pro arbitrio inter filios ſuperſtites inæqualitatem conſtituere. Cui breuiter occurro aſſerens, teneri eadem bona, quæ ex filij ſucceſſione acquiſiuit, reſeruare filijs prioris matrimonij, nec poſſe de illis diſponere potius in fauorem vnius, quam alterius ex filijs eiuſdem matrimonij, ſed æqualiter inter ipſos diuidere *Gutierez lib. 3. pract q 43 n.25. ſtatim in princip. Molina tom 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 163. col. 3. not. 3. Sanchez de matrimon lib 7. diſp 89. num. 4 Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. n. 323. Carpanus ad Stat. Mediol. c. 303. n. 113. Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 6. q. 8. ſect. 2.* Expreſsè colligitur *ex auth. de nuptijs §. hinc nos verſ. ſi autem inteſtatus*, vbi loquitur textus de bonis paternis, quæ ex filij ſucceſſione conſequitur mater ad ſecunda vota tranſiens; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod *in auth. de non eligendo 2 nubente § proſpeximus, & auth de nuptijs § veniens, & auth lucro C. de ſecundis nupt.* ſolum fiat correctio quoad bona, quæ mulier ſecundo nubens immediatè acquiſiuit à priori marito, non autẽ quoad bona, quæ ex ſucceſſione filij eadẽ mulier acquirit, in ordine ad quę propterea vigere videtur ius Codicis *in d. l. fæmina, & l generalitèr C. de ſecundis nuptijs*, per quod eidem coniugi binnubę permittitur potentia libere diſtribuendi inter filios prioris matrimonij; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, ex quo reſeruata eſt proprietas bonorum filijs prioris matrimonij, vt concedunt etiam Aduerſarij, non videtur collata poteſtas coniugi binnubo ſolum vſufructuario pro libertate diuidendi huiuſmodi bona, cum proprietas alicui deuicta, & obligata non cadat ſub diſpoſitione libera vſufructuarij; Quod ſi talis facultas fuerit conceſſa *in d. l fæmina, & l. generalitèr C. de ſecundis nupt.* hoc fuit ex ſpeciali iure, quod poſtea merito correctum eſt; vndè ex natura ſua non erat liberum coniugi binnubo illa pro libertate diſtribuere, ex quo eruitur quidem, quod iura authenticorum allegata non feriant huiuſmodi bona ex ſucceſione filij acquiſita, ſed, cum hæc non contineantur, vt fatentur Aduerſarij, in illa diſpoſitione *l. fæmina, & l generaliter C. de ſecundis nupt.* remanent in ſuo iure naturali, ſecundum quod, cum ſint quoad proprietatem deuicta, & obligata alteri, ſeu ſint propria ipſius, non cadunt ſub diſpoſitione vſufructuarij.

Nec poteſt meliorare cõditionẽ vnius ex filijs, nec etiã in bonis, quæ in ſucceſſione filijs prioris matrimonij habuit.

Tertium eſt, an, ſi coniux tranſiens ad ſecunda vota, bona, quæ acquiſiuit à priore coniuge, diſtraxerit eadem alienando, integrum ſit filijs prioris matrimonij viuente eodem coniuge alienante eadem reuocare. 19 Affirmat integrum eſſe eiſdem reuocare *Baldus in d l. generalitèr § in his C. de ſecundis nuptijs*, qui ea ratione mouetur, quod, cum proprietas prædictorum bonorum ipſo iure deuoluatur ad filios prioris matrimonij, vtique coniux binnubus ipſorum parens iniuſtè agit non ſuam, ſed eorum ſubſtantiam alienando. Nihilominus probabilius eſt, viuente coniuge binnubo eorum parente non poſſe reuocare *Antonius Gomez l. 5. Tauri nu 5. Gutierez de matrimon c. 109. n. 14. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 89. nu. 7.*, quibus adhærere videtur *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. nu. 326.* hocque ſatis concludenter colligitur ex textu *in §. ſed quod ſanctum eſt auth. de nuptijs*, vbi poſtquam dictum fuerit coniugem binnubum amittere proprieratem bonorum, quæ acquiſierat à priore coniuge, ſubditur *Non vt prohibeat eos aliqua agere in ijs, quæ voluerint. Erubeſcit enim lex caſtigatores filios genitoribus ſtatuere*; nec obſtant ea, quæ ex aduerſo aſſerebantur; licet enim proprietas ipſo iure deuoluatur ad filios prioris matrimonij, non tamen eandem poſſunt ad ſe atrahere viuente parente, quinimmò, ſi præmoriantur ipſi parenti in fauorem eiuſdem conſolidatur proprietas cũ vſufructu, vt infrà videbimus; ex quibus vtique ſequitur, quod viuente ipſo parente non poſſint bona illa vindicare per textum *in l ſin autem C. communia de leg.* Sed hic nonnulla corrollarla ad hoc tertium dubium ſpectantia ſunt diluenda.

Si coniux binnubus alienauerit bona acquiſita à primo coniuge non poſſunt filij prioris matrimonij ea reuocare ipſo viuente.

20 Corrollarium primum eſt, an ſi prædicta bona, quæ ex diſpoſitione iuris quoad proprietatem ſunt reſeruanda filijs prioris matrimonij, non fuerint quidem per parentem eorum binnubum alienata, ſed conſumpta, teneantur ipſo mortuo hæredes eiuſdem eiſdem filijs prioris matrimonij reſtituere æſtimationem prædictorum bonorum. Negant aliqui, quià, quantumvis eidem parenti binnubo ſit prohibita alienatio eorundem bonorum, non eſt tamen interdictus vſus, vndè ſi in illo vſu, & fruitione bona illa depereant, pereunt Domino *arg. l. penult., & fin., ff. quemadmodum ſeruitus amittatur.* Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, hæredes parentis binnubi prædefuncti teneri reſtituere eandem æſtimationem filijs prioris matrimonij, ſi tamen culpa ipſius parentis bona illa fuerint conſumpta. Aperte deducitur *ex d. l. fæmina in fin princip., & d l. generalitèr in princip. C. de ſecundis nupt.*, quià licet eidem parenti binnubo permittatur vſus, intelligitur tamen ſemper ſalua ſubſtantia.

Si coniux binnubus, ea bona cõſumpſerit, tenẽtur hæredes eiuſdẽ æſtimationem illorũ tradere filijs primi matrimonij.

Corrollarium ſecundum, an, ſi vſusfructus bonorum, quæ quoad proprietatem ſunt reſeruanda filijs prioris matrimonij

pro

Digitized by Google

21 Vſuſfructus remanens in conſumptus ad mortem coniugis binnubi debetur hæredibus eiuſdem.

pro tempore mortis coniugi: binnubi maneat inconſumptus pertineat ad eoſdem filios prioris matrimonij, an verò ſit transferendus ad hæredes eiuſdem coniugis binnubi defuncti. Crauetta *conſ.* 194. ſentit pertinere ad filios prioris matrimonij, tanquam quid ex bonis prioris coniugis proueniens, & vſuſfructus eidem coniugi binnubo conceditur, prout inſeruire poteſt ipſius vtilitati, dum agit inter viuos, non autem ipſius hæredibus poſt ipſius obitum. Contrarium ſentit, & quidem congruentius *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. forenſ. lib. 1. quaſt. 29. num.* 18., quià iura ſine vlla limitatione pro tempore eiuſdem vitæ, concedunt huiuſmodi vſumfructum coniugi binnubo, vndè computandus eſt inter patrimonium eiuſdem, qui proptereà defertur ad ipſius hæredes; atque hoc idem ſentit *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap* 11. *nu.* 328.

Corrollarium tertium, an, ſi mater poſt obitum prioris mariti alienauerit bona aliqua ab eodem acquiſita, & facta tali alienatione poſteà tranſierit ad ſecunda vota poſſint filij prioris matrimonij ante, vel poſt obitum matris eadem bona ſic alienata vendicare. Videtur abſolutè negandum, quandòquidem talis alienatio facta eſt pro tempore habili, pro quo mater non erat interdicta alienare, cum ſolum ius ad prædicta bona amittat per tranſitum ad ſecundas nuptias, & ſicuti, ſi alienaſset, & non tranſijſset ad ſecunda vota filij prioris matrimonij non poſsent reuocare talem alienationem, ita nec videntur poſse reuocare, quandò alienatio facta eſt ante ſecundas nuptias, licet iſtæ poſteà fuerint initæ, cum iam alienatio fuerit conſummata pro tempore habili. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, vtique filios prioris matrimonij poſt obitum matris poſse illam alienationem reuocare, *Antonius Gomez ad l.* 5. *Tauri num.* 5. *Gutierez. de matrim. cap.* 109., qui aſserunt hoc euinci per textum *in* §. *hoc autem in auth. de non eligen. ſecundo nubente*. Ratio huius noſtræ opinionis ex eo deducitur, quià bona, quæ mulier acquirit à primo marito in ipſam tranſeunt eo onere, & conditione, ſi non tranſierit ad ſecunda vota, & ab initio intelliguntur affecta hac qualitate, quam ſemper retinent, ergò, ſi tranſierit ad ſecunda vota non tranſeunt quoad proprietatem ad ipſam; nec referre poteſt, quod alienata fuerint ante eaſdem ſecundas nuptias, quandòquidem eadem bona eo ipſo, quod tranſierunt ad vxorem à primo marito contraxerunt illam qualitatem, & conditionem à qua pro toto tempore eiuſdem vxoris nequeunt depurari; iura etenim reſpexerunt fauorem filiorum primi matrimonij, ne facili à matre deſerantur; hic autem fauor æquè militat, ſiuè tranſeat ante alienationem ad ſecunda vota, ſiuè ſubſequentèr ad illam.

22 Si ante ſecundas nuptias mater bona aliqua prioris coniugis alienauerit, & deindè ſecundo nupſerit poſſunt filij prioris matrimonij mortua matre eadem reuocare.

Corrollarium quartum. An, ſi filij prioris matrimonij non fuerint hæredes patris poſſint nihilominus reuocare bona titulo lucratiuo acquiſita à matre, & ab eadem alienata. Affirmatiuè reſpondent *Antonius Gabriel. comm. opin. lib* 3. *tit. de ſecundis nupt. concl.* 1. *num.* 4 *Vrſillus ad Afflictum deciſ.* 314. *num.* 3. *Carpanus ad Stat. Mediolani cap.* 303. *num.* 21 *Rolandus à Valle conſ.* 95. *num.* 43. *vol.* 1. *Gaſpar Antonius Theſaurus qq for. lib.* 1. *quaſt.* 29. *num.* 13 quibus adhæreat, *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contr. cap.* 11. *num.* 330. Rationem potiſſimum ex eo deducunt, quià proprietas huiuſmodi bonorum non deuoluitur ad ipſos filios prioris matrimonij titulo ſucceſſionis in hæreditate, ſed titulo pænæ coniugis ſecundo nubentis.

23 Poſſunt reuocare, quamuis non ſint hæredes Patris.

Corrollarium quintum, an, ſi filij prioris matrimonij conſtituti fuerint hæredes matris binnubæ poſſint bona à priori marito ad ipſam deuoluta, & per ipſam alienata reuocare poſt obitum eiuſdem matris binnubæ. In hoc corrollario poteſt eſse maxima difficultas, nam pro parte affirmante militat potiſſimum ratio adducta in præcedenti, quod ſcilicet illa bona non deuoluantur filijs prioris matrimonij titulo ſucceſſionis, ſeù hæreditatis, ſed ratione pænæ coniugis ſecundo nubentis, & ſic illæſo remanente iure hæreditario quoad reliqua bona videntur filij poſse agere titulo pænæ; pro parte verò negante hac potiſſimum militat ratio, quià cum ſint propriè hæredes non poſſunt venire contra factum teſtatoris, ſeù ſui principalis, potiſſimum cum ipſi teneantur de euictione, cum induant perſonam eiuſdem principalis, ſeù teſtatoris. Huic ſecundæ ſententiæ, cui adhærent *Nicolaus Arelatanus in l. generalitèr in noua edit. num.* 120. *C. de ſecundis nuptijs, Antonius Gabriel. tom.* 3. *com. opin. lib.* 3. *tit de ſecundis nuptijs corrol.* 2. *num.* 4 libentius adhæreo proptèr rationem adductum; Nec obſtant ea, quæ ex aduerſo afferebantur, quod ſcilicet ageret ex alio titulo ab hæreditario, nempè titulo pænæ; Non obſtant, inquam, quià hæres, vt hæres non poteſt agere ex delicto ſui teſtatoris, quandòquidem induit, & quoad iura, & quoad onera perſonam eiuſdem, adeoque aduerſus ipſum non poteſt agere ex tali titulo.

24 Si filij prioris matrimonij fuerint hæredes matris binnubæ non poſſunt bona per ipſum alienata reuocare.

Quartum dubium, eſt ex inueſtigando in ordine, ad quæ bona procedat diſpoſitio *d. l. fæmina, & l. generalitèr C. de ſecundis*

Digitized by Google

cundis nuptijs. Circa, quod plura dico, & primo in vniuerſum regulariter venire omnia bona, quæ coniux binnubus titulo lucratiuo acquiſiuit ex patrimonio alterius coniugis præmortui, ſiuè ex vltima voluntate, ſiuè ex titulo donationis

24 Nomine bonorum, quæ coniux binnubus amittit veniunt bona titulo lucratiuo acquiſita à priori coniugè.

Oldradus conſ. 33. num 3 Ripa in d. l. fæmina in princip. in noua edit. q 19. num. 51. Boerius deciſ. 185. num. 7. Molina lib. 2. de primog cap. 10. num. 60. Alter Molina Theologus tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 141. verſ. dubium eſt. Hinc in particulari veniunt primo bona, quæ dantur in augmento dotis ex ſtatuto, vel conſuetudine regionis *Rota Romana deciſ 82. apud Buratum, & in Rom ina domorum 19 Ianuarij 1616., quæ eſt 96. poſt Pacificum de Saluiano interdicto, Antonius Gabriel. commun. opin. lib. 3. tit. de ſecundis nupt concl. 1. num. 5. Gerardus maiſard. deciſ. 90. lib. 3 Gutierez pract. qq. lib. 2 q 96 num 10. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon contract. cap. 11. num. 333.*

25 Bona data in augmentum dotis.

26 Donationes propter nuptias

Secundò veniunt donationes propter nuptias, prout colligitur *ex d. l. fæmina, & l. generalitèr C. de ſecundis nupt., & auth. de nuptijs § hinc nos alia verſ. quanta, Gaſpar Antonius Theſaurus qq for. lib. 1 quæſt. 29 nu 3. Borellus in deciſ. tom. 3. tit. 2. num. 51.* Tertiò veniunt arrhæ, ſeù iocalia, & omnia donata tempore ſponſalium, prout expreſsè colligitur *in d. l. fæmina C. de ſecundis nupt.*, Ibi - *Quidquid ex facultatibus priorum maritorum ſponſalium iure, quidquid etiam nuptiarum ſolemnitate percepit*, quod idem habetur *in auth. de nuptijs §., ſed hæc quidem* Ibi - *aut in dotem, aut ſponſalitiam largitionem*; atque hoc idem ſentiunt, *Rodericus Suarez in repet. l. quoniam in prioribus limit. 10. ad l. ſori num. 1. C. de inoffic. teſtam Villalobos in comm. opin lit A verbo Arrha num. 142. in fin. Vincentius de Franchis deciſ. 428 p. 2.*, & alij apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrimon contract cap 11. num. 336* Hæc, quæ dicuntur de ſponſalitia largitate de donationibus propter nuptias, vel iure ſponſalium æquè intelligenda ſunt de donatis vxori à conſanguineis mariti contemplatione matrimonij, ſeù intuitu mariti, vel viceuerſa de donatis marito à conſanguineis vxoris contemplatione eiuſdem; hæc etenim, quandò alter ipſorum altero prædefuncto tranſit ad ſecundas nuptias ſunt reſeruanda quoad proprietatem filijs prioris matrimonij, prout docent *Surdus deciſ. 118 num 9. Gaſpar Antonius Theſaurus qq for. lib. 1. q. 29 num. 4 Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap 11 num 337* aduerſus *Romanum conſ. 405. Gutierez de matrimon. cap. 109. nu 31. Didacum Caſtellum in l. 15. Tauri, & Vaſquez opuſ. de teſtam. cap. 7. dub. 5. num. 14.* Ratio ex eo deducitur, quià textus in *d. l. fæminà, & in aut. de nuptijs §. ſi verò expectat*, abſolutè dicit, quod mulier tranſiens ad ſecunda vota amittat quoad proprietatem ea bona, quæ quocunque titulo lucratiuo conſecuta eſt intuitu prioris matrimonij, ſeù à priori marito, ſed bona, quæ conſecuta eſt à conſanguineis prioris mariti intelligitur conſecuta intuitu illius matrimonij, & contemplatione mariti prioris, ergò &c. Confirmatur ex ijs, quæ docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalibus 3. prænot. 12. num. 3 verſ inferes ſecundo*, quod ſcilicet attento iure communi donata à conſanguineis ſponſi ſponſæ poſt obitum eiuſdem ſponſi non acquirantur ſponſæ, ſed reſtituenda ſint hæredibus eiuſdem ſponſi per tradita per *Baldum in l. penult. §. ſeruos, ff. ſolut. matrimon Bartolus in l. ex annuo, ff. de donat. inter vir., & vxor. Romanus conſ. 172. num 1. Alexander conſ. 155. ad fin. vol. 7. Alexander in l is, qui quadringenta § dos legata nu. 5. ff. ad leg falcid. Alciatus conſ. 241. in princip. Cagnolus in l. contractus num. 44. cum ſeq. ff de reg. iur*, ergò perinde eſt, ac ſi tradita fuerint ab eodem ſponſa cum collata fuerint contemplatione eiuſdem per proprios conſanguineos.

27 Item arrhç, ſeù iocalia.

28 Item omnia, quæ titulo lucratiuo acquiſiuit intuitu prioris matrimonij.

Quoad arrhas verò ſpecialiter eſt ratio dubitandi, prout ſumuntur iuxta morum hiſpanum, quatenus ſcilicet conferuntur in remunerationem pudicitiæ, ſeu nobilitatis, vel dotis per ea, quæ docuimus *tom 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 3. Diſq II §. 1. n 2.* Circa quas eſt abſolutè aſſerendum, quod, ſi ſint in remunerationem nobilitatis, vel iuuentutis, vel aliquo titulo oneroſo permanere debeant quoad ipſam vxorem, quantumvis binnubam, *Gaſpar Antonius Theſaurus qq foren. lib. 1. q 29. n. 4. Gabriel commun. opin. lib. 3. tit. de ſecundis nupt. concl 1. num. 43. Didacus Perez in lib 6 tit 2 lib 4. Fontanella de pactis nupt clauſ 5. gloſ 1 part. 2. n. 97. Tiraquel de nobilit. c. 18. nu. 19.* Ratio horum omnium inde deducitur, quià talia bona cum collata ſint titulo quodamodo oneroſo, & ex iure ſe tenente ex parte eiuſdem fœminæ videntur facta propria eiuſdem. Hæc tamen intelligenda ſunt, quando ex parte fœminæ reſultat titulus dignus remuneratione, qui non compenſetur ex alio titulo in maſculo exiſtente, tunc etenim cum fieret compenſatio tituli ad titulum arrhæ ipſæ non intelligerentur cedere in remunerationem. Hoc contingeret in hypotheſi, qua maritus eſſet quidem ſenex, & valdè nobilis, & diues, & fœmina quidem iuuenis, & pulchra, ſed ignobilis, & pauper; tunc etenim ſenectus in maſculo compenſaretur per ignobilitatem, & paupertatem in fœmina, & in his ſimilibus.

29 Non veniunt tamen arrhæ, quæ iuxtà morem hiſpaniæ conferuntur in remunerationem.

Veniunt quartò, donata inter viuos, vel

in

Digitized by Google

30
Veniunt donata inter viuos à marito vxori, vel in vltima voluntate.

in vltima voluntate à marito vxori *Beeſtius deciſ* 185 *&* 186. *Grammaticus caſ.* 153. *in ciuil Vrſil. ad Affitc deciſ.* 75. *n.* 10. hocque expreſsè colligitur *ex d. l. famina, & l. generaliter C. de ſecundis nupt.* Intellige, quod per tranſitum ad ſecundas nuptias amittat quoad proprietatem, non quoad vſumfructum. Quid autem ſentiendum ſit

Intelligè quoad proprietatem, & quoad vſumfructum.

quando maritus in vltima voluntate reliquit vxori legatum cum expreſſa conditione non tranſeundi ad ſecundas nuptias, an ſcilicet in ea hypotheſi, ſi tranſeat ad eaſdem ſecundas nuptias idem legatum amittat non ſolum quoad proprietatem, ſed etiam quoad vſumfructum? Probabilius ſentiendum eſt amittere etiam quoad vſumfructum *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.* 11. *n.* 345., qui dicit hoc eſſe citra omne dubium, & expreſsè colligitur *ex §. ſi vero ſolum c.* 34. *in auth. de ſecundis nupt.* Quid verò ſentiendum ſit,

31
Amittit legatū, quāuis eidem facta fuerit facultas libere de eodem diſponēdi.

ſi maritus reliquerit in vltima voluntate vxori legatum eidem facta facultate de eodem libere diſponendi; an ſcilicet, ſi tunc tranſeat ad ſecunda vota ipſum legatum amittat quoad proprietatem? Probabilius exiſtimant amittere *Antonius Gabriel commun. opin. lib* 3. *tit de ſecundis nuptijs concl* 1. *n* 11. *Marchus Antonius Theſaurus qq foren. lib.* 1 *q.* 29. *nu.* 7. ea moti ratione, quod maritus ſic diſponens intelligitur diſponere ſub tacita conditione, ſi mulier permanſerint in viduitate relatiuè, ſeu interpretatiuè ad diſpoſitionem textus *in l. ſi quando C. de inoffic. teſt.*

32
Legatum relictum à priori marito vxori ante ſecūdas nuptias poteſt illud exigere præſtita tamē cautione de eodem cum fructibus reſtituendo.

Hic ſolum remanet examinandū, an, ſi per priorem maritū fuerit relictum vxori in vltimo teſtamento legatum ſub conditione expreſſa, ſi manſerit in viduitate, & non tranſierit ad ſecunda vota poſſit eadē mulier immediatè illud conſequi, & qua ratione, & quid poſteà eſſet agendum, ſi poſtquam conſecuta fuerit legatum tranſierit ad ſecunda vota? Reſpondendum eſt intra annum vxorem non poſſe illud legatum petere, niſi ſpes nuptiarum deficiat; poſt annum verò poſſe petere præſtita tamen cautione de re cum fructibus reſtituenda, ſi ad ſecunda vota tranſierit. Hoc expreſsè colligitur *ex auth cui relictum C. de indict. vid. ſol.*, *& auth de nuptijs §. qua vero verſ. ſancimus.* Hic autem annus computandus à die mortis teſtatoris non à die ſcientiæ *Gloſa, & Baldus in d. auth. cui relictum C. de ind. vid. col. Sanchez d. lib.* 7. *diſp* 87. *nu.* 29. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.* 11. *num.* 312.

33
Amittit bona, quę acquiſiuit ex ſucceſſione ab inteſtato alicu, & filijs prioris matrimonij.

Veniunt quinto bona, quæ mater conſecuta eſt ex ſucceſſione ab inteſtato alicuius filij prioris matrimonij, quæ propterea vxor tranſiens ad ſecundas nuptias tenetur reſtituere filijs prioris matrimonij, nec poteſt alienare, cum ſolum acquirat vſumfructum *Antonius Gabriel commun. opin. lib.* 3. *tit. de ſecundis nuptijs concl.* 1., 2. *&* 3. *Couarruuias de ſponſal part.* 2 *cap* 3. § 9. *n.* 5. *Gutierez de matrimon. c.* 109. *Fontanella de pact nupt. clauſ.* 5. *Gloſa* 8. *par.* 11. *n.* 33. *& & ſeqq* hæcque conſonant cum ijs, quæ ſupra diximus *in hac eadem prænot. aſſert.* 2. *verſ. ſecundum eſt, an coniux binnubus*, ad quæ vos remitto, & æquè intelligenda ſunt, ſiue mater ſucceſſerit filio, vel filiæ morienti in pupillari ætate, ſiue poſt pupillarem ætatem, cum iura in hoc non diſtinguant. An verò coniux binnuba teneatur reſeruare filijs prioris matrimonij bona, in quibus ab inteſtato ſucceſſit alteri ex filijs prioris eiuſdem matrimonij, quæ idem filius, cui ſucceſſit, habuit non à Patre, vel matre, ſed ab Auo, vel Auia; Negat *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract c.* 11. *n.* 313, qui etiam pro ſe adducit *Antonium Gabriellem comm. opin. lib.* 3. *tit. de ſecundis nupt. concl.* 3. *num* 16 *&* 32. *Gutierez d. c* 109. *n.* 70. *Maribam de ſucceſ. part.* 2. *q.* 2. *art.* 1. *n* 19. Sed non libenter annuerem huic aſſerto, quandòquidem, quæ obueniunt Nepoti, vel Nepti ab Auo, vel Auia intelliguntur obuenire quodamodo à Patre, vel Matre: & in ſimilibus Auus, & Auia computantur pro Patre, & Matre, & ea bona intelliguntur obueniſſe Nepoti contemplatione Patris, vel Matris; atque hoc ſuſtinent *Matienzo lib* 5 *recop. tit* 1. *l* 3. *gloſ* 2. *nu* 15 *Molina tom* 1 *de iuſtitia tract.* 2. *diſp* 162. *col* 3. *not* 3.

prioris matrimonij.

34
Etiam, ſi illa bona filius acquiſierit ab Auo, vel Auia.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod iura allegata ſint pænalia, & loquuntur de bonis, quæ obuenerunt filijs de ſubſtantia paterna; in pænalibus autem nomine ſubſtantiæ paternæ non venit aucta; item, quod huiuſmodi pæna inducta ſit propter iniuriam, quæ infertur priori coniugi prædefuncto per tranſitum ad ſecundas nuptias; hæc autem iniuria ita rigorosè non infertur alijs aſcendentibus à priori marito, propter quas rationes abierunt in contrariam ſententiam *Bartolus auth. ex teſtamento nu.* 2. *C. de ſecundis nuptijs. Angelus Inſtit. de Senat. conſ. Tertul.* § *præferuntur n.* 15. *verſ. quid autem Garronis dicauth. ex teſtamento in noua edit. poſt notabile* 7. *n* 43. *Antonius Gabriel tom.* 3. *comm opin. lib.* 3. *tit. de ſecundis nuptijs concl.* 3. *nu.* 16. Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quià, quantumvis huiuſmodi iura ſint pænalia afficiunt tamen delinquentem in ordine ad ea omnia bona, quæ proueniunt à Patre, vel contemplatione Patris, & licet formalitèr proueniunt filio ab Auo proueniunt tamen radicaliter à Patre, quià collata intelliguntur intuitu Patris, & proportionali ratione, qua diximus ſupra, quod bona relicta, ſeu collata ſponſæ à conſanguinis ſponſi cum intelligantur collata contemplatione eiuſdem ſponſi intelligantur bona eiuſdem ſponſi, ac perinde,

Vu ſi ab

Digitized by Google

ſi ab eodem fuerint collata; Non ſecundùm; quià cauſa finalis adæquata, ob quam inducta fuit huiuſmodi pœna non eſt ſola iniuria collata priori marito prędefuncto, ſed etiam filijs prioris matrimonij, & etiã aliqualiter aſcendentibus eiuſdem, adeòque &c. Limitarem tamen hoc aſſertum quoad ea, quæ filius prioris matrimonij,

35 Limita..., niſi filius ſucceſſiſſet Auo, vel Auiæ titulo oneroſo.

cui mater binnuba ſuccederet ab inteſtato acquireret, ſeu acquiſiuit ab Auo, vel Auia titulo oneroſo, quià tunc huiuſmodi bona primo iure pertinerent ad eundem filium, ſicque mater ſuccedens ab inteſtato non ſolum ea acquireret quoad vſumfructum, ſed etiam quoad proprietatem per textum *in l. fœmina in princip. C. de ſecundis nuptijs* - Ibi - *Donationibus factis, vel cuiuslibet munifica liberalitatis præmio*. Hac eadem ratione mater tranſiens ad ſecundas nuptias, & ſuccedens ab inteſtato filio prioris matrimonij acquireret pleno iure, & quoad vſumfructum, & quoad proprietatem bona, quæ ipſe filius acquiſiuit ab extraneo, ſeu propria induſtria comparauit, nec teneretur reſeruare filijs prioris matrimonij per textum *in l. mater 5. C. ad Tertul & auth. de nuptijs § binc nos alia verſ. ſed quanta quidem col. 4.*, hocque in ordine ad hæc bona extrinſecus acquiſita à filio verificatur, ſiue mater binnuba ſucceſſerit eidem filio prædefuncto ante tranſitum ad ſecundas nuptias, ſiue ſubſequenter ad illum, prout colligitur *ex auth. de nuptijs § hinc nos alia verſ ſed quanta quidẽ col. 4* - Ibi - *& quanta quidem, quæ ex paterna ſubſtantia ad filium peruenerunt, eorum ſolummodo habet vſum ad ſecundas omninò, ſiuè prius, ſiuè poſteà veniens nuptias; in reſiduis verò omnibus rebus, quæ aliundè erant filio propter paternam ſucceſſionem veniat ſecundam vocationem noſtram*, per quem textum corriguntur omnia iura, ſi quæ fortè indicant matrem binnubam acquirere pleno iure ab inteſtato bona à filio extrinſecus acquiſita, ſi ſuccedat ante tranſitum ad ſecundas nuptias, ſecus vero ſuccedat poſt tranſitum ad eaſdem, & præcipuè textus *in l. Mater C. ad Tertul.*, ex quo *Gloſa in verb coniugium*, deducit diſtinctionem, & aſſerit quod quando ſuccedit ante ſecundas nuptias pleno iure acquiras illa bona extrinſecus acquiſita à filio prædefuncto, ſecus verò ſi ſuccedat poſt ſecundas nuptias.

An verò ſub hac diſpoſitione *l. fœmina, & l generaliter C de ſecundis nuptijs*, veniant bona, quæ Pater reliquit in ſuo teſtamento filio, in quo ſubſtituit pupillariter matrem filio impuberi, an ſcilicet, ſi mater ex ſubſtitutione pupillari per mortem filij eadẽ conſecuta fuerit talia bona teneatur reſeruare filijs prioris matrimonij? Diſſidium magnum eſt inter DD. Probabiliter ſentio matrem ſic binnubam teneri bona illa, in quibus ex ſubſtitutione pupillari Patris ſucceſſit filiò prædefuncto reſeruare filijs prioris matrimonii *Franciſcus Aretinus conſ. 40. in fine, Garronis auth ex teſtamento in noua edit. à nu 5 vſque ad 18. C. de ſecundis nuptijs, Sanchez de matrimon. lib 7 diſp. 89. nu. 15.* Colligitur inprimis *ex d. textu in auth de nuptijs § hinc nos alia verſ. ſed quanta quidem col. 4.*, vbi indefinitè dicitur, *& quanta quidem, quæ ex paterna ſubſtantia ad filium peruenerunt eorum ſolummodò habet vſum ad ſecundas omnino, ſiue prius, ſiue poſteà veniens nuptias*; denegari autem non poteſt, quià illa bona, in quibus mater pupillariter ſubſtituta eſt filio impuberi peruenient ex ſubſtantia Paterna, deinde nota illud verbum, *& quanta quidem*, quod importat quidquid fuerit à Patre acquiſitum. Deindè denegari non poteſt quin per illam ſubſtitutionem pupillarem mater illa bona liberaliter à priori marito acquiſierit, cum potuerit illam pupillaritèr non ſubſtituere, quæ autem ex mariti liberalitate conſecuta eſt per tranſitum ad ſecundas nuptias tenetur filijs prioris matrimonij reſeruare per dictum textum *in l fœmina, & l generalitèr C. de ſecundis nuptijs*. Tandem, quià fortiori iure debetur matri legitima in bonis filij prædefuncti, quam illa ſubſtitutio pupillaris, ſeù bona ex illa ſubſtitutione eadem debita, quandòquidem legitima iure naturæ debetur, ſubſtitutio autem illa ex mera liberalitate ſubſtituentis; ſed mater tranſiens ad ſecunda vota tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij legitimam, quam ex filio prædefuncto acquiſiuit *Garronis in auth ex teſtamento in noua edit. n. 29. C. de ſecundis nuptijs, Peregrinus conſ. 78. nu. 4 verſ. aliud eſt, Gutierez de matrim. c. 109. n. 6. & alij magis communiter*, quià iura allegata loquuntur de omnibus bonis viri, vel vxoris prioris matrimonij, inter quæ comprehenditur legitima, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod teſtamentum illud, per quod pupillariter mater ſubſtituta eſt filio impuberi cenſeatur potius teſtamentum filij, quam Patris *Baldus conſ. 42. ad euidentiam, & conſ. 216. caſus talis eſt ſtatuto in fin. lib. 3. Boerius deciſ. 186. n. 2. Antonius Gabriel tom. 3. commun. opin. lib. 3. tit de ſecundis nuptijs concl. 3. n. 24.* mater autem ſuccedens ex teſtamento filij acquirit plene bona ipſi relicta per tale teſtamentum, & quoad vſumfructum, & quoad proprietatem per textum *in auth. C. de ſecundis nuptijs*, quià tunc parens ſic inſtitutus bona illa capit inſtar cuiuſcunque hæredis extranei; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià gratis omninò dicitur, quod tunc ſuccedat mater ex teſtamento filij, quandòquidem vniuerſum ius, quod habet mater eſt ex ſubſtitutione pupillari mariti, & reſpe-

36 Mater binnuba tenetur bona, in quibus ex ſubſtitutione pupillari patris ſucceſſit filio prędefuncto reſeruare filijs prioris matrimonij.

Rationes conuincentes intentum.

Digitized by Google

reſpectiuè Patris filij, ſeu dependenter ſolummodò à voluntate eiuſdem Patris, quam filius non potuit commutare, hocque ex liberali munificentia eiuſdem.

Ex quibus omnibus poteſt deducere, quod ſi mater binnuba à filio fuerit inſtituta, hæcque ſucceſſerit ex teſtamento eiuſdem filij poſſit gaudere bonis ſic per filium ſibi ex teſtamento relictis, & quoad vſumfructum, & quoad proprietatem, nec teneatur filijs prioris matrimonij reſeruare, ſed poſſit pro libertate de illis diſponere, quantumvis bona illa ex bonis paternis ad eundem filium deuenerint latè hoc probant *Sanchez d. lib. 7. de matrimon. diſp. 89. nu 41.*, *& Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. nu 356.* hocque colligitur *ex auth. de nuptijs § hinc nos verſ. ſic igitur* - Ibi - *Ita, & matri relinquens, ſiue inſtitutionem, ſiue legatum*, hæcque verificantur, ſiue filius, vel titulo legati, vel fideicommiſſi matri relinquat, ſiue in Codicillo, ſiue in teſtamento, prout docent *Garronis d. auth. ex teſtamento in noua edit. n. 11., & ſeqq. Antonius Gabriel tom. 3. commun. opin lib 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 3. nu. 20.*, ſiue etiam titulo donationis *Antonius Gomez l. 15. Tauri nu 1. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 89. n. 41.*

37 Mater binnuba acquirit pleno iure bona per filium prioris matrimonij ſibi in teſtamēto relicta.

Veniunt ſexto bona, quæ Pater viuens aſſignauit filiæ communi ad nubendum, & hæc prædeceſſerit abſque deſcendentibus mortuo etiam Patre conſtituente: hæc etenim bona mater binnuba tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij *Azabedo lib. 5. recopil tit 1. l 4. n. 57.* verificatur etenim, quod ex bonis patris eidem matri binnubæ obuenerint, & ſic locum habet textus *in d. l. fæmina C. de ſecundis nupt.* Sed hic oritur difficultas, an idem ſentiendum ſit quoad totam dotem, ſi hæc conſtituta fuerit filiæ communi nupturæ ex communibus vtriuſque coniugis bonis, adeò vt prædefuncta eadē filia ſine deſcendentibus, & etiam patre ex parte conſtituente teneatur mater binnuda eandem dotem quoad totum reſeruare filijs prioris matrimonij, an verò tantum quoad partem correſpondentem bonis per Patrem filiæ nupturæ relictis? Azabedo loco quo ſuprà ſuſtinet teneri matrem binnubam reſeruare totam dotem filijs prioris matrimonij, quià, ex quo eidem filiæ nupturæ aſſignata eſt, & collatā facta eſt patrimonium eiuſdem filiæ, nec amplius conſideranda, an relicta ſit, vel à Patre, vel à Matre ſecundum partem. Ex aduerſo *Sanchez* allegato cauſidico innominato *d. lib. 7. diſp. 89. num. 20.* ſuſtinet teneri reſeruare tantum partem, quæ contigit ex bonis paternis, reliquamque partem poſſe pro libertate diſponere; nec inuitus huic Sanchez opinioni adhæreo, quandòquidem licet dos illa ex communibus mariti, & vxoris bonis conſtituta factum ſit patrimonium filiæ nupturæ; non tollitur tamen quià eadem decedente ſine deſcendentibus redire debeat ad fontem, ex quo proceſſit iuribus ſic diſponentibus; ſicuti igitur pars, quæ ex bonis paternis proceſſit pleno iure redit ad eundem Patrem, non eſt, cur eodem iure pars, quæ è bonis maternis habita fuit ad eandem matrem non debeat reuerti.

38 Amittit bona, quæ prior maritus filiæ aſſignauit ad nubendum, ſi hęc mortua fuerit mortuo etiam Patre conſtituente.

39 Non tamē bona, quæ ipſa mulier eidem filiæ conſtituit in dotē ſimul cum bonis mariti,

Veniunt ſeptimo bona, quæ alter coniugum ſecundo nubens conſequitur ex bonis coniugis prædefuncti ex ſucceſſione filij primi matrimonij, ſiuè immediatè, ſiuè mediatè, quatenus vnus filius ſuccedat alteri prædefuncto, & coniux binnubus ſuccedat huic, non enim ſolum tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij bona, in quæ ſucceſſit ex obitu eius, cui ſucceſſit, ſed etiam bona, in quæ filius, cui ſucceſſit, ius acquiſiuit ex obitu alterius ante ſe defuncti *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. num. 262. Azabedo lib. 5. recopil tit. 1. l. 4.* Ratio ex eo deducitur, quià hæc bona verè ſunt paterna, & à priori coniuge obuenientia, & finis iurium obuiantium acquiſitioni bonorum alterius coniugis prædefuncti reſpectu coniugis binnubi eſt; & fuit ne ob iniuriam priori coniugi illatam ipſius bonis diteſceret.

40 Amittit item bona, quæ conſecuta eſt ex ſucceſſione filij prioris matrimonij, ſiue immediate, ſiuè mediatè.

Quintum dubium eſt, an coniux tranſiens ad ſecunda vota non amittat bona ſibi per priorem coniugem relicta ex quocunque titulo lucratiuo, ſi nulla proles ex primo matrimonio fuerit ſuſcepta? Reſpondendum eſt abſolutè non amittere. Expreſsè colligitur *ex l. fæmina in princip. C. de ſecundis nuptijs* - Ibi - *fæmina, quæ ſuceperit ex priori matrimonio filijs*, ergò nullis ex eodem ſuſceptis filijs non amittet huiuſmodi bona ſibi per priorem maritum relicta. Conſequentia probatur, primo, quià exceptio quoad filios ſuſceptos ex priori matrimonio firmat regulā quoad non ſuſceptos. Secundò, quià huiuſmodi lex eſt pænalis, & exorbitans à iure naturæ, quæ prior de reſtringenda eſt ad terminos ſecundum quos eſt concepta; lex autem loquitur quando filij ex priori matrimonio ſuſcepti ſunt. Confirmatur *ex auth. de nuptijs §. ſi verò expectat collat. 4.* Ibi: *Siquidem non habeas filios ſine periculo eſt totum ex hoc*; Nec longe perquirenda eſt ratio, cur fæmina binnuba non extantibus; ſeu non ſuſceptis filijs ex primo matrimonio non amittat bona ſibi per priorem maritum collata titulo lucratiuo, cum illa expreſsè legatur in plerisque ex allegatis textibus, eaque eſt exiſtentia, & fauor liberorum prioris matrimonij, & præcipuè *in d. l. fæmina C. de ſecundis nuptijs* - Ibi - *Quo illibata ad eos, quos ſtatuimus liberos bona, & incorrupta perueniant*, cum qua concordat textus *in l. generaliter §. in*

41 Non amittit bona à priori marito relicta, ſi nulla proles ab eo fuerit ſuſcepta.

Digitized by Google

bis autem C. eod. tit. Ne quod fauore liberorum inductum eſt; ſi igitur hæc ratio ceſſat per non exiſtentiam liberorum non eſt, cur ceſſare non debeat ea legis diſpoſitio, vt latè probat *Tiraquel in tract. ceſſante cauſa num.* 130.

Sextum dubium eſt, an, ſi ex priori matrimonio ſuſcepti fuerint filij eiſdemque adhuc exiſtentibus mater tranſierit ad ſecundas nuptias, & poſteà eidem filij matri prædeceſſerint mater ipſa acquirat bona titulo lucratiuo ſibi per priorem maritum collata. Videtur abſolutè dicendum non acquirere, quod videtur colligi ex textu *in § ſi verò expectat auth. de nuptijs* Ibi, *ſi verò ſit ſoboles, & filios ex hoc exoneratos viderit lex tunc omni largitate à viro ad eam veniente, eam ſecundum proprietatis priuat partem ſolum ei derelinquens vſumfructum*, quod idem colligitur *ibid. in verbo generalitèr*, vbi ſic legitur. *Et generalitèr dictum eſt, quod omnis eam deſerit proprietatis modus in ijs, quæ à priori viro, ad eam venerunt, & filij ea percipient, & proprietatis erunt Domini ſecundum tempus mox quo mater coniuncta eſt alij viro*, ex quibus iuribus deducitur, quod proprietas talium bonorum deferatur immediatè, & ipſo iure ad filios prioris matrimonij, & per conſequens eadem proprietate priuetur vxor, ſeù mater binnuba, ergò eandem amplius non recuperat decedentibus poſteà eiſdem filijs tum proptèr regulam, quod à priuatione ad habitum non detur regreſſus *arg. textus in l. eius, qui §. finali, ff. de iure fiſci, & in l. qui res §. aream in verbo perpetuum, ff. de ſolut.* tum proptèr regulam, quod ſemel excluſus ſemper cenſeatur excluſus *ad textum in cap. 1. §. quin etiam Epiſcopus, vel Abb in vſibus feudorum, Bartolus in l. fin. § fin num. 2., ff. ad Senat. Conſul. Tertul. Menochius conſ.* 1152. *num.* 2. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt decedentibus filijs ante mortem matris, licet poſt ſecundas nuptias ejuſdem matrem ipſam acquirere proprietatem bonorum ſibi à priori marito titulo lucratiuo collatorum, & vſumfructum quo gaudet eadem mater conſolidari, cum eadem proprietate *Sanchez de matrim lib. 7. diſp. 89. num 37. Mangil. de imput. quæſt. 7. num. 31. Carolus Antonius de Lucca in obſern. ad deciſ. Franci 655. ſub num. 2. Gabriel commun. concl. tit. de ſecundis nuptijs concl. 3. nu 29. Natta conſ. 519. num. 3. Trentacinque var. reſol. lib. 3. tit. de matrimon. reſol 3. num 8. Eminentiſſimus de Luca in tract de dote diſcurſ.* 130. Expreſsè colligitur *ex l. fæmina § illud C. de ſecundis nuptijs. Ibi Quod, ſi nullam ex priori matrimonio habueris ſucceſſionem, vel natus natiuè deceſſerint omne, quod quoquo modo perceperis, pleno proprietatis iure*

42 Si proles, quæ extitit prædeceſſerit ad ipſam non amittit bona ſibi à priori marito relicta

obtineat, atque in ijs mancifcendi dominij, & teſtandi circa quem voluerit liberam habeat poteſtatem. Hoc idem clarè etiam colligitur *in § hoc autem auth. de non elig. mul. ſecundo nub.*, vbi diſponitur, quod, ſi mulier in viduitate alienet proprietatem donationis, ſeù lucri talis alienatio ſtet in ſuſpenſo, ita vt ſi præmoriantur filij teneat alienatio, ſi autem prædecedat mater, talis alienatio non ſuſtineatur, ſed filij valeant proprietatem alienatam reuocare, quod rurſus legitur *in §. quoniam infirmas auth. de nuptijs, & in auth., ſed & ſi quis C. de ſecundis nupt.*; & etiam in hoc non locum habet cauſa finalis legis vetantis vxorem binnubam acquirere proprietatem bonorum ſibi per priorem maritum titulo lucratiuo collatorum, quandòquidem finis legis eſt fauor liberorum prioris matrimonij, qui militare nequit, ſi ijdem filij matri prædeceſſerint; Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod cauſa adæquata talis iuris prohibentis non ſit ſolus fauor filiorum præcedentis matrimonij, ſed etiam iniuria per ſecundas nuptias illata animæ prioris mariti, & etiam eiſdem filijs, quæ etiam militat, ſi ijdem prædeceſſerint matri; Non, inquam, obſtare poteſt, quandòquidem cauſa finalis duplicitèr poteſt conſiderari, vel ſcilicet, quatenus reſpicit cauſam, ob quam inducitur huiuſmodi pæna, vel quatenus ſuppoſito delicto reſpicit fauorem perſonæ in quam reſolui debet id, quod per delinquentem amittitur; licet autem cauſa finalis, primo modo ſumpta reſpiciat vtrumque, & ſcilicet fauorem filiorum prioris matrimonij, & iniuriam eiſdem illatam, ſumpta tamen ſecundo modo non reſpicit niſi fauorem filiorum, qui propterea, ſi prædeceſſerint conſolidant in matre binnuba proprietatem bonorum eidem relictorum per Patrem cum vſufructu, quantumvis verificetur cauſa finalis adæquatè motiua primo modo ſumpta, proptèr defectum ſubiecti in quo fauor ille debet recipi. Dici etiam poteſt cum *Caponio diſcept. forenſ. tom 3. diſcept. 199. num. 18. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 89. num. 35.*, quod licet duplex ſit ratio huiuſmodi iuris, tamen ita coniunctim requiritur, vt neutra ſola ſufficiat nempè iniuria illata ob ſecundas nuptias, & filios ſuperſtites eſſe quorum fauori proſpicitur.

Finis legis priuantis eſt fauor liberorum.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta

Septimum dubium eſt, (& in hoc conſiſtit ratio, quæ pro aduerſa parte afferebatur in præcedenti dubio) quomodo ſubſiſtere poſſit, quod mater tranſeundo ad ſecunda vota immediatè, & ipſo iure amittat proprietatem bonorum ſibi per priorem maritum relictorum, & deindè mortuis filijs ipſa ſuperſtes eandem proprietatem reaſſumat, cum à priuatione

43 Quomodo vxor binnuba acquirat proprietatem bonorum, quam amiſerat.

ad

Digitized by Google

ad habitum non detur regreſſus ex allegatis iuribus, & ſemel excluſus ſemper cenſeatur excluſus? Sed ad hoc erit facilè reſpondere, ſi aſſeratur huiuſmodi regulas procedere tantum in excluſionibus, & priuationibus abſolutis, & irreuocabilibus, non autem in ſuſpenſiuis, & quæ pendent à futuro euentu, quemadmodum docetur *in* §. *ſi ab hoſtibus Inſtit. Quibus mod. ius patron. pot ſol.*, & ita in terminis noſtris concludit *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 89. num 37.*, & ſimili obiecto ſatisfacit poſt alios adductos, *Ciriacus in contron. 367 num. 49.*

Octauum dubium eſt, an ea, quæ dicta ſunt, quandò filij præcedentis matrimonij præmortui ſunt ſuperſtite adhuc matre binnuba verificentur etiam, ſi vltimus ex filijs prioris matrimonij ante obitum diſpoſuerit per vltimam ſuam voluntatem de omnibus ſuis bonis, & iuribus ſibi competentibus in fauorem tertiæ perſonæ, & mentionem fecerit etiam de proprietate bonorum, quæ ex patrimonio proprij Patris titulo lucratiuo deuenerunt ad matrem binnubam; Bologninus *addit. ad Matteſyllanum de ſucceſſionibus ab inteſtat. art. 2. principali memb. 1. nu 11. Garron rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. remed. 3. ad euitandas pœnas ſecundo nubentium nu. 224.*, *& auth. ex teſtamento num 79. C. eod. tit.* ſentiunt, quod, quamvis hæredes ab inteſtato non ſuccedant in proprietate bonorum illorum, ſed hæc fiant pleno iure matris binnubæ, ſi tamen ex teſtamento per filium vltimum prioris matrimonij inſtituuntur in omnibus iuribus, & præcipuè in illa proprietate bonorum re vera in illa ſuccedant, & excludant matrem binnubam. Rationem huiuſmodi DD. in eo fundare exiſtimo, quià ex vna parte per illas ſecundas nuptias iniuria filiorum prioris matrimonij, ſeù aduerſus ipſos conſummata eſt, ex alia maximus ipſorum fauor eſt, quod de illis bonis poſſint pro libertate diſponere. Bartolus verò *in auth. de non eligendo ſecundo nubentes* §. *hoc autem nu. 1.*, *& 2 collat. 1. Baldus in auth. ex teſtamento num. 2. C. de ſecundis nupt. Ancharanus cap fin. num. 9 quæſt. 2. de ſecundis nupt. Decius cap. Eccleſia in noua edit. num. 124. verſ. item intelligitur de conſtit. Angelus de Aretio Inſtit de ſenat. Conſ. Tertull.* §. *præſeruatur num. 16. verſ. item dubitari poteſt*, & alij plures apud *Sanchez lib. 7. diſp. 89. num. 37. Mangil. quæſt. 7. num. 31. Carolus Antonius de Lucca in obſeruat. ad deciſ. Franchi obſeru. 655* ſuſtinet etiam in hypotheſi teſtamenti, & inſtitutionis hæredis proprietatem in fauorem matris binnubæ conſolidari cum vſufructu, & fieri eiuſdem matris, quibus libens adhæreo, & fundamentum huius reſolutionis deduco ex §. *quoniam infirmas auth. de nuptijs* - Ibi - *Quis enim hoc etiam infringat filijs; quibus ſolis hæc ſeruauimus, non exiſtentibus*, vbi nota illam particulam, *ſolis*, quæ reſtringit fauorem ad expreſsos, & omnes alios excludit *l. his ſolis C. de reuoc. donat.*, & efficit, vt ius ſit merè perſonale. Vlterius deduco *ex l. hac edictali* §. *his illud verſ. hoc quoque cauat C. de ſecundis nupt.*, vbi adducitur ratio propter, quam ob intentum filiorum præcedentis matrimonij mater binnuba reſtauratur in lucro proprietatis bonorum ſibi per priorem maritum collatorum amiſso - Ibi, *vt ad eandem lucrum redeat luctuoſum*; quæ ratio æquè militat, ſiuè vltimus filius prioris matrimonij alijs ſuperſtes prædeceſserit matri teſtatus, ſiuè inteſtatus, cum eo tendat ne matri afflictæ ob intentum filij addatur afflictio amiſſionis irreuocabilis proprietatis eorundem bonorum. 44 Acquirit illam proprietatem bonorum non obſtante, quod vltimus filius in illa ſibi inſtituerit hæredem.

Nonum dubium eſt, an, ſi filij prioris matrimonij conſenſerint ſecundis nuptijs propriæ matris teneatur adhuc mater illis reſeruare proprietatem bonorum ſibi per priorem maritum, & reſpectiuè eorum Patrem reſeruare. Hoc dubium ſic generatim expoſitum ſecundum varios ſenſus poteſt examinari; primo, quatenus filij prioris matrimonij præcisè conſenſum præbuerint ad vlteriores nuptias matris; ſecundo, quatenus non ſolum conſenſum præſtiterint, ſed etiam, quatenus ipſi auctores fuerint, vel promouerint ſecundas matris nuptias; tertio, quatenus non ſolum promouerint, ſed etiam remiſerint ius, quod in bonis à Patre prouentis in matrem titulo lucratiuo habent. Iuxtà primum, & ſecundum ſenſum *Sarmiento lib. 1. ſelect. cap. 4 nu. 1. 2.*, *& 4.* aſſerit matrem binnubam adhuc teneri prædicta bona reſeruare filijs prioris matrimonij. Rationem ex eo deducit, quià conſentire, & cooperari ſecundis nuptijs propriæ matris, & cedere iuri, quod filij habent ad prædicta bona ſunt, quid inter ſe omninò ſeparabile, & primum poteſt eſse ſine ſecundo; Primum eſt debitum, conforme iuri naturæ, & diuino; ſecundum omninò liberum: In ordine ad primum ſibi filij non præiudicant, quià conſentiunt actui, qui ſine ipſis peragi poteſt *arg. l. Caius cum ibi notatis, ff. de pignor. act*, *& l. quæ dotis ff ſoluto matrim. Tiraquel. de retract. lignag* §. *1. gloſ. 9. num. 149.* Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo, quod ſiuè liberè conſentiant filij ſecundis nuptijs matris, ſiuè eiſdem cooperentur, ſiuè etiam cedant iuri ſuo in ordine ad prædicta bona non teneatur mater binnuba filijs prioris matrimonij reſeruare proprietatem bonorum ſibi per priorem maritum 45 Si filij prioris matrimonij, & ſenſerint ſecundis nuptijs matris hæc pleno iure acquirit bona ſibi per prioré maritum relicta.

maritum titulo lucratiuo collatorum.

In hanc noſtram ſententiam propendent *Romanus ſingul.* 248. *incip. tu ſcis*, *Decius l. nemo fraudare*, *ff. de reg. iur.*, *& conſ.* 206. *num.* 3. *vol.* 2. *Cremenſis ſing.* 74. *ſi maritus legauit*, *Boerius deciſ.* 185. *num.* 20. *Garronis rub. de ſecundis nuptijs in noua edit. n.* 116. *remed.* 2. *ad euitandas pœnas ſecundo nub. Antonius Gabriel tom.* 3. *comm. opin. lib.* 3. *tit. de ſecundis nuptijs concl.* 3 *nu.* 36. *Simon de Pretis de interpret. ult. vol lib.* 1. *interp.* 1. *circa legata dub.* 10. *num.* 120. *Menochius conſ.* 156. *num.* 13. *vol.* 2. Ratio ex eo deducitur, primo quia conſenſus ille, & cooperatio præſtita per filios prioris matrimonij debet aliquem effectum præſtare ſupra id, quod competit eidem matri independentèr ab eodem conſenſu, ſed matri liberum eſt ſecundo nubere quoad ſubſtantiam independentèr ab eodem conſenſu filiorum, ergò accedente eorum conſenſu, ſeù cooperatione erit liberum nubere ſine pœna hoc eſt ſine amiſſione proprietatis bonorum ſibi per priorem coniugem collatorum. Secundò, quia huiuſmodi pœna amiſſionis proprietatis quoad bona ſibi per priorem maritum collata inducta eſt potiſſimum proptèr iniuriam collatam filijs prioris matrimonij; ſed poſito conſenſu eorundem filiorum, & multo magis cooperatione ad ſecundas nuptias matris ceſſat huiuſmodi iniuria iuxtà tritam regulam, quod ſcienti, & conſentienti non fit iniuria, ergò &c. Neque obeſſe poteſt ratio, quæ ex aduerſo afferebatur, quod ſcilicet non contradicens actui, qui abſque eo geri poteſt, ſeù conſentiens præſtet id, quod eſt debitum de iure naturæ, & diuino; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia aliud eſt non contradicere, ſeu non poſſe impedire, aliud eſt poſitiuè conſentire: primum eſt debitum, & conforme iuri diuino, & naturæ, non ſic ſecundum; adeòque &c.

46 **Non ſufficit conſenſus tacitus quomodocunque.**

Hic diſputant primò DD., an ad euitandam hanc pœnam in matre binnuba requiratur expreſſus conſenſus filiorum prioris matrimonij, an verò ſufficiat tacitus conſiſtens, vel in eo, quod filius nunquam conqueſtus fuerit de ſecundis parentis nuptijs, vt voluit nonnulli, vel in eo, quod filij valde diligebant vitricum, vel nouercam, vt ſentiunt alij. Affirmare videntur quoad hunc effectum vitandæ pœnæ *Decius conſ.* 206. *num.* 4. *&* 5. *vol.* 2. *Antonius Gabriel tom.* 3 *commun. opin lib.* 3. *tit. de ſecundis nuptijs concl.* 1. *nu* 36 *Menochius conſ.* 156. *nu.* 16. *vol.* 2. Nihilominus quoad tacitum conſenſum iuxta exempla adducta probabilius arbitror non ſufficere *Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit num.* 118. *verſ.*, *ſed an ſufficeret*, *Perez lib.* 5. *ordinam. tit.* 1. *l. fin. verſ. item tenetur*, *Azebedo*, *lib.* 5. *recop. tit.* 1. *l.* 4. *num.* 36. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 89. *num.* 44. Ratio ex eo deducitur, quià, quod filij non contradixerint, vel non conqueſti fuerint de ſecundis parentis nuptijs, ſeù etiam prædilexerint vitricum, ſeù nouercam non inducit eorum conſenſum, ſed quod ſolum acquieuerint actioni, cui, nec de iure naturæ, nec de iure diuino poterant obſiſtere; & in hoc valet regula, quod non contradicens actui, qui abſque eo geri poteſt non cenſeatur conſentire, & non contradicendo nullam ſibi inferat præiudicium per textum *in l. Caius*, *ff. de pignor. act.*, *& l. quæ dotis*, *ff. ſol. matrim.* Dixi quoad exempla adducta, nam ſi concurrant aliæ circunſtantiæ, aliiſque actus poſitiui, qui ſecundum ſe inferant non ſolum conſenſum negatiuum hoc eſt non contradictionem, ſed etiam poſitiuum, hoc eſt poſitiuam approbationem, tunc non negarem talem conſenſum ſufficere; & in hoc valeret regula Quod taciti, & expreſſi eadem ſit ratio, & iudicium. Sed, an ſufficiat aliquorum filiorum prioris matrimonij conſenſus, an verò requiratur conſenſus omnium ad euitandas huiuſmodi pœnam; ſentio abſolutè ad euitandam adæquatè hanc pœnam requiri conſenſus omnium, vndè altero tantum annuente, & conſentiente euitatur pœna ſolummodò quoad portionem ad iſtum pertinentem non quoad portionem alijs contingentem.

47 **Si concurrant cum conſenſu tacito aliæ circunſtantiæ probabilius, liberatur mater binnuba ab hac pœna.**

In hoc conſentiunt *Garronis rub. C. de ſecundis nupt. remed.* 2. *ad euitandas pœnas ſecundo nubentium in noua edit. num.* 121. *Azebedo lib.* 5. *recopil. tit.* 1. *l.* 4. *num.* 36. *Sanchez de matrim lib.* 7 *diſp* 89. *num.* 45. Ratio ex eo deducitur, quià agitur de intereſſe omnium filiorum prioris matrimonij, & vnuſquiſque ius habet ad ſuam contingentem portionem, ergò conſenſus vnius, vel alterius poterit ipſi ſolummodò præiudicare non alijs diſſentientibus, quià cum de omnium præiudicio agatur omnium conſenſus requiritur. Hoc tamen hic cautè aduertendum eſt, quod ad hoc, vt filij præbentes conſenſum ſecundis parentis nuptijs ſibi præiudicent requiratur, quod fuerint puberes, & certiorati de iure ſibi competente *Boerius deciſ.* 185. *num.* 23. *Baez de non melior. filiab. cap.* 10. *num.* 57. Ratio ex eo deducitur, quià impuberum, & ignorantium conſenſus non habetur pro libero. Quid verò dicendum ſit, ſi conſenſus impuberum auctoretur aſſiſtentia, & conſenſu tutoris; Sentit *Antonius Gabriel tom.* 3. *commun. opin. lib.* 3 *tit. de ſecundis nuptijs concl.* 1. *nu.* 36. ſufficere ad eximendam matrem binnubam ab hac pœna. Congruentius alij ſentiunt non ſufficere, cum in valdè præiudicialibus pupillis, & minoribus conſenſus tutorum, &

48 **Requiritur conſenſus omnium filiorũ ad liberãdam matrem adæquatè ab hac pœna.**

49 **Filij ad præbendũ hunc conſenſum debent eſſe puberes.**

50 **Nec ſufficit aſſiſtentia tutoris, ſi eſſet impuberes.**

Digitized by Google

& curatorum non conferat, ſed vlterius requiratur Iudicis decretum.

Diſputant ſecundo, an, ſi filij prioris matrimonij prædeceſſerint dum tamen ſuperſtites ſunt eorundem filiorum filij, qui reſpectiuè ad matrem binnubam ſunt Nepotes, an, inquam ſufficeret ad matrem binnubam eximendam ab hac pœna conſenſus eorundem nepotum ſuperſtitum. Videtur prima fronte negandum per textum *in § quoniam infirmas auth. de nuptijs*, vbi filijs prioris matrimonij reſeruatur proprietas bonorum matri relictorum per priorem coniugem, & reſpectiuè eorum Patrem priuatiuè quoad alios omnes. Ibi – *Quis enim hoc etiam infringat filijs, quibus ſolis hac ſeruauimus, non exiſtentibus*: illa etenim particula *ſolis* diſpoſitionem reſtringit ad expreſſos, & alios omnes excludit per textum *in l his ſolis C. de reuoc. donat.*, & efficit, vt ius ſit mere perſonale.

51 Mortuis filijs prioris matrimonij ſufficit conſenſus filiorũ ipſorum ad euitandum in matre binnuba hanc pœnam.

Si igitur hæc diſpoſitio reſtringitur ad ſolos filios prioris matrimonij priuatiuè quoad alios omnes ſequitur, quod ſicuti illis ſolis competit hoc ius, ità & eiſdem ſolis competat præſtare conſenſum ad effectum, vt mater binnuba euitet hanc pœnam. Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo prædefunctis filijs prioris matrimonij, & ſuperſtitibus nepotibus reſpectu matris binnubæ, qui ſint eorundem filiorum filij conſenſum Nepotum præſtitum auunculæ, vt tranſeat ad ſecundas nuptias eidem ſuffragari ad euitandam pœnam amiſſionis proprietatis bonorum ſibi per priorem coniugem collatorum *Garronis rub C de ſecundis nuptijs rem. 2. ad euitandas pœnas ſecundo nubentium num. 117 verſ. ſed, an id Menochius conſ. 155. nu 22. vol. 2. Sanchez de matrim lib. 7. diſp. 89. num 46.* Ratio ex eo deducitur primò, quià filij reſpectu Patris non ſunt hæredes quomodocunque, ſed hæredes ſui, & neceſſarij, & ræpræſentant perſonam patris, ſiue in realibus, ſiue in perſonalibus iuribus, & reſeruatio facta à iure quoad proprietatem talium bonorum cedit in eorum vtilitatem. Secundò, quià ſuperſtitibus nepotibus, nec conſenſum præſtantibus ſecundis parentis nuptijs proprietas bonorum per priorem maritum collatorum auunculæ ad ipſos deuoluitur, ergo ipſis conſentientibus non ad ipſos deuoluitur, ſed conſolidatur cum vſufructu in fauorem auunculæ. Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur dicendum eſt ad textum *in §. quoniam infirmas auth de nuptijs per ly ſolis* intelligi diſpoſitionem legis reſtringi ad ſolos filios, & excludere quoſcunque extraneos, non tamen immediatè deſcendentes ab eiſdem filijs, tum iſti, tum illis habeantur pro vna, & eadem perſona quoad effectum ſucceſſionis in iuribus, & in fauorabilibus nomine filiorum veniant etiam nepotes.

Diſputant tertiò, an ea, quæ dicta ſunt de filijs prioris matrimonij conſentientibus ſecundis parentis nuptijs, æquè intelligenda ſint de altero parente prædefuncto, ſi ante obitum conſenſerit, vt coniux ſuperſtes tranſire poſſet ad ſecundas nuptias, adeò vt idem coniux ſuperſtes habito tali conſenſu à coniuge prædefuncto, ſi tranſeat ad ſecunda vota non teneatur reſeruare proprietatem bonorum ſibi per coniugem prædefunctum relictorum filijs prioris matrimonij. Sarmiento *lib. 1. ſelectarum c. 4. nu. 3.* aſſerit teneri reſeruare, niſi vltrà conſenſum coniux prædefunctus dixerit expreſsè ſe velle, vt alter coniux non teneatur per tranſitum ad ſecundas nuptias eandem proprietatem reſeruare; atque eiſdem rationibus mouetur quas nos retulimus ſupra pro eodem Sarmiento in dubio nono, quem tamen reiecimus.

52 Si prior maritus ante obitum facultatem fecerit vxori ſuperſtiti tranſeũdi ad ſecũdas nuptias hæc euita hanc pœnam.

Nihilominus reſpondendum eſt habito conſenſu à priori coniuge ſuperſtitem tranſeuntem ad ſecundas nuptias non teneri reſeruare proprietatem illam filijs prioris matrimonij: atque in hanc opinionem conſentiunt *Baldus conſ 42 ad euidentiam num. 1. vol. 3. Paulus in auth. cui relictum n. 5. C. de indict. vid. Præpoſitus c. fin. num vlt. de ſecundis nupt Romanus ſing 248 con. 219. num. 5. Garronis rub. C. de ſecundis nupt. in noua edit. remed. 1. de pæn. 2. nubent. n. 112. Villalobos in com opin. lit. B. n. 36. & alij apud Sanchez lib. 7. diſp 89. n. 49.* Ratio ex eo deduci poteſt, quià in ea hypotheſi ceſſat iniuria, quam iura potiſſimum reſpexerunt, illata coniugi prædefuncto, quià ſcienti, & conſentienti non fit iniuria; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod iura non ſolum induxerunt huiuſmodi pęnas ob iniuriam coniugi prædefuncto illatam; ſed etiam ob iniuriam illatam filijs prioris matrimonij; potiſſimum cum pœnæ inductæ reſpiciant eorundem filiorum fauorem, adeòque requiritur etiam eorundem conſenſus ad euitandas huiuſmodi pęnas;

Obiecta propoſita, & diſſoluta.

Non, inquam, obeſſe poteſt, quià cum huiuſmodi bona ſint propria, & liberæ, ſeu fuerint talia reſpectu coniugis, qui prædeceſſit, & potuerit de illis diſponere independenter à voluntate filiorum, vtique etiam independenter ab illa cedendo iniuriæ ſibi per futuras nuptias inferendæ, eiſdemque nuptijs conſentiendo potuit pleno iure in coniugem binnubam transferre; & ſicuti, prout aſſentitur idem *Sarmiento loc. cit.* vxor binnuba eximeretur à pęna amiſſionis proprietatis bonorum ſibi per priorem coniugem relictorum, ſi prior coniux ante obitum nedum conſenſum præbuerit ſecundis nuptijs alterius coniugis ſuperſtitis; ſed etiam dixerit *Nolo ſuperſtitem amittere bonorum proprietatem*, vt etiam dicit *Gloſa auth. de nuptijs in princip. verbo ſiue vir col. 4. Angelus*

Digitized by Google

dus de Peruſio repet. l. mater n 4 C. ad Tertul. non obſtante, quod non intercelſerit conſenſus filiorum prioris matrimonij, quibus præſumitur inferri iniuria, & in quorum fauorem inducta eſt illa pæna; ità, ſi conſenſum præbuerit ad ſecundas coniugis ſuperſtitis nuptias intelligenda eſt coniux exempta à pæna talis amiſſionis non obſtante, quod filij prioris matrimonij non conſenſerint, quandòquidem ipſorum iniuria æquè eſſet, ſiuè Pater præcisè conſenſerit, ſiue etiam expreſsè vxorem binnubam exemerit à tali pæna; vndè dici poteſt, quod iniuria filiorum fundetur radicaliter in iniuria patris, qua propterea remiſſa per conſenſum præſtitum ab eodē Patre intelligitur etiā remiſſa quodamodo iniuria eorundem filiorum inſilla radicata, præcipuè cum filij nequeant retractare diſpoſitionem, & ceſſionem Patris.

Diſputant quartò, an ea, quæ dicta ſunt in præcedenti mox poſita diſpenſatione æquè intelligenda ſint in ordine ad pænas ſtatutas contra fæminas præpropere tranſeuntes ad ſecundas nuptias intra annum luctus, de quibus in præcedenti prænotione. Per ea, quæ infra dicentur nempè pænas contra præpropere nubentes intra annum luctus correctas eſſe per ius canonicum vix poteſt in hoc eſſe difficultas. Præſcindendo tamen ab hac correctione, Baldus *in l. 1 num. 8. C. de ſecundis nuptijs, Præpoſitus c. fin. nu. vlt. de ſecundis nuptijs, & alij* ſuſtinent non obſtante conſenſu mariti fæminam tranſeuntem ad ſecundas nuptias intra annum luctus non euitare pænas, eo quià ſic feſtinanter nubere eſt contra bonos mores ſaltem ciuiles per textum *in d. l. 1 C. de ſecundis nuptijs* aduerſus quos non poteſt teſtator diſponere. Alij verò arbitrantur habito conſenſu prioris mariti vxorem ſic feſtinantèr nubentem euitare pænas *Paulus l. filium quem n 3. in princip. C. famil. Ercſc. Decius rub. C. de ſecundis nupt. nu. 8. Antonius Gabriel tom. 3. comm. opin. lib. 3. concl. 1. nu. 32. Ripa l. fæmina in princip. q. 13. n. 27. in noua edit. C. de ſecundis nuptijs.* Mouentur ea ratione, quià huiuſmodi pęnæ inductæ ſunt ob iniuriam mariti ob feſtinatas illas nuptias. Sed præſcindendo à correctione iuris canonici probabiliorem arbitror primam opinionem, quià iura grauiores induxerunt pęnas aduerſus feſtinatas nuptias, ac aduerſus nuptias ſecundas ſimpliciter non niſi, quià feſtinatæ nuptiæ ſunt contrà bonos mores ciuiles, & indicant prauum concupiſcientiæ animum &c.

53 **Non euitat pænas contra nubentes intra annum luctus, ſi intra talē annum nubat etiam ex facultate mariti.**

Diſputant quinto, an, ſi coniux præmortuo altero tranſeat ad ſecundas nuptias de licentia Principis euitet pænas à iure præſcriptas, aduerſus ſecundo nubentes, adeovt non teneatur reſeruare proprietatem bonorum ſibi titulo lucratiuo per priorem maritum collatorum. Gloſa *in cap. reſcriptum verbo petenti 15 quæſt. 2.* exiſtimat per illam Principis licentiam ſolum concedi, vt euitet pænas ſecundo nubentium intra annum luctus, puta pænam infamiæ, non autem pænas, quæ inducuntur in fauorem filiorum ob tranſitum ad ſecundas nuptias ſimplicitèr; atque iuxtà hunc ſenſum intelligit ſolummodò textum *in l. ſolet, ff. de his, qui notantur infamia.* Ex aduerſo *Decius in l. 1. num. 10., & 21. C. de ſecundis nuptijs, Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. remed. 5 contra pænas ſecundo nubens n.* 129. arbitrantur ex tali Principis licentia fæminam ſecundo nubentem vitare huiuſmodi pænas per textum *in d. l. ſolet ff de his qui notantur infam* qui deindè reſpondentes obiecto aduerſantium, quo aſſerunt Principem per talem licentiam ſolum abrogare pęnis infamiæ alijſque contra feſtinanter nubentes, non autem pęnis, quæ cedunt in aliorum fauorem aſſerunt, quod cum hodie pęnæ contra feſtinanter nubentes ſint ſublatæ per ius canonicum, & priuilegium Principis debeat aliquod operari per textum *in cap. ſi Papa de priuil. in 6.* vtique talis Principis licentia referri debeat, ne ſit inanis, & vacua, ad pænas contra ſecundo nubentes ſimpliciter.

54 **Si nubet ex facultate Principis, an euitet has pęnas duplex ſententia.**

PRÆNOTIO VI.

De alijs pænis contrà ſecundo nubentes in fauorem filiorum.

SVMMARIVM.

Mulier tranſiens ad ſecundas nuptias ipſo iure priuatur tutela filiorum prioris matrimonij. 1.

Hæc pæna non afficit patrem tranſeuntem ad ſecundas nuptias. 2.

Mulier binnuba amittit etiam munus curatricis in ordine ad eoſdem filios. 3.

Probabilius per mulierem binnubam non amittitur tutela per ſola ſponſalia. 4.

Amittitur per matrimonium, quantumvis non fuerit conſummatum. 5.

Probabilius amittitur per matrimonium irritum, ſi fuerit conſummatum. 6.

Per ſecundas nuptias amittit tutelam, quantumvis teſtamentariam. 7.

Mulier binnuba amittit educationem filiorum prioris matrimonij. 8.

Hanc pænam incurrit ipſo iure. 9.

Mulier vidua nubens ſecundo contra iuramentum præſtitum de non nubendo in ſuſceptione tutelæ non reddita ratione tutelæ incurrit omnes pænas contra nubentes intra annum luctus. 10.

Præ-

Digitized by Google

Probabilius mater binnuba excluditur à tacita ſubſtitutione pupillari 11.

Quid ſit ſubſtitutio pupillaris expreſſè, & quod tacite, & quos effectus vtraque pariat. 12.

Mulier binnuba amittit iura, & priuilegia honoris, & dignitatis prioris matrimonij. 13.

Mater, ſi fuerit pauper, & filij diuites per tranſitum ad ſecundas nuptias priuatur iure exigendi ab iiſdem filijs dotem. 14.

Mulier binnuba non poteſt etiam titulo ingratitudinis reuocare donationem factam filijs excepto triplici caſu. 15.

Hæc pæna non extenditur ad maritum binnubum. 16.

Mater binnuba nequit exemplariter ſubſtituere filio mentecapto, ſurdo, muto, & prodigo. 17.

Quid ſit exemplaris ſubſtitutio. 18.

Soluuntur rationes oppoſitæ. 19.

Pater rogatus ab Auo reſtituere hæreditatem filijs, ſi tranſeat ad ſecunda vota, tenetur ſatiſdare de eadem reſtituenda. 20.

IN immenſum protraheretur præcedens prænotio, ſi ſingulas pęnas in fauorem filiorum contra ſecundo nubentes cum ſuis qualitatibus eſſent examinandę in eadem. Quamobrem plures pęnas, pleraque ad ipſas pertinentia placuit ad præſentem transferre.

1 **Priuatur tutela filiorũ prioris matrimonij.**

ASSERTIO I. Mater tranſiens ad ſecundas nuptias ipſo iure priuatur tutela filiorum prioris matrimonij *Fontanella de pact. nuptial. clauſ 5. gloſ. 8. p. 11 num 8. Sanchez de matrimon lib. 7. diſp. 88. num 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. n 268.*

Expreſsè euincitur *ex auth vt ſine prohibitione verſ propterea igitur collat. 7 & l. fin. & auth ſacramentum C. quando mulier tutelæ offic.*, nec incongruæ rationi huiuſmodi iura innituntur, quandòquidem vehemens, & efficaciſſima pręſumptio eſt, quod fæmina ſic ſecundo nubens alijs nuptijs diſtracta negligat filiorum præcedentis matrimonij curam, eorumque bona in commodum poſterioris matrimonij cum illorum iactura diſperdat.

Ipſo iure priuatur tali tutela.

Dixi, *ipſo iure*, quidquid ex aduerſo nonnulli dixerint eo moti fundamento, quod nullus textus ſit aſſignabilis inducens ipſo iure hanc tutelæ priuationem, nam iura *in l. fin. C. quando mulier, & auth. Sacramentum eod. tit.* potius indicant mulierem ſic nubentem eſſe expellendam, quam intelligi expulſam; Nihilominus firmiter tenendum eſt ipſo iure induci *Speculator tit. de tutore §. nunc dicendum n. 5. Garronis auth. eiſdem pœnis in noua edit. nu. 26. C. de ſecundis nupt. Gloſa l. omnem 6. in fin. C. ad Tertul Bartolus in l ſi quis ſub conditione n. 27. in fin. ff. de teſt. tut.* Pluribus iuribus, & rationibus hoc probat *Sanchez de matrim lib. 7. diſp. 88. n. 10.*, ad quem vos remitto. Nobis hæc vnica ratio ſufficiat, quià, cum defertur matri viduæ tutela filiorum, iura exigunt ſacramentum, quo futuris nuptijs renutiet, quod indicat tutelam eidem deferri ſub conditione, ſi non tranſeat ad ſecundas nuptias, ſed tutela collata ſub conditione ceſſante, ſeu non adimpleta conditione ipſo iure expirat per textum *in l tutor datus in princip. ff. de teſt. tut.*, ergo &c.

2 **Hæc pæna non afficit Patrẽ trãſeũtem ad ſecundas nuptias.**

Hæc pæna amiſſionis tutelæ, an æquè afficiat patrem binnubum, ac matrem tranſeuntem ad ſecundas nuptias diſſidium magnum eſt inter DD. Contendunt aliqui hanc controuerſiam eſſe de ſubiecto non ſupponẽte, quandòquidem Pater, dum viuit, habet plenam adminiſtrationem omnium bonorum filij, & vſumfructum, cui propterea non tenetur reddere rationem. Nihilominus hæc controuerſia poteſt habere locum in aliquibus caſibus, de quibus dubitatur, an per tranſitum ad ſecundas nuptias illam filiorum tutelam amittat. Primus caſus eſſe poteſt in ordine ad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia filiorum, in quibus nullum ius habet, nec quoad proprietatem, nec quoad vſumfructum, in ordine ad quæ propterea poteſt conſtitui Tutor. Secundus caſus, quem refert *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 88. nu. 12.* eſt, quando filij ſunt emancipati per textum *in l ſi infanti C. de iure delib & ibi Bartolus*. In ordine igitur ad hos caſus communius ſentiunt, & quidem rectius Patrem binnubum non amittere tutelam filiorum *Baldus auth eiſdem pœnis n. 8. C. de ſecundis nupt Angelus l. ex facto nu. 4 ff de vulg. Pinellus l fin. n 15 C de bonis matern.* Ratio ex eo deducitur primò, quià hæc lex vtpotè pænalis ſtrictè eſt interpretanda, nec extendenda vltra expreſſa, ſed præcisè loquitur de matre binnuba, non de Patre, ergo &c. Secundò, quià non eadem militat ratio de Patre binnubo, quæ militas de matre, quandòquidem amor paternus erga filios non ità facilè diuellitur, ſicuti maternus, cum fæminæ, vtpotè leuioris naturæ, & imbecillioris iudicij nouarum nuptiarum amore facilè rapiantur, ac nouis diſtrahantur nullo habito reſpectu ad præterita.

3 **Mulier binnuba amittit etiam munus curatricis in ordine ad eoſdem filios.**

An verò ea, quæ dicta ſunt reſpectu matris binnubæ quoad amiſſionem tutelę æquè intelligenda ſint quoad amiſſionem curationis, eſt affirmandum, prout affirmant *Sanchez de matrimon lib. 7. diſp 88. n. 11. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11 nu. 268.*, qui ea ratione innituntur, quod diſpoſitum in vno locum habeat in alio, cum militet eadem ratio præſumptionis incuriæ ob amorem diminutum per textum *in l. quod ſi nolit §.*

quod in Procuratore ff. de adil. edict. Pro intelligentia eorum, quæ hic dicuntur aduerte munus Tutoris differre ab illo curatoris, quod Tutor datur ſolummodò in ordine ad pupillos, curator verò in ordine etiam ad adultos, qui careant perfecto iudicio in ordine ad adminiſtrationem ſuorum bonorum, puta ad furioſos, & mentecaptos, prodigos &c.

Circa hanc tutelæ amiſſionem per tranſitum ad ſecundas nuptias mulię inſurgunt rationes dubitandi, quas mox profero, & expendo. Prima eſt, an amittatur præciſè per ſponſalia ſecundò contracta poſt obitum prioris mariti, an verò requiratur matrimonium formaliter per verba de præſenti contractum. Secunda, an amittatur eo ipſo, quod matrimonium contractum eſt per verba de præſenti, an verò vlterius requiratur, quod fuerit conſummatum. Tertia, an ea pæna incurratur per matrimonium ſecundum contractum, quantumvis fuerit irritum. Quarta, an per talem tranſitum ad ſecundas nuptias amittatur etiam tutela teſtamentaria, hoc eſt relicta per teſtamentum prioris mariti, de quibus omnibus latè agit *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 88. à num. 5. vſque ad 10.*

Rationes nonnullæ dubitandi.

Ad primam maximum diſſidiũ eſt inter DD. Aliqui affirmant per ſola ſponſalia amitti tutelam filiorum *Bartolus auth. ſacramentum n. 3. C quando mulier tutelæ officio Angelus §. actionum n 41. inſtit de action.* Fundamenta huius opinionis ſunt primò, quià non concederetur tutela matri, niſi ſponderet abſtinentiam à ſecundis nuptijs, ergo eo ipſo, quo animum indicat abſolutè ad eaſdem tranſeundi priuatur eadem tutela. Secundò, quià eo ipſo, quod contrahit ſponſalia iam intelligitur ſuſpecta de declinatione amoris erga filios prioris matrimonij, & eſt vehemens præſumptio, quod negligat curam, & tutelam eorundem filiorum. Alij ex aduerſo ſuſtinent non priuari tutela, donec matrimonium fuerit completum per verba de præſenti *Speculator tit. de tutore §. nunc dicendum nu 4. Menochius de arbit. lib 2. caſ. 151. nu. 7. Gutierez de tutel. prima part. c. 9. n. 2. Ruinus conſil. 87. n. 3. vol. 5.* Rationes huius opinionis in eo conſiſtunt primò, quià iura loquentia de hac amiſſione tutelæ ſiſtunt in nuptijs contractis per textum *in auth Sacramentum C. quando mulier tutelæ officio*, quæ propterea non ſunt extendenda ad ſimplicia ſponſalia. Secundò, quià diſpoſitio huiuſmodi iuris eſt pænalis, quæ in rigoroſo ſenſu nuptiarum eſt interpretanda. Tertiò, quià ſponſalia non inducunt ligamen indiſſolubile, cui proptereà ſponſa poteſt renuntiare, qua poſita renuntiatione non eſt, cur debeat carere tutela, cum ceſſet ſuſpicio. Quartò, quià, quamvis vxor non ſit admittenda ad tutelam filiorum, niſi ſpoponderit de non tranſeundo ad ſecundas nuptias, poſtquam tamen ſemel admiſſa eſt, non debet eadem priuari, niſi per opus conſummatum, ratione cuius inducitur priuatio. Quid igitur concludendum? Admitto tanquam probabiliora iura huius ſecundæ opinionis. Ad ea, quæ dicebantur pro prima opinione, aſſerendum eſt, difficilius admitti ad tutelam vxorem, quam admiſſa excludatur.

Sententia afferens amitti tutelam per ſola ſponſalia.

Sententia negãs per ſola ſponſalia amitti.

Præfertur ſententia negans.

Ad ſecundam aſſerendum abſolute eſt per ſecundum coniugium initum per verba de præſenti ipſo iure excludi coniugem binubam à tutela filiorum, quantumvis illud matrimonium non ſit conſummatum. *Baldus in l. omnem nu 10 C. ad Senat Conſul. Tertul. Alexander de Neuo c. fin. num 10. de ſecundis nuptijs. Antonius Gabriel tom. 3. commun. opin. lib 3. tit de ſecundis nuptijs concl 9 nu 13.* Ratio deſumi poteſt, quià poſito conſenſu per verba de præſenti propriè verificantur nuptiæ initę, quas conſenſus conſtituunt, non copula per alibi dicta, & ipſę ſunt ſecundum ſe indiſſolubiles.

5 Amittitur per matrimonium, quantumvis nõ fuerit cõſummatum.

Ad tertiam *Baldus in c. ex parte M. n. 20. de appel.* ſentit matrem amittere tutelam, quamvis matrimonium fuerit irritum, dummodò copula fuerit conſummatum, & ea ratione mouetur, quià plus pænæ tribueretur caſtitati, quam luxuriæ, id eſt plus nuptijs, quæ caſtæ ſunt, quam actibus fornicarijs, quæ conſurgerent ex illo matrimonio inualido. Sanchez *vero de matrimonio lib. 7. diſp. 88. num. 7.* exiſtimat non amittere in foro externo, niſi per ſententiam Iudicis, quià non verificaretur tranſitus ad ſecundas nuptias, cum illud matrimonium eſſet irritum. Probabilius crederem amittere, quià licet illud matrimonium non eſſet matrimonium in re, eſſet tamen tale in figura, & iura reſpiciunt actum externum. Accedit hæc ratio, quod talis mulier tranſeundo ad tales nuptias, quamvis inualidè, ſatis indicat declinare ab affectu erga prolem præcedentis matrimonij, quod eſt motiuum, ob quod iura induxerunt huiuſmodi pænam amiſſionis.

6 Probabilius amittit tutelã, quantũvis illud matrimonium ſecundum fuerit irritum, dummodò fuerit cõſummatum.

Ad quartam probabilius ſentiendum eſt per tranſitum ad ſecundas nuptias amittere vxorem tutelam filiorum etiam teſtamentariam. Conſentiunt *Garronis auth. eiſdem pœnis num fin C. de ſecundis nuptijs, Silua nuptialis lib 2. verb. vidua non eſt nubendum num. 50 Gutierez de tutelis 1 part. cap. 9 num. 16. Molina lib. 1. de primog. cap. 9. num. 49.* Ratio eſt, quia iura loquuntur indefinitè de tutela, adeoque ſunt intelligenda ſine reſtrictione. Secundò, quià militat eadem ratio in tutela legitima, ac in teſtamentaria, nempè

7 Mulier binuba amittit tutelam, quantumvis teſtamentariam.

pè

Digitized by Google

ſè efficax præſumptio, quod proptèr amorem declinantem in ſecundum maritum ſit vxor derelictura, & neglectura curam filiorum præcedentis matrimonij; Neque obeſse poteſt, ſi aſseratur, quod in teſtamentaria tutela fides vxoris fuerit à priori marito approbata, ratione cuius non cogitur ſatiſdare per textum *Inſtit. in princip. de ſatiſda. tut.*; vndè, cum prior maritus potuerit prævidere nuptias futuras vxoris, & nihilominus expreſsè contulerit tutelam ſine vlla reſtrictione, præſumitur paruipendiſse tales nuptias, eiſque non obſtantibus voluiſse conferre tutelam, *Baldus auth. eiſdem pænis num. vlt. C. de ſecundis nuptijs, Angelus de Aretio §. actionum q. 19 num 41. inſtit. de actionib.*, Non, inquam, obeſse poteſt, quia ſupponitur, quod maritus per teſtamentum contulerit tutelam vxori ſub ea conditione, quod cum filijs in viduitate vixerit: non enim præſumendum eſt, quod in caſu, quo prævideri poſsent damna filijs, voluerit eorum matrem tutricem; quinimmò *Antonius Gomez l. 14 Tauri nu 11. verſ. adde* aſserit, quod, quantumvis maritus in ſuo vltimo teſtamento dixerit, quod non obſtante, quod vxor tranſeat ad ſecundas nuptias, maneat filiorum tutrix, ceſset tutela eadem tranſeunte ad ſecunda vota: quoad tamen non ità facilè crediderim.

8 **Amittit educationem filiorum prioris matrimonij.**

Asseatio II. Vxor tranſiens ad ſecundas nuptias amittit educationem filiorum prioris matrimonij. Conſentiunt *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 88. nu. 16. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 11. num 269.*

Expreſsè colligitur ex textu *in l. 1. C. vbi pupilli educari debeant, & in auth. de nuptijs §. eius quoque collat. 4., & in auth., vt liceat matri, & auiæ §. illud quoque collat. 8. veneris collat. 8. Garronis rub. de ſecundis nuptijs in noua edit. num. 16. pæna 5 Menochius de arbitrar. cent 2. caſ. 168. num. 10. Ancharanus conſ. 316. in cauſa, qua vertitur num* 4.

Diſputant hic ſolum DD., an per tranſitum ad ſecundas nuptias vxor ipſo iure priuetur educatione filiorum, an verò ad talem priuationem exigatur Iudicis ſententia, qui conſideratis omnibus circunſtantijs iudicet, an in tali educatione mater præferenda ſint Tutoribus, alijſque cognatis, an verò iſti ſint eidem matri præferendi. Latè de hoc agit *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 88. à num. 16. vſq. ad 22.*, vbi relatis pro vtraque parte iuribus, & rationibus tandem inclinat in partem aſserentem non priuari ipſo iure, ſed reddi dumtaxat ſuſpectam, ratione cuius ſuſpicionis relinquitur iuditio iudicis attentis circunſtantijs, an matèr tutoribus, & cognatis ſit præferenda, an verò tutores eidem. Nihilominus abſolutè ſentiendum exiſtimo, ipſo iure priuari etiam filiorum educatione *Gloſa auth., vt liceat matri, & auiæ §. illud quoque verb. cum veneris collat. 8. Garronis rub. de ſecundis nuptijs in noua edit. num. 16. pæna 5 Menochius de arbitrar. cent 2. caſ. 168. num. 10. Ancharanus conſ. 316. in cauſa, qua vertitur num* 4. Ratio ex eo deducitur primo, quià educatio filiorum eſt pars potiſſima tutelæ per textum *in l. 1., ff. de tutelis, & ex §. penult. Inſtit. Qui teſtamento tutores, vbi Gloſa verbo perſona* ait principalitèr dari perſonæ pupilli, vt eum bonis moribus inſtruat, & ſecundario rebus, ſed tutela ipſo iure priuatur per ea, quæ dicta ſunt in præcedenti aſsertione, ergò &c. Secundo, quià fortior ratio militat pro priuatione educationis, quam pro priuatione tutelæ, quandòquidem tranſitus ad ſecundas nuptias non ſolum reddit ſuſpectam matrem de neglectu circa bona filiorum, ſed etiam circa illorum mores, & honeſtatem, quinimmò *Gloſa auth. de nuptijs §. eiuſdem verbo dat ei collat. 4.* magis ſuſpectam reputat matrem ad educationem, quam ad bonorum adminiſtrationem, cum mariti ſecundi amore obcæcata, vt plurimum non ſolum res filiorum, ſed etiam vitam addicat iuxtà textum *in l. lex, quæ tutores C. de adminiſt. tut.*, & hoc ad effectum, vt eiſdem nouis maritis morem gerat. Tertiò, quià iura prohibentia matribus binnubis tutelam fundantur in præſumptione, & in periculo, ne eædem matres filijs noceant, & in bonis, & in vita, quæ præſumptio eſt iuris, & de iure, vt aſserit *Ruinus conſ. 87. num. 7., & 10. vol. 5.*, quæ proptereà debet prævalere; nec obſtat, quod quandòque matres ſint bonæ famę, quià lex generalis non ceſsat ceſsante eius ratione in aliquo caſu ſpeciali; cum iura reſpiciant id, quod communitèr, & vt plurimum euenit, non id, quod euenit in aliquo ſpeciali caſu; & in hoc præcipuè non reſpiciunt factum ipſum, ſed periculum facti.

9 **Hanc pænam incurrit ipſo iure.**

Rationes ſuadentes intentum.

10 **Mulier vidua, ſi contra iuramentum præſtitum in ſuſceptione tutelæ de abſtinendo à ſecundis nuptijs ad eas conuolauit, antequam rationem reddiderit, contrahit omnes pænas contra nubentes intra annum luctus ſtatutas.**

Assertio III. Mater vidua exiſtentibus filijs, ſi contra iuramentum præſtitum in ſuſceptione tutelæ de abſtinendo à ſecundis nuptijs ad eaſdem tranſierit, antequam à Iudice tutorem filijs petierit, & rationem reddiderit ſuſceptæ tutelæ, & antequam ſoluerit, quidquid debuerit ex rationibus datis reſultans, contrahit omnes pænas, quæ à iure ſtatutæ ſunt contra viduam feſtinantèr tranſeuntem ad ſecundas nuptias intra annum luctus *Sanchez d. lib. 7. de matrimon. diſp. 88. n. 13. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 11. num. 270.*

Expreſsè colligitur *in auth. de nuptijs §. ſi autem tutelam collat. 4., & auth eiſdem pænis C. de ſecundis nuptijs*. Hæc autem pæna non eſt inducta proptèr violationem iuramenti præcisè, ſed proptèr neglectum eorum, quæ à iure præcipiuntur, ſcilicet

petendi tutorem ante eaſdem ſecundas nuptias, & reddendi rationem adminiſtrationis præhabitæ, ex quo arguitur mala adminiſtratio; Quod, ſi dicatur *contra iuramentum*, hoc eſt, quià antiquitus tale iuramentum exigebatur à matre, antequam tutelam aſsumeret; cum autem modo inualuerit, vt iuramentum illud non exigatur, ſed dumtaxat renuntiatio eiſdem ſecundis nuptijs ſequitur, quod, ſi tranſierit ad ſecundas nuptias non requiſito antecedentèr à Iudice tutore, contrahat huiuſmodi pænas.

11 **Excluditur à tacita ſubſtitutione pupillari.**

Assertio IV. Probabilius eſt matrem binnubam excludi per tacitam ſubſtitutionem pupillarem. Eſt contrà *Sanchez de matrimon lib 7. diſp. 88. num. 28.*, vbi plures alios allegat.

Pro intelligentia præſentis aſsertionis aduertè primo, quomodo concipiatur ſubſtitutio pupillaris expreſsa, & quomodo pupillaris tacita. Prima igitur eſt, cum Pater hæredem ſubſtituit filio ſub ſua poteſtate conſtituto, ſi deceſserit intra ætatem pupillarem, vt ſi Dicat. *Si filius meus intra ætatem pupillarem deceſſerit, inſtituo ipſius hæredem Caium*. Secunda eſt, quæ ſub vulgari expreſsa continetur; vt, ſi dicat *Inſtituo meum filium hæredem, & ſi ille hæres meus non fuerit, Inſtituo Antonium*. Aduerte ſecundo ſubſtitutionem pupillarem expreſsam excludere matrem etiam in legitima iure ſibi debita *l. Papinianus §. ſed nec impuberis, ff. de inoffic. teſtam. l. precibus C. de impuber. cap. ſi Pater de teſtament. in 6.*; ſubſtitutionem verò tacitam in vulgari expreſsa contentam non excludere matrem *Gloſa in l. fin. C. de inſtit., & ſubſtit., & l. precibus C. de impub.* intellige, niſi voluntas Patris vulgaritèr ſubſtituentis ex coniecturis referatur ad excluſionem matris *Gloſa in d. l. precibus verb. vi modo ſubſtituant*. Hæc omnia ferè ad verbum colligo *ex Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 88 num. 27.*

12 **Quid ſit ſubſtitutio pupillaris expreſsa, & quid tacita, & quos effectus vtraque pariat.**

Status difficultatis, & mens Sanchez.

Ratio igitur difficultatis quoad præſentem aſsertionem ſita eſt in eo, an mater per illum tranſitum ad ſecundas nuptias priuetur ex præſumpta voluntate Patris illo iure ad ſuccedendum excluſo pupillaritèr tacitè ſubſtituto, quaſi, quod ille tranſitus ſit ratio, ex qua coniectetur mens teſtatoris excludendi matrem binnubam ab illo iure ſuccedendi; Circa quod *Sanchez loc. cit.* aſserit, matrem non priuari illo iure ſuccedendi aduerſus pupillaritèr tacitè ſubſtitutum. Rationem potiſſimum adducit ex eo, quià nullum eſt aſſignabile ius, per quod mulier tranſiens ad ſecundas nuptias priuetur iure ſuccedendi filio contra ſubſtitutum in tacita pupillari, ergò non debet induci hæc priuatio, cum pænæ, vtpotè odioſæ non ſint inducendæ, niſi per iura expreſsa *arg. textus in auth. de non ligando ſecundo nubente §. cum igitur verſ. ſicut enim*. Addit, quod mater per tranſitum ad ſecunda vota non priuatur ſucceſſione filij ab inteſtato, ſi fuerit tutrix, & ante tranſitum à Iudice petierit tutorem *per textum in l. 2. §. ſi mater, ff. ad Tertul.* Tandem reſpondens quodamodo ad contraria argumenta aſserit, non per quamcunque iniuriam priuari, ſed dumtaxat per grauem, qualis non eſt illa tranſitus ad ſecunda vota. Nihilominus his non obſtantibus

Ratio prima pro aſsertione.

Probatur aſsertio, quam in noſtris terminis ſuſtinent *Angelus de Peruſio l. 2 §. fin. num. penult., ff. de vulg. l. precibus nu. 5. in fin. C. de impub. Iacobus de Sancto Georgio l. fin. C. de inſtit., & ſubſtit. Menochius de præſumpt. lib. 4 præſumpt. 39. nu 65. Corneus conſ. 28 num. 3. verſ. prima, quià dicta mater vol 4.*, Probatur, inquam, quià ob ſimilem tranſitum ad ſecundas nuptias, tanquam per iniuriam ſufficientem illatam priori marito priuatur iure quoad proprietatem bonorum, quæ titulo lucratiuo habuit, vel immediatè, vel mediatè ab eodem marito; mediatè, inquam, ex ſucceſſione alicuius filij prioris matrimonij, per ea, quæ ſuprà commendauimus *prænot. præcedenti verſ. veniunt quinto bona*, & docent *Antonius Gabriel. commun. opin. lib. 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 1. 2., & 3. Coarruuias de ſponſalib. part 2. cap. 3 §. 9. n 5. Fontanella de pact. nupt. clauſul. 5. gloſ. 8. parte 11. num. 33, & ſeq.*, ſiuè ſucceſserit filio, vel filiæ morienti in pupillari ætate, ſiuè poſt pupillarem ætatem, ergò etiam per tacitam pupillarem ſubſtitutionem priuatur iure ſuccedendi filio per eundem tranſitum ad ſecundas nuptias, tanquam per iniuriam ſufficientem illatam priori marito, quià ex vno capite per illam tacitam ſubſtitutionem pupillarem alium vocauit, ex alio proptèr illam iniuriam expreſsè indixiſset priuationem, ſi cognouiſset.

Ratio ſecunda pro eadem.

Probatur ſecundo, quià mulier tranſiens ad ſecunda vota priuatur legato ipſi per priorem virum relicto, quià intelligitur ſub tacita conditione, ſi non tranſierit ad ſecundas nuptias, ergò à fortiori priuabitur ſucceſſione filij præcipuè poſita tacita pupillari ſubſtitutione *Baldus l. precibus num 13. C. de impub. Alexander l. 2. in princip. num. 32., ff. de vulgar. Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. n. 44. pæna 20. Menochius de præſumpt lib. 4. præſumpt. 39. num 58. Mantica de coniecturis vlt. volunt. lib. 5 tit. 15. num 15., & ſeqq.* Neque valet dicere, non valere argumentum *Priuatur legato, ergò etiam hæreditate*; nam ſtatim reſpondetur cum *Mantica loco cit.*, quod quamvis ex diſpoſitione legis non valeat ſic argumentari, valeat tamen ex diſpoſitione teſtatoris, cuius

mens

Digitized by Google

mens arguitur ex coniecturis; ſi enim noluit vxorem ſecundo nubentem gaudere priuilegio legati, à fortiori credendum eſt, noluiſse gaudere priuilegio ſucceſſionis.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo aſſerebantur per Sanchez, dicendum eſt, & quidem ad primam non induci talem priuationem ex aliqua expreſsa diſpoſitione iuris, ſed ex præſumpta, & interpretatiua voluntate teſtatoris. Ad ſecundam dicendum eſt, Sanchez ſibi contradicere, dum hic aſſerit vxorem per ſecundas nuptias non priuari ſucceſſione ab inteſtato reſpectu filij, quandòquidem *eadem diſp.* 89. *num.* 18. tenet, quod, ſi vxor ſucceſſerit ab inteſtato alicui ex filijs prioris matrimonij, teneatur proprietatem filijs reſeruare per textum *in auth. de nuptijs* §. *hic nos collat.* 4. *verſ.*, *ſi autem inteſtatus*. Ad tertiam aſſerendum eſt, gratisomninò dici, quod illa iniuria non ſit grauis, quandòquidem iura proptèr ipſam induxerunt, vt priuetur proprietate bonorum per priorem maritum titulo lucratiuo relictorum; vndè argui poteſt, quod ſit coniectura talis, proptèr quam maritus expreſsè excluderet à ſucceſſione.

Ratio efficacior aſſertionis ex mente Sanchez.

Pro complemento eorum, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, & ad maiorem ipſorum corroborationem nota, quod docet *Sanchez d. diſp* 89. *num.* 15. nempè, quod, ſi Pater in ſua vltima voluntate ſubſtituat pupillaritèr matrem filio impuberi, & filius prædeceſserit, mater, quæ pupillaritèr ſubſtituta eſt, teneatur proprietatem filijs prioris matrimonij reſeruare, ſi tranſierit ad ſecunda vota. Si, ergò hæc tenetur reſeruare non obſtante, quod pupillaritèr ſit ſubſtituta; quomodo poterit acquirere, & ſuccedere, ſi ad eadem ſecunda vota tranſierit, quandò alter per pupillarem tacitam ſubſtitutionem vocatus eſt, vt in noſtra hypotheſi?

13 Mulier binnuba amittit iura, & priuilegia honoris, & dignitatis prioris matrimonij.

Assertio V. Vxor tranſiens ad ſecunda vota amittit iura, & priuilegia honoris, & dignitatis, quibus gaudebat ratione prioris matrimonij *Sanchez de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 88. *num.* 31. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap.* 11. *num.* 273.

Expreſsè euincitur ex textu *in l. mulieres C. de dignit. lib.* 12., *&* §. *non tamen permittimus in auth. de nuptijs*. Ratio autem ea eſt, quià intantum iura concedunt priuilegia honoris, & dignitatis prioris mariti vxori perſeuerantì in viduitate, in quantum cenſetur eſse ſub priori matrimonio per textum *in l. vlt. C. de bon. mater. l. fœminæ in fin.*, *ff. de ſenat.*, *& l. filij* §. *vidua*, *ff. ad munic. Sanchez de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 88. *num.* 31. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap.* 11. *num.* 273., ſed quandò tranſiuit ad ſecunda vota non amplius cenſetur eſse ſub priori matrimonio, ergò &c.

14 Priuatur iure exigendi à filijs dotem.

Assertio VI. Mater, ſi fuerit pauper, & filij diuites, priuatur iure exigendi ab eiſdem filijs dotem *Baldus in l. vnica C. de inoffic. dot.*, *& l. ſi vinea in fin C. de præſcript. long. temp. decem, vel vig. ann. Campeſius de dote part.* 1. *q.* 21. *num. vnico*, *Tiraquel de iure primog. q.* 62. *num.* 13. *Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. n.* 83. *pœna* 46. *Ioannes Lupus cap. per veſtras not.* 3. §. 20. *nu.* 61. *verſ. item filius de donat. inter vir.*, *& vxor.*

Ratio ex eo deducitur, quià filij non tenentur cooperari proprio dedecori, & iniuriæ ſibi inferendæ per matrem per tranſitum ad ſecundas nuptias, ergò, nec poſſunt compelli ad erogandam matri pauperi congruam dotem, vt nubat; nam hoc eſset eius matrimonio cooperari? Neque obeſse poteſt, ſi aſſeratur, quod filij diuites teneantur erogare matri pauperi congrua alimenta, vt latè probant *Ioannes Lupus Campeſius* allegat. in aſſertione per textum *in l. ſi quis à liberis* §. *parens*, *ff. de lib. agn.*, adeoque etiam, quod teneantur congruam dotem erogare, cum dos ſuccedat loco alimentorum? Non, inquam obeſse poteſt, quià alimenta non conferunt in iniuriam eorundem filiorum, ſicut conferret conſtitutio dotis, cum eſset in ordine ad matrimonium contrahendum, vndè non valet argumentum ab alimentis ad dotem.

15 Mulier binnuba non poteſt etiã titulo ingratitudinis renocare donationem factam filijs.

Assertio VII. Mater binnuba non poteſt etiam titulo ingratitudinis reuocare donationem factam filijs excepto triplici caſu, niſi filij inſidiati fuerint vitæ matris, niſi manus impias in ipſam intulerint, & niſi totius ſubſtantiæ iacturam moliti fuerint. Ità expreſsè ſentiunt *Sanchez d. diſp.* 88. *num.* 33. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.* 11. *n.* 274.

Expreſsè colligitur *ex l. filijs ſolis C. de reuocan. donat.*, *& auth. quod mater C. eod. tit. & auth. de nuptijs* §. *mater*.

Hic ſolum remanet difficultas, an ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione de Matre binnuba, æquè intelligenda ſint de patre tranſeunte ad ſecundas nuptias? Negat Gloſa *in d. auth. mater de nuptijs verb. niſi tamen*, *& in d. auth. quod mater in fine*. Rationem huius negationis, in qua fundatur Gloſa, eam eſse exiſtimo, quià arbitratur cauſam finalem huius pœnæ in eo conſiſtere, quod coniux propter mutationem ſtatus, & nimium amorem erga ſecundum coniugem animum auertat à filijs prioris matrimonij, & ratione eiuſdem confingat ingratitudinem, quæ non eſt, vel excitet nimia duritie ad actus, qui redolere videantur ingratitudinem; non vide-

16 Hæc pœna non extenditur ad maritum binnubum.

tur

Digitized by Google

tur autē veriſimile, quod maritus propter ſtatus mutationem ità auertat animum à filijs prioris matrimonij, ſicuti auertit mulier, quæ inconſtans eſt, & facile voluitur, ergo &c. Hanc opinionem, & rationes pro ea adductas probabiles, & tutas exiſtimo.

ASSERTIO VIII. Mater tranſiens ad

17 **Mater binnuba nequit exēplariter ſubſtituere filio mētecapto, ſurdo, & muto.**

ſecundas nuptias filio mentecapto, ſurdo, muto, ac prodigo, cui interdicta eſt bonorum adminiſtratio, & teſtari, nequit exemplaritèr ſubſtituere *Bartolus in l. ex facto in princip. n 12. ff. de vulgar. Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit nu. 46. pœna 22. Ioannes Lupus rub de donat. inter vir. & uxor. §. 67. nu. 14. verſ. ex iſtis, Baldus de Vbaldis tract 1. ſubſtit. vbi de exemplari n. 7. Lancellotus Politus tractatu ſubſtitutionum, vbi de exemplari n. 8. Ferrara in ſua practica in tit. de forma libelli, quo agitur de ſubſtitutione in gloſ. verb. exemplaris col. 3., & alij magis communiter.*

18 **Quid ſit exemplaris ſubſtitutio.**

Pro intelligentia aduerte primò, exemplarem ſubſtitutionem eſſe ſubſtitutionem factam ab altero coniuncto ei, cui ſubſtituitur, habente poteſtatem à iure ad normam eius, quem veriſimilitèr inſtitutus eſſet vocaturus, ſi eſſet ſanę mentis, & campos ſui; Hæc ſubſtitutio exemplaris introducta eſt cauſa humanitatis, prout habetur *in l. humanis. 9. C. de impub & alijs ſubſtit.* Secundo, poteſtatem ſubſtituendi exemplaritèr competere matri reſpectu filij mentecapti, muti, ſurdi, & prodigi per eundem textum *in l. humanis. C. de impuber.* His ſic ſuppoſitis.

Indigna eſt humanitate.

Probatur iam aſſertio primò, quià indigna eſt perſona humanitate in ordine ad bona filiorum, in ordine ad quos inhumane ſe gerit, & potius vt inimica, & Nouerca oſtenditur, quam humana, & Mater, ſed Mater tranſiens ad ſecunda vota inhumane ſe gerit erga filios, & potius Nouerca oſtenditur, quam mater per textum *in l. lex quæ tutores C. de adminiſt. tutor.*, ergo gaudere non poteſt iure ſubſtituendi exemplariter, cum hoc introductum fuerit humanitatis cauſa per cit. textum *in l. humanis.*

Ratio aſſertionis.

Probatur ſecundo, quià mulier binnuba priuatur tutela filiorum, ergo & actu vltimæ voluntatis in ordine ad bona filiorum. Antecedens latè probatum eſt ſupra. Conſequentia probatur, quià in tantum priuatur tutela ob tranſitum ad ſecundas nuptias, in quantum ſuſpecta intelligitur de adminiſtratione bonorum eiſdem filijs ſuperſtitibus, ſed non minus ſuſpecta præſumi poteſt quoad diſpoſitionem eorundem bonorum iiſdem filijs defunctis; vndè, ſicuti propter amorem erga ſecundum maritum priuatur adminiſtratione bonorum in tutela propter ſuſpectionem, ne male adminiſtret, ità propter eundem amorem, & declinationem præſumptam amoris erga filios prioris matrimonij priuari cenſenda eſt iure diſponendi de eiſdem bonis, ne diſponat contra eorum præſumpta vota, ergo &c.

Rationes oppoſitæ.

Aduerſus hanc aſſertionem nonnullis conſurgit argumentis *Sanchez lib. 7. de matrimon, diſp. 88. nu. 24.*, & primò, quià nullibi in iure reperitur hæc pœna mulieri ſecundo nubenti diſpoſita. Secundò, quià hæc diſpoſitio ſubſtituendi exemplariter introducta eſt in fauorem filiorum, ne ſcilicet inteſtati decedant; & vt habeant, qui iuxtà ipſorum voluntatem rationabilitèr præſumptam de eorum bonis diſponant; æquum autem non eſt, vt ex culpa matris amittatur id, quod in fauorem filiorum introductum eſt. Tertio reſpondens ad argumentum pro noſtra ſententia propoſitum deſumptum à paritate tutelæ virias aſſignat diſparitates conſiſtentes, vel in eo, quod licet tutela ſimpliciter ſit filiorum fauor, tamen quod mater binnuba ſit tutrix eſt potius ſaltem præſumptiuè damnum, quam fauor, vel in eo, quod auferri Matrem à tutela parum præiudicat filijs, cum Iudex poſſit alium ſubſtituere, auferri autem à poteſtate exemplaritèr ſubſtituendi eſt valdè noxium, cum Iudex non poſſit ſubſtituentem aſſignare.

19 **Soluuntur rationes oppoſitæ.**

Sed facili negotio occurrere poſſumus his argumentis aſſerendo ad primum, quod licet hæc pœna non reperiatur in iure expreſſa, virtualitèr tamen contineatur in iure diſponente de priuatione tutelæ per tranſitum ad ſecundas nuptias; ſi etenim hæc priuat adminiſtratione bonorum filio ſuperſtite, à fortiori priuare cenſenda eſt diſpoſitione eorundem eodem filio defuncto, ſeu poſt eius obitum; Neque vrgeas, quod in pœnalibus non valeat illatio à minori ad maius, cum pœnalia reſtringantur ad terminos expreſſos; contrà enim impugnaberis, quià, quando in iure prohibente ſub pœna exprimitur cauſa finalis prohibitionis, quæ ratio finalis militat etiam in caſu maiori, pœnalia etiam ad iſtum caſum extenduntur *Abbas cap fin. num. 10. & ſeq. de reſcript. & c. nihil n. 9. de elect. Lambertinus de iure patron lib. 2. part. 1. q. 10. art. 4. in fin Silueſter verbo Lex q. 18. & verb. pœna q 4. Rolandus conſ 27. n 48. vol. 1. Coaruuias c. alma mater 2. part. § 4. n. 7. verſ. 2. Antonius Gomez primo var c. 5. num. 12. Molina lib. 1. de primogeneis c. 5. nu. 10 Gutierez qq. canon. lib. 1. c. 10. num. 3.*, in iuribus autem inducentibus priuationem tutelæ exprimitur ratio, nempè, quod mater binnuba reddatur ſuſpecta, quæ etiam ratio militat pro priuatione ſubſtitutionis exemplaris, adeòque &c.

Ad ſecundum aſſerendum eſt, quod, ſicuti tutela eſt fauor filiorum, ſi ſimplicitèr

Digitized by Google

Solutio ſecundæ rationis oppoſitæ.

citèr ſumatur, ità & poteſtas ſubſtitutionis exemplaris ſit eorundem fauor, ſeù in eorum fauorẽ introducta; ſed ſicuti tutela in Matre, quæ tranſiuit ad ſecunda vota propter ſuſcipionem non eſt fauor, ſed potius damnum, ità & poteſtas ſubſtituendi exemplaritèr in matre binnuba ſit potius præiudicium, quam beneficium propter eandem ſuſpicionem; vndè congruentius eſt in ea hypotheſi, quod decedant inteſtati, & ſuccedant proximiores, quam quod ſubſtituatur perſona ex affectione ſubſtituentis contrà præſumptam voluntatem eorundem filiorum.

Solutio tertiæ.

Ad tertium quoad primam diſparitatem iam patet ex mox poſita reſponſione quid ſit dicendum; Ad ſecundam dic eſſe maius præiudicium, quod ſubſtituatur perſona contra voluntatem filiorum, quam quod decedant ab inteſtato, & ſuccedant proximiores ſanguine.

20 *Pater rogatus ab Auo reſtituere hæreditatem filijs, ſi tranſeat ad ſecunda vota tenetur ſatiſdare.*

Assertio IX. Pater rogatus ab Auo reſtituere hæreditatem filijs, ſi tranſierit ad ſecunda vota, tenetur ſatiſdare de ea reſtituenda, quamvis alias non teneatur cautionem præſtare de bono vſu aduentitiorum, quorum gaudet vſufructu *Matienzo lib. 5. recopil. tit. 1. l. 3. gloſ. 2 num. 12. Pinellus l. 1. p. 2. num. 31., & 75 C de bon. matern. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp 88. num. 35.*

Expreſsè colligitur *ex l. iubemus §. in ſupradictis C. ad Trebel., & auth. de nuptijs §. placet.*

Alias plures pœnas enumerat *Fontanella de pact. nuptial. clauſ. 5. gloſ. 8 p. 11.*, ad quem vos remitto.

PRÆNOTIO VII.

De quibuſdam pœnis, quæ ex iuribus municipalibus Mediolani ſtatuuntur contra fęminas ſecundo nubentes.

SVMMARIVM.

Referuntur nonnulla Statuta Mediolani. 1.

Diſpoſitio Statuti Mediolani 303. locum habet etiam ſi mulier aſcendens ſecundo nupſerit, antequam venerit caſus ſucceſſionis. 2.

Si mulier tranſierit ad ſecunda vota ante caſum ſucceſſionis, quæ poſtea ſoluta fuerint per obitum mariti ante eundem caſum, probabilius non remanet excluſa ab vſufructu. 3.

Si ſecunda nuptiæ fuerint irrita probabilius mulier binnuba priuatur vſufructu, ſi in illis perſeuerauerit pro tempore ſucceſſionis. 4.

Si mulier, & reſpectiuè mater tranſierit de conſenſu tacito prioris mariti, vel filiorum ad ſecunda vota non priuatur tali vſufructu. 5.

Mulier tranſiens ad ſecunda vota dimiſſa tutela filiorum, ex qua facta eſt debitrix non obſtante Statuto 243. poteſt carcerari. 6.

Poſſet etiam carcerari vir, cui ſecundo nupſit fæmina debitrix ex adminiſtrata tutela. 7.

Cautum eſt ad Statutum Mediolanenſe cap. 302., quod nulla mulier aſcendens ſuccedat deſcendenti ab inteſtato exiſtentibus agnatis maſculis vſque ad ſeptimum gradum incluſiuè, ſed ſolum habeat vſumfructum illius partis, quam habitura fuiſſet de iure communi, quod idem habetur in ſtatuto ſequenti, & extenditur ad auum maternum, vel alium aſcendentem ex linea materna; deinde in eodem ſtatuto ſequenti indicitur pœna amiſſionis eiuſdem vſufructus, ſi dicta mulier aſcendens tranſierit ad ſecundas nuptias. 1

Referuntur nonnulla Statuta Mediolani.

Circa huiuſmodi pœnam nonnulla veniunt dubia in præſenti examinanda, & primò, an huiuſmodi ſtatutum quoad hanc priuationem locum habeat, etiam ſi talis mulier ſecundo nupſerit, antequam euenerit caſus ſucceſſionis. Secundò quid ſentiendum ſit, ſi non ſolum nupſerit ante caſũ ſucceſſionis, ſed etiam eædem ſecũdæ nuptiæ ſolutæ fuerint per obitum ſecundi mariti ante talem caſum. Tertio quid, ſi ſecundæ nuptiæ fuerint irritæ. Quinto, an priuetur tali vſufructu per tranſitum ad ſecundas nuptias, ſi nupſerint de conſenſu tacito prioris mariti, vel filiorum prioris matrimonij.

Rationes dubitandi circa huiuſmodi ſtatuta.

Rurſus *in c. 243.* ſtatutum eſt, quod mulieres bonæ famæ, non poſſint carcerari, quod ſtatutum concordat cum diſpoſitione iuris communis, vt notant ſcribentes *in l. nemo carcerem C. de exact. tribut lib 10.* Hic iam dubium oritur, an hoc ſtatutum locum habeat in fæmina, quæ ſuſcepta tutela filiorum præcedentis matrimonij, factaque debitrice eorundem ex cauſa adminiſtratæ tutelæ tranſiuit ad ſecunda vota, & an in ea hypotheſi poſſit carcerari vir, qui eam mulierem accepit in vxorem non reddita ratione.

Aliud Statutum Mediolani, & rationes dubitandi circa ipsũ.

Assertio I. Diſpoſitio iuris municipalis Mediolani *in d. c. 303.* habet locum, etiam ſi mulier aſcendens ſecundo nupſerit, antequam euenerit caſus ſucceſſionis, prout aſſerit *Carpanus ad d. ſtatutum Mediol. c. 303. verb. ſi tranſierit ad ſecunda vota verſ. ſtat. ſi huius diſpoſitio Alexander conſ. 3. nu. 5. & ſeqq. vol. 7. Rolandus à Valle conſ. 95. n. 101. vol. 1.* 2

Statutum habet locũ, ſi nupſerit ante caſum ſucceſſionis.

Ratio

Digitized by Google

Ratio aſſertionis.

Ratio huius aſſertionis ea eſt, quià ratio finalis huius diſpoſitionis ea eſt, quià per talem tranſitum ad ſecundas nuptias infertur maxima iniuria tum priori marito, tum filijs ex eodem ſuſceptis, vt habetur *in conſtitutione Gregoriana*, de qua, *in auth. de non eligendo ſecundo nubente verſ. proſpeximus*, & nos ſupra epartim commendauimus, & per hoc iura voluerunt conſulere fauori eorundem filiorum præcedentis matrimonij; ſed hæc omnia militant, ſiue mulier ſecundo nupſerit poſt caſum ſucceſſionis, ſiuè antecedenter ad illum, vt ex ſe manifeſte patet, ergo, ſiue antecedentèr, ſiuè ſubſequenter ad caſum initæ fuerint ſecundæ nuptiæ, locum habebit præſens diſpoſitio ſtatutaria.

3 Si ſecundus maritus obierit ante caſũ ſucceſſionis vxoris hæc non remanet excluſa ab vſufructu.

Assertio II. Si mulier tranſierit ad ſecunda vota ante caſum ſucceſſionis, quæ poſteà ſoluta fuerint per obitum mariti ante eundem caſum, probabilius eſt non remanere excluſam à tali vſufructu, ſed poſſe eum conſequi *Carpanus ad Statut. Mediolani* 103. *dicto verſ. Statuti huius diſpoſitio, & communiter ſcribentes in l. in ſubſtit. ff. de vulg. & pupil. & in l. ſi quis hæredem, vbi præcipuè Iaſon C. de inſtit. & ſubſtit.*

Pro tempore ſucceſſionis habet qualitates ad ſuccedendum.

Ratio ex eo deduci poteſt primò, quià ad ſuccedendum in tali vſufructu ſufficit, quod qualitas, quod non ſit ſecundo nupta, exiſtat pro tempore ſucceſſionis *Alexander conſ. 3. num. 5. & 6. vol. 7.* cum qualitas iuncta verbo debeat intelligi ſecundum tempus verbi qua effectum conſequitur per tradita per *Angelum in his fere terminis, & in conſil. 34. nu. 6. & ſeqq. & per Iaſonem in l. fin. num 31. ad fin C. de indict. vid. col.* Sed pro tempore ſucceſſionis vere purificatur, quod non ſit ſecundo nupta, cum nuptiæ pro eo tempore ſecundi mariti per obitum eiuſdem fuerint ſolutæ, ergo &c. Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod huiuſmodi pæna fuerit impoſita eo ipſo, quod fuerint contractæ ſecundæ nuptiæ - Ibi - *ipſo iure ſit priuata, vel ipſum non habeat*; vel quod iniuria primo marito, vel filijs eiuſdem, propter quam eſt iniuncta, iam intelligatur illata, adeòque, quod pæna ipſa intelligatur completa; Non, inquam, obſtare poteſt, quià etiam mater binnuba per tranſitum ad ſecundas nuptias ipſo iure priuatur bonorum proprietate, quæ à priori marito titulo lucratiuo acquiſierat exiſtentibus filijs prioris matrimonij, & tamen ſi illi prædeceſſerint, eandem proprietatem reaſſumit per ea, quæ ſuprà docuimus *prænot. 5. aſſert. 2. dub. 6. & 7.* non obſtante regula, quod à priuatione ad habitum non detur regreſſus, & quod ſemel excluſus ſemper cenſeatur excluſus, quià huiuſmodi regulæ intelligendæ ſunt dumtaxat de priuationibus, & excluſionibus abſolutis, & irreuocabilibus, non autem de ſuſpenſiuis; quæ etiam verificari poſſunt de priuatione vſufructus ex diſpoſitione ſtatuti huiuſmodi municipalis ſeruata proportione. Ad illud, quod ſubditur de iniuria iam illata dicendum eſt, vel iniuriam attendi pro tempore ſucceſſionis, pro quo ſublata eſt per ſolutionem ſecundarum nuptiarum, vel huiuſmodi pænas, quæ præcisè habent rationem pænæ, ſublatas iam eſſe per ius canonicum, vt recte adnotavit *Carpanus ad d. Statutum Mediol. 303. verſ. ſtatuti huius diſpoſitio ad fin.*

Secundo ratio deduci poteſt ex eo, quod huiuſmodi ſtatuti diſpoſitio eſt correctoria iuris communis *in l. fæminæ § illud & l. generaliter C. de ſecundis nuptijs, & auth. ex teſtamento C. de ſecundis nuptijs*, per quod ius diſponitur, quod mulier binnuba, amittat dumtaxat proprietatem retento vſufructu, ergo ità ſtrictè eſt intelligenda, vt ſolummodò locum habeat, quandò perſeuerat iniuria, ob quam inducta eſt tempore ſucceſſionis *Alexander d. conſil. 3. n. 5., & 6. vol. 7.*

4 Priuatur etiã, ſi ſecũdæ nuptiæ fuerint irritæ.

Assertio III. Si ſecundæ nuptiæ fuerint irritæ adhuc probabilius mulier binnuba priuatur huiuſmodi vſufructu, ſi in illis perſeuerauerit pro tempore ſucceſſionis. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt dum de amiſſione tutelæ *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. IV. prænot. 6. ad tertium dubium paulo ante prænot. II.*

Ratio eſt, quià quantum eſt ex parte coniugis binnubæ iniuria erga maritum priorem, & filios eſt conſummata, & completa, & quidem in apparentia matrimonij, ſi non in re, ſaltem in figura, ergo non eſt, cur pæna amiſſionis vſusfructus non debeat contrahi; Ob hanc eandem rationem docuimus ſupra *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon. IV. prænot. 6. in ſolut. ad ſecundam difficultatem paulo ante aſſert. 2.* conniugem binnubam amittere tutelam filiorum, quantumvis ſecundum matrimonium fuerit irritum, *& eadem prænot. 4. aſſert. 2. per totum* diximus per ſecundum matrimonium inualidum non euitare pænas à iure ſtatutas contra feſtinanter tranſeuntes ad ſecundas nuptias, & ibi reſpondimus ad omnia argumenta oppoſita, ad quæ vos remitto.

5 Non priuatur tali vſufructu, ſi tranſierit ad ſecunda vota de conſenſu prioris mariti, vel filiorũ.

Assertio IV. Si vxor, & reſpectiuè mater tranſierit de conſenſu tacito prioris mariti, vel filiorum ad ſecunda vota, non priuatur tali vſufructu, dummodò talis tacitus conſenſus ex coniecturis, & adminiculis habeatur pro ſufficienti. Conſonat cum ijs, quæ ſupra diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon. IV prænot. 6 ſub aſſert. 2. dub 9, & ſub eod. dub. verſ. diſputatur. 3.*, ad quæ vos remitto, & conſentit *Romanus conſ. 219. num 6. Gabriel tit. de ſecundis nuptijs concl. 1. nu. 29.*, quandonam autem conſenſus tacitus prioris viri

Digitized by Google

viri ſit ſufficiens exemplificat *Coſta in ſuis memor. in verb. nuptiarum cauſa*, & notat *Gabriel d. tit de ſecundis nuptijs concl.* 1 *nu.* 29. *&* 30., & ſpecialitèr quoad conſenſum tacitum filiorum notant *idem Romanus d. conſ* 219. *nu.* 2. *ad finem, Gabriel n* 33 *Coſta ibid. in verb. nuptiarum verſ. idem dicunt, Rolandus à Valle conſ.* 95. *n* 16 *vol.* 1. Quandonam autem dicantur tacite conſentire dicunt *Menochius conſ* 155 *n* 21. *vol* 2 *Rolandus à Valle d conſ.* 95. *n.* 25. *& ſeqq* tunc eſſe, quando ijdem filij ſunt præſentes ſecundis nuptijs, & dant munuſcula matri, vel vitrico.

6 Mulier trāſiens ad ſecūda vota, & remanens debitrix ex tutela filiorū poteſt carcerari.

Assertio V. Mater tranſiens ad ſecunda vota dimiſſa tutela, quam prius ſuſceperat, filiorum, ex qua facta eſt debitrix non obſtante Statuto 243., quo cautum eſt, mulieres bonæ famæ non poſſe carcerari pro aliquo debito, ſiue publico, ſiue priuato, poteſt carcerari *Bartolus in auth. matri, & Anis n.* 13 *C. quando mulier tutelæ officio. Marſilius in ſuo ſingul* 248 *verſ. quod tamen intellige. Rebuffus tract. de literis oblig art.* 11. *gloſ.* 3. *nu* 33. *verſ & pro adminiſtratione, Coarunias ſuo tract. relect* 2. *part. in initio n.* 7. *Menochius tract. de arbit. lib.* 1. *q.* 88. *num.* 12. *Borgn. Caualcanus tract. de Tutore nu.* 320 *Carpanus ad Statut. Mediol.* 243. *verſ nec mulieres bona fama.* Quæ tamen intelligenda ſunt, ſi mulier in ſuſceptione tutelæ renuntiauerit omni legum auxilio, *Bartolus in l ſi quis ſub conditione nu* 18. *ff de teſtam, Iaſon in l pleriq. ad finem ff de in ius vocando. & alij* quos refert *Carpanus loc. cit*, quinimmò aliqui volunt requiri ſpecialem derogationem dicto Statuto 243., vt mulier debitrix ex adminiſtrata tutela capiatur, cum hanc derogationem ſpecialem exigat idem Statutum.

7 Etiam vir ſecundus, cui ſecundo nupſit fæmina debitrix.

Facta hac ſpeciali derogatione poſſet etiam carcerari vir, cui ſecundo nupſit fæmina debitrix ex adminiſtrata tutela *Marſilius d ſing* 248. *verſ. & teneas menti.* Sed an vir, cui illa ſecundo nupſit, poſſit carcerari, etiam ſi non fuerit facta talis ſpecialis derogatio, eſt maximè ambigendum. Ratio dubitandi ex vna parte, eſt, quod fæmina non poſſit carcerari eſt priuilegium addictum tali ſtatuti, quod propterea non eſt extendendum ad alios extra talem ſtatum, & vir ipſe videtur deliquiſſe nubendo fæminæ, antequam reddiderit rationem adminiſtratæ tutelæ, & ſoluerit pro debito eiuſdem; vndè ex proprio delicto pœnam illam ſubiret. Ex alia parte, cum delictum principale ſit fæminæ ſecundo nubentis, & non ſatisfacientis pro debito adminiſtratæ tutelæ, æquum non videtur, quod grauiori pœnæ ſubſit maritus minus, & acceſſorie delinquens, cui non ſubſit fęmina grauius, & principalius delinquens. Quid igitur in hac hypotheſi concludendum? Tu cogita. Ego tutiorem crederem hanc ſententiam ſecundam.

PRÆNOTIO VIII.

De pœnis conuentionalibus aduerſus ſecundo nubentes.

SVMMARIVM.

Pœnæ conuentionales quoad præſens inſtitutum quænam intelligantur. 1.

Contrahentes ſecundas nuptias contra conuentiones pœnales tenentur ad huiuſmodi pœnas. 2.

Data contraria ſententia, quod ſtipulatio pœnalis de non contrahendis ſecundis nuptijs non ſubſiſteret, non firmaretur iuramento. 3.

Ex ſuppoſitione, quod iuramentum illud non obliget, non indiget relaxatione. 4.

Pœnæ conuentionales, de quibus in præſenti inſtituitur dubitatio, illæ intelliguntur, ſub quibus contrahentes in celebratione primi contractus matrimonialis ſe obligant ad non contrahendum aliud matrimonium poſt primum diſſolutum ex obitu alterius ipſorum; Non enim hic cōtrouertimus de pœnis, quibus ſponſi ſe obligant à non reſiliendo à ſponſalibus; huiuſmodi enim pœnas non tenere alibi diximus, cum aduerſentur libertati matrimonij, hocque expreſsè habetur *in c. gemma de ſponſal.* 1

1 Pœnæ cōuentionales quoad præſens inſtitutum quænam ſint.

De his ergo pœnis conuentionalibus dubitatur primò, an contrahentes ex vi talis conuentionis pœnalis obligentur, adeò vt recedentes à conuentione teneantur pœnam, de qua conuenerunt, ſubire. Secundo, an ſaltem obligentur ad pęnam, ſi conuenerint ſub iuramento. Tertiò, an ſaltem, vt poſſint impune nubere, quando conuentio firmata eſt iuramento, indigeant relaxatione iuramenti, an verò ea non impetrata poſſint ad alias nuptias conuolare diſſoluto priori matrimonio

Rationes dubitandi circa ipſas.

Assertio I. Probabilius contrahentes ſecundas nuptias contrà conuentiones pęnales teneri ad huiuſmodi pęnas. Ità expreſsè docuimus *tom* 5. *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib I. prænot. V. ſect X. nu.* 28., & expreſsè conſentit *Sanchez lib.* 7. *de matrimon diſp.* 88. *nu.* 37. *in fin.* 2

2 Contrahētes contra conuētiones pœnales obligātur.

Ratio ex eo deducitur, quià conditio reſpectu viduæ de non contrahendis ſecundis nuptijs licita eſt, & in iure admittitur per textum *in auth. cui relictum C. de indict vid. tol.*, ergo neque erit illicita conuentio reſpectu eiuſdem de non contrahendis ſecundis nuptijs ſub certa, & determinata pęna. Neque obeſſe poteſt

Conditio reſpectu viduæ de non nubēdo licita eſt.

Digitized by Google

textus *in cap. gemma de ſponſalibus*, vbi ſtipulatio pœnalis reijcitur ob matrimonij libertatem, quod idem habetur *in l. Titia, ff. de verb. obligat.*, *& in l. quoties, ff. de condit.*, *& demoſt.*, quinimmò huiuſmodi pœna eſt contra bonos mores, prout habetur *deciſ. Toloſan.* 292, & docet *Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. col. vlt. totius rubr. num.* 145. Non, inquam, obeſſe poteſt, quià prædicta iura procedunt dumtaxat de ſtipulatione pœnali ſponſalibus adiecta reſpectu Virginis, non autem reſpectu nuptæ in ordine ad vlteriores nuptias, vndè meritò dicitur, quod conditio reijcitur in ſponſalibus ratione libertatis matrimonij, non autem in matrimonio quoad vlteriores nuptias, quandò pridem maximè honeſtum eſt, & conueniens non nubere ſecundo. Neque vlterius obeſſe poteſt, quod allegatus textus *in auth., cui relictum C. de indict. vid. tol.* intelligendus ſit ſolummodò de pœna impropria, hoc eſt de non acquirendo, non autem de pœna propria, & de amittendo; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià textus indefinitè loquitur de quacunque pœna, qui proptereà magis tutè intelligendus eſt de pœna propria, & de amittendo, prout docuimus *d. tom.* 5. *prænot.* 5. *ſect.* 10 *num* 38.

Iura oppoſita procedunt de conuentione pœnali quoad virgines.

3 Data ſententia, quod ſtipulatio pœnalis de non contrahendis ſecundis nuptijs non ſubſiſteret, non firmaretur iuramento.

Assertio II. Data oppoſita ſententia, quod ſtipulatio pœnalis de non contrahendis ſecundis nuptijs non ſubſiſteret, nec obligaret, probabilius non firmaretur iuramento, nec ratione eiuſdem obligaret. Conſonat cum ijs, quæ diximus *tom.* 5. *ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib.* 1. *prænot.* 5. *ſect.* 10. *num.* 13., & conſentiunt *Bartolus in l. ſi quis pro eo num.* 6., *ff. de fideiuſ.*, *& in d. l. Titia in princip. num.* 11., *& ibid. Altiatus, ff. de verb. obligat.*, cum alijs concordantibus loc. cit.

Ratio ex eo deducitur, quià DD ſuſtinentes ſtipulationem illam pœnalem non ſubſiſtere, nec obligare, ideo ſuſtinent, quià arbitrantur illam eſſe contra bonos mores naturales, & peccaminoſam, vel læthalitèr, vt ſuſtinet *Bonacina de matrimon. quæſt.* 1. *punct. vlt. num.* 3. *verſ., ſed mihi probabilius*, vel ſaltem venialitèr, vt volunt *Caietanus verb. ſponſalia*, *Sanchez diſp.* 30. *num.* 2. *Coninchus diſp.* 22. *dub.* 5. *num.* 22., ſed iuramentum additum ſtipulationi contra bonos mores, & peccaminoſæ, neque firmat contractum, neque obligat ad ipſius executionem, quià iuramentum non poteſt eſſe de re illicita. Quod autem talis ſtipulatio pœnalis ſit de re illicita euincitur ex fundamentis huius ſententiæ, quibus aſſerunt eſſe contra publicam vtilitatem per textum *in l. fin. C. de ſecundis nuptijs*, *& cap. gemma de ſponſalib.*, & contra bonos mores naturales per textum *in l. Titia in princip.*, *ff. de verb. oblig.*

Stipulatio contra bonos mores non firmatur iuramento.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quantumvis iuramentum non confirmet contractum, ſit tamen obſeruandum ob diuini nominis honorem, vt docent *Bartolus in l. ſi quis pro eo num.* 10., *ff. de fideiuſ. Abbas cap. cum contingat num.* 8. *in initio*, *& cap.* 1. *num.* 12. *de iure iuran. Paulus auth. ſacramenta puberum num.* 3., *& ibi Iaſon num.* 3. *C. ſi aduerſus vendit. Caldas in l. ſi curatorem verb. minoribus num.* 3. *C. de in integrum reſtitutione*. Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, cum illud iuramentum ſuppoſita hac ſententia ſit de re illicita, in diuini nominis honorem non eſt obſeruandum, cum non poſſit in Dei honorem cedere, quod eſt contra Deum, vtpotè inhoneſtum, & peccaminoſum, cæteroqui iuramentum eſſet iniquitatis vinculum contra textum *in cap. quanto de iureiurand.*, vim enim obligandi tribueret promiſſioni iniquæ *Salicetus l. fin. num.* 11. *C. de ſponſalib. Altiatus in cap. cum contingat. num.* 25. *de iureiur.*

Inſtantia propoſita, & ſoluta.

Assertio III. Ex ſuppoſitione, qua huiuſmodi iuramentum non obliget, ſeù non valeat, non eſt neceſſaria relaxatio, ſed promiſſor poteſt impunè ad ſecundas nuptias conuolare. *Immola cap. cum contingat num.* 22. *de iureiur. Felinus c.* 2 *n.* 2. *eod. tit. Sanchez de matrimon. lib.* 1. *diſp.* 32. *num.* 2.

4 Ex ſuppoſitione, quod iuramentum non obliget, non indiget relaxatione.

Ratio ex eo deducitur, quià, quod ſecundum ſe non ligat, non indiget ſolutione, ſed ex præfactis in ſuppoſitione ſententiæ, quam recitauimus in ſecunda aſſertione, huiuſmodi iuramentum nō obligat, vtpotè quod eſt contra bonos mores naturales, & lædit libertatem matrimonij, ergò non indiget relaxatione, adeoque promiſſor non obſtante tali iuramento poterit immediatè tranſire ad ſecundas nuptias impunè; atque ſic ſuppoſita hac ſententia præter præcitatos DD. ſuſtinent *Salicetus in l. fin. num.* 11. *C. de ſponſalibus*, *Altiatus d. cap. cum contingat num.* 25. *de iureiur.*

PRÆNOTIO IX.

De pœnis improprijs, hoc eſt de non acquirendo reſpectu ſecundo nubentium.

SVMMARIVM.

Sinopſis examinandorum ſub hoc titulo. 1.

Legatum relictum à marito vxori ſub conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit, eidem debetur, quantumvis tranſierit ad ſecundas nuptias. 2.

Limita, ſi legans dixerit, ſi caſtè vixerit in domo mea. 3.

Item,

Item, ſi dixerit, ſi caſtè cum filijs meis commorata fuerit. 4.

In hac ſuppoſitione, ſi mulier initis ſecundis nuptijs cohabitaret cum filijs prioris matrimonij, vel, ſi non cohabitaret, hoc non eſſet ex propria culpa, ſed filiorum nolentium habitare cum ipſa, tunc ſiſtendo in præſumpta voluntate teſtatoris amitteret legatum, attentis verbis non amitteret 5.

Si filij nolint cohabitare cum matre binnuba, ipſa amittit legatum. 6.

Si mater binnuba recederet à filijs, quià iſti eiecerunt vitricum, amitteret legatum. 7.

Si legatum fuerit relictum viduæ, ſi caſtè, & honeſtè vixerit, non amittitur per ſecundas nuptias, ſiuè fuerit relictum à conſanguineis eiuſdem viduæ, ſiuè ab alijs. 8.

Etiam, ſi tranſierit ad tertias, & vlteriores. num. 9.

Nonnulla reſtrictiones huius ampliationis. num. 10.

Si legatum fuerit relictum ea adiecta conditione, donec caſtè, & honeſtè vixerit, nullo modo amittitur per ſecundas nuptias in noſtra ſententia. 11.

In ſententia aſſerente legatum illud amitti per tranſitum ad ſecundas nuptias, ſi dictum fuerit, ſi caſtè, & honeſtè vixerit *amittitur; quandò dictum fuit* donec caſtè, & honeſtè vixerit *amittitur quoad fructus correſpondentes tempori poſt ſecundas nuptias, non verò correſpondentes tempori ante eaſdem.* 12.

Dictio, donec, *reſtringit diſpoſitionem cum perſeuerantia vſque ad tempus, cui eſt adiecta.* 13.

Idem intellige, ſi dictum fuerit, quandiù, quouſque, vſquequo 14.

Particula. dummodò, *importat non ſolum perſeuerantiam, ſed etiam perpetuitatem. num.* 15.

Particula, donec, *facit legatum annuum.* 16.

Si legatum relictum fuerit ſub conditione negatiua ſecundo non nubendi, debetur poſt mortem teſtatoris, præſtita tamen cautione à legataria illud reſtituendi cum omnibus fructibus ab initio perceptis. 17.

Hæc cautio debet eſſe fideiuſſoria, ſi poſſit haberi, aliter ſufficit iuratoria. 18.

Legatum relictum ſub conditione negatiua, quamvis præſtetur cautio Mutiana, non poteſt peti intra annum à die obitus teſtatoris, niſi ſpes nuptiarum deficiat. 19.

Hic annus, intra quem peti non poteſt legatum, computandus eſt à die obitus teſtatoris. 20.

Legatum annuum relictum ſub conditione temporanea non contrahendi ſecundas nuptias, ſi legataria non paruerit conditioni ad medietatem anni, legatum eidem debetur quoad omnes fructus illius anni, de æquitate tamen debetur tantum quoad fructus pro rata temporis vniformi. 21.

Legatum relictum viduæ, ſi caſtè, & honeſtè vixerit, amittitur per actus fornicarios voluntariè ab eadem admiſſos. 22.

Non amittitur tamen, ſi per vim patiatur huiuſmodi actus, nec per metum cadentem in conſtantem virum. 23.

Amittitur tamen per voluntarios amplexus, oſcula, & actus impudicos citrà copulam. num. 24.

Etiam ſi legatum ſub illa conditione fuerit relictum ab alio à marito. 25.

An amittatur per vnam fornicationem, vnicum oſculum, & ſimilia refertur ſententia Sanchez. 26.

Probabilius non amittitur per vnicam fornicationem. 27.

IN quæſtionibus de ſponſalibus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. prænot. 5. ſect. 10., & ſeqq.* duplicis generis pœnas diſtinximus; alias conſiſtentes in amittendo quæſito, quas etiam proprias diximus, alias in non acquirendo, quod relictum eſt, quas improprias noncupauimus. Hactenus de primis egimus in præcedentibus prænotionibus, nunc de ſecundis ex profeſſo, prout diriguntur contra ſecundo nubentes contra voluntatem diſponentis, legantis, ſeù inſtituentis.

1 Sub hoc igitur titulo plurima inquirentur ſcitu digniſſima, & primò, an legatum relictum fœminæ viduæ ſub ea conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit, amittatur, ſi tranſeat ad ſecundas nuptias; ſecundo quid ſentiendum ſit, ſi fuerit relictum ea adiecta clauſula, *donec caſtè vixeris*, & perſeuerauit per aliquot annos in honeſta viduitate, & poſteà tranſierit ad ſecundas nuptias, an in hac ſuppoſitione iuxtà ſententiam aſſerentem per tranſitum ad ſecundas nuptias amitti legatum poſſit retinere fructus legati pro tempore, quo vixit in honeſta viduitate, an verò teneatur reſtituere totum, quod recepit ex illo legato. Tertiò, quomodo res ſit habenda, quandò quis inſtitutus eſt hæres, vel legatarius ſub conditione negatiua non nubendi. Quartò, an legatum annuum relictum ſub conditione nō nubendi ſecundo temporanea debeatur quoad fructus vltimi anni, pro quo ceſsat conditio. Quintò, an legatum relictum ſub conditione abſtinendi à ſecundis nuptijs poſſit intra annum peti. Sextò, quid ſentiendum ſit, ſi legatum fuerit matri à filio ſub ea conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit, & ipſa tranſierit ad ſecunda vota, & quid, ſi relictum fuerit ab alijs coniunctis perſonis, vel ſanguine, vel amicitia. Septimo, an legatum vſusfructus relictum à viro vxori, quamuis tranſeat ad ſecundas nuptias, amittatur, ſi illa tranſierit poſt ſecundas ad tertias, & vlteriores. Octauo, an legatum relictum ſub conditione non tranſeundi ad ſecundas

Sinopſis examinandorum in hac prænotione.

Digitized by Google

nuptias amittatur, ſi fæmina legataria fornicetur, & alia huiuſmodi.

2 Relictum ſub conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit, debetur etiam ſi tranſeat ad ſecundas nuptias.

ASSERTIO I. Legatum relictum à marito vxori ſub conditione, *ſi caſtè, & honeſtè vixerit*, eidem debetur, quantumvis tranſierit ad ſecundas nuptias *Molina tract. 2. diſp. 207. concl 4 Vaſquez cap. 7 de teſtamentis § 1. dub. 7. Silueſter verb. legatum quæſt. 5. Vega 2. tom. ſumma cap. 37. caſ. 9., & ex Iuriſtis Abbas cap., quod à te nu. 3. de cleric. coniug. Albericus l fin. num. unico C. de bonis matern Felinus cap. ſi cautio num. 40. verſ., & hinc eſt, quod licet de fid. inſtrum.*

Ratio ex eo deducitur, quià mulier ſecundo nubens non tranſgreditur conditiones appoſitas à teſtatore caſtè, & honeſtè viuendi, ergò non eſt, cur non debeat lucrari legatum. Antecedens probatur, quià ſecundæ nuptiæ ſunt caſtæ per textum *cap. Nicena diſt. 31., & l. mulier §. cum proponeretur, ff. ad ſenatus conſult. Trebel.*, vbi ſecundæ nuptiæ dicuntur mulieris pudicitiæ congruere, quod confirmari poteſt ex *D. Thoma 2. 2. quæſt. 152. art. 3. in corpore*, vbi aſserit virginitatem excludere quemcunque actum venereum, etiam licitum, caſtitatem verò ſolum illicitum, ex quibus concludentèr euincitur à caſtitate non excludi actum venereum, qui habetur ex ſecundis nuptijs, cum hic non ſit illicitus. Atque huic opinioni præter præcitatos DD. aſsentiuntur *Maritha de ſucceſſione part. 4 quæſt. 12. art. 2. nu. 72., & ſeqq Surdus de aliment. tit. 7. q. 23. Gailus obſeru. lib. 2. num. 25 Coaruuias de ſponſalib. part 2. cap. 3. § 9. num. 13. Gaſpar Anton. Theſaurus qq. for. lib. 1. quæſt 28. num. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 11. num. 603.*

Legatum latè eſt interpretandum.

Ratio poteſt eſse ſecundo, quià legatum ex genere ſuo debet etiam latè interpretari, ne reddatur caducum; quomodocunque poteſt ſine læſione expreſsæ voluntatis legantis *l cogi in princip., & l. ex facto §. ſi quis, ff. ad Trebel. Peregrinus de fideicom. art. 31. num. 20. Molfeſius ad conſuet. Neapol. part. 4 q. 3. num. 15. in fin.*, quod etiam aliqui extendunt, quandò ad impropriam ſignificationem verba legati deberent deflecti, ergo, cum re vera in ijs ſecundis nuptijs non vitietur caſtitas, non erit, cur legatum non debeat plenum ſuum effectum ſortiri.

3 Limita, ſi teſtator dixerit, ſi caſtè vixerit in domo mea.

Hæc tamen limitanda ſunt, quandò ex contextu verborum conijceretur mens teſtatoris, ſeù legantis tendere ad excluſionem eiuſdem à legato, ſi ad ſecundas nuptias conuolaret, prout etiam limitant *Bartolus in d. l. mulier §. cum proponeretur nu. 5. ff. ad Trebel. Surdus de aliment. tit. 7. q 23. Vaſquez de teſtamentis c. 7. num. 18.*, Hoc contingeret primò, ſi teſtator diſponeret de legato in fauorem vxoris, ſi caſtè viueret in domo ſua *Mantica lib. 11. tit. 19. num. 31. Baldus l. voluntatis num. 10. C. de fideicom. Iaſon l. 1. nu. 5. C. de legatis. Surdus de alimentis tit. 7. q. 23. num. 22. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 91. nu. 51.*, quià tunc, cum tranſit ad ſecundas nuptias, non dicitur caſte in domo prioris mariti viuere.

4 Item ſi dixerit, ſi cũ filijs meis caſtè cõmorata fuerit.

Secundo contingeret, ſi teſtator diſponeret de legato in fauorem vxoris, ſi cum filijs coniugis legantis caſte commorata fuerit; tunc etenim non purificaretur conditio per teſtatorem appoſita. Sed quid, ſi mater tranſiret ad ſecundas nuptias, velletque ſimul cum filijs prioris matrimonij habitare, & defacto habitaret, vel ſi non cohabitaret, hoc proueniret ex defectu eorundem filiorum, qui reſpuerent illius conſortium in habitatione, an tunc lucraretur illud legatum; tunc ſecundum varias conſiderationes eſſet quæſito ſatisfaciendum, vel etenim initis ſecundis nuptijs de facto cum filijs prioris matrimonij cohabitaret, vel non cohabitaret, quià filij nollent acquieſcere ipſius conſortio, & cohabitationi, vel quià, quamvis filij eius cohabitationi acquieſcerent, non acquieſcerent cohabitationi ſecundi mariti, & ſic illum eicerent, qua poſita eiectione mater, vt ipſum aſſequeretur, ſeu comitaretur, ab eiſdem filijs recederet.

Quid ſi voluerit ipſa cohabitare cum filijs, ſed ipſi noluerint?

Variæ cõſiderationes.

Iuxtà primam conſiderationem difficultas pendet ab intellectu eius; quod intenderit teſtator in tali diſpoſitione legati, an ſcilicet voluerit ſecundas nuptias excludere, an vero præcisè negationem cohabitationis cum filijs; & quidem attenta conſuetudine, ſecundum quam mulier nubens tranſit ad domum mariti, videtur aſſerendum voluiſſe excluſionem à ſecundis nuptijs, ſicuti eandem præſumitur voluiſſe, dum de eodem legato diſpoſuit in fauorem eiuſdem mulieris, ſi caſtè vixerit *in domo eiuſdem mariti*; ſicuti enim ex eo, quod dixerit *in domo mea* præſumitur noluiſſe ſecundas nuptias attenta conſuetudine, ſecundum quam mulier nubens traducitur extra domum ad domum mariti, ità ex eo, quod dixerit *cum filijs meis* præſumendus eſt noluiſſe ſecundas nuptias attenta eadem conſuetudine, ſecundum quam mulier tranſiens ad ſecunda vota deſerit filios; & tranſit ad ſecundum maritum. Accedit, quod mulier tranſiens ad ſecunda vota amittit ipſo iure tutelam filiorum per ea, quæ ſupra probauimus, & hoc etiam intelligitur, quantumvis eadem habitaret cum eiſdem filijs, quià militat ratio ſuſpicionis, ne propter nimium affectum erga ſecundũ maritum diſtrahat bona eorundem, ergò etiam præſumenda eſt amittere legatum, quantumvis cohabitat cum filijs prioris mariti, quando tranſijt ad ſecunda vota, & hoc ex præſumpta voluntate teſtatoris, qui ex

5 Sententia aſſerens amittere legatum.

quo

Digitized by Google

quo voluit legatariam permanere caſtè cum proprijs filijs, intelligitur voluiſſe cuſtodiam eorumdem filiorum, adeòque excludere ea omnia, quæ poſſunt eſſe impedimento tali cuſtodiæ, & educationi, & per conſequens etiam ſecundas nuptias, cum quibus non præſumitur illa cuſtodia, & educatio, cum animus intelligatur conuerſus ad ſecundum maritum, & quodamodò auerſus à filijs prioris matrimonij.

Sententia aſſerens non amittere.

His tamen non obſtantibus alij aſſerunt in ea hypotheſi, nullatenus mulierem tranſeuntem ad ſecundas nuptias, & adhuc cohabitantem cum filijs prioris matrimonij amittere legatum, quià nihil eſt, quod aduerſetur conditioni appoſitæ per teſtatorem; ipſa enim adhuc caſtè viuit, cum ſecundæ nuptiæ ex allegatis iuribus ſint caſtæ, & caſtitas ſolummodò excludit actum venereum illicitum; & vere cohabitat cum filijs prioris matrimonij, atque ità ſentire videntur *Bartolus*, & *Paulus in l. cæterum 4. verſ. quod ergo ſi vidua iuncto verſ. mulieri ff. de vſu, & habit.*, & *in l. cum tale verb. ſententia, & ibi Gloſa ff. de condit., & demonſt. Paulus in l. ſi vir uxori §. cum vir num. 1. ff. eod. tit. Salicetus in l. 1. num. 4. C. de legat.*, vbi ait conſulendum tunc eſſe filijs, ne matrem expellerent; ne tunc per filios videatur ſtetiſſe, ſed vt ſolum maritum expellant, & tunc mater ex debito ſequetur virum, ac legatum perdet, nec filijs imputari poterit matris receſſus; ex quibus deducitur, quod, ſi mater permanſerit cum eiſdem filijs, quantumvis contraxerit ſecundas nuptias, non amittat legatum ſub ea conditione ſibi relictum.

Conſilium Saliceti circa hunc caſum.

Quid igitur in hac hypotheſi concludendum? Attenta verborum proprietate, quibus conceptum eſt huiuſmodi legatum, arbitror hanc ſecundam ſententiam præferendam; attenta tamen præſumpta teſtatoris voluntate præferrem primam; atque huic opinioni aſſentiri videtur *Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 91. num. 48.*

6 Si filij nolint cohabitare cum Matre, quę contraxit ſecundas nuptias, ipſa priuatur legato.

Iuxtà ſecundam conſiderationem ſentio abſolutè, quod, ſi filij nollent cohabitare cum matre, quæ contraxit ſecundas nuptias, eadem priuaretur legato *Baldus in l. 1. n. vnico C. vbi pupilli educari debeant Angelus in l. 1. C. de legatis, & ibi Iaſon n. 5. Prapoſitus c. fin. de ſecundis nuptijs col. penult. n. 4. verſ. ſed quid ſi relinquat Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. pœna 15. nu. 33.*, quibus expreſsè adhærent *Sanchez de matrimon. d. lib. 7. diſp. 91. nu. 48. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 11. num. 605.* Ratio ex eo deducitur, quià in ea hypotheſi non verificatur conditio appoſita per teſtatorem cohabitationis cum proprijs filijs: nec obeſſe poteſt, quod hoc non proueniat ex culpa eiuſdem matris binnubæ, ſed ex voluntate filiorum, qui renuunt cum eadem cohabitare, quorum proptereà culpæ eſt imputandum, quod non cohabitet, & in eorum damnum cedere debet; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià filij non renuunt ſine rationabili cauſa cohabitare, quam cauſam dedit eadem mater tranſeundo ad ſecundas nuptias, cum reddatur ſuſpecta, & filij ipſi poſſint timere de odio vitrici, eidemque nolle ſubiacere, quæ cauſa eſt imputanda eidem Matri, adeòque eiuſdem damno cedere debet non cohabitatio.

7 Si Mater binnuba recederet à filijs, quià ipſi eiecerunt vitricum, amitteret legatum.

Iuxtà tertiam conſiderationem etiam ſentio, quod, ſi mater binnuba recederet à filijs, cæteroqui cum ipſis permanſura, ex eo, quod ijdem filij eiecerint e domo propria vitricum, quem ex onere coniugij tenetur ſequi eadem mater binnuba, adhuc priuaretur legato *Salicetus in l. 1. num. 4. ff. de legat.* Ratio ex ijs deducitur, quæ dicta ſunt in præcedenti conſideratione, quià ſcilicet non ſtat per eoſdem filios, quin Mater cum ipſis cohabitet, cum ipſi eandem non expellant, & ius habent expellendi vitricum, cum poſſint nolle eidem ſubiacere, quod, ſi mater ex hoc teneatur ſequi eundem ſecundum maritum, hoc eſt ex conditione nuptiarum, quam ſibi ipſa intulit, cui proptereà imputanda eſt ipſa non habitatio, & in ipſius damnum cedere debet.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in aſſertione, eiuſque probatione, validum videtur militare argumentum ſitum in eo, quod attenta qualitate perſonæ teſtatoris, ſeu legantis, qui eſt maritus eiuſdem vxoris, coniectanda ſit eius mens, quod voluerit excludere ſecundas nuptias per illam conditionem, *ſi caſtè, & honeſtè vixerit*, quandoquidem viris maximè exoſæ ſunt ſecundæ nuptiæ reſpectu propriæ vxoris, prout habetur *in auth. de nuptijs § ſi autem tutelam verſ. nos autem, auth. de non eligendo ſecundo nubentes §. proſpeximus*, & *auth. de nuptijs § quæ vero nunc ſequuntur verſ. non igitur, & verſ. qui igitur.*

Variæ rationes, propter quas maritus præſumitur excludere ſecũdas nuptias, quãdò dixit, ſi caſtè, & honeſte vixerit.

Adde primò, quod per ea verba, *ſi caſtè, & honeſtè vixerit*, videtur vir voluiſſe ſibi fidem ſeruari, ac iura prioris coniugij inuiolata perſiſtere; per ſecundas autem nuptias fides non ſeruatur, nec iura prioris matrimonij illæſa perſeuerant per textum *in auth. de non eligendo ſecundo nubentes §. cum igitur paulo ante verſ. ſin autem*. Adde ſecundo, quod licet ſecundæ nuptiæ ſecundum ſe caſtę ſint, & honeſtæ, non ſunt tamen tales, quales deceant virum relinquentem legatum, nec coniux binnuba talis reputatur, qualis conuenit marito erga ipſam benemerenti: Adde tertiò, quod per illam deputationem legati præſumitur maritus legans voluiſſe caſtitatem, non quomodocunque, ſed caſtitatem ſibi gratiſſimam, qualis non eſt illa, quæ habetur per ſecun-

das

Digitized by Google

das nuptias. Nihilominus facilè erit ad hæc omnia reſpondere. Ad primum dicendum eſt, quod, quamvis ſecundæ nuptiæ ſint maximè exoſę maritis, non propterea intelligatur per illas præciſè legatum amiſſum, quià, vt legatum debeatur, ſufficit, quod verificetur conditio, & ſi voluiſſet ſecundas nuptias excludere, debuiſſet claris verbis explicare; Neque dicas, quod hac ratione etiam non amitteret mulier binnubà legatum, ſi teſtator dixerit, *ſi caſtè, & honeſtè vixerit in domo mea, vel cum filijs meis*, ſi de facto cum illis habitauerit, quandòquidem ex vno capite verificatur conditio, & ex alio, ſi voluiſſet excludere ſecundas nuptias, debuiſſet clarius exprimere; contrà enim impugnaberis, quià quando dixit, *ſi caſtè, & honeſtè vixerit in domo mea, vel cum filijs meis* ſupponitur legans, ſeu teſtator ſe conformaſſe conſuetudini, ſecundum quam ſecundo nubens tranſit ad domum mariti, adeòque voluiſſe excludere ſecundas nuptias, per quas regularitèr fit receſſus à domo, & à filijs; quando autem præciſè dixit, *ſi caſtè, & honeſtè vixerit*, ſine alio addito nulli conſuetudini poteſt conformari, adeòque debet reduci ad fortem verborum ſignificationem. Ad id, quod additur primo loco, gratis omnino dicitur, quod per illam conditionem voluerit fidem, & iura primi matrimonij ſibi inuiolata ſeruari, & ſi hoc voluiſſet, debuiſſet exprimere; Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod non ſit pręſumendum, quod voluerit præciſè auertere actus fornicationis in propria vxore, cum de peccato non ſit præſumendum; vndè voluit quid aliud interdicere, quod aliud eſſe non poteſt, niſi abſtinentia à ſecundis nuptijs; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià præſumitur voluiſſe omni iure, & modo transferre legatum in propriam vxorem cum reſeruatione ſolummodò indignitatis ratione actuum fornicariorum in eadem, & licet non ſit pręſumēdum de fornicatione in propria vxore, nihilominus poteſt iuſtè apponi conditio de illa, ne ſpecialis fauor ei inferatur, qui grauiorem iniuriam inureret benefactoris; hoc paritate poteſt euinci in Patre, qui hæreditatem defert filio ſub ea conditione, *niſi deliquerit in Principem*, vbi certè non eſt præſumendum de delicto filij in Principem, & tamen apponitur ea conditio, vel ad auertendum filium à tali delicto, vel ad quid aliud. Ad illud, quod additur ſecundo loco, dicendum eſt, quod licet abſtinentia à ſecundis nuptijs magis deceat coniugi erga maritum ſpecialitèr benemerentem ratione legati, niſi tamen expreſsè hæc exigatur ab eodem marito, non intelligatur ſpecialitèr volita, vndè præſumi debet legatum relictum eidem vxori ob benemerita præcedentia, & obſequia præſtita eidem marito in primis nuptijs, ea adiecta conditione, ſi non deliquerit, non ad auertendam coniugem ab vlterioribus nuptijs, quid idem dicendum eſt quoad ea, quæ afferebantur tertio loco.

Soluuntur omnes iſtę rationes.

8 Si legatum fuerit relictū viduæ, ſi caſtè, & honeſtè vixerit non amittitur, ſiuè fuerit relictum à conſanguineis eiuſdè viduæ, ſiue ab alijs.

ASSERTIO II. Si legatum fuerit relictum viduæ ſub ea conditione, *ſi caſtè, & honeſtè vixerit*, non amittitur ab eadem, ſi tranſierit ad ſecundas nuptias, ſiue eidem relictum fuerit à Patre, vel Matre, aut fratre, aut alio ipſius viduæ conſanguineo, aut ab alio extraneo priori marito, aut eius filijs, nec ſanguine, nec amicitia coniuncto, ſiue relictum fuerit à filijs, Patre, vel matre prioris mariti, alijſque, ſiue conſanguinitate, ſiue amicitia coniunctis eidem priori marito. Ità DD. omnes præallegati pro præcedenti aſſertione, & in terminis proprijs *Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. c. 11. n. 603.*

Et quidem quoad primam partem vix videtur habere poſſe difficultate præſens aſſertio, quandòquidem, ſi quæ eſt ratio dubitandi pro contraria ſententia, ea eſt, quià ſecundæ nuptiæ, quantumvis ſecundum ſe caſtæ, ſunt tamen valdè exoſæ; ſed non intelliguntur exoſæ conſanguineis eiuſdem viduæ, quinimmò eiſdem magis gratæ, cum parentella dilatetur, nec alijs extraneis reſpectu prioris mariti, vt per ſe patet, ergo &c.

9 Etiam ſi tranſierit ad tertias, & vlteriores nuptias.

Hinc amplia hanc primam partem aſſertionis, vt procedat etiam non ſolum in ordine ad ſecundas nuptias, ſed etiam in ordine ad tertias, & vlteriores, quidquid ex aduerſo ſenſerint *Angelus in l. mulier §. cum proponeretur ff. ad Trebel. Hypolitus ſing. 577.*, prout nobiſcum ſentiunt *Couarruuias de ſponſal. part. 2. c. 3. §. 9 num 13. Mantica lib. 11. tit. 19. num. 21. Gaſpar Antonius Theſaurus qq for lib. 1. q 28. n. 4. Ioannes Angelus Boſſius de matrim contr c. 11. n. 598.*, & pro hac ampliatione militat ratio adducta pro probatione eiuſdem primæ partis; Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod nuptiæ vltra ſecundas ſint ſecundum ſe maximè deteſtabiles, & exoſæ, vt potè, quæ indicant maximam incontinentiam, prout latè probat *Iulius Samnazarius de ſponſal. & matrimon. c. 3. art. 4 n 73.*, & mulier vltrà ſecundas tranſiens ad alias nuptias æquiparatur mulieri impudicę per textum *in l his ſolis C. de reuoc. donat.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quià licet vlteriores nuptię ad ſecundas pręferant incontinentię ſigna, tales tamen nuptię ſecundum ſe non inferunt aliquam fœditatem, cum potius ſint remedium incontinentię pręſuppoſitę, ne tranſeat in peccatum, vndè ſecundum ſe caſtę ſunt, & honeſtę.

Reſtringunt tamen primo in hypotheſi, qua ex præſumpta teſtatoris voluntate per talem conditionem intelligeretur à ter-

10 Nonnullæ reſtrictiones prædictæ ampliationis.

tertijs, & vlterioribus nuptijs interdicta, vt, ſi ex eiſdem contingeret aliqua familiæ denigratio, veluti, ſi nuberet perſonæ indignæ. Secundò, ſi ſexagenaria, vel induta habitû tertij ordinis Sancti Franciſci. Tertiò, ſi vidua poſt ſecundas nuptias vouerit abſtinentiam à tertijs, & vlterioribus. Sed quoad primum, & ſecundum caſum non libentèr annuerem huic limitationi, quandòquidem ea, quæ in eiſdem dicuntur, æquè verificarentur quoad ſecundas nuptias, ac quoad tertias, quod tamen non eſt de facili fatendum, cum ſemper verificetur, quod per ſecundas nuptias caſtè, & honeſtè viuat, nec ſufficit indignitas perſonæ, cum qua ſecundo nubit, quià hoc non infert negationem caſtitatis, & honeſtatis, quam ſolum conſiderauit teſtator, & ſi alitèr voluiſset, debuiſset exprimere, nec ætas ſexagenaria infert in ſecundo nubente inhoneſtatem, & negationem caſtitatis, cum nuptiæ in tali ætate non interdicantur. Quoad tertium caſum, vtique admitterem limitationem, maximè, ſi teſtator nouerit votum caſtitatis, prout eandem admittunt *Angelus auth. de reſtitutione, & ea quæ parit § vnico num 8 verſ. ibi caſtitate Antonius Franciſcus addit ad Abbatem cap. vt clericorum nu 5. de vita, & honeſt. cler. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp 91 nu. 28. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 11 num.* 600. Ratio ex eo deducitur, quià reſpectu talis perſonæ ſecundæ, & vlteriores nuptiæ non ſunt caſtæ, nec honeſtæ aduerſante voto caſtitatis, ergò attenta qualitate perſonæ nota eidem teſtatori non verificatur conditio appoſita per eundem teſtatorem, adeoque non acquiretur legatum.

Quoad ſecundam partem etiam facilè ex eo euincitur, quià, ſi non amittitur legatum, quandò ea conditio appoſita eſt per maritum, reſpectu cuius magis præſumendæ ſunt exoſæ ſecundæ nuptiæ per ea, quæ in præcedenti aſsertione latè probauimus, multo minus amitti præſumendum eſt per ſecundas nuptias, quandò conditio illa appoſita eſt per conſanguineos eiuſdem mariti, vel per coniunctos amicitia, cum reſpectu eorundem minus videantur exoſæ.

11 Si adiecta fuerit conditio, donec caſtè, & honeſtè vixerit per ſecundas nuptias, nō amittitur in noſtra ſententia.

Assertio III. Si legatum, vel hæreditas fuerit relicta eā adiecta clauſula, *donec caſtè, & honeſtè vixeris*, tunc juxtà noſtram ſententiam aſserentem per has particulas non excludi ſecundas nuptias, legatum, vel hæreditas plenè acquiritur non ſolum ſecundum fructus correſpondentes tempori ante eaſdem ſecundas nuptias, ſed etiam correſpondentes tempori poſt eaſdem nuptias; iuxtà ſententiam verò aſserentem per illas particulas excludi abſolutè ſecundas nuptias, legatum, ſeù hæreditas amittitur, quoad fructus correſpondentes tempori poſt eaſdem ſecundas nuptias, non quoad correſpondentes tempori ante eaſdem. Prima pars conſonat cum ijs, quæ diximus in præcedentibus aſsertionibus. Secunda eſt *Baldi in l cum filius §, qui Mutianam nu vnico, & ibi Immola ad fin. ff de legat. 2 Saliceti l fin num 3 C de indict. vid tol. Altiati l. ſtychum num 12. verſ exiſtimarim, ff. de leg. 2., & rub. ff ſolut. matrim nu* 13. *Mantica de coniect. vlt. vol lib.* 10. *tit.* 2. *num.* 14, *& lib.* 11. *tit* 19 *num* 22 *Natta conſ.* 159. *num* 17. *Sanchez de matrim. lib.* 7. *diſp* 91 *num* 7.

12 In ſententia verò aſſerēte per tranſitum ad ſecundas nuptias amitti legatum, tunc amittitur quoad fructus correſpondentes tempori poſt nuptias, nō verò tempori ante eaſdem.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià per ſuperius dicta mulier tranſeundo ad ſecundas nuptias adhuc caſtè, & honeſtè viuere dicitur, ergò legatum relictum ſub clauſula, donec *caſtè, & honeſtè vixeris*, adhuc eidem debetur, ſi tranſierit ad ſecundas nuptias, non ſolum quoad fructus præcedentes, ſed etiam ſubſequentes ad eaſdem, quià adhuc poſt eaſdem caſtè viuere dicitur.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià illa particula, *donec*, eſt limitatiua, & reſtrictiua temporis, habetque naturam ſuſpenſiuam, & diſpoſitionem ſuſpendit per textum *in l. legatum. ff de ann leg. Gloſa verb. donec in clement.* 1 *de cenſib. Decius conſ.* 621. *nu* 7 *Alexander conſ.* 66. *num.* 3. *lib* 2. *Menochius conſ* 15. *num.* 40. *Surdus conſ* 186. *nu.* 15 *Hondedeus conſ* 6. *num.* 36. *vol.* 1., & requirit perſeuerantiam ad effectum conſequendi legatum pro annis futuris *Decius in l ſi quis heredem n* 7. *C. de inſtit Natta conſ* 459 *num.* 16. *Caualcanus in tract. de vſufructu mulieri relicto cap* 9. *num.* 120. nam ſtante hac dictione legatum pro primo anno erit purum, & pro ſequentibus conditionale *Boerius deciſ.* 44 *nu.* 39; vndè in terminis noſtræ aſsertionis docent, quod mulier per tranſitum ad ſecundas nuptias amittat illud legatum in futurum, pro tempore tamen præterito legatum valuerit, nec mulier teneatur fructus perceptos reſtituere, quamvis ceſsarit conditio viduitatis, & caſtitatis, quià in præteritum licitè fructus percepit *Caualcanus in tract. de vſufruct. mulier. relicto cap* 9 *nu.* 115. *Aimon conſ.* 300. *num.* 5. *Pariſius conſ.* 95. *num* 44. *vol.* 2. *Socinus conſ* 81. *num.* 7 *vol.* 3. *Ruinus conſ.* 51. *num.* 17. *vol* 2 *Decius conſ.* 621. Quod autem hæc dictio, *donec*, reſtringat diſpoſitionem cum perſeuerantia vſque ad tempus, cui adiecta eſt, docent præter præcitatos *Bartolus in l.* 1 *col.* 6. *ff de condit. & demonſt Socinus Iunior conſ* 76 *num.* 113. *lib.* 1. *Albertus Brunus in tract de ſtatut., quod ſtante maſculo art.* 10 *quæſt.* 5. *num.* 72 *Surdus conſ.* 186 *num.* 15. *Hondedeus conſ.* 29. *num.* 3. *vol.* 1.

13 Reſtringit diſpoſitionē ad tempus, cui eſt adiecta

Am-

Digitized by Google

14 Dictiones æquivalentes ly, *donec*.

Ampliatiuè ad hanc aſſertionem, aduerte idem ſentiendum eſſe, ſi pro illa particula, *donec*, in diſpoſitione apponantur illæ dictiones *Quandiu, quouſque, vſquequo, & quoad*, quia ſunt eiuſdem omninò effectus *Boerius deciſ. 44. num. 30., & 38. Coſinus in pragmat. ſanct. tit. de collat. §., quod. ſi quis verbo donec, Vulpe de præpoſ., & aduerb. ſignif ſub hac dictione part. 23. Natta conſ. 459 nu. 16. vol. 2. Surdus conſ. 186. num 16., & conſ. 476 num. 2.*

15 Particula, *dummodò* importat perpetuitatem.

Quæ tamen hactenus dicta ſunt, non procederent, ſi in diſpoſitione diceretur, *dummodò caſtè, & honeſtè vixerit*, quià hęc particula, *dummodò*, importat non ſolum perſeuerantiam, ſed etiam perpetuitatem; vndè, ſi vxor in caſu prædicto ſteterit vidua per triennium, & perceperit, fructus triennales, & poſteà nupſerit tenebitur reſtituere fructus, quos percepit pro illo triennio, pro quo ſteterit in viduitate *Pariſius conſ. 95. num. 44 vol. 2. Berous qu. 99. num 3 Caualcanus in tract. de vſufructu mulier. relict cap. 9. num. 117., & ſeqq.*, quià non eſſet perpetuitas, quam intelligitur voluiſſe teſtator, indicata per illam particulam *dummodo*.

16 Particula, *donec*, facit legatũ annuum.

Ex quibus deducere poteris, quod particula, *donec*, & aliæ ſimiles faciant legatum annuum *l. legatum ff de annuis legatis, Surdus de alimentis tit. 2 qu. 15. num 192. Vulpe de præpoſ., & aduerb. ſignific. ſub hac dictione num. 5.*

17 Si legatum relictum fuerit ſub cõditione negatiua non nubendi ſecũdo, debetur poſt mortem teſtatoris præſtita tamen cautione à legataria illud reſtituendi, cũ fructibus omnibus ab initio perceptis.

Assertio IV. Si legatum relictum fuerit ſub conditione negatiua non nubendi ſecundo debetur poſt mortem teſtatoris legatum, præſtita tamen cautione à legataria illud reſtituendi cum fructibus omnibus ab inito perceptis. Conſentiunt *Gregorius Lopez l. regia ſeptima tit. 4. verb. non quiſiere, Molina tom. 1. de iuſtit. tract 2. diſp. 26 col penult. verſ, quandò aliquis, Sanchez de matrimon lib. 7 diſp. 91. num 6. Alter Molina lib. 2. de primog cap 12. n. 21. Mantica de coniect. vlt vol. lib. 11. tit. 19. num. 22.*

Expreſsè colligitur *ex l. mutiana, & l. hæres meus §, qui poſt mutianam, & §. quamuis, ff. de condit., & demonſt. l. cum filius §., qui mutianam, ff de legatis 2.* Hæc autem cautio præſtanda per legatarium recipientem legatum dicitur Mutiana, quià à Mutio inducta eſt. Nec incongrua ratione hæc deciſa reperiuntur, quandòquidem in primis, ſi tranſmiſſio legati diferri deberet vſque ad implementum conditionis, deferri deberet poſt mortem legatarij, cum quouſque vixerit, poſſet non parere conditioni, quod tamen non videtur aſſerendum, eo quià in ordine ad legatarium eſſet omninò ſuperfluum. Deindè ſuppoſita tali tranſmiſſione, cum conditio negatiua obliget ſemper, & ad ſemper, ſi pro aliquo tempore fuerit neglecta, vtique pro eo tempore legatum amittitur, ergò in caſu contrauentionis ad ipſum recuperandum, æquum maximè fuit, vt huiuſmodi cautio Mutiana induceretur.

Si autem inquiras, quomodo, cum conditio negatiua fuerit neglecta in determinato tempore, obliget etiam ad reſtituendos fructus præteritos, & perceptos. Tunc reſpondebimus hoc prouenire, quià ex diſpoſitione iuris conditione non ſeruata fingitur retrò legatarium, ſeù hæredem non fuiſſe, prout expreſsè habetur in auth., *cui relictum C. de indict viduit. tol.* Ibi - *quod, ſic adimitur, ac ſi ei relictum, vel ordinatum non eſſet*, prout etiam notant ibid. *Paulus n. 4. Iaſon. num. 7. Molina lib. 2. de primog. c. 12. num 21.*

Si vlterius inquiras, quænam cautio præſtanda ſit per mulierem legatariam; reſpondebimus eam debere eſſe fideiuſſoriam, ſi poſſit, alitèr ſufficere iuratoriam *Gregorius Lopez l regia ſeptima tit 4. verb non quiſiere, Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp 206.* Ratio eſt, quià talis cautio eſſe debet, qualis ſufficiens ſit ad recuperandum ſolutum cum fructibus in caſu controuentionis; fideiuſſoria autem apta eſt, quandò commode haberi poteſt, quandò autem pro paupertate legatarij haberi non poteſt, non eſt exigenda vltra iuratoriam. Sed intra quantum tempus à morte legantis, & teſtatoris poſſit cum effectu exigi hoc legatum, nunc ſubdo in ſequenti aſſertione. 18 Cautio debet eſſe fideiuſſoria, & in ſubſidium iuratoria.

Assertio V. Legatum relictum ſub conditione negatiua, etiam ſi præſtetur cautio Mutiana non poteſt peti intra annum à die obitus teſtatoris, niſi ſpes nuptiarum deficiat. Ità expreſsè ſentit *Sanchez lib 7. de matrimon. diſp. 87. nu 29. & diſp. 91 num. 11.* 19 Legatum, hoc non poteſt peti intra annũ ab obitu teſtatoris.

Expreſsè colligitur *ex auth, cui relictum C de indict. vid col., & auth de nuptijs §., quæ verò verſ. vndè ſancimus*; nec obſtare videtur, ſi aſſeratur, modo huiuſmodi iura nullam vim prorſus habere, quandòquidem ſic diſponunt, quià iuribus ciuilibus vetitum eſt ſub pæna tranſitus ad ſecundas nuptias ante annum luctus; hæc autem iura modo iure canonico correcta ſunt; non, inquam, obſtare videtur, quià, vt benè notat *Sanchez d. lib 7. diſp. 87. nu 29.*, iura in *d. auth, cui relictum C de ind. viud. tol., & auth. de nuptijs §, quæ vero*, procedunt præcisè ſub ea ratione, qua intelligantur vetitæ ſecundæ nuptiæ intra annum luctus quaſi in pænam talis feſtinati tranſitus, qua ratione certè intelligerentur correcta; quandòquidem correcta legis ratione, eius quoque deciſio ſublata cenſetur *Gloſa l. 1 verb prohibentia, ff. de legit. tut. Alexander l. 1. num. 6. verſ.*

vnum

vnum tamen, ff. ſolut. matrimon. Iaſon l. quod dictum num 3. ff. de pact., ſed ſub alia ratione procedunt, ne ſcilicet grauentur hæredes pro eo tempore, pro quo conferre tenentur alimenta vxori defunctæ viduæ, ad conferendum etiam legatum, ſub qua conſideratione, cum non ſit in pœnam, non intelliguntur huiuſmodi iura per canonicum correcta.

20 Hic annus, intra quem peti non poteſt, cõputandus eſt à die obitus.

Quomodo autem computandus ſit annus, intra quem legatum non poteſt exigi à legatario, an ſcilicet à die obitus teſtatoris, an verò à die ſcientiæ eiuſdem obitus; crediderim tutius eſſe, ſi dicatur, computandus à die obitus *Baldus, & auth., cui relictum num. 12. cum Gloſa ibi verb. intra annum, Acoſta l. cum tale §. ſi arbitratu in fin. num. 34., ff. de condit., & demonſt.*

21 Legatum annuũ debetur quoad totum, ſi legataria ad medietatem anni defecerit à cõditione.

Assertio VI. Legatum annuum relictum ſub conditione temporanea non nubendi ſecundo, ſi legataria non paruerit conditioni ad medietatem anni, quo debetur legatum, eidem debetur quoad omnes fructus illius anni; de æquitate tamen debetur tantum quoad fructus pro rata temporis vniformi.

Ratio primæ partis deſumitur ex diſpoſitione iuris ciuilis *in l. in ſingulos, ff. de annuis legat. l. 1. C. quandò dies legati cedit, Gloſa in l. qui hoc anno, ff. de verb. oblig.*, vbi dicitur

Annua, ſi debes tunc incipies caput anni.

atque ſic ſentiunt, *Albericus l. defuncta num. 3., ff. de vſufructu, Iaſon l. diuortio in princip. num. 7., ff ſol. matrim. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 10. tit. 2. num 14.*

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià legatum annuum quoad fructus pecuniarios dietim matureſcit in fauorem legatarij, vndè meritò dicitur, quod in fructibus ciuilibus ceſſio diei habeatur pro perceptione, *Vincentius de Franchis deciſ. 168. num. 16. Hondedeus conſ. 81. num. 17. lib. 2. Baldus in l. filius familias §. apud marcellum, ff. de legat. 1. Aretinus in l. diuortio, ff. ſolut. matrimon. col. 8.*, vbi dicunt,

Fructus ciuiles quotidie matureſcunt.

quod fructus ciuiles quotidiè incipiant deberi, adeovt, quod ceſſio vniuſcuiuſque diei habeatur pro perceptione fructuum ciuilium pro illa die, ergò attenta æquitate in natura legati fructus ciuiles illius anni debentur ad ratam temporis vniformem, adeovt, ſi conditioni legataria non paruerit in medietate anni, fructus illi debeantur pro medietate anni, pro qua paruit conditioni, non pro medietate anni, pro qua non paruit.

22 Legatum relictum viduæ, ſi caſtè, & honeſtè vixerit amittitur, ſi admittat voluntariè actus fornicarios.

Assertio VII. Legatum relictum viduæ ſub conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit in ſententia aſſerente per tranſitum ad ſecundas nuptias ipſum amitti, probabilius amittitur, ſi fœmina vidua voluntariè admittat actus fornicarios. In hoc conſentiunt omnes *Sanchez d lib. 7. diſp. 91. num. 31. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 11. num 610., & alij apud ipſos.*

Clarè liquet aſſertio, quià illi actus fornicarij directè, & expreſsè aduerſantur conditioni appoſitæ à teſtatore; deficiente autem conditione ab eodem appoſita non poteſt ſubſiſtere diſpoſitum ſub eadem, vt manifeſtis, & vulgatiſſimis iuribus conſtat. Accedit, quod iuxtà hanc ſententiam huiuſmodi legatum amittitur per tranſitum ad ſecundas nuptias, ergò à fortiori amittetur, ſi admittantur actus fornicarij, quandòquidem in iſtis intercedit turpitudo, & inhoneſtas poſitiua, in illis autem, vel nulla, vel ſolum comparatiua, vel relatiua. Ex quibus etiam deducitur, quod etiam in noſtra ſententia aſſerente per tranſitum ad ſecundas nuptias non lædi conditionem, *ſi caſtè, & honeſtè vixerit*, adhuc lædi, & amitti legatum, ſi actus fornicarios voluntariè admiſerit.

23 Non amittitur, ſi patiatur illos actus per vim, & per metum cadentem in cõſtantem virum.

Dixi, *voluntariè*, nam ſi per vim, & inuitè huiuſmodi actus admiſerit non intelligetur lædere conditionem, nec amittere legatum, quià illa coactio non imputatur ad culpam, nec ipſa dicitur iniuriam inferre marito per actus, quos non poteſt ſubterfugere. Sed, an amitteret legatum, & diceretur non parere conditioni, ſi huiuſmodi actus fornicarios admitteret non abſolutè per vim, ſeû per coactionem, ſed per metum cadentem in conſtantem virum, probabilius crederem non amittere, quià, quantumvis teneatur potius mori, quam fœdari, hoc ſolum procedit, quandò per actum poſitiuum concurreret, non autem, quandò merè paſſiuè ſe haberet. Accedit, quod, cum agatur de pœna, delictum debeat eſſe omninò voluntarium, quod non eſſet, vbi intercederet metus cadens in conſtantem virum.

24 Amittitur per amplexus, oſcula, & actus impudicos.

Sed, an amitteret huiuſmodi legatum per amplexus, oſcula, & actus impudicos, nedum per actus fornicarios. Probabilius arbitror, etiam per huiuſmodi actus citrà copulam huiuſmodi legatum amitti *Baldus conſ. 207. num. 1., & 2. vol. 4. Paulus de Montepico l. Titia §. Titia cum nuberet quæſt. 46. num 164., ff. de legat. 2. Coaruuias 4 decret. part. 2 cap. 7. §. 9 num. 3. in fin. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 19. num. 34. Menochius de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 41. num 38.*, & ex Theologis, *Graffius 1. part. deciſ. lib. 2 cap. 11. num. 58. Manuel 1. tom. ſummæ ſecunda edit. cap. 99 n. 1. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 11. num 612.* Ratio potiſſimum deſumitur ex præſumpta teſtatoris voluntate, qui maximè, ſi fuerit maritus, vel alius coniunctus ſanguine, vel amicitia inten-

25 **Etiam ſi legatum ſub illa conditione fuerit relictum ab alio à marito.**

intendens honeſtatem, & caſtitatem in fæmina per illam conditionem intelligitur voluiſſe excludere omnes huiuſmodi actus, qui ſecundum ſe inhoneſti ſunt, nec caſti, quinimmò maximè abhominabiles, cum turpitudinem inferant in eoſdem admittente, & iniuriam reſpectu mariti, & ſanguine coniunctorum cum ipſa. Nec ſolum hæc intelligenda ſunt in ordine ad maritum, vel alios cum vidua ſanguine coniunctos, ſed etiam in ordine ad alios etiam extraneos, qui, ex quo voluerunt honeſtatem, & caſtitatem in legataria, explicitè voluerunt excludere omnes iſtos actus, qui ſecundum ſe inhoneſti ſunt, cum ſint præparatorij ad copulam, aliosque actus fornicarios, & directè aduerſantur conditioni appoſitæ. Nec in hoc audiendus eſt, *Nauarrus in ſumma c. 23. num. 92.*, vbi arbitratur, per huiuſmodi actus non amitti legatum, quià, quantumvis ſint contrarij pudicitiæ, & caſtitati viduali, quià tamen non ſunt conſummati, non conſtituunt plenè viduam impudicam, ſed dumtaxat inchoatiuè; pænæ autem intelligendæ ſunt de actu conſummato, non incohato; Non, inquam, audiendus eſt, quià, cum diſpoſitio teſtatoris dicat ſolummodò, *ſi caſtè, & honeſtè vixeris*, intelligenda eſt de quocunque actu, qui aduerſetur honeſtati, & caſtitati; non poteſt autem denegari, quin huiuſmodi actus ſint inhoneſti, & aduerſentur ex genere ſuo pudicitiæ.

Dictum Nauarri impugnatur.

26 **An amittatur per vnam fornicationé, vnicum oſculum, vel amplexum refertur ſententia Sanchez.**

Maior difficultas eſt in inueſtigando, an per vnum, vel alterum actum fornicationis, vel per vnum, vel alterum oſculum, amplexum &c. amittatur huiuſmodi legatum, an verò ad talem amiſſionem requiratur plures, & continuati actus. Sanchez *lib. 7. diſp. 91. num 33* procedit cum diſtinctione: vel enim legatum relictum eſt à marito, filijs, vel alijs ſanguine, vel amicitia maximè coniunctis cum eadem vidua; vel relictum eſt à perſona extranea, nec ità coniuncta. Iuxtà primum membrum diſtinctionis aſſerit per vnicum actum fornicationis amitti legatum, quod tamen non aſſerit per vnicum oſculum, vel amplexum, vel actum impudicum citrà copulam; hocque deducit ex præſumpta voluntate teſtatoris, qui, ex quo eſt perſona iſta coniuncta, videtur per illam diſpoſitionem ſtrictè exegiſſe omnimodam honeſtatem, & caſtitatem cum excluſione cuiuſcunque actus contrarij, quantumvis ſingularis. Iuxtà ſecundum verò membrum aſſerit per vnicum actum fornicationis non amitti legatum; hocque probat ex eo, quod, nec ex vi verborum, quibus concipitur illa diſpoſitio, nec ex præſumpta mente teſtatoris inducatur illa pæna amiſſionis; non ex vi verborum, quià caſtè, & honeſtè viuere importat habitum, qui non læditur per vnicum actum fornicationis; non ex præſumpta teſtatoris voluntate, qui, ex quo non eſt perſona coniuncta, non videtur exigere ità ſtrictam honeſtatem ſub illa pæna, ſed excludere tantum inhoneſtam vitam, quæ conſiſtit in habitu. Ex aduerſo *Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. cap. 11. num. 610.* abſolutè, & ſine vlla diſtinctione aſſerit per vnicum actum fornicationis legatum amitti; quod tamen non aſſerit quoad vnicum oſculum, amplexum, aliumque actum inhoneſtum citrà copulam, cui adhærent *Caietanus in ſumma verb. pæna verſ., & rurſus, Nauarrus in ſumma cap. 23. num. 62., & cap. 25. num 65. Petrus Canedo ad decretales collect. 154. num 587 Menochius lib. 4 præſumpt. præſumpt 187. num 12. Mantica lib. 11. tit. 19. num. 35., & alij.* Rationem ex eo deducit, quià fornicatio, quantumvis fuerit vna, & ſimplex, aduerſatur caſtitati ſecundum ſe, quinimmò per vnicam fornicationem virtus caſtitatis infuſa amittitur, ſicque per eandem deficit conditio, & per conſequens legatum perit; Neque obeſſe poteſt textus *in §. item lex Iulia de adulterijs verſ. eadem lege Inſt. de public. iud.*, vbi dicitur, quod per hanc legem Iuliam ſtupri flagitium puniatur, cum quis ſine vi virginem, vel viduam honeſtè viuentem ſtuprauerit; ex quibus deducitur, quod, quamvis fæmina ſtuprum paſſa fuerit, dicatur honeſtè viuere, vndè frequentia ſtuprorum ad inhoneſtatem vitæ inducendam videtur exigi; Non, inquam obeſſe poteſt, quià per illum textum ſupponitur honeſta vita in fæmina, ante quam ſtuprum paſſa fuerit; vel dic per illum textum dici ſolummodò honeſtè viuere quoad alia, in quibus non deliquit, non quoad crimen, quod ipſi

27 **Probabilius non amittitur per vnam fornicationem,**

obijcitur. Quid igitur in hac ſeriè concludendum? Exiſtimo potiora eſſe iura, & rationes quibus innititur ſententia aſſerens non amitti, quamvis tuta etiam ſit opinio Sanchez cum diſtinctione per eundem allata. Vide, quæ dicemus infrà ſub hoc eodem *tit Contractus XV. de matrim. IV. Diſq. 2. §. 26.*

Quoad oſcula tamen, amplexus, aliosque actus impudicos citra copulam ſentio per vnum, vel alterum actum non amitti legatum, ſed requiri actus frequentes, & multiplicatos, intellige tamen niſi intentatus fuerit conatus in copulam, prout etiam ſentire videtur *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon contract. c. 11. num. 612.*, nec obſtat paritas de vnica fornicatione, per quam amittitur legatum, quandòquidem, vt bene notat *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 91 num. 40. in fin.*, cum fornicatio ſit actus perfectus, & conſummatus deno-

28 **Multo minus per vnicum oſculum, vel amplexum.**

Digitized by Google

denominat perfectè fœminam impudicam, non ſic alij actus, qui cum ſit incohati non denominant talem, niſi ſint continuati. Dixi, *niſi intentatus fuerit conatus in copulam*, quia, cum deuentum fuerit ad actum proximum, probabilius eſt, quod hic quantum ad humanam exiſtimationem habeatur pro completo.

PRÆNOTIO X.

An pœnæ contra feſtinanter nubentes correctæ ſint iure canonico.

SVMMARIVM.

Probabilius omnes pœnæ iure ciuili inductæ contra nubentes intra annum luctus ſublatæ ſunt per ius canonicum. 1

Euincitur quoad pœnam infamiæ. 2.

Euincitur quoad impotentiam dandi ſecundo marito in dotem, vel ex vltima voluntate vltra tertiam bonorum partem. 3.

Euincitur etiam quoad priuationem omnium bonorum ſibi relictorum à priori marito. 4.

Etiam quoad pœnam oneris conferendi filijs primi mariti medietatem bonorum. 5.

Non tenentur filij contribuere alimenta matri tranſeunti ad ſecundas nuptias intra annum luctus. 6.

Non obſtante iure canonico uxor binnuba intra annum luctus amittit veſtes lugubres ab hæredibus primi mariti eidem datas. 7.

Amittit etiam lectum ab hæredibus primi mariti collatum. 8.

IN præcedentibus multas adnumerauimus pœnas à iure Statutas contrà ſecundo nubentes intra annum luctus, & præcipuè infamiam iuris, incapacitatem cuiuſcunque hæreditatis, fideicommiſſi, legatorum, & donationum cauſa mortis, impotentiam dandi in dotem, vel ex vltima voluntate contribuendi ſecundo marito vltrà tertiam ſuorum bonorum partem; priuationem omnium bonorum ſibi relictorum per priorem maritum in ſuprema eius voluntate, onus conferendi medietatem bonorum filijs prioris matrimonij, & alias, de quibus *ſub præſenti titulo Contractus XV. de matrim. IV. prænot. III. per totum*, de quibus omnibus hic controuertitur, an in præſenti ſublatæ intelligantur per ius canonicum.

1 Pœnæ cōtrà nubentes intrà annum luctus ſublatæ sūt per ius canonicum. ASSERTIO Probabilius eſt, omnes pœnas iure ciuili inductas contrà feſtinanter ſecundo nubentes intra annum luctus, prout præcisè ſunt pœnæ, correctas eſſe, & ſublatas à iure canonico *Antonius Gabriel lib. 3. commun. opin. tit. de ſecundis nuptijs concl. 5. Matthæus de Afflictis deciſ. 75. nu. 5. Iulius Clarus §. ſtuprum n. 6. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. nu. 187. Gutierez de matrim. c. 108. nu. 2. Fontanella de pactis nuptial. clauſ. 5. gloſ. 8. part. 11. n. 2. Auguſtinus Barboſa collect. ad c. fin. tit. de ſecundis nuptijs, Ioannes Valleros de diff. inter vtrumque forum dif. 9. Azorius inſtit. mor. part. 1. lib. 5. c. 20. verſ. leges omnes ciuiles, Rebellus de oblig. iuſtitiæ part. 2. lib. 6. qu. 8. nu. 14. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. n. 283. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 87. nu. 23.*, qui alios innumeros citat, & allegat, & ſequitur.

Quoad infamiam iuris expreſsè liquet *ex c. fin. de ſecundis nuptijs*: Ibi: *non debet legalis infamiæ ſuſtinere iacturam, quæ licet poſt viri obitum infra tempus luctus, ſcilicet vnius ſpatij annum nubet, conceſſa tamen ſibi ab Apoſtolo vtitur facultate*; nec in dubium reuocari poteſt, quod Pontifex potuerit hanc inducere prouiſionem, & legis ciuilis correctionem ad tuendam libertatem matrimonij, & occurendum periculo incontinentiæ, cum quoad ea, quæ ſpectant ad matrimonium, tanquam ad materiam Eccleſiaſticam ratione eleuationis ad eſſe Sacramenti plenum ius habeat priuatiuè quoad poteſtatem laicalem; nec obeſſe poteſt, quod hæc pœna infamiæ ſit à iure canonico approbata, cum locata ſit in canone decreti *c. infames ad finem 3. q. 7.* vbi Paulus aſſerit, quod nec ad Apoſtolicum, nec ad conditorem canonis pertineat corrigere leges ciuiles, vbi non eſt quæſtio de peccato, ſed de moribus, iuſtè autem dicta pœna infamiæ aduerſus feſtinanter nubentes inducta eſt, cum ſecundæ nuptiæ intra tale tempus non ſolum conferant quid incontinentiæ, ſed quodamodò etiam incertitudinem prolis; Non, inquam; obeſſe poteſt, quia decreta Gratiani non habent vim legis, niſi quatenus approbata fuerint, vel à Summo Pontifice, vel ab aliquo concilio Generali, quod non reperitur factum, immò contrarium Statutum *in d. cap. fin. C. de ſecundis nuptijs*. Ad ea, quæ ſubduntur ex Paulo patet, quid ſit dicendum, cum enim hic verſemur in materia pure Eccleſiaſtica, poteſtas vtique plena reſidet penes Summum Pontificem ad decernenda ea, quæ pertinent ad libertatem eiuſdem contractus; quinimmò hoc ſpectat etiam ad euitanda peccata, cum per diſpoſitionem canonicam ſubueniatur periculo incontinentiæ. — 2 Euincitur quoad pœnam infamiæ.

Quoad reliquas pœnas ex eo euincitur, quod licet *in tali c. fin. de ſecundis nuptijs* fiat ſolummodò mentio de pœna infamiæ, & quoad reliquas pœnas nullibi reperiatur expreſſa diſpoſitio, ratio tamen, quæ in tali diſpoſitione exponitur, extenditur ad quaſcunque alias pœnas, prout rectè notant *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 87.* — Eodem iure corriguntur ceteræ pœnæ, quamvis non exprimantur.

Digitized by Google

num.23. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.11 num.283., vbi autem militat ratio legis corrigentis reſpectu omnium, ad omnia lex ipſa extenditur. Qnod autem ratio legis corrigentis extendatur ad omnes huiuſmodi pœnas, ex eo euincitur, quod huiuſmodi lex reſpicit libertatem matrimonij, à qua retrahit pœna infamiæ; ſed æquè retrahunt aliæ pœnæ, ergo &c.

Diſcurrendo jam per ſingulas pœnas ſupra recenſitas, quoad ſecundam pœnam incapacitatis cuiuſcunque hæreditatis, fideicommiſſi, legatorum, & donationum cauſa mortis ex eo potiſſimum euincitur, quod huiuſmodi diſpoſitio deſumpta *ex l. 1. C. de ſecundis nuptijs*, habet præcisè rationem pœnæ, & eſt ſolum in odium ſecũdo feſtinãter nubentis intrà annum luctus; æquum autem non eſt, vt, quod fit lege permittente, pœnam, & odium ſubeat, per textum *in l. Gracchus C. ad leg. Iul. de adulter.*, & hæc pœna maximè habet retrahere à matrimonio, quæ propterea per adductam rationem merito corrigitur, nec vllo modo reſpicit indemnitatem filiorum prioris matrimonij.

3 **Euincitur quoad impotentiam dandi ſecundo marito in dotem, vel ex vltima voluntate vltra tertiam bonorum partem.**

Quoad tertiam pœnam impotentiæ ſcilicet dandi in dotem, vel ex vltima voluntate contribuendi ſecundo marito vltrà tertiam bonorum ſuorum partem ex eo etiam euincitur, quod talis pœna eſt præcisè in odium ſecundi coniugij, nam non vetatur coniux feſtinanter binnuba alteri à ſecundo coniuge relinquere vltrà talem bonorum partem *Gloſa auth. de nuptijs collat. 4. §. prima ſiquidem verb. neque merito, Azo. ſumma cap. de ſecundis nuptijs num. 2. Præpoſitus rub. de ſecundis nuptijs n. 2. Albericus l. 1 num 1. C. de ſecundis nuptijs, & ibi Garronis not. 5. num 30. & num. 111.*, pœnæ autem, quæ ſunt præcisè in odium ſecundi coniugij, iure canonico corriguntur.

Quoad quartam pœnam priuationis ſcilicet omnium bonorum ſibi per priorem maritum relictorum in ſuprema eius voluntate contendunt aliqui apud *Sanchez d. lib. 7. de matrimon. diſp. 87. n. 24.*, quod propriè non corrigatur iure canonico; atque ità inter cæteros ſentiunt *Gloſa in c. fin. verb legalis de ſecundis nuptijs, Aſtenſis in ſumma 2 part. lib. 8. tit. 32. art. vnico q. 4. Antonius de Burgos in repet. cap. Eccleſia de conſtit. n. 267.* Hi omnes mouentur, quià, cum agatur de lucro acquirendo ex voluntate teſtatoris, non eſt præſumendum, quod teſtator voluerit, vt lucrum illud acquiratur per inferentem ſibi immediatè iniuriam, præſumitur ſiquidem diſpoſuiſſe in fauorem vxoris ſub tacita conditione, niſi ſe ipſum ità velocitèr dehoneſtarit: rurſus ſupponitur diſpoſuiſſe ſecundum diſpoſitionem legum; leges autem ſtatuunt, vt mulier feſtinantèr conuolans ad ſecundas nuptias intrà annum luctus non acquirat lucrum, adeòque hoc ex præſumpta voluntate intelligitur voluiſſe teſtator. His tamen nonobſtantibus abſolutè aſſerendum eſt, etiam hanc pœnam corrigi per ius canonicum. *Federicus conſ. 31 caſus eſt talis, Anchar anus c. fin. de ſecundis nuptijs num 9. Garronis l. 1. in noua edit. n. 67. C. de ſecundis nuptijs; Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 87. num. 24.* Ratio ex eo deducitur, quià hæc etiam pœna eſt præcisè in odium ſecundi coniugij, & lędit libertatem matrimonij, & gratis omnino confingitur illa tacita conditio, nec ſupponitur voluiſſe diſponere ſecundum leges iam abolitas. Limitanda tamen eſt hæc noſtra opinio in hypotheſi, qua haberet filios ex priori matrimonio, quià eiſdem teneretur reſeruare proprietatem illorum bonorum, quæ habuit ex patrimonio primi mariti per poſtremam voluntatem, ſed hoc non eſſet in pœnam feſtinatarũ nuptiarum intrà annum luctus, cum ad hoc etiam teneretur, ſi poſt talem annum luctus nupſiſſet, prout ſuprà diximus, & latius infrà dicemus.

4 **Euincitur etiã quoad priuationè omniũ bonorum ſibi per primũ maritũ relictorum in vltima eius volũtate.**

5 **Etiam corrigitur pęna conferendi filijs primi matrimonij medietatè bonorum.**

Quoad quintam pœnam oneris ſcilicet conferendi medietatem bonorum filijs prioris matrimonij etiam ex eo euincitur, quod hæc etiam eſt in odium ſecundi coniugij; Hæc tamen intellige quoad onus actu conferendi ante ſecundas nuptias feſtinatas, nam quod teneatur reſeruare partem aliquam eiſdem filijs conferendam poſt obitum eiuſdem matris binnubæ, non eſt ex pœna; ſed ex alio iure ob fauorem filiorum eiuſdem primi matrimonij; Neque obeſſe poteſt, quod etiam pœna illa conferendi filijs prioris matrimonij medietatem bonorum ob tranſitum feſtinatum in ſecundas nuptias ſit in fauorem filiorum prioris matrimonij; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià principalitèr hæc pęna non eſt inducta in fauorem filiorum, ſed in odium ſecundi coniugij feſtinanter initi, adeòque &c. Et ſic ſentiunt *Gloſ. fin. c. vlt. 2. q. 3. Garronis Rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. n 128. in 5. remed. & l. 1. nu. 106. C. eod. tit.*

Variæ rationes dubitandi.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt quoad huiuſmodi iura canonica correctoria, nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, quas mox profero, & expendo. Prima eſt, an per iura canonica intelligatur correctum ius fundatum in communi opinione, ſecundum quod viduę intrà annum luctus debentur alimenta ab hæredibus defuncti, ſi ab eiſdem intrà talem annum non reſtituatur dos, adeò vt, ſi nupſerit intra talem annum adhuc debeantur huiuſmodi alimenta. Secunda, an iure canonico correctum ſit, quod vidua intrà annum luctus conuolans ad ſecundas nuptias teneatur reſtituere veſtes lugubres ex ſubſtantia prioris mariti ſibi traditas.

Digitized by Google

Tertia, an attento iure canonico correctorio lectus quotidianus, qui fuit per priorem maritum traditus vxori, ſit per eandem reſtituendus, ſi tranſierit intra annum luctus ad ſecundas nuptias.

In ordine ad primam nonnulla pro clariori intelligentia ſunt præmittenda, & primò, quod hæredes mariti defuncti teneantur ex diſpoſitione iuris ciuilis *in l. vnica §. ea actio autem C. de rei vxor actione* dotem vxori eiuſdem reſtituere ſtatim poſt mortem mariti, ſi illa conſiſtat in immobilibus, ſi verò conſiſtat in mobilibus, non niſi poſt annum à die mortis eiuſdem mariti, pro quo anno ijdem hęredes acquirunt fructus eiuſdem dotis, è contrà verò teneantur vxorem viduam pauperem alere, ſi aliunde non habeat, quo poſſit ſe alere, prout docent *Coarruuias de ſponſalib. part. 2. c 3. § 9. verſ. 4. Surdus de aliment. tit. 7. q. 22. nu. 2. Gutierez de matrim c. 108. num. 15. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp 87. nu. 30. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c 11. n. 305.* Secundo conſiderandum eſt, hęredes mariti defuncti eximi ab obligatione dandi alimenta vxori viduę, ſi intra annum luctus tranſierit ad ſecunda vota, & vtique à die, qua ad illa tranſit, nec tamen tenentur reſtituere dotem conſiſtentem in mobilibus, niſi poſt annum eiuſdem luctus *Cinus in l fin C de bonis matern. Molina de iuſt & iur tract. 2. diſp. 322 verſ interim dum vxor, Coarruuias d §. 9. num. 10 Surdus d q 22 num 9* quorum alij rationem ex eo adducunt, quià, dum permanet in viduitate, videtur moraliter perſeuerare in primo matrimonio, dum verò tranſit ad alia vota, videtur à primis deſinere, adeòque non habere ius, vt ex bonis prioris mariti alatur, à quo deficit; alij verò ex eo deſumunt, quod ſolum hæredes prioris mariti teneantur vxorem viduam alere, quando inops eſt, nec habet, quo poſſit ſe alere; eo autem ipſo, quo tranſijt ad ſecunda vota, habet, quo ſe alat, cum teneatur ſecundus maritus eidem alimenta conferre; Quod ſi, & ſecundus maritus ſit pauper, & inops, tunc aliqui aſſerunt, quod hæredes prioris mariti teneantur eidem vxori, vel alimenta tradere, vel dotem reſtituere *Coarruuias de ſponſal part 2. c. 3 § 9. nu 10 Molina d. tract 2. diſp. 322. verſ. interim dum vxor, Sanchez d. diſp 87 n. 30* alij vero aſſerunt, quod in ea hypotheſi poſſit ſecundus maritus petere intereſſe retardatæ ſolutionis dotis *Surdus de alimentis tit 7. q. 22. & alij.* Tertiò conſiderandum eſt, quod aliqui aſſerunt, quod, ſi prior maritus legaſſet expreſsè per ſuam vltimam voluntatem alimenta vxori pro anno luctus, adhuc eidem deberentur, quantumvis tranſierit ad ſecundas nuptias, quià tunc eidem non deberentur in ſubſidium, ſed iure actionis; ſed non libenter acquieſcerem huic aſſerto, quandòquidem omnia legata delata per maritum Vxori per eandem amittuntur per tranſitum ad ſecundas nuptias. Difficultas igitur, quæ eſt in hac ratione dubitandi, ea eſt, an inſpecto iure canonico intelligatur correctum ius ciuile, ſecundum quod mulier binnuba intra annum luctus priuatur alimentis; qua in dubitatione ſentio non obſtante iure canonico corrigente omnes pænas ciuiles non teneri hæredes ad contribuenda alimenta vxori tranſeunti ad ſecundas nuptias intra annum luctus *Coarruuias loc. cit. Azorius inſtit. mor. part. prima lib. 5. c. 20. verſ. leges omnes ciuiles, Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 87. n 30. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. nu. 309.* Ratio ex eo deducitur, quià talis priuatio non eſt inducta in pænam, ſed quià ceſſat ratio obligationis.

Variæ cõſiderationes quoad primam partẽ dubitandi.

6 Non tenẽtur hæredes cõtribuere alimenta matri tranſeunti ad ſecundas nuptias intra annum luctus.

In ordine ad ſecundam ſentio, probabilius eſſe non obſtante correctione canonica mulierem binnubam intra annum luctus amittere veſtes lugubres ab hæredibus mariti datas, Conſentiunt *Coarruuias de ſponſ. part. 2. c. 3. §. 9. n. 11. Spinus Gloſ. 14. nu. 108. Theſaurus qq. forenſ. lib. 1. q. 28. n. 18. in fin. Gutierez de matrimon. c. 108. num. 9. Azorius inſtit mor part. prima lib. 5. cap. 20.* Ratio ex eo deducitur, quià talis amiſſio non indicitur in pænam, ſed ex ceſſatione finis, ob quem huiuſmodi veſtes lugubres conceduntur, ſiquidem cenſentur accomodatæ pro vita viduali, & non aliter. Intellige, niſi ex coniecturis intelligantur hæredes viduæ huiuſmodi veſtes donaſſe.

7 Nõ obſtãte iure canonico mulier binnuba intra annum luctus amittit veſtes lugubres.

In ordine ad tertiam non obſtante iure canonico corrigente pænas ciuiles aduerſus ſecundo nubentes præpopere intrà annum luctus, probabilius eſt fœminam nubentem intra annum luctus lectum quotidianum ſibi ex bonis prioris mariti collatum amittere. *Sanchez d. lib. 7. de matrimon. diſp. 77. n. 32 Gutierez qq canon. lib. 2. q. 93. & ſeqq.* Ratio ex ſimilibus deducitur, quibus præcedentis difficultatis reſolutio; non enim huiuſmodi amiſſio indicitur in pænam, ſed ex ceſſatione finis, ob quem conceditur.

8 Amittit etiam lectum ab hæredibus primi mariti collatum.

PRÆNOTIO XI.

An pænæ ciuiles contrà ſecundo nubentes inductæ in fauorem filiorum prioris matrimonij ſint correctæ per ius canonicum.

SVMMARIVM.

Pœna contra ſecundo nubentes inducta in fa-

Digitized by Google

fauorem filiorum non ſunt correcta per ius canonicum. 1.

Non corrigitur pæna, qua prohibetur conferre ſecundo marito, pluſquam dederit vni ex filijs primi matrimonij. 2.

Nec qua amittit proprietatem bonorum à primo marito relictorum. 3.

Nec qua amittit tutelam filiorum prioris matrimonij. 4.

Nec corrigitur pæna amiſſionis educationis filiorum. 5.

Ennumerantur omnes aliæ pænæ, quæ non corriguntur 6. vſque ad fin.

IVxtà præacta nonnullis placuit, & inter cæteros *Abbati in c. Eccleſia nu.* 15., *& in repetitione eiuſdem cap. n.*20. *de conſtit.* alijſque apud *Sanchez dict. lib.* 7. *de matrim. diſp.* 88. *num.* 38. huiuſmodi pænas ciuiles, quantumvis inductas in fauorem filiorum prioris matrimonij correctas eſſe per ius canonicum, quià, licet reſpiciant fauorem eorundem filiorum, ſeu indemnitatem, denegari tamen non poteſt, quin quoquo modo lædant libertatem matrimonij, cum timore pænarum viduæ timidiores reddantur ad contrahendum: Sicuti igitur in præcedentibus diximus, quod *in c. fin. de ſecundis nuptijs*, in quo expreſſè ſola pæna infamiæ iuris corrigitur, correctio extendatur ad alias omnes pænas comminatas contra ſecundo nubentes intrà annum luctus, quià ratio, ob quam infamia corrigitur, extenditur ad alias omnes, cum reſpiciant libertatẽ matrimonij, à qua auertunt huiuſmodi pænæ; ità in præſenti etiam dicendum eſt, per rationem eiuſdem iuris corrigi omnes pænas contra ſecundo nubentes, quantumvis ſint in fauorem filiorum, quandòquidem iſtæ etiam adimunt libertatem matrimonij. Nihilominus ſit

1 Pænæ in fauorem filiorũ non ſunt correctæ per ius canonicũ.

Assertio Pęnæ contrà ſecundo nubentes inductæ in fauorem filiorum non intelliguntur correctæ per ius canonicum *Fontanella de pact. nuptialibus clauſul.* 5. *gloſ.* 8. *p.* 11. *num.* 6. *Borellus in ſumma deciſ. tom.* 3. *tit.* 2. *num.* 36., 49. *& ſeqq. Auguſtinus Barboſa collect. ad c. fin. de ſecundis nuptijs n.* 3. *Molina tom.* 2. *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 431. *Azorius inſtit. mor. prima parte lib.* 5. *c.* 20. *verſ. leges omnes ciuiles, Rebellus de obligat. iuſtitiæ pars.* 2. *lib.* 6. *q.* 8. *ſect.* 2. *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. for. lib.* 1. *q.* 28. *nu.* 16. *Sanchez de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 88. *n.* 39. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.* 11. *num.* 313.

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quià huiuſmodi diſpoſitiones legales afficientes mulieres tranſeuntes ad ſecundas nuptias poſt annum luctus non habent rationem pęnæ propriè, & rigoroſè ſumptę, ſed potius rationem prouiſionis in fauorem filiorum, ne ſcilicet ex propenſione coniugis binnubi erga ſecundum coniugem defraudentur, ſeu lędantur in proprijs bonis patrimonialibus, vel in vita, vel in alijs, ergo per iura canonica, quę pręcisè intendunt auertere pęnas, ne ex ijs lędatur libertas matrimonij, non intelliguntur correctę huiuſmodi diſpoſitiones ciuiles. Confirmatur, quià maximè conſonum eſt ęquitati, ſeu iuri naturali, vt bona prioris coniugis laboribus, induſtria, & occaſione quęſita non cędant in vitrici, aut eiuſdem filiorum vtilitatem cum iactura filiorum eius, qui eadem acquiſiuit; ęquitati autem & iuri naturali non derogant iura canonica.

Non habẽt rationem pænæ.

Neque obeſſe poſſunt ea, quę ex Abbate, alijſque afferebantur, quandòquidem iura directè, & principalitèr intendunt obuiare damnis filiorum prioris matrimonij, non lędere libertatem matrimonij, quod ſi indirectè, & quodamodò in conſequentiam hoc eueniat, non eſt ex fine legis, quæ præcisè reſpicit bonum, & auerſionem à malo. Deindè hoc non eſt propriè inducere pænam contrà libertatem matrimonij, ſed impedire lucrum acquirendum, ad quod allicitur vidua ſub tacita conditione, ſi non tranſeat ad ſecundas nuptias.

Soluitur obiectio Abbatis.

Hinc per ſingulas in particulari diſcurrendo non corrigitur primo pæna, qua mulier tranſiens ad ſecunda vota non poſſit, nec in dotem, nec alio titulo lucratiuo tradere ſecundo coniugi, cui nubit, pluſquam dederit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus reliquit per textum *in l. hac edictali in princip. C. de ſecundis nuptijs alijſque iuribus ſupra allegatis*, prout notant *Sanchez de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 88. *nu.* 40. *Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c.* 11. *n.* 321. *Couaruuias* 4 *decret.* 2. *part. c.* 3. §. 9. *n.* 8. Hæc etenim diſpoſitio reſpicit, vt per ſe patet, fauorem filiorum prioris matrimonij.

2 Non corrigitur pęna, qua prohibetur cõferre ſecũdo marito pluſquàm dederit vni ex filijs primi matrimonij.

Non corrigitur ſecundo pæna, vt amittat proprietatem omnium bonorum, quæ à coniuge prædefuncto conſecuta eſt, ſecundum quod diſponitur *in l. fœmina C. de ſecundis nupt., & auth. de nupt.* § *hinc alia verſ. ſed quanta*, prout notant ijdem DD., & in hoc etiam expreſſè militat eadem ratio fauoris filiorum primi coniugij.

3 Nec quæ amittit proprietatem omnium bonorũ à primo marito relictorũ.

Non corrigitur tertio pęna amiſſionis tutelæ ipſo iure filiorum prioris matrimonij, quæ inducitur per textum *in auth. vt ſine prohibitione verſ. propterea igitur collat.* 4. *& l. fin. & auth. Sacramentum C. quando mulier tutelæ officio*, prout docent *Innocentius, Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Butrius in c. fin de ſecundis nuptijs, Gloſa in l.* 1. *verb honorarias C. de ſecundis nuptijs, & ibi communitèr ſcribentes, Albertus Brunus tract. ſtatut. fœminas exclud. art* 1. *q.* 2. *in fin.* Hæc etenim etiam pæna inducta eſt, vt

4 Nec quæ amittit tutelã filiorum.

con-

conſulatur indemnitati filiorum, vt ſcilicet euitetur bonorum eorundem diſſipatio, & mala adminiſtratio.

5 Non pœna amiſſionis educationis filiorũ.

Non corrigitur quartò pœna amiſſionis educationis filiorum prioris matrimonij, quæ inducitur per *l. 1. C. vbi pupilli educari debeant, & in auth. de nuptijs § eius quoque collat. 4.*, prout tradunt *Gutierez de matrimon. c. 108. num 27 & de tutela part. 1. c. 8. n 83 Fontanella de pact. nuptial. clauſ. 5. gloſ. 8. part 11. n. 14. Surdus de aliment. tit. 4. q. 13. n. 15. Guido Pap deciſ. 539.*, & pro negatione talis correctionis militat eadem ratio filiorum prioris matrimonij.

5 Enumerãtur omnes aliæ pœnę, quæ non corriguntur.

Non corrigitur quinto pœna, qua ſtatuitur *in auth. de nupt. § ſi autem tutelam collat. 4. & auth eiſdem pœnis C. de ſecundis nupt*, quod, ſi vidua exiſtentibus filijs prioris matrimonij contrà iuramentum præſtitum in ſuſceptione tutelæ de abſtinendo à ſecundis nuptijs ad eaſdem tranſierit, antequam à Iudice Tutorem filijs petierit, & antequam ſoluerit quidquid debuerit ex rationibus datis, contrahat omnes pœnas, quæ à iure ſtatutæ ſunt contrà viduam feſtinanter tranſeuntem ad ſecundas nuptias intrà annum luctus; atque ita inter cæteros ſentiunt *Innocentius c. fin. in fin. de ſecundis nupt. Abbas c. Eccleſia n. 15. de conſtit. & repet eiuſdem cap n. 20. Baldus in l. ſi qua mulier in fin. C ad Tertul. Angelus auth. de non eligendo ſecundo nubente in princip n 9 Garronus rub C. de ſecundis nupt. in noua edit nu. 24 pœna 12. in fin Gutierez de matrimon c. 108 n. 26. & de tutela part 1. c. 9 Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract c. 11. n 320.* Rationem ex eo deducit *Sanchez d. lib 7. diſp 88. num. 41. in fin.*, quià hæc non eſt pœna ex eo, quod ſecundò nupſerit, ſed ex eo, quod male adminiſtrarit tutelam, ſeu filiorum bona non petito tutore, nec redditis rationibus tutelæ.

Non corrigitur ſextò pœna, qua mater binnuba excluditur per tacitã ſubſtitutionem pupillarem propter eandem rationem, quià huiuſmodi pœna potius ordinatur ad fauorem filiorum, quam ad pœnam propriè ſumptam.

Non corrigitur ſeptimo pœna, qua vxor tranſiens ad ſecunda vota amittit iura, & priuilegia honoris, & dignitatis, quibus gaudebat ratione prioris matrimonij, prout ſentiunt *Matienzo lib. 5. recopil. tit. 1 l. 3 gloſ 2. n 8 Sanchez de matrimon. lib 7 diſp 88. n. 42. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract c. 11. nu 322* Ratio ex eo deducitur, quià hæc pœna conſequitur ex ipſa natura rei; ſicuti enim huiuſmodi iura oriuntur ex primo matrimonio, ità eodem plenè diſſoluto per ſecundas nuptias deperduntur.

Non corrigitur octauo pœna, qua filij prioris matrimonij diuites eximuntur ab onere conferendi matri pauperi dotem; quià hoc etiam cedit in vtilitatem filiorum.

Non corrigitur nono pœna, qua mater binnuba nequit etiam titulo ingratitudinis reuocare donationem factam filijs exceptis illis tribus caſibus enumeratis *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. IV. prænot. 6. aſſert. 7.* per textum *in l. filijs ſolis C. de reuocand. donat. & auth quod mater C. eod. tit. & auth. de nupt. § mater*, atque ita ſentiunt *Sanchez, & Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. ille nu 43, iſte n. 322*, hocque etiam cedit in fauorem filiorum, ne ſcilicet reuocet contemplatione vitrici.

Non corrigitur decimo pœna, ne poſſit exemplariter ſubſtituere filio mentecapto, muto, ſurdo, & prodigo, cui interdictum eſt teſtari per ea, quæ docent idem *Sanchez, & Boſſius, ille num. 42., iſte ibid.*, & ratio inde deducitur, quià hoc etiam cedit in fauorem filiorum, ne ſcilicet mater ex affectu vitrici ſubſtituat perſonam, quam veriſimiliter filius non eſſet ſubſtituturus.

Non corrigitur tandem pœna *in l. iubemus § in ſupra dictis C. ad Trebel., & auth. de nupt § placet*, qua ſtatuitur, quod Pater rogatus ab Auo reſtituere hæreditatem filijs, ſi tranſierit ad ſecunda vota, teneatur ſatisdare de ea reſtituenda. Ratio etiam quoad hoc deducitur ex ſupradictis, quià ſcilicet hæc diſpoſitio eſt in fauorem filiorum.

PRÆNOTIO XII.

An pœnæ municipales, & conuentionales contrà ſecundo nubentes ſint iure canonico correctæ.

SVMMARIVM.

Non corrigitur ius municipale Mediolani 303. n. 1.

Nec Statutum 243. n. 2.

Nec pœna conuentionalis, qua coniuges ſe obligarunt ad non contrahendas ſecundas nuptias. 3.

ASSERTIO I. Non intelligitur per ius canonicum correcta lex municipalis Mediolanenſis *in c. 303.*, qua ſtatuitur, vt mulier aſcendens tranſiens ad ſecundas nuptias amittat vſumfructum illius partis, quam de iure communi fuiſſet habitura, quæque pars vſusfructus illi fuerat conceſſa per præcedens Statutum *c. 302.* Conſentiunt in ſimilibus *Rebellus de oblig. iuſt. par. 2. lib. 6. q. 8. ſect. 2. num. 14. Iulius Samnazarius interpret. in cap. 1 de ſponſalib. num. 82. Albertus Brunus de ſtat. fœminas*

1 Ius municipale Mediol. 303. non corrigitur.

exclud.

excluſ.art.1.q.2. Carpanus ad Stat. Mediol. tom.1.c.203. nu.1., & in his terminis *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. num. 409. & ſeqq.*

Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi lex non eſt in odium contractus matrimonij, vel in pœnam contrahentium ſecundum matrimonium, ſed principalitèr in prouiſionem, & fauorem filiorum, & agnatorum; fauor autem filiorum remota quauis alia cauſa legem cohoneſtat.

Limitatio aſſertionis.

Limita tamen præſentem aſſertionem limitatione poſita *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon. IV. prænot. 7. aſſert. 4.* quià in eo caſu ceſſat finis legis municipalis ſtatuentis vxorem binnubam priuari hujuſmodi vſuſfructu.

2 Nec Statutum 243.

ASSERTIO II. Nec intelligitur per ius canonicum correctum ius municipale, ſecundum quod ſtatuitur, quod mulier binnuba, quæ tranſiuit ad ſecunda vota dimiſſa tutela filiorum, quam prius ſuſceperat, ex qua facta eſt debitrix, non obſtante Statuto 243. poſſit carcerari.

Ratio eſt, quià huiuſmodi pœna non eſt inducta in odium ſecundi matrimonij, ſed ob malam adminiſtrationem tutelæ, & ob debitum, quod ex illa contraxit, & non perſoluit; iura autem canonica præcisè corrigunt iura ciuilia, ſiuè communia, ſiuè municipalia, quæ lædunt libertatem matrimonij, non aliter, nec alio modo.

Aſt ob malam adminiſtrationē tutelæ.

3 Nec pœna conuētionalis de non cōtrahendis ſecūdis nuptijs.

ASSERTIO III. Probabilius non corrigitur per ius canonicum pœna conuentionalis, per quam coniuges ſe obligant ad non contrahendas ſecundas nuptias.

Ratio eſt, quià ex vna parte conditio de non contrahendis ſecundis nuptijs reſpectu viduæ licita eſt, & in iure admittitur, licet non reſpectu virginis per ea, quæ ſupra docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. IV. prænot 8 aſſert. 1.* ex alia ipſa vidua ſe obligans per illam ſtipulationem pœnalem ſibi ipſi impedimentum imponit, ne poſſit, niſi ſub pœna illas contrahere, nec illa retractio, ſi quæ eſt, prouenit ab extrinſeco, ſed ex propriæ voluntatis arbitrio; iura autem canonica non corrigunt obligationem ex propriæ voluntatis arbitrio ex parte contrahentium ortam de non contrahendo.

PRÆNOTIO XIII.

An pœnæ impropriæ, ſeu de non lucrando corrigantur per ius canonicum.

SVMMARIVM.

Iura canonica non corrigunt pœnam impropriam de non lucrando impoſitam per teſtatorem, vel legantem viduæ ſub expreſſa conditione non tranſeundi ad ſecundas nuptias. 1.

Siue legatum fuerit ſub illa conditione per virum vxori, ſiue è contrà. 2.

Etiam ſi fuerit legatum ab alijs à marito. 3.

In vtroque foro afficit hæc pœna delinquentem etiam ante Iudicis ſententiam. 4.

Etiam quoad conuenta in inſtrumento matrimoniali, ſi tranſierit alter ad ſecundas nuptias poſt obitum alterius. 5.

Si vidua accepto legato, ſeu hæreditate tranſierit ad ſecundas nuptias, tenetur reſtituere cum fructibus perceptis. 6.

PRocedit titulus in ſuppoſitione, qua per teſtatorem, ſeu legantem relicta fuerit hæreditas, ſeu legatum ſub expreſſa conditione, ſi hæres, vel legataria non contraxerit ſecundas nuptias; ſi enim præcisè dixerit, *ſi castè, & honeſtè vixerit*, iam ſupra vidimus etiam præſcindendo à quocunque iure canonico corrigente, mulierem ſecundo nubentem non contrahere huiuſmodi pœnas per teſtatorem, vel legantem appoſitas. Procedit item ſolummodò in ordine ad viduam, quæ iam nupſerat, non in ordine ad virginem, reſpectu cuius apponere conditionem in legato, vel hæreditate de non nubendo illicitam eſſe latè docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal. I. prænot. XIII. à n. 30. ad 33.*

In quo ſēſu accipiēdus ſit titulus.

1 Non corrigunt pœnā impropriā de non lucrando impoſitam à teſtatore.

ASSERTIO Iura canonica non corrigunt pœnam impropriam de non lucrando impoſitam per teſtatorem, vel legantem legatariæ viduæ, ſeu hæredi ſub expreſſa conditione non tranſeundi ad ſecundas nuptias, ſi ad illas neglecta conditione tranſierit *Coarruuias de ſponſal. part. 2. c. 3. §. 9 num. 11. Marcus Antonius Cucus lib. 5. inſtit. maiorum tit. 12 num 190. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 19. n. 22. & 23. Borellus in ſumma deciſ. tom. 3. tit. 2. nu. 128. Gutierez de matrimon. c. 111. num. 1. & ſeqq. Vaſquez de teſtam. c. 7. nu. 16., & alij magis communiter.*

Non eſt illicita conditio non nubēdi reſpectu viduæ.

Ratio deducitur *tum ex auth. cui relictũ C. de indict. vid. tol. & in §. qua vero in auth. de nuptijs*, tum ea ratione, quod licet conditio perpetua de non nubendo reſpectu virginis non ſit licita, nec admittatur in iure, reſpectu tamen viduæ abſolutè tenet, nec in iure reprobatur; iura autem canonica non reprobant conditiones licitas, & à iure admiſſas; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod huiuſmodi conditio ſecundum ſe lædat libertatem matrimonij, & retrahat à nuptijs, & ſicuti ex ſuperius dictis merito iura canonica corrigunt iura ciuilia pœnalia, quæ ſub pœna retrahunt ab huiuſmodi nuptijs, quantumuis perſona, ad quam diriguntur, huiuſmodi pœnæ, ſit vidua, & antecedenter alias nuptias contraxerit, ita cum huiuſmodi

modi pænæ appoſitæ per teſtatorem, ſeu legantem ſecundum ſe retrahant à ſecundis nuptijs non eſt, cur eodem iure canonico non debeant corrigi, quantumvis afficiant perſonam viduam, & quæ antecedenter nupſerat; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia teſtator apponens illam pænam impropriam abſolutè non retrahit à nuptijs, ſed tantum allicit ſub ſpe illius lucri acquirendi ad abſtinendum ab eiſdē, quod vtique præſtare potuit, quandoquidem, ſicuti poteſt rebus ſuis legem imponere, ità poteſt velle relinquere, ſi ea ſeruetur conditio, non relinquere, ſe ea omittatur; nec currit paritas quoad iura ciuilia imponentia pænas proprias contrà ſecundo nubentes, quià, cum hæc inducant priuationem iuris, ſeu bonorum iam acquiſitorum, non alliciunt ſub ſpe ad abſtinendum, ſed abſolute retrahunt ſub timore pænarum, quod eſt vim quandam, ſeu coactionem inducere omninò repugnantem libertati matrimonij.

2 Siue legatum fuerit ſub illa conditione per virum vxori, ſiue è contra.

Amplia primo aſſertionem, vt æquè procedat, ſiuè legatum fuerit relictum ſub illa conditione per virum vxori, ſiuè per vxorem viro, prout rectè notat *Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contractu c. 11. n. 582.* propter eandem rationem.

3 Etiam ſi fuerit legatum ab alijs amario.

Amplia ſecundò, vt procedat, quantumvis legatum fuerit relictum viduæ, ſeu viduo ſub ea conditione ab alijs quibuſcunque, prout docent DD. omnes præallegati, & ſpeciatim *d. Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. nu. 584. Vaſquez de teſtam. c. 7. num. 16. & c. 8. num. 32. Sanchez lib. 7. diſp. 91. n. 17.* Expreſsè deducitur *ex d. auth. cui relictum C. de indict. vid. tol. & d. §. qua vero auth. de nuptijs.*

4 In vtroque foro hæc pæna afficit tranſeuntem ad ſecūdas nuptias, etiam ante Iudicis ſententiam.

Amplia tertiò, vt procedat in vtroque foro, adeò vt amittatur legatum per tranſitum ad ſecundas nuptias per contrauentionem conditionis per teſtatorem appoſitæ, & quidem ipſo iure ante Iudicis ſententiam, prout docent *Coaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 6. § 8. n. 17. verſ. ex quo infertur, Zecchius de caſib. reſeru. caſ. 5. verſ. mulier denique Caſtro lib. 2. de lege panal cap. 11., Caietanus in ſumma verbo pæna verſ. & rurſus, Nauarrus in manual. c. 23. n. 62.,* & licet regulariter pænæ non debeantur ante Iudicis ſententiam; fallit tamen quoad pænas improprias à teſtatore appoſitas, quià hæ non habent propriè, & verè rationem pænæ, ſed ſe habent, vt conditio ſub qua, & non aliter; conditio autem appoſita per teſtatorem, quandò ſecundum ſe licita eſt, & à iure non reprobata, adimplenda eſt, & teſtator merito poteſt diſponere de rebus ſuis ſub conditionibus ſibi bene viſis, niſi iuri repugnauerint.

Amplia quartò, vt procedat etiam aſſertio, quantumvis vir, & coniux in inſtrumento dotali, ſeu matrimoniali fecerint

5 Etiam ſi in inſtrumento matrimoniali fecerit ſibi ad inuicē donationē, ſi fuerint ſuperſtites

ſibi donationem omnium bonorum, vt qui ſuperſtes fuerit illis plene gaudeat ea adiecta conditione, ſi non tranſierit ad ſecundas nuptias; tunc etenim ſuperſtes, ſi ad has tranſierit, tenebitur ad reſtitutionem donatorum *Robertus rer. iudic. lib. 2. c. 7. Borrellus in ſumma deciſ. tom. 3 tit. 2. à num. 93. ad 108., Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. n. 591.* Ratio ex eo deducitur, quià, ſi illa conditio adiecta legato tenet, & obligat, cur non tenet, & non obligat, quandò adiecta eſt donationi? Certe ſicut teſtator poteſt rebus ſuis imponere conditionem honeſtam in vltima voluntate, ità non impeditur eandem eiſdem rebus imponere in donationibus.

6 Si receperit tenetur reſtituere cū fructibus perceptis.

Amplia quinto, vt, ſi hæres vidua, vel legataria iam fuerit aſſecuta legatum, ſeù hæreditatem, & poſteà tranſierit ad ſecundas nuptias, teneatur legatum, ſeu hæreditatem reſtituere hæredibus prædefuncti cum omnibus ſuis fructibus inde perceptis *Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 11. tit. 19. nu. 22. & ſeqq. Marta de ſucceſſione part. 4. quæſt. 18. art. 2 num. 8. Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. tom. 5. cap. 5. nu. 9.,* vndè ex ſuperius dictis præſtare debet cautionem mutianam. Quod autem per contrauentionem huius conditionis debeantur fructus antecedenter percepti etiam ſupra docuimus, & tradunt *Mantica loc. cit. num 22. Molina de iuſt. tract. 2 diſp. 206. verſ. quando aliquis, & diſp. 207 verſ. poſteà de iure,* quià ex non implemento conditionis cenſetur retro legatarius, ſeu hæres talis non fuiſſe.

DISQVISITIONES I.

A Prima ad ſextam prænotionem incluſiuè.

§. I.

An ſecundæ nuptiæ poſſint benedici, quando neuter ex coniugibus fuit in primis benedictus.

S V M M A R I V M.

Exponitur facti ſeries. 1.
Fines, ob quos interdicitur benedictio ſecundarum nuptiarum. 2.
Si neuter coniux in primis nuptijs fuerit benedictus, probabilius poteſt benedici in ſecundis. 3.
Textus prohibens benedictiones in ſecundis nuptijs non conſiderat, an fuerint ſecundæ ex parte viri, an ex parte fæminæ. 4.

Digitized by Google

1 Factũ ex poſitum in ſuis terminis.

DISQVISITIO I. Contraxerunt matrimonium Titius cum Caia, & Theodoricus cum Berta, quod neutrũ ex incuria, vel ex alia cauſa fuit benedictũ. Mortua deindè Caia ex primo matrimonio, & Theodorico ex ſecundo Titius de nouo cõtraxit cum Berta coniuge eiuſdẽ Theodorici prædefuncti. Orta hic fuit controuerſia, an ſecundum matrimonium eiuſdem Titij cum Berta attento iure communi *in c. 1., & c. vir de ſecundis nuptijs* poſſet ſolemnitèr benedici.

2 Fines ob quos interdicitur benedictio ſecũdarum nuptiarũ.

Ratio dubitandi potiſſimum procedit ex intellectu finis, ob quem inducta eſt prohibitio benedicendi ſecundas nuptias; alij etenim aſſerunt, huiuſmodi finem in eo conſiſtere, quod ſecundæ nuptiæ non aptæ ſint rapræſentare illam vnionem indiſſolubilem vnius Chriſti tanquam ſpõſi cum vna Eccleſia tanquam ſponſa, quem finem ſpecialitèr videtur conſideraſſe textus *in d. c. vir de ſecundis nuptijs*, vbi dicitur *vir autem, vel mulier ad bigamiam tranſiens non debet à Presbytero benedici*; bigamia autem conſiſtit in ſecundis nuptijs etiam præſcindendo à benedictionibus nuptialibus ob eum præcisè intuitum, quod deſtruit illam rapreſentationem vnionis indiſſolubilis vnius Chriſti cum vnica Eccleſia; alij verò vltrà prædictum finem alium aſſignant, ne ſcilicet iterentur benedictiones reſpectu eiuſdem ſubiecti iam benedicti, quem finem videntur conſideraſſe *D. Thomas in 4. diſt. 42. q. 3. art. 2. Silueſter verb. nuptia q. 2. Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 8. §. 11. n. 2. Salzedo ad pract. Diaz. c. 77. verb. iterari, Camillus Borellus tom. 3. ſumma deciſ. tit. 1. n. 418 & tit. 2. n. 29.* Sed an vterque hic finis prohibitionis copulatiuè ſumendus ſit ad effectum inducendi hanc prohibitionem benedictionis ſecundarum nuptiarum, adeò vt vnus ſine altero non valeat eandem inducere, hic ſcopus eſt præſentis difficultatis. Quamobrem

3 Si neuter coniux in primis nuptijs fuerit benedictus poteſt in ſecũdis benedici.

Reſpondeo in data hypotheſi, quandò neuter coniux in primis nuptijs fuit benedictus, probabilius poſſe benedici in ſecundis *Nauarrus in ſumma c. 22. num. 83. Vgolinus de poteſt. Epiſcop. c. 15. §. 12. n. 5. in fin. Diaz in pract. c. 77. num. 1. Henriquez lib. 11. c. 16. num. 2. Menochius de arbitrar. lib. 2. caſ. 417. Marcus Antonius Genuenſis in pract. Neapol. c. 69. n. 3. Marius Alterius de cenſuris t. 2. diſp. 11. c. 4. dubit. 4. Hurtadus de matrim. diſp. 5. diff. 23. n. 8.* quidquid ex aduerſo ſenſerint *Tabiena verb. impedimentum impedimento 14. q. penult. Bellarminus ad c. 1. Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. matrimonij in addit. num. 25.* volentes non poſſe abſolutè benedici, quantumuis primæ non fuerint benedictæ ea potiſſimum moti ratione; quod illæ ſecundæ nuptiæ non rapreſentant illam indiſſolubilem vnionem vnius Chriſti cum vna Eccleſia, qui propterea ſentiunt, quod adequata ratio prohibitionis fuerit defectus illa perfectæ illius rapreſentationis, & ſignificationis, & quidquid alij ſenſerint procedentes cum diſtinctione, & aſſerentes non poſſe iterari benedictionem in ſecundis nuptijs, quandò primæ fuerunt benedictæ ex parte mulieris, ſecus verò quandò fuerunt tantum benedictæ ex parte viri, inter quos expreſsè *Durandus in 4. diſt. 42. q. 3. in fine corporis*, quorum ratio potiſſimum eſt, quià tota benedictio videtur reſpicere mulierem, per quam ſanctificatur, & vir. Nihilominus

Probatur reſponſio, quià benedictio non propriè reſpicit nuptias, ſed perſonas, quæ nubunt, ergo, ſi perſonæ illæ non fuerint, benedictæ, quantumvis alias nupſerint poterunt iure ſuffragante benedici. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod benedictio non reſpiciat perſonas quomodocunque, ſed perſonas, vt affectas, qualitate, *ſi alias non nupſerint*, prout habetur *in c. vir de ſecundis nuptijs*, vbi dicitur *vir autem, vel mulier ad bigamiam tranſiens non debet à Presbytero benedici*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià textus ille procedit ſecundum ea, quæ regularitèr, & vt plurimum eueniunt: regulariter autem omnes primæ nuptiæ iuxtà præſcriptum eccleſiæ benedicuntur, & ſic dum dicit, quod vir, vel mulier tranſiens ad ſecunda vota, ſeu ad bigamiam propriam, & rigoroſam non debeat benedici, hoc aſſerit, quià ſupponit priores nuptias fuiſſe benedictas. — Benedictio non reſpicit nuptias, ſed perſonas, quæ nubunt.

Probatur vlterius ex eodem textu *in c. vir de ſecundis nuptijs*, vbi aſſignatur ratio, ob quam vir, vel mulier tranſiens ad ſecunda vota non debeat benedici; *quia cum alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet*, ergo vbi alia vice benedicti non fuerint, poterunt benedici. quandòquidem vbi ceſſat ratio formalis prohibitionis, ceſſare debet, & ipſa prohibitio. Ex quibus clarè poteris deducere rationem vltimatam benedictionis prohibitæ in ſecundis nuptijs eam eſſe, ne iteretur benedictio, cum prima maneat, & ſi iteraretur, vilipenderetur, atque hanc rationem ſpecialitèr aſſignant *Durandus in 4. diſt. 42. q. 3. in fin. corporis, Roſella verb. nuptiæ nu. 1. Montaluus lib. 2. in fin. c. 12. p. 4. Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 9. col. 2. verſ. ad id quod obijcitur, Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 82. n. 16. in fin.* — Ratio vltimata benedictionis vetitæ in ſecũdis nuptijs.

4 Textus prohibens benedictiones in ſecũdis nuptijs nõ cõſiderat, an fuerit ſecundæ ex parte viri, an ex parte fœminæ.

Inſuper deducere poteris textum non conſiderare, an nuptiæ fuerint ſecundæ ex parte viri, an verò ex parte feminæ, ſiuè ex parte vtriuſque, ſed ſolam benedictionem in prioribus nuptijs acceptam, ne ſcilicet ea iteraretur: loquitur enim disiunctiuè *vir vel mulier*; nec obeſſe poteſt, quod textus loquatur in numero plurali; *quia*

Digitized by Google

quia cum alia vice benedicti ſint; nam ideò loquitur in numero plurali, quia mentionem de vtroque in præambulis fecerat ſub disiunctione, quaſi quod vtrumque voluerit comprehendere, ſiue vir, ſiue mulier fuerint ante benedicti, prout optimè explicat *Sanchez loc. cit. nu.* 15.

---

§. II.

An ſecundæ nuptiæ poſſint benedici, quando primæ irritæ fuerunt benedictæ.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Rationes ſuadentes huiuſmodi benedictiones eſſe iterandas. 2.
Si fuerint illi, qui primo inualidè contraxerunt, & deinde validè contrahunt, poſſunt attento iure communi recipere in ſecundis nuptijs benedictiones. 3.
Si vnus, qui inualidè contraxit cum alia modo contrahat cum virgine, vel cum alia inualidè coniugata, poteſt in ſecundis nuptijs recipere benedictiones. 4.
Si de nouo contrahat cum alio, qui fuerat validè coniugatus, & receperit benedictionem, non poteſt iterum recipere attento iure communi. 5.

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

DISQVISITIO II. Contraxerant ad inuicem matrimonium per verba de præſenti Titius, & Caia, ſed ex impedimento dirimente omninò inualidum; fuit tamen hoc matrimonium, cum proceſſerit ex ignorantia impedimenti, benedictum. Cognito poſteà impedimento, & nullitate eiuſdem matrimonij, eodemque per diſpenſationem, vel alio modo ſublato iterum contraxerunt in valida forma. Orta hic fuit controuerſia, an ſecundæ nuptiæ repetitæ in valida forma, cum primæ fuerint irritæ, poſſent, & deberent benedici.

2 Rationes ſuadentes huiuſmodi benedictiones eſſe iterandas.

Videtur abſolutè dicendum, vtique benedictionem in ſecundis nuptijs validis eſſe iterãdam; quod multis rationibus poteſt euinci primo, quià nuptiæ ex præſcripto Eccleſiæ ſunt benedicendæ, adeò vt eaſdem omittere ſine cauſa peccaminoſum ſit; primæ autem non fuerunt nuptiæ, cum fuerint omninò inualidæ, ac perindè, ac ſi non fuerint poſitæ, ergo poſteriores, vt veræ nuptiæ, quibus aliæ non præceſſerunt, erunt benedicendæ. Secundò, quià, ſi duo fuerint benedicti, inter quos non præceſſerint nuptiæ, ſunt iterum benedicendi, ſi poſteà veras nuptias contraxerint, ergo etiam, ſi contraxerint nuptias inualidas, in quibus fuerint benedicti, & poſtea nouas validas contrahant remotã impedimento, ſeu inualiditate priorum, erunt iterum benedicendi. Conſequentia tenet, quià quod nuptiæ præceſſerint, ſed inualidæ, & quod nullæ præceſſerint in effectu paria ſunt. Antecedens probatur, quià benedictiones nuptiales non ſunt benedictiones quomodocunque reſpicientes quaſcunque perſonas, ſed benedictiones affixæ, & reſpicientes perſonas, inter quas præceſſerint nuptiæ, vt colligitur ex contextu verborum, quibus huiuſmodi benedictiones impertiuntur. Tertiò, quià ſacramenta etiam irriterabilia, ſi fuerint inualida, ſunt de nouo repetenda cum omnibus formis, & benedictionibus, ergo etiam &c. Quartò, quià non ſubſiſtente principali nequit ſubſiſtere acceſſorium, quod eidem innititur *l. cum principalis ff. de reg. iur.*, ſed benedictiones ſunt acceſſoriæ matrimonio tanquam ſuo principali, ergo non ſubſiſtente matrimonio neque ſubſiſtere poterunt benedictiones, quæ propterea reualidato matrimonio erunt repetendæ.

Explicatio diſtinctionis Tabienæ.

Tabiena *verb. impedimentum imped.* 14. *q. fin.* ſub diſtinctione procedit ſiſtendo etiam in ſuppoſitione, quod primæ nuptiæ fuerint irritæ; vel etenim illæ nuptiæ ſunt ſecundæ tantum ex parte viri, quià vir, qui in matrimonio irrito fuerat benedictus, ducit aliam virginem, que nunquam contraxerat, & ſic ſentit benedictiones nuptiales poſſe iterari; vel illæ nuptiæ ſunt ſecundæ tantum ex parte fœminæ, quatenus ipſa ſolummodò in prioribus nuptijs irritis fuerat benedicta, & poſteà ducit maſculum, qui antea non contraxerat, & ſic ſentit benedictiones nuptiales non eſſe iterandas.

Variј ſtatus diſquiſitionis.

Vt clarius in hac diſquiſitione procedamus, quantumvis in facti ſerie hoc non expoſuerimus, varij ſtatus ſunt diſtinguendi; vel enim, prout in eodem facto expoſuimus, illi, qui validè ſecundo contrahunt, fuerunt illi ijdem, qui primo inualidè contraxerant, vel vnus ipſorum, qui inualidè contraxerat, poſteà validè contrahit cum alia, ſiuè fuerit cum alio validè coniugata, ſiue inualidè, ſiue etiam non fuerit vllo modo coniugata, vel viceuerſa, an fœmina coniugata inualidè cum vno, cum quo fuerat benedicta, contrahat poſteà cum alio, ſiue validè, ſiue inualidè coniugato cum altera, ſiue etiam virgine quatenus cum nulla alia contraxerit. Rurſus, ſiue fuerint ijdem, qui inualidè contraxerant, qui modo validè contrahunt, ſiue vnus, qui inualidè contraxerat cum prima, & poſteà validè contrahit cum altera, ſiue validè, ſiue inualidè coniugata cum altero, ſiue virgine, & viceuerſa, conſiderandum eſt, an illi qui inualidè contraxerunt, contraxerint cum bona

 fide,

ſide, & ignorantia nullitatis, an verò cum mala fide, & ſcientia eiuſdem; hæc enim omnia validè conferre poſſunt ad clariorem diſcuſſionem præſentis diſquiſitionis. Pro qua

3 Si fuerint illi, qui primo inualidè contraxerunt, & poſteà validè inter ſe contrahant, attento iure cõmuni poſſunt recipere benedictio in ſecundis nuptijs.

Reſpondeo primò, ſi fuerint ijdem, qui primo inualidè contraxerunt, & poſteà validè inter ſe ſecundo cõtrahunt attento iure communi poſſunt in ſecundis nuptijs recipere benedictiones nuptiales. Eſt contra *Hoſtienſem in ſumma tit. de ſecundis nuptijs n. 3. verſ. ſed contra Paludanum in 4. diſt. 42. q. 3. art. 1 concl. 2. n. 6. & ibi ſupplementum Gabrielis q. 2. art. 2. concl. 3. Roſellam verb. nuptia n. 3. & ibi Silueſtrum q. 3. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 82. n. 26.* Conſonat tamen cum ijs, quæ docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 1. prænot. 38. num. 10. & 11.* Rationes ibidem allegatæ, & quæ in principio huius diſquiſitionis fuerunt adductæ *verſ. videtur abſolutè dicendum* hoc expreſsè euincunt; quare non eſt in præſenti immorandum; Neque obeſſe poteſt textus *in d. c. vir. de ſecundis nuptijs*, qui quoad ſecundas nuptias prohibet benedictiones nuptiales; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià procedit ſolùm quoad veras nuptias ſubſtantialitèr ſecundas, quandò verò primæ ex impedimento dirimente fuerunt inualidæ, ſecundæ non ſunt ſubſtantialitèr ſecundæ, ſed dumtaxat primæ, ergò &c.

4 Si vnus ex coniugib', qui in primis nuptijs inualidis recepit benedictionem contrahat ſecũdo cũ alia, quæ vel fuerint virgo, vel inualidè cum altero coniugata poteſt recipere benedictionem.

Reſpondeo ſecundò, ſi vnus ex coniugibus, qui in primis nuptijs inualidis recepit benedictionem nuptialem contrahat ſecundo cum alia, quæ vel fuerit virgo, vel inualidè cum alio coniugata poſſunt, & debent in eiſdem ſecundis nuptijs validis iterari benedictiones. Conſonat cum præcedenti reſponſione, atque pro ipſa ſtant *Tabiena verb. impedimentum imped. 14. q. fin. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 9. n. 37.* contrà *Silueſtrum verb. nuptia q. 3. Gutierrez de matrim. c. 106. nu. 15. Auguſtinum Barboſam part. 2. de poteſt. Epiſcop. alleg. 32. n. 183. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 82. num. 26. & alios.* Ratio ex eo deducitur, quià in his ſecundis nuptijs neuter ex contrahentibus fuit validè benedictus; non ille, qui primo contraxerat inualidè, quià ſicuti nuptiæ ipſæ non ſubſtiterunt, nec benedictio poteſt ſubſiſtere; non alter, cum quo ſecundo contrahit, nam vel hic eſt virgo, qui nunquam contraxit, & ſic nullam recepit benedictionem, vel fuit coniugatus, ſed inualidè; & ſic habetur, ac ſi non fuerit coniugatus, nec benedictionem receperit, cum non ſubſiſtente principali, nec valeat ſubſiſtere acceſſorium, prout ſuprà dicebamus.

Reſpondeo tertiò, ſi vnus ex coniugibus, qui primò inualidè contraxerat, & receperat in primis nuptijs inualidis benedictionem nuptialem, ſecundo contrahat cum alio, qui primo fuerit validè coniugatus, & recepit in primis nuptijs benedictionem, attento iure communi non poſſunt in his ſecundis nuptijs iterari benedictiones; hocque intelligendum eſt, ſiue perſona, cum qua contrahit, quæque fuerat validè coniugata, fuerit fæmina, ſiuè maſculus *Nauarrus in ſumma c. 22. num. 83. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 16. num. 2. Marcus Antonius Genuenſis in prax. Neapol. c. 69. num. 3. Marius Alterius de cenſur. tom. 2. diſp. 11. c. 4. dub. 4. Hurtadus de matrimon. diſp. 5. diſ. 23. num. 8.* Expreſsè colligitur *ex d. c. vir de ſecundis nuptijs*, vbi prohibetur iteratio benedictionis, ſiuè vir, ſiuè fæmina, quæ recepit benedictiones in nuptijs validis, tranſierit, ad ſecunda vota. Vide quæ latè diximus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 1. Prænot. 38. num. 8. & ſub hac ead. diſq. in reſponſione 1. & in d. Prænot. 38. num. 8. in fine* inuenies, quare non ſint iterandæ benedictiones in hac, vel ſimili hypotheſi, quantumvis vnus dumtaxat, ſiuè fuerit maſculus, ſiuè fæmina fuerit benedictus, ſeu benedicta. — 5 Non tamē poteſt recipere, ſi alter, cum quo de nouo contrahit fuerit validè coniugatus, & receperit benedictionem. — Intellige, ſiue fuerit maſculus, ſiue fæmina.

Reſpondeo quartò, in ijs omnibus caſibus, in quibus ob inualiditatem primarum nuptiarum poſſunt, & debent repeti benedictiones nuptiales, ſunt repetendæ, ſiuè ſecundo contrahentes primas contraxerint cum bona, ſiue cum mala fide, ſeù cum ignorantia impedimenti, ſiue cum ſcientia eiuſdem. Ratio ex eo deducitur, quià in vtroque hoc caſu ſemper verificatur, quod primæ nuptiæ fuerint inualidæ, & non ſubſiſtentes, adeòque, quod & benedictiones in eiſdem impertitæ nullius effectus fuerint quantum ad effectum, ad quem impertiuntur, ergo vbicunque iterum validè contrahantur, erunt huiuſmodi benedictiones iterandæ. Dixi *in ijs caſibus in quibus ob inualiditatem primarum nuptiarum debent repeti*; nam in caſu, quo alter ex coniugibus ſecundò contrahentibus fuerit in primis nuptijs validis benedictus ob rationem allegatã, neuter in ſecundis erit benedicendus. — In caſibus, in quibus debent iterari ob inualiditatẽ, ſunt iterandæ, ſiue primæ nuptiæ inualidæ fuerint contractæ bona, vel mala fide.

---

§. III.

An vxor tranſiens ad ſecundas nuptias amittat quartam ſibi debitam ex vi *auth. præterea C. vndè vir, & vxor.*

S V M M A R I V M.

Refertur textus, cui innititur diſquiſitio. 1.
Sententia Curtij Iunioris exponitur. 2.
Si quarta bonorum pars, vel virilis fuerit habita, vxor tranſiens ad ſecunda vota can-

Digitized by Google

eandem non amittit, tenetur tamen reſeruare filijs prioris matrimonij. 3.
Si non fuerit habita, & interim vxor tranſierit ad ſecunda vota non, poteſt amplius peti, ſi non fuerit reſeruata. 4.
Si non fuerit habita, fuerit tamen reſeruatum ius ad illam probabilius poteſt exigi. 5.

1 Refertur textus, cui innititur diſquiſitio.

DISQVISITIO III. In textu *in auth. praeterea C. vnde vir, & vxor* diſponitur, quod *ſi matrimonium initum ſit abſque dote, & coniux praemoriatur, qui locuples ſit, ſuperſtes verò laboret inopia, hic ſuccedat vnà cum liberis communibus, alteriuſve matrimonij in quartam, ſi liberi tres ſint, vel pauciores, ſin verò plures in virilem portionem, ità tamen, vt eiuſdem matrimonij liberis proprietatem ſeruet, ſi extiterint, eiſdem verò non exiſtentibus potiatur etiam proprietate*. Hoc ſuppoſito Titia ſine dote nupſit Caio perſonae praepotenti, & locupleti ex quo progenuit filios, & filias, & deindè Caius praemortuus eſt, & filijs haereditatem ſatis pinguem reliquit. Mortuo Caio Titia tranſijt ad ſecunda vota cum Theodorico. Quaeſitum fuit, an per talem tranſitum amiſerit ius ad illam quartam, ſi filij fuerint tres, vel pauciores, vel ad virilem, ſi fuerint plures.

Duplex ſtatus diſquiſitionis.

Haec controuerſia examinari poteſt, vel in ſuppoſitione, qua Titia poſt obitum prioris mariti diuitis, iam conſequuta fuerit, vel quartam, vel virilem iuxtà pauciorem, vel maiorem filiorum numerum, vel in ſuppoſitione, qua illam quantitatem non fuerit conſequuta, ſed ad ſecunda vota tranſierit eadem non petita.

2 Sententia Curtij iunioris exponitur.

Curtius *Iunior in d. auth praeterea C. vndè vir, & vxor* expreſsè ſentit, quod quando illa quarta, vel virilis pars non fuerit per coniugem ſuperſtitem petita, & haec tranſierit ad ſecunda vota non poſſit amplius peti, prout refert *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.1. n.99.*, ex quibus quodamodò videtur legitimè inferri, quod ſi fuerit petita, & habita poſſit retineri, intellige quoad vſumfructum, nam ſic expreſsè ſtatuitur *in d. auth. praeterea C. vndè vir, & vxor*.

3 Si illa pars, vel virilis fuerit habita per tranſitum ad ſecũdas nuptias non amittitur.

Reſpondeo primò, ſi quarta bonorum pars, vel virilis iuxtà diſpoſitionem *d. auth. praetereà C. vnde vir, & vxor* fuerit habita, vxor tranſiens ad ſecunda vota eandem quoad vſumfructum non amittit, licet teneatur filijs prioris matrimonij reſeruare. *Fontanella de pact. nupt. clauſ.5. gloſ.8. part. 11. nu.7. Ioannes Garronis in l.1. nu 75. C. de ſecundis nuptijs, Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.11. n.304.*, quod etiam videtur affirmare *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp 89. nu. 33.* Ratio ex eo duducitur, quià paenae omnes contrà ſecundo nubentes, quae non reſpiciunt principaliter filiorum primi matrimonij fauorem, intelliguntur correctae, & ſublatae per ius canonicum per textum *in c. fin. de ſecundis nuptijs*, ſed paena amiſſionis quartae matrimonialis debitae *ex vi auth. praeterea C. vndè vir, & vxor* non reſpicit filiorum primi matrimonij principaliter fauorem, ſed matris indigentis, ergo &c. Neque dicas, hanc rationem non ſubſiſtere, quandòquidem etiam onus praeſtandi vxori viduae intra annum luctus alimenta quandò eidem intrà talem annum dos conſiſtens in mobilibus non eſt reſtituta reſpicit eiuſdem viduae fauorem, & tamen ſi haec tranſeat ad ſecunda vota intra eundem annum luctus eximuntur filij haeredes ab onere eadem alimenta praeſtandi *Gutierez de matrimon. c.108. nu.14. Sanchez lib. 7 de matrimon. diſp. 87. n. 30.*, & alij apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrim. contract. c.11. à num. 305. ad 309.*, ergo &c., contrà enim impugnaberis, quià diſpar omninò eſt ratio, quandòquidem ius ad alimenta acquirenda durante anno luctus, & non reſtituta per haeredes dote in eo fundatur, quod iura ſic diſponant perſeuerante ſtatu viduitatis, vt vidua habeat, quo valeat pro tali anno, pro quo non reſtituitur dos ſuſtentari; ceſſat autem haec ratio quandò tranſijt ad ſecunda vota: ius autem ad illam quartam bonorum partem, vel ad virilem, quandò vidua ſuperſtes eſt pauper eſt in ordine ad alimenta, vel dotem, quod propterea ſaluari poteſt cum ſecundis nuptijs. Inſtantia aduerſantes diſſoluta.

4 Si nõ fuerit habita, & vxor trãſierit ad ſecunda vota probabilius non poteſt peti.

Reſpondeo ſecundò, ſi quarta bonorum pars, vel virilis non fuerit habita, & interim vxor vidua tranſierit ad ſecunda vota nulla facta reſeruatione eorundem, probabilius eſt non poſſe amplius peti. In hoc conſentit *Curtius Iunior in d. auth. praeterea C. vndè vir, & vxor*, Ratio ex eo deducitur primò, quià per talem tranſitum ad ſecundas nuptias nulla facta reſeruatione praedictae quartae partis, vel virilis debitae *ex d. auth. praetereà* videtur expreſsè facta ceſſio iuris in ordine ad eadem bona, ergo non viget amplius ius eadem exigendi. Secundò, quià iura tribuunt dumtaxat tale ius feminae viduae, quae nupſerat diuiti, vt ipſius ſtatui conſuleretur neque emendicare teneretur cum dedecore praecedentis matrimonij, ſed haec ratio non militat, quandò iam nupta eſt, nec habuit talia bona, nec eadem ſibi reſeruauit, quandòquidem ſecundus maritus, qui eidem nupſit ſine alio onere, tenetur eandem alere iuxtà exigentiam proprij ſtatus, ergo &c.

5 Si non fuerit habita fuerit tamen reſeruatum ius ad illam probabilius poteſt exigi.

Reſpondeo tertio, ſi non habita tali quarta bonorum parte, ſeù virili tranſierit ad ſecunda vota reſeruato ſibi iure ad talia bona, probabilius eſt eadem poſſe exigere quoad vſumfructum. Ratio ex eo deducitur, quià diſpoſitio talis *auth praeterea*

verſa C. vnde vir, & vxor eo tendit, vt conſulatur paupertati coniugis viduæ, ne cum dedecore prioris matrimonij emendicare cogatur, vel innupta remanere ſine ſubſidio; quandò autem nubit reſeruato ſibi iure ad talia bona, ſeù ad vſumfructum eorundem intelligitur nubere cum tali iure alitèr non nuptura, cum ſecundus coniux ſine illo ipſam non duceret, ergò &c. Neque dicas iuxtà ſuperius dicta *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. IV. pranes VI. aſſert. VI.* filios quantumvis diuites non teneri matri pauperi dotem erogare, cum non teneantur cooperari proprio dedecori, ſeù iniuriæ ſibi inferendæ per eandem in tranſitu ad ſecundas nuptias; contra enim impugnaberis, quià illa quarta pars, ſeù virilis non conceditur titulo dotis, ſed ad conſeruandam decentiam ſtatus eiuſdem mulieris, cum aliundè non habeat, quo valeat congruè ſuſtentari, hæcque debentur in debitum prioris coniugij, & naturæ officium, quo etiam indiget celebratis ſecundis nuptijs cum reſeruatione illius iuris, quandòquidem non fuiſſet nupta ſine illo iure. Accedit, quod in ordine ad dotem iura nullum ius conferunt; conferunt autem in ordine ad illam quartam bonorum partem, vel virilem, & hoc ob indigentiam, vt *ex d. auth. prætereà C. vndè vir, & vxor.*

§. IV.

An non extantibus filijs prioris matrimonij, extantibus verò aſcendentibus, vxor ſuperſtes inops acquirat quartam bonorum partem viri prædefuncti diuitis, & an teneatur eandem eiſdem aſcendentibus reſeruare.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſiæ cum ratione dubitandi. 1.

Non extantibus filijs prioris matrimonij, exiſtentibus tamen aſcendentibus mulier inops ſuperſtes acquirit quartam bonorum partem mariti prædefuncti. 2.

Hanc quartam tenetur reſeruare eiſdem aſcendentibus. 3.

1 Status controuerſiæ.

DISQVISITIO IV. Iuxtà terminos præcedentis diſquiſitionis prædefuncto Caio Marito diuite Titia, quæ eidem nupſerat ſine dote, ſuperſtes manſit ſine liberis, ſeù filijs ex eodem matrimonio. Hic duplex oritur difficultas; prima, an eadem Titia acquirat tantum quartam bonorum partem, an verò ſuccedat in toto non ſolum quoad vſumfructum, ſed etiam quoad proprietatem. Secunda, an in ſuppoſitione, qua ſuccedat tantum in quarta parte, teneatur eandem eiſdem aſcendentibus reſeruare.

Ratio dubitandi.

Ratio dubitãdi deſumitur potiſſimum *ex eod. textu in auth. prætereà C. vndè vir, & vxor*, vbi ſic legitur. *His verò nempè filijs, non extantibus, vel ſi nullo modo habuerit, potietur etiam dominio, & impuſabitur legatum in talem portionem.* Textus autem loquens præcisè de filijs non extenditur ex genere ſuo ad aſcendentes. Quamobrem in ea hypotheſi videtur acquirere abſolutè, non præcise quoad vſumfructum, & quidem non pro parte, ſed pro toto. Nihilominus

2 Exiſtentibus dumtaxat aſcendentibus vxor inops ſuperſtes acquirit quartam bonorum partem.

Reſpondeo primo non extantibus filijs prioris matrimonij, ſed aſcendentibus mulierem inopem ſuperſtitem acquirere tantum quartam bonorum partem mariti prædefuncti quoad vſumfructum, *Gloſa in d. auth. prætereà verb. non extantibus C. vnde vir, & vxor.* Ratio ex eo deducitur, quià in defectu filiorum deſcendentium aſcendentes plenum ius acquirunt in bonis mariti prædefuncti, & aſcendentibus æquè, ac deſcendentibus de iure naturæ debita eſt legitima, & eodem iure conſiderantur, ergò ſi exiſtentibus filijs patris diuitis prædefuncti mater ſuperſtes acquirit quartam bonorum partem ſolum quoad vſumfructum, etiam eiſdem non exiſtentibus, extantibus tamen aſcendentibus eandem dumtaxat partem quoad vſumfructum acquiret; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod textus dumtaxat loquatur de filijs ex eodem matrimonio, qui proptereà non debet extendi ad aſcendentes; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià eadem ratio militat quoad aſcendentes non extantibus filijs, quę militat quoad eoſdem filios exiſtentes cum eodem iure ſuccedant, & textus, qui conſulit paupertati vxoris ſuperſtitis cum minori filiorum detrimento eodem modo conſulere cenſendus eſt eiuſdem egeſtati cum minori eorundem aſcendentium præiudicio.

3 Tenetur eiſdem aſcendentibus reſeruare.

Reſpondeo ſecundo, mulier inops ſuperſtes tenetur eandem bonorum mariti diuitis prædefuncti partem aſcendentibus reſeruare. Ità expreſsè ſentit *Gloſa in d. verb. non extantibus*, dum aſſerit idem obſeruandum eſſe quoad aſcendentes non extantibus filijs, quod obſeruatur quoad eoſdem filios, ſi extiterint.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

An non extantibus filijs, nec aſcendentibus mulier inops ſuperſtes ſuccedat in toto, an tantum in illa quarta bonorum parte.

SVMMARIVM

Refertur ſenſus diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens ſuccedere in toto excluſis tranſuerſalibus. 2.
Lucratur tantum propritatem illius quartæ partis. 3.
Vxor inops poteſt exigere illam quartam bonorum partem, quamuis maritus illam præterierit in teſtamento. 4.
Si maritus in teſtamento aliquid vxori inopi legauerit, minus tamen quarta bonorum ſuorum parte, vxor ſuperſtes poteſt agere ad complementum. 5.

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

DISQVISITIO V. Siſtendo in terminis præcedentium diſquiſitionum Titia mulier inops ſuperſtes mãſit eidem Caio diuiti nullis relictis ex eodem Caio deſcendentibus, nec aſcendentibus. Quæſitum fuit, an in ea hypotheſi eadem Titia ſuccederet in tota hæreditate eiuſdem Titij prædefuncti excluſis tranſuerſalibus, an verò dumtaxat in quarta illa bonorum parte diſpoſita per *d. auth. præterea C. vndè vir., & vxor*.

2 Sententia aſſerens ſuccedere in toto excluſis tranſuerſalibus.

Nonnulli apud *Gloſam in d. auth præterea verb non extantibus*, ſentiunt vxorem; & virum ſecundi matrimonij ſuccedere in totum excluſis tranſuerſalibus; ſed neſcio quo fundamento, cum hoc ius non conferat, nec ſtatus mulieris ex eo, quod fuerit coniux prædefuncti *Baldus in l. fin. C. vnde legitimi*, cæteroqui etiam, ſi ipſa eſſet diues ſuccederet in toto, quod nullus aſſerit, nec diſpoſitio huius *auth. præterea*, quæ ſolum confert ius ad talem portionem, vt inſpicienti patet. Quamobrem.

3 Lucratur tantum proprietatem illius quartæ partis.

Reſpondeo in hac hypotheſi lucrati tantum proprietatem quartæ portionis, *Gloſa in d. auth præterea C. vnde vir., & vxor verb. non extantibus in fin., & ibi Bartolus in fine*. Colligitur expreſsè ex *d. textu*. Ibi, *vel ſi nullos habuerit. potietur etiam dominio, & imputabitur legatum in talem portionem*, vbi nota illam particulam *in talem portionem*, quæ eſt limitatiua, nec aliud ius competit vxori, niſi dependentèr ab *hac auth præterea*. Accedit finis primarius prædictæ auth., qui fuit conſulere paupertati eiuſdem vxoris ſuperſtitis, ne cum dedecore prioris viri emendicare cogeretur, & turpem vitam agere, qui finis ceſſat, vbi ſucceſſerit in quarta bonorum parte mariti prædefuncti.

Hic ſolum oritur difficultas, an ea, quæ dicta ſunt ex *hac auth. præterea C. vnde vir, & vxor* locum etiam habeant ex teſtamento, quando ſcilicet maritus in teſtamento alios inſtituiſſet nihilo penitus eidem vxori relicto, an ſcilicet ipſa vxor poſſet petere, & exigere illam quartam bonorum partem. Affirmatiuè ſentiendum eſt, prout docet *Bartolus in d. auth. præterea C. vnde vir., & vxor in verb inſpiciatur, Salicetus ibid. in verb. ſuccedat, Romanus in l. diuortio, ff. ſol. matrim.* pro quo allegat *gloſam in auth. de hæred., & falcid. in § ſi verò expreſſim in verb hæredem*, qui eam rationem adducunt, quià defunctus non potuit auferre ius, quod ex diſpoſitione eiuſdem auth. competit ipſi vxori *arg in auth presbyteros C. de Epiſcopis, & Cler.* — 4 Vxor inops poteſt exigere illam quartam bonorum partẽ, etiam ſi maritus ipſam prętererit in teſtamento

5 Si maritus aliquid legauerit vxori inopi minus quarta bonorum parte hæc poteſt agere, ad complementum.

Sed, an, ſi maritus prædefunctus legauerit aliquid vxori ſub ea conditione, quod plus petere non poſſet, licet relictum eſſet minus quarta, poſſet vxor agere ad complementum eiuſdem quartæ portionis. Salicetus *in hac auth præterea* aſſerit, quod vxor legataria in hac hypotheſi non poſſet agere ad complemẽtum illius quartæ portionis, eò quià hæc quarta debetur ipſi contingentèr, non neceſſario, & ideò ſolum præter voluntatem teſtatoris poteſt venire, nõ contra. Addit, quod diſpoſitio huius auth. inducta ſit quodamodo in fauorem eiuſdem mariti diuitis prædefuncti, ne ſcilicet infelix coniux ob inopiam emendicare cogatur in iniuriam, & opprobrium ipſius defuncti; volenti autem ex vulgatiſſimis iuribus non fit iniuria. Ex aduerſo *Baldus, Paulus de Caſtro, Romanus, Alexander hic, & Bartolus, Iacobus de Aret., & alij poſt eos in l. cum dotem § ſi pater, ff ſol. matrim.* videntur ſentire vxorem inopem ſuperſtitem poſſe agere ad complementum illius quartæ portionis. Ad hoc ſuum aſſertum comprobandum doctrinam generalem adducunt de debitore voluntario, & neceſſario, adeovt, ſi primus aliquid leget debitori, non intelligatur relinquere animo recompenſandi per textum *in l. creditorem, ff. de leg. 2.*; ſi verò ſecundus aliquid leget, & tunc intelligitur legare animo recompenſandi; ex qua doctrina deducunt, quod ſi ſententia Saliceti ſubſiſteret in caſu huius auth. legatum non deberet compenſari in quartam, quod eſſet contra iſtum textum. Hæc fermè ad verbum colligo *ex Alexandro in d. auth. præterea C. vndè vir, & vxor. n. 6.*; & quidem, quod iuxtà opinionem Saliceti legatum non eſſet compenſandum in quartam, ex eo facilè deducitur, quià debitum illud non eſſet neceſſarium, ſed voluntarium.

Digitized by Google

rium. Probabiliorem arbitror hanc ſecundam opinionem, pro qua hanc aliam ſubdo rationem, quod, ſicuti liberum non eſt eidem marito locupleti omittere in teſtamento vxorem pauperem, ità nec eidem liberum ſit eandem omittere quoad partem à iure præſcriptam.

---

§. VI.

An extantibus filijs, vel aſcendentibus qui repudiarint hæreditatem patris diuitis prædefuncti, hæreditas accreſcat vxori pauperi.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis. 1.
Quot modis filij poſſint ſuccedere Patri, vel aſcendentibus. 2.
Non extantibus filijs, vel renunciantibus hæreditati poſſunt agnati velle ſuccedere ex ſucceſſario edicto. 3.
Etantibus filijs, & renunciantibus, ſi extent aſcendentes, ius accreſcendi non competit matri. 4.
Extantibus aſcendentibus, & renunciantibus agnati excludunt ius accreſcendi reſpectu matris. 5.
Excluditur etiam à iure accreſcendi, ſi non fuerint filij, nec aſcendentes, nec agnati, vel illis omnibus renunciantibus. 6.

1 Facti ſeries exponitur.

DISQVISITIO VI. Prædefuncto Caio marito diuite Titiæ vxoris pauperis, relictiſque ex matrimonio eiuſdem Titiæ filijs, vel aſcendentibus, ijdem filij, vel aſcendentes abſolutè renuntiarunt hæreditati paternæ, vel deſcendentis reſpectiuè. Eadem Titia ex diſpoſitione *d. auth. præterea C. vnde vir, & vxor* acquirit quartam bonorum partem in eiſdem bonis. Hic orta fuit controuerſia, an tota hæreditas repudiata à filijs, vel aſcendentibus iure accretionis fiat eiuſdem Titiæ vxoris ſuperſtitis?

DD. agentes de hac controuerſia.

Agunt de hac controuerſia *Baldus in l. vnica in deciſ. 2. quaſt nu. 23. C. quando non petent. part.*, *& Lodouicus Romanus ibid.*, *& alij ſcribentes*, ad quos vos remitto. Pro clariori intelligentia, & ad captum textus *in l. vnica C. quando non petent. part.*

2 Quot modis filij poſſint ſuccedere Patri, vel aſcendentibus.

Aduerte in ordine ad filios, quod iſti patri, vel aſcendentibus maſculis poſſint quatuor modis ſuccedere primo de iure ciuili; ſecundo per *vnde liberi*; tertiò per *vnde agnati*, quartò per *vnde cognati*; ſi ex primo modo renuant ſuccedere poſſunt velle ſuccedere ex ſecundo, tertio, vel quarto, & quocunque ex ijs modis velint ſuccedere, non fit accretio alijs conſortibus, intellige tamen, niſi eligat ſuccedere per vltimam viam ſcilicet per *vnde cognati*, & alij ius habeant ſuccedendi per viam *vnde liberi*, *vel vnde agnati*, quià tunc alij admitterentur ex potiori iure, & tunc eiſdem fieret accretio, prout rectè notat *Baldus in l. vnica n. 6. C. quando non petent. part.*

Aduerte ſecundò, non extantibus filijs, vel eiſdem exiſtentibus, ſed abſolutè renuntiantibus hæreditati poſſe agnatos proximiores ex ſucceſſorio edicto velle acquirere, præcipuè, ſi ſint aſcendentes, qui per conſequens excluderent ius accreſcendi reſpectu vxoris prædefuncti, ſi illa fuerit pauper, quantumvis ex diſpoſitione *d. auth. præterea C. vnde vir, & vxor* acquirat quartam bonorum partem. His ergo pro notitia ſuppoſitis — 3 Non exiſtentibus filijs, vel renuntiantibus poſſunt agnati velle ſuccedere ex ſucceſſorio edicto.

Reſpondeo primò, extantibus filijs, & renuntiantibus hæreditati paternæ, ſi extent aſcendentes, non competere ius accreſcendi matri pauperi. Conſentit in hanc reſponſionem *Baldus in d. l. vnica n. 23. C. quando non petent. part.* Ratio ex eo deducitur, quià ex ſuperius dictis diſpoſitio *d. auth. præterea* non excludit ius, quod habent aſcendentes ad ſuccedendū in defectum filiorum ex eodem matrimonio in bonis ſui deſcendentis, ergo nec idem ius excludunt, quando ijdem filij exiſtunt, ſed abſolutè, & ſimpliciter renuntiant hæreditati, ſeu bonis paternis, quià idem operetur aliquid non eſſe, vel reduci ad non eſſe quoad effectum ſucceſſionis, ergo exiſtentibus eiſdem aſcendentibus ius accreſcendi non poteſt prodeſſe eidem vxori ſuperſtiti pauperi, quæ tantum ſuccedit in illa quarta bonorum parte. Confirmatur, quià omnis, qui facit alteri partem, excludit ius accreſcendi illius, cui facit partem per textum *in l. plenè ff. de leg. 1., & in auth. quibus modis nat. effic. ſui §. ſi vero filiorum legitimorum*, ſed aſcendentes in defectum filiorum ex eodem matrimonio faciunt partem reſpectu vxoris pauperis, ergo excludunt ius accreſcendi reſpectu illius. — 4 Extantibus filijs, & renuntiantibus, ſi extent aſcendentes ius accreſcēdi non cōpetit matri.

Reſpondeo ſecundò, extantibus aſcendentibus, ijſque renuntiantibus bonis, ſeu hæreditati deſcendentis, & exiſtant agnati tranſuerſales, qui de iure communi poſſint ſuccedere, excluditur ius accreſcendi reſpectu eiuſdem vxoris ſuperſtitis pauperis. Conſonat cum præcedenti reſponſione, eiſdemque ferè rationibus innititur, quandòquidem diſpoſitio eiuſdem *auth. præterea* eos non excludit. — 5 Extantibus aſcendētibus, & renuntiantibus agnati excludunt ius accreſcendi reſpectu matris.

Reſpondeo tertiò, ſi non fuerint filij, nec aſcendentes, nec agnati, qui de iure poſſint ab inteſtato ſuccedere, vel ſi fuerint, omnes abſolutè renuntiauerint, probabilius etiam eſt eidem mulieri inopi non accreſcere huiuſmodi hæreditatem. — 6 Excluditur etiā à iure accreſcēdi, ſi non fuerint filij, nec aſcendentes, nec agnati.

Vi-

Digitized by Google

Videtur expreſsè contrà *Baldum in d. l. vnica nu. 23. C quando non pet. part.* dum aſſerit, quod, ſi coniux non habeat obicem, ideſt obſtaculum, concurrentem totum eidem accreſcat. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quià iura limitant tantum diſpoſitionem quoad illam quartam bonorum partem, nec aliud intendunt, niſi conſulere egeſtati eiuſdem vxoris, ne contrà reuerentiam, & cum dedecore mariti prædefuncti emendicare cogatur. Hec rationibus inſiſtendo; cæterum æquior videtur ſententia Baldi, quam alij ſequuntur, potiſſimum, cum *Paulus de Caſtro in d. auth. præterea in principio* aſſerat, quod altero ex coniugibus decedente ſine propinquis aſcendentibus, vel deſcendentibus, alter coniux ſucedat in ſolidum excluſo fiſco.

---

§. VII.

An vxor pauper ſuperſtes marito diuiti prædefuncto ius habeat ad illam quartam bonorum partem, ſi habeat Patrem diuitem.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſia. 1.
Sententia Romani. 2.
Non habet locum in hoc caſu auth. præterea, *ſed conſulendum eſt inopia vxoris per bona patris prapotentis.* 3.
Poteſt compellere Patrem ad alimenta ſibi ſubminiſtranda. 4.
Soluuntur rationes oppoſita. 5.

1 **Factum in ſuis terminis.** DISQVISITIO VII. Prædefuncto Caio marito prępotenti ſuperſtes remanſit Titia ipſius vxor, quæ nihil, vel modiciſſimum in bonis habebat, habebat tamen Patrem valdè diuitem, & diuitijs præpotentem. Quæſitum hic fuit, an eadem Titia in ea hypotheſi ius haberet ad illam quartam portionem in bonis mariti, an verò in ea egeſtate eidem eſſet conſulendum in bonis Patris.

2 **Sententia Romani.** Hanc controuerſiam latè examinat *Romanus in d. auth. præterea C vndè vir, & vxor num. 11.*, vbi allegata conſultatione cuiuſdam Doctoris innominati, qui aſſerebat conſulendum eſſe ex vi diſpoſitionis *d. auth. præterea C. vnde vir, & vxor* inopiæ mulieris in bonis mariti prædefuncti, ijſque relatis, quæ affert *Bartolus in l. ſciendum in penult. quaſt. ff. qui ſatis dar. cog.* tandem tanquam probabilius ſtatuit in hac hypotheſi non habere locum *d. auth. præterea*, ſed conſulendum eſſe vxori inopi in bonis Patris, non mariti; cum quo

Reſpondeo, iuxta terminos præſentis diſquiſitionis non habere locum diſpoſitionem *d. auth præterea*, ſed conſulendum eſſe inopiæ vxoris ſuperſtitis in bonis patris præpotentis. Conſentiunt *Romanus loc. cit. Raphal. Cum. in l. ſuis ff. de lib., & poſth. Gloſa 2. in l. 2. C. qui ætat. lib.* 10. *Baldus in l. fin. in fin. de impub., & alijs ſubſtit. in l. diximus § 1. ff. de exec. tut. & in l. ſciendum in princip. ff. qui ſatiſd. cog.* Ratio ex eo deducitur primò, quià ius *in d. auth præterea C. vndè vir, & vxor* conſulere ſatagit dumtaxat vxori viduæ inopi, quæ aliunde non habet, quo valeat ſuſtentari, ne emendicare cogatur cum iniuria, & dedecore prioris coniugij, ſed extante Patre eiuſdem coniugis viduæ inopis dici non poteſt, quod non habeat, quo congruè valeat ſuſtentari, cum poſſet compellere Patrem ad alimenta ſibi ſubminiſtranda per textum *in l. ſi quis à liberis §. fin. l. vl. ſi parens de lib. agn.*, ergo &c. Secundò, quià extimum Patris cenſetur extimum filij, & illud, quod Pater poſſidet videtur filius poſſidere *Baldus in l. fin. in fin. de impub & alij ſubſtit. in l. diximus §. 1. ff. de execut. tut. & in d. l. ſciendum ff. qui ſatiſd. cog.* 3 **Conſulendū eſt inopiæ vxoris per bona patris prępotentis.** 4 **Poteſt cōpellere patrē ad alimenta ſibi ſubminiſtranda.**

Nec refragantur ea, quæ ex aduerſo afferebantur *ex Bartolo in d. l. ſciendum in penult. q. ff. qui ſatiſd. cog.*, non refragantur, inquam, quia vt bene notat *Alexander de Immol. in d. auth. præterea n. 11. in fin.* prædicta per eundem tantum ſubſiſtunt quoad ea, quæ filius non poterat exigere à Patre viuente, ſecus in caſu noſtro, in quo filia vidua pauper poteſt ſibi conſulere cogendo Patrē ad ſibi ſubminiſtranda congrua alimenta per textum *in d. l. ſi quis à liberis &c.* 5

---

§. VIII.

An ea, quæ hactenus dicta ſunt de vxore paupere ſuperſtite in ordine ad bona mariti diuitis prædefuncti, intelligenda ſint de marito paupere ſuperſtite in ordine ad bona vxoris prædefunctæ diuitis.

SVMMARIVM.

Factum tale in ſuis terminis. 1.
Maritus pauper ſuperſtes vxori diuiti habet ius in quarta bonorum parte vxoris. 2.
Cur in auth. præterea *addita ſit illa particula, ſi matrimonium ſit ſine dote.* 3.
Maritus inops ſuperſtes non ſolum ſuccedit in quarta dotis parte, ſed etiam aliorum bonorum vxoris prædefunctæ. 4.

1 Facti ſeries expoſita.

DISQVISITIO VIII. Iuxtà terminos præcedentium diſquiſitionum Titiæ vxori diuiti prædefunctæ ſuperſtes manſit Caius maritus Pauper, cum non haberet, quo poſſet congruè ſuſtentari. Quæſitum hic fuit, an, ſicuti vxor pauper ſuperſtes marito diuiti prædefuncto ſuccedit in illa quarta bonorum parte, ità maritus pauper ſuperſtes vxori diuiti ſuccedat proportionalitèr in quarta bonorum parte eiuſdem vxoris diuitis prædefunctæ.

Ratio dubitãdi, vndè ſumatur.

Ratio dubitandi ex eo potiſſimum conſurgit, quod in textu *in d. auth. prætereà C. vnde vir, & vxor* fit diſpoſitio, ſi matrimonium fuerit initum ſine dote. Ibi *Præterea ſi matrimonium ſit abſque dote*, ex quibus verbis duo videntur inferri, primò, quod hæc diſpoſitio ſolum afficiat vxorem ſuperſtitem pauperem, cum dos ſe teneat præcisè reſpectu eiuſdem vxoris, non reſpectu mariti, qui contrahens matrimonium dotem non confert. Secundò, quod dato, quod afficeret etiam maritum ſuperſtitem pauperem ex ſuppoſitione, quod eidem dos per vxorem fuerit collata, non poſſit partem illam quartam acquirere, quandòquidem textus tantum diſponit, quandò matrimonium initum eſt ſine dote.

Articuli examinandi.

Vt clarius procedamus efformãdi ſunt articuli ſub hac diſquiſitione examinandi. Primus erit, an æquale ius habeat maritus pauper ſuperſtes, quod habet mulier pauper ſuperſtes marito diuiti. Secundus ad quem effectum poſita ſit illa particula in textu, *ſi matrimonium ſit abſque dote*, ſi maritus ſuperſtes pauper ſuccederet in illa quarta bonorum portione etiam eadem dote ex parte mulieris prædefunctæ exiſtente. Tertius, an maritus pauper ſuperſtes exiſtente dote reſpectu mulieris non ſolum ſuccederet in illa quarta dotis portione, ſed etiam in quarta aliorum bonorum parte, ſi illa haberet diſtincta ab ipſa dote.

2 Maritus pauper ſuperſtes vxori diuiti habet ius ſuccedendi in illa quarta bonorum parte.

Reſpondeo primò, maritum pauperem ſuperſtitem vxori diuiti prædefunctæ habere ius ſuccedendi in illa quarta bonorum portione mulieris diuitis prædefunctæ. Conſentiunt omnes ferè ſcribentes *in d. auth. præterea C. vndè vir, & vxor*. Colligitur expreſsè ex eodem textu, qui loquitur indefinitè de quocunque coniuge. Ibi *coniux autem præmoriens locuples ſit, ſuperſtes vero laboret inopia*, vbi nulla fit diſtinctio inter maritum, & vxorem. Accedit, quod eadem ratio militare videtur pro vtroque, ſicuti enim dedecus eſt marito præmorienti cum diuitijs, quod mulier ipſius vidua emendicet, ita maxima eſt contumelia vxori diuiti præmorienti, quod maritus ipſius pauperem vitam ducat, & mendicet,

3 Cur addita ſit in *auth. præterea* illa particula, *ſi matrimonium ſit ſine dote*.

Reſpondeo ſecundò, quod ideo *in illa auth præterea* appoſita eſt illa particula, *ſi matrimonium ſit ſine dote*, quià quando eſt cum dote, ſi prædecedat vxor marito pauperi regulariter ex ſtatutis, & pactis ipſe maritus lucratur dotem, vel eius partem, quo propterea ſtante lucro ceſſat prouiſio huiuſmodi *auth præterea*, quæ ſolum reſpicit conſulere egeſtati coniugis; vt habeat, quo valeat ſuſtentari; vndè ſi nullo exiſtente ſtatuto, vel pacto de tali lucro præmoreretur vxor vtique maritus ſuccederet in illa quarta bonorum parte *Paulus de Caſtro in d. auth. præterea C. vndè vir, & vxor n. 5. in fin.*

Ex quibus etiam deducere poteris, quod ideo etiam appoſita ſit illa clauſula, *ſi ſine dote etiam ſit matrimonium* reſpectu mulieris ſuperſtitis, quià ſi vir præmoriatur, vxor habens dotem illam recuperat, & ſic non eſt in ſtatu, quo nequeat ſuſtentari. Quod ſi ſupponas, quod quamvis fuerit dos, ita tamen hæc ſit exigua, vt cum illa nequeat congruè ſuſtentari, tunc non incongruè affererem cum *Baldo in d. auth. præterea in fin.*, quod computata illa exigua dote acquireret quartam illam bonorum partem.

4 Maritus inops ſuperſtes nõ ſolum ſuccedit in quarta dotis parte, ſed etiam aliorũ bonorũ vxoris.

Reſpondeo tertiò, probabilius eſſe non ſolum maritum inopem ſuperſtitem ſuccedere in quarta parte dotis mulieris diuitis, ſed etiam in quarta aliorum bonorum parte. Ita expreſsè *Alexander Tartagna de Immola in d. auth. præterea C. vnde vir, & vxor n. 3. in fin.*, quod idem implicite voluiſſe videtur *Baldus in l. licet nu. 3. C. de iure dot.* aſſerens, quod quando matrimonium eſt ſine dote vir inops, ſuccedit vniuerſaliter, hoc eſt ſecundam formam *huius auth præterea*, ita & cum matrimonium eſt cum dote ſuccedit eadem forma, quia eſt eadem ratio, quod rurſus clarius videtur exprimere *in d. auth. præterea C. vnde vir, & vxor n. 6.*, vbi quærens, an ſi matrimonium ſit cum magna dote, & maritus ſuperſtes ſit inops lucretur ſaltem quartam partem dotis, reſpondet cum Cyno affirmatiuè, & poſteà ſubdit, quod ſicuti, ſi illa dos non eſſet dos, ſed eſſent bona paraphernalia ſuccederet in quarta parte illorum, ita cum ſit dos ſuccedat in quarta parte illius; Dum igitur dicit, quod ſuccederet in quarta parte bonorum paraphernaliũ ſentire videtur, quod ſuccedat iuxtà formam huius auth. in quarta parte omnium bonorum eiuſdẽ vxoris diuitis prædefunctæ. Ratio ex eo deducitur, quià, ſi vxor habuerit plura bona, quæ non contulerit marito in dotem, & prædeceſſerit ſuperſtite marito inope, hic ſuccederet in illa quarta omnium bonorum parte ex vi huius *auth. præterea*, cum vigeret ratio finalis inopiæ reſpectu mariti ſuperſtitis, ergo etiam ſi plu-

Digitized by Google

plura habuerit bona, & aliqua tantum contulerit in dotem, maritus inops ſuperſtes lucrabitur non tantum quartam partem eorum bonorum, quæ fuerunt collata in dotem, ſed eorum etiam omnium, quæ vxor prædefuncta habebat in ſuo patrimonio. Confirmatur, quia ſi vxor habeat paruam dotem, & maritus ipſius diues prædecedat, eadem vxor non ſolum acquirit dotem, ſeu recuperat, ſed etiam quartam bonorum partem eiuſdem mariti, quia in hoc caſu etiam habet locum ratio huius authenticæ, quæ fundata eſt in inopia, ne vxor infelix emendicare cogatur *Tartagna in d. auth. præterea num. 4. C. unde vir, & vxor, & ibi Baldus, & Romanus in l. diuortio ff. ſolut. matrim.*, ergo etiam ſi maritus ſuperſtes habuerit dotem ab vxore diuite prædefuncta, quæ ſimul habuerit bona alia in ſuo patrimonio non ſolum lucrabitur quartam partem dotis, ſed etiam aliorum bonorum, quæ erant in patrimonio eiuſdem vxoris diuitis prędefunctæ. Neque dicas, finem præciſu diſpoſitionis huius authéticæ eo tendere, ne coniux ſuperſtes præ inopia emédicare cogatur cum iniuria, & dedecore alterius coniugis diuitis prædefuncti, qui finis ceſſare videtur per acquiſitionem quartæ partis dotis collatæ, adeòque &c. Contrà enim impugnaberis, quià etiam reſpectu vxoris inopis ſuperſtitis ſufficere poteſt, ne emendicare cogatur, minor pars, quam ſit quarta bonorum mariti diuitis prædefuncti, & tamen ius hanc quartam partem prædeterminat, ergo etiam, quantumvis per acquiſitionem illius quartæ partis dotis maritus ſuperſtes conſtituatur in ſtatu, quo emendicare non cogeretur, adhuc tamen non eſt arcendus ab acquiſitione partis aliorum bonorum, cum ius hoc determinet; Neque vlterius vrgeas, quod, cum marito collata ſit dos in ordine ad ſuſtinenda onera matrimonij in tanta quantitate, & non in vlteriori eius tantum acquirat in ordine ad illam; contrà enim adhuc impugnaberis, quià cum dicta authentica loquatur non reſtrictiuè ad dotem, ſed ampliatiuè ad omnia bona coniugis diuitis prædefuncti diſpoſitio non eſt coarctanda in ordine ad dotem præcisè, nec valet argumentum à dote in ordine ad onera matrimonij ſuſtinenda ad illam acquiſitionem poſt mortem vxoris diuitis in ordine ad ſubleuandam inopiam mariti ſuperſtitis, cum iura diuerſum finem reſpiciant.

Rationes euincentes intentum, & obiecta diſſoluta.

§. IX.

An hodie vitentur pænæ iuris contra nubentes intra annum luctus, quantumvis pro quacunque eiuſdem anni parte ſecundæ nuptiæ ſequantur.

S V M M A R I V M.

Explicatur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens in hac hypotheſi non euitare pœnas cum ſuis rationibus. 2.
Probabilius in hac etiam hypotheſi vitaret pœnas iuris ciuilis. 3.
Praualere debet periculum incontinentiæ incertitudini prolis. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 5.

1 **Exponitur titulus in caſu particulari.**

DISQVISITIO IX. Dictum fuit in præcedentibus prænotionibus, & præcipuè *Peanes 10 per totum* pænas à iure ciuili irrogatas contrà feſtinanter nubentes intra annum luctus correctas eſſe per textum *in c. fin. de ſecundis nuptijs*. Hoc ſuppoſito Caia vidua præmortuo Titio ipſius marito dimiſſo luctu pro ea anni parte ab obitu prioris mariti conuolauit ad ſecundas nuptias cum Theodorito, pro qua poterat eſſe prolis incertitudo, an eſſet prioris, vel poſterioris mariti. Hic orta fuit controuerſia, an Caia in ea hypotheſi non obſtante iure canonico correctorio iuris ciuilis non euitaret pænas eiuſdem iuris, an vero ſimpliciter euitaret, ſeu quod idem eſt, an in eo caſu ius canonicum eſſet correctorium iuris ciuilis, an vero illud relinqueret in ſuo robore.

2 **Sententia aſſerens in hac hypotheſi non euitare pænas.**

Plures apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrim. contract. num. 300.* ſuſtinent in ea hypotheſi mulierem ſic feſtinanter nubentem non euitare huiuſmodi pænas, nec eas iure canonico corrigi; atque hi ſunt *Gloſa in l. decreto C. ex quib. cauſ. infam. irrog. Rifred. in tit. de bon. poſſeſ. vnde vir, & vxor, Theſaur. qq. for. lib. 1., q. 28. n. 18. in fin.* quorum rationes non videtur inefficaces.

Rationes pro hac ſententia.

Prima eſt, quià tota ratio, ob quam per ius canonicum inducta eſt correctio pænarum per ius ciuile, eſt, quià per huiuſmodi pænas læditur libertas matrimonij, ſed hæc ratio non militat in hac hypotheſi: quià libertas matrimonij debet eſſe iuſta, & rationabilis, vt eſt in confeſſo apud omnes: non eſt autem iuſtum, & rationabile, quod ineatur matrimonium, ex quo poſſit eſſe prolis incertitudo.

Secunda, quià non eſt vetitum ex cauſa ad tempus aliquod interdicere matrimonium,

nium, prout nos etiam de hoc aliquod diximus, dum de impedimentis ſimpliciter impedientibus per ly *Eccleſia vetitum*, nec hoc interdictum tale eſt, vt demat libertatem matrimonij; ergo neque erit vetitum, quod ad modicum tempus, vel per aliquot menſes ſuſpendatur matrimonium, pro quo poteſt eſſe periculum incertitudinis prolis in muliere ſecundo nubente, quandòquidem ſubeſt & legitima cauſa talis ſuſpenſionis.

Tertia, quià non eſt irrationabilis pœna, vbi eſt euidens delictum in præiuditium eiuſdem matrimonij, ſed nubere cum illo periculo incertitudinis prolis eſt euidens delictum cum præiuditio, vt per ſe patet, ergo &c. Nihilominus

3 **Probabilius in hac etiam hypotheſi vitaret pœnas iuris ciuilis.**

Reſpondeo, probabilius etiam in hac hypotheſi mulierem ſic feſtinanter nubentem euitare pœnas iuris ciuilis. Ità expreſsè conſentit *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. n. 300. in fin Gloſ. in c infamis 3. q. 7. verba intra tempus, Camillus Borellus tom. 3. ſumma deciſ. tit. 2. num. 37. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 87. num. 23. & 26., Mainardus deciſ. 93. lib. 3., Ioannes Vallerus de diff. inter vtrumq. for. verb. matrimon. diff. 9.* Ratio ex eo deducitur, quià ex vna parte lex canonica correctoria non reſtringit diſpoſitum ad aliquam anni partem, ſed indefinitè corrigit pœnas iuris illatas contrà ſecundo nubentes intra annum luctus; ex alia parte periculum illud incertitudinis prolis, cui innixa eſt contraria ſententia, nullius penitus eſt roboris; nam vel hæc incertitudo prouenitet ex ſanguinum commiſtione, vel ex dubio, à quo ex duobus maritis concepta ſit illa proles; ex primo capite prouenire non poteſt, quandòquidem, vt notant *Sabinganus Arctaus in comment. ad Hypocratem in peculiari lib. de ſuperfœtatione, Ioannes Valuerdus de anatome humani corporis lib. 3. c. 14.* ſtatim, ac proles concepta eſt, vteri, ſeu matricis os clauditur, & in vniuerſum effuſo ſpermate à conceptu illius orificium arctiſſimè conſtringitur, vt nihil vlterius ingrediatur, ergo non poteſt fieri illa ſeminum commixtio; Ex ſecundo capite etiam provenire non poteſt, quià quando proles concepta eſt intra tempus, quo poteſt attribui ſecundo marito ſecundum vulgarem, & communem conceptum eiuſdem reputatur; vnde iura, quæ communi conceptui, & opinioni regulariter, & vt plurimum adhærent de eodem ſecundo marito conceptam reputant.

Rationes ſuadentes aſſertionē

Accedit primò, quod quamvis poſſit eſſe dubium incertitudinis prolis ex quo tamen iura canonica permittunt poſſe liberè contrahi matrimonium ſecundum intra annum luctus non vitiantur propter incertitudinem prolis ſubſequentem, quandòquidem illa dictio, *intra*, apertè denotat licentiam conceſſam contrahendi in qualibet eiuſdem anni parte, ergo, ſi eodem iure permittente ab initio nupſit, non poterunt nuptiæ vitiari per ſubſequentem prolis incertitudinem, adeòque nec ſubijci pœnis tanquam delictum.

4 **Præualere debet periculum incontinētiæ incertitudini prolis.**

Accedit ſecundò, quod concurrente periculo incontinentiæ in coniuge ſuperſtite cum incertitudine prolis futuræ præualere debeat remedium incontinentiæ, cum illud reſpiciat damnum ſpirituale animæ, iſta vero non niſi damnum in bonis temporalibus; vndè merito docet *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. n. 28.*, quod data etiam poſſibilitate ſuperfœtationis, aut perturbationis ſanguinum Eccleſia noluit illius, aut incertitudinis prolis conſiderationem habere ſaltem ad euitandam in vidua incontinentiam.

5 **Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ**

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primam dic non eſſe rationabilem cauſam differendi matrimonium ob incertitudinem prolis, quando vel militat periculum incontinentiæ medio tempore, vel iura eandem non conſiderare eum facultatem concedant liberè contrahendi.

Ad ſecundã dic Imperatorem non habere poteſtatem interdicendi matrimonia ad tempus, vel apponendi pœnam, per quam tollitur indirectè libera facultas contrahendi, prout notant *Ioannes Andreas in c. ſtatutum de hæretic. in 6. & Federicus conſ. 35.* Accedit, quod etiam poteſtas Eccleſiaſtica maximè ſi ſit ſubordinata vltrà tempus à iure ſtatutum non poteſt matrimonia ad tempus interdicere ſine iuſta cauſa; iuſta autem cauſa non eſt ea, quam iura non conſiderant, quaque non obſtante permittunt matrimonia, vt in caſu noſtro.

Ad tertiam dic non eſſe delictum, vbi eſt permiſſio iuris, vt in præſenti caſu.

---

§. X.

An correctio pœnarum ciuilium per ius canonicum non ſolum proſit quoad forum conſcientiæ, ſed etiam quoad forum ciuile.

S V M M A R I V M.

Exponitur in quo conſiſtat difficultas. 1.
Sententia aſſerens in foro ſæculari non euitari has pœnas. 2.
Prodeſt huiuſmodi correctio non ſolum in foro canonico, ſed etiam ciuili. 3.
Confutatur ratio ſententiæ oppoſitæ. 4.
Fundamenta poſitiua reſponſionis, 5.

Ita

1 *Status cõtrouerſiæ.*

DISQVISITIO X. Viduata Caia per obitum Theodorici coniugis ſui intra annum luctus tranſiuit ad ſecunda vota cum Titio, per quæ vota contraxiſſet pœnas omnes à iure ciuili impoſitas, niſi iſtæ correctæ fuiſſent per ius canonicum *in d. c. fin. de ſecundis nuptijs*. Filij prioris matrimonij hæredes conteſtata lite apud Iudicem ſæcularem ordinarium agebant ad huiuſmodi pœnas, aduerſus quos eadem Caia excipiebat de correctione per ius canonicum inducta. Quærebatur indè, an correctio huiuſmodi pœnarum per ius canonicum eidem Caiæ prodeſſet non ſolum pro foro interno animæ, ſed etiam pro foro externo ciuili, adeò vt Iudex ſtante tali correctione non poſſet eandem fœminam in pœnis condemnare.

2 *Sententia aſſerens in foro ſæculari non euitari has pœnas.*

Cynus *in l. 1. q. vlt. C. de ſecundis nuptijs*, expreſsè aſſerit quoad forum ſæculare fœminam ſic præpropere nubentem non ſubterfugere huiuſmodi pœnas, ſed dumtaxat quoad forum Eccleſiaſticum, quem inani ea ratione moueri exiſtimo, qua arbitretur, quod ſicuti poteſtas imperialis eſt independens à poteſtate Pontificia, ità & leges ab Imperatoribus conditæ non ſublaceant diſpoſitioni legum Pontificiarum; vndè ſaltem in foro ciuili videntur plenè ſeruandæ. Nihilominus

3 *Prodeſt pro vtroque foro.*

Reſpondeo huiuſmodi correctionem non ſolum prodeſſe Caiæ binnubæ intra annum luctus quoad forum internum animæ, & Eccleſiaſticum, ſed etiam quoad forum ciuile, & ſæculare, adeò vt non poſſit amplius huiuſmodi pœnis affici *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. num. 301. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 87. nu. 27. Aſtenſis 2. part. ſumma lib. 8. tit. 32. art. vnico q. 4. Coarruuias 4. decret. 2. pars. c. 3. nu. 5. Surdus de aliment. tom. 7. q. 22. n. 15. Gloſa c. fin. verb. legalis de ſecundis nuptijs, & ibi Ioannes Andreas num. 5. Alexander de Neuo num. 12. Henricus num. vlt.*

4 *Confutatur ratio ſententiæ oppoſitæ.*

Fundamentum primum huius reſponſionis erit confutatio rationis contrariæ opinionis; inordinate etenim aſſeritur, quod poteſtas Cæſarea ſit independens à poteſtate Pontificia, vtraque enim poteſtas ſaltem habitu adunata eſt in vno Chriſto Domino, cui data eſt omnis poteſtas in Cælo, & in terra, ab eoque transfuſa in Romanum Pontificem, qui propterea præeſt omnibus poteſtatibus, quorum propterea leges in ijs potiſſimum, quæ reſpiciunt rectum regimen libertatis à Deo, & à natura conceſſæ poteſt legitimè moderari. Accedit, quod poteſtas imperialis non extenditur ad ea, quæ ſunt iuris Eccleſiaſtici, & reſpiciunt materiam ſacramentorum; ex quo autem matrimonium per Chriſtum Dominum eleuatum eſt ad eſſe ſacramenti factum eſt iuris merè Eccleſiaſtici, adeòque independens à iure cæſareo, & poteſtate laicali.

5 *Fundamẽta poſitiua reſponſionis.*

Secundum fundamentum deſumitur à *c. fin. de ſecundis nuptijs*, vbi dicitur *Non debet legalis infamiæ ſuſtinere iacturam*; ſuſtineret autem legalis infamiæ iacturam, ſi ſubderetur quoad forum ciuile, & laicale pœnis iuris ciuilis.

Tertium fundamentum deſumitur *ex eod. c. fin. in fin. de ſecundis nuptijs*, vbi in his terminis præcisè dicitur, *leges non dedignari imitari ſacros canones*, dedignarentur autem imitari, ſi tranſeuntes præpropere ad ſecundas nuptias ciuilibus pœnis afficerent.

---

§. XI.

An per ius canonicum correcta intelligatur *Auth. cui relictum C. de indic. vid. tol.*, *& auth. de nuptijs §. quæ vero verſ. vnde ſancimus*.

SVMMARIVM.

Factum in caſu particulari expoſitum. 1.

Diſpoſitio d. auth. cui relictum *poteſt eſſe, vel in pœnam, vel in complementum voluntatis legantis.* 2.

Huiuſmodi diſpoſitio auth. cui relictum *non eſt correcta per ius canonicum, & vidua ſecundo nubens amittit legatum.* 3.

1 *Status cõtrouerſiæ expoſitus.*

DISQVISITIO XI. Sancitum eſt *in d. auth. cui relictum C. de indict. vidui. tol.* legatum factum per virum vxori, vel per vxorem viro, vel per quemcunque extraneum alterutri illorum ſub pacto, & conditione, ſi ad ſecundas nuptias non tranſierit, non debeatur, nec poſſe peti intra annum, niſi ſpes nuptiarum deficiat, poſſe vero peti elapſo anno præſtita cautione de legato cum fructibus reſtituendo, ſi conditioni non fuerit paritum. Stante hanc diſpoſitione Titia vidua, cui vel per maritum, vel per alium extraneum factum fuerat ſimile legatum ea appoſita conditione, vel intra annum luctus, vel eodem elapſo, conuolauit ad ſecundas nuptias. Quæſitum hic fuit, an ſtante correctione iuris canonici quoad pœnas ciuiles, Titia acquirat prædictum legatum, an vero ratione talis conditionis non adimpletæ eodem priuetur.

2 *Diſpoſitio d. auth. poteſt eſſe, vel in pœnam, vel in complementum voluntatis legantis.*

Deciſio præſentis controuerſiæ ab eo dependet, prout ſupra attingebamus, an diſpoſitio huius *auth. cui relictum* ſit præcisè in pœnam ſecundo nubentis, an verò in complementum voluntatis legantis ſic diſponentis, cum poſſit iuſtè diſponere; Qua in re nonnulli apud *Sanchez d. lib. 7.*

de

Digitized by Google

de matrimon. diſp. 87. num. 29. aſſerunt videri huiuſmodi diſpoſitionem potius in pœnam, quandòquidem vidua legataria, ſi intra annũ abſtineat à ſecundis nuptijs, videtur potius abſtinere ob metum pœnarum, quas incurrit, quam, vt obtemperet voluntati legantis; pœnæ autem omnes, quæ reſpiciunt præcisè ſecundas nuptias intelliguntur per ius canonicum correctæ. Nihilominus

3 Hæc diſpoſitio nõ eſt correcta per ius canonicũ,

Reſpondeo huiuſmodi diſpoſitionem *auth. cui relictum C. de induct. vid. tol.* non eſſe per ius canonicum correctum, & viduam ſecundo nubentem legatum amittere *Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. poſt nonam pœnam num. 32. Coaruuias 4. decret. 2 part. c. 3 § 9. n. 12. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. cap. 11. num. 312. Sanchez de matrim. lib. 7 diſp. 87. num. 29.* Ratio deducitur primo ab inconuenienti contra alterius iuris diſpoſitionem, quod indè ſequeretur, ſi ratio formalis, & finalis talis diſpoſitionis conſiſteret in eo, quod præcisè obuiaret ſecundis nuptijs, quandòquidem *d. auth. cui relictum C. de indict. viduit. tol.* æquè afficit ſecundò nubentem intra annum luctus, ſiuè fuerit maſculus, ſiuè fœmina, cum tamen nubens maſculus intra annum luctus non afficiatur ſimilibus pœnis per ea, quæ ſupra commendauimus; cum maior requiratur honeſtas in fœminis, quam in viris *Antonius Gabriel in communib. opin. tit. de ſecundis nuptijs concl. 5. nu. 6.*

Rationes pro reſponſione.

Secundo deducitur ex eo, quod conditio appoſita à teſtatore ſecundo non nubendi reſpectu vidui, vel viduæ eſt maximè rationabilis, nec à iure etiam canonico reprobata, & æquum maximè eſt, vt voluntati eiuſdem obtemperetur, ergò iura præcipientia executionem talis conditionis, & voluntatis expoſitæ teſtatoris, tanquam iuſta, & rationabilia non intelliguntur correcta, & reprobata; non enim reſpiciunt præcisè pœnam contra ſecundas nuptias, ſed corroborant præcisè voluntatem teſtatoris, qui potuit legitimè diſponere ſub tali conditione; ſicuti enim quoad ſubſtantiam poterat de illo legato diſponere, vel non diſponere, ita poterat diſponere ſub illo modo, & conditione, vel etiam ſine illo, vel illa.

---

§. XII.

An correcta ſit pœna, qua mulier ſuſcepta tutela præſtito iuramento de non tranſeundo ad ſecunda vota tranſiens ad ſecunda vota non petito tutore ſubditur omnibus iuribus ciuilibus afficientibus tranſeuntes ad ſecundas nuptias intra annum luctus.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes hanc pœnam ſublatam eſſe. 2.
Non intelligitur ſublata remiſſiue. 3.

DISQVISITIO XII. In præcedentibus aſſerebamus iuxtà diſpoſitionem textus *in auth. eiſdem pœnis C. de ſecundis nuptijs*, quod Mater tutrix filiorum prioris matrimonij, quæ in aſſumptione tutelæ præſtitit iuramentum abſtinendi à ſecundis nuptijs, ſubdatur omnibus pœnis iuris ciuilis afficientibus tranſeuntes ad ſecundas nuptias, ſi coram Iudice non petito eiſdem filijs alio tutore, nec reddita ratione ſuſceptæ tutelæ, eoque perſoluto, ad quod ex eadem tutela tenetur, tranſierit ad ſecunda vota, quod etiam verificatur quantumvis non præſtiterit iuramentum de non tranſeundo ad ſecundas nuptias, ſed eiſdem ſimpliciter renuntiauerit per textum *in auth. Sacramentum C. eod. tit.* Modo iam quæritur, an ſi re vera vxor ijs conditionibus non ſeruatis tranſierit ad ſecunda vota adhuc ſubdatur illis pœnis non obſtante, quod pœnæ contrà proproperè feſtinantes ad ſecundas nuptias intra annum luctus intelligantur iuxta ſuperius dicta per ius canonicum correctæ.

1 Exponitur factum in ſuis terminis.

Ex eo, quod omnes pœnæ contrà nubentes intra annum luctus intelligantur correctæ, videtur etiam aſſerendum huiuſmodi pœnam eſſe ſublatam, nec mulierem ſic ſecundo nubentem eiſdem affici: nec officit, quod vxor hæc non tranſierit ad ſecundas nuptias intra annum luctus, ſed eodem penitus elapſo, quandòquidem hæ omnes pœnæ videntur præcisè obſtare libertati matrimonij, à quo retrahunt, quod eſt præcipuus ſcopus iurium canonicorũ corrigentium. Nihilominus contraria ſententia amplectenda eſt, quod ſcilicet hæc pœna non intelligatur correcta.

2 Rationes ſuadentes hanc pœnã ſublatam eſſe.

3 Non intelligitur ſublata.

Nec diu in ipſius corroboratione immorandum eſt, quandòquidem de illa late

actum

actum eſt *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. IV. Prænot. XI. ſub aſſert. verſ. non corrigitur* 5. ad quæ vos remitto, ne repetam actitata.

---

§. XIII.

An pænæ ſecundarum nuptiarum afficiant viduam fornicantem.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Mulier poſt obitum mariti fornicans intra annum luctus non euitat pœnas iuris inductas contra nubentes intra annum luctus. 2.
Satisfit rationibus oppoſitis. 3.
An requirantur plures fornicationes, an ſufficiat vna? remiſſiuè. 4.

1
Facti ſeries expoſita.

DISQVISITIO XIII. Diſſoluto matrimonio inter Seiam, & Caium per obitum eiuſdem Caij Seia intra annum luctus non iam tranſiuit ad ſecundas nuptias, ſed fornicata eſt. Quæſitum hic fuit, an eadem ſubiret omnes iuris pænas, quæ contra fæminas ſecundo præpropere nubentes intra annum luctus ſtatutæ ſunt?

Rationes ſuadentes non incurrere has pænas.

Ex ijs, quæ docuimus *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrim. IV. Prænot. IV. aſſert. 2. verſ. neque obeſſe poteſt*, videtur abſolutè dicendum eaſdem pænas minimè ſubire, quandòquidem ibi aſſignantes diſcrimen, quod intercedit, quando poſt primum matrimonium validum initum eſt aliud inualidum ex aliquo impedimento dirimente, & quandò poſt primum matrimonium item validum mulier fornicata eſt, diximus in primo caſu incurri omnes pænas iuris contra præproperè feſtinantes ad ſecundas nuptias, quià ibi initus eſt contractus, qui eſt vere matrimonium ſaltem in figura, quod iura ciuilia potiſſimum reſpiciunt maximè in ordine ad huiuſmodi pænas; non ſic in ſecundo caſu, in quo nec in re, nec in figura interceſſit matrimonium, ibique in inſtantia aſſerebamus, quod, cum iura contra ſecundo præpropere nubentes ſint pænalia, non ſint extendenda à ſecundo nubente intra annum luctus ad fornicantem intra eundem annum. Nihilominus his non obſtantibus.

2
Vxor poſt obitū mariti fornicans intra annum luctus non euitat pænas iuris cōminatas contra ſecundo nubentes intra eundē annum.

Reſpondeo, vxorem poſt obitum mariti fornicantem intra annum luctus minime vitare pænas iuris comminatas contra ſecundo nubentes intra eundem annum. *Bartolus in l. bis ſolis C. de reuocand. donat. Abbas c. uxoratus num. 2. de conuerſ. coniug. Ripa in l. fin. q. 26. nu. 68. C. de reuoc. donat. Natta repet. c. quamuis pact. de pactis in 6. n. 365. Garronis rub. de ſecundis nupt. in noua edit. pan. 28. n. 59. verſ. ex quo in foro, Sanchez de matrimon. diſp. 90. nu. 2. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. num. 397.* Expreſsè deducitur *ex auth. de reſtit., & ea quæ parit § fin*, vbi ſic legitur. *Sancimus ſi quid tale contigerit, & ante luctus tempus peperit mulier circa terminum anni, vt indubitatum ſit, ſobolem non ex priori conſiſtere matrimonio modis omnibus eam priuari antenuptiali donatione, & ſecundum proprietatem, & ſecundum vſum, ſubdendam quoque alijs omnibus pænis, ac ſi ſecundas eam contigiſſet ante luctus tempus legitimas celebraſſe nuptias*, ibique ſubditur ratio illis verbis. *Non enim aliquid amplius habebit caſtitate luxuria.* Idem habetur *in l. bis ſolis C. de reuoc. donat., & ibi Gloſa in verb. velimus*, vbi eadem ratio adducitur, ne ſcilicet plus pænæ attribuatur nuptijs cum quibus poteſt comparari caſtitas, quam attribuitur luxuriæ.

3
Satisfit rationibus oppoſitis.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, aſſerendum eſt, ea ibi fuiſſe dicta non abſolutè & aſſertiuè, ſed tanquam non obſtantia aſſertioni ibidem poſitæ, quatenus eiſdem etiam datis firma maneret aſſertio propter diſparitatem ibidem aſſignatam. Cæterum in rigore, & ex profeſſo re examinata aſſumptū ibidem tanquam aſſertioni non aduerans hic abſolutè denegandum eſt propter rationes, quas hic in iure fundatas adducimus.

4
An requireretur plures fornicationes, nec ne remiſſiuè.

Pro complemento hic ſolum remanet dubitandum, an eædem pænæ incurrantur ob vnicam fornicationem commiſſam intra annum luctus, an verò ad eaſdē incurrendas requirantur multiplicati actus fornicationum. Bartolus *in l. bis ſolis C. de reuocand. donat., Roſella verb. adulterium n. 8. Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. pæna 28 n. 59. verſ. ex quo infero, Pinellus l. fin. C. de bonis matern. Antonius Gabriel tom. 3. comm. opin. l. 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 8. nu. 1.* videntur abſolute requirere multiplicatos actus fornicationum ad incurrendas has pænas, dum exigunt, quod vidua incontinenter, & luxurioſe viuat. Nihilominus alij, inter quos *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. num. 398. Sanchez de matrimon. lib 7. diſp. 90. n. 2., & alij apud ipſos citati* ſentiunt huiuſmodi pænas incurri etiam per vnam fornicationem. Rationes plures adducunt, & primò, quià militat etiam quoad vnam fornicationem ratio, quæ adducitur *in ead. auth. de reſtit., & ea quæ parit § fin.*, ne ſcilicet plus pænæ tribuatur caſtitati, quæ ſaluatur in ſecundis nuptijs, quam tribuatur luxuriæ. Secundò, quià æquè poteſt eſſe ſanguinum commixtio, & prolis incertitudo, cum ex vno concu-

bitu

Digitized by Google

tu poſſit oriri. Tertiò, quià maior iniuria infertur, & maius dedecus priori marito per vnum actum fornicationis, ac per ſecundas nuptias.

---

§. XIV.

An vidua ſic fornicans intra annum luctus in foro conſcientię ſubeat illas pęnas ipſo iure non expectata Iudicis ſententia.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſia. 1.
Sententia Sanchez exigentis ſententiam. 2.
Etiam in foro conſcientia fornicans intra annum luctus incurrit pœnas ante ſententiam. 3.
Verba legis expreſſè euincunt reſponſionem. 4.

1 Factũ ex poſitum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XIV. Poſt obitum prioris mariti, & intra annum luctus Seia vidua fornicata eſt. Quæſitum fuit, an ſtatim, & ipſo iure teneatur collata ſibi liberaliter per priorem maritum reſtituere, aliaſque pænas ſubire non expectata Iudicis ſententia, an verò non niſi poſt eandem loquendo etiam in foro conſcientiæ.

2 Sententia Sanchez volẽtis requiri ſententiam.

Sanchez *de matrimon. lib* 7. *diſp*. 90 *n*. 11. arbitratur in foro conſcientiæ viduam intra annum luctus fornicantem ipſo iure non contrahere huiuſmodi pęnas ante Iudicis ſententiam, ſed omninò ad huiuſmodi pęnas incurrendas in eodem foro conſcientię requiri ſententiam Iudicis ſaltem declaratoriam delicti commiſſi. Mouetur potiſſimum ea ratione, quià huiuſmodi pęnę à iure iniunctę contra viduam fornicantem intra annum luctus ſunt propriè, & in omni rigore pęnę, & quidem propter fornicationem, quę eſt verum, & proprium delictum; ſed pęna formaliter, vt pęna, prout reſpicit formaliter delictum non debetur ex communi DD. conſenſu ante Iudicis ſententiam ſaltem declaratoriam talis delicti, quinimmò plurimi aſſerunt etiam requiri Iudicis declarationem ad incurrendas has pęnas, quantumvis in textu dicedatur incurri abſque alia declaratione, quià verba illa debent debent intelligi abſque declaratione pęnę, cum pęna ipſa ſit à iure declarata, non abſque declaratione criminis *Coaruuias* 4. *decret.* 2. *part. c.* 6. §. 8. *nu*. 10. *verſ. tertio*, *Azebedo lib*. 5. *recop. tit*. 11. *l*. 5. *n*. 1. Nihilominus.

3 Etiam in foro conſciẽtię fornicans intra annum luctus incurrit has pænas abſque declaratione.

Reſpondeo etiam in foro conſcientię Seiam intra annum luctus fornicantem incurrere huiuſmodi pęnas abſque alia declaratione *Aceſta c. ſi Pater* 1. *part. verb. legatum nu*. 34. *de teſt. in* 6. *Garronis l*. 1. *in noua edit. num*. 37. *verſ & plus dico C. de ſecundis nuptijs*, *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon contract. c* 6. *n*. 23. *& c*. 11. *n*. 401. Ratio ex eo deducitur primò, quià huiuſmodi pęnæ ità *in d. auth. de reſtitutione, & ea qua parit* § *fin*. ſtatuuntur contra viduã fornicantem intra annum luctus, ſicuti ſtatutæ ſunt *in l*. 1. *C. de ſecundis nuptijs*, *& in l. ſi qua mulier* 4. *C. ad Senatus conſult. Tertul., & in auth. de ſecundis nuptijs* §. *prima ſiquidem col*. 4., *& in alijs iuribus allegatis* contra viduam ſecundo nubentem intra eundem annum luctus, prout expreſſè euincitur *ex d. auth. de reſtitutione Ibi-ſubdendam quoque omnibus alijs pænis, ac ſi ſecundas eam contigiſſet ante luctus tempus legitimas celebraſſe nuptias*, vbi nota illam particulam, *ac ſi*, quæ importat diſpoſitionem ſecundum modum, & formam præcedentis diſpoſitionis; ſed vidua tranſiens ad ſecunda vota intra annum luctus incurrit pęnas à iure ſtatutas ipſo iure abſque alia declaratione, prout latè docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. IV. pranot*. 3. *aſſert* 1. *verſ. in ordine ad primum*, & fatetur ingenuè *Sanchez d. lib*. 7. *de matrimon. diſp*. 87. *n*. 10., ergo etiam &c.

Inſtantia Sanchez diſſoluta.

Dices *ex eod. Sanchez lib*. 7. *de matrimon. diſp*. 90. *n*. 11. diſparem omninò eſſe rationem, & diſpoſitionem de vidua tranſeunte ad ſecundas nuptias intra annum luctus, ac de vidua intra eundem annum fornicante, quandòquidem iura diſponentia in primo caſu loquuntur per verba temporis præſentis, loquentia verò in ſecundo caſu diſponunt per verba connotantia tempus futurum; ibi *in d. auth*. de reſtitutione *ſubdendam quoque alijs omnibus pænis, ac ſi &c.* verba autem futuri temporis ſententiam ferendam importent *Tiraquel in l ſi vnquam verb reuertatur n*. 39. *C. de reuoc. donat*. Sed contrà, quià quantumvis verba futuri temporis nudè ſumpta, & ſecundum ſe apta ſint ſolummodò ad importandam ſententiam ferendam, fallit tamen, quandò huiuſmodi verba ſunt relata ad iam diſpoſita, quià tunc ſequuntur naturam, & conditionem ipſorum præcedenter diſpoſitorum, potiſſimum, ſi in ſecunda diſpoſitione relata ad primam addatur particula denotans omnimodam ſimilitudinem, veluti *ac ſi*, *perinde*, *ac ſi*, quæ nata eſt ad æquiparandum in omnibus iuxtà textum *in l. cum hæres in princip. ff. de acq. hæred.*, *& in l. qui à Patre*, *& ibi Bartolus ff. de confirm. tut. & in* §. *item nobis in fin. Inſtit. per quas perſonas nobis acquiratur*, & refertur ad omnes qualitates, & ęquiparat vnam alteri *l. filio* § *penult. ff. de alim.*, *& cibar. leg. Menochius conſil*. 20. *n*. 10. *Caldas Pereira qq. forenſ. conſ*. 4. *n*. 35.

Particula, ac ſi denotat omnimodam ſimilitudinem.

in

Digitized by Google

in præſenti autem hypotheſi, quamvis diſpoſitio fuerit concepta per verba temporis futuri, refertur tamen ad primam, quæ eſt abſoluta, nec indiget declaratione. Accedit, quod Imperator per illam particulam conceptam cum tempore futuro non referatur ad id, quod Iudex facere debeat, ſed ad id diſponendum, quod antea non fuerat diſpoſitum, & ad ſubdendam pænis mulierem fornicantem intra annum luctus, cum antea eiſdem expreſsè non ſubderetur.

3 Militat in hoc caſu ratio finalis legis.

Ratio deducitur ſecundo ex ratione finali, ob quam lata eſt lex *in d. auth. de reſtitutione, & ea quæ paris*; ne ſcilicet plus pænæ tribuatur caſtitati, quam attribuatur luxuriæ; plus autem pænæ tribueretur caſtitati, quam luxuriæ, ſi ad incurrendas pænas in fornicante requireretur Iudicis ſententia ſaltem declaratoria delicti, quæ non requireretur in vidua tranſeunte ad ſecundas nuptias intra annum luctus.

Dices ex *eod. Sanchez loc. cit.* attenta natura pænæ propriè ſumptæ, qualis eſt illa, quæ irrogatur aduerſus fæminam viduam fornicantem intra annum luctus, diſparem omnino eſſe rationem de pænis contra fornicantem, ac contra ſecundo nubentem intra annum luctus, quià pęna, vt pęna, prout prouenit à delicto propriè ſumpto ex genere ſuo exigit ſententiam, cum hæc ſit natura pænæ, quod non requiritur quoad priuationes prouenientes ex feſtinatione ad ſecundas nuptias, cum hęc vacet omni culpa. Sed contra, quià quamvis regulariter verum ſit, quod pæna, vt pæna prouenieus ex delicto propriè ſumpto ex genere ſuo exigat ſententiam ſaltem declaratoriam, fallit tamen, quãdò in caſu particulari militat ſpecialis ratio, quæ non militat in alijs pænis, & caſibus, prout rectè notat *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. n. 401.*, ſpecialis autem ratio militat in pręſenti hypotheſi, ne ſcilicet plus pænæ tribuatur caſtitati, quam tribuatur luxuriæ.

Militat in hoc caſu ſpecialis ratio.

4 Verba legis expreſsè enuncűt reſponſionem.

Ratio deducitur tertio ex verbis præciſis, quibus concepta fuit illa *auth. de reſtitutione, & ea quæ parit*, quę important incurſum huiuſmodi pęnarum ipſo iure, abſque Iudicis ſententia etiam declaratoria. Ibid. *Modis omnibus eam priuari antenupsiali donatione, & ſecundum proprietatem, & ſecundum vſum*; vbi illa particula *modis omnibus* importat diſpoſitionem abſolutam, & independentem à quocunque alio *Felinus in c. audiitis nu. 7. verſ. adde etiam de præſumpt.*, *Gozadinus conſ. 25. ſub num. 16.*, *Tiraquel in l. ſi vnquam verb. reuertatur n. 88., & 89 C. de reuocand. donat.*, & involuit canonem latę ſententię *Gloſa verb. ſed melius, & verb. irroganda in auth. qui res C. de Sacroſanct. Eccl. Romanus ſing. 1. n. 1.*, *Machesilanus ſing. 111. in princip.*, *Farinacius frag. crimin. part. 3. verb. lex nu. 122.*, *Hypolitus in pract. verb. aggreditur nu. 125.*, *Tiraquel in d. l. ſi vnquam verb. reuertatur num. 88. C. de reuocandis donat.*; ex quibus omnibus ſequitur, quod abſolute ſentiendum ſit, quod poſita fornicatione in vidua intra annum luctus huiuſmodi pęnæ immediatè ſequantur.

---

§. XV.

An vidua fornicans poſt annum luctus contrahat pęnas ſecundo nubentium intra annum luctus, vel poſt annum eiuſdem luctus.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſia. 1.
Sententia aſſerens non ſubijci pænis nubentium intra annum luctus. 2.
Sententia oppoſita communior. 3.
Prima ſententia aſſerens non ſubijci præfertur. 4.
Mulier vidua fornicans poſt annum luctus ſubijcitur pænis contra nubentes poſt annum luctus. 5.

1 Factű expoſitum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XVI. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis poſt obitum mariti Seia fornicata eſt, ſed non intra annum luctus, ſed poſt illum, ſeu eodem iam elapſo. Hic duo quæſita ſunt. Primum, an eadem Seia per fornicationem admiſſam ſubſequenter ad annum luctus ſubiaceat pęnis iuris irrogatis contra ſecundo nubentes intra annum eiuſdem luctus. Secundum, an ſi eaſdem non contrahat, contrahat tamen ſaltem pænas iuris irrogatas aduerſus ſecundo nubentes abſolutè etiam poſt annum eiuſdem luctus.

2 Sententia Sãchez aſſerentis nõ ſubijci pęnis ſtatutis contra nubentes intra annum luctus,

In ordine ad primum *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 90. n. 5.* abſolutè exiſtimat viduam poſt annum luctus fornicantem non ſubijci pęnis ſtatutis viduæ intra annum luctus nubenti. Rationem ex eo deducit, quià nec lex ipſa *in d. auth. de reſtitutione, & ea quæ parit*, nec ratio legis ſubdit fęminam fornicantem poſt annum luctus illis pænis; non lex ipſa, quià tantum loquitur de vidua fornicante intra annum luctus; non ratio legis, quià grauius delictum eſt in ordine ad priorem maritum, & grauior iniuria, quod vidua ipſius fornicetur intra annum luctus, ac fornicetur poſt illum, quinimmò gravior impudentia reſpectu eiuſdem viduæ fornicantis; nec aſſerit ſibi aduerſari ratio, quæ per aduerſarios adducitur, quod ſcilicet militet finis prohibitionis, qui eſt, *ne plus*

Digitized by Google

habeat caſtitate luxuria, quandòquidem comparatiuùm habere non poteſt locum, quem non habet poſitiuum; caſtitas autem ideſt ſecundum matrimonium poſt annum luctus non ſubijcitur pœnis, quæ afficiunt ſecundo nubentes intra annum luctus.

3 Sententia oppoſita communior.

Alij tamẽ communius ſentiunt viduam poſt annum luctus fornicantem ſubijci etiam pœnis à iure ſtatutis contra viduas ſecundo nubentes intra annum luctus *Ioannes Lupus rub. de donat. inter virum, & uxor. §. 67. n. 3. Pinellus in fin. nu. 18. C. de bon. matern. Villalobos in commun. opin. lit. B. nu. 31., & lit. M. nu. 244. Antonius Gabriel. tom. 3. commun. opin. l. 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 8. nu. 1. Surdus de aliment. tit. 7. q. 24. num. 12.*, quibus adhærere videtur *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. nu. 405.* dum aſſerit hanc opinionem eſſe probabiliſſimam. Rationibus pluribus mouentur; & primò, quià quantumvis *d. auth. de reſtitutione, & ea quæ § fin.* loquatur præcisè de vidua fornicante intra annum luctus, ex ratione tamen diſpoſitionis, quam ibidem adducit, comprehendit etiam caſum viduæ abſolutè fornicantis etiam extra annum eiuſdem luctus; cum ratio talis iuris ſit, ne plus pœnæ tribuatur caſtitati, quam luxuriæ. Secundo *ex l. his ſolis C. de reuoc. donat.*, vbi, poſtquam fuerit deciſum viduam tranſeuntem ad ſecundas nuptias non poſſe reuocare donationem ratione, & cauſa ingratitudinis, immediate ſubditur. *De cæteris autem, quæ portentoſæ vilitatis, abiectæque pudicitiæ ſunt, ſatis etiam tacitè cautum putamus. Quis eſt enim, qui his aliquid arbitretur tribuendum eſſe? cum etiam illis, quæ iure ſecundas tantum contraxerunt nuptias nihil ex his priuilegijs tributum eſſe velimus?* ergo, ſi imperator ob incontinentiam nihil viduæ fornicanti vult eſſe tributum, per conſequens cenſendus eſt velle priuari omnibus, quæ eidem, vel à iure, vel à teſtatore ſunt diſpoſita. Quid igitur concludendum?

4 Præfertur ſententia aſſerens nõ ſubijci.

Reſpondeo primo, probabiliorem eſſe opinionem Sanchez ſupra recitatam nempè viduam fornicantem poſt annum luctus non ſubdi pœnis ſtatutis aduerſus ſecundo nubentes intra annum luctus. Ita præter Sanchez *Tello l. 6. Tauri nu. 21. Gloſa §. fin. auth. de reſtitutione, & ea quæ parit verbo malignè, & verb. profectò, & ibi Angelus §. vnum nu. 7. Alexander de Neuo in fin. n. 15. verſ. quarto vlt. de ſecundis nuptijs, Altiatus de præſumpt. reg. 2. præſumpt. 9. in fine Garronis auth. eidem pœnis in nona edit. n. 19. C. de ſecundis nuptijs*, quibus adhærere videtur *Gutierez de matrim. c. 110. n. 1. in fin.* Rationes à Sanchez adductæ efficaciter ſuadent, & euincunt reſponſionem, ad quas propterea vos remitto; Nec obeſſe poteſt textus allegatus pro contraria ſententia *in l. his ſolis C. de reuocand. donat.*; non, inquam, obeſſe poteſt, quià in eodem textu eſt ſolummodò ſermo de pœnis poſt annum luctus, quæ, cum afficiant ſecundo nubentes poſt talem annum, vtique etiam afficiunt poſt talem annum fornicantes, quæ propterea non ſunt extendendæ ad fornicantem poſt annum luctus comparatiue ad ſecundo nubentes intra annum luctus; cum de delicto ad delictum in diuerſo ſtatu non fiat extenſio pœnalis.

Reſpondeo ſecundo, mulierem viduam fornicantem poſt annum luctus ſubire omnes pœnas, quæ illatæ ſunt aduerſus ſecundo nubentes poſt eundem annum luctus. Conſentiunt in hanc reſponſionem *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. n. 404. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 90. nu. 7. Gutierez de matrim. d. c. 110. nu. 1. Ioannes Lupus rub. de donat. inter vir., & uxor. §. 67. à num. 3. vſque in fin. Padilla l. fideicommiſ. à n. 1. vſque ad 13. C. de fideicom.* Ratio ex eo deducitur primò, quià quoad hoc militat ratio *d. auth. de reſtitutione, & ea quæ parit § fin.*, ne ſcilicet plus pœnæ tribuatur caſtitati, quam luxuriæ, ſed contra ſecundo nubentes poſt annum luctus infliguntur omnes pœnæ ſupra enumeratæ, ergo etiam contra fornicantes poſt annum luctus eædem pœnæ &c. Secundo quoad hoc locum habet textus *in d. l. his ſolis C. de reuocand. donat.*, vbi eſt ſermo de pœnis poſt annum luctus, à quibus non eximit delinquentem per fornicationem. — 5 Mulier vidua fornicans poſt annum luctus ſubijcitur pœnis contra nubẽtes poſt annum luctus.

---

§. XVI.

An vidua ſemel fornicans amittat dotem.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.

Sententia aſſerens abſolutè dotem amittere. 2.

Non amittit, ſiuè fornicata fuerit intra annum luctus, ſiuè poſt. 3.

Proponuntur rationes oppoſitæ, & diſſoluuntur. 4.

1 Factum tale.

DISQVISITIO XVI. Diſſoluto matrimonio inter Meuium, & Seiam per obitum eiuſdem Meuij, in quo eadem Seia in dotem contulerat bis mille nummos aureos, eadem Seia fornicata eſt cum Sempronio. Hic orta eſt difficultas, an per talem fornicationem Seia amiſerit dotem, quam contulit Meuio, ſiuè reſtituta fuerit, ſiue remaneat apud hæredes eiuſdem Meuij.

Non-

Digitized by Google

2 *Sententia aſſerens amittere dotem abſolutè;* Nonnulli apud *Sanchez d. lib. 7. diſp. 90 num. 9.* ſenſerunt, viduam ſic fornicantem, abſolutè dotem amittere nulla facta diſtinctione, an fornicationem commiſerit intra annum luctus, an verò eo elapſo. Alij verò apud eundem loc. cit. procedunt cum diſtinctione, & aſſerunt, eandem amittere, ſi fornicata fuerit intra annum luctus; non amittere, ſi fornicata fuerit eodem elapſo. Nihilominus abſolutè

3 *Non amittit quãdocunq; fuerit fornicata.* Reſpondeo, eandem nullatenus amittere, ſiuè fornicata fuerit intra, ſiuè poſt annum luctus. *Acoſta c. ſi Pater 1. part. verb. legauit n. 44. de teſtam. in 6. Molina lib. 1. de primogen. cap. 9. c. 55. Sanchez de matrimon lib. 7. loc. cit., & alij communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi pæna, nec directè, nec indirectè apparet in iure diſpoſita contra fornicantem viduam intra, vel poſt annum luctus; non directè, quià nullibi conſtat, viduam fornicantem amittere propriam dotem; non indirectè, quatenus appoſita fuerit contra ſecundo nubentes, & quod proptereà extendatur ad viduas fornicantes; quandòquidem, nec inter pænas contrà præpropere nubentes intra annum luctus, nec intèr pænas contrà abſolutè nubentes etiam eodem anno elapſo hæc pæna connumeratur, vt ex vniuerſis iuribus allegatis in præcedentibus apparet.

4 *Proponuntur rationes ſententiæ oppoſitæ, & diſſoluuntur.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod mulier vidua in vtroque foro, externo ſcilicet, & conſcientiæ amittat proprietatem bonorum ex priori matrimonio à marito, vel ex ſucceſſione filiorum acquiſitorum, quinimmò & augmentum dotis factum per eundem maritum, ſeù per auum patrem patris, ſi committat ſtuprum, ſeù fornicationem per ea, quæ latè docet *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. n. 403., & ſeqq.*, ergò etiam per eandem fornicationem amittet propriam dotem; Non, inquam, obeſſe poteſt, primo quià de antecedenti expreſsè diſpoſitum eſt in iure; non ſic de conſequenti; in pænalibus autem non fit extenſio ab expreſſo ad non expreſſum. Secundò, quià ea, quæ dicuntur in antecedenti originem habent à marito, cui per fornicationem fit iniuria; quæ autem dicuntur in conſequentia originem habeat ab ipſa met vxore delinquente, & ſic diſpoſitum quoad primum non cenſetur diſpoſitum quoad ſecundum, cum proueniat à diuerſo principio.

---

§. XVII.

An mulier vidua in eaſdem pænas incidat per ſolos actus inhoneſtos præparatorios ad fornicationem.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis.
Sententia aſſerens has pænas ſubire. 2.
Sententia oppoſita exponitur. 3.
Probabilius per huiuſmodi actus contrahuntur hæ pænæ. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

1 *Exponitur factum.* DISQVISITIO XVII. Seia poſt obitum Meuij mariti ſui voluptuoſis actibus dedita non quidem paſſa eſt fornicationem conſummatam à Theoderico, ſed alios actus inhoneſtos, puta amplexus, oſcula, tactus mamillarum, & pudendorum, & fortè etiam copulam incohatam, non tamen conſummatam. Quæritur, an ſubeat pænas fornicantium, & ſecundo nubentium.

2 *Sententia aſſerens has pænas ſubire.* Affirmant *Grat. conſ. 115. num. 8. vol. 1. Bone. deciſ. 338. Antonius Gabriel. commun. concl. lib. 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 8. num 3., & concl. 9 num. 261*, eo quià per huiuſmodi actus impudicos vidua dicatur luxurioſè viuere, nam ad vitam luxurioſam non ſemper requiritur ſtuprum conſummatum, ſed ſatis eſt, quod fuerit deuentum ad actum proximum, ſiuè ad conatum *l. ſi quis non dicam rapere C. de Epiſcopis, & Cler. c. 1. §. item ſi fidelis verb., vel concumbere ſe exercuerit*, & ſine carnali commixtione poteſt eſſe vita luxurioſa, indecens, turpis, inhoneſta, & ignominioſa, qua ratione plures ſacri interpretes aſſerunt in Euangelio D. Mariam Magdalenam fuiſſe appellatam in ciuitate peccatricem, non quod carnalem commixtionem paſſa fuerit, ſed quod paſſim admittebat alios actus inhoneſtos, amplexus, tactus impudicos, & oſcula. Ad hoc aſſertum corroborandum adducunt plurimi, quod proptèr huiuſmodi actus impudicos poſſit fœmina legitimè exhæredari *Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 212. n. 58. Baldus apud eundem conſ. 253. lib. 2. Tuſcus verb. exheredatio concl. 577. nu. 13. tom. 3. Vaſquius repet. l. quoniam in prioribus n. 616. verſ. quarto limita C. de inoffic. teſt.*, quod intelligunt non ſolum in filia virgine, ſed etiam in vidua, quę iam matrimonio fuerat copulata *Gaſpar Antonius Theſaurus lib. 1. qq. forenſ. q. 70. num. 2. in fin. Surdus de aliment. in tit. 1. q. 6. n. 31.*, nec incongrua ratione videntur hoc aſſerere, cum huiuſ-

Digitized by Google

modi actus multum derogent honeſtati, & turpitudinem maximam præferant. Accedit, quod in terminis præſentis diſquiſitionis vidua per huiuſmodi actus plurimam ingerat iniuriam prori matrimonio, & filijs ex eodem ſuſceptis, quę eſt ratio finalis, ob quam inductę fuerunt huiuſmodi pęnę.

3 *Sententia oppoſita exponitur.*

Ex aduerſo plurimum conferre poteſt, quod, cum hic verſemur in odioſis, & pęnalibus, ad incurrendas pęnas requiratur delictum plene conſummatum, & vndequaque perfectum, cum odia ex vulgari regula ſint reſtringenda; vt videre eſt in plurimis ſimilibus; ſic primo lex reſeruationis quoad actus v. gr. ſodomiticos non afficit ſodomiam incohatam, & incompletam, ſed vſquequaque conſummatam; ſic lex prohibens homicidium ſub pęna capitis non extenditur ad ſimplicem vulnerationem, & ad conatum in ipſummet homicidium, quamvis alię pęnę extraordinarię ingerantur. Accedit, quod tanta non inferatur etiam ſecundum communem exiſtimationem iniuria priori marito, eiuſque filijs per illos actus inhoneſtos, quanta inferretur per conſummatam fornicationem; quamobrem proptèr eoſdem non videtur vidua ſubdenda his pænis, quibus ſubijcitur vidua formalitèr, & perfectè fornicaria. Quid igitur in hac controuerſia concludendum?

4 *Probabiliꝰ per huiuſmodi actus contrahuntur hæ pænæ.*

Reſpondeo, probabilius eſſe etiam per huiuſmodi actus contrahi has pænas. Ita DD. omnes allegati pro prima opinione. Præter rationes pro eadem adductas hanc vnam ſubdo, quia ratio, ob quam iura induxerunt huiuſmodi pænas æque militat aduerſus viduam admittentem huiuſmodi actus, ac aduerſus viduam fornicantem, ne ſcilicet plus pænæ tribuatur caſtitati, ac tribuatur luxuriæ; cum vidua paſſim admittens huiuſmodi actus dicatur luxurioſè viuere in contumeliam nedum propriam, ſed etiam prioris matrimonij, & filiorum ex eodem ſuſceptorum, & plus læditur honor prioris mariti per ſimiles actus, quam per tranſitum ad ſecunda vota, ergò non eſt, cur non debeat contrahere huiuſmodi pænas. Accedunt ea, quæ diximus *tom. 5. ſub tit. Contractus XV. de ſponſal. II. prænot. 9. aſſert. 7. n. 10.* nempè fæminam per fornicationem etiam incompletam, puta per tactus impudicos, oſcula, amplexus voluntariè permiſſos priuari iure, quod habet cum ſponſo perficiendi ſponſalia per matrimonium, quia per huiuſmodi actus notabile dedecus ingeritur ſponſo, cum habeatur pro impura, & inhoneſta, & ob ſimiles cauſas priuatur legato eidem relicto ſub conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit *Coarruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. n. 3.*, ex quibus eruitur, quod huiuſmodi actus inducant inhoneſtam, & luxurioſam vitam, aduerſus quam propterea inductę ſunt huiuſmodi pænæ.

Nec obſtare poſſunt rationes ex aduerſo oppoſitæ, quamvis enim regularitèr pænæ tanquam odioſæ non ſint extendendæ maximè ad caſum, in quo non elucet tanta turpitudo; fallit tamen, quandò ratio expreſſa in iure inducente huiuſmodi pænas æquè militat etiam pro caſu non expreſſo; tunc etenim fit extenſio, *textus, & Bartolus in l. regula, ff. de iur., & facti ignor. Bartolus in l. pater filiam §. ſi fundum, ff. de leg. 3. Ripa lib. 2. reſpon c. 3. n. 6. Baldus in auth. quas actiones n. 4. verſ., ſed ego dico C. de ſacroſ. Eccl.*; cum etenim lex ponit caſum ſpecialem, & aſſignat rationem generalem generalitèr eſt intelligenda in omni caſu, cui ratio reddita poteſt applicari *Gutierez de matrimon. c. 43. num. 30. Immola in l. ſi ita quis §. ea lege, ff. de verb. oblig. Decius conſ. 12. circa fin. Pariſius conſ. 69. n. 142. lib. 3. Boerius conſ. 26. num 4.*, quod intelligunt etiam in correctorijs, & pænalibus *Corneus conſ. 273 n. 3. lib. 4 Ripa lib. 2. reſponſ. c. 3. nu. 6. Gutierez loc. cit. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 3. n. 267.*; In iure autem diſponente, quod vidua fornicans ſubdatur pænis ſecundo nubentium exponitur ratio, quæ vniuerſalis eſt etiam reſpectu viduæ admittentis ſimiles actus inhoneſtos, vt videre eſt *in d. auth. de reſtitutione, & ea, quæ parit §. fin.*; ea etenim eſt, ne plus pænæ tribuatur caſtitati, quam luxuriæ, quæ ratio militat etiam quoad viduam admittentem ſpontè ſimiles actus inhoneſtos; & licet maior ſit turpitudo, maiorque iniuria reſpectu prioris mariti, & filiorum primi matrimonij formalis fornicatio in vidua, quam illi actus inhoneſti, & libidinoſi, in quibus ſolum ſtat fornicatio incohata, & præparatio ad eandem, nihilominùs per hoc non euitantur pænæ iuris, quandòquidem licet ſit minor turpitudo, minorque iniuria comparatiuè ad formalem fornicationem, non eſt tamen minor turpitudo, minorque iniuria comparatiuè ad ſecundas nuptias; pænæ autem iniunguntur comparatiuè ad ſecundas nuptias. 5 *Soluuntur rationes oppoſitæ.*

§. XVIII.

An Amaſius fornicans cum vidua ſubijciatur pænis iuris contra ſecundo nubentes.

S V M M A R I V M.

Exponitur factum cum omnibus ſuis qualitatibus. 1.

Ama-

Amaſius fornicans cum vidua ſubijcitur indirectè, & in conſequentiam omnibus pœnis iuris, quibus directè afficitur eadem vidua fornicans per ordinem ad ſecundum maritum contrahentem cum ipſa. 2.

Amaſius fornicans cum vidua ſubijcitur directè omnibus pœnis illis, quibus directè ſubijcitur ſecundus coniux contrahens cum vidua, ſiue intra annum luctus, ſiue poſt. 3.

Amaſius viduus intra annum luctus fornicans cum alia virgine non incurrit infamiam. 4.

1 Facti cum ſuis qualitatibus expoſitum.

DISQVISITIO XVIII. Dictum fuit *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. IV. prænot. 3. aſſert.* 1. virum ſecundo ducentem viduam intra annum luctus non minus contrahere Infamiam iuris, ac contrahat eadem fœmina, ſeu vidua ſic nubens. Rurſus *ead. prænot. aſſert.* 3. vxorem poſt obitum prioris mariti feſtinanter tranſeuntem ad ſecundas nuptias intra annum luctus, non poſſe plus dare ſecundo marito, cui nubit, nec in dotem, nec ex vltima voluntate, quam tertiam bonorum ſuorum partem. Rurſus *ſub eod. tit. prænot. 5. aſſert.* 1. mulierem tranſeuntem ad ſecundas nuptias, nec poſſe, nec in dotem, nec alio titulo lucratiuo tradere ſecundo coniugi, pluſquam dederit, & minus vni ex filijs prioris matrimonij, quam etiam pœnam diximus extendi ad maritũ ſuperſtitem, ſi hic præmortuâ vxore tranſierit ad ſecunda vota. Rurſus *d. prænot. 5. aſſert.* 2. mulierem æquè, ac maritum ſuperſtitem altero ipſorum reſpectiuè prædefuncto tranſeuntem ad ſecunda vota amittere proprietatem omnium bonorum, quæ è coniuge prædefuncto conſecutus eſt, & alia huiuſmodi, de quibus in præcedentibus prænotionibus. Hic iam oritur difficultas, an ſi vidua fornicata fuerit cum Amaſio, ſiue intra, ſiue poſt annum luctus idem Amaſius ſubijciatur ijs omnibus pœnis, quibus ex diſpoſitione iuris ſubiacet ſecundus maritus, qui cum eadem conuolat ad ſecunda vota.

2 Enumeratur vna pœna, quam contrahit Amaſius fornicãs cũ vidua.

Reſpondeo primo, Amaſium fornicantem cum vidua ſubijci indirectè, & in conſequentiam omnibus pœnis iuris, quibus directè afficitur eadem vidua fornicans per ordinem ad ſecundum maritum contrahentem cum ipſa, ſeu quod idem eſt, & clarius, afficitur eiſdem pœnis, quibus indirectè afficitur ſecundus maritus cum eadem contrahens ſecundas nuptias, & hoc ſiuè fornicetur intra annum luctus in ordine ad pœnas, quibus afficiuntur ſecundo nubentes intra eundem annum, ſiuè fornicetur poſt annum luctus in ordine ad pœnas afficientes binnubos poſt eundem annum. In hanc reſponſionem propendere exiſtimo *Garronis aub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. pœna nu. 57., & ſeqq.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quia vidua fornicans, ſiue intra annũ luctus, ſiue poſt illum annum ſubijcitur pœnis reſpectiuè, quibus ſubijcitur ſecundo nubens, vel intra, vel poſt annum luctus ſeruata proportione, ſed vidua ſecundo nubens, vel intra annum luctus, vel poſt illum multis afficitur pœnis in ordine ad ſecundum coniugem, prout enumerantur in facti ſerie, ratione quarum minuitur poteſtas in eadem transferendi iuxta modos explicatos bona ſua in eũdem coniugem; quibus etiam indirectè afficitur ipſe ſecundus coniux; ſi enim vidua non poteſt illi conferre, nec ipſe poteſt recipere, ergo etiam vidua fornicans, ſiue intra annum luctus, ſiue poſt illum &c.

Confirmari poteſt vlterius, quia vidua ſecundo nubens, vel intra, vel poſt annum luctus pœnis, quibus afficitur in ordine ad ſecundum coniugem, ideo ſubijcitur, quia per tranſitum ad ſecundas nuptias iura præſumunt, quod propter nimium amorem erga ſecundum coniugem ſit in conceſſione bonorum ſuorum illatura damnum filijs prioris matrimonij, ſed hæc eadem ratio militare poteſt in ordine ad Amaſium, cui accedit per fornicationem, ergo iura per ſuas diſpoſitiones intelliguntur eiuſdem pœnis ſubijcere mulierem viduam fornicantem, & luxorioſe viuentem in ordine ad Amaſium, & fornicarium.

3 Amaſius fornicans cum vidua quaſnam pœnas directè ſubeat.

Reſpondeo ſecundo, Amaſium ſubijci directè omnibus pœnis illis, quibus directè ſubijcitur ſecundus coniux contrahens cum vidua, ſiue intra annum luctus, ſiue extra illum, & in ſpecie infamiæ iuris, & amiſſioni proprietatis bonorum omnium, quæ ab vxore prædefuncta conſecutus eſt *Ioannes Nicolaus in l. generalitèr nu. 15. C. de ſecundis nuptijs, Bologninus addit. ad Matthesilanum de ſucceſſione ab inteſtato art. 2. principal. Ciſuentes l. 15. Tauri ad fin. verſ. item nota*, atque hac opinionem probabilem, & ſecuram reputat *Gutierez de matrimon. c. 110. nu. 13.*, quod idem ſentit *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. n. 407., & Tello lib. 6. Tauri n. 15.*

Incurrit ſpecialitèr pœnam infamiæ.

Ratio quoad pœnam infamiæ, ſi fornicetur intra annum luctus deducitur *ex l. 1. C. de ſecundis nuptijs, & auth. de ſecundis nuptijs §. prima ſiquidem col. 4.*, vbi dicitur, quod non ſolum vidua tranſiens ad ſecunda vota intra annum luctus ſubeat illam pœnam infamiæ, ſed etiam maſculus cum ea nubens, ergo etiam eandem pœnam infamiæ ſubibit non ſolum vidua intrà eundem annum luctus fornicans, ſed etiam Amaſius, qui intra talem annum per fornicationem cum eadem commiſcetur arg. eorum, quę dicta ſunt *ex d. auth. de reſtitutione, & ea quæ parit §. fin.*, & in

hoc

edit. num. 4., & rubr. C. eod. tit. num. 24. pœna 12. in fin. Padilla in l. fideicommiſſum num 5., & ſeqq C de fideicomm. Surdus de aliment tit 7. quæſt. 24 num. 5. Angelus auth. de reſtitutione, & ea, quæ parit §. unum. n. 6. Nicolaus Arelatanus l. generaliter quæſt. 5. num. 20. C de ſecundis nuptijs, Acoſta cap ſi Pater prima part verb. legauit num. 34. de teſtam. in 6. Iulius Clarus lib 5. recept. §. ſtuprum num. 6. Ex Theologis *Gutierez de matrim. c 110. num. 1. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 90. num. 1. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. capit. 11. num. 366.*

Non militat ratio correctionis pro fornicātibus.

Expreſsè colligitur ex cauſa finali, qua mota ſunt iura canonica ad corrigendas has pænas aduerſus ſecundo nubentes intra annum luctus, prout habetur *in c. fin. de ſecundis nuptijs*, quæ fuit, ne tolleretur libertas conceſſa per Apoſtolum poſt mortem primi mariti nubendi, cui velit, ſeu voluerit coniux vidua, quæ ratio correctionis non militat quoad mulierem viduam fornicantem; non enim præſumendum eſt, quod iura canonica voluerint viduis fornicarijs opitulari, cum fornicatio omni iure ſit prohibita.

4 Textus valde accomodus rei præſenti.

Fauere videtur etiam huic noſtræ reſponſioni textus iuris ciuilis *in l. his ſolis 7. C. de reuocan. donat.*, vbi ſtatuto, quid fæmina tranſiens ad ſecundas nuptias non poſſit donationem reuocare ratione ingratitudinis, ſubdit quoad alias pænas in ordine ad viduam fornicantem. *De cæteris autem, quæ portentoſæ vilitatis abiectæque pudicitiæ ſunt, ſatis etiam tacitè cautum putamus. Quis eſt enim, qui aliquid arbitretur tribuendum eſſe? cum etiam illis, quæ iure ſecundas tantum contraxerunt nuptias nihil ex his priuilegijs ſtatutum eſſe velimus.* Vbi vides texturn maiorem cognoſcere cauſam huiuſmodi pænarum in fornicante, quam cognoſcat in vidua ſecundo nubente; ex quo conſequitur, quod data etiam correctione quoad pænas in fauorem ſecundo nubentium, non propterea ſequatur correctio quoad pænas in fauorem fornicantium, cum à minori ad maius non fiat illatio, niſi exprimatur.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de matrimonio IV. prænotiones.

§. I.

An attento iure communi præcisè vidua tranſiens ad ſecundas nuptias exiſtentibus filijs, ſed profeſſis in Religione poſſit in vltima voluntate diſponere liberè de bonis ſuis.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſiæ. 1.

Procedit difficultas attento iure communi. 2.

In hac hypotheſi mater binnuba non poteſt, nec in dotem, nec alio titulo lucratiuo plus tribuere ſecundo marito, quam tradiderit eidem filiæ, & tenetur bona omnia, quæ à priori marito acceperat, eidem filiæ quantumuis Religioſæ reſeruare. 3.

DISQVISITIO I. Dictum fuit in præcedentibus prænotionibus, & præcipuè *Prænot. 5. ſub hoc eodem tit. de matrimonio IV.*, quod mulier tranſiens ad ſecundas nuptias non poſſit altero coniuge præmortuo, nec in dotem, nec alio titulo tradere ſecundo coniugi, cui nubit, pluſquam dederit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus reliquit. Secundo, quod amittat proprietatem omnium bonorum, quæ à coniuge prædefuncto conſecuta eſt, & hoc diximus *ſub eadem prænot. aſſert. 2.* Hę diſpoſitiones pęnales inductę ſunt in fauorem filiorum prioris matrimonij, quibus propterea non exiſtentibus ceſſant, & libera remanet coniux quoad ſua bona, & quoad ea etiam, quæ conſecuta fuerit à liberalitatę prioris coniugis. His ſic præſuppoſitis Caia, quæ nupſerat Seio, ab eoque plura bona conſecuta fuerat mortuo eodem Seio tranſijt ad ſecunda vota cum Sempronio remanente ex priori matrimonio vnica filia, quæ tranſijt in Religionem, in eaque profeſſa eſt. Hic orta eſt controuerſia, an ſtante profeſſione in Religione approbata filiæ ex priori matrimonio progenitæ poſſit de ſuis bonis in fauorem poſterioris coniugis pro libertate diſponere, & an etiam poſſit liberè diſponere de bonis, quæ à prioris coniugis liberalitate conſecuta fuerat. 1 Refertur ſtatus controuerſiæ.

Pro-

2 Procedit difficultas attento iure communi.

Procedit difficultas attento iure communi, ſecundum quod filius quantumvis tranſierit ad Religionem, in eaque profeſſus fuerit, ſi Religio fuerit capax bonorum, & hæreditatis, non redditur incapax ſuccedendi in perſona propria Patri nomine Religionis; per textum *in l. Deo nobis C. de Epiſc., & Cler.* non enim locum habere poteſt in iure municipali Mediolanenſi c. 284., vbi ſic diſponitur. *Illa perſona, quæ de iure communi pro mortua ciuiliter reputatur in ſucceſſione non admittatur ad partem, nec faciat partem, & quoad ſucceſſionem tam eius, quam alterius in omnibus, & per omnia habeatur, ac reputetur pro mortua, ac ſi naturaliter, & verè eſſet mortua &c.* ex eo etenim, quod habeatur pro mortuo naturaliter perindè eſt in ordine ad hunc effectum ſuccedendi, ac ſi non eſſet ſuperſtes, quod tamen, an verum ſit, alibi examinauimus. Siſtendo igitur in iure communi.

3 Tenetur omnia bona, quę à priori marito acceperat titulo lucratiuo filiæ, quantumvis Religioſæ reſeruare.

Reſpondeo, in hypotheſi illa, qua ſolus filius, vel filia ſuperſtes ſit ex primo matrimonio, quæ per vota ſolemnia, ſeù per profeſſionem ſe obligauerit Religioni capaci bonorum, & hæreditatis, mater binnuba non poteſt, nec in dotem, nec alio titulo lucratiuo plus tribuere ſecundo marito, quam tradiderit eidem filiæ, & tenetur bona omnia, quæ à priori coniuge titulo lucratiuo, ſeù ex liberalitate conſecuta fuerat eidem filiæ, quantumvis Religioſæ reſeruare. In hanc reſponſionem conſentiunt quotquot ſuſtinent parentes teneri inſtituere eandem filiam, quantumvis Religioſam, & monaſterium per ipſam ab inteſtato parenti ſuccedere. Ratio ex eo deducitur, primo quià talis filia verè eſt filia, nec per profeſſionem emiſſam redditur incapax ſuccedendi in proprietate talium bonorum, quæ conſolidantur cum vſufructu defuncta matre, quæ ad ſecundas nuptias tranſierat, ergò extantibus omnibus conditionibus in eadem, quæ de iure requiruntur ad excludendam matrem à proprietate talium bonorum à priori marito liberaliter acquiſitorum, non eſt, cur eandem non excludat, & ipſam non obliget ad nil amplius tribuendum ſecundo coniugi, ac ſibi tribuerit. Secundo ex textu *in l. Deo nobis C. de Epiſcop., & Cleric.*, vbi decernitur, quod parens teneatur inſtituere filium, quantumvis monachum profeſſum, huncque ab inteſtato eidem ſuccedere, ergò habet omnia iura, quæ habet filius, vt filius, & ſic ſi mater binnuba exiſtentibus filijs prioris matrimonij non poteſt plus tribuere ſecundo coniugi, ac tribuerit vni; & quidem minimum ex eiſdem filijs, & tenetur eiſdem reſeruare bona, quæ à priori marito ex liberali titulo acquiſierat, vtique hæc eadem præſtare tenebitur eidem filię ſoli ſuperſtiti, quantumvis per profeſſionem Religioni ſe obligauerit; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod eadem filia per profeſſionem facta fuerit incapax ſuccedendi, cum nequeat eſſe proprietaria; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quantumvis ipſa vt ipſa ratione profeſſionis fiat incapax, non eſt tamen incapax monaſterium, quod nomine ipſius, ſeù per ipſam acquirit, & eidem immediatè ſuccedit in iure acquirendi, & ſuccedendi.

Exponitur textus in l. Deo nobis de Epiſ, & Cler.

---

§. II.

An, ſi viuente matre binnuba filia ante profeſſionem iuribus ſuis renuntiauerit in fauorem tertij teneatur mater renuntiatario reſeruare proprietatem bonorum à priori marito eidem liberalitèr relictorum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis. 1.
Rationes ſuadentes matrem binnubam non teneri reſeruare proprietatem bonorum renuntiatario filia Religioſa. 2.
Mater binnuba tenetur proprietatem illorum bonorum reſeruare renuntiatario filia. 3.
Soluuntur rationes oppoſita. 4.

1 Facti ſeries in ſuis terminis.

DISQVISITIO II. Diſſoluto matrimonio inter Meuium, & Caiam per obitum eiuſdem Meuij, relictaque ex illo vnica filia Catherina ſcilicet, Caia conuolauit ad ſecunda vota cum Theodorico. Viuente adhuc Caia binnuba Catherina filia ad Religionem tranſiuit, ſed antequam profiteretur renuntiationem habuit omnium ſuorum iurium, tum præſentium, tum futurorum in fauorem Octauij Patrui ſui ex parte Patris. Iuxta ſuperius dicta mulier binnuba exiſtentibus filijs prioris matrimonij tenetur eiſdem reſeruare bona, quæ à priori coniuge liberalitèr accepit retento ſolummodò vſufructu ad ipſius vitam. Hic iam orta eſt difficultas, an ratione renuntiationis factæ per eandem Catherinam filiam ante profeſſionem in fauorem Octauij Patrui proprietas bonorum per Meuium liberalitèr relictorum eidem Caiæ tranſire debeat ad Octauium ceſſionarium, adeo vt eadem Caia in eius vltima voluntate non poſſit de illa diſponere, & an tunc in fauorem eiuſdem Octauij conſolidetur poſt mortem Caiæ vſusfructus cum proprietate.

2 Videtur abſolutè dicendum Caiam con-

Digitized by Google

tu poſſit oriri. Tertiò, quià maior iniuria infertur, & maius dedecus priori marito per vnum actum fornicationis, ac per ſecundas nuptias.

---

§. XIV.

An vidua ſic fornicans intra annum luctus in foro conſcientię ſubeat illas pęnas ipſo iure non expectata Iudicis ſententia.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſia. 1.

Sententia Sanchez exigentis ſententiam. 2.

Etiam in foro conſcientia fornicans intra annum luctus incurrit pænas ante ſententiam. 3.

Verba legis expreſsè euincunt reſponſionem. 4.

1 Factũ expoſitum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XIV. Poſt obitum prioris mariti, & intra annum luctus Seia vidua fornicata eſt. Quæſitum fuit, an ſtatim, & ipſo iure teneatur collata ſibi liberaliter per priorem maritum reſtituere, aliaſque pænas ſubire non expectata Iudicis ſententia, an verò non niſi poſt eandem loquendo etiam in foro conſcientiæ.

2 Sententia Sanchez volẽtis requiri ſententiam.

Sanchez *de matrimon. lib 7. diſp. 90 n. 11.* arbitratur in foro conſcientiæ viduam intra annum luctus fornicantem ipſo iure non contrahere huiuſmodi pęnas ante Iudicis ſententiam, ſed omninò ad huiuſmodi pęnas incurrendas in eodem foro conſcientię requiri ſententiam Iudicis ſaltem declaratoriam delicti commiſſi. Mouetur potiſſimum ea ratione, quià huiuſmodi pęnę à iure iniunctę contra viduam fornicantem intra annum luctus ſunt propriè, & in omni rigore pęnę, & quidem propter fornicationem, quę eſt verum, & proprium delictum; ſed pęna formaliter, vt pęna, prout reſpicit formaliter delictum non debetur ex communi DD. conſenſu ante Iudicis ſententiam ſaltem declaratoriam talis delicti, quinimmò plurimi aſſerunt etiam requiri Iudicis declarationem ad incurrendas has pęnas, quantumvis in textu dicedatur incurri abſque alia declaratione, quià verba illa debent debent intelligi abſque declaratione pęnę, cum pęna ipſa ſit à iure declarata, non abſque declaratione criminis *Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 6. §. 8. nu. 10. verſ. tertio, Azebedo lib. 5. recop. tit. 11. l. 5. n. 1.* Nihilominus

3 Etiam in foro conſciẽtię fornicans intra annum luctus incurrit has pænas abſque declaratione.

Reſpondeo etiam in foro conſcientię Seiam intra annum luctus fornicantem incurrere huiuſmodi pęnas abſque alia declaratione *Accſta c. ſi Pater 1. part. verb. legatum nu. 34. de teſt. in 6. Garronis l. 1. in noua edit. num. 37. verſ & plus dico C. de ſecundis nuptijs, Ioannes Angelus Boſſius de matrimon contract. c 6. n. 23. & c. 11. n. 401.* Ratio ex eo deducitur primò, quià huiuſmodi pęnæ ità *in d. auth. de reſtitutione, & ea qua partu § fin.* ſtatuuntur contra viduã fornicantem intra annum luctus, ſicuti ſtatutæ ſunt *in l. 1. C. de ſecundis nuptijs, & in l. ſi qua mulier 4. C. ad Senatus conſult. Tertul., & in auth. de ſecundis nuptijs §. prima ſiquidem col. 4., & in alijs iuribus allegatis* contra viduam ſecundo nubentem intra eundem annum luctus, prout expreſsè euincitur *ex d. auth. de reſtitutione* Ibi *ſubdendam quoque omnibus alijs pænis, ac ſi ſecundas eam contigiſſet ante luctus tempus legitimas celebraſſe nuptias*, vbi nota illam particulam, *ac ſi*, quæ importat diſpoſitionem ſecundum modum, & formam præcedentis diſpoſitionis; ſed vidua tranſiens ad ſecunda vota intra annum luctus incurrit pęnas à iure ſtatutas ipſo iure abſque alia declaratione, prout latè docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. IV. prænot. 3. aſſert. 1. verſ. in ordine ad primum*, & fatetur ingenuè *Sanchez d. lib. 7. de matrimon. diſp. 87. n. 10.*, ergo etiam &c.

Inſtantia Sanchez diſſoluta.

Dices *ex eod. Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 90. n. 11.* diſparem omninò eſſe rationem, & diſpoſitionem de vidua tranſeunte ad ſecundas nuptias intra annum luctus, ac de vidua intra eundem annum fornicante, quandòquidem iura diſponentia in primo caſu loquuntur per verba temporis præſentis, loquentia verò in ſecundo caſu diſponunt per verba conotantia tempus futurum; ibi *in d. auth. de reſtitutione ſubdendam quoque alijs omnibus pænis, ac ſi &c.* verba autem futuri temporis ſententiam ferendam important *Tiraquel in l ſi vnquam verb reuertatur n. 39. C. de reuoc. donat.* Sed contrà, quià quantumvis verba futuri temporis nudè ſumpta, & ſecundum ſe apta ſint ſolummodò ad importandam ſententiam ferendam, fallit tamen, quandò huiuſmodi verba ſunt relata ad iam diſpoſita, quià tunc ſequuntur naturam, & conditionem ipſorum præcedenter diſpoſitorum, potiſſimum, ſi in ſecunda diſpoſitione relata ad primam addatur particula denotans omnimodam ſimilitudinem, veluti *ac ſi, perinde, ac ſi*, quæ nata eſt ad æquiparandum in omnibus iuxtà textum *in l. cum hæres in princip. ff. de acq. hæred., & in l. qui à Patre, & ibi Bartolus ff. de confirm. tut. & in §. item nobis in fin. Inſtit. per quas perſonas nobis acquiratur*, & refertur ad omnes qualitates, & æquiparat vnam alteri *l. filio § penult. ff. de alim., & cibar. leg. Menochius conſil. 20. n. 10, Caldas Pereira qq. forenſ. conſ. 4. n. 35.* in

Particula, *ac ſi* denotat omnimodam ſimilitudinem.

in præſenti autem hypotheſi, quamvis diſpoſitio fuerit concepta per verba temporis futuri, refertur tamen ad primam, quæ eſt abſoluta, nec indiget declaratione. Accedit, quod Imperator per illam particulam conceptam cum tempore futuro non referatur ad id, quod Iudex facere debeat, ſed ad id diſponendum, quod antea non fuerat diſpoſitum, & ad ſubdendam pœnis mulierem fornicantem intra annum luctus, cum antea eiſdem expreſsè non ſubderetur.

2 Militat in hoc caſu ratio finalis legis.

Ratio deducitur ſecundo ex ratione finali, ob quam lata eſt lex *in d. auth. de reſtitutione, & ea quæ parit*; ne ſcilicet plus pœnæ tribuatur caſtitati, quam attribuatur luxuriæ; plus autem pœnæ tribueretur caſtitati, quam luxuriæ, ſi ad incurrendas pœnas in fornicante requireretur Iudicis ſententia ſaltem declaratoria delicti, quæ non requireretur in vidua tranſeunte ad ſecundas nuptias intra annum luctus.

Dices ex *eod. Sanchez loc. cit.* attenta natura pœnæ propriè ſumptæ, qualis eſt illa, quæ irrogatur aduerſus fœminam viduam fornicantem intra annum luctus, diſparem omnino eſſe rationem de pœnis contra fornicantem, ac contra ſecundo nubentem intra annum luctus, quià pęna, vt pęna, prout prouenit à delicto propriè ſumpto ex genere ſuo exigit ſententiam, cum hæc ſit natura pœnæ, quod non requiritur quoad priuationes prouenientes ex feſtinatione ad ſecundas nuptias, cum hęc vacet omni culpa. Sed contra, quià quamvis regulariter verum ſit, quod pœna, vt pœna prouenìens ex delicto propriè ſumpto ex genere ſuo exigat ſententiam ſaltem declaratoriam, fallit tamen, quàdò in caſu particulari militat ſpecialis ratio, quæ non militat in alijs pœnis, & caſibus, prout rectè notat *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c.11. n.401.*, ſpecialis autem ratio militat in pręſenti hypotheſi, ne ſcilicet plus pœnæ tribuatur caſtitati, quam tribuatur luxuriæ.

Militat in hoc caſu ſpecialis ratio.

4 Verba legis expreſsè enunciūt reſponſionem.

Ratio deducitur tertio ex verbis præciſis, quibus concepta fuit illa *auth. de reſtitutione, & ea quæ parit*, quę important incurſum huiuſmodi pęnarum ipſo iure, abſque Iudicis ſententia etiam declaratoria. Ibid. *Modis omnibus eam priuari antenuptiali donatione, & ſecundum proprietatem, & ſecundum vſum*; vbi illa particula *modis omnibus* importat diſpoſitionem abſolutam, & independentem à quocunque alio *Felinus in c. auditis nu.7. verſ. adde etiam de præſumpt.*, *Gozadinus conſ.25. ſub num.16.*, *Tiraquel in l. ſi vnquam verb. reuertatur n.88. & 89 C. de reuocand. donat.*, & involuit canonem latę ſententię *Gloſa verb. ſed melius, & verb. irroganda in auth. qui res C. de Sacroſanct. Eccl. Romanus ſing.1. n.1.*, *Machelſilanus ſing. 111. in princip.*, *Farinacius frag. crimin. part.3. verb. lex nu.122.*, *Hypolitus in pract. verb. aggreditur nu. 125.*, *Tiraquel in d. l. ſi vnquam verb. reuertatur num. 88. C. de reuocandis donat.*; ex quibus omnibus ſequitur, quod abſolute ſentiendum ſit, quod poſita fornicatione in vidua intra annum luctus huiuſmodi pęnæ immediatè ſequantur.

---

§. XV.

An vidua fornicans poſt annum luctus contrahat pęnas ſecundo nubentium intra annum luctus, vel poſt annum eiuſdem luctus.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſiæ. 1.
Sententia aſſerens non ſubijci pænis nubentium intra annum luctus. 2.
Sententia oppoſita communior. 3.
Prima ſententia aſſerens non ſubijci præfertur. 4.
Mulier vidua fornicans poſt annum luctus, ſubijcitur pænis contra nubentes poſt annum luctus. 5.

1 Factū expoſitum in ſuis terminis.

DISQVISITIO XVI. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis poſt obitum mariti Seia fornicata eſt, ſed non intra annum luctus, ſed poſt illum, ſeu eodem iam elapſo. Hic duo quæſita ſunt. Primum, an eadem Seia per fornicationem admiſſam ſubſequenter ad annum luctus ſubiaceat pęnis iuris irrogatis contra ſecundo nubentes intra annum eiuſdem luctus. Secundum, an ſi eaſdem non contrahat, contrahat tamen ſaltem pœnas iuris irrogatas aduerſus ſecundo nubentes abſolutè etiam poſt annum eiuſdem luctus.

2 Sententia Sàchez aſſerentis nō ſubijci pęnis ſtatutis contra nubentes intra annum luctus.

In ordine ad primum *Sanchez de matrimon. lib.7. diſp.90. n.5.* abſolutè exiſtimat viduam poſt annum luctus fornicantem non ſubijci pęnis ſtatutis viduæ intra annum luctus nubenti. Rationem ex eo deducit, quià nec lex ipſa *in d. auth. de reſtitutione, & ea quæ parit*, nec ratio legis ſubdit fęminam fornicantem poſt annum luctus illis pœnis; non lex ipſa, quià tantum loquitur de vidua fornicante intra annum luctus; non ratio legis, quià grauius delictum eſt in ordine ad priorem maritum, & grauior iniuria, quod vidua ipſius fornicetur intra annum luctus, ac fornicetur poſt illum, quinimmò gravior impudentia reſpectu eiuſdem viduæ fornicantis; nec aderit ſibi aduerſari ratio, quæ per aduerſarios adducitur, quod ſcilicet militet finis prohibitionis, qui eſt, *ne plus* ha-

Digitized by Google

habeat caſtitate luxuria, quandòquidem comparatiuum habere non poteſt locum, quem non habet poſitiuum; caſtitas autem ideſt ſecundum matrimonium poſt annum luctus non ſubijcitur pœnis, quæ afficiunt ſecundo nubentes intra annum luctus.

3 Alij tamẽ communius ſentiunt viduam poſt annum luctus fornicantem ſubijci etiam pœnis à iure ſtatutis contra viduas ſecundo nubentes intra annum luctus *Ioannes Lupus rub. de donat. inter virum, & vxor.* §. 67. *n.* 3. *Pinellus in fin nu*. 18. *C. de bon. matern. Villalobos in commun. opin. lit. B. nu.* 31., *& lit. M. nu.* 244. *Antonius Gabriel. tom.* 3. *commun opin l.* 3. *tit. de ſecundis nuptijs concl.* 8. *nu.* 1. *Surdus de aliment. tit.* 7. *q.* 24. *num.* 12., quibus adhærere videtur *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.* 11. *nu.* 405. dum aſſerit hanc opinionem eſſe probabiliſſimam. Rationibus pluribus mouentur; & primò, quià quantumvis *d. auth. de reſtitutione, & ea qua* § *fin.* loquntur præcisè de vidua fornicante intra annum luctus, ex ratione tamen diſpoſitionis, quam ibidem adducit, comprehendit etiam caſum viduæ abſolutè fornicantis etiam extra annum eiuſdem luctus; cum ratio talis iuris ſit, ne plus pœnæ tribuatur caſtitati, quam luxuriæ. Secundo *ex l. his ſolis C de reuoc. donat.*, vbi, poſtquam fuerit deciſum viduam tranſeuntem ad ſecundas nuptias non poſſe reuocare donationem ratione, & cauſa ingratitudinis, immediate ſubditur. *De cæteris autem, quæ portentoſa vtilitatis, abiectæque pudicitia ſunt, ſatis etiam tacitè cautum putamus. Quis eſt enim, qui his aliquid arbitretur tribuendum eſſe? cum etiam illis, quæ iure ſecundas tantum contraxerunt nuptias nihil ex his priuilegijs tributum eſſe velimus?* ergo, ſi imperator ob incontinentiam nihil viduæ fornicanti vult eſſe tributum, per conſequens cenſendus eſt velle priuari omnibus, quæ eidem, vel à iure, vel à teſtatore ſunt diſpoſita. Quid igitur concludendum?

Sententia oppoſita cõmunior.

4 Reſpondeo primo, probabiliorem eſſe opinionem Sanchez ſupra recitatam, nempè viduam fornicantem poſt annum luctus non ſubdi pœnis ſtatutis aduerſus ſecundo nubentes intra annum luctus, Ita præter Sanchez *Tello l.* 6. *Tauri nu.* 21. *Gloſa* §. *fin. auth. de reſtitutione, & ea qua paris verbo malignè, & verb. profectò, & ibi Angelus* §. *vnum nu.* 7. *Alexander de Neuo in fin. n.* 15. *verſ quare vlt. de ſecundis nuptijs, Alciatus de præſumpt. reg.* 2. *præſumpt.* 9. *in fine Garronis auth. eidem pœnis in nona edit. n.* 19. *C. de ſecundis nuptijs*, quibus adhærere videtur *Gutierez de matrim. c.* 110. *n.* 1. *in fin.* Rationes à Sanchez adductæ efficaciter ſuadent, & euincunt reſponſionem, ad quas propterea vos remitto; Nec obeſſe poteſt textus allegatus pro contraria ſententia *in l. his ſolis C. de reuocand. donat.*; non, inquam, obeſſe poteſt, quià in eodem textu eſt ſolummodò ſermo de pœnis poſt annum luctus, quæ, cum afficiant ſecundo nubentes poſt talem annum, vtique etiam afficiunt poſt talem annum fornicantes, quæ propterea non ſunt extendendæ ad fornicantem poſt annum luctus comparatiuè ad ſecundo nubentes intra annum luctus; cum de delicto ad delictum in diuerſo ſtatu non fiat extenſio pœnalis.

Præfertur ſententia aſſerens nõ ſubijci.

Reſpondeo ſecundo, mulierem viduam fornicantem poſt annum luctus ſubire omnes pœnas, quæ illatæ ſunt aduerſus ſecundo nubentes poſt eundem annum luctus. Conſentiunt in hanc reſponſionem *Ioannes Angelus Boſſius de matrim contract. c.* 11. *n* 404. *Sanchez de matrim lib* 7. *diſp.* 90. *nu.* 7. *Gutierez de matrim d c.* 110 *nu.* 1. *Ioannes Lupus rub. de donat. inter vir., & vxor* §. 67. *à num.* 3. *vſque in fin. Padilla l. fideicommiſ. à n.* 1. *vſque ad* 13. *C. de fideicom.* Ratio ex eo deducitur primò, quià quoad hoc militat ratio *d. auth. de reſtitutione, & ea qua paris* § *fin.*, ne ſcilicet plus pœnæ tribuatur caſtitati, quam luxuriæ, ſed contra ſecundo nubentes poſt annum luctus infliguntur omnes pœnæ ſupra enumeratæ, ergo etiam contra fornicantes poſt annum luctus eædem pœnæ &c. Secundo quoad hoc locum habet textus *in d l. his ſolis C. de reuocand. donat.*, vbi eſt ſermo de pœnis poſt annum luctus, à quibus non eximit delinquentem per fornicationem. 5

Mulier vidua fornicans poſt annum luctus ſubijcitur pœnis contra nubẽtes poſt annum luctus.

---

§. XVI.

An vidua ſemel fornicans amittat dotem.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.

Sententia aſſerens abſolutè dotem amittere. 2.

Non amittit, ſiuè fornicata fuerit intra annum luctus, ſiuè poſt. 3.

Proponuntur rationes oppoſitæ, & diſſoluuntur. 4.

DISQVISITIO XVI. Diſſoluto matrimonio inter Meuium, & Seiam per obitum eiuſdem Meuij, in quo eadem Seia in dotem contulerat bis mille nummos aureos, eadem Seia fornicata eſt cum Sempronio. Hic orta eſt difficultas, an per talem fornicationem Seia amiſerit dotem, quam contulit Meuio, ſiuè reſtituta fuerit, ſiue remaneat apud hæredes eiuſdem Meuij. 1

Factum tale.

Non-

2 *Sententia aſſerens amittere dotem abſolutè.* Nonnulli apud *Sanchez d. lib. 7. diſp. 90 num. 9.* ſenſerunt, viduam ſic fornicantem, abſolutè dotem amittere nulla facta diſtinctione, an fornicationem commiſerit intra annum luctus, an verò eo elapſo. Alij verò apud eundem loc. cit. procedunt cum diſtinctione, & aſserunt, eandem amittere, ſi fornicata fuerit intra annum luctus; non amittere, ſi fornicata fuerit eodem elapſo. Nihilominus abſolutè

3 *Non amittit quãdocunq; fuerit fornicata.* Reſpondeo, eandem nullatenus amittere, ſiuè fornicata fuerit intra, ſiuè poſt annum luctus. *Acoſta c. ſi Pater 1. part. verb. legauit n. 44. de teſtam. in 6. Molina lib. 1. de primogen. cap. 9. c. 55. Sanchez de matrimon lib. 7. loc. cit., & alij communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi pæna, nec directè, nec indirectè apparet in iure diſpoſita contra fornicantem viduam intra, vel poſt annum luctus; non directè, quià nullibi conſtat, viduam fornicantem amittere propriam dotem; non indirectè, quatenus appoſita fuerit contra ſecundo nubentes, & quod propterea extendatur ad viduas fornicantes; quandòquidem, nec inter pænas contrà præpropere nubentes intra annum luctus, nec intèr pænas contrà abſolutè nubentes etiam eodem anno elapſo hæc pæna connumeratur, vt ex vniuerſis iuribus allegatis in præcedentibus apparet.

4 *Proponuntur rationes ſententiæ oppoſitæ, & diſſoluuntur.* Neque obeſse poteſt, ſi aſseratur, quod mulier vidua in vtroque foro, externo ſcilicet, & conſcientiæ amittat proprietatem bonorum ex priori matrimonio à marito, vel ex ſucceſſione filiorum acquiſitorum, quinimmò & augmentum dotis factum per eundem maritum, ſeù per auum patrem patris, ſi committat ſtuprum, ſeù fornicationem per ea, quæ latè docet *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. n. 403. & ſeqq.*, ergò etiam per eandem fornicationem amittet propriam dotem; Non, inquam, obeſse poteſt, primo quià de antecedenti expreſsè diſpoſitum eſt in iure; non ſic de conſequenti; in pænalibus autem non fit extenſio ab expreſso ad non expreſsum. Secundò, quià ea, quæ dicuntur in antecedenti originem habent à marito, cui per fornicationem fit iniuria; quæ autem dicuntur in conſequentia originem habeat ab ipſa met vxore delinquente, & ſic diſpoſitum quoad primum non cenſetur diſpoſitum quoad ſecundum, cum proueniat à diuerſo principio.

---

§. XVII.

An mulier vidua in eaſdem pænas incidat per ſolos actus inhoneſtos præparatorios ad fornicationem.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis.
Sententia aſſerens has pænas ſubire. 2.
Sententia oppoſita exponitur. 3.
Probabilius per huiuſmodi actus contrahuntur hæ pænæ. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

DISQVISITIO XVII. Seia poſt obitum Meuij mariti ſui voluptuoſis actibus dedita non quidem paſsa eſt fornicationem conſummatam à Theoderico, ſed alios actus inhoneſtos, puta amplexus, oſcula, tactus mamillarum, & pudendorum, & fortè etiam copulam incohatam, non tamen conſummatam. Quæritur, an ſubeat pænas fornicantium, & ſecundo nubentium. 1 *Exponitur factum.*

Affirmant *Grat. conſ. 115. num. 8. vol. 1. Bone. deciſ. 338. Antonius Gabriel. commun. concl. lib. 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 8. num 3., & concl. 9 num. 261*, eo quià per huiuſmodi actus impudicos vidua dicatur luxurioſè viuere, nam ad vitam luxurioſam non ſemper requiritur ſtuprum conſummatum, ſed ſatis eſt, quod fuerit deuentum ad actum proximum, ſiuè ad conatum *l. ſi quis non dicam rapere C. de Epiſcopis, & Cler. c. 1. §. item ſi fidelis verb., vel concumbere ſe exercueris*, & ſine carnali commixtione poteſt eſse vita luxurioſa, indecens, turpis, inhoneſta, & ignominioſa, qua ratione plures ſacri interpretes aſserunt in Euangelio D. Mariam Magdalenam fuiſse appellatam in ciuitate peccatricem, non quod carnalem commixtionem paſsa fuerit, ſed quod paſſim admittebat alios actus inhoneſtos, amplexus, tactus impudicos, & oſcula. Ad hoc aſsertum corroborandum adducunt plurimi, quod proptèr huiuſmodi actus impudicos poſſit fœmina legitimè exhæredari *Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 212. n. 58. Baldus apud eundem conſ. 253. lib. 2. Tuſcus verb. exheredatio concl. 577. nu. 13. tom. 3. Vaſquius repet. l. quoniam in prioribus n. 616. verſ. quarto limita C. de inoffic. teſt.*, quod intelligunt non ſolum in filia virgine, ſed etiam in vidua, quę iam matrimonio fuerat copulata *Gaſpar Antonius Theſaurus lib. 1. qq. forenſ. q. 70. num. 2. in fin. Sardas de aliment. in tit. 1. q. 6. n. 31.*, nec incongrua ratione videntur hoc aſserere, cum huiuſ- 2 *Sententia aſserens has pænas ſubire.*

Digitized by Google

modi actus multum derogent honeſtati, & turpitudinem maximam præferant. Accedit, quod in terminis præſentis diſquiſitionis vidua per huiuſmodi actus plurimam ingerat iniuriam priori matrimonio, & filijs ex eodem ſuſceptis, quę eſt ratio finalis, ob quam inductę fuerunt huiuſmodi pęnę.

3 Sententia oppoſita exponitur.

Ex aduerſo plurimum conferre poteſt, quod, cum hic verſemur in odioſis, & pęnalibus, ad incurrendas pęnas requiratur delictum plenè conſummatum, & vndequaque perfectum, cum odia ex vulgari regula ſint reſtringenda; vt videre eſt in plurimis ſimilibus; ſic primo lex reſeruationis quoad actus v. gr. ſodomiticos non afficit ſodomiam incohatam, & incompletam, ſed vſquequaque conſummatam; ſic lex prohibens homicidium ſub pęna capitis non extenditur ad ſimplicem vulnerationem, & ad conatum in ipſummet homicidium, quamvis alię pęnę extraordinarię ingerantur. Accedit, quod tanta non inferatur etiam ſecundum communem exiſtimationem iniuria priori marito, eiuſque filijs per illos actus inhoneſtos, quanta inferretur per conſummatam fornicationem; quamobrem proptèr eoſdem non videtur vidua ſubdenda his pænis, quibus ſubijcitur vidua formalitèr, & perfectè fornicaria. Quid igitur in hac controuerſia concludendum?

4 Probabiliꝰ per huiuſmodi actus contrahuntur hæ pænæ.

Reſpondeo, probabilius eſſe etiam per huiuſmodi actus contrahi has pænas. Ita DD. omnes allegati pro prima opinione. Præter rationes pro eadem adductas hanc vnam ſubdo, quià ratio, ob quam iura induxerunt huiuſmodi pænas æque militat aduerſus viduam admittentem huiuſmodi actus, ac aduerſus viduam fornicantem, ne ſcilicet plus pænæ tribuatur caſtitati, ac tribuatur luxuriæ; cum vidua paſſim admittens huiuſmodi actus dicatur luxurioſè viuere in contumeliam nedum propriam, ſed etiam prioris matrimonij, & filiorum ex eodem ſuſceptorum, & plus læditur honor prioris mariti per ſimiles actus, quam per tranſitum ad ſecunda vota, ergò non eſt, cur non debeat contrahere huiuſmodi pænas. Accedunt ea, quæ diximus *tom. 5. ſub tit. Contractus XV. de ſponſal. II. prænot. 9. aſſert. 7. n. 10.* nempè fæminam per fornicationem etiam incompletam, puta per tactus impudicos, oſcula, amplexus voluntariè permiſſos priuari iure, quod habet cum ſponſo perficiendi ſponſalia per matrimonium, quià per huiuſmodi actus notabile dedecus ingeritur ſponſo, cum habeatur pro impura, & inhoneſta, & ob ſimiles cauſas priuatur legato eidem relicto ſub conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit *Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. n. 3.*, ex quibus eruitur, quod huiuſmodi actus inducant inhoneſtam, & luxurioſam vitam, aduerſus quam propterea inductę ſunt huiuſmodi pænæ.

Nec obſtare poſſunt rationes ex aduerſo oppoſitæ, quamvis enim regularitèr pænæ tanquam odioſæ non ſint extendendæ maximè ad caſum, in quo non elucet tanta turpitudo; fallit tamen, quandò ratio expreſſa in iure inducente huiuſmodi pænas æquè militat etiam pro caſu non expreſſo; tunc etenim fit extenſio, *textus, & Bartolus in l. regula, ff. de iur., & facti ignor. Bartolus in l. pater filiam §. ſi fundum, ff. de leg. 3. Ripa lib. 2. reſpon c. 3. n. 6. Baldus in auth. quas actiones n. 4. verſ., ſed ego dico C. de ſacroſ. Eccl.*; cum etenim lex ponit caſum ſpecialem, & aſſignat rationem generalem generalitèr eſt intelligenda in omni caſu, cui ratio reddita poteſt applicari *Gutierez. de matrimon. c. 43. num. 30. Immola in l. ſi ita quis §. ea lege, ff. de verb. oblig. Decius conſ. 12. circa fin. Pariſius conſ. 69. n. 142. lib. 3. Boerius conſ. 26. num 4.*, quod intelligunt etiam in correctorijs, & pænalibus *Corneus conſ. 273 n. 3. lib. 4 Ripa lib. 2. reſponſ. c. 3. nu. 6. Gutierez loc. cit. Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 3. n. 267.*; In iure autem diſponente, quod vidua fornicans ſubdatur pænis ſecundo nubentium exponitur ratio, quæ vniuerſalis eſt etiam reſpectu viduæ admittentis ſimiles actus inhoneſtos, vt videre eſt *in d. auth. de reſtitutione, & ea, quæ parit §. fin.*; ea etenim eſt, ne plus pænæ tribuatur caſtitati, quam luxuriæ, quæ ratio militat etiam quoad viduam admittentem ſpontè ſimiles actus inhoneſtos; & licet maior ſit turpitudo, maiorque iniuria reſpectu prioris mariti, & filiorum primi matrimonij formalis fornicatio in vidua, quam illi actus inhoneſti, & libidinoſi, in quibus ſolum ſtat fornicatio incohata, & præparatio ad eandem, nihilominus per hoc non euitantur pænæ iuris, quandòquidem licet ſit minor turpitudo, minorque iniuria comparatiuè ad formalem fornicationem, non eſt tamen minor turpitudo, minorque iniuria comparatiuè ad ſecundas nuptias; pænæ autem iniunguntur comparatiuè ad ſecundas nuptias. 5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

---

§. XVIII.

An Amaſius fornicans cum vidua ſubijciatur pænis iuris contra ſecundo nubentes.

SVMMARIVM.

Exponitur factum cum omnibus ſuis qualitatibus. 1.

Ama-

Digitized by Google

Amaſius fornicans cum vidua ſubijcitur indirectè, & in conſequentiam omnibus pænis iuris, quibus directè afficitur eadem vidua fornicans per ordinem ad ſecundum maritum contrahentem cum ipſa. 2.

Amaſius fornicans cum vidua ſubijcitur directè omnibus pænis illis, quibus directè ſubijcitur ſecundus coniux contrahens cum vidua, ſiue intra annum luctus, ſiue poſt. 3.

Amaſius viduus intra annum luctus fornicans cum alia virgine non incurrit infamiam. 4.

1 Facti cum ſuis qualitatibus expoſitum.

DISQVISITIO XVIII. Dictum fuit *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. IV. pranot. 3. aſſert.* 1. virum ſecundo ducentem viduam intra annum luctus non minus contrahere Infamiam Iuris, ac contrahat eadem fæmina, ſeu vidua ſic nubens. Rurſus *ead. pranot. aſſert.* 3. vxorem poſt obitum prioris mariti feſtinanter tranſeuntem ad ſecundas nuptias intra annum luctus, non poſſe plus dare ſecundo marito, cui nubit, nec in dotem, nec ex vltima voluntate, quam tertiam bonorum ſuorum partem. Rurſus *ſub eod. tit. pranot. 5. aſſert.* 1. mulierem tranſeuntem ad ſecundas nuptias, nec poſſe, nec in dotem, nec alio titulo lucratiuo tradere ſecundo coniugi, pluſquam dederit, & minus vni ex filijs prioris matrimonij, quam etiam pænam diximus extendi ad maritũ ſuperſtitem, ſi hic præmortuá vxore tranſierit ad ſecunda vota. Rurſus *d. pranot. 5. aſſert.* 2. mulierem æquè, ac maritum ſuperſtitem altero ipſorum reſpectiuè prædefuncto tranſeuntem ad ſecunda vota amittere proprietatem omnium bonorum, quæ è coniuge prædefuncto conſecutus eſt, & alia huiuſmodi, de quibus in præcedentibus prænotionibus. Hic iam oritur difficultas, an ſi vidua fornicata fuerit cum Amaſio, ſiue intra, ſiue poſt annum luctus idem Amaſius ſubijciatur ijs omnibus pænis, quibus ex diſpoſitione iuris ſubiacet ſecundus maritus, qui cum eadem conuolat ad ſecunda vota.

2 Enumeratur vna pæna, quam contrahit Amaſius fornicãs cũ vidua.

Reſpondeo primo, Amaſium fornicantem cum vidua ſubijci indirectè, & in conſequentiam omnibus pænis iuris, quibus directè afficitur eadem vidua fornicans per ordinem ad ſecundum maritum contrahentem cum ipſa, ſeu quod idem eſt, & clarius, afficitur eiſdem pænis, quibus indirectè afficitur ſecundus maritus cum eadem contrahens ſecundas nuptias, & hoc ſinè fornicetur intra annnm luctus in ordine ad pænas, quibus afficiuntur ſecundo nubentes intra eundem annum, ſiuè fornicetur poſt annum luctus in ordine ad pænas afficientes binnubos poſt eundem annnm. In hanc reſponſionem propendere exiſtimo *Garronis tub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. pæna nu. 57., & ſeqq.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quia vidua fornicans, ſiue intra annũ luctus, ſiue poſt illum annum ſubijcitur pænis reſpectiuè, quibus ſubijcitur ſecundo nubens, vel intra, vel poſt annum luctus ſeruata proportione, ſed vidua ſecundo nubens, vel intra annum luctus, vel poſt illum multis afficitur pænis in ordine ad ſecundum coniugem, prout enumerantur in facti ſerie, ratione quarum minuitur poteſtas in eadem transferendi iuxta modos explicatos bona ſua in eũdem coniugem; quibus etiam indirectè afficitur ipſe ſecundus coniux; ſi enim vidua non poteſt illi conferre, nec ipſe poteſt recipere, ergo etiam vidua fornicans, ſiue intra annum luctus, ſiue poſt illum &c.

Confirmari poteſt vlterius, quià vidua ſecundo nubens, vel intra, vel poſt annum luctus pænis, quibus afficitur in ordine ad ſecundum coniugem, ideo ſubijcitur, quià per tranſitum ad ſecundas nuptias iura præſumunt, quod propter nimium amorem erga ſecundum coniugem fit in conceſſione bonorum ſuorum illatura damnum filijs prioris matrimonij, ſed hæc eadem ratio militare poteſt in ordine ad Amaſium, cui accedit per fornicationem, ergo iura per ſuas diſpoſitiones intelliguntur eiuſdem pænis ſubijcere mulierem viduam fornicantem, & luxorioſe viuentem in ordine ad Amaſium, & fornicarium.

3 Amaſius fornicans cum vidua quaſnam pænas directe ſubeat.

Reſpondeo ſecundo, Amaſium ſubijci directè omnibus pænis illis, quibus directè ſubijcitur ſecundus coniux contrahens cum vidua, ſiue intra annum luctus, ſiue extra illum, & in ſpecie infamiæ iuris, & amiſſioni proprietatis bonorum omnium, quæ ab vxore prædefuncta conſecutus eſt *Ioannes Nicolaus in l. generalitèr nu. 15. C. de ſecundis nuptijs, Bologninus addit. ad Matthæſilanum de ſucceſſione ab inteſtato art. 2. principal. Ciſuentes l. 15. Tauri ad fin. verſ. item nota*, atque hac opinionem probabilem, & ſecuram reputat *Gutierez de matrimon. c. 110. nu. 13.*, quod idem ſentit *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. II. n. 407., & Tello lib. 6. Tauri n. 15.*

Incurrit ſpecialitèr pænam infamiæ.

Ratio quoad pænam infamiæ, ſi fornicetur intra annum luctus deducitur *ex l. 1. C. de ſecundis nuptijs, & auth. de ſecundis nuptijs §. prima ſiquidem col. 4.*, vbi dicitur, quod non ſolum vidua tranſiens ad ſecunda vota intra annnm luctus ſubeat illam pænam infamiæ, ſed etiam maſculus cum ea nubens, ergo etiam eandem pænam infamiæ ſubibit non ſolum vidua intrà eundem annum luctus fornicans, ſed etiam Amaſius, qui intra talem annum per fornicationem cum eadem commiſceretur a(r)g. eorum, quę dicta ſunt *ex d. auth. de reſtitutione, & ea qua parit §. fin.*, & in

hoc

hoc potiſſimum locum habet ratio adducta in eodem textu, ne, ſcilicet plus pœnæ tribuatur luxuriæ, quæ elucet in eadem fornicatione.

Amiſſit proprietatem bonorum &c. Ratio quoad pœnam amiſſionis proprietatis bonorum, quæ ipſe Amaſius conſecutus eſt à priori vxore deducitur *ex l. generaliter C. de ſecundis nuptijs*, in qua decernitur, quod etiam maritus poſt mortem vxoris tranſiens ad ſecunda vota amittat proprietatem omnium bonorum, quæ conſecutus eſt titulo lucratiuo ab eadem vxore, ergo etiam Amaſius poſt mortem propriæ vxoris fornicans cum vidua talem bonorum proprietatem amittet arg. *d. auth. de reſtitutione, & ea, quæ parit § fin.*; Neque hic aduerſari poſſunt rationes, quæ ex contrariæ partis aſſertoribus afferuntur, nempè non deſiderari tantam honeſtatem in viduo, ſicuti requiritur in vidua. Secundo non adeſſe tantam ſuſpicionem præiudicij filiorum prioris matrimonij in viduo, quanta eſt in vidua, quæ eſt debilior, fragilior, & imprudentior ob iuditij defectum; Non, inquam, aduerſari poſſunt, quia hæ rationes æquè militant quoad viduum ſecundo nubentem, & tamen *in d. l. generaliter C. de ſecundis nuptijs* viduus tranſiens ad ſecundas nuptias æquè ſubditur illi pœnæ, ac ſubdatur vidua ad ſimiles ſecundas nuptias conuolans.

4 Nō tamen atraticis viduas fornicans intra annum luctus cū virgine incorrit pœnam infamiæ. Hic tamen pro maiori claritate aduerte, quod in ordine ad pœnam infamiæ, de qua dictum eſt in prima parte huius ſecundæ reſponſionis intelligendam eſſe ſolummodò, quando idem Amaſius fornicatur cum vidua intra annum luctus, non vero quando ipſe viduus intra annum luctus fornicatur cum alia virgine, vel extra annum talis luctus reſpectu fœminæ, cum qua fornicatur, quia textus *in d. l. 1. C. de ſecundis nuptijs, & auth. de ſecundis nuptijs § prima ſiquidem col.* 4. loquuntur tantum in terminis, quibus maſculus nubit intra annum luctus cum vidua propter cōmunicationem delicti, quam habet cum eadem. In ordine vero ad pœnam amiſſionis proprietatis omnium bonorum, quæ conſecutus eſt à prædefuncta vxore intelligendam eſſe, ſiue ipſe Amaſius poſt mortem prioris ſuæ vxoris nupſerit cum alia vidua, ſiue cum virgine, prout colligitur *ex d. l. generaliter C. de ſecundis nuptijs*; vnde prima pœna infamiæ eſt propter communionem cum vidua intra annum luctus, & dependenter à delicto ipſius; Secunda vero amiſſionis proprietatis bonorum eſt propter delictum proprium ipſius Amaſij, ſicuti amiſſio talis proprietatis reſpectu maſculi ſecundo nubentis eſt propter tranſitum eiuſdem, & vtique cum præſumpto præiudicio filiorum prioris matrimonij.

§. XIX.

An vidua, quæ ſecundo nupſerat incurrat pœnas anni luctus, ſi poſt eaſdem ſecundas nuptias intra tamen annum luctus ab obitu prioris mariti fornicata fuerit.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus quæſtionis. 1.
Rationes ſuadentes per huiuſmodi fornicationem incurrere has pœnas. 2.
Probabilius non incurri pœnas iuris. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

DISQVISITIO XIX. Caia, quæ primo nupſerat cum Theodorico poſt obitum eiuſdem etiam intra annum luctus conuolauit ad ſecundas nuptias cum Sempronio, quibus contractis, & forte etiam conſummatis eadem Caia fornicata eſt cum Meuio. Eadem Caia bona pluſima ex eiuſdem Theodorici liberalitate conſecuta fuerat. Orta hic fuit controuerſia, an eadem Caia ratione talis fornicationis amiſerit bona illa, quæ conſecuta fuerat à liberalitate eiuſdem Theodorici, aliaſque pœnas iuris fornicantium intra annum luctus ſubierit. 1 Refertur ſtatus diſquiſitionis.

Hæc controuerſia, quæ potiſſimum excitatur à *Garrone in l. 1. in noua edit. n. 74. & 75. C. de ſecundis nuptijs*, & inſinuatur *à Sanchez lib. 7 de matrimon. diſp. 90. n. 3. & à Ioanne Angelo Boſſio de matrim. contract. c. 11. nu. 408.* non videtur habere locum, quandòquidem ex quo ſupponitur contraxiſſe ſecundas nuptias cum Sempronio intra annum luctus iam præintelligitur contraxiſſe omnes pœnas iuris contra ſecundo nubentes intra annum luctus independenter ab illa fornicatione. Nihil ominus hæc controuerſia adhuc ſolum habere poteſt in ſuppoſitione, quod omnes pœnæ contra ſecundo nubentes intra annum luctus fuerint, vt ſunt de facto, per iura canonicum correctæ, & abrogatæ, & quod aduerſus fornicantes intra eundem annum luctus adhuc remaneant in ſuo robore. Non eſt de ſubiecto non ſupponente.

In qua ſuppoſitione videtur abſolute prima fronte dicendum, quod per talem fornicationem commiſſam intra annum luctus etiam poſt initas ſecundas nuptias Caia amittat illa bona, quæ ex prioris mariti liberalitate fuerat conſecuta, & quod ſubeat omnes pœnas iuris comminatas contra fornicantes intra eundem annum luctus. Ratio ex eo deduci poteſt, quia de negari vtique non poteſt, quin per talem 2 Rationes ſuadentes incurrere huiuſmodi pœnas.

lem fornicationem maxima inferretur iniuria animæ prioris mariti, & filijs ex priori marito ſuſceptis, cum maximè contumelioſum ſit filijs habere matrem fornicariam, & etiam marito quantumvis defuncto vxorem degenerem propter luxuriam, & actus fornicarios. Nihil ominus

3 Probabilius nõ incurrit pœnas iuris. Reſpondeo in ea hypotheſi fornicationis poſt initas ſecundas nuptias probabilius eſſe, fæminam non ſubeſſe pœnis iuris non obſtante, quod huiuſmodi pœnæ aduerſus viduas fornicarias non fuerint per ius canonicum correctæ, vt infra latius docemus in ſequenti diſquiſitione. Ita expreſsè *Garronis, Sanchez, & Boſſius loc. cit.*, quantumvis Boſſius videatur plurimum in hoc hæſitare propter rationem mox adductam iniuriæ priori marito, & filijs eiuſdem. Ratio ex eo deduci poteſt, quià huiuſmodi pœnæ non intelliguntur præcisè illatæ ob fornicationem ſimpliciter ſumptam, cæteroqui quæcunque mulier fornicans ſubderetur eiſdem pœnis iuris, ſed propter fornicationem, quæ reſultat in contumeliam prioris mariti, & filiorum ex eodem propter initum matrimonium cum ipſo, in quo moraliter intelligitur perſeuerare vidua ante alias nuptias, ſed quando antecedenter ad fornicationem ad alias nuptias tranſiuit non cenſetur amplius moraliter perſeuerare in eodem primo matrimonio, cum ad actum incompatibilem cum illo tranſierit, quo poſito tranſitu per fornicationem potius iniuriam infert ſecundo marito, quam primo, à quo receſſit, ergo non eſt, cur debeat ſubijci illis pœnis iuris, quibus ſubijceretur, ſi ad alias nuptias non conuolaſſet.

Non perſeuerat moraliter in primo matrimonio.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ. Hinc facilè reſpondere poteris ad ea, quæ ex aduerſo pro contraria opinione afferebantur. Dic etenim ex quo iure permittente vidua illa ad ſecundas nuptias conuolauerit quoad ea, quæ iuris poſitiui ſunt, non reputari amplius prioris coniugij, & ſicuti amplius non gaudet iuribus, & prærogatiuis eiuſdem, ita nec ſubdi amplius oneribus ipſius, nec propterea illi inferre talem, ac tantam iniuriam, ratione cuius debeat ſubijci illis pœnis, ac ſi perſeueraret ſub iuribus eiuſdem.

§. XX.

An pœnæ contra viduas fornicantes intra annum luctus intelligantur per ius canonicum correctæ, ſicuti pœnæ contra ſecundo nubentes intra annum eiuſdem luctus.

SVMMARIVM.

Proponitur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens eſſe correctas etiam in fauorem fornicantium intra annum luctus. 2.
Non intelliguntur huiuſmodi pœnæ contra fornicantes correctæ. 3.
Textus in l. his ſolis C. de reuoc. donat. *valde accommodus ad præſens inſtitutum.* 4.

DISQVISITIO XX. Contracto matrimonio inter Meuium, & Seiam, eoque diſſoluto per obitum eiuſdem Meuij Seia intra annum luctus fornicata eſt. Iura canonica iuxta ſuperius dicta abſtulerunt pœnas omnes aduerſus viduas ſecundo nubentes intra annum luctus; Modo quæritur, an, ſicuti eaſdem pœnas aduerſus ſecundo nubentes abſtulerunt, ita intelligantur implicitè abſtuliſſe aduerſus viduas intra eundem annum fornicantes. 1 Proponitur factum in ſuis terminis.

2 Sententia aſſerẽs eſſe correctas etiam contra fornicãtes intra annum luctus. Corneus *in l. fideicomm. num. 4. verſ. ex prædictis C. de fideicomm.* expreſse aſſerit etiam aduerſus viduas intra annum luctus fornicantes correctas eſſe pœnas à iure ciuili impoſitas, quem non alia ratione moueri exiſtimo, niſi quià, ſicuti vidua fornicans intra annum luctus ſubditur pœnis ad normam ſecundo nubentium intra eundem annum, ita ad normam correctionis huiuſmodi iurium aduerſus eaſdem ſecundo nubentes videatur etiam ſequi correctio in ordine ad ipſam quoad pœnas aduerſus fornicantes, cum correcto eo, ad cuius normam pœnæ extenduntur, intelligatur etiam correctum id, quod ad ipſius normam impoſitum eſt. Nihilominus

3 Probabilius nõ intelliguntur correctæ. Reſpondeo, huiuſmodi pœnas in ordine ad viduas fornicantes intra annum luctus non intelligi per ius canonicum ſublatas, nec correctas. *Abbas in cap. vxoratus de conuerſ. coniug. Cardinalis cap. fin. num. 2. quæſt. penult. de ſecundis nuptijs, Albericus auth. eiſdem pœnis num. vnico C. de ſecundis nuptijs, & ibi Garronis in noua edit,*

Digitized by Google

edit. num. 4., & rubr. C. eod. tit. num. 24. pœna 12. in fin. Padilla in l. fideicommiſſum num 5., & ſeqq C de fideicomm. Surdus de aliment tit 7. quaſt. 24 num. 5. Angelus auth. de reſtitutione, & ea, quæ parit § *vnum. n. 6. Nicolaus Arelatanus l. generaliter quaſt. 5. num. 20. C de ſecundis nuptijs, Acoſta cap ſi Pater prima pars verb. legauit num. 34. de teſtam. in 6. Iulius Clarus lib 5. recept.* § *ſtuprum num. 6.* Ex Theologis *Gutierez de matrim. c 110. num. 1. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 90. num. 1. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. capit. 11. num. 366.*

Non militat ratio correctionis pro fornicantibus.

Expreſsè colligitur ex cauſa finali, qua mota ſunt iura canonica ad corrigendas has pœnas aduerſus ſecundo nubentes intra annum luctus, prout habetur *in c. fin. de ſecundis nuptijs*, quæ fuit, ne tolleretur libertas conceſſa per Apoſtolum poſt mortem primi mariti nubendi, cui velit, ſeu voluerit coniux vidua, quæ ratio correctionis non militat quoad mulierem viduam fornicantem; non enim præſumendum eſt, quod iura canonica voluerint viduis fornicarijs opitulari, cum fornicatio omni iure ſit prohibita.

4 Textus valde accomodus rei præſenti.

Fauere videtur etiam huic noſtræ reſponſioni textus iuris ciuilis *in l. his ſolis 7. C. de reuocan. donat.*, vbi ſtatuto, quid fœmina tranſiens ad ſecundas nuptias non poſſit donationem reuocare ratione ingratitudinis, ſubdit quoad alias pœnas in ordine ad viduam fornicantem. *De cæteris autem, quæ portentoſæ vilitatis abiectæque pudicitiæ ſunt, ſatis etiam tacito cautum putamus. Quis eſt enim, qui aliquid arbitretur tribuendum eſſe? cum etiam illis, quæ iure ſecundas tantum contraxerunt nuptias nihil ex his priuilegijs ſtatutum eſſe volumus.* Vbi vides textum maiorem cognoſcere cauſam huiuſmodi pœnarum in fornicante, quam cognoſcat in vidua ſecundo nubente; ex quo conſequitur, quod data etiam correctione quoad pœnas in fauorem ſecundo nubentium, non propterea ſequatur correctio quoad pœnas in fauorem fornicantium, cum à minori ad maius non fiat illatio, niſi exprimatur.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de matrimonio IV. prænotiones.

§. I.

An attento iure communi præcisè vidua tranſiens ad ſecundas nuptias exiſtentibus filijs, ſed profeſſis in Religione poſſit in vltima voluntate diſponere liberè de bonis ſuis.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſia. 1.
Procedit difficultas attento iure communi. 2.
In hac hypotheſi mater binnuba non poteſt, nec in dotem, nec alio titulo lucratiuo plus tribuere ſecundo marito, quam tradiderit eidem filia, & tenetur bona omnia, quæ à priori marito acceperat, eidem filia quantumuis Religioſa reſeruare. 3.

DISQVISITIO I. Dictum fuit in præcedentibus prænotionibus, & præcipuè *Prænot. 5. ſub hoc eodem tit. de matrimonio IV.*, quod mulier tranſiens ad ſecundas nuptias non poſſit altero coniuge præmortuo, nec in dotem, nec alio titulo tradere ſecundo coniugi, cui nubit, pluſquam dederit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus reliquit. Secundo, quod amittat proprietatem omnium bonorum, quæ à coniuge prędefuncto conſecuta eſt, & hoc diximus *ſub eadem prænot. aſſert. 2.* Hę diſpoſitiones penales inductę ſunt in fauorem filiorum prioris matrimonij, quibus propterea non exiſtentibus ceſſant, & libera remanet coniux quoad ſua bona, & quoad ea etiam, quæ conſecuta fuerit à liberalitate prioris coniugis. His ſic præſuppoſitis Caia, quæ nupſerat Seio, ab eoque plura bona conſecuta fuerat mortuo eodem Seio tranſijt ad ſecunda vota cum Sempronio remanente ex priori matrimonio vnica filia, quæ tranſijt in Religionem, in eaque profeſſa eſt. Hic orta eſt controuerſia, an ſtante profeſſione in Religione approbata filiæ ex priori matrimonio progenitæ poſſit de ſuis bonis in fauorem poſterioris coniugis pro libertate diſponere, & an etiam poſſit liberè diſponere de bonis, quæ à prioris coniugis liberalitate conſecuta fuerat. 1 Refertur ſtatus controuerſię.

Pro-

2 Procedit difficultas attento iure communi.

Procedit difficultas attento iure communi, ſecundum quod filius quantumvis tranſierit ad Religionem, in eaque profeſsus fuerit, ſi Religio fuerit capax bonorum, & hæreditatis, non redditur incapax ſuccedendi in perſona propria Patri nomine Religionis; per texium *in l. Deo nobis C. de Epiſc., & Cler.* non enim locum habere poteſt in iure municipali Mediolanenſi c. 284., vbi ſic diſponitur. *Illa perſona, qua de iure communi pro mortua ciuilitèr reputatur in ſucceſſione non admittatur ad partem, nec faciat partem, & quoad ſucceſſionem tam eius, quam alterius in omnibus, & per omnia habeatur, ac reputetur pro mortua, ac ſi naturalitèr, & verè eſſet mortua &c.* ex eo etenim, quod habeatur pro mortuo naturalitèr perindè eſt in ordine ad hunc effectum ſuccedendi, ac ſi non eſset ſuperſtes, quod tamen, an verum ſit, alibi examinauimus. Siſtendo igitur in iure communi.

3 Tenetur omnia bona, quę à priori marito acceperat titulo lucratiuo filiæ, quantumvis Religioſæ reſeruare.

Reſpondeo, in hypotheſi illa, qua ſolus filius, vel filia ſuperſtes ſit ex primo matrimonio, quæ per vota ſolemnia, ſeù per profeſsionem ſe obligauerit Religioni capaci bonorum, & hæreditatis, mater binnuba non poteſt, nec in dotem, nec alio titulo lucratiuo plus tribuere ſecundo marito, quam tradiderit eidem filiæ, & tenetur bona omnia, quæ à priori coniuge titulo lucratiuo, ſeù ex liberalitate conſecuta fuerat eidem filiæ, quantumvis Religioſæ reſeruare. In hanc reſponſionem conſentiunt quotquot ſuſtinent parentes teneri inſtituere eandem filiam, quantumvis Religioſam, & monaſterium per ipſam ab inteſtato parenti ſuccedere. Ratio ex eo deducitur, primo quià talis filia verè eſt filia, nec per profeſsionem emiſsam redditur incapax ſuccedendi in proprietate talium bonorum, quæ conſolidantur cum vſufructu defuncta matre, quæ ad ſecundas nuptias tranſierat, ergò extantibus omnibus conditionibus in eadem, quæ de iure requiruntur ad excludendam matrem à proprietate talium bonorum à priori marito liberalitèr acquiſitorum, non eſt, cur eandem non excludat, & ipſam non obliget ad nil amplius tribuendum ſecundo coniugi, ac ſibi tribuerit. Secundo ex textu *in l. Deo nobis C. de Epiſcop., & Cleric.*, vbi decernitur, quod parens teneatur inſtituere filium, quantumvis monachum profeſſum, huncque ab inteſtato eidem ſuccedere, ergò habet omnia iura, quæ habet filius, vt filius, & ſic ſi mater binnuba exiſtentibus filijs prioris matrimonij non poteſt plus tribuere ſecundo coniugi, ac tribuerit vni; & quidem minimum ex eiſdem filijs, & tenetur eiſdem reſeruare bona, quæ à priori marito ex liberali titulo acquiſierat, vtique hæc eadem præſtare tenebitur eidem filiæ ſoli ſuperſtiti, quantumvis per profeſsionem Religioni ſe obligauerit; Neque obeſse poteſt, ſi aſſeratur, quod eadem filia per profeſsionem facta fuerit incapax ſuccedendi, cum nequeat eſse proprietaria; Non, inquam, obeſse poteſt, quià, quantumvis ipſa vt ipſa ratione profeſsionis fiat incapax, non eſt tamen incapax monaſterium, quod nomine ipſius, ſeù per ipſam acquirit, & eidem immediatè ſuccedit in iure acquirendi, & ſuccedendi.

Exponitur textus in l. Deo nobis de Epiſ, & Cler.

---

§. II.

An, ſi viuente matre binnuba filia ante profeſsionem iuribus ſuis renuntiauerit in fauorem tertij teneatur mater renuntiatario reſeruare proprietatem bonorum à priori marito eidem liberalitèr relictorum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis. 1.
Rationes ſuadentes matrem binnubam non teneri reſeruare proprietatem bonorum renuntiatario filia Religioſa. 2.
Mater binnuba tenetur proprietatem illorum bonorum reſeruare renuntiatario filia. 3.
Soluuntur rationes oppoſita. 4.

DISQVISITIO II. Diſsoluto matrimonio inter Meuium, & Caiam per obitum eiuſdem Meuij, relictaque ex illo vnica filia Catherina ſcilicet, Caia conuolauit ad ſecunda vota cum Theodorico. Viuente adhuc Caia binnuba Catherina filia ad Religionem tranſiuit, ſed antequam profiteretur renuntiationem habuit omnium ſuorum iurium, tum præſentium, tum futurorum in fauorem Octauij Patrui ſui ex parte Patris. Iuxta ſuperius dicta mulier binnuba exiſtentibus filijs prioris matrimonij tenetur eiſdem reſeruare bona, quæ à priori coniuge liberalitèr accepit retento ſolummodò vſufructu ad ipſius vitam. Hic iam orta eſt difficultas, an ratione renuntiationis factæ per eandem Catherinam filiam ante profeſſionem in fauorem Octauij Patrui proprietas bonorum per Meuium liberalitèr relictorum eidem Caiæ tranſire debeat ad Octauium ceſsionarium, adeo vt eadem Caia in eius vltima voluntate non poſſit de illa diſponere, & an tunc in fauorem eiuſdem Octauij conſolidetur poſt mortem Caiæ vſusfructus cum proprietate.

1 Facti ſeries in ſuis terminis.

2 Videtur abſolutè dicendum Caiam

Digitized by Google

Rationes ſuadentes non teneri matrem binnubam proprietatem bonorum reſeruare renuntiatario filię Religioſæ.

coniugem binnubam non teneri reſeruare proprietatem bonorum illorum in fauorem Octauij renuntiatarij ipſius Catherinæ filię in Religione approbata profeſsæ tum quià Catherina iuri nondum acquiſito non potuit validè, & efficacitèr renuntiare per textum *in l. non poteſt, ff. de re iudic.*, *& l. ſi ità ſcriptum §. ſi ſub conditione, ff. de leg. 2.*, *& l. is, qui & ibi Iaſon & alij, ff. de acquir. hæred.*; nec incongrua ratione hoc dicitur, quià renuntiatio eſt quędam priuatio, quæ ſupponit habitum, qui eſse non poteſt in filia viuente adhuc matre gaudente vſufructu talium bonorum; tum quià filius viuente Patre non poteſt diſponere, nec quoad bona aduentitia, quantumvis proprietas ad ipſum filium pertineat, cum vſufructus & adminiſtratio pertineat ad Patrem per textum *in l. vlt. § filij autem familias C. de bonis, quæ lib. Iulius Clarus lib 4. ſent. verb. donatio n. 2. Vrſillus in addit. ad decif. 183. Afflict. n. 11. Ioannes Baptiſta de Barbobus tract. de filijs familias 150. nu. 20. Molina tom. 1. de iuſtit. diſp. 228.*, *& tom. 2. diſp. 261. n. 4. Leſſius de iuſt. lib. 2. c 4 num. 9. Fagundez lib. 1. de iuſt. c. 15. n. 8. Laiman lib. 3. tract. 4. c. 8. num. 3.*, ergò etiam filia viuente matre non poterit de bonis diſponere, quorum vſufructu gaudeat ipſa mater, quantumvis proprietas ſpectet ad eandem filiam; tum quià diſpoſitio iuris, qua ſtatuitur, quod mater binnuba teneatur filijs prioris matrimonij reſeruare bona, quæ à priori coniuge liberalitèr acceperat, eſt quodammodò perſonalis, vtpotè inducta in fauorem filiorum, non extraneorum, quibus non pręſumitur ius fauere in pręiudicium Matris. Nihilominus

3 Tenetur proprietatem illorũ bonorum reſeruare renuntiatario filiæ profeſſæ.

Reſpondeo, Matrem binnubam teneri proprietatem illorum bonorum reſeruare Octauio renuntiatario Catherinę filię profeſsę in Religione. Conſonat cum ijs, quæ docuimus *tom. 4. ſub tit. Contractus XI. de pignor.*, *& hypoth. Diſq. 2. § 13, num. 5. pag. 329.*, & ſuſtinent quotquot docent iuri radicato de præſenti, quamvis reſpiciat ſucceſſionem conſummatam de futuro poſse renuntiari *Franciſcus Aretinus conſ. 3. In Chriſti nomine. Conſultatio præmiſſa col. 2. verſ. ſed cum in caſu noſtro. Cardinal. Tuſcus verb. renuntiare concl. 172. num. 16.*, *& alij*. Ratio multiplex huius reſponſionis eſse poteſt. Prima eſt, quià renuntiatio facta per Catherinam filiam ante profeſſionem in fauorem Octauij patrui ſui ex parte Patris valida eſt, & in iure admiſsa, ergò non eſt, cur ſuum non debeat ſortiri effectum in fauorem eiuſdem Octauij. Antecedens probatur, quià quantumvis iuri de futuro nequeat quis renuntiare per allegata iura, fallit tamen, quandò ius illud de futuro intelligitur, & eſt radicatum de pręſenti *Signorolus conſ. 71. in princip. vbi loquitur de ſucceſſione. Franciſcus Aretin. loc. cit.*, pręcipuè, ſi ius illud de futuro habeat cauſam de pręſenti *Boerius decif. 147. num. 13. Pariſius conſil. 127. num. 26. lib. 1. Caſtrenſis conſ. 262. viſo punct. col. penult. in fin.*, *& col. fin. lib. 1. Bartolus in l. poſt emancipationem, ff. de lib. leg.*, *& in l. ſi vxor § Diuus, ff. de adult. Felin. in cap. ſi eligenti col. vlt. verſ. decimo fallit de for. compet.*

Rationes ſuadentes reſponſionem.

Quis autem ambigat, quod ius, quod habet filia etiam viuente matre in bonis, quæ eidem matri binnubæ liberalitèr obuenerunt à Patre ſit radicatum, & habeat cauſam de pręſenti? Certè hoc ius habet fundamentum in iure immediatè deferente proprietatem in filiam, hocque ius cum eadem filia naſcente oritur *l. cum ratio, ff. de bon. damn. c. ſi pater de teſtam. in 6.* Ad hæc corroboranda plurimum faciunt ea, quæ dicta ſunt à *tom 4. ſub tit. Contractus XI. de pign.*, *& hypoth. Diſq II. §. 13. n. 5.*, *& ſeqq.*, ad quę propterea vos remitto.

Secunda ratio eſse poteſt. Mater binnuba, quamuis gaudeat plenè vſufructu bonorum ſibi per priorem coniugem titulo liberali relictorum non poteſt tamen viuentibus eiſdem filijs pro libertate de illis bonis diſponere, ſed tenetur eiſdem proprietatem reſeruare per textum *in l. fœmina C. de ſecundis nuptijs*, *& in auth. de nuptijs §. hinc alia verſ., ſed quanta*, & hoc non præcisè quoad ea, quę remanent tempore mortis coniugis binnubi, ſed tempore contracti matrimonij ſecundi, ne fraus liberis primi matrimonij fiat, *Saliceтus in l. ſi conſtante in fine*, *& ibi Angelus C. de donat. ant. nuptias* ad differentiam legitimę à parentibus debitę filijs, quę non debetur niſi de bonis, quæ remanent poſt obitum eorundem parentũ, ergò filij ſuperſtites ità habent quoad illa bona ius radicatum de pręſenti, vt, cum excludant ius diſponendi in matre, poſſint ipſi de illis diſponere per renuntiationem nõ quidem ad effectum, vt renuntiatarius poſſit de illis gaudere, quandò facta eſt renuntiatio, ſed cum contigerit obitu matris, quę gaudet vſufructu illorum bonorum, ergò, ſi contigerit per illos fieri renuntiatio, vtique hęc valida erit, & efficax in fauorem renuntiatarij,

Filij excludunt ius diſponendi in matre binnuba.

Tertia ratio eſse poteſt, quià proprietas talium bonorum per priorem coniugem relictorum titulo liberali coniugi ſuperſtiti eo ipſo, quod coniux ſuperſtes tranſit ad ſecunda vota ipſo iure deuoluitur ad filios prioris matrimonij, ſicuti ad eoſdem tranſeunt cætera bona patris prædefuncti, quamvis vſusfructus talium bonorum maneat penes matrem, quæ proprietatem retinet nomine filiorum, ergò ſicuti filij, ſeù filia poſsunt renuntiare cæteris bonis paternis, quæ eiſdem obue-

Mater retinet nomine filiorũ.

Digitized by Google

obuenerunt titulo hæreditatis, vtique etiam poterunt renuntiare illi proprietati, quæ ipſo iure cum hæreditate ad eos deuenit; neque obeſſe poteſt vſusfructus, quo interim gaudeat mater, quo viuit: Non, inquam, obeſſe poteſt, quià vſuſfructus apud vnum reſidens non impedit alienationem proprietatis per dominum, quæ reſidet penes eundem, vt videre eſt in pluribus ſimilibus.

4 **Soluuntur rationes oppoſitæ.** Potior, & efficacior ratio huius noſtræ reſponſionis erit ſolutio argumentorum, quę ex aduerſo afferebantur in principio. Ad primum iam patet ex prǣactis, quid ſit reſpondendum; quandò etenim ius eſt radicatum, & habet cauſam de pręſenti, poteſt per eum, qui illo gaudet, renuntiari, vt euincunt iura, & rationes adductę. Ad ſecundum dicendum eſt, diſparem eſſe rationem inter Patrem gaudentem vſufructu, & adminiſtratione bonorum aduentitiorum filij, & inter matrem binnubam gaudentem dumtaxat vſufructu bonorum ſibi per priorem coniugem titulo liberali relictorum, quià in ordine ad Patrem quoad bona aduentitia eſt ſingularis diſpoſitio proptèr rationes aſſignatas *in d. l. vlt. §. ipſum autem filium verb. filijs autem familias C. de bonis, quæ lib.*, quæ rationes non militant in ordine ad matrem quoad ea bona ex liberalitate prioris coniugis acquiſita. Ratio igitur, quę in eo textu aſſignatur, hæc eſt. *Melius enim eſt coarctare iuueniles calores, ne cupidini dediti triſtem exitum ſentiant, qui eos poſt diſperſum expectat patrimonium, cum enim eos ſecundum leges, & naturam parentes alere compellantur, quare ad venditionem rerum ſuarum proſilire deſiderant?* quæ ratio non militat in matre tranſeunte ad ſecundas nuptias quoad illa bona liberalitèr à priori coniuge acquiſita, cum filiam alere non teneatur, ſi aliundè habeat. Ad tertium dic gratis omninò dici, ius illud non eſſe quoad illa bona tranſeribile per filium in alios; eodem enim iure ſuccedit quoad illa bona, quo ſuccedit in hæreditate paterna; ſicuti igitur bona hæreditaria poteſt transferre etiam per renuntiationem, ità non eſt, cur non poſſit transferre ius ad illa bona, quorum gaudet proprietate; nec officit, quod illa reſeruatio ſit in fauorem dumtaxat filiæ, ſeù filiorum; non officit, inquam, quià ſtare poteſt, quod ſit inducta in fauorem filiorum cum hoc, quod per eoſdem filios poſſit in alios transferri, ſicuti legitima eſt reſeruata in filiorum fauorem, nec tamen quidquam obeſt, quin poſſit per eoſdemmet filios alienari.

§. III.

An mater binnuba poſſit fraudare filiam prioris matrimonij in Religione profeſſam legitima, & an filia ante profeſſionem potuerit viuente matre eidem legitimæ renuntiare in fauorem alterius.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Legitima debetur filijs non ſolum in bonis paternis, ſed etiam maternis. 2.
Mater binnuba tenetur in ſua vltima voluntate relinquere legitimam filia, ſeu monaſterio, ſi ipſa filia nihil diſpoſuerit. 3.
Si filia ante profeſſionem renuntiauerit ſuis iuribus in fauorem tertij, tenet renuntiatio. 4.

DISQVISITIO III. Non eſt præſens controuerſia de bonis, quæ coniugi ſuperſtiti relicta fuerunt titulo liberali à coniuge prædefuncto, quandòquidem hęc quoad proprietatem deferuntur filię prioris matrimonij, vel filijs, ſi extiterint, ſed eſt controuerſia de bonis, quæ ſunt proprium patrimonium eiuſdem coniugis ſuperſtitis, & tranſeuntis ad ſecundas nuptias. Hoc ergo ſuppoſito Seia prædefuncto Meuio marito, atque ex eodem matrimonio ſola ſuperſtite Catherina filia conuolauit ad ſecundas nuptias cum Sempronio, cui detulit in dotem omnia ſua bona, quibus ſecundis nuptijs contractis Catherina filia præcedentis matrimonij tranſijt in Religionem, ſed, antequam in eadem profiteretur, diſpoſuit de omnibus ſuis bonis præcipuè maternis per renuntiationem in fauorem Octauij patrui ſui ex parte patris. Hic iam duo quæſita ſunt. Primum, an, ſi eadem Catherina non diſpoſuiſſet per renuntiationem de iuribus ſuis ad bona materna in fauorem Octauij, mater in ſua vltima voluntate poſſet fraudare eandem filiam quoad ſuam legitimam diſponendo de illa pro ſua libertate in alias perſonas, an verò teneretur legitimam relinquere filiæ, ſeù monaſterio proptèr ipſam non obſtante profeſſione emiſſa. Secundum, an, cum dicta Catherina renuntiauerit iuribus ſuis in ordine ad bona matris viuente adhuc matre illa renuntiatio teneat in fauorem renuntiatarij, adeo vt pereunte matre ius habeat idem renũtiatarius ad bona matris quoad legitimam eiuſdem filiæ. 1 **Facti ſeries exponitur.**

Pro ſolutione aduerte, legitimam de-

 beri

2 Legitima debetur filijs nō ſolum in bonis paternis, ſed etiam maternis.

beri filijs non ſolum in bonis paternis, ſed etiam maternis per textum *in l. ſi qua illuſtrius C. ad orſ. Gloſa in* §. *nomine Inſtit. ad orſ. Coaruuias de ſponſal. part.* 2. *c.* 8 §. 4. *nu.* 15., & non ſolum maſculis, ſed etiam fœminis *Merlinus de legit. lib.* 5. *tit.* 1. *q.* 6. *num.* 5. *verſ. primo, quià de iure communi.*

3 Tenetur mater relinquere legitimam filiæ, ſeu monaſterio, ſi ipſa filia ante profeſſionem nihil de ipſa diſpoſuerit.

Reſpondeo primò, ſi Catherina filia ſuperſtes prioris matrimonij non diſpoſuerit de bonis maternis, ſeu de iuribus ad bona materna Matrem binnubam teneri in ſua vltima voluntate relinquere eidem filiæ, ſeu monaſterio, in qua profeſſa eſt legitimam portionem, quæ ei contingeret, ſi non eſſet profeſſa, & ipſa non relinquente talem portionem eandem filiam, ſeù Monaſterium ſuccedere in ipſa legitima ab inteſtato. Euincitur primo ex textu *in l. Deo nobis C. de Epiſcop. & Cler.*, vbi Gloſa *in verbo hoc etiam* aſſerit, quod Pater (intellige etiam de matre) debeat filium monachum inſtituere, ſicut non monachum, & quod hic ſuccedat ab inteſtato, ſicut non monachus; rurſus *in eadem l.* §. *hoc etiam* ſubditur. *Sed neceſſe ſit eis omnimodo, cum vltimam voluntatem ſuam, ſine per ſcripturam, vel alio legitimo modo perficiunt, quartam quidem portionem ſecundum leges noſtras eis relinquere*, vbi *Gloſa in verb. quartam* aſſerit modo eſſe trientem, vel ſemiſſem, ſecundum quod ſunt plures, vel pauciores filij, vt habetur *in auth. nouiſſima C. de inoffic. teſtam.* Secundo euincitur ex ijs, quæ dicta ſunt *tom.* 4. *ſub tit. Contractus XI. de pign., & hypoth. diſq.* 11. § 13. & 14. ad quæ vos remitto.

4 Si filia ante profeſſionem renuntiauerit ſuis iuribus in fauorem tertij probabilius tenet renuntiatio.

Reſpondeo ſecundo, ſi eadem Catherina ante profeſſionem legitimè diſpoſuerit de omnibus iuribus ſuis tam paternis, quàm maternis per renuntiationem in fauorem tertiæ perſonæ, ſeu patrui ſui ex parte patris probabilius eſt renuntiationem tenere in fauorem renuntiatarij, huncque pereunte matre ſuccedere in legitima debita ex bonis matris, ſi mater in alijs bonis ſuis in fauorem aliorum diſpoſuerit, ſi verò mater per vltimam voluntatem, nec alio modo legitimo diſpoſuerit idem renuntiatarius ſuccedat in omnem ſubſtantiam maternam. Conſonat cum ijs, quæ diximus *eod. tom.* 4. *ſub tit. Contractus XI. de pign., & hypotheca Diſq. II.* §. 14. *num.* 4. *& ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi renuntiatio, ſi facta fuerit ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus, tenet quidem in ordine ad legitimam quoad illa bona materna, quandoquidem cum illud ius, quamvis ſit ſolummodò de futuro, quia tamen eſt radicatum, cum eadem filia naſcente naſcatur, & ſit iure naturali debitum *l. cum ratio ff. de bon. damn. cap. ſi pater de teſtam. in* 6 tribuit plenam facultatem renuntiandi ei, cui tale ius incumbit. Vide ea, quæ diximus *d. tom.* 4. *Diſq. II.* §. 13. *à num.* 6. *ad* 8.

---

§. VI.

An ſtante ſtatuto, quod mulier nequeat fraudare ſuos deſcendentes vtriuſque ſexus, ſed eiſdem relaxare totam ſuam hæreditatem poſſit eadem extante vna tantum filia eademque profeſſa de bonis ſuis pro libertate diſponere.

SVMMARIVM.

Refertur ratio dubitandi fundata in Statuto Nouariæ. 1.
Sententia aſſerens in illa hypotheſi poſſe Matrem libere diſponere. 2.
Dempta illa ſeptima parte, de qua poteſt diſponere ad pias cauſas non poteſt fraudare filiam, quantumvis profeſſam in Religione capaci 3.
Satisfit rationibus oppoſitis. 4.

Disqvisito IV. In Prouincia Nouarienſi cautum eſt ex iure municipali, quod mulier non poſſit iure teſtamenti, donationis cauſa mortis, nec aliquo contractu, ſiue iure fraudare ſuos deſcendentes vtriuſque ſexus ſucceſſione eius bonorum & dotis, ſed teneatur libere, & abſolutè illis dimittere, & relaxare totam ſuam hæreditatem, & omnia ſua bona ſalua ſolum facultate diſponendi de ſeptima parte ad pias cauſas cum clauſula irritante in caſu tranſgreſſionis, & vt latius ex ſtatuto, quod extat *ſub rubrica, vt mulier non poſſit fraudare filios fol.* 59. Hoc ſuppoſito Seia contraxit ſucceſſiuè duo matrimonia; & ex primo ſuſcepit vnicam filiam; ex ſecundo nullam ſuſcepit, nec vlla ſubeſt ſpes, quod ſit ſuſceptura. Filia ex primo matrimonio ingreſſa eſt Religionem, in eaque emiſit profeſſionem; quo ſtante contendebat eadem Seia per vltimam voluntatem diſponere de bonis ſuis patrimonialibus, & dotalibus pro ſua libertate in alias perſonas ab eadem filia, ſeu monaſterio, in quo illa profeſſa eſt. Quæſitum fuit, an iuſtè, & legitimè poſſit, ſeù potuerit eadem Seia de illis ſuis bonis in alias perſonas diſponere, an vero teneretur diſponere in fauorem filiæ, ſeu monaſterij dempta illa ſeptima parte, de qua ius municipale facultatem tribuit ad pias cauſas diſponendi?

1 Refertur ſtatutum Nouariæ, & ratio dubitandi in caſu particulari.

Neothericus quidam Doctor in hac facti ſerie conſulebat, quod mater poſſet de omnibus ſuis bonis pro libertate diſponere

2 **Sententia aſſerens in illa hypotheſi poſſe matrem de illis bonis libere diſponere.**

nere, ea motùs ratione, quod vis dicti ſtatuti non videatur ſe extendere ad hunc caſum, in quo proprie, & ſecundum naturalem ſenſum verborum verificari nequit ratio huius diſpoſitionis, quia in effectu dos non relaxaretur filiæ, nec bona eiuſdē vxoris, ſed monaſterio, quod ſuccederet in perſona eiuſdem filiæ. Addebat, quod ius illud municipale tanquam correctorium, & exorbitans debeat ſtrictiſſime interpretari arg. *textus in c. 1. §. ille vero de filijs presbyt. in 6. Gloſa fin. in l. beneficium ff. de conſt. Princip.*, quod præcipuè verificatur in hac hypotheſi, in qua diſpar eſt ratio, quando mater debet inſtituere filiam liberam, ac quando debet inſtituere profeſſam; nam eidem graue non eſt inſtituere filiam, in quam fertur naturali propenſione, eſt autem grauiſſimum debere inſtituere extraneum nempè monaſterium, verſus quod nulla naturali fertur propenſione. Nihilominus

3 **Non poteſt fraudare filiam quātumvis profeſſam.**

Reſpondeo, dempta illa ſeptima parte, de qua poteſt diſponere ad pias cauſas non poſſe ſtante illo ſtatuto fraudare filiam, quantumvis profeſſam in monaſterio bonorum capaci. Ratio ex eo deducitur, quià profeſſio per fœminam illam emiſſa in Religione non eximit matrem ab onere ipſam inſtituendi ſaltem in legitima attento iure communi iuxta textum *in l. Deo nobis §. hoc etiam C. de Epiſc., & Cleric.*, quinimmò ex eodem textu, ſi mater nihil diſpoſuerit, filia, quantumvis profeſſa ſuccedit in tota ſubſtantia matris, ergo nec eadem profeſſio filiæ in monaſterio capaci poterit eximere matrem ab inſtituenda eadem filia, & non fraudandi ipſam quoad totam hæreditatem dempta illa parte ſeptima, in qua eōdem iure municipali permittente poteſt diſponere ad pias cauſas. Conſequentia probatur, quià ius municipale in ijs, in quibus expreſsè non diſponit interpretari debet ad normam iuris communis, vt ſunt vulgatiſſima iura *Ioannes de Immola l. ſi verò §. de viro ff. ſol. matrimon., Alexander conſ. 107. perſpectis nu. 6. & 7. verb confirmatur lib. 5.* præcipuè, ſi in eo, in quo diſponit, diſcordet ab eodem iure communi.

4 **Satisfit rationibus oppoſitis.**

Ad rationes, quæ ex aduerſo per Neothericum illum afferebantúr, facile erit ex mox dictis reſpondere; ſtatutum enim nihil diſponit circa qualitatem filiæ profeſſæ, vel non profeſſæ, vndè hæc qualitas omiſſa reduci debet ad terminos iuris communis, ſecundum quos æque mater debet inſtituere filios, ſeù filias, ſiuè fuerint monaci, & moniales, ſiue non fuerint tales; vnde bene dicit hic doctor, quod vis huius ſtatuti ſecundum ſe non trahatur ad eandem filiam profeſſam, ſeù ad monaſterium in perſona ipſius, trahitur tamen ad eandem etiam, vt profeſſam ex vi iuris communis *in d. l. Deo nobis §. hoc etiam C. de Epiſcop., & Cleric.* cum aliter non diſponat illud ius municipale; Neque obeſſe poteſt, quod illa dos, ſeu hæreditas materna non relaxaretur filiæ, cum ipſa ratione profeſſionis ſit incapax ſucceſſionis in perſona propria, ſed monaſterio, & quod non præſumendum ſit, quod mater voluerit ex inclinatione naturali inſtituere monaſterium, quod reſpectu illius habetur pro perſona extranea, vnde eſſet graue reſpectu eiuſdem priuari poteſtate ratione monaſterij inſtituendi quemcunque voluerit, cum ad illud non habeat naturalem propenſionem; Non eſſet autem graue iſtam priuari tali poteſtate ratione filiæ, ſi illa in perſona propria poſſet ſuccedere propter naturalem propenſionem, qua in eandem filiam fertur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, cum monaſterium induat ipſo iure, ſi fuerit capax dominij, & bonorum, perſonam filiæ profeſſæ, & omnia iura eiuſdem, in nulla conſideratione à iure habetur, quod hæreditas, ſeù dos relaxetur, ſeù ſit relaxanda monaſterio, cum hoc ſuccedat in perſona eiuſdem filiæ, cæteroqui in nullis bonis monaſterium ſuccederet parentibus profeſſorum ab inteſtato, quod ſtante iure communi omnino falſum eſt, & cum ius municipale Nouarienſe quoad hoc nihil ſpecialitèr diſponat, reduci debet ad ius commune. Ad illud, quod ſubditur, facilis etiam eſt reſponſio, quià filia illa profeſſa, ſeù monaſterium in perſona ipſius non ſuccederet ex præſumpta voluntate matris, quia etiam ipſa nolente ſuccederet, ſed ex diſpoſitione iuris, quod omninò independens eſt à voluntate præſumpta eiuſdem matris.

---

§. V.

An primo matrimonio non conſummato vxor tranſiēs mortuo altero coniuge ad ſecundas nuptias teneatur reſeruare filijs antecedenter ad illud primum matrimonium ſuſceptis bona, quæ à marito prædefuncto liberalitèr accepit.

S V M M A R I V M.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Rationes ſuadentes vxorem binnubam poſſe de illis bonis libere diſponere. 2.
Vxor binnuba tenetur bona illa filijs prioris mariti quantumvis non ſuſceptis conſtante matrimonio reſeruare. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

Dis-

Digitized by Google

1 Factum in ſuis terminis. DISQVISITIO V. Diu vixerat in concubinatu Meius cum Caia, ex qua fornicariè progenuit nonnullos filios, & filias; poſteà tacti dolore cordis intrinſecus reſcipiſcentes ab illo inordinato concubitu per verba de præſenti ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus contraxerunt ad inuicem matrimonium, quòd non conſummarunt. Prædecedente deinde Meuio, qui bona plurima titulo liberali Caiæ contulerat, eadem Caia ad ſecundas nuptias conuolauit cum Federico. Quæſitum hic fuit, an eadem Caia teneretur bona, quæ à Meuio liberaliter acceperat, reſeruare filijs habitis antecedenter, ac matrimonium contraheret cum ipſo Meuio, an vero de illis poſſet pro libertate diſponere, cum illi filij non dicantur filij prioris matrimonij, quandòquidem fuerunt habiti, antequam illud contraheretur.

2 Rationes ſuadentes poſſe vxorem binnubam de illis bonis pro libertate diſponere. Videtur abſolutè dicendum non teneri reſeruare, ſed poſſe pro libertate diſponere de illis bonis, quandòquidem textus *in l. feminæ C. de ſecundis nuptijs* diſponens, quod vxor binnuba teneatur reſeruare filijs bona, quæ à priori coniuge titulo liberali, & lucratiuo ſuſceperat, loquitur expreſsè de filijs prioris matrimonij. Ibi: *Fæminæ, quæ ſuſceptis ex priori matrimonio filijs*; vnde non eſt trahendus ad filios, qui non fuerunt ſuſcepti conſtante eodem matrimonio primo, cuiuſmodi ſunt illi, de quibus loquimur in præſenti, præcipuè cum huiuſmodi textus ſit pœnalis, qui propterea rigoroſè ſumendus eſt, nec extendendus vltrà quod verba, quibus conceptus eſt, formaliter ſonant. Nihilominus

3 Vxor binnuba tenetur bona illa filijs prioris mariti reſeruare. Reſpondeo, adhuc Caiam in ea hypotheſi teneri reſeruare filijs prioris mariti, quantumvis ſuſceptis non conſtante adhuc matrimonio bona illa, quæ à Meuio priori marito liberaliter conſecuta fuerat *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. n. 392.* Ratio ex eo deducitur, quià filij licet ex fornicario concubitu progeniti per ſubſequens matrimonium inter parentes ipſorum, legitimantur, ac ita habentur, ac ſi fuerint habiti ex eodem matrimonio, quià ſubſequens matrimonium omnia antecedentia purgat per ea, quæ pluribus allegatis aſſerit *Laiman tract. 10. part. 3. c. 5. nu. 2., & alij communiter*, vnde merito *Paulus de Caſtro in l. generaliter §. cum autem C. de inſtit., & ſubſtit.* docet nomine filiorum legitimorum venire legitimatos per ſubſequens matrimonium, quià hæc legitimatio fingit retro, quia naturam imitatur *Baldus in l. in teſtamento q. 9. C de teſtam mil.*, & ſic legitimatus conſequitur feudum Patri, eiuſque filijs legitimis à Principe conceſſum *Baldus, & Andreas Iſer in §. naturales, ſi de feud. fuer. controu. inter Dominum, & agnat. Abbas in cap. innotuit col. penult. de elect. & in cap. tanta col. 2. qui filij ſint legit. Iaſon conſ. 168. n. 6. vol. 4.*, ergo non eſt, cur per matrem binnubam non ſit illis reſeruanda illa bonorum proprietas, præcipuè cum ſic legitimati dicantur vere legitimi, & comprehendantur in diſpoſitione loquente de filijs legitimè natis *Caſtrenſis conſ. 180. nu. 5. lib. 1.*, quod adeo verum eſt, vt ſic legitimati efficiantur ſui, ſiue ante natiuitatem eorum alij legitimi ſuperſint, ſiue ſuperueniant, & poſt naſcantur *Angelus de Peruſio c. 7. Comes Brandiſius num. 5. verſ. primus modus, & plenius conſ. 20. Simon. de Quarara*, vbi quod lex allicit homines, vt concubinam in vxorem ducant, vt filij legitimi fiant, & hoc tam de iure ciuili, quàm canonico approbatur.

Reſtat modo ad aduerſantia reſpondere, & quidem facile ex doctrina *Caſtrenſis d. conſ. 180. nu. 5. lib. 1.* obiectum eluditur, quandòquidem legitimatio per ſubſequens matrimonium ita operatur, vt talis legitimatus dicatur verè legitimus, & comprehendatur in diſpoſitione loquente de filijs legitimis, nec ille textus poteſt dici abſolutè pœnalis, cum ſit fauorabilis filijs: Neque in hoc audiendus eſt *Ludouicus de Surdis de natur. liber. in quarta particula de legitim. effectu in 3. quæſt. cui adhærent Berous conſ. 168. num. 8. lib. 2. Alexander conſ. 5. attentis narratis per tot. lib. 7.* dum aſſerit, quod legitimatio per ſubſequens matrimonium non faciat, quod taliter legitimatus dicatur natus legitimus, neque ex legitimo matrimonio, quia qualitas iuncta verbo, vel participio intelligitur ſecundum tempus verbi, vel participij, ideo non caperet ea, quæ diſponuntur ſolum in fauorem legitimè natorum, & ex legitimo matrimonio; hic autem diſpoſitio loquitur tantum de legitimè natis, & ex legitimo matrimonio: Non, inquam, audiendus eſt, quia, vt bene notat *Apoſtilla ad Alexandrum d. conſ. 5. lib. 7. in verbo contrariam* DD. ſic loquentes nituntur in ſolo rigore verborum contra mentem diſponentis, qui voluit ſolummodò tollere legitimationes inſolitas cum clauſulis inordinatis, non autem diſpoſitionem iuris communis, ſecundum quam legitimatus per conſequens matrimonium habetur pro legitimo. 4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

§. VI.

§. VI.

An, ſi maritus in ſuo teſtamento aliquid vxori reliquerit data etiam licentia tranſeundi ad ſecundas nuptias, hæc amittat relictum, aliaſque pœnas iuris ſubeat, ſi ſecundo nubat intra annum luctus.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis. 1.
Ceſſant pœnæ ſecundo nubentium, quando coniux ſuperſtes ſecundo nubit ex facultate coniugis prædefuncti. 2.
Sententia aſſerens incurrere pœnas nubentium, ſiue intra annum luctus, ſiue extra. 3.
Contraria ſententia exponitur. 4.
Probabilius ſtante tali facultate euitat omnes pœnas. 5.
Satisfit rationibus oppoſitis. 6.

1 Factum in ſuis terminis.

DISQVISITIO VI. Titius coniux Caiæ in proximo mortis periculo conſtitutus condito ſuo vltimo teſtamento aliquid liberaliter conceſſit eidem Caiæ vxori ſuæ data eidem facultate tranſeundi ad ſecundas nuptias, & deinde occubuit. Caia prædefuncto eodem Titio marito ſuo non expectato anno luctus ad ſecunda vota tranſijt cum Sempronio. Hic quæſitum fuit, an ob feſtinatum illum tranſitum Caiæ ad ſecundas nuptias amiſerit legatum ipſi relictum in ſuo vltimo teſtamento à Titio, & an ſubierit alias pœnas contra ſecundo nubentes non ſolum intra annum luctus, ſed etiam eodem elapſo, non obſtante facultate habita à priori marito ſecundo nubendi.

2 Ceſſát pœnæ ſecundo nubentiũ, quando coniux ſuperſtes ſecundo nubit ex facultate coniugis prædefuncti.

Pro notitia ſuppono, tanquam certam doctrinam alibi traditam ceſſare pœnas ſecundo nubentium, quandò coniux ſuperſtes ſecundo nubit ex facultate expreſſa coniugis prædefuncti, vt late probat *Baldus in l. filium quem habentem num.8. C. famil. Erciſc. & in l.1. ſub n.6. C. de ſecundis nuptijs Rolandus à Valle conſ. 62. nu. 28., & conſ 91. nu.20., Carpanus ad Statut. Mediolani c.3. nu.23., Andreas Gail. pract. obſer. lib.2. obſeru.98. nu.18., Gutierez de matrim. c.109. num.56., Marta de ſucceſ. part. 2. q. 2. art.1. nu.6., Borellus tom.3. tit 2. n.60., Sanchez lib.7. diſp.89. n.49*, & nos etiam late docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon IV. prænot.5. ſub aſſert. vlt verſ. diſputans 4.*, vbi etiam reſpondimus ad ea, quæ ex aduerſo poſſunt obijci. Difficultas ſolummodò in præſenti eſt, an, ſi vxor habita facultate à priori marito ſecundo nubendi tranſierit ad ſecundas nuptias feſtinanter, hoc eſt intra annum luctus non ſolum amittat id, quod ipſi relictum eſt in teſtamento per priorem maritum, ſed etiam ſubijciatur alijs iuris pœnis aduerſus ſecundo nubentes.

3 Sententia Baldi vxorem nubẽtem intra annum luctus non obſtãte tali licentia incurrere omnes pœnas contra nubentes intra annũ luctus, & eo elapſo.

Baldus *in l.1. C. de ſecundis nuptijs, & conſ. 288. lib. 3. Angelus conſ. 306. Simon de Praris conſ.117. n.30.* ſuſtinent non obſtante illa licentia prioris coniugis Caiam ſecundo nubentem intra annum luctus amittere illud relictum in teſtamento, & ſubire alias pœnas iuris aduerſus ſecundo nubentes tam intra annum luctus, quàm eodem elapſo. Rationem ex eo deducunt, quia licet per ſecundas nuptias præcisè habita facultate à priori coniuge nulla eidem inferatur iniuria, quià hæc ſcienti, & conſentienti non infertur, infertur tamen per eaſdem ſecundas nuptias feſtinanter initas hoc eſt intra annum luctus, quià concedens præſumitur concedere ad tempus, pro quo ſine dedecore conſueuerunt vxores ſecundo nubere, non cum illa feſtinatione, quæ neglectum præfert prioris mariti, & auerſionem ab eodem, quinimmò quoad relicta in vltimo teſtamento eſt efficax præſumptio, quod ea non contuliſſet, ſi cognouiſſet tranſitum ita feſtinatum.

4 Contraria ſententia exponitur.

Contrarium expreſsè ſentiunt *Sanchez de matrimon. lib.7. diſp 89. nu.50. Paulus in l. filium quem nu 3. in princip. C. fam. Erciſ. Decius rub. C de ſecundis nuptijs nu. 8. Ripa l. fœmina in princip. q.13 n 27 in noua edit. C. eod tit. Garronis C. de ſecundis nuptijs in noua edit. l.1. num. 81., & ſeqq.* Mouentur potiſſimum ea ratione, quia ſecundo nubere ſecundum ſe non eſt delictum, ſed in tantum eſt delictum, in quantum eſt cum feſtinatione, quod vtique ceſſat ſtante licentia primi mariti ad ſecundo nubendum. Deindè aſſerunt, quod tota ratio, ob quam ſubeſſe deberet vxor ſic feſtinanter tranſiens ad ſecunda vota, eſſet propter delictum illius feſtinationis, ſed omnes pœnæ propter delictum feſtinationis modo ſublatæ ſunt per ius canonicum, adeòque &c. Quid ergo concludendum?

5 Probabilius ſtante tali facultate euitat omnes pœnas.

Reſpondeo, probabilius eſſe, quòd ſtante tali facultate vxor binnuba etiam intra annum luctus eximatur à pœnis iuris, adeòque, quod acquirat relictum in teſtamento, & non teneatur reſeruare filijs prioris matrimonij ea, quæ liberaliter à primo marito antecedenter acceperat. Ità DD. omnes prææallegati pro ſecunda ſententia, à quibus non videtur diſſentiri *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.11. nu.372. Boerius deciſ 185. n.27. Gutierez l. nemo poteſt num.17. ff. de legat.1., Perez lib.5. ordin. t.1. l. fin. ad fin.* Moueor potiſ-

Digitized by Google

tiſſimum ea ratione, quia poſita licentia prioris coniugis tranſeundi ad ſecundas nuptias vxor binnuba per ſuperius allegata evitat omnes pœnas, & diſpoſitiones contra ſecundo nubentes, vnde in hac hypotheſi tota ratio, cur non evitaret, eſſet, quia nuberet ſine licentia, cum non præſumatur primus coniux conceſſiſſe facultatem ad ita feſtinanter nubendum, hoc eſt intra annum luctus; ſed hæc ratio nihil penitus evincit, quia, ex quo facultatem dedit ſecundo nubendi, ſupponitur ſe conformaſſe diſpoſitioni iuris prævalentis, quod eſt ius canonicum, ſecundum quod permittuntur ſecunda connubia etiam intra annum luctus, & quidquid aliter eſt diſpoſitum in iure civili, irritatum ſupponitur.

6 Satisfit rationibus oppoſitis.

Ex quibus habes, quid reſpondeas ad ea, quæ ex adverſo opponuntur. Dic etenim, quod quamvis illa feſtinatio ad ſecundas nuptias intra annum luctus ſecundum ſe referat maiorem quandam iniuriam, & auerſionem à priori coniuge prædefuncto, ſtante tamen facultate à priori coniuge habita ceſſet hæc iniuria, quia prior coniux per talem facultatem ſupponitur ſe conformaſſe diſpoſitioni iuris.

§. VII.

An mater binnuba, quæ de licentia prioris coniugis tranſijt ad ſecunda vota teneatur reſeruare filijs prioris matrimonij ea, quæ ex legis decreto, vel ex ſucceſſione filij alterius coniugis prædefuncti adepta eſt.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus quæſtionis. 1.
Sententia aſſerens non teneri reſeruare cum ſuis rationibus. 2.
Si fuerint bona per teſtamentum à filio relicta matri, non tenetur hæc filijs prioris matrimonij ea reſeruare. 3.
Etiam ſi filius reliquerit matri, vel per modum legati, vel fideicommiſſi. 4.
Etiam ſi filius, qui inſtituit, prædeceſſerit ante ſecundas nuptias matris. 5.
Si mater ſucceſſerit filio ab inteſtato in ijs, quæ ipſe filius habuit à Patre, tenetur ea reſeruare filijs prioris matrimonij. 6.
Si mater ſucceſſit filio ex præſcripto legis non tenetur ea reſeruare. 7.

DISQVISITIO VII. Dictum eſt in præcedentibus, quod vxor vidua tranſiens ad ſecunda vota cum facultate à priori coniuge prædefuncto acquirat pleno iure omnia, quæ ex ipſius liberalitate conſecuta fuerat, adeò vt non teneatur illa filijs prioris matrimonij reſeruare. Modo ſuppono, quod eadem vxor, vel ex legis decreto, vel ex ſucceſſione filij alterius coniugis prædefuncti fuerit aſſecuta. Quæritur iam, an ratione talis facultatis habitæ à priori marito eximatur ab onere hæc etiam reſeruandi filijs prioris matrimonij, an vero illa etiam teneatur reſeruare, niſi facultatem etiam habuerit tranſeundi ad ſecundas nuptias à filijs eiuſdem primi matrimonij.

1 Status quæſtionis expoſitus.

2 Sententia aſſerẽs nõ teneri reſeruare cũ ſuis rationibus.

Communius docent non teneri vxorem habita facultate ſecundo nubendi à priori coniuge reſeruare filijs prioris matrimonij ea, quæ vel ex legis decreto, vel ex ſucceſſione filij conſecuta eſt. Rationem ex eo deſumunt, quia omnes DD. loquentes de exemptione ab huiuſmodi diſpoſitionibus pœnalibus ratione facultatis habitæ à priori marito loquuntur generatim, & indiſcriminatim, qui propterea intelligendi ſunt ſine vlla reſtrictione.

Nonnullæ diſtinctiones ipſæ ad diſſolutionẽ quæſiti.

Vt clarius hac in re procedamus plura diſtinguenda ſunt, & primo videndum eſt, an ea, in quibus vxor binnuba ſucceſſit in filij prędefuncti bonis fuerint eidem à filio prædefuncto per vltimum teſtamentum relicta, quatenus eadem fuerint ab ipſomet filio à Patre acquiſita. Secundo, an eidem matri binnubæ fuerint delata ex bonis filij ab inteſtato. Tertio, quatenus fuerint eidem delata ex legis diſpoſitione, vel alijs modis.

3 Si bona fuerint per teſtamentũ à filio relicta matri, quãvis ſint bona paterna, nõ tenetur mater binnuba ea reſeruare filijs prioris matrimonij.

Reſpondeo primo, ſi bona fuerint per teſtamentum relicta à filio matri, quamvis filius teſtator habuerit à Patre in ſucceſſione cum reliquis filijs, mater binnuba non tenetur eadem reſeruare filijs prioris matrimonij, ſed poteſt pro libertate diſponere *Garronis auth. ex teſtamento in noua edit. num. 11., & ſeqq C. de ſecundis nuptijs, Antonius Gabriel 3 tom commun. opin lib 3 tit. de ſecundis nuptijs concl 3. n. 20. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp.* 89. *n.* 41. Ratio ex eo deducitur, quia mater ſic inſtituta à filio in ſuo vltimo teſtamento capit illa bona inſtar cuiuſcunque extranei hæredis inſtituti per textum *in d. auth ex teſtamento C. de ſecundis nuptijs*, ergo, ſicuti extraneus ſuccedit plene in proprietate, & vſufructu bonorum ſibi per teſtamentum relictorum, ita & parens binnuba inſtituta à proprio filio; Neque illi matri binnubæ obeſſe poſſunt ſecundæ nuptiæ, quatenus hæ, ſicuti impediunt plenam ſucceſſionem quoad bona relicta a Patre, ſeù marito prædefuncto, ità etiam impediant ſucceſſionem plenam quoad bona relicta à filio prædefuncto; ſicuti enim per illum tranſitum ad ſecundas nuptias irrogatur quo-

Digitized by Google

quodammodo iniuria parenti, ſeu marito prædefuncto, ita per eundem irrogetur iniuria filio, à quo mater illa bona conſecuta eſt; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia, cum textus conſideret bona à filio relicta matri, tanquam bona eidem relicta ab extraneo, vel tanquam ſi eſſet extranea inſtituta, nullo modo reſpicit ſecundas nuptias; non etenim hæc diſpoſitio innititur remiſſioni filij, ſed innititur ſucceſſioni parentis inſtar cuiuſcunque extranei.

4 Etiam ſi filius reliquerit matri, vel per modũ legati, vel fideicommiſſi.

Amplia primò hanc reſponſionem, vt procedat, quantumvis filius ea bona reliquerit matri, vel per modum legati, vel fideicommiſſi, prout habetur *in d. auth. ex teſtamento § hic nos verſ. ſi igitur*, vbi ſic legitur *Ita & matri relinquens, ſiue inſtitutionem, ſiue legatum*. Secundo etiam ſi reliquerit per codicillum, ſiue donatione cauſa mortis *Antonius Gabriel tom. 3. commun opin. lib. 3. tit de ſecundis nuptijs concl. 3. nu. 10. Antonius Gomez lib. 15., Tauri nu. 1. Matienzo lib. 5. recopil. tit 1. l. 3. gloſ. 2. n. 15.*, quia in his omnibus verificatur, quod mater ſuccedat ad inſtar extranei.

5 Etiam ſi idẽ filius, qui inſtituit præcedeſſerit ante ſecũdas nuptias matris

Hic ſolum remanet difficultas, an ea, quæ dicta ſunt in hac reſponſione, procedant tantum, quando filius, qui matrem inſtituit, inſtituit, & prædeceſſit poſt tranſitum eiuſdem matris ad ſecundas nuptias, an vero etiam, quando inſtituit, & prædeceſſit ante eaſdem. Baldus *in l. mater num. 4. C. ad Senatu conſul. Tertul.* aſſerit tantum procedere, quandò inſtituit, & prædeceſſit poſt tranſitum matris ad ſecundas nuptias, nam quando inſtituit, & prædeceſſit ante tales nuptias non præſumitur relicturus, ſi præuidiſſet eaſdem futuras, quinimmò, cum tunc quando inſtituit, & prædeceſſit, nondum fuerit illata iniuria, ea non ſupponitur remiſſa. Nihilominus propter rationes mox adductas tenendum eſt, ea procedere, quantumvis filius, qui inſtituit, prædeceſſerit ante ſecundas matris inſtitutæ nuptias, quandòquidem textus deobligans matrem à reſervatione illorum bonorum alijs filijs prioris matrimonij, ipſamque conſtituens abſolute dominam non innititur remiſſioni filij inſtituentis, ſed ſucceſſioni quaſi perſonæ extraneæ.

6 Si mater ſucceſſerit filio ab inteſtato tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij.

Reſpondeo ſecundo, ſi mater ſucceſſerit ab inteſtato filio prioris matrimonij in ijs, quæ ipſe filius habuit à Patre prædefuncto, tenetur, ſi tranſeat ad ſecunda vota, illa reſeruare filijs prioris matrimonij. Expreſsè probata fuit hæc reſponſio *ſub hoc eod. tit Contractus XV. de matrimon. IV. Pranot. 5. ſub aſſert. 2. verſ. ſecundum eſt, an coniux binnubus* per iura, & DD. ibi allegatos, ad quæ vos remitto ne iam cantata recitem. Si autem inquiras, cur teneatur reſeruare ea, in quibus ſucceſſit ab inteſtato filio, non autem quoad ea, in quibus ſucceſſit ex teſtamento; facile dignoſces diſcrimen, quia in ſucceſſione ex teſtamento ſuccedit perinde, ac ſi eſſet perſona extranea inſtituta, quod non militat, quando ſuccedit ab inteſtato.

Reſpondeo tertio, ſi mater ſucceſſerit filio ex præſcripto legis, & tranſierit ad ſecunda vota habita facultate à priori marito probabilius eſt etiam non teneri eadẽ bona, quæ ex ſucceſſione filij acquiſiuit, reſeruare filijs prioris matrimonij, quantumvis ab eiſdem facultatem non habuerit ſecundo nubendi. Expreſsè colligitur *ex auth. de nuptijs n. 35. §. ſed hoc quidem de his in fin* vbi ſic legitur. *Quod enim ex lege datum eſt lucrum priuatus auferre modis omnibus non valebit*; non enim requiritur aliorum filiorum conſenſus, vbi lex plene diſponit ſine vlla reſtrictione. Intelligẽ tamen ſemper exiſtente conſenſu prioris coniugis; non enim agitur de præiuditio filiorum, ſed quaſi de bonis paternis, quibus ceſſit ipſe pater conſentiens. 7

7 Si mater ſucceſſit filio ex præſcripto legis habita facultate à priori marito nõ tenetur reſeruare.

---

§. VIII.

An vxor per tranſitum ad ſecundas nuptias amittat proprietatem ſecundæ partis augmenti dotis, quam elegit ex vi ſtatuti tribuentis eidem, vel vſumfructum totius augmenti, vel dimidium proprietatis eiuſdem.

SVMMARIVM.

Status controuerſia expoſitus. 1.
Rationes ſuadentes teneri medietatem augmenti reſeruare filijs. 2.
Probabilius non tenetur illam medietatem augmenti reſeruare. 3.
Soluuntur rationes oppoſita.

1 Status cõtrouerſiæ expoſitus

DISQVISITIO VIII. Suppono in primis, quod iure, vel conſuetudine cautum ſit, quod etiam poſt obitum mariti vxor ſuperſtes retineat, quoad vſque vixerit, augmentum dotis ſibi factum per priorem maritum. Suppono ſecundo, quod alicubi, vel conſuetudine vigeat, vel ſtatuto cautum ſit, quod mulier ſuperſtes habeat poteſtatem ſibi eligendi, vel vſumfructum plenum prædicti augmenti, vel medietatem eiuſdem augmenti etiam quod proprietatem relicto in cæteris ipſo augmento. His ſuppoſitis Caia vxor Titij prædefuncti, quæ ab eodẽ augmentum acceperat omiſſo plene vſufructu prædicti augmenti ſibi elegit medietatem eiuſdem ex vi ſtatuti, vel conſuetudinis ſibi hanc facultatem tribuentis

Digitized by Google

tis; & ſucceſſiuè tranſijt ad ſecundas nuptias cum Theodorico. Hic orta eſt controuerſia, an per tranſitum ad illas ſecundas nuptias amiſerit illam proprietatem dimidiæ partis augmenti, quam elegerat ex vi illius conſuetudinis, vel ſtatuti.

Gaillus *obſeruat. for. lib. 2. obſeruat.* 98. *num* 6. aſſerit diſpoſitiones pœnales præcipuè *in d. l. fœmina C. de ſecundis nuptijs* procedere in omni lucro à priori coniuge proueniente, ſiuè illud proueniat, vel ex conſuetudine, vel ex ſtatuto, vel ex conceſſione eiuſdem coniugis prædefuncti, quod etiam innuiſſe videtur *Coaruuias de ſponſ. part. 2. c. 3. §. 9. num. 8.* ex quibus clarè deducitur, quod, quantumvis medietatem illius augmenti quoad proprietatem vxor ſuperſtes acquiſierit, illam amittat per tranſitum ad ſecunda vota. Accedit id, quod aſſerit *Gutierez de matrimon. c. 109. num. 38 verſ. Ego hanc ſententiam in fin.* nempè, quod, ſi ex ſtatuto, vel conſuetudine permiſſum ſit vxori ſuperſtiti, vel retinere arrhas, vel ſponſalitiam largitatem, hæcque relictis arrhis eligerit ſponſalitiam largitatem, teneatur ipſam filijs prioris matrimonij reſeruare, ſicuti ſi elegerit arrhas omiſſa ſponſalitia largitate teneretur eaſdem ipſis reſeruare, quia, quidquid ex facultatibus prioris coniugij ſponſalium iure, quidquid etiam nuptiarum ſolemnitate percepit ſic diſponente iure *in d. l. fœmina C. de ſecundis nuptijs* tenetur quoad proprietatem filijs eiuſdem coniugij conferre, prout etiam habetur *in auth de donatione eod. tit. lib. 3. for Antonius Gomez in l. 15. Tauri n. 5., & Matienzo lib. 3. gloſ. 1. nu. 4. tit. 1. lib 5. nouæ collectionis.* Nihilominus

2 Rationes ſuadentes teneri medietatem augmenti reſeruare filijs.

Reſpondeo, probabilius in data hypotheſi non teneri reſeruare illam medietatem filijs prioris matrimonij, ſed poſſe de illa pro libertate diſponere. Ita nonnulli ſuppreſſo nomine apud *Ioannem Angelum Boſſium de matrimon. contract. c. 11. nu. 334.* Rationem potiſſimum ex eo deſumo, quià ad retinendum, & gaudendum vſufructu talium bonorum, quæ conſecuta eſt titulò augmenti dotis habet plenum ius, & quantumvis tranſeat ad ſecunda vota, non impeditur ab illo retinendo, ergò ſtante conſuetudine, vel ſtatuto, quod poſſit, vel vſumfructum retinere illorum bonorum, quæ habet titulo augmenti dotis, vel medietatem proprietatis eorundem dimiſſo in reliquis vſufructu eligere, ſi illam medietatem eligerit poterit retinere, de eaque pro libertate diſponere, quantumvis tranſierit ad ſecunda vota. Conſequentia probatur, quià in primis illam medietatem non acquiſiuit præcisè titulo lucratiuo, ſed titulo oneroſo per commutationem ſcilicet illius vſusfructus totalis, ad quem plenum ius habebat cum illa medietate bonorum. Deindè denegari non poteſt, quin ſtante illa conſuetudine, ſeù ſtatuto per illam electionem medietatis proprietatis facta fuerit proprietaria, illamque habeat iure proprio, ſicuti haberet vſumfructum, ſi illum elegiſſet, illamque proprietatem habet alio titulo à liberalitate, cum habeat titulo commutationis, & licet vſusfructus, cum quo commutatur illa proprietas, ſit etiam titulo liberalitatis, quià tamen ille ſuppoſita collatione integro iure debetur, poteſt commutari, & ſic cum commutatio fieret per deſertionem vſusfructus fiet titulo oneroſo.

3 Probabil. non tenetur illam medietatē augmenti reſeruare.

Non acquirit titulo lucratiuo.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt iuxtà mox dicta, quod ea, quæ proueniunt à priori coniuge vxori ſuperſtiti titulo lucratiuo, ſiuè proueniant ex conſuetudine, vel ſtatuto, vel donatione amittantur per tranſitum ad ſecunda vota, non ſic ea, quæ proueniunt titulo oneroſo ſtatuto, vel conſuetudine permittente illum titulum oneroſum. Ad illud, quod ſubditur ex *Gutierez loc. cit.* dicendum eſt, diſparem omninò eſſe rationem, quandòquidem, tàm ſponſalitia largitas, quàm arrhæ ex diſpoſitione iuris ammittuntur per tranſitum ad ſecundas nuptias, vnde quodcunque vxor elegerit, cadit ſub diſpoſitione iuris vetantis acquiri per vxorem binnubam quoad proprietatem; vndè non fit commutatio per electionem illam alterius partis alicuius, quod debeatur etiam ſtante tranſitu ad ſecundas nuptias, vndè non fit commutatio cum amiſſione, cum neutrum debeatur; in noſtra autem hypotheſi facta fuit commutatio cum aliquo debito etiam ſtante illo tranſitu ad ſecundas nuptias, adeoque &c.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

§. IX.

An in ſuppoſitione, quod illam medietatem proprietatis per tranſitum ad ſecundas nuptias amitteret vxor, eandem etiam amitteret, ſi filij conceſſiſſent, vt liberè haberet, & de illa diſponeret.

SVMMARIVM.

Caſus particularis expoſitus. 1.
Sententia Theſauri aſſerentis non obſtante illa facultate amittere. 2.
Stante illa conceſſione facta per filios matri eadem mater non priuatur proprietate illius augmenti per tranſitum ad ſecundas nuptias. 3.
Soluuntur rationes oppoſita. 4.

DISQVI-

1 Factum in caſu particulari.

DISQVISITIO IX. Supponamus aduerſus ea, quæ diximus in præcedenti diſquiſitione, quod vxor tranſiens ad ſecundas nuptias medietatem illam proprietatis, quam ex diſpoſitione iuris municipalis, vel conſuetudinarij elegerat pro vſufructu, amitteret, & deindè etiam vlterius ſupponamus, quod filij prioris matrimonij illius augmenti proprietatem conceſſerint matri ea conditione, ſeù clauſula, vt liberè haberet, & de illa faceret, quidquid vellet. Hic iam quærimus, an vxor illa per tranſitum ad ſecundas nuptias illam amitteret.

2 Sententia Theſauri aſſerentis non obſtante illa facultate amittere augmentū.

Theſaurus *qq. forenſ. lib. 1. q. 36. num 6, & 7.*, qui ità in facti contingentia aſſerit Iudicaſſe Senatum Pedamontanum, docet vxorem binnubam non obſtante conceſſione illius augmenti facta eidem à filijs priuari proprietate illius augmenti, & pro hac ſua opinione allegat *Rolandum à Valle conſ. 95. num. 34., & ſeqq. lib. 1., & alios*. Rationem potiſſimum ex eo adducunt, quià illa conceſſio augmenti facta per filios non habet rationem remiſſionis, per quàm reſtauraturid, quod vxor ſua culpa tranſiens ad ſecunda vota amiſit, ſed rationem conditionatæ donationis, & quidem relatiuè ad diſpoſitionem iuris, ſi ſcilicet aliquid non commiſerit, per quod ex diſpoſitione iuris rem ſibi conceſsam amittat, ad quam iuris diſpoſitionem referenda eſt etiam illa particula *liberè* poſita in illa conceſſione *arg. textus in leg. ſi quando C. de inoffic. teſt.*, ius autem diſponit, quod per tranſitum ad ſecundas nuptias amittatur quodcunque liberalitèr acquiſitum à priori coniuge. Nihilominus

3 Stante illa conceſſione mater non priuatur illa medietate proprietatis.

Reſpondeo, ſtante illa conceſſione facta per filios matri per tranſitum ad ſecundas nuptias eandem matrem non priuari proprietate illius augmenti *Baldus in auth. ex teſtamento C. de ſecundis nuptijs*. Ratio ex eo deducitur primo, quià illa conceſſio augmenti facta per filios mortuo Patre matri habet vim donationis, & quaſi inſtitutionis eiuſdem matris in illo augmento, præcipuè cum facta ſit cum pleno iure liberè diſponendi, & alienandi quomodocunque voluerit, ſed in ijs, in quibus mater inſtituta eſt à filijs per expreſsam eorum voluntatem plenè ſuccedit, nec per tranſitum ad ſecundas nuptias illa amitti per ea, quæ ſuprà commemorauimus, quinimmò etiam in ijs, in quibus eſt donataria *Antonius Gomez l. 15. Tauri nu. 1. Matienzo lib. 5. recopilat. tit. 1. leg. 2. gloſ. 2. num. 15.*, ergò &c., non enim video, cur ſi relictis per filios in vltima voluntate non priuetur per tranſitum ad ſecundas nuptias, eiſdem ſit priuanda, ſi relicta fuerint in vita per expreſsam ipſorum conceſſionem, ſeù donationem; ſecundo, quià eadem ampla conceſſio facta per liberos matri debet aliquid operari in quocunque ſtatu ſupra id, quod iura diſponunt, cùm ſit conceſſio illimitata, & abſoluta ſine vlla penitus reſtrictione, quæ non alligatur conditioni, nec ſtatui, nec tempori, quinimmò illa bona eximit à diſpoſitione iuris, cum iura reſpiciant tantum indemnitatem filiorum prioris matrimonij, cui poſsunt ipſi filij cedere, & renuntiare, ergò etiam in ſtatu tranſitus ad ſecundas nuptias conſtituit eandem matrem Dominam, & proprietariam, non ſolum vſufructuariam, cum talis conſtituatur etiam à iure. Tertiò, quià per ſuperius dicta per obitum prioris coniugis proprietas illius augmenti ipſo iure deuoluitur ad filios, ſicuti ad eoſdem deuoluuntur omnia bona, quæ coniugi ſuperſtiti prouenerunt à liberalitate eiuſdem Prioris coniugis prædefuncti, ergò, cum ipſi filij eandem per ſuam liberam conceſſionem tranſtulerint in matrem ſuperſtitem, & vtique ſine aliqua reſtrictione, abſolutè tranſtuliſſe cenſendi ſunt cum pleno dominio. Demus iam, quod eadem mater ſuperſtes facta ſibi illa conceſſione augmentum illud alienauerit, & poſteà decurſu temporis tranſierit ad ſecunda vota, & poſteà quæro, an filij poſſint reuocare? quo iure? Nonne abſolutè illis bonis ceſſerunt? Dicere deindè, quod ceſſerint ſub tacita conditione *ſi non tranſierit ad ſecundas nuptias, non aliter, nec alio modo*, quinimmò præſumantur, quod in illa conceſſione ſe conformauerint diſpoſitioni iuris, eſt quid gratis omninò dictum, quià, cum illa ceſſio dependeat omninò à libera voluntate eorum filiorum, & quidem pro quocunque ſtatu, ſiuè in permanentia viduitatis, ſiuè in tranſitu ad alias nuptias, vtique ſibi debent imputare, quod conceſſionem illam non reſtrixerint ad determinatum ſtatum, cum propoſitum in mente retentum nihil operetur, & ſicuti, quandò per vltimam voluntatem bona ſua reliquerunt eidem matri ſine vlla expreſſa limitatione intelliguntur abſolutè reliquiſſe, adeovt nec relictum ceſſat, ſi mater inſtituta tranſierit ad ſecunda vota, ità quandò per expreſſam voluntatem ceſſerint illud augmentum ſine vlla reſtrictione, intelligendi ſunt abſolutè reliquiſſe, adeovt etiam ſi tranſierit &c. non ceſſet &c.

Ad ea, quæ ex aduerſo afferebantur, patet ex mox dictis quid reſpondendum; eſt etenim illa conceſſio abſoluta, adeoque tranſlatum eſt ſimplicitèr dominium in matrem ceſſionariam, & gratis confingitur illa conditio relata ad diſpoſitionem iuris, cum ſupponantur abſolute filij cedere cuicunque ſuo iuri, quod ipſi competit, ſeù ipſis competere poteſt, quod 1 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Digitized by Google

clare eluceſcit ex eo, quod conceſſerint, vt libere poſſet diſponere; ly enim *libere* intelligitur quoad omnia, & ſic totalem liberationem denotat *Cranetta conſ.* 122. *n* 5. *Alexander conſ.96.col.1.lib.6. Apoſtilla ad Butrium conſ.53. in verſ. libere, Rolandus à Valle conſ.42.n.20.lib.1. Menochius conſ.1. nu.* 13., & excludit omnem obligationem, *vt in l non dubito §. liberè autem ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.*, *Valaſcus conſult. cap.* 23. *num* 8., & ſic qui liberè aliquid habet, illud ab omni onere exemptum habere dicitur *Gloſa verb. libere in clement. dudum §. ſi verò de ſepult.*, *Menochius conſ.* 1042. *num.* 10., & eximit ab omni neceſſitatis obſeruantia, & ſolemnitate *Baldus c. qua in Eccleſiarum col* 2. *num* 4. *verſ. liberam de conſtit. Marcus Antonius de Amatis Marchia deciſ.* 53. *nu.* 3. *& ſeqq.*, & importat liberam, & abſolutam poteſtatem nulli legi ſuppoſitam *Carocius caſ.*80. *n.*38 *Socinus conſ* 170. *num.* 8 *lib.* 1. *Rolandus conſ* 42 *nu.*17. *lib.*1. Accedit, quod conceſſio illa facta per filios matri eſt ad diſponendum ad quemcunque effectum voluerit cum clauſula *libere*, ergo etiam ex voluntate ipſorum ſibi præſtita poterit de illo augmento diſponere in ordine ad ſecundum matrimonium &c.

---

§. X.

An vxor teneatur reſeruare mulctam filijs primi matrimonij, qua Iudex condemnauit homicidam mariti agente eadem vxore, & proprio, & filiorum nomine.

S V M M A R I V M.

Caſus particularis propoſitus. 1.

Opinio Mainardi aſſerentis non teneri reſeruare illam mulctam filijs. 2.

Opinio Borelli volentis teneri eam filijs reſeruare. 3.

Si illa mulcta fuerit propter damna ſumptuum, & aliarum expenſarum reſeruanda eſt filijs prioris matrimonij. 4.

Si vero pro iniuria diuidenda eſt inter matrem, & filios. 5.

Conciliantur ſententia oppoſita. 6.

1 Caſus particularis propoſitus.

DISQVISITIO X. Occiſus fuerat per Caium Theodorus maritus Semproniæ, ex qua duos filios ſuperſtites reliquerat. Secuta nece mariti eadem Sempronia & proprio, & filiorum nomine egit coram Iudice contra homicidam, qui fuit à Iudice condemnatus in notabilem pecuniæ quantitatem pro damnis, & intereſſe dandam mulieri, quæ de facto eidem fuit ſoluta. Eadem Sempronia acquiſita illa pecuniæ quantitate tranſiuit ad ſecundas nuptias. Quæſitum hic fuit, an eadem Sempronia eandem notabilem pecuniæ quantitatem ſibi ſolutam ex condemnatione Iudicis teneretur reſeruare filijs prioris matrimonij.

2 Opinio Mainardi aſſerentis vxorē non teneri reſeruare filijs.

Mainardus *deciſ.* 77. *lib.* 3. aſſerit, Semproniam in ea hypotheſi non teneri illam quantitatem pæcuniæ, quæ ipſi fuerat ſoluta ex condemnatione Iudicis, reſeruare filijs prioris matrimonij, ſed poſſe de illa pro libertate diſponere; atque pro ſua opinione refert deciſionem Senatus Tholotani. Rationem potiſſimum ex eo deducit, quia illa pæcuniæ quantitas non eſt de bonis prioris coniugis, & actio, qua mulier illam acquiſiuit, non eſt rei perſecutoria, ſed pecunia illa eidem delata eſt in pænam, & vindictam per textum *in l. quæſitum ff. de ſepulch. viol.*, ergo non tenetur illam filijs prioris matrimonij reſeruare.

3 Opinio Borrelli aſſerētis teneri eiſdē filijs reſeruare.

Ex aduerſo *Borellus in deciſ. tom.*3. *tit* 2. *à n.* 91. *ad* 99. abſolute aſſerit, teneri reſeruare, ad quod multis rationibus mouetur, & primò, quia iura *in d. l. fæmina, & l. hac edictali C. de ſecundis nuptijs* decernunt in fauorem filiorum prioris matrimonij quidquid vxori ſuperſtiti obuenerit ex cauſa prioris viri. Quis autem ambigat bona illa obueniſſe eidem ex cauſa coniugis occiſi? Certe ſi occiſus non fuiſſet, illa eidem non obueniſſent. Secundò, quia ea, quæ intenduntur per actiones pænales lite conteſtata, in bonis eſſe incipiunt *l. iniuriarum* 13. *ff. de iniurijs*, ergo & illa quantitas data mulieri in hac actione computabitur, tanquam in bonis. Tertiò, quia ius accuſandi, & proſequendi accuſationem tanquam licita competebat filijs, ergo eiſdē debetur, quod ex illa conſequitur. Quartò, quia, vel illa pecuniæ quantitas delata eſt vxori pro damno alimentorum, & conſequenter pro compenſatione eorundem, quæ à defuncto debebantur vxori, & filijs, vel pro ſumptibus medicinarum, aliarumque expenſarum in curatione defuncti, vel pro lucro, quod ceſſauit ob ceſſationem vitæ mariti defuncti, & occiſi; quocunque ex his titulis delata fuerit per tranſitum ad ſecundas nuptias, reſeruanda eſt filijs prioris matrimonij; quandòquidem, quandò eſt pro compenſatione alimentorem à coniuge prædefuncto debitorum, tunc cedit loco ſumptuum per eundem Patrem prædefunctum faciendorum, & ſic computantur pro bonis ipſius, quandò vero eſt pro ſumptibus medicinarum, & aliarum expenſarum factarum in curatione, vel pro lucro, quod ceſſauit ob mortem coniugis, tunc debetur filijs.

Reſpon-

Digitized by Google

4 Si illa mulcta fuerit propter damna ſũptuum, & aliarũ expenſarum reſeruanda eſt filijs prioris matrimonij.

Reſpondeo, cum diſtinctione, vel etenim illa mulcta facta per Iudicem fuit propter damna ſumptuum, medicinæ, & aliarum expenſarum, quæ factæ fuerunt in curatione ex bonis viri prædefuncti, & tunc ipſam mater tranſiens ad ſecundas nuptias tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij, vel facta fuit non ſolum propter damna expenſarum, & lucri ceſſantis, ſed etiam pro iniuria, & tunc id, quod excedit lucrum ceſſans, & damna eſt diuidendum inter eandem matrem, & filios, atque tunc mater partem ſibi contingentem ratione iniuriæ non teneretur reſeruare filijs.

5 Si vero pro iniuria diuidenda eſt inter Matrem, & filios.

Conſentit in vniuerſum *Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. cap. 11. num. 351.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià illud, quod inſumptum fuit impenſarum in illa curatione fuit ex bonis eiuſdem coniugis prædefuncti, & id, quod lucri ceſsauit, ceſsauit ipſi. Rurſus pecunia ratione illarum expenſarum, & lucri ceſsantis quoad ius illam habendi, erat debita ipſi coniugi defuncto, & per conſequens computatur tanquam in bonis illius, ergo eſt reſeruanda per coniugem, quæ tranſiuit ad ſecunda vota, filijs eiuſdem. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia per illam occiſionem nedum iniuria illata eſt filijs prioris matrimonij, ſed etiam vxori ſuperſtiti, ergo illa pecunia diuidenda eſt ad ratam ad proportionem iniuriæ vtriſque illatæ, & quoad partem ſibi contingentem mater non tenebitur illam reſeruare filijs, quandòquidem illa non eſt de bonis viri, ſed ex acquiſitis ex titulo ex perſona propria, quæ læſa fuit; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod vxor illam partem ſibi contingentem acquiſierit occaſione viri; non, inquam, obeſſe poteſt, quia quamvis acquiſierit occaſione viri, non tamen acquiſivit ex bonis viri, cùm ſit ob vindictam, & iniuriam propriam.

6 Conciliantur ſententiæ oppoſitæ.

Ex quibus videntur poſse conciliari ſententiæ extremè oppoſitæ ſupra allegatæ iuxta diſtinctionem mox poſitam, quod ſi aliter procedant DD. à ſenſu nobis expoſito ſtandum eſt reſponſioni noſtræ iuxtà modum explicatum.

---

§. XI.

An vxor pupillariter ſubſtituta à marito filio impuberi ſuccedat etiam in bonis, quæ filius aliundè acquiſiuit.

S V M M A R I V M.

Status controuerſia expoſitur. 1.

Mater pleno iure illa bona conſequitur, nec tenetur reſeruare filijs. 2.

Si ex teſtamento coniugis vxor aliqua bona conſecuta fuerit, quæ non ſint bona mariti, non tenetur ea reſeruare filijs prioris matrimonij. 3.

1 Exponitur caſus in particulari.

DISQVISITIO XI. Titius maritus Caiæ in ſuo vltimo teſtamento ſubſtituit Phylippo filio ſuo impuberi eandem Caiam vxorem ſuam, & deinde occubuit. Phylippus filius impubes aliũdè alia bona, vel ex teſtamento extranei, vel donatione alterius perſonæ, vel alio titulo aſsecutus eſt, & poſtea & ipſe in pupillari ætate deceſſit. Hic quæſitum fuit, an mater ſubſtituta non ſolum acquirat ea, quæ à Patre provenerunt eidem Filio impuberi pleno iure, adeò vt ea non teneatur reſeruare alijs filijs eiuſdem matrimonij, ſed etiam ea, quæ aliunde obuenerunt eidem filio impuberi, qui prædeceſſit. An teneatur ea reſeruare filijs prioris matrimonij, quæ provenerunt à Patre Phylippo Filio, cui pupillaritèr fuit ſubſtituta, latè diximus in præcedentibus, & præcipuè *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. IV. prænot. 5. ſub aſſert. 2. verſ. an vero ſub hac diſpoſitione*, vbi concluſimus, quod mater ſubſtituta tranſiens ad ſecundas nuptias amittat proprietatem prædictorum bonorum, eamque teneatur filijs prioris matrimonij reſeruare. Quare nunc præcipuè eſt ſermo de bonis, quæ eidem filio impuberi aliunde, quam à Patre obuenerunt, pro quibus.

2 Pleno iure conſequitur, nec tenetur illa reſeruare.

Reſpondeo, ea plenò iure acquirere, nec teneri reſeruare filijs prioris matrimonij *Acoſta c. ſi pater 3. par. verbo cenſendum num. 19. de teſtamentis in 6 Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 89. n. 15. in fine.* Ratio ex eo deducitur primò, quià diſpoſita *in l. fæmina, & l. generaliter C. de ſecundis nuptijs* loquuntur tantum de ijs bonis, quæ ex prioris viri facultatibus vxor conſecuta eſt. ſed bona illa, de quibus hic agitur, non ſunt bona ex prioris mariti facultatibus provenientia, quamvis mater, ſeù vxor ex teſtamento Patris, ſeù mariti ſuccedat, ergo nõ veniunt ſub diſpoſitione prædictarum legum. Confirmatur *ex l. ſi is, qui ex bonis ff. de vulgari*, vbi aſſignatur diſcrimen quoad bona propria impuberis, etiam ſi id teſtamentum ſit Patris, ac inter bona paterna, vbi ſic legitur. *Si is, qui ex bonis teſtatoris ſolidum capere non poterat, ſubſtitutus ſit ab eo impuberi filio eius, ſolidum ex ea cauſa capiet quaſi à pupillo capiat*, ex quibus poteris deducere, quod cum illa bona à pupillo capiet, quæ, eidem aliunde fuerunt delata pleno iure acquirat, nec teneatur eadem filijs prioris matrimonij reſeruare, ſicuti non tenetur reſeruare ea, quæ à filio per teſtamentariam diſpoſitionem conſecuta eſt

Ex

Digitized by Google

3 Si ex teſtamento mariti fuerit conſecuta bona, quæ non ſit ipſius non teneatur reſeruare.

Ex quibus etiam deducere poteris *cum Sanchez loc. cit. n.16.*, quod, ſi ex teſtamento coniugis, non tamen ex ipſius bonis vxor conſecuta fuerit aliquod, non teneatur illud filijs eiuſdem matrimonij reſeruare; hoc contingeret v. g. in caſu, quo quis commiſerit eidem marito, vt de ipſius bonis ſuo nomine diſponeret, atque maritus teſtaretur in fauorem coniugis ſuæ; tunc etenim vxor ſic inſtituta non teneretur talia bona filijs eiuſdem matrimonij reſeruare propter eandem rationem ſupra adductam, quia iura præcipientia talem reſeruationem non loquuntur, niſi de bonis eiuſdem mariti, quæ propterea ad bona aliunde prouenientia non ſunt extendenda.

---

§. XII.

An fructus pendentes à proprietate ad obitum matris binnubæ cedant hæredibus eiuſdem matris, an vero filijs.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Rationes ſuadentes deberi ad ratam temporis vniformem. 2.
Fructus adhuc pendentes reſeruantur filijs prioris matrimonij. 3.
Fructus iam percepti debentur hæredibus vxoris binnubæ. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

1 Facti ſeries.

DISQVISITIO XII. Ex dictis in præcedentibus vxor binnuba priuatur proprietate bonorum, quæ conſecuta fuerat titulo liberali à priori marito, ſolumque gaudet vſufructu eorumdem, quouſque vixerit. Rebus ſic ſtantibus eadem vxor, quæ tranſierat ad ſecunda vota fructibus pro illo anno pendentibus, & nondum perceptis mortua eſt. Hic orta fuit controuerſia, cuinam cederent illi fructus pendentes, & nondum percepti, an hæredibus eiuſdem vxoris defunctæ, an vero filijs prioris matrimonij, quibus cedit proprietas.

2 Rationes ſuadentes deberi ad ratam tẽporis vniformem.

Videtur dicendum iuxta ea, quæ in ſimilibus alibi dicta ſunt, deberi vtriſque ad ratam temporis vniformem præcipuè, ſi conſiſtant in fructibus ciuilibus, ſeù in redditibus pecuniarijs, adeò vt, ſi vxor pro medietate illius anni vixerit, hæredibus eius debeatur medietas fructuum, & alia medietas filijs proprietarijs, ſi pro minori, vel maiori parte anni vixerit maior, vel minor pars fructuum hæredibus ipſius, reliquum filijs ſit tribuendum; cum etenim dietim fructus illi mature ſcant, matureſcunt ei, qui pro illis diebus gaudet vſufructu, & ſic quouſque vixerit mater, habet ius in fructus, cum ſit vſufructuaria; cum vero ipſa obierit, tunc vſusfructus conſolidatur cum proprietate, & ſic poſt obitum ipſius immediate ius habent ad fructus tunc matureſcentes filij proprietarij. Nihilominus

3 Fructus adhuc pendentes reſeruantur filijs prioris matrimonij.

Reſpondeo, fructus adhuc pendentes, & nondum perceptos ad obitum vxoris binnubæ deberi filijs prioris matrimonij proprietarijs inſolidum, ſeù pro integro, nihil vero hæredibus eiuſdem vxoris binnubæ, & defunctæ. Conſentiunt *Cattanaus in conſuetud. Burgund. rub. 6. §. 7. in fin. Auendano reſponſ. 5. num. 7. verſ. ex iſta concluſione, Azebedo lib 5. recopil. tit. 1. l. 4. nu. 53., Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 89. nu. 40., & alij magis communiter.* Expreſsè deducitur *ex l. ſi fur l. defuncta ff. de vſufruct. l. ſi de vſufructu l. ſi vſufructuarius meſſem ff. quemadmodum vſusfructus amittatur*, vbi dicitur, quod vſufructuarius non faciat ſuos fructus pendentes pro tempore, quo ipſe obit, nec illos tranſmittat ad hæredes ſuos, ergo pleno iure fiunt proprietarij, cum tunc conſolidetur vſusfructus cum proprietate. Accedit alia ratio conſiſtens in eo, quod communi praxi ſeruatur nempè, quod fructus beneficij Eccleſiaſtici adhuc pendentes, & nondum percepti non tribuantur hæredibus beneficiarij prædefuncti, ſed reſeruentur futuro ſucceſſori, ergo etiam

Quoad fructus autem iam perceptos, extantes tamen, & nondum conſumptos, an debeantur hæredibus eiuſdem vxoris binnubæ ipſa obeunte, an verò filijs proprietarijs diſſidium eſt apud DD. Nonnulli arbitrantur deberi filijs prioris matrimonij, & ſic ſpeciatim ſentit *Crauetta conſ. 194.*, qui ea ratione mouetur, quià illi fructus, quantumvis fuerint percepti, ſunt quid ex bonis prioris mariti, reſpectu quorum proptereà videtur habere locum textus *in d. l. fœmina, & l. generaliter C. de ſecundis nuptijs.* Nihilominus probabilius eſt, eoſdem cedere pleno iure hæredibus eiuſdem vxoris binnubæ prædefunctæ *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. forenſ. lib. 1. q 29. num 18. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. num. 598.* Ratio huius noſtræ aſſertionis ex eo deducitur, quià illi fructus, ex quo fuerunt percepti ante obitum eiuſdem vxoris binnubæ facti ſunt pleno iure eiuſdem, & cõputantur inter ipſius patrimonium, ergo, ſicuti patrimonium eiuſdem traſmittitur ad ipſius hæredes, etiam illi fructus iam percepti ad ipſos ſunt tranſmittendi.

4 Fructus iā percepti debentur hæredibus vxoris binnubæ.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt in ijs, quæ ſpectant præciſè ad vſufructuarium, licet in rigore attendenda eſſet illa rata temporis vni-

for-

formis, de qua in argumento propoſito, ſecundum tamen communem praxim, & acceptatum vſum attendi dumtaxat tempus fructuum collectorum, qui propterea, ſi fuerint collecti ad obitum eiuſdem vſufructuarij fiunt illius, ſecùs verò, ſi non fuerint percepti, ſed adhuc pendentes, quià tunc cedunt ſolo, & per conſequens proprietario; vndè etiam emanauit illud dictum in iure

Annua, ſi debes in fine teneberis anni. quod multi intelligunt, quandò iam fructus, qui ſupponuntur in fine anni matureſcere, ſunt percepti; atque huic opinioni inſiſtendum exiſtimo ſpecialitèr in hoc caſu mulieris biannubæ vſufructuariæ, tum proptèr communem praxim, quæ quoad hoc legitimè preſcripſit, tum proptèr rationes adductas.

---

§. XIII.

An parens tranſiẽs ad ſecunda vota teneatur bona, quæ conſecutus eſt per filij renuntiationem, reſeruare filijs prioris matrimonij.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in caſu particulari. 1.
Sententia Boerij aſſerentis teneri reſeruare filijs primi matrimonij. 2.
Diſtinctio aliorum 3.
Pater binnubus tenetur bona, quæ per renuntiationem filiarum prioris matrimonij conſecutus eſt reſeruare filijs prioris matrimonij. 4.
Si filiæ renuntiauerint iuribus paternis in fauorem Patris, & hæredum eiuſdem probabilius Pater non poteſt eà communicare inter filios prioris, & poſterioris matrimonij. 5.

1 Facti ſeries expoſita. DISQVISITIO XIII. Conſtitutum fuerat legitimè matrimonium inter Caium, & Bertham; ex quo progeniti fuerunt duo filij maſculi Antonius ſcilicet, & Phylippus, & duæ fœminæ Febronia, & Suſanna. Bertha deueniens iam ad mortem filios maſculos inſtituit hęredes æqualitèr, ea adiecta conditione, vt, ſi vnus alteri præmoriatur, teneatur alteri portionem ſuam reſtituere, & filiabus mille libras imperiales pro vnaquaque reliquit, & poſtea obijt. Caius ſecuta morte prioris ſuæ coniugis nempè eiuſdem Berthæ conuolauit ad ſecundas nuptias cum Calidonia, ex qua progenuit alios liberos. Poſt hæc matrimonio copulauit duas filias Febroniam ſcilicet, & Suſannam, quas ſuſceperat à prima coniuge nempe à Berta, quibus ſingulis contulit mille nummos aureos, ea adiecta conditione, vt vnaquæque ex illis in ſui fauorem renuntiaret cuicunque ſucceſſioni, ſiuè paternæ, ſiuè maternæ, prout factum eſt. Hic orta fuit controuerſia, an ex eo, quod Caius conuolauerit ad ſecundas nuptias teneatur bona illa, quæ per renuntiationem filiarum prioris matrimonij acquiſierat reſeruare filijs prioris matrimonij, an verò poſſit de illis pro libertate diſponere etiam in fauorem filiorum poſterioris matrimonij.

Agit latè de hac controuerſia *Boerius in ſuis deciſ. aureis deciſ.* 184. *per totum*, vbi pro vtraque parte rationibus diſcuſſis, videtur concludere æquius eſse, & magis rationi conſentaneum, quod Pater binnubus nempè Caius teneatur illa bona, quæ per renuntiationem acquiſierat à filiabus prioris matrimõnij, reſeruare filijs eiuſdem, & non communicare cum filijs ſecundi matrimonij, hocque fundat in præſumpta charitate paterna, per quam lex præſumit, quod Pater velit æqualitatem inter filios per textum *in l.* 1. *C. commun. vtriuſque Iud* adeo, vt ſicuti filij ſecundi matrimonij ſuccedunt in dote materna excluſis filijs prioris matrimonij, ità filij etiam prioris matrimonij ſuccedant in bonis matris ſuæ, quę fuerat prima coniux reſpectu eiuſdem Caiæ priuatiuè quoad filios poſterioris matrimonij. **2 Sententia Boerij aſſerētis teneri reſeruare filijs primi matrimonij.**

Alij videntur procedere ſub diſtinctione, quatenus, vel Pater habuerit illam renuntiationem filiarum liberè nulla facta contributione per patrem ratione eiuſdem renuntiationis, & tunc aſserunt rectè procedere ea, quæ æquiora exiſtimat idem *Boerius loc. cit.*, vel Pater habuerit illam renuntiationem à filiabus ratione alicuius, quod eædem filiæ receperint pro iure renuntiato, & remiſso, & tunc arbitrantur illam renuntiationem cedere in fauorem Patris renuntiatarij, qui propterea ad bona illa ſic renuntiata æquè vocare poteſt filios ſecundi matrimonij cum primis, quià tunc illa renuntiatio præciſè præſumitur facta contemplatione eiuſdem Patris. Quid ergò in terminis huius diſquiſitionis concludendum? **3 Diſtinctio aliorum.**

Reſpondeo, probabilius eſse Patrem binnubum teneri bona, quæ per renuntiationem filiarum primi matrimonij aſsecutus eſt, reſeruare filijs prioris matrimonij, nec poſse eadem cum filijs ſecundi matrimonij communicare. Conſentiunt in hanc reſponſionem *Alexander conſ.* 149. *lib,* 7. *Ioannes Andraas in addit ſpecul. tit. de teſtament.* § 1 *Baldus in l. pactum q.* 8. *C. de collat. Franciſcus de Aret conſ.* 90. *incipient. viſo themate ad me tranſmiſſo in* **4 Tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij.**

primo

primo, & ſecundo dub. Boerius loc. cit. Ratio ex eo deducitur, quià illa renuntiatio facta per filias Patri intelligitur potiſſimum facta ad excluſionem maritorum, quibus eædem filiæ nupſerunt, & filiorum ex eiſdem ſuſcipiendorum, ergò in reliquis intelligenda eſt facta in fauorem eorum, qui de iure deberent ſuccedere, adeoque fratrum ſuorum ex eodem matrimonio, quià renuntiationes ſemper intelligendæ ſunt, vt factæ ſecundum diſpoſitionem iuris, vbi aliud expreſſum non fuerit; de iure autem renuntiatio facta per filias debet augere portionem cohæredum ſuorum, qui ſunt fratres ſui maſculi *l. 3. §. fin. cum duab. ll. ſeqq., ff. de bon. poſ. l. 1. C. quandò non pet. part.*, *& l. vnica §. his ita C. de cad. tol.* Accedit, quod Pater exigens à filiabus prioris matrimonij renuntiationem in ſui fauorem ex paterna charitate ſecundum iuris præſumptionem intelligitur velle æqualitatem inter filios prioris, & poſterioris matrimonij *arg. l. fin. C. communia vtriuſque Iud.*, ſed hæc æqualitas non ſeruaretur, ſi æquè venirent cum filijs prioris matrimonij etiam filij poſterioris in bonis illis renuntiatis, ſiquidem filij poſterioris matrimonij ſuccederent inſolidum in bonis maternis excluſis illis prioris matrimonij; filij autem prioris matrimonij quoad ſua bona materna non excluderent filios poſterioris. & ab iſtis excluderentur quoad bona propriæ matris.

Instantia propoſita, & diſſoluta.

Dices primo ex ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, ſi filius per vltimam voluntatem inſtituerit matrem ſuam hæredem quoad bona ſibi contingentia, hæc ſi tranſeat ad ſecundas nuptias, non tenetur illa bona reſeruare filijs prioris matrimonij, ſed poteſt de illis pro libertate diſponere, ergò etiam ſi filia per ſuam expreſſam voluntatem renuntiauerit bonis maternis de iure ſibi contingentibus in fauorem Patris ſui, hicque ad alias nuptias commigrauerit, non tenebitur bona per illam renuntiationem acquiſita reſeruare filijs prioris matrimonij, ſed poterit pro libertate de illis diſponere, & æquè communicare filijs prioris matrimonij, ac poſterioris, quandòquidem per illam renuntiationem factus eſt illorum plenè dominus. Sed contra, neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis ex eo deſumitur, quià in aſſumpto huius inſtantię hoc eſt in inſtitutione facta per filium matri quoad hæreditatem ſuam filius reſpexit pręcisè fauorem matris, cui voluit plenum ius transferre quoad ſua bona; hoc etenim ſapit natura inſtitutionis; in illatione autem, hoc eſt in renuntiatione facta per filias prioris matrimonij Patri, non eſt præſumptio, quod filia voluerit pręcisè vtilitatem, & fauorem Patris, ſed eiuſdem quidem, ſed per ordinem ad fratres ſuos, & cohęredes; renuntiatio etenim illa pręcisè ſumpta intelligitur ad excludendum maritum, & filios eius, & transferendum ius, quod renuntians habebat in illis bonis, & quidem ſecundum diſpoſitionem iuris, ſecundum quam portio accreſcit portioni, non perſonę *l. ſi tota, & l. quod ex duabus, ff. de acquirend. hered.*, & hoc attenta etiam pręſumptione tàm ex parte renuntiantis, quàm ex parte renuntiatarij iuxta dicta in probatione.

Alia inſtantia, eiuſque ſolutio.

Dices ſecundo, quod, quamvis hæc, quæ dicuntur, verificentur, quandò ſunt per vim ſimplicis renuntiationis, non tamen verificentur, quandò ſunt in vim pacti, & aliquo conceſſo ex parte patris in favorem filiarum renuntiantium *Alexander conſ. 149 lib. 7.*, vt evenit in caſu noſtro, ſecundum quem Pater contulit in dotem filiabus renuntiantibus mille nummos aureos. Sed contra, quia Pater illam dotem, quam contulit filiabus, tenebatur eiſdem conferre, prout habetur *in l. fin. C. de dotis promiſ.*, vbi, ſi Pater dedit dotem pro filia, & dixit, ſe eam dare tam ex bonis ſuis proprijs, quàm ex bonis matris ipſius filiæ, vel ex rebus debitis ipſi filiæ, tamen niſi pater laboret inopia, intelligitur parrem dediſſe de bonis ſuis proprijs pro offitio dotandi, ad quod de iure tenetur ſalua interim manente alia obligatione pro filia, quam ex alia cauſa habebat; ex quibus ſequitur, quod illud, quod dedit Pater, ad hoc non conferat, cum teneretur conferre

5 Nō poteſt Pater ea bona communicare cum filijs poſterioris matrimonij, quantumvis filiæ renuntiauerint ei, & hæredibus eius.

Hic ſolum pro complemento remanet difficultas examinanda, an, ſi filiæ præcedentis matrimonij renuntiauerint iuribus maternis in fauorem Patris, & hæredum eiuſdem, Pater renuntiatarius poſſit conferre illa bona ſic renuntiata per eaſdem filias æquè filijs prioris matrimonij, & poſterioris, an vero tantum filijs prioris excluſis penitus illis poſterioris. Attentis rationibus, & præſumptionibus, de quibus ſupra, probabilius ſentiendum eſt, quod adhuc illa bona ſic renuntiata per filias cederent in fauorem filiorum prioris matrimonij, ſeù fratrum, & cohæredum ipſarum renuntiatium, quià ſic præſumitur tam mens renuntiantium, quàm renuntiatarij; vnde illa ſtipulatio indefinita pro ipſo Patre, & hæredibus eius eſt reſtringenda ſecundum diſpoſitionem iuris, & ad normam mentis præſumptæ renuntiantis, & renuntiatarij.

§. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

An parens tranſiens ad ſecundas nuptias teneatur reſeruare filijs prioris matrimonij portionem illam, quam acquiſiuit ex bonis alterius coniugis ex eo, quod filia excluſa ſit per ſtatutum à ſucceſſione parentum.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Sententia aſſerens, non teneri ſeruare portionem illam filijs prioris matrimonij. 2.
Tenetur reſeruare portionem illam filijs prioris matrimonij. 3.
Conſuetudo quædam ciuitatum imperialium exponitur. 4.

1 Factum tale in ſuis terminis.

DISQVISITIO XIV. Prædeceſſerat Caia vxor Sempronij relictis ab eodem tribus filijs maſculis, & duabus fæminis. Ex iure municipali alicuius regionis, ſeù illius ciuitatis, cui ſubditi erant eadem Caia præmortua, & Sempronius, cautum erat, quod fæminæ excluderentur à ſucceſſione parentum; vnde portio, quæ illis contingeret, accreſcit de iure communi portionibus aliorum, qui ſuccedunt in hæreditate parentis prædefuncti, nempè fratrum, & alterius coniugis ſuperſtitis, qui eſt Pater earundem fæminarum excluſarum, & fratrum earundem. His ſic ſtantibus Sempronius ſuperſtes tranſiuit ad ſecundas nuptias cum Calidonia. Hic orta fuit controuerſia, an Sempronius ſuperſtes ratione illius tranſitus ad ſecundas nuptias teneatur filijs prioris matrimonij reſeruare portionem illam, quæ ad ipſum peruenit ex bonis vxoris prædefunctæ ex eo, quod fæminæ per ſtatutum à ſucceſſione excludantur.

2 Sententia aſſerens portionem illam non teneri reſeruare filijs prioris matrimonij.

Martha *de ſucceſſione part. 2. q. 2. art. 2. n. 3. & ſeqq.* videtur aſſerere, quod portionem illam non teneatur filijs prioris matrimonij reſeruare, quem non alia ratione moveri exiſtimo, niſi quià ex vi illius diſpoſitionis municipalis parens videtur factus abſolute Dominus illius portionis independenter à quocunque alio reſpectu, adeòque poſſe de illa pro libertate diſponere. Nihilomiuus

3 Tenetur reſeruare portionem illam.

Reſpondeo, & illam portionem teneri Sempronium ſuperſtitem reſeruare filijs prioris matrimonij, nec poſſe communicare cum filijs ſecundi. *Baldus in auth. ex teſtamento n. 6. C. de ſecundis nuptijs, Pariſius conſ. 29. n. 78. vol. 3. Antonius Gabriel commun. opin. lib. 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 3 nu. 14., Stephanus Gratianus tom. diſcept. for. in addit. ad c. 519. in fin. Gaſpar Antonius Theſaurus qq. for. lib. 1. q. 29. num 13., Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. num. 365., & alij magis communiter.* Ratio ex eo deducitur primò, quia iura ex bonis prioris coniugis non præſumuntur fauere filijs alterius matrimonij in præiudicium filiorum eiuſdem coniugis prædefuncti, ergo ſtante benigna iurium interpretatione proprietas illius portionis reſeruanda eſt filijs prioris matrimonij, non communicanda cum filijs poſterioris. Secundò, quià iura municipalia in ijs, in quibus expreſsè non diſponunt, interpretationem recipiunt à iure communi, ſed ſtatutum excludens fæminas à ſucceſſione nihil diſponit circa illam portionem, quæ illas contingeret, an ſcilicet pleno iure fiat alterius coniugis ſuperſtitis, adeò vt de illa poſſit pro libertate diſponere, an verò in caſu tranſitus eiuſdẽ coniugis ſuperſtitis reſeruanda ſit filijs prioris matrimonij; ex alio capite ius commune diſponit, quod omnia bona, quę perueniunt ad coniugem ſuperſtitem ex bonis coniugis prædefuncti reſeruentur filijs prioris matrimonij, ſi coniux ſuperſtes ſecundo nupſerit, ergo ius municipale in hoc debet regulari ad normam iuris communis, adeòque bona illa erunt reſeruanda; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ex eo, quod bona illa deuenerint ad coniugem ſuperſtitem ex diſpoſitione iuris municipalis excludente fæminas, & per conſequens iure accretionis competentis de iure communi ſuppoſita illa excluſione, non videantur ad ipſum deueniſse titulo liberali; iura autem tantum diſponunt, quod coniux binnubus teneatur reſeruare filijs prioris matrimonij ea, quæ titulo liberalitatis conſecutus eſt ab altero coniuge prædefuncto; Non, inquam, obeſse poteſt; quià nomine tituli liberalis non excluduntur ea, quæ veniunt ex diſpoſitione ſtatuti, vel ſcripti, vel conſuetudinarij, ſed ea, quæ veniunt titulo oneroſo; qualia non ſunt ea, de quibus hic loquimur, quandòquidem coniux ſuperſtes pro eiſdem nihil contribuit, vt per ſe patet; vndè merito docent communiter Doctores, quod, quamvis augmentum dotis, vel ex ſtatuto, vel ex conſuetudine regionis debeatur, cadat tamen ſub diſpoſitione *d. l. fœmina, & l. generaliter C. de ſecundis nuptijs, Rota Romana deciſ. 821. apud Buratum, & in alia Romana domorum 19. Ianuarij 1616., quæ eſt 96. poſt Pacificum de Saluiano interdicto, Antonius Gabriel commun. opin lib. 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 1. num. 5. Gerardus Maynardus deciſ. 9. lib. 3. Gratianus diſcept. for. tom. 3. & in addit. ad c. 519. Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 3. §. 9. nu. 8 Gutierez pract. qq. lib. 2. q. 96. nu. 10.*

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Sanchez d. lib. 7. diſp. 83. num. 30., Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. nu. 333.

4 Conſuetudo Ciuitatum imperialium exponitur.

Ad hanc reſponſionem corroborandam plurimum facit id, quod aſſerit *Gailus in obſeruat. lib. 2. obſeru. 98. nu. 6.*, vbi aſſerit non habere locum quaſdam conſuetudines ciuitatum Imperialium, quibus coniugi ſuperſtiti defertur ſucceſſio filiorum defunctorum fratribus, vel ſororibus germanis omnino excluſis, ſi coniux ipſe ſuperſtes conuolarit ad ſecundas nuptias; tunc etenim aſſerit ſucceſſionem filiorum defunctorum deferri ſimul fratribus, & ſororibus germanis, illamque rationem adducit, quià, cum illæ conſuetudines nihil diſponant pro caſu, pro quo coniux ſuperſtes ſecundo nubit, res eſt deferenda ad diſpoſitionem iuris communis, ſecũdum quam *ex d. l. generaliter, & l. fæmina C. de ſecundis nuptijs* bona acquiſita à primo coniuge prædefuncto per coniugem ſuperſtitem reſeruantur quoad proprietatem filijs prioris matrimonij.

---

§. XV.

An fæmina tranſiens ad ſecunda vota euitet pænas, ſi fuerit minor.

SVMMARIVM.

Factum tale in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens euitare huiuſmodi pænas. 2.
Vidua quantumvis minor tranſiens ad ſecunda vota non euitat has pænas. 3.
Satisfit rationibus oppoſitis. 4.

1 Exponitur facti ſeries.

DISQVISITIO XV. Diſſoluto matrimonio inter Caium, & Meuiam per obitum eiuſdem Caij remanſit eadem Meuia vidua in ætate, qua adhuc minoritatem non erat egreſſa; Stante iam hoc minoritatis ſtatu ad ſecundas nuptias conuolauit. Hic excitata fuit controuerſia, an ratione minoris ætatis ſubterfugerit pænas iuris, adeò vt non teneatur reſeruare filijs prioris matrimonij, ſi quæ conſecuta fuerit liberaliter à priori marito, aliaque præſtare, quæ de iure teneretur ex diſpoſitione iurium, ſi non eſſet minor.

2 Sententia aſſerens euitare huiuſmodi pænas.

Huiuſmodi pænas euitare ſentiunt *Socin. reg. 272. n. 3. Boerius deciſ. 185. in fin. Villalobos in commun. opin. lit. B. num. 30. Antonius Gabriel 3. tom. commun. opin. lib. 3. tit. de ſecundis nuptijs concl. 1. num. 46.* apud *Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 89. nu. 58.*, qui nullam pro hac opinione rationem affert. Exiſtimo tamen in eo fundari, quod illa ætas minor communiter reputetur incapax huiuſmodi pænarum; Secundo in eo, quod, ſicuti in iure tanquam improba damnatur conditio non nubendi reſpectu Virginis, quæ nunquam nupſerat, ita incongrua videatur pæna appoſita ſecundo non nubendi reſpectu minoris, quantumvis viduæ, quandòquidem rationes incontinentiæ, quæ militare videntur pro virgine, etiam militare videntur pro vidua, ſi fuerit minor, cum illa ætas ſit maximè excitatiua libidinis. Nihilominus

3 Vidua quãtumvis minor trãſiens ad ſecunda vota nõ euitat has pænas.

Reſpondeo, viduam quantumvis minorem per tranſitum ad ſecundas nuptias non euitare huiuſmodi pænas. Conſentiunt *Ciſuentes l. 15. Tauri n. 2. limit. 3. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 89. n. 58. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11. n. 364. Gutierez de matrimon. c. 109. nu. 66. Gerardus Mainardus deciſ. Tholoſ. q. 1. lib. 3.* Ratio ex eo deducitur primò, quia diſpoſitiones pænales ſtatutæ contra fæminas tranſeuntes ad ſecundas nuptias reſpiciunt principaliter fauorem filiorum prioris matrimonij, ne ſcilicet eædem fæminæ ex nimia propenſione erga ſecundos coniuges eiſdem filijs inferant præiudicium, ſed hæc ratio finalis, per quam iura ſic diſpoſuerunt, æquè militat, quandò fæmina, quæ tranſiuit ad ſecunda nuptias, eſt minor, ac quando eſt maior, quinimmò maior poteſt eſſe præſumptio læſionis, quando minor eſt, ſiquidem ex minoritate ætatis, & imperfectiori iuditio, & deliberatione, quæ in tali ætate præſumuntur, facilius poteſt induci ad læſionem, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quamvis etiam reſpectu eiuſdẽ minoris militet ratio finalis, ob quam inductæ fuerunt huiuſmodi diſpoſitiones legales, ex imperfectione tamen operantis plurimum diminuatur de deliberatione circa actionem per tales diſpoſitiones prohibitam, adeòque ſic operans eximatur ab onere illarum diſpoſitionum; hac ratione regulariter minores duodecim annorum eximuntur ab alijs pænis iuris in exercitio actionum prohibitarum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià quantumvis ea, quæ dicuntur in hac inſtantia, vera eſſe poſſint quoad pænalia directè, & principaliter afficientia ipſum operantem, deficiunt tamen, quandò diſpoſitiones reſpiciunt aliorum fauorem, & actio, ob quam inducuntur, eſſet alijs iniurioſa, & præiudicialis, cum enim tunc iura reſpiciant principaliter aliorum fauorem, euitationem ſcilicet damnorum, quæ inde obuenire poſſent, vtique debent ſuum effectum ſortiri, quandò damna illa poſſent obuenire, quantumvis operans deficeret à plena deliberatione. Secundo ratio ex eo deduci poteſt, quia hic non agitur de damno vitando, ſed de lucro captando,

ſed

Digitized by Google

ſed quoad lucrum captandum minor etiam ætas officit, ergo &c.

4 Satisfit rationibus oppoſitis.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, facilè ex dictis erit reſpondere; quamvis enim illa minor ætas incapax reputetur ad pœnas, quod tamen ita verum non eſt, vt ſupponitur, niſi agatur de pœna mortis, hoc tamen ad ſummum intelligendum eſt quoad pœnas de damno vitando, non quoad pœnas de lucro acquirendo; quod lucrum iura prohibent in ordine ad ſecundo nubentes ſine vlla penitus reſtrictione quoad ætatem, & quidem in fauorem alterius nempè filiorum prioris matrimonij. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, quod, cum iura ad effectum impediendi ſucceſſionem in proprietate bonorum liberalitèr à priori coniuge prouenientium reprobent ſecundas nuptias ſine vlla penitus reſtrictione, & ſub comminatione pœnarum, de quibus ſupra, eorum diſpoſitio non ſit à nobis coarctanda ad ſolas vxores maiores ætate, cum ratio finalis prohibitionis æquè militet etiam pro minoribus, vt ſupra.

---

§. XVI.

An vxor ſecundo nubens ſubiaceat pœnis, quas primo viro promiſit, ſi ad ſecundas nuptias tranſiret.

S V M M A R I V M.

Facti ſeries expoſita. 1.
Sententia aſſerens promiſſiones pœnales non tenere. 2.
Sententia aſſerens tenere, & obligare. 3.
Sententia media Laiman. 4.
Præfertur ſententia aſſerens obligare. 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 6.

1 Factum propoſitū in caſu particulari.

DISQVISITIO XVI. Contracto matrimonio inter Theodoricum, & Semproniam, & ex eodem prole progenita Theodoricus in extremis vitæ conſtitutus eſt, cui morienti Sempronia ipſius coniux promiſit ſub certa pœna amiſſionis ſcilicet alicuius rei propriæ, quod alium maritum non ducet. Hic orta fuit controuerſia, an huiuſmodi promiſſio pœnalis ſubſiſteret, adeovt, ſi eadem Sempronia ſecundo nuberet, alligaretur huiuſmodi pœna, an verò tanquam inanis nullum penitus deberet ſortiri effectum.

2 Sententia aſſerens promiſſiones pœnales non tenere.

Huiuſmodi promiſſionem pœnalem non tenere docent *Albericus in l. fin. C. de ſponſalib. nu. 10. Ioannes Garronis rub C. de ſecundis nuptijs in nona edit. n. 145. Sanchez de matrimon lib. 1. diſp. 30. num. 8., & alij plurimi, tum apud eundem Sanchez, tum apud Albericum.* Fundamentum ipſorum illud eſt potiſſimum, quod, licet in iure permiſſum ſit ſub ſpe lucri, donationis, vel legati retrahere viduam à ſecundis nuptijs per textum *in auth., cui relictum C. de indict. vid. tol.* nunquam tamen licitum ſit retrahere ſub metu pœnæ, quod eſt id, quod alij aſſerunt ſub alijs terminis, quod pœnæ valeant quoad lucrum captandum, non quoad damnum vitandum, ergò illa obligatio ſub promiſſione pœnali ſcilicet de minuendo proprio patrimonio, ſi nupſerit, non tenet.

Alij abſolutè aſſerunt, huiuſmodi promiſſionem pœnalem obligare. Fundamentum ipſorum eſt, quià conditio ſecundo non nubendi reſpectu viduæ in iure non reprobatur, quamvis reprobetur reſpectu Virginis, & ſi iura poſſunt apponere talem conditionem ſub pœna, cur eadem vidua ſibi talem legem ſub pœna non poterit apponere? Accedit, quod omnis promiſſio de re honeſta, & à iure non reprobata obligat ad ſui obſeruantiam, quis autem ambigat talem promiſſionem eſſe de re honeſta, & à iure non reprobata reſpectu viduæ? 3 Sententia oppoſita refertur.

Laiman *in Theologia lib. 3 tract. 5 cap. 10. num. 14. verſ. hoc loco dubium moueri poteſt* media via procedit, & ſecundum quid primæ ſententiæ negatiuæ attribuit, ſecundum quid verò ſecundæ affirmatiuæ; Aſſerit enim, quod ſi vidua, quæ ſe obligauit ſub illa promiſſione pœnali ad abſtinendum à ſecundis nuptijs, ſubiaceat periculo graui incontinentiæ, & quod ſtimulis carnis agitetur vehementèr, non teneatur illa promiſſione pœnali, quià non præſumitur voluiſſe ſe obligare cum tanta difficultate, & cum illo periculo; ſi verò non ſubiaceat graui illi periculo, ſed facilitèr, & commodè poſſit ſtatum viduitatis ſuſtinere, obligetur illa promiſſione pœnali, & in hoc verificetur, quod promiſſio de re honeſta, & poſſibili ſit adimplenda. Quid ergò concludendum? 4 Sententia media Laiman.

Reſpondeo in rigore, probabiliorem eſſe ſecundam opinionem affirmantem viduam ſecundo nubentem obligari ad pœnam promiſſam: ſecundum tamen æquitatem admitti poſſe opinionem Laiman tanquam iuſtam, & congruam. Prima pars, præterquam quod ſufficientèr euincitur ex rationibus pro eadem ſententia ſecunda adductis, firma etiam remanet ex ijs, quæ docuimus *ſub hoc codi. tit. Contractus XV. de matrimon IV. prænot. 8. aſſert. 1.*; ſi etenim, quandò eſt pœna conuentionalis de non contrahendis ſecundis nuptijs declinans à conuentione obligatur ad pœnam, non video etiam, cur non obligetur ad eandem, qui eandem pœnam promiſit alteri coniugi ac- 5 Præfertur ſententia aſſerens obligare.

 cep-

ceptanti? illa etenim pœna vim habet adſtipulationis pœnalis. Secunda pars euincitur ex rationibus per eundem *Laiman. loc. cit.* adductis: non enim probabile eſt, quod cum tam graui periculo incontinentiæ intelligatur promiſſio illa pœnalis obligare; vndè præſumitur facta ſub tacita conditione, niſi grauior cauſa vrgeat, quæ ſit incompatibilis cum ipſa promiſſione pœnali.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ. Ad rationes, quæ pro prima ſententia negatiua afferebantur; dicendum eſt, & primo, quod dato etiam, quod non eſſet licitum ab extrinſeco retrahere à ſecundis nuptijs ſub pœna, non ſit tamen illicitum, quod quis ſibi legem ſtatuat ſub pœna non contrahendi ſecundas nuptias, ad quam obligetur, quandò eidem non imminet grauius damnum: Vidua autem in noſtra hypotheſi legem illam pœnalem ſibi ſpontè impoſuit nullo cogente, & hoc potiſſimum verificatur ſuppoſita conditione qualitatis viduilis in ipſa. Secundò, quià licet libertas matrimonij non poſſit ab alio adimi, quod ſolum iura reſpexerunt, poteſt tamen adimi ex propriæ voluntatis diſpoſitione, vt in re præſenti.

---

§. XVII.

An legato vſufructu vxori, ſi caſtè vixerit in viduitate, & centum, ſi nupſerit, vxor acquirat centum, ſi poſt inhoneſtam vitam nubat.

S V M M A R I V M.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens non lucrari legatum centum aureorum. 2.
Sententia, & rationes ſuadentes lucrari illa centum. 3.
Probabilius illa centum lucratur. 4.
Satisfit rationibus oppoſitæ ſententiæ. 5.

1 Factum tale. DISQVISITIO XVII. Titius maritus Calidoniæ iam proximus morti condito ſuo vltimo teſtamento legauit eidem Calidoniæ vxori ſuæ vſumfructum omnium ſuorum bonorum, ſi caſtè vixerit in viduitate ſua, & centum nummos aureos, ſi nupſerit. Contigit, quod Calidonia poſt obitum Titij mariti ſui turpem, inhoneſtam, & impudicam vitam duxerit, & poſtea reſcipiſcens ab impudicicijs ſuis matrimonium ſecundum contraxit cum Sempronio. Hic controuertendum venit, an Calidonia ratione illius matrimonij ſecundo contracti acquiſierit illud legatum centum nummorum aureorum.

Videtur abſolutè dicendum, nec legatum centum aureorum in eâ hypotheſi acquirere, & hoc potiſſimum ex præſumpta voluntate legantis; quandòquidem præſumendum non eſt, quod maritus voluerit benefacere ei, quę aduerſum ſe ita enormitèr ſe geſſit grauiſſimam iniuriam inferendo per inhoneſtam illam, & impudicam vitam, quam antecedentèr ad ſecundas nuptias duxit, & vtique ſi cognouiſset turpitudinem illam vxoris ſuæ futuram, non diſpoſuiſset in ipſius fauorem de illo legato. Accedit, quod idem Titius in vltimo ſuo teſtamento duos ſtatus vxoris ſuę ſuperſtitis, & vtique poſſibiles conſiderauit, alterum viduitatis, & honeſtæ vitæ, alterum ſecundarum nuptiarum: poſito ſecundo diuerſimodè diſpoſuit à primo ſtatu priuando eandem vxorem vſufructu vniuerſali, in qua ipſam conſtituerat, ſi permanſiſset in primo, & tunc eidem legando centum; eodem vſufructu vtique priuata fuiſset per tranſitum ad nuptias, quantumvis inhoneſtè, & impudicè non vixiſset, quinimmò etiam ſine tranſitu ad ſecundas nuptias, ſi pro eo ſtatu inhoneſtam vitam duxiſset; & deindè pro eodem ſecundo ſtatu tantum diſpoſuit de centum. Hoc ſuppoſito illa conditio honeſtæ, & caſtæ vitæ nominatim pro ſtatu viduili poſita eſt; non quià legans defectum illius reſtrixerit ad illum ſtatum, adeovt extra illum non officeret, ſed quià illum voluerit excludere quoad omnem ipſius diſpoſitionem; & in tantum illam conditionem appoſuit nominatim quoad ſtatum viduilem, in quantum pro illo poteſt præſumi inhoneſtas, cum nulla pro illo ſupponatur cuſtodia, quandò quidem eſt libera ab omni vinculo. Cæterum, cum tunc militet ratio ſummæ iniuriæ in maritum legantem præſumendæ, eſt priuatio quoad omnem ipſius diſpoſitionem. 2 Sententia, & rationes ſuadentes non lucrari legatum centum.

3 Sententia, & rationes ſuadẽtes lucrari illa centũ. Ex aduerſo *Simon de Pretis lib. 4. interpret. 1. dub. 10. num 121. verſ. poſito nunc pro vero*, quem ſequuntur *Gutierez de matrim. cap. 100. num. 10. Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 90. num. 12. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 11 num. 607.*, docet quod in ea hypotheſi non obſtante illa turpi, & inhoneſta vita antecedentèr ducta vxor, quę tranſiuit ad nuptias, acquireret legatum illorum centum aureorum. Rationem ex eo adducunt, quod illa qualitas caſtę, & honeſtę vitę deducta per teſtatorem in conditionem quoad ſtatum viduilem non intelligatur repetita quoad alium ſtatum nuptiarum; adeoque, quod quantumvis ea defecerit pro ſtatu viduili, dummodò tamen adimpleta fuerit pro alio ſtatu conditio nuptiarum non afficiat diſpoſitionem pro tali ſtatu, pro quo adimpleta eſt conditio pro illo appoſita. Ruſſus addunt æquum non eſſe quod

Digitized by Google

quod idem delictum duplici pæna puniatur *arg. l. inter ſocerum §. fin., ff. de pact. dotal. l. cum Pater § pater certam ff. de legat. 2., & l. fideicom. § ſi quis decem, ff. de legat. 3., & l. ſanctio legum, ff. de pænis*; cum autem ob impudicam, & turpem vitam vxor illa amiſerit vſumfructum vniuerſalem ſibi legatum duplici pænæ ſubijceretur pro eodem delicto, ſi poſtquam deuenit ad ſecundas nuptias, priuaretur etiam illo legato centum. Quid igitur concludendum?

4 Probabilius illa centum lucratur.

Probabilius ſentio in hac hypotheſi non amittere illos centum nummos aureos ſibi legatos, ſi nupſerit. Conſentiunt omnes pro ſecunda ſententia allegati. Rationes pro ipſa adductæ efficacitèr hoc euincunt; quibus vlterius vnam, vel alteram addo. Prima eſt, quià in illa diſpoſitione teſtamentaria duo ſtatuuntur omninò diſtincta, & ſingula habent diſtinctas conditiones, ergò purificata conditione, quæ pro vna diſpoſitione ex mente expreſſa teſtatoris requiritur, non eſt, cur acquiri non debeat legatum pro illa diſpoſitum, quandòquidem conditio pro vno ſtatu appoſita non tollitur per non implementum conditionis pro altero præſcriptæ, ſicuti enim vnus ſtatus ab altero non dependet, ita nec conditio vnius ſtatus à conditione alterius. Secunda eſt, quià vxor per illum tranſitum ad nuptias potius reſcipiſcit à delicto anteactæ illius turpis vitæ, quam illud confirmet, ſeù committat, ergò non eſt, cur eidem ſic tranſeunti, & reſcipiſcenti non debeatur legatum diſpoſitum in illo tranſitu.

5 Satisfit rationibus oppoſitæ ſententiæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, non eſſe abſolutè verum id cenſeri diſpoſitum à teſtatore, quod interrogatus, vel aduertens diſpoſuiſſet, cum voluntas corde retenta nihil operetur, niſi tranſiens in diſpoſitionem, prout notant *Baldus in l. vnica nu. 10. in fin. C. de his, qui ante apertas tabulas, Ruinus conſ. 74. n. 11. lib. 1. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 3. tit. 16. n. 5., & ſeqq. Menochius de præſumpt. 35. nu. 20.*, ex verbis autem teſtamenti in ordine ad legatum factum, ſi vxor nupſerit, nullo modo conijcitur, quod voluerit pro illo ſtatu nuptiarum, quod non præceſſerit fornicatio, vel turpis, & inhoneſta vita, adeòque illud non tranſijt in diſpoſitionem. Ad illud, quod ſubditur idem ferè reſpondendum eſt; quantumvis etenim per illam anteactam turpem vitam grauem iniuriam marito leganti, & præfuncto attulerit, quia tamen quoad ſtatum ſecundarum nuptiarum hanc qualitatem non conſiderauit, nec appoſuit in diſpoſitionem, ſed abſolutè diſpoſuit de illo legato ſuppoſita præcisè conditione ſecundarum nuptiarum de illa nulla ratio eſt habenda.

§. XVIII.

An Emphytheuſis habita à primo coniuge pro ſe, & filijs ſuis, ſiue maſculis, ſiue feminis extante ſtatuto excludente feminas à ſucceſſione debeatur filię primi matrimonij etiam ſi ex ſecundo habiti fuerint maſculi.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in caſu particulari. 1.

Sententia aſſerens filiam prioris matrimonij excludere maſculos ſecundi. 2.

Secluſo ſtatuto excludente fæminas, fæmina prioris matrimonij excludit maſculos ſecundi. 3.

Etiam extante illo ſtatuto. 4.

DISQVISITIO XVIII. Titulo ſucceſſionis Caia acquiſierat Emphytheuſim conceſſam aſcendentibus ſuis pro ipſis, & filijs eorum, ſiue maſculis, ſiue fęminis, cum ipſa ſolum eſſet deſcendens à tali linea; tranſiens deindè ad nuptias cum Theodorico eidem in dotem contulit eandem Emphytheuſim; ex eiſdem nuptijs procreata eſt vna dumtaxat Filia, & deinde eadem Caia occubit, & Theodoricus ad alias nuptias tranſiuit cum Calidonia, ex qua progenuit filios maſculos. Extat in ea Prouincia ſtatutum, quo à ſucceſſione excluduntur fęminę. Hic orta eſt controverſia, an Pater ſtante illo ſtatuto tranſmiſerit illam Emphytheuſim ad filios maſculos ſecundi matrimonij, an vero teneretur reſeruare filię prioris matrimonij. 1 Senſus diſquiſitionis propoſitus

Excitat hanc controverſiam *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contractu cap. 11. num. 366.*, in eaque ſupponit fęminam prioris matrimonij excludere maſculos ſecundi, atque pro hac opinione refert *Gaſparem Antonium Theſaurum qq. forenſ. lib. 1. q. 29. n. 15.* Rationem apud neutrum inuenio huius aſſertionis; eam tamen arbitror eſſe, quià bona prioris coniugis, quæ deuenerunt ad alterum coniugem ſuperſtitem ſunt reſeruanda filijs prioris matrimonij; ſi coniux ſuperſtes tranſierit ad ſecundas nuptias per ea, quæ paſſim dicta ſunt in præcedentibus, & ex alio capite bona emphytheutica in fæminam tranſire poſſunt, quandòquidem Emphytheuſis pro maſculis, & fæminis accepta eſt. Difficultas potiſſimum eſt ratione ſtatuti excludentis fæminas à ſucceſſione, quo ſtante non videtur fæmina ius illud Emphytheuticum poſſe acquirere, ſed per 2 Sententia aſſerens filiam prioris matrimonij excludere maſculos ſecundi.

Digitized by Google

per conſequens accedere Patri, & per ipſum transfundi in filios poſterioris matrimonij tanquam hæredes ſuos. Quamobrem

3 Secluſo illo ſtatuto excludente fæminas, fæmina prioris matrimonij excludit maſculos ſecũdi.

Reſpondeo primo, ſecluſo illo ſtatuto excludente fæminas à ſucceſſione certum eſſe fæminam ſuperſtitem ex primo matrimonio excludere maſculos ex alio matrimonio. Ita præter præcitatos DD. *Alexander conſ.* 119. *lib.* 5. *Caldas tit. de nomin Emphyt. q.* 14. *n.* 37. Ratio adducta ſatis efficacitèr hoc euincit, nec in hoc hæſitandum eſt, quandòquidem & iura hoc diſponunt in fauorem filiorum primi matrimonij per textum *in d. l. fæminæ*, & *l. generalitèr C. de ſecundis nuptijs*, nec diſtinguunt, an filij eiuſdem matrimonij fuerint maſculi, vel fæminæ, & emphytheuſis non eſt alligata ſolis maſculis, ſed indiferens etiam, vt transferatur ad fæminas, vt ſupponitur.

4 Etiam extante illo ſtatuto.

Reſpondeo ſecundo, ſuppoſito ſtatuto excludente fæminas à ſucceſſione probabilius etiam eſt fæminam prioris matrimonij excludere maſculos poſterioris. Rationem ex eo dedũco, quià hæc non eſt ſucceſſio Patri, & in bonis eiuſdem Patris, ſed conceſſio directa facta per Dominum proprietatis, ſeù directum eidem fæminæ, quandòquidem ex quo dominus directus emphytheuſim illam conceſſit primo inſtituto pro ſe, & filijs eius, ſiuè maſculis, ſiuè fæminis videtur æquè primo omnibus conceſſiſſe ſeruato tamen ordine ſucceſſiuè prioris, & poſterioris; iura autem excludentia fæminas à ſucceſſione parentum, non intelliguntur eas excludere à conceſſionibus, quæ ab extrinſeco proueniunt, ſeù illis obueniunt.

---

§. XIX.

An legatum à marito factum vxori in dubio ſit interpretandum pro, an contra vxorem binnubam.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita ſecundum ſuas qualitates. 1.
Quæſtio non eſt de ſubiecto non ſupponente. 2.
Extante tali dubio interpretandum eſt legatum contra vxorem binnubam. 3.

1 Factum tale cum ſuis qualitatibus.

DISQVISITIO XIX. Caius in ſuo vltimo teſtamento reliquit legatum Calidoniæ vxori ſuæ, ſed adiectis talibus, vel talibus qualitatibus, & conditionibus, & verbis ita dubijs, vt certum non ſit, an legatum ipſum locum habere poſſit. Tranſijt deindè mortuo Caio Calidonia ad ſecundas nuptias, & cum ageret ad conſecutionem legati, controuerſum fuit, vtrum eidem deberetur. Hic iam ſpeciatim quæritur quid iuris attenta potiſſimum ratione tranſitus ad tales nuptias, ratione cuius interpretatio videtur facienda contra eandem Calidoniam ſecundo nubentem.

2 Non eſt de ſubiecto non ſupponente.

Videtur hæc controuerſia eſſe de ſubiecto non ſupponente, quandòquidem, cum etiam legatum liquidum, & clarum per tranſitum ad tales ſecundas nuptias ſit reſeruandum filijs prioris matrimonij per ſuperius latè probata, à fortiori, ſi ſit dubium, & illiquidum, videtur in eoſdem, ſeù in hæredes refundendum. Nihilominus non inutilis eſt hæc quæſtio, quandòquidem denegari non poteſt, quin legatum ſaltem quoad vſumfructum, ſi ſit clarum, & liquidum debeatur eidem vxori; vndè quæſtio reſpicit ſolum, an ratione illius incertitudinis, & dubietatis proptèr tranſitum ad tales nuptias ſit pro, vel contra eandem vxorem interpretandum, adeovt ipſo etiam vſufructu ſit priuanda.

3 Interpretandũ eſt legatum cõtra vxorem binnubam.

Reſpondeo, probabilius eſſe extante tali dubio interpretandum eſſe contrà vxorem binnubam. *Coraſius lib.* 3. *miſcellan. c.* 1. *nu.* 10. *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. forenſ. lib.* 1. *q.* 28. *n.* 7., & in ſimilibus *Menochius de præſumpt. lib.* 4. *præſumpt* 56. *num* 19. Ratio ex eo deducitur, quià denegari non poteſt, quin vxor per tranſitum ad illas ſecundas nuptias iniuriam inferat priori marito, quià fidem illi datam violare quodamodo videtur, & ipſius animam contriſtare *Caſtrenſis in l. mater C. ad Tertul. Cephalus conſ.* 504. *n.* 1. *lib* 4. *Claudius Pratus in Gnoſe iuris lib.* 4. *tit.* 5 *c.* 1. *verſ. ſeptimo à Laude*, ergò ratione iſtius iniuriæ in quæſtionibus dubijs, vbi agitur de interpretanda mariti offenſi voluntate, ſemper contra vxorem offendentem facienda erit interpretatio *Coraſius d. lib.* 3. *miſcellan. cap.* 1. *num.* 10. Confirmari poteſt primo, quià, quantumvis, quandò verba diſponentis ſunt clara, nec diſpoſitio ex verbis eiuſdem patitur dubietatem ſtandum ſit eiſdem verbis, nec recurrendum ſit ad interpretatiuam eiuſdem teſtatoris voluntatem, quandò tamen ex verbis eiuſdem emanat dubium circa diſpoſitionem, tunc voluntas ipſius interpretanda ſit iuxtà quod præſumitur quid eſſet facturus ipſe teſtator, & quid reſponderet, ſi interrogaretur; quo ſuppoſito demus quod emanante dubio circa legatum diſpoſitum, & quod vxor extante tali dubio tranſierit ad ſecunda vota; an præſumeres, quod eſſet declaraturus ſuam voluntatem in fauorem vxoris, quæ eidem intulit talem iniuriam? & quod interrogatus reſponderet talem eſſe ipſius men-

tem

Digitized by Google

tem? hoc certè veriſimile non eſt, ergò &c. Confirmatur ſecundo paritate, & ex doctrina *Aretini, Angeli, Cornei, Decij, & Aquilini*, quos refert, & ſequitur *Menochius de præſumptionibus lib. 4. præſumpt. 56. num. 19.*, vbi dicunt, quod in dubio, an pupillaris tacita ſub compendioſa contenta matrem excludat, interpretatio contra matrem ad illius excluſionem ſit facienda proptèr reſultantem inimicitiæ coniecturam, ergò etiam in dubio, an legatum debeatur matri, vel non proptèr iniuriam, quam intulit marito per tranſitum ad illas ſecundas nuptias, aduerſus eandem matrem ad excluſionem ſcilicet ipſius mens teſtatoris dubia erit interpretanda.

---

§. XX.

An Tutores conſentientes ſecundis nuptijs matris præiudicent filijs, quorum tutelam adminiſtrant.

SVMMARIVM.

Exponitur in quo ſenſu ſumendus ſit titulus. 1.

Accedente conſenſu filiorum mater euitat pœnas remiſſiuè. 2.

Conſenſus tutoris præſtitus in fauorem matris non præiudicat filijs. 3.

Si filij fuerint puberes conſenſus ipſorum cum illo tutoris eximit matrem à pœnis. 4.

Si filij alij fuerint puberes, alij impuberes, puberes ſibi præiudicant in tali conſenſu, non ſic impuberes. 5.

1 Expoſitio tituli.

DISQVISITIO XX. Diſſoluto matrimonio inter Titium, & Caiam ex obitu eiuſdem Titij, ex quo ſuperſtites fuerunt filij impuberes, conſtitutus fuit Tutor eorundem filiorum impuberum, vel per Patrem ante obitum Octauius, vel à Principe. Contendebat poſtea Caia ad ſecundas nuptias migrare, atque, vt ſe eximeret à pœnis iuris impoſitis contra ſecundo nubentes conſenſum exegit ab Octauio tutore Filiorum, quem vtique obtinuit. Obtinuerat eadem Caia à Titio primo ſuo coniuge plurima bona ex titulo liberali, & lucratiuo. Quæſitum hic fuit, an Tutor per illum ſuum conſenſum præſtitum illis ſecundis nuptijs Caiæ præiudicium intulerit filijs prioris matrimonij exiſtentibus ſub ſua tutela, adeò vt ratione illius conſenſus amittant proprietatem illorum bonorum, quæ fuerant titulo liberali ab ipſorum Patre collata eidem Caiæ.

Accedente expreſſo filiorum conſenſu præſtito Matri tranſeundi ad ſecundas nuptias hanc euitare pœnas iuris contra ſecundo nubentes late dictum fuit in præcedentibus; ex quo videtur congruè inferri poſſe, quod habito conſenſu Tutoris, potiſſimum ſi filij fuerint pupilli, & impuberes, etiam euitet huiuſmodi pœnas, cum conſenſus Tutorum habeatur pro conſenſu filiorum, ex quo voluntates eorum intelligantur moraliter translatæ in illam ipſorum tutorum, & ſicuti in alijs omnibus acta per Tutores habentur tanquam acta eorundem filiorum, & non impugnantur, vt inſubſiſtentia, ita quoad hoc conſenſus eiuſdem tutoris habendus ſit pro conſenſu eorundem filiorum, nec erit impugnandus, vt inualidus quoad hunc effectum; atque in his terminis ſpecialiter ſentit *Gailus in ſuis obſeruat. 98. n. 12.* His tamen minimè obſtantibus 2 Accedente cōſenſu filiorū mater euitat pœnas remiſſiuè.

Reſpondeo, conſenſum Tutoris præſtitum in fauorem matris ſecundo nubentis non præiudicare filijs, quo minus acquirant proprietatem illorum bonorum per Patrem titulo liberali eidem Matri collatorum *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. forenſ. lib. 1. q. 30. nu. 6. Garronis rub. C de ſecundis nuptijs in pœna edit. remed. 2. contra pœnas ſecundo nubenti nu. 12. verſ. an filij, Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 89. nu. 47., Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c. 11. n. 383.* Ratio ex eo deducitur primo, quià in ijs, quæ inferunt maximum præiudicium filijs, non ſufficit Tutoris conſenſus, cuius poteſtas eſt in fauorem eorundem filiorum, non in detrimentum, vndè communiter docent, quod in præiudicialibus, & noxijs nulla ſit tutorum poteſtas, ſed hic conſenſus tutoris maximè cedit in præiudicium filiorum, quandòquidem in fauorem matris binubæ relaxaret proprietatem bonorum ad ipſos filios pertinentem, ergo ipſius conſenſus quoad hoc non poterit prodeſſe. Secundo, quià ad hunc effectum eximendi matrem ab onere reſeruandi filijs proprietatem bonorum, quæ à priori marito exegerat, non ſufficit tacitus ipſorum filiorum conſenſus per ea, quæ docent *Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 89. num. 44. Surdus deciſ. 100. num. 6. & ſeqq. Franc. Stephanus deciſ. 33. num. 8. & alij*, ſed in conſenſu tutoris non eſt expreſſus conſenſus eorundem filiorum, ſed ad ſummum tacitus, ergo &c. Tertiò, quià mater per illum tranſitum ad ſecundas nuptias infert iniuriam perſonalem eiſdem filijs, cui cedere præſumendi non ſunt ijdem filij per conſenſum præſtitum ab eodem tutore, ergo &c. 3 Conſenſus tutoris non præiudicat filijs.

Sed an ſufficeret conſenſus eiuſdem Tutoris ſimul cum conſenſu eorundem filiorum; tunc cum diſtinctione procedendum aſſererem, vel etenim filij eſſent mi-

nores,

4 Si filij fuerint puberes cōſenſus ipſorū cū illo tutoris eximit Matrē à pœnis.

nores, & pupilli, vel maiores & puberes; ſi filij fuerint pupilli, & minores adhuc crederem ipſorum conſenſum cum conſenſu Tutoris non ſufficere ad hunc effectum, quià conſenſus pupillorum non habetur pro libero, cum non ſit cum ſufficienti cognitione; ſi vero fuerint maiores, & puberes, tunc crederem hunc ſufficere, prout docent *Peregrinus conſ.* 78. *nu.* 9. *Gutierez de matrimon. c.* 109. *num.* 10. *Sanchez d. lib.* 7. *diſp.* 89 *num.* 43. *in fin.*, qui volunt ſufficere etiam talem conſenſum filiorum puberum nulla facta mentione conſenſus tutoris, & hoc, quià ijdem filij puberes præſumuntur idonei ad remittendam per proprium conſenſum iniuriam ſibi illatam.

5 Si filij alij fuerint puberes, alij impuberes, puberes ſibi præiudicāt, nō ſic impuberes.

Sed an, ſi ex filijs aliqui fuerint puberes, & alij pupilli, & impuberes, & omnes ſimul præbeant conſenſum cum Tutore; tunc abſolute aſſerendum exiſtimo puberes ſibi præiudicium inferre quoad portionem ſibi contingentem, impuberes vero nequaquam. Ita in ſimilibus *Corraſius lib.* 3. *miſcel. c.* 1. *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. foren. lib* 1. *q.* 30. *n.* 6. *Gutierez de matrimon. c.* 109. *num.* 53. *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.* 11. *n.* 384. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſuperius dicta ſunt, quia, ſi vnus ex filijs prioris matrimonij conſenſum præſtet matri, vt tranſeat ad ſecundas nuptias infert præiudicium ſibi, non alijs, qui non præbuerunt talem conſenſum, ergo ſi omnes præbeant conſenſum, ſed vnus fuerit pubes, & maior, & alij pupilli, & impuberes, pubes, & maior ſibi inferet præiudicium, non alijs pupillis, & minoribus. Conſequentia probatur, quià conſenſus pupillorum, & impuberum non eſt ſufficiens ad hunc effectum, & perinde habetur, ac ſi non eſſet præſtitus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod quantumvis conſenſus impuberum ſecundum ſe non ſit ſufficiens, & aptus ad hunc effectum habeatur tamen pro ſufficienti, & idoneo, quando coniungitur cum illo tutoris, & fratrum maiorum. & puberum: Non, inquam, obeſſe poteſt, quia cum requiratur conſenſus omnino liber reſpectu omnium, & ſingulorum, quia de omnium, & ſingulorum intereſſe agitur, non poteſt per vnius conſenſum alterius induci, nec per conſenſum vnius validum validari conſenſus alterius ex genere ſuo inualidus, vndè pupillus, qui conſenſum inualidum exhibuit, poterit ſemper reſtitutionem in integrum exigere.

§. XXI.

An filius in ſuo teſtamento poſſit præterire matrem binnubam.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.

Conſiderabilia circa ſucceſſionem Matris filijs. 2.

Sententia aſſerens præteritionem illam non vitiare teſtamentum, & excludere Matrem. 3.

Ex ſuppoſitione, quod præteritio illa non officiat Matri, quando non tranſijt ad ſecunda vota, nec etiam officit, quandò tranſijt. 4.

DISQVISITIO XXI. Diſſolutis nuptijs inter Caium, & Semproniam ob obitum eiuſdem Caij Sempronia inconſultis filijs prioris matrimonij tranſiuit ad ſecunda vota cum Theodorico. Filius ex priori matrimonio ſuperſtes, cum in proximo mortis periculo eſſet conſtitutus, condidit ſuum vltimum teſtamentum, in quo vocauit quoſdam ſuos conſanguineos omiſſa penitus matre binnuba, nec vocata ad ſupplementum legitimæ. Quæſitum hic fuit, an teſtamentum illud, in quo mater fuit præterita, nec vocata ad ſupplementum legitimæ ſubſiſtat. 1 Facti ſeries expoſita.

Ad claram huius diſquiſitionis intelligentiam aduertendum eſt *ex auth. de nuptijs* § *hinc nos* matrem ad ſecundas nuptias venientem quandocunque ſuccedere liberis ex teſtamento; ab inteſtato autem cum fratribus defuncti, & in bonis à Patre prouenientibus in vſufructu tantum, in alijs vero bonis filio extrinſecus quæſitis etiam quoad proprietatem. Ruiſus aduertendum eſt *ex* §. *& quoniam mater auth. item de nuptijs*, quod quamvis ex Senatus Conſulto Tertulliano mater excluderetur à filio maſculo, & cum filiabus commiſceretur; ex iure tamen nouo *d.* §. *& quoniam mater* illud ius Senatus Conſul. Tertul. corrigatur per hoc, quod eadem mater vocetur etiam cum maſculis fratribus morientis in tantum, in quantum numerus filiorum fuerit, quatenus & ea partem habeat tantam, quantam vnuſquiſque fratrum, quod idem intelligendum eſt, ſi fuerint promiſcui fratres, & ſorores eiuſdem defuncti; ſi vero fuerint tantum Mater, & ſorores eiuſdem morientis, tunc Senatus Conſultum Tertullianum mediam quidem partem bonorum eiuſdem filij morientis conferebat matri, dimidiam vero ſororibus, quantæcunque extitiſſent. 2 Conſiderabilia circa ſucceſſionē Matris filijs.

Iuſti-

Digitized by Google

Iuſtinianus verò *in d. auth. & quoniam Mater* Senatus Conſultum in hoc correxit, & matrem ſolum vocat pro rata filiarum, quatenus quantum vnaquæque filiarum habet, tantum ſolummodò, & ipſa accipiat. Suppoſita igitur hac iurium diſpoſitione difficultas modo eſt, ſi filius prioris matrimonij condito ſuo vltimo teſtamento vocauerit tantum ad ſucceſſionem fratres, & ſorores ſuas, & matrem binnubam præterierit intelligatur eadem mater excluſa à ſucceſſione, & an illud teſtamentum ſubſiſteret.

3 Sententia afferens illam præteritionem non vitiare teſtamentum, & excludere Matrem.

Illam præteritionem non vitiare teſtamentum, & matrem excludere à ſucceſſione, & etiam à ſuplemento legitimæ videtur tenere *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. forenſ. lib. 1. q. 66. num. 6.*, & hoc ob iniuriam eidem illatam per eandem Matrem in illo tranſitu ad ſecundas nuptias, pro quo allegat textum *in d. §. hinc nos auth. de nuptijs*, licet tamen rem in dubio relinquat alibi examinandam certum eſt, quod hic videtur ſentire, quod præteritio illa officiat quoad Matrem, quæ non pertranſijt ad ſecuudas nuptias, dum aſſerit, dubium eſſe, an officiat, quando per eandem Matrem illata eſt iniuria filio per tranſitum ad ſecundas nuptias, per quod videtur totam rationem dubietatis refundere in illam iniuriam. Quid igitur hac in re concludendum?

4 Si præteritio illa non officit Matri, quando nō trāſijt ad ſecunda vota, nec etiā officit, quādo tranſijt.

Reſpondeo, ex ſuppoſitione, quod præteritio illa non officiat matri, quandò non tranſijt ad ſecunda vota, nec eidem officere, quandò ad ſecunda vota pertranſijt. Ratio ex eo deducitur, quià textus *in d. §. hinc nos, & §. & quoniam Mater* vocat ab inteſtato eandem Matrem ad illam ſucceſſionem in parte ibi diſpoſita, etiam ſi tranſierit ad ſecundas nuptias, ergo ad ipſam excludendam in teſtamento requiritur ipſius mentio, cæteroqui tanquam præterita ſuccedet ab inteſtato; Nec officere poteſt illa iniuria tranſitus ad ſecundas nuptias, quandòquidem nullibi in iure diſpoſitum reperitur, quod hac pœna puniatur ob eundem tranſitum ſcilicet, quod præterita excludatur à ſucceſſione, à qua non excluderetur, ſi non eſſet præterita. Vtrum deinde, ſi eſſet præterita, & non tranſiſſet ad ſecunda vota excludenda eſſet à ſucceſſione, alibi ſuo loco videbimus.

§. XXII.

An filia, quæ fauore patris renuntiauit bonis paternis, & maternis excludatur à bonis, quæ proprio iure eidem ſpectant propter tranſitum Patris ad ſecunda vota.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Pater, qui ſecundo nupſit, tenetur illa bona reſeruare filiæ renuntianti. 2.
Intellige, ſiue filia renuntiauerit ante tranſitum Patris ad ſecunda vota, ſiue poſt. 3.
Si filia renuntiauerit quibuſcunque iuribus ſibi quomodocunque competentibus, tunc obeſſet ipſi, ſi eſſet facta poſt ſecundas nuptias Patris. 4.

1 Facti expoſitio.

DISQVISITIO XXII. Mortua Caia coniuge Theodorici, atque ex eadem relicta filia, eadem filia renuntiauit in fauorem patris omnia bona, & iura, quæ ſibi de iure competebant. Hic orta eſt controuerſia, an eadem filia, quæ renuntiauit bonis paternis, & maternis intelligatur excluſa mortuo Patre à bonis, quæ proprio iure eidem ſpectabant per tranſitum Patris ad ſecunda vota, in quibus Pater ſolum habebat vſumfructum, & proprietas ad filiam pertinebat.

In præcedentibus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. IV. Diſq. II. §. XIII. in reſponſione* diximus Patrem binnubum teneri bona, quæ per renuntiationem filiarum primi matrimonij aſſecutus eſt, reſeruare filijs prioris matrimonij, nec poſſe eadem cum filijs poſterioris communicare, quia renuntiatio ſupponitur facta ad formam iuris. Difficultas modo eſt, an ſtante prædicta renuntiatione teneatur, ſi eadem filia ſolummodò extiterit, illa bona, quæ ipſe pater aſſecutus eſt per renuntiationem filiæ, quæque proprio iure eidem ſpectabant quoad proprietatem, propter tranſitum ad ſecundas nuptias eiuſdem Patris, eidem reſeruare; adeò vt ipſa Patre mortuo poſſit illa bona repetere.

2 Tenetur illa bona reſeruare filiæ renuntianti.

Reſpondeo, Patrem, qui ſecundo nupſit teneri illa bona reſeruare eidem filiæ renuntianti, quę propterea mortuo Patre poteſt illa iuſte exigere *Oldradus, & Guido Papa apud Gaſparem Antonium Theſaurum qq for. lib. 1. q 66. num. 1. Decius conſ. 206. 230., & 396. Benedictus in c. Rainutius in verb. duas habens 288. de teſtam. idem Gaſpar Antonius Theſaurus loc. cit., & lib. 1. qu. 29. num. 13.* Ratio ex eo deducitur, quià illa renuntiatio ſupponitur facta ſecun-

Digitized by Google

dum diſpoſitionem iuris communis, ſecundum quam bona illa ſunt reſeruanda filijs prioris matrimonij, & ſicuti iuxtà præcedentèr dictà illa renuntiatio facta in fauorem Patris non obeſt filijs prioris matrimonij, quominus Pater teneatur eiſdem illa bona reſeruare, nec videtur ipſi renuntianti poſſe obeſſe. Secundo ex eo euincitur, quià renuntiatio illa eſt quoad bona paterna, & materna, ſed illa bona, de quibus agitur, non ſunt paterna, nec materna, ſiquidem proprio iure ipſi debentur ob tranſitum patris ad ſecundas nuptias, tanquam decreta à iure, ergò illa renuntiatio quoad hæc non poteſt obeſſe eidem filię renuntianti; vndè conformitèr ad hæc merito ſcribunt DD., quod hæc bona ad filios prioris matrimonij deuoluantur, quantumvis non ſint hæredes parentum iuxtà textum *in l. generalitèr cum auth. hac nos C. de ſecundis nuptijs, Caſtrenſis conſ. 173. Miſing. ſingul. obſeru. centur 5. obſeruat. 24. Paponius lib. 15. tit. 1. arreſt. 7. Rolandus conſ. 29. lib. 4 Gailus lib. 2. obſeruat. c. 29. nu. 9 Guido Papa q. 288. Oldradus conſ. 294.*

3 Intellige, ſiuè filia renuntiauerit ante tranſitum Patris ad ſecunda vota, ſiuè poſt.

Hic ſolum remanet difficultas, an ea, quę hactenus dicta ſunt in hac reſponſione, æquè ſint intelligenda, quando renuntiatio facta eſt poſt tranſitum Patris ad ſecundas nuptias, ac quandò facta eſt ante eaſdem: & quidem ſiſtendo in rigore verborum, quandò renuntiatio facta eſt cum reſtrictione ad bona paterna, & materna, tenendum eſſet, quod illa renuntiatio, ſiuè facta fuerit poſt tranſitum Patris ad ſecundas nuptias, ſiuè ante illum, non obeſſet eidem filiæ renuntianti, quandòquidem iuxtà ſuperius dicta illa bona non debentur eidem filiæ iure hæreditario parentum, ſed iure proprio ſibi ex diſpoſitione iurium competente, quæ propterea non veniunt ſub illa renuntiatione: Si verò ſupponamus filiam illam non ſolum renuntiaſſe in fauorem patris bonis paternis, & maternis, ſed quibuſcunque iuribus ſibi quomodolibet competentibus, & tunc crederem renuntiationem illam eidem filiæ obeſſe, quià tunc renuntiatio eſſet facta poſt ius quæſitum filiæ in illis bonis quoad proprietatem iuxtà textum *in l. fin. C. de bonis matern.*, adeoque illa renuntiatio abſolutè etiam attingeret hoc ius eidem fæminæ perfectè competens. Accedit, quod in hac hypotheſi ceſſat ratio finalis, ob quam eidem fæminæ deuoluuntur illa bona quoad proprietatem, quæ eſt iniuria proptèr tranſitum ad ſecunda vota, quam iniuriam ſupponitur filia remiſiſſe patri renuntiando illis bonis, poſtquam cognouerit eundem tranſitum iam poſitum; atque in hanc opinionem *Caſtrenſis conſ. 312. viſo puncto iuxta antiquam impreſſionem, Decius in rub. de ſecundis nuptijs col. penult. Ripa in l. fæmina q. 9. C. de ſecundis nuptijs, Oldradus in conſ. 294. num. 2. verſ. vnde ſalſi.*

4 Secus, ſi renuntiatio eſſet facta poſt ſecundas nuptias Patris de bonis ſibi, quocũque iure competentibus

§. XXIII.

An filia, quæ per renuntiationem excluſa eſt à bonis maternis proptèr fratrem, moriente fratre admittatur excluſis fratribus conſanguineis.

S V M M A R I V M.

Elucidatur titulus in ſpeciali facti ſerie. 1.
Sententia aſſerens excludi à ſucceſſione illorum bonorum per illam renuntiationem. num. 2.
Non obſtante illa renuntiatione filia ſuccedit in illis bonis. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.
Si fæmina excludatur à ſtatuto etiam ſuccedit in bonis maternis non extante maſculo. 5.

DISQVISITIO XXIII. Mortua Caia vxore Titij relictis ex illo matrimonio Theodorica, & Octauio, eadem Theodorica renuntiauit iuribus maternis Patri, & hoc intuitu Octauij fratris ſuperſtitis. Titius tranſiuit ad ſecunda vota, & deindè Octauius frater Theodoricæ nullo relicto deſcendente occubuit. Quæſitum hic fuit, an Theodorica non obſtante illa renuntiatione ſuccedat in proprietate illorum bonorum, quæ ſibi de iure competerent ob tranſitum Patris ad ſecundas nuptias ſecluſis fratribus conſanguineis. 1

1 Factum exponitur in ſuis terminis.

Nonnulli apud *Gaſparem Antoninum Theſaurum qq. for. lib. 4. q. 66. num. 3.* arbitrantur per illam renuntiationem Theodoricam excludi à ſucceſſione illorum bonorum, quià bona illa virtute renuntiationis videntur pleno iure pertinere ad Patrem tàm quoad proprietatem, quam quoad vſumfructum, nec amplius illa bona dicantur materna, ſed paterna, vel fraterna ad notata *in l. 1. §. veteres de acquirenda poſſeſ.*, quæ propterea poteſt pater diſponere in quemcunque vſum voluerit. Accedit, quod illa bona ſic renuntiata ità ſe habeant, ac ſi eſſent relicta per teſtamentum ab eadem Theodorica: relicta autem per teſtamentum fiunt pleno iure patris. Nihilominus 2

2 Sententia aſſerens excludi à ſucceſſione illorum bonorum per illam renuntiationem.

Reſpondeo, non obſtante illa renuntiatione Theodoricam ſuccedere in illis bonis *Theſaurus loc. quo ſupra num. 4.* Ratio ex eo deducitur, quià illa renuntiatio non ſupponitur abſoluta in fauorem Patris, ſed iuxtà diſpoſitionem iuris, ſecundum 3

3 Non obſtante illa renuntiatione ſuccedit in illis bonis.

dum quam Pater binnubus tenetur illa bona reſeruare filijs prioris matrimonij, & non aliter, nec alio modo, ergò bona ſic renuntiata non debent alijs cedere à filijs eiuſdem matrimonij, adeoque ipſa vt talis debet ſuccedere in illis bonis excluſis fratribus conſanguineis; Neque obeſse poteſt, ſi aſseratur, quod ex ſuperius dictis deficientibus omnibus filijs prioris matrimonij pater, vel mater vſufructuaria, quantumvis tranſierint a l ſecundas nuptias, fiant pleno iure domini proprietatis illorum bonorum; in præſenti autem hypotheſi ſupponuntur omnes filij prioris matrimonij defeciſse habentes ius ad ſuccedendum, quandòquidem licet ipſa fæmina renuntians ſuperſtes ſit, ſupponitur tamen inepta ad ſucceſſionem proptèr renuntiationem factam quoad illa bona; Non, inquam, obeſse poteſt, nam ipſa fæmina non ſupponitur renuntiaſse abſolutè, ſed dumtaxat in ordine ad filios ſuperſtites eiuſdem matrimonij, & propterea quaſi conditionatè, & propterea ceſsante tali ordine, ſeù conditione ceſsare videtur vis illius renuntiationis.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ. Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, iam patet ex dictis, quid ſit reſpondendum, cum illa renuntiatio ſit ordinata, & quaſi conditionata; Ad illud, quod ſubditur ex paritate deſumpta à relictis à filia per teſtamentum Patri, vel matri ſubdendum eſt iam dictis alibi, quod, cum verſemur in legum correctione à Iuſtiniano facta, non ſit facienda extenſio ab vno ad alterum caſum; cum etenim Imperator voluerit ex teſtamento filij patrem, vel matrem plenam conſequi proprietatem, & nihil dicat de caſu renuntiationis remanet ille caſus incorrectus ſub diſpoſitione *l. fæmina C. de ſecundis nuptijs*.

5 Si fæmina excludatur à ſtatuto ab omni ſucceſſione, ſiuè paterna, ſiuè materna adhuc fæmina non excluditur à bonis maternis deficiente maſculo. Maior ratio dubitandi eſt, ſi fæmina illa non per propriam renuntiationem, ſed ex ſtatuto excluſa remaneret ab omni ſucceſſione, ſiuè paterna, ſiuè materna, ſiuè fraterna. Sed in hac etiam hypotheſi arbitror deficiente etiam fratre maſculo fæminam ipſam non excludi à bonis maternis *Saliceus in l. fæmina §. illud C. de ſecundis nuptijs, & ibi Ripa quaſt. 8 Socinus Sen. conſ. 34., & conſ. 263. lib. 1. Neuiz. in ſilua nupt. prima pars. ampliat. 1. Pariſius conſil. 29. num.* 13. Mouentur aliqui illa ratione, quod ſtatutum intelligendum ſit quoad ea, in quibus filiæ ſuccederent vti hæredes, vel Patris, vel matris, vel fratrum ſuorum; non in ijs, quæ eiſdem competunt de iure ſpeciali proptèr iniuriam eiſdem factam ex ſpeciali iuris diſpoſitione, prout euenit in præſenti caſu, quam rationem non improbabilem exiſtimo, quamvis eandem reprobat Marcus Antonius Theſaurus *qq. for. lib. 4. q. 65. num. 6.* nullam tamen aſſignans rationem reprobationis. Fortior ratio ea videtur, quam aſſignat idem *Theſaurus loc. cit. n. 7.* ſita in eo, quod ſtatutum illud, vtpotè correctorium iuris communis non ſit extendendum ad ea, de quibus ius illud municipale expreſsè non prouidit, ſed ius municipale expreſsè non prouidit de illo lucro, quod filijs tribuitur proptèr vindictam iniuriæ ipſis allatæ per tranſitum ad ſecundas nuptias, ergò diſpoſitio illa non eſt ad illud lucrum extendenda.

---

§. XXIV.

An legatum factum à conſanguineis vxoris eidem ſub conditione caſtè, & honeſtè viuendi poſt diſsolutum primum matrimonium amittatur, ſi eadem vxor nubat perſonæ infimæ conditionis.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Sententia aſſerens legatum illud non amittere. 2.
Sententia aſſerens illud amittere. 3.
Vtraque opinio ſecundum diuerſas præſumptiones poteſt ſuſtineri. 4.

DISQVISITIO XXIV. Iam facta fuerat vidua Sempronia ex obitu Phylippi coniugis ſui, & in viduitate honeſtè permanebat. Quidam conſanguineus ipſius Semproniæ conſtitutus in mortis diſcrimine condito ſuo vltimo teſtamento eidem legauit centum nummos aureos ea adiecta conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit, Conſtituto ſic legato in ipſius fauorem Sempronia tranſiuit ad ſecundas nuptias, ibique in matrimonium copulauit Andræam perſonam vilis conditionis, & qualitatis inæqualis ſtatui proprio, & conſanguineorum ſuorum. Quæſitum hic fuit, an Sempronia ratione talium nuptiarum amiſerit illud legatum. — 1 Factum in ſuis terminis.

Non eſt controuerſia, an ratione nuptiarum præciſè Febronia amiſerit illud legatum, quandòquidem ſuprà latè probauimus nuptias illas non aduerſari conditioni caſtè, & honeſtè viuendi, ſed ratione nuptiarum, vt talium, per quas nupſit perſonæ inferiori, ex quibus nuptijs inferri videtur dedecus non modicum non ſolum eidem Semproniæ, ſed toti proſapiæ, cuius erat conſanguineus, qui illos centum nummos aureos legauerat. Qua in controuerſia videtur dicendum, vti- — In quo ſenſu procedat titulus. — 2 Sententia aſſerens legatum illud non amittere.

Digitized by Google

vtique non amittere, cum illæ nuptiæ, quantumvis cum perſona inferiori non aduerſentur conditioni appoſitę caſtitatis, & honeſtatis, vilitas enim perſonæ, cui nubit, non conſtituit perſonam eidem nubentem inhoneſtam, & non caſtam, cum ratio honeſtatis, & caſtitatis in hoc conſiderenda ſit, prout reſpicit pudicitiam in genere moris, & auerſionem à quocunque concubitu illicito, non prout reſpicit quandam decentiam, & honeſtatem familiæ in genere politico, ciuili & quaſi naturæ.

3 Sententia afferens illud non amittere.

Ex aduerſo ſuſtinent per illas nuptias cum perſona inæqualis conditionis amitti illud legatum, *Angelus in l. iuſtitia § iuris precepta num. 1., ff. de inſt., & iur., & l. mulier §. cum proponeretur nu 4., ff. ad Trebel., vbi Alexander nu. 6., & 10. Gulielmus Benedictus c. Raynutius de teſtament. verb. qui cum alia n. 212. Roſella verb. adulterium num. 6. Silueſter verb. legatum* 1. *q.* 5. *num* 9. Rationem ex eo deducunt primo, quià per illam conditionem legans videtur perſpexiſſe honeſtatem familiæ, cui ſicuti derogaretur per vitam turpem, & inhoneſtam eiuſdem *Semproniæ*, ita non modicum derogaretur per illas nuptias cum perſona vili, & inæqualis conditionis. Secundo, quià denegari non poteſt, quin Sempronia per illas nuptias ingerat quandam inhoneſtatem, & procliuitatem ad inhoneſta, cum repugnent ſtatui viduæ, & communi prudentum æſtimatione reputentur inhoneſtæ, & ſicuti, ſi vidua aſſumpto habitu tertij ordinis D. Franciſci nuberet, inhoneſtè reputaretur nubere, quià nuptiæ repugnarent illi ſtatui, prout docent *Alexander in l. mulier § cum proponeretur nu. 6., ff. ad Trebell., & ibi Claudius Aquenſis nu. 1. Gulielmus Benedictus c. Raynutius de teſtam. verb. qui cum alia nu.* 213. *Mantica de coniect. vlt. volunt. lib.* 11. *tit.* 19. *num.* 33., ita, ſi nuberet cum inæquali conditionis, & vilis qualitatis, inhoneſtè cenſenda eſt nubere, quià illæ nuptiæ repugnarent dignitati proprij ſtatus. Quid igitur concludendum?

4 Vtraque opinio ſecundũ diuerſas prę ſumptiones poteſt ſuſtineri.

Fateor, quod, ſi verbis præciſè diſpoſitionis legatariæ attendamus, tuta videatur prima opinio, quandòquidem per ly *caſtè, & honeſtè viuere* importatur præciſè excluſio vitæ impudicæ, & vitijs deditæ, cum verba ad inuicem referantur, & ſumant ad inuicem explicationem, & ſic per ly *caſtè* explicatur etiam *honeſtè*, adeò vt ſumatur vtraque particula in eodem genere; ſi vero menti præſumptæ legantis attendamus, tunc probabilis eſt ſecunda opinio, cum reuera legans non diſpoſuiſſet de illo legato, ſi præcognouiſſet illas nuptias, quæ reuera cedunt in dedecus totius proſapiæ. In facti tamen contingentia potius conſulerem pro ſubſiſtentia legati, cum in rigore non derogaretur illi conditioni appoſitæ per legantem.

---

§. XXV.

An legatum relictum pro maritandis fœminis honeſtis, & honeſtè viuentibus poſſit dari fœminæ, quæ ſemel fornicata eſt.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus tituli. 1.
Rationes ſuadentes excludi ab illa electione. 2.
Per vnicam fornicationem non excluditur à conſecutione illius dotis. 3.
Solnitur ratio oppoſita. 4.
Nec fœmina conſanguinea prædilecta à teſtatore excluduntur. 5.

1 Exponitur factũ particulare.

DISQVISITIO XXV. In ſua vltima diſpoſitione Caius inter cætera ſic ordinauit, vt ex certis redditibus ſuis inſumerentur ſingulis annis libræ bis mille imperiales in matrimonio collocandis tot fœminis honeſtis, & honeſtè viuentibus erogando ſingulis libras ducentum. Executorem huius ſuæ vltimæ voluntatis conſtituit Sempronium conſobrinum ſuum, & ſucceſſiuè eius deſcendentes in infinitum, quibus etiam ius tribuit nominandi, & eligendi dictas fęminas. Elegit Sempronius pro vno anno inter cæteras Calidoniam, quæ ſemel fuerat fornicata. Quæſitum hic fuit, an ſtante voluntate expreſſa teſtatoris de maritandis honeſtis fęminis, & honeſtè viuentibus potuerit iuſtè Sempronius eligere, & erogare dotem illi fęminæ, cum ſemel fuerit fornicata.

2 Rationes ſuadentes excludi ab illa electione.

Ex dictis in præcedentibus, & præcipuè *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. IV. Diſq. I. §. XIII. verſ. pro complemento* videtur dicendum, Calidoniam in hac hypotheſi excludi ab illa electione, & à iure conſequendi illam dotem, quandòquidem ibi ob vnicam tantum fornicationem vxor poſt mortem mariti ſubit omnes iuris pœnas, quæ infliguntur contra mulieres ſecundo nubentes, cum conſideretur inhoneſtas vitæ in illo vnico actu fornicario, ergo vnica fornicatio conſtituit fęminam fornicantem inhoneſtam, adeòque non aptam ad conſequendam illam dotem deficiente conditione à teſtatore requiſita. Nihilominus

3 Per vnicã fornicationem non excluditur.

Reſpondeo, probabilius eſſe per illam vnicam fornicationem Calidoniam non excludi à conſecutione illius dotis. *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 91. n. 36.* Ratio ex eo deducitur, quià fœmina, quæ ſemel for-

Digitized by Google

fornicata eſt, non dicitur turpem, & inhoneſtam ducere, prout colligunt DD. *ex l. ſtuprum 41. ff. de ritu nupt.*, & alij *ex l. mulieri is ff. de curat. furioſ.* Ibi *& mulieri, quæ luxurioſe viuit*, vbi *gloſ. verb. & mulieri* explicat de meretricio more viuente, hocque idem docent *Coaruuias 4. decret. 2. parte c. 7. §. 9. num. 12. in fin. in 2. edit. Minchaca in qq. illuſtrib. c. 104. n. 6. Padilla l. fideicom. C. de fideicom. Barboſa l. 2. p. in princip. num. 69. ff. ſolut. matrim.*; ad quod confirmandum plura adducunt exempla, & primò de prodigo, qui talis non dicitur, qui ſemel tantum prodige effuderit. Secundo de mercatore, qui talis non dicitur ex eo, quod ſemel negotiationem habuerit. Tertio in eo, qui ſemel ſplendide, aut lautè vixit, qui non dicitur ſplendide, aut laute viuere, & his ſimilia.

4 **Soluitur ratio oppoſita.** Quamobrem ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt in hoc non currere paritatem, quandòquidem fornicatio in vidua in ordine ad priorem coniugem eſt maximè iniurioſa, & etiam in ordine ad filios prioris matrimonij, quæ propterea maximè in iure conſideratur; fornicatio verò ſemel habita in fęmina extranea nemini eſt grauiter iniurioſa, nec valdè in iure conſiderabilis, adeòque &c.

Maior difficultas eſſet, ſi ipſe teſtator in ſui diſpoſitione ſtatuiſſet, quod exiſtentibus de ſua familia, vel agnatione fęminis pauperibus, quæ honeſtæ eſſent, & honeſtè viuerent, ipſæ prelationem haberent, ipſæque deberent eligi, an, inquam, diſpoſitio locum haberet in ordine ad ipſas exiſtentes, ſi ſemel fornicationem commiſerint. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quià, cum ipſæ ſint ſanguine coniunctę cum eodem teſtatore, & cum ipſius conſanguineis, videntur grauem iniuriam eidem teſtatori, eiuſque conſanguineis per illam fornicationem inferre, prout conſideraſſe videtur *Sanchez d. lib. 7. de matrim. diſp. 91 n. 33. & 36.* ratione cuius iniuriæ propterea non videntur vocatæ in illa diſpoſitione, cum à conditione requiſita ſecundum præſumptam voluntatem teſtatoris defecerint. Nihilominus

5 **Nec fœminæ conſanguineę prędilectæ à teſtatore excluduntur.** cenſendum exiſtimo, nec fœminas conſanguineas propter vnicam fornicationem excludi à iure, vt eligantur ad illam dotem, quinimmò ſtante illo iure prælationis, quod habent, debere eligi. Conſentit in hoc *Sanchez loc. cit. num. 6.* Rationem ex eo deduco, quià in illa diſpoſitione teſtator non exigit ſpecialem aliquam prærogatiuam in fœminis conſanguineis, ſed illis dumtaxat ius prælationis attribuit, ergo, ſicuti cæteræ non conſanguineæ per vnam fornicationem non excluduntur ab illo iure, vt eligantur, nec excludi cenſendæ ſunt conſanguineæ. Accedit, quod cum teſtator non diſpoſuerit in fauorem alicuius ſpecialis conſanguineæ, ſed in fauorem conſanguinearum in communi in perpetuum, & pro quocunque tempore, non videtur proſpexiſſe honori ſuæ proſapiæ exigendo in ipſis ſpecialem aliquam honeſtatem, & pudicitiam, ſed fauorem earundem conſanguinearum in perpetuum, quæ quando ſunt vltra quartum gradum, reputantur pro extraneis.

---

§. XXVI.

An legatum pro fœminis maritandis poſſit tribui viduis ſecundo nupturis.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Conſiderabilia circa diſpoſitionem teſtatoris. 2.
Vbi non conſtat de mente teſtatoris, non excluduntur fœminæ iam nuptæ. 3.
Vbi loquitur de fœminis non adhuc nuptis diſpoſitio extenditur ad nuptias, quæ non conſumatæ ſunt. 4.
Vbi non fuerint nubiles poſſunt eligi nuptæ. 5.
Si legatum fuerit pro puellis maritandis non poteſt conferri maritatis, ſi vero pro dotandis, poteſt. 6.

DISQVISITIO XXVI. Statuerat Caius in ſuo vltimo teſtamento, quod de ſuis bonis certi redditus quotannis erogarentur pro fœminis pauperibus maritandis conſtitutis in executores, & electores talium fœminarum certis perſonis ſibi conſanguineis. Contendebant poſteà ijdē executores, an poſſent eligere ex vi illius diſpoſitionis viduas etiam ſecundo nupturas, an vero tenerentur eligere fœminas, quæ nunquam nupſerint. Quæritur iam quid iuris? 1 **Factum in ſuis terminis.**

Attendenda in hoc potiſſimum ſunt verba teſtatoris, & ex eiſdem mens interpretanda, prout notaſſe videtur *Decius rub. C. de ſecundis nuptijs num. 3.*, quæ, ſi indicent referri etiam ad viduas, procul dubio ad eaſdem etiam intelligenda eſt relata diſpoſitio, ſin minus, ad eaſdem referri non poſſe videtur; vbi vero ex eiſdem non conſtet, hoc præcipuè ingerit diſputationem in præſenti. Porro, vbi coniecturaliter poſſet induci, quod mens teſtatoris referretur ſolum ad non nuptas, non iam ad viduas, quæſtio erit, an, ſi fœmina fuerit nupta, non tamen matrimonium conſummatum, adhuc intelligatur cadere ſub diſpoſitione ipſam excludente. Secundo, an, ſi tunc nō adeſſent fęminæ nubiles, quę ante- 2 **Conſiderabilia circa diſpoſitionem teſtatoris.**

Digitized by Google

antecedenter non nupſerint, poſſent iam nuptę cadere ſub illa diſpoſitione. Tertio, an ſi legatum fuerit pro fœminis maritandis, poſſet etiam conferri iam maritatis.

3 Vbi non conſtat de mente teſtatoris viduę non excluduntur.

Reſpondeo primò, vbi ex verbis teſtamenti non conſtiterit de mente teſtatoris, vtrum ſcilicet referatur etiam ad nuptas, an vero reſtringatur ſolummodò ad eas, quæ nuptæ non ſunt, probabilius non excluduntur à tali diſpoſitione fauorabili fœminæ, quæ fuerunt antecedenter nuptæ *Gloſ. c. aperiens verb. trigamos 31. q. 3 Ripa rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. nu. 4. & 5. verſ. contrarium determinat.* Ratio ex eo deducitur, quià talis diſpoſitio eſt fauorabilis, & ſicuti, vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus ex vulgatis iuribus, ita vbi teſtator diſcriminatim non diſponit, nec nos cum diſtinctione debemus diſponere; Nec obeſſe poteſt textus *in l. bones §. hoc ſermone ff. de verb. ſignif.* vbi habetur, quod talis diſpoſitio præſumenda ſit dumtaxat de primis nuptijs. Ibi *Hoc ſermone dum nupta erit, primæ nuptiæ ſignificantur.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille textus non procedit vniuerſaliter, ſed in caſu particulari, in quo ex præſumptionibus inferuntur ſolummodò primæ nuptiæ.

4 Extenditur ad nuptas, quę nõ cõſummãtur.

Reſpondeo ſecundo in ſuppoſitione, qua illa diſpoſitio eſſet intelligenda ſolummodò de fœminis non adhuc nuptis, probabilius non excluderetur fœmina, quæ formaliter per verba de præſenti contraxit, ſed non conſummauit matrimonium *Ripa rub. C. de ſecundis nuptijs nu. 15. verſ. ſed an dicatur in noua edit., Decius ead. rub. C. de ſecundis nuptijs nu. 4., & ibi Garronis in noua edit. nu. 5., Sanchez de matrim. lib. 7. diſp 91. n. 56.* Ratio ex eo deducitur, quia, quamvis conſenſus nuptias conſtituat, non copula, vt alibi diximus, nihilominus in ordine ad hunc effectum nuptiæ non habentur pro completis, adeòque non ſunt tales, vt afficiantur pœna, ratione cuius ſic nupta excludatur ab illo priuilegio, vt poſſit habere congruam illam dotem, quia ad incurrendas diſpoſitiones pœnales, ſeu quaſi pœnales requiritur actus conſummatus. Accedit, quod quamvis conditio non nubendi admittatur in vidua per textum *in auth. cui relictum C. de indict. viduit.* hoc tamen omnes intelligunt, quandò primum matrimonium cum vidua fuit conſummatum *Sanchez d. diſp. 91. n. 56.*, ergo etiam quamvis diſpoſitio legataria excluderet fœminas ſecundo nuptas quoad legatum, intelligendum hoc eſt, quando primæ nuptiæ fuerunt conſummatæ.

Reſpondeo tertiò, ſi nullæ, vel paucæ, & ineptæ fuerint fœminæ nubiles, quæ primo non nupſerint in loco, in quo conditum fuit legatum, probabilius eſt, poſſe eligi fœminas, quæ antecedenter fuerint nuptæ, & manſerint viduæ, dummodò aliæ exiſtant conditiones à teſtatore requiſitæ. *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 91. nu. 57. Garronis rub. C. de ſecundis nuptijs in noua edit. nu. 5.* Ratio fundatur in veriſimiliter præſumpta voluntate teſtatoris, ne pium opus differatur. 5 Vbi non fuerint nubiles poſſunt eligi viduæ.

Reſpondeo quartò, ſi legatum fuerit pro puellis maritandis, probabilius non poteſt conferri fœminis iam maritatis, ſi vero legatum fuerit ad puellas dotandas poteſt fœminis iam maritatis conferri. Ità quoad primam partem *Baldus in l. fin. num. 11. C. de ſent. quæ ſine certa quantitate, Iaſon in l. quominus n. 103. verſ. 5. pro eadem parte ff. de flumin.* Quoad ſecundam *Baldus Nouellus de dote 5. parte n. 12. Ioannes Lupus c. per veſtras de donation. inter virum, & vxorem not. 3. §. 12. num. 8.* In vniuerſum *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp 91. nu. 63. & 64.* Ratio primæ partis deducitur ex forma verborum, quibus conceptum fuit illud legatum; dicitur enim pro fœminis maritandis; ſed fœmina iam maritata non eſt maritanda, ergo &c. Ratio vero ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ſtante etiam, quod fœmina fuerit maritata, verificatur forma, ſecundum quam conceptum eſt legatum, quantumvis etenim ſit maritata poteſt recipere congruam dotem ad ſuſtinenda onera matrimonij, quam prius non habuerit; non enim eſt neceſſe, quod dos conferatur ante matrimonium, ſed poteſt etiam conferri eo iam conſtante. Hæc dixi attenta proprietate verborum, ſecundum quæ concepta ſunt huiuſmodi legata; cæterum attenta æquitate, & præſumpta voluntate legantis, crederem etiam legatum poſſe conferri iam maritatis, quantumvis in diſpoſitione teſtamentaria dicatur pro fœminis maritandis, quandòquidem finis præcipuus eiuſdem teſtatoris præſumendus eſt, quod ſit, vt huiuſmodi fœminæ habeant congruam dotem ad ſuſtinenda onera matrimonij. 6 Si legatum fuerit pro puellis maritandis nõ poteſt cõferri maritatis, ſi vero ad puellas dotandas poteſt maritatis conferri.

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio V. hoc eſt de donationibus inter virum & vxorem.

SOcietas inter coniuges conſtante matrimonio adeo vehemens viget, vt nedum communicatio inter ipſos videatur in affectibus, ſed etiam participatio in rebus quaſi communis. Quamvis autem iura maximè foueant hanc ſocietatem, & indiuiduam quaſi vitæ rationem, in pluribus tamen prolis fauore conſiderato communicationem in rebus attemperant, vt quæ vnius ſunt, ſub alterius dominium nequeant plenè commigrare, etiam ex beneplacito conferentis. Hinc ſpeciatim donationes inter virum, & vxorem conſtante eodem matrimonio interdicuntur, ſicque indiuiſio, & ſocietas in affectibus ingerit negationem, ne ad inuicem res ipſorum per translationem dominij conferantur, & affectus, qui mutuo animos conciliant, efficiant, ne bona adinuicem transferantur. De his donationibus inter eoſdem vberrimus in præſenti erit ſermo. Plura in præcedentibus attigimus, & præcipuè *tom. 5. de ſponſalibus* 3., & accidentaliter in quæſtionibus de pignore & hypotheca; nunc ex profeſſo omnia.

Digitized by Google

PRÆNOTIO I.

An donationes inter virum, & vxorem conſtante matrimonio ſint validæ.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa præſentem titulum. 1.
Simplex donatio inter maritum, & vxorem conſtante matrimonio non tenet irreuocabiliter 2.
Non eſt tamen nulla, ſed tantum reuocabilis. 3.
Eſt valida in origine, ſed imperfecta propter reuocabilitatem. 4.
Nec eſt firma, nec irreuocabilis, quantumvis ſit facta ante benedictiones, & ante conſummatum matrimonium, dummodo matrimonium fuerit ratum. 5.
Eſt reuocabilis, quantumvis ſit facta poſt annum à conſummato matrimonio. 6.
Eſt etiam reuocabilis, quantumvis fuerit facta per interpoſitas perſonas. 7.
Quamvis coniuges à multo tempore non cohabitauerint, donationes inter ipſos ſunt reuocabiles. 8.
Eſt reuocabilis quantumvis facta fuerit à Patre mariti vxori, vel à Patre vxoris Genero. 9.
In iure prohibente has donationes non comprehenduntur donationes cauſa mortis. 10.

PLura de hoc titulo diximus, tum ex occaſione in quæſtionibus de pign., & hypoth. tum in quæſtionibus de ſponſalibus: nunc ex profeſſo ſecundum omnes circunſtantias, & conditiones examinanda, & dirimenda res eſt. Sub hoc titulo examinabitur primo, an ſimplex donatio inter eoſdem teneat. Secundo, an
1 ſit ipſo iure nulla, adeò vt donatarius, vel donataria teneatur ipſo iure donata dimmitere, vel poſſit retinere, quouſq; fuerint reuocata. Tertiò, an ad hoc, vt irritetur, ſeu reuocabilis ſit huiuſmodi donatio, requiratur, quod ſit facta poſt receptas benedictiones, & conſummatum matrimonium, an vero ſufficiat, quod matrimonium fuerit ratum per verba de præſenti. Quartò, an reuocabilis ſit, quantumvis facta fuerit poſt annum à die conſummati matrimonij. Quinto, an teneat, ſi facta fuerit per interpoſitas perſonas. Sextò, an valida ſit, ſi diutino tempore non cohabitauerint, & pro tempore non cohabitationis facta fuerit. Septimò, an ea, quæ dicuntur de huiuſmodi donationibus inter virum & vxorem, æquè intelligenda ſint de donationibus factis per Socerum patrem mariti nurui, vel per Socerum Patrem vxoris genero. Octauò, an in iure prohibente huiuſmodi donationes inter virum & vxorem conſtante matrimonio intelligantur prohibita legata inter ipſos, ſeu aliæ donationes cauſa mortis.

Articuli examinandi circa præſentem titulum.

Assertio I. Simplex donatio inter maritum, & vxorem conſtante matrimonio eſt à iure prohibita, nec transfert donata irreuocabiliter ſimpliciter ſub dominium donatarij, ſed ſimpliciter reuocabilis eſt. Conſentiunt communiter tam Theologi, quàm iuris interpretes, & præcipuè *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 8. §. 2. nu. 19., Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 1. n. 2. Bartolus in l. quod meo in init., & ibi Alexander ff de acquir. poſſeſ. Gregorius Lopez l. 4. verb. non dene tit. 11. p. 4. Antonius Gomez tom. 2. var. c. 4. nu. 33. in initio.* 2

2 Simplex donatio inter mariti, & vxorem non tenet irreuocabiliter.

Expreſsè colligitur *in l. 1., 2. & 3 ff. de donat. inter virum & vxorem, & l. cum hic ſtatus ff. eod tit, & c. fin. eod. tit.*, nec incongrua ratione huiuſmodi iura induxerunt hanc prohibitionem, quandòquidem prohibitio ipſa maximè cedit in fauorem eorundem coniugum, qui ex vehementia amoris facile ſe expoliarent bonis ſuis in præiudicium etiam prolis, niſi iura ipſa procliuem hunc amorem cohiberent. Hanc rationem conſiderarunt, quotquot in hac materia ſcripſerunt.

Assertio II. Quantumvis huiuſmodi ſimplices donationes inter virum, & vxorem conſtante matrimoio non teneant, non ſunt tamen ita nullæ, vt donatarius, vel donataria teneantur ipſo facto, & iure dimittere res donatas, nec poſſint illas retinere, ſed tales, vt ſi reuocentur à donante, valida, & efficax ſit reuocatio *Ioannes Angelus Boſſius, & Sanchez loc. cit. Abbas c. fin. nu. 3. de donat. inter vir., & vxor. Ioannes Lupus rub. de donat inter vir., & vxor. §. 69. num. 1 Tabiena verb. dos q 9. num 10 Molina lib. 1. de primog c. 13 n. 12.* 3

3 Non eſt tamen nulla, ſed tantù reuocabilis.

Expreſsè colligitur *ex l. cum hic ſtatus, ff. de donat. inter vir., & vxor.*, vbi Antoninus Imperator ſtatuit, vt coniux donator, quoadusque vixerit, poſſet reuocare donationem, & ſi viuens illam non reuocaret, morte illius confirmaretur; ex quibus clarè deducitur huiuſmodi donationes non tenere quidem irreuocabilitèr, ſed in ſtatu remanere, quo poſſint firmari, ſi intercedat mors donatoris, & tunc huiuſmodi donationes retrotrahuntur, prout notat *Abbas in c. fin. num. 3. de donat. inter vir., & vxor. Sanchez de matrimonio lib. 6 diſp. 1. num. 3.*

Sed, an huiuſmodi donationes poſſint dici validæ, antequam reuocentur per donatorem, an verò abſolutè dicendæ ſint inua-

inualidæ in ſua origine diſſidium eſt apud DD. Nonnulli arbitrantur eſſe, & dicendas eſſe abſolutè inualidas in ſua origine, hocque deducunt primo *ex l. 3. §. ſciendum autem, ff. de donat. inter vir., & vxor.* vbi dicitur ipſo iure nullius eſſe momenti - Ibi - *Ipſo iure, quæ inter virum, & vxorem donationis cauſa geruntur, nullius momenti ſunt*; quæ autem ipſo iure nullius momenti ſunt in ſua origine non ſubſiſtunt. Secundo ex eo, quod coniuges poſt contractum matrimonium conſtituuntur à iure inhabiles ad ſibi inuicem donandum; donationes autem, quæ procedunt à non habente poteſtatem donandi inualidæ abſolutè ſunt in ſua radice, & proinde ità habentur, ac ſi non fuerint poſitæ. Ex aduerſo alij ſuſtinent, validas eſſe à principio, & quodammodò transferre dominium, quià tamen ſunt reuocabiles durante vita donatoris, dicuntur imperfectæ, & non abſolutæ. Hoc probant paritate donationis cauſa mortis, quæ dicitur imperfecta, & inualida, eo quod vſque ad mortem poteſt reuocari, licet à principio valida fuerit, dominiumque tranſtulerit; atque ſic ſentit *Molina de primog. lib. 1. c. 12. num. 15.*, quem commendat *Sanchez loc. cit. num. 3. in fine*. Accedit, quod ſi confirmantur morte teſtatoris, ſeù donatoris, vtique in ſe ipſis debeant aliquam ſubſiſtentiam habere; nam quod nullam habet ſubſiſtentiam in ſua origine non poteſt conualeſcere, niſi de nouo ponantur ea, quæ requiruntur ad validam donationem, & ſic non eſſet confirmatio, ſed noua poſitio donationis; accedente autem morte donatoris nihil de nouo ponitur, ſed ſolum perſeuerant ea, quæ ab initio poſita fuerunt. Quid igitur concludendum? Certè pro inualiditate ſimplicitèr in ſua origine maximam vim facit textus *in d. l. 3. §. ſciendum autem, ff. de donat. inter virum, & vxor.* vbi nullitas ipſo iure inducitur. Nihilominus crederem, eſſe in origine validas, ſed imperfectas proptèr reuocabilitatem durante vita donatoris. Rationes pro ſecunda ſententia adductæ ſatis hoc efficacitèr euincunt. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ nunc occurrendum eſt, & primo ad textum *in d. l. 3. §. ſciendum autem* dicendum eſt, dici ipſo iure huiuſmodi donationes nullius momenti, quatenus habent hoc ex ſua origine, vt non transferant ius irreuocabile, ſed ſemper remaneat poteſtas in donante reuocandi, & ad ſe trahendi res donatas, perindè, ac ſi non donaſſet, ſicque nullius momenti dicuntur in eo ſenſu, in quo non habent irreuocabilitatem, quam exigeret ipſa donatio, ſi non eſſet inter perſonas à iure prohibitas donare irreuocabilitèr, non autem in eo ſenſu, vt nullam vim habeat, ſi non reuocetur; ſecundo ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, coniuges conſtitui quidem inhabiles ad donandum ad inuicem irreuocabilitèr, non autem ad donandum, nam cum à iure tribuatur ipſis poteſtas reuocandi, vtique ſupponuntur tranſtuliſſe, quandòquidem reuocatio eſt rei donatæ, & translatæ, & ſic ſupponit translationem.

4 Eſt valida in origine, ſed imperfecta proptèr reuocabilitatem.

5 Non eſt firma, nec irreuocabilis, quantumvis ſit facta ante benedictiones, & conſummatum matrimonium.

Assertio III. Huiuſmodi donationes inter virum, & vxorem non ſunt firmæ, nec irreuocabiles, quantumvis factæ fuerint ante ſolemnes benedictiones, & conſummatum matrimonium, dummodò antecedentèr ad ipſas matrimonium fuerit ratum, & initum per verba de præſenti. *Gloſa in l. 3. verb. concubina, ff. de donat. inter vir., & vxor. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 55. nu. 2., & ſeqq. Nauarrus in ſumma c. 17. nu. 149 Villalobos in antimonia iuris lit. D. verb. donatio num. 24. Molina tom. 2 de iuſt. tract. 2. diſp. 289. §. quamvis autem, Manuel in ſumma tom. 1. c. 92. n. 1. Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 1. num. 4. verſ. ſed dicendum eſt, & alij.*

Ratio ex eo deducitur, quià iura, quæ prohibent huiuſmodi donationes loquuntur præciſè de eiſdem, prout factæ ſunt conſtante matrimonio, ſed hoc verificatur poſito conſenſu præciſè per verba de præſenti, quantumvis adhuc non poſitæ ſint benedictiones, nec copula coniugalis, quià nuptias, & connubia conſenſus facit, non copula, ergò &c. Quinimmò adeſt etiam ius *in l. non ſine verſ. quamvis C. de bonis matern.*, vbi dicitur, quod diſpoſitum de viro, & vxore trahatur etiam ad ſponſos de præſenti. Confirmatur, quià ratio finalis iuris prohibentis tales donationes eſt iuxtà ſupra dicta, ne ob nimium amorem coniuges ſe mutuo ſpolient bonis ſuis; maior autem affectio regularitèr viget inter ſponſos de præſenti, qui procliuiores ſunt ad ſibi inuicem donandum in origine matrimonij, in qua noua magis alliciunt, & trahunt, ergò &c.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in iuribus exorbitantibus à iure naturæ, & correctorijs eiuſdem ſtrictiſſima facienda ſit interpretatio per vulgatiſſima iura ſparſim allegata; ius autem prohibens huiuſmodi donationes inter coniuges exorbitat à iure naturæ, ſecundum quod tenerent huiuſmodi donationes, niſi hoc ius obſiſteret, & in materia exorbitanti nomine viri, & vxoris veniunt ſolummodò coniuges poſt conſummatum matrimonium; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià iura prohibentia loquuntur de matrimonio ſine vlla prorſus reſtrictione, quæ proptereà æquè intelligenda ſunt de matrimonio rato, & conſummato, nec in hoc ſit extenſio, ſed præciſè adaptatio iuri prohibenti comprehenſa in terminis prohibitionis.

Digitized by Google

6 Eſt reuocabilis, quantumvis ſit facta poſt annum à die cõſum. mati matrimonij.

Assertio IV. Simplex donatio facta inter maritum, & vxorem conſtante matrimonio reuocabilis eſt, quantumvis fuerit facta poſt annum à die conſummati matrimonij, quinimmò pro quocunque tempore, pro quo durat idem matrimonium *Sanchez de matrimon. lib 6. diſp. 1. num. 5. verſ., ſed vſus huius legis*, vbi alios plures allegat contra *Ioannem Lupum rub. de donation* §. 54. *num*. 2. *Bernardum Diaz reg* 213 *verſ. quinto fallit*, *& alios*, qui ea ratione mouentur, quià poſt lapſum talis anni tepeſcit ardor amoris, ratione cuius ſupponuntur coniuges procliues ad donandum, ſicque ceſsante cauſa prohibitionis ceſsare videtur & ipſa prohibitio. Addunt aliqui ex aduerſarijs, quod ratione talis amoris tepeſcentis donatio facta intra annum matrimonij firmetur elapſo anno, ſicuti confirmatur morte donantis. Nihilominus

Probatur aſsertio, quià iura indefinitè loquuntur de donationibus factis inter coniuges conſtante matrimonio, nec diſtinguunt, quandò fit intra primum annum nuptiarum, ac quandò fit eodem elapſo, ergò nec nos in hoc diſtinguere debemus.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt in primis gratis omninò dici poſt annum feruorem amoris tepeſcere, nam ad ſummum tepeſcit libidinis ardor, non autem comprimitur amor beneuolentiæ. Deindè non ita verum eſt, quod reprimatur libidinis ardor poſt annum matrimonij, quinimmò vt plurimum magis augetur, & fœminæ præcipuè fiunt magis luxurioſæ poſt experimentum continuatum coitus carnalis. Tandem iura conſiderant in huiuſmodi prohibitionibus indiuiduam vitæ ſocietatem, quæ eſt inter coniuges, ratione cuius, ſicuti communicant in affectibus, ita periculum eſt, ne res, ſeù bona etiam adinuicem transferant cum proprio, & prolis detrimento; hæc autem indiuidua ſocietas æquè eſt in primo nuptiarum anno, ac in ſubſequentibus. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, gratis omninò confingi, quod poſt annum nuptiarum firmetur donatio, ſicuti confirmatur morte donantis, cum nullibi hoc in iure definitum reperiatur.

7 Etiam, ſi ſit facta per interpoſitas perſonas.

Assertio V. Huiuſmodi donationes etiam reuocabiles ſunt, quantumvis fuerint factæ per interpoſitas perſonas. In hanc aſsertionem conſentiunt omnes, quos viderim.

Ratio ex eo deducitur, quià in hoc locum habet regula. *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*, & iura in prohibitione attendunt ſubſtantiam, non modum, quo fit donatio; nec in hac probatione diù immorandum eſt, quandò quidem expreſsè hæc aſsertio definita reperitur *in l. ſi ſponſus in princip.*, *& verſ. generalitèr tenendum eſt*, *& l.* 3. §. *videamus in fin.*, *ff. de donat inter vir.*, *& vxorem*. Accedit, quod illa donatio facta per interpoſitam perſonam, vel marito, vel vxori nomine alterius coniugis reſpectiuè eſt manifeſtè in fraudem legis; fraus autem nequit ſuffragari auctori, nec ad effectum, ad quem inducitur.

Assertio VI. Quantumvis coniuges à multo tempore non cohabitauerint, donationes inter ipſos factæ adhuc reuocabiles ſunt, etiam ſi factæ fuerint pro tempore non cohabitationis *Ioannes Lupus rub. de donat.* §. 34. *in initio*, *Duennas reg.* 221. *ampl.* 6. *Sanchez de matrimonio lib.* 6. *diſp.* 1. *num.* 9. 8

Sunt reuocabiles, quamvis à multo tempore non cohabitauerint.

Vt clarius hac in re procedamus, aduertendum eſt, hanc diutinam non cohabitationem ex multis cauſis potuiſse procedere; primo ex ſpontanea eorundem coniugum voluntate, & propria ipſorum auctoritate; ſecundo ex aliqua cauſa, vel neceſsaria, vel vtili, vel vtrique, vel alteri ipſorum, puta negotiationis, vel litis, & ſimilium; tertio ex diuortio interueniente legitima cauſa ex parte alterius coniugis, puta fornicatione, vel morum aſperitate, & ſæuitia; quarto ex diſpoſitione eccleſiæ in pœnam ex aliquo delicto. Maior difficultas hac in re eſt, quandò non cohabitatio proceſſit ex diuortio intercedente legitima cauſa ex parte alterius coniugis, maximè, ſi diuortium factum fuerit ex auctoritate Eccleſiæ, qua in hypotheſi videtur ceſsare ratio finalis illius prohibitionis nempe nimię affectionis inter ipſos coniuges. Nihilominus

Ex quibus cauſis poſſit eſſe diutina non cohabitatio.

Probatur in vniuerſum, quià ex quacunque ex enumeratis cauſis proueniat diutina illa non cohabitatio ſemper verificatur, quod coniuges ſint maritus, & vxor; non enim ex quo ſeparati fuerint etiam per diuortium ceſſat inter ipſos vinculum coniugale, quod non eſt diſſolubile niſi per mortem naturalem alterius coniugis, ſed iura abſolutè interdicunt huiuſmodi donationes inter coniuges ſine vlla penitus reſtrictione, & exceptione, ergò &c. Neque obeſse poteſt, quod inter ipſos, maximè ſi fuerint ſeparati ex diuortio, ceſsare videatur illa nimia affectio, ratione cuius procliuiores redduntur ad donandum; Non, inquam, obeſse poteſt, primo quià ex quo procedit illa donatio ſaltem ex parte donantis vigere videtur vehemens propenſio erga alterum, ſine qua non eſset illa donatio. Secundò, quià illa donatio non poteſt eſse niſi ad conciliandum amorem, & propenſionem erga donatarium ſtante vinculo coniugali adhuc perſeuerante.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Ter-

Tertiò, quià non ceſſat vigor legis, ex quo in caſu particulari dimminuta videatur ratio legis eiuſdem.

9 *Etiam ſi ſit facta à Patre mariti nurui, vel à Patre vxoris Genero*

Assertio VII. Non ſolum ſunt reuocabiles donationes factæ inter coniuges durante matrimonio, ſed etiam donationes factę per ſocerum Patrem mariti nurui, ſi maritus adhuc ſit ſub patria poteſtate. *Ioannes Lupus rub. de donation. §. 42. num. 1. Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 1. num. 10.*

Expreſsè colligitur *ex l. 3. §. videamus verſ. qui in eiuſdem, ff. de donat. inter vir. & vxor.*, & ratio in eo fundari poteſt, quod in ea hypotheſi factum Patris cenſeatur factum filij, cum quodamodo Pater ſit quid vnum cum filio, & bona patris ſint quodamodò bona filij ratione ſuitatis.

10 *In iure prohibente tales donationes non comprehenduntur donationes cauſa mortis.*

Assertio VIII. In iure prohibente huiuſmodi ſimplices donationes inter virum, & vxorem conſtante matrimonio non comprehenduntur legata inter ipſos, nec aliæ donationes cauſa mortis. Conſentiunt communitèr DD. *Ancharanus in c. ſi pater nu. 3. de teſtam. in 6., & ibi Francus notab. 6. Acoſta part. 1. ſuper verb. legauit num. 1. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 1. num. 12.*

Ratio ex eo deduci poteſt, quià huiuſmodi legata, ſeu donationes cauſa mortis non referuntur, nec vim habent, niſi poſt obitum legantis, ſeu donantis, ſed donationes inter coniuges, quæ non referuntur, niſi poſt obitum donantis, ſeu legantis in iuribus allegatis non interdicuntur, ergo &c. Confirmatur ex textu *in l. ſed interim 12. §. ſed quod dicis de donat. inter vir. & vxor*, vbi non damnantur, nec in tempus ſoluti matrimonij. Confirmatur ſecundò, quià donationes inter coniuges ſoluto matrimonio licitæ ſunt, & permiſſæ, ergò etiam erunt licitæ, quandò referuntur ad tempus ſoluti matrimonij per mortem donantis, ſeu legantis. Conſequentia tenet, quia in iure paria ſunt facere in tempore permiſſo, & in idem tempus factum referre *arg. textus in l. in tempus ff. de hæred. inſtit.*

Verificantur attento ſolummodo iure communi.

Hæc, quæ in hac aſſertione diximus, verificantur attentà dumtaxat diſpoſitione iuris communis *in l. 1. 2. & 3. ff. de donat. inter vir. & vxor.*; nam attentis iuribus municipalibus aliquarum regionum, de quibus aliquid dicetur in particulari in ſubſequentibus, reiecta ſunt huiuſmodi legata inter coniuges, quantumvis referantur ad tempus diſſoluti matrimonij per obitum coniugis donantis, ſeu legantis.

PRÆNOTIO II.

An futurus maritus ante contractum matrimonij poſſit dotem validè conſtituere futuræ vxori, illique irreuocabiliter augmentum facere.

SVMMARIVM.

Secundum duplicem ſenſum poteſt examinari titulus, 1.

Si conſtitutio dotis, vel augmenti facta per futurum maritum ſit relata cum limitatione ad tempus conſtantis matrimonij reuocabilis eſt. 2.

Tenet tamen, & irreuocabilis eſt, ſi non ſit relata ad tempus conſtantis matrimonij. 3.

Quæ dicta ſunt de conſtitutione dotis, vel augmenti eiuſdem intelligenda ſunt cum proportione de quacunque donatione, vel relata ad tempus conſtantis matrimonij, vel non relata ad illud. 4.

HÆc difficultas ſic indefinitè propoſita ſecundum duplicem ſenſum poteſt examinari, vel quatenus conſtituatur à futuro marito dos, vel augmentum dotis, ità vt non habeat vim, niſi poſt contractum matrimonium, vel quatenus conſtituatur irreuocabiliter ante ipſum contractum matrimonium, adeò vt ex tempore conſtitutionis non poſſit amplius reuocari. Porro, quæ dicuntur de conſtitutione dotis, vel augmento eiuſdem, ſiue relatis ad tempus iam conſtituti matrimonij, ſiue ad tempus antecedenter ad ipſum, intelligi poſſunt de quacunque alià donatione antecedenter ad ipſum matrimonium ſecundum eandem conſiderationem relationis ad tempus matrimonij iam conſtituti, vel ad tempus ante idem matrimonium. 1

Secundum duplicem ſenſum poteſt examinari titulus.

Assertio I. Conſtitutio dotis, vel augmenti eiuſdem dotis facta per futurum maritum futuræ vxori non tenet, nec irreuocabilis eſt, ſi ſit relata cum limitatione ad tempus iam conſtituti matrimonij, & non aliter *Bartolus, & Baldus in l. 1., & 4. C. de donat. ante nupt. Panormitanus in c. & ſi neceſſe de donat. inter vir. & vxor. Valaſcus conſult. 4. num. 3. Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 12. n. 2. Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 7. num. 2. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 8. no. 21., & alij magis communiter.* 2

Si conſtitutio dotis, vel augmenti per futurũ maritũ ſit relata cũ limitatione ad tempus iã conſtantis matrimonij non eſt irreuocabilis.

Expreſſè colligitur *ex l 4. C. de donat. ante nuptias*, vbi ſic legitur. *Quod ſponſa ea lege donatur, vt eius dominium adipiſcatur, cum nuptiæ fuerint ſecutæ, ſine effectu eſt;*

nec incongruæ rationi hæc aſſertio, & textus pro ipſa allegatus innititur, quandòquidem conſtitutio dotis, ſeu augmenti eiuſdem facta per maritum conſtante iam matrimonio irrita eſt, & vtique reuocabilis, vt omnes conſentiunt præcipuè attenta diſpoſitione iuris *in d. l. 1, 2, & 3 ff. de donat. inter vir, & vxor*, ergo etiam conſtitutio dotis, ſeu augmenti eiuſdem ante contractum matrimonium per futurum maritum, quæ referatur dumtaxat ad tempus contracti iam matrimonij, inualida erit, & vtique reuocabilis. Conſequentia probatur, quià in iure paria ſunt aliquid conferri pro tempore inhabili, & non permiſſo ab eodem iure, & conferri pro tempore habili, & non prohibito, ità tamen, vt vim non habeat, niſi pro tempore inhabili, & à iure prohibito *l. in tempus ff. de hered. inſtit. l. eum qui ff. de iuriſd. om. iud, Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 1. n. 4. Tiraquel de iure conſtituti part 3. limit. 2. n. 3. & ſeqq. Coſta in l Gallus § quid ſi tantum ff. de liber, & poſth. part. 2. n. 174. Valaſcus conſult. 77. n. 4.*, ergo ſi non valet conſtitutio dotis, vel augmenti eiuſdem conſtante matrimonio facta per maritum vxori de præſenti, nec valebit facta ante matrimonium per futurum maritum futuræ ſponſæ, quando valor eiuſdem dotis, vel augmenti refertur ad tempus conſtituti matrimonij.

Assertio II. Conſtitutio dotis, ſeù
3 Tenet tamen, & irreuocabilis eſt, ſi nõ ſit relata ad tempus conſtantis matrimonij.
augmenti eiuſdem facta per futurum maritum futuræ coniugi, nec relata ad tempus conſtantis matrimonij abſolutè tenet, nec reuocabilis eſt *Auguſtinus Barboſa collect. ad l. 1. C. de donat ante nupt. vbi plures iuris interpretes allegat. Panormitanus in c. & ſi neceſſe de donat. inter virum & vxor. Borellus in ſumma deciſ. tom. 2. tit. 3. n. 230. Angelus verb. Dos num. 6. Caſtrus Palaus de iuſt. & iur. tract. 32. diſp 2. punct 15. § 8. n. 2. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 8. num. 20.*

Expreſsè colligitur *l. ſi ſponſus 5. in init. §. ſi vero l. inter eos ff. de donat. inter vir. & vxor*, vbi ſic legitur *Inter eos, qui matrimonium coituri ſunt, ante nuptias donatio facta iure conſiſtit, etiam ſi eodem die nuptiæ fuerint conſecutæ* hoc idem ſtatuitur *in l. Seia §. virgini ff. eod. l. cum in ſe C de donat. ante nupt.* Ratio autem aſſertionis, & huiuſmodi iurium in eo conſiſtit, quod iura prohibentia donationes inter coniuges conſtante matrimonio non comprehendunt donationes factas ante nuptias; tum quia iura prohibentia donationes inter coniuges conſtante matrimonio ſunt correctoria iuris communis, & naturæ, ſecundum quod vnuſquiſque poteſt donare res ſuas cuicunque voluerit; iura autem correctoria ſunt ſtrictè interpretanda, non extendenda vltrà verborum formam; tum quia quoad donationes ante nuptias non militat ratio prohibitionis, quæ militat conſtante iam matrimonio, ſiquidem quando matrimonium iam contractum eſt, fortior viget vis nimij affectus, quo coniuges promouentur ad ſe inanitèr ſpoliandos bonis ſuis, ergo &c.

Assertio III. Ea, quæ dicta ſunt de cõſtitutione dotis, vel augmenti eiuſdem, 4 Quæ dicta ſunt de cõſtitutione dotis intelligenda ſunt cum proportione de quacunq; donatione.
proportionaliter intelligenda ſunt de quacunque alia donatione, adeò vt, ſi fiat ante contractas nuptias, ſimplicitèr teneat, & irreuocabilis ſit; ſi verò ante eaſdem, ſed relatè ad nuptias contractas, nec teneat, nec ſit irreuocabilis. Ità omnes ferè DD. citati pro vtraque præcedenti aſſertione, & ſpeciatim *Ioannes Angelus Boſſius de dote c. 8. n. 20, & 21.*

Iura, & rationes, quæ euincunt præcedentes aſſertiones, etiam vim habent concludenter iſtam euincendi, quibus adde *textum in l. 1 C. de donat. ante nupt.*, vbi Imperator decernit, quod ea, quæ futurus maritus donauit futuræ vxori, ſi poſteà contractis nuptijs ea recipiat in dotem, teneant in dotem, & valeat præcedens illa donatio.

PRÆNOTIO III.

An donatio remuneratoria inter virum, & vxorem conſtante matrimonio teneat, & irreuocabilis ſit.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine donationis remuneratoria. 1.
Articuli examinandi ſub hoc titulo. 2.
Donationes remuneratoria inter coniuges tenent, & ſunt irreuocabiles. 3.
Vt ſint irreuocabiles, requiritur, vt merita, & obſequia, ob quæ fiunt, non ſint alio titulo debita. 4.
Non requiritur tamen expreſſio eorundem ſed ſufficit, ſi præceſſerint. 5.
Quamvis non ſit neceſſaria expreſſio, eſt tamen neceſſaria pro foro externo probatio. 6.
Si donatio remuneratoria excederet merita, eſſet reuocabilis quoad exceſſum. 7.
Donans ante nuptias poteſt recipere donationem conſtantibus nuptijs. 8.

NOmine donationis remuneratoriæ intelligo hic eam dumtaxat, quæ præſupponit merita, quæ non exigunt retributionem titulo iuſtitiæ, quaſi quod benemerens habeat ius actionis, & petendi eandem retributionem, ſed ſolummodò titulo gratitudinis tanquam antidoralia obſequia; De priori etenim remuneratione exigente ex iuſtitia mercedem nulla

poteſt

(Quid ve-
... nomi-
donatio
... remu-
ratoriæ.)

poteſt eſſe difficultas, quandòquidem iura prohibentia donationes non prohibent adimplementum obligationis ex iuſtitia, & executionem debitæ mercedis. Siſtit ergo titulus in donationibus, quæ quidem ſimplices non ſunt, ſed fundantur in meritis exigentibus tantum ex gratitudine retributionem, circa quas diſputabitur primò, an huiuſmodi donationes factæ inter coniuges durante, ſeu conſtante matrimonio teneant, & irreuocabiles ſint. Secundò, an adhoc, vt teneant, neceſſe ſit, vt exprimatur ipſas fieri ob benemerita. Tertiò, an ſit neceſſaria probatio meritorum. Quartò, an, ſi donatio remuneratoria excederet merita, teneret quoad totum, an vero ſolummodo quoad partem æquipollentem meritis. Quintò, an, ſi alter coniux non adhuc contracto matrimonio, nec habita vlla ſpe matrimonij alteri donauit res aliquas pretioſas, poſſit donatarius, ſi poſtea cum donante matrimonium inierit, donationem remuneratoriam eidem facere.

2 Articuli (ex)aminan(d)i ſub hoc (ti)tulo.

Eſſet hic etiam agendum, an maritus ignobilis, qui contraxit matrimonium cum fæmina nobili, vel ſenex cum iuuencula, poſſit ratione nobilitatis alterius, & iuuentutis retributionem aliquam facere. Secundò, an ſi quis virginem ſeductam violauerit, & poſtea eadem in vxorem ducta donationem remuneratoriam fecerit ob iniuriam eidem illatam ante matrimonium, teneret illa donatio; ſed quià de his fusè egi *tom. 5. ſub tit Contractus XIV. de ſponſalib. III. Diſq II. §. II. num 4. & 5.* ad ibi acta vos remitto.

3 Donationes remuneratoriæ (t)eneat irreuocabi(les).

Assertio I. Donationes remuneratoriæ inter coniuges durante, ſeu conſtante etiam matrimonio abſolutè tenent, nec veniunt ſub diſpoſitione iuris irritantis ſimplices donationes inter coniuges *Abbas c. fin. nu 7. de donat. inter virum, & uxor. Tiraquel l. ſi vnquam verb. donatione largitus C. de reuocand donat. n. 19. Tabiena verb. donatio 3. in initio, Menochius de arbitrarijs lib. 2. caſ. 132. n. 4. Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 6. nu. 3.*, qui tamen quoad hoc plures requirit conditiones, de quibus nos in ſequentibus aſſertionibus; atque hoc idem nos docuimus *tom. 5. ſub tit Contractus XIV. de ſponſal. 3. Diſq. II. §. II. nu. 4. in fine*.

Expreſsè colligitur hæc aſſertio ex textu *in l. quod autem §. ſi vir ff. de donat. inter vir. & uxor.* Vlterius euinci poteſt ex ijs, quæ docent *Surdus deciſ. 166. n. 22. Hondedeus conſ 48. n. 16., & ſeqq. lib. 1. & conſ 30. nu. 5. & 6. lib. 2. Clarus lib. 4. ſentent. §. de donat. q. 4. n. 5. Menochius de præſumpt. lib. 3. q. 12. Rota Romana deciſ. 113. num. 4. part. 1. recent. Palacius Rubens in rub. de donat. inter vir & uxor. §. 10. Ruinus conſ. 13. n. 2. verſ. adſquod duobus modis*, nempè, quod, ſi ſponſus ignobilis contraxerit matrimonium cum fæmina nobili, vel ſenex cum iuuene, eidemque etiam conſtante matrimonio donationem fecerit, valeat incontinenti donatio, adduntque rationem, quià cenſetur facta ex cauſa remunerationis, ad quam tamen de iure non tenebatur, cum nulla de hoc facta fuerit conuentio, ſicque ſiſtit in puris terminis donationis remuneratoriæ. Accedunt ea, quæ nos docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal 3. prænot. 6. n. 2.*, nempè ſponſalitias largitates excedentes quantitatem à iure præſcriptam non indigere inſinuatione, quando ſunt reciprocæ, quia ambæ inducunt rationem, donationis, remuneratoriæ, prout expreſsè *in l. Aquilius Regulus ff. de donat.*; & *Iulius Clarus §. donatio q. 3. n. 1.* addit rationem, quia negari non poteſt, quin ſaltem naturali ratione, qui beneficium accepit, benefacienti ſit obligatus; atque hoc aſſerit eſſe maximi effectus, nam ex hoc ſequitur, quod talis donatio non indigeat inſinuatione.

Assertio II. Ad hoc, vt irreuocabiliter teneant huiuſmodi donationes remuneratoriæ, requiritur, vt merita, & obſequia, ob quæ fiunt, non ſint alio titulo debita; probabilius tamen non requiritur, vt de eiſdem meritis, & obſequijs fiat expreſſio in ipſis donationibus, ſed ſufficit, quod præceſſerint. Ita quoad primam partem *Ripa in l. ſi vnquam q. 14. num. 30. verſ. 2. C. de reuocand. donation Iaſon in l. ex hoc iure n. 55. in fin. ff. de iuſt. & iur. Ioannes Garzia de donat. remuner. n 52. Tiraquel in d. l. ſi vnquam verb. donatione largitus nu. 106. & ſeqq. C. de reuoc. donat.* Quoad ſecundam *idem Tiraquel in d. l ſi vnquam verb. donatione largitus, Menochius de arbitrar. lib. 2. caſ. 88. num. 53. Maſcardus de probat. concl. 560. num. 10: Silueſter verb. donatio 2. q. 7. dict. 13. Nauarrus in ſumma c. 17. nu. 146.* 4

4 Vt ſint irreuocabiles, requiritur, vt merita, & obſequia, quæ fuerint, non ſint alio titulo debita.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià ſolutio ſemper præſumitur facta in ordine ad cauſam duriorem, vt ſentiunt communitèr DD., ergò interueniente debito iuſtitiæ, & titulo donationis remuneratoriæ ex antidorali obligatione erogatio ſupponenda eſt facta ex onere iuſtitiæ, non autem ex titulo remunerationis prouenientis ex gratitudine. Confirmatur, quià concurrente debito iuſtitiæ nemo vnquam liberalis præſumitur per textum *in l. rem legatam, ff de adimen. leg. l. ſi ſeruo, ff. de hered. inſtit. l. proximè, ff. de ritu nupt.*

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià, vbi intercedunt præcedentia merita, & obſequia, quantumvis eorum non fiat expreſſa mentio, largitio potius ſupponitur facta in compenſationem eorundem meritorum, quam ex alio titulo omninò gratuito, ergò conſtante de talibus 5

5 Non re- qu... me... pr... rui...

libus

Digitized by Google

libus meritis, & obſequijs donatio tanquam remuneratoria abſolutè tenebit, quantumvis eorundem meritorum in ipſa donatione nulla facta fuerit expreſſio. Antecedens probatur, tum ob allatam ſuperius rationem, quia potius ſupponenda eſt donatio pro eximendo ab onere naturalis æquitatis, quam ad conſtituendum alterum ſibi antidoralitèr debitorem, quia ſolutio cedere debet in duriorem partem; tum quia innata eſt cuicunque propenſio retribuendi pro beneficijs ſibi collatis. Hæc eadem aſſertio ſufficientèr videtur euinci *arg. l. ſi vero §. idem Papinianus, ff mandati*, vbi dicitur, quod libertus poſt libertatem acquiſitam à Domino videns Dominum fundum ſuum vendentem, & non repugnans venditioni cenſeatur donare in retributionem manumiſſionis.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod hac ratione omnis donatio eſſet remuneratoria, quandòquidem ſoli merenti præſumitur donatio fieri, prout notat *Baldus in l. illud nu. 8. C. de ſacroſ. Eccleſ. Barboſa in l. quâ dotis num. 56., & ſeqq., ff. ſolut. matrimonio*. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia donationes non ſolum fiunt ob benemerita, ſed etiam crebrò antidoralitèr ad effectum obligandi donatarium, & aſſertio procedit in ſuppoſitione, quod præceſſerint in donatario merita, & obſequia.

6 Licet non ſit neceſſaria expreſſio eſt tamen pro foro externo neceſſaria probatio eorundem.

Assertio III. Quantumvis non ſit neceſſaria expreſſio meritorum in donatione, vt valida ſit, & irreuocabilis, eſt tamen pro foro externo neceſſaria probatio eorundem meritorum, licet non pro foro interno animæ. Ita in vniuerſum *Sanchez de matrimon lib. 6 diſp. 6. nu. 3. Nauarrus in ſumma cap. 17. num. 145. Gutierez de iuramenti prima part. c 5 nu. 18. Molina tom. 1 de iuſt. tract. 2. diſp. 244. § quando conſtat*.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia tota ratio, ob quam huiuſmodi donationes tenent, & irreuocabiles ſunt, fundatur in meritis præcedentibus, quæ ſaltem naturali iure exigunt retributionem, ergò eatenus in foro externo hunc effectum obtinebunt, quatenus probabuntur præceſſiſſe; quoad forum etenim externum merita non exiſtentia, & non apparentia quoad effectum obligandi in eodem foro paria ſunt.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia probatio intantum requiritur, in quantum innoteſcere debet veritas meritorum, ſed quoad forum internum animæ, in quo veritas purè conſideratur ſecundum ſe ſufficientèr innoteſcunt eadem merita, & quoad Deum, & quoad conſcientiam ipſius donatarij ex ſuppoſitione, quod merita verè præceſſerint, ergò &c.

Hoc tamen vnum aduertendum eſt, quod merita huiuſmodi adhoc, vt obtineant effectum irreuocabilitatis quoad donationem remuneratoriam, debeant eſſe inſignia, vt docent *Ioannes Lupus rubrica de donationib. §. 50. num. 32. Caſtillo proemio legum Tauri ſuper gloſa*. Ratio ex eo deducitur, quia merita modica in nulla conſideratione habentur; vnde ſi quis pro modico obſequio maximam conferret retributionem cenſeretur ſimplicitèr donare, non remuneratoriam conferre donationem.

Assertio IV. Si donatio remuneratoria excederet merita non ſubſiſteret quoad exceſſum, benè tamen quoad partem correſpondentem eiſdem meritis, & obſequijs *Gratianus reg. 150 nu. 28 Ioannes Garzia de donatione remuneratoria num. 51. Alexander de Neuo cap fin. num. 7. de donat. inter vir., & uxor. Tiraquel. in l. ſi vnquam verb. donatione largitus num. 79., & ſeqq. C. de reuoc. donat. Sanchez de matrimon. lib 6. diſp. 6. num. 6., & alij magis communitèr*, & conſonat cum ijs, quæ nos docuimus *tom. 5. ſub tit Contractus XIV. de ſponſalib. 3. Diſquiſit. 1. § 8. num. 2. dum de ſponſalitia largitate*.

7 Si donatio remuneratoria excederet merita eſſet reuocabilis quoad exceſſum.

Expreſſè colligitur *ex l. ſancimus 34. in initio C. de donat.*, vbi ſic legitur: *Si quid autem ſupra legitimam definitionem fuerit donatum hoc, quod ſuperfluum eſt, tantummodo non valere*; ex quibus verbis duo inferes, quæ attingunt aſſertionem quoad vtramque partem; primum quod teneat donatio, quæ non eſt ſupra legitimam definitionem, dum limitatè dicit ſolummodò id, quod ſuperfluum eſt, non tenere, ex quo ſequitur, quod id, quod non eſt ſuperfluum, teneat; ſecundum, quod non teneat ſecundum exceſſum, ſeù ſecundum id, quod ſuperfluum eſt. Confirmari poteſt *ex regula vtile 37. de regulis iuris in 6.*, vbi dicitur; *quod vtile per inutile non vitiatur*, & hoc præcipuè in præſenti hypotheſi ex præſumpta donantis voluntate, ſecundum quam cenſetur donare ex titulo remuneratorio quidquid poteſt legitimè donare, nec velle irritam eſſe donationem quoad partem correſpondentem meritis ex eo, quod ſit inualida quoad portionem excedentem. Neque hic audiendi ſunt aliqui, qui aſſerunt donationes excedentes, quæ indigent inſinuatione infirmari quoad totum, ſi ſine illa fuerint poſitæ. Non, inquam, audiendi ſunt, quandòquidem fallit in donationibus remuneratorijs, vt punctualis eſt textus *in d. l. ſancimus C. de donat.* Deindè ad ſummum procedunt in donationibus ſimplicibus, non autem in donationibus ex cauſa, ſeù remuneratorijs, qualis hæc eſt, de qua agimus, vt benè notat *Bartolus in l. Aquilius Regulus num. 3. ff. de donat.*

Rationes ſuadentes intentum.

Socinus

Digitized by Google

Socinus Iunior conſ. 77. num. 152. lib. 2.

Quomodo merita debeant corſpődere donationi.

Hic latè diſputat *Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 6. num. 7.* qualitèr merita debeant correſpondere donationi adhoc, vt valida ſit, & ſit æquipollentia dati ad acceptum, hoc eſt meritorum ad præmium, vbi refert varios dicendi modos, variaſque opiniones. Mihi magis arridet, hoc remittendum eſse prudentum arbitrio, conſiderata qualitate perſonarum donantis ſcilicet, & donatarij, & item valore meritorum *Tiraquel. in d. l. ſi vnquam verb. donatione largitus n. 84., & 86. C. de reuoc. donat. Menochius de arbitr. lib. 2. caſ. 132. num. 7. Iulius Clarus lib. 4. recept. § donatio q. 3 in fin.*; non enim donatio, quæ reſpectu vnius etiam in ordine ad æqualia merita ſuperexcedens eſt, ſi ſit pauper, & ignobilis, eſt ſuperexcedens reſpectu alterius, qui diues eſt, & nobilis, cum nobiles longe maiorem ſoleant conferre retributionem. Quamobrem muneris erit prudentis viri conferre qualitates perſonæ donantis, & meritorum donatarij, & ſic taxare congruam remunerationem.

8 Donans ante nuptias poteſt recipere donationẽ conſtantibus nuptijs.

Assertio V. Coniux, qui adhuc non contracto mattimonio, nec habita vlla ſpe matrimonij alteri res pretioſas donauit poteſt ab eodem donatario, ſi inter ipſos poſtea contractum fuerit matrimonium, recipere validè donationem remuneratoriam, adeo vt hæc immediatè teneat, & irreuocabilis ſit *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 32. num. 8. in fin. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 6. num. 12.*

Ratio ex eo deducitur, quià donationes remuneratoriæ inter coniuges non prohibentur à iure per textum *in l. quod autem §. ſi vir, ff. de donat. inter vir., & vxor.*, ſed denegari non poteſt, quin donatio facta ab altero coniuge conſtante matrimonio ſuppoſita donatione præcedenti facta ab eodem donatario ſit verè remuneratoria, quandòquidem reſpicit beneficium præcedens ipſi donanti factum, ergò, &c. Confirmatur, quià gratitudo, in qua fundatur donatio remuneratoria, non potius reſpicit beneficia præſentia, quam præterita, ergò &c.; nec matrimonium poſteà contractum eximit ab antidorali præcedenti obligatione.

PRÆNOTIO IV.

An vxor omnia ſua obſequia debeat viro.

SVMMARIVM.

Ad quem finem dirigatur titulus. 1.

Præſtitis conſuetis obſequijs marito, & familiæ vxor, quidquid acquirit ex extraordinarijs operibus, ſibi acquirit. 2.

Si præſtet extraordinaria opera in fauorem mariti, & familiæ poteſt irreuocabilitèr recipere donationem remuneratoriam. 3.

Quanam non teneatur vxor nobilis præſtare marito. 4.

1 Ad quem finem dirigatur titulus.

AD duplicem finem dirigi poteſt præſens titulus; primò ad inueſtigandum, an vxor præſtitis conſuetis obſequijs viro poſſit ex extraordinarijs operibus aliquid ſibi lucrari, quod non communicet cum viro; ſecundo ad inquirendum, an ita mulier ſit obſtricta marito, vt quidquid egerit, cenſeatur agere ex debito erga eundem maritum, & matrimonium, vt non mereatur vllam donationem remuneratoriam, ſed, quidquid confertur, ſit ex ſimplici donatione.

2 Quidquid acquirit ex extraordinarijs operibus ſibi acquirit.

Assertio. Præſtitis conſuetis obſequijs marito, & familiæ probabilius vxor, quidquid vlterius acquirit ex operibus ſuis extraordinarijs, ſibi acquirit. In hanc opinionem propendent *Baldus in l. ſi vxorem n. 6. C. de condit. inſer. Abbas c. literas num. 27. de reſtit. ſpol. Felinus c. illud nu. 12. de præſumpt. verſ. adde iſtis, Ioannes Lupus rub. de donat. § 31. nu. 2., & § 50. num. 33. Silueſter verb. vxor q. 2.*, qui omnes aſſerunt, quod vxor exercens extraordinaria in familia poſſit acquirere iuſtè donationem remuneratoriam ab eodem marito; Ex quo non inefficax deduco argumentum ad rem noſtram pertinens; Si poteſt in ordine ad ea, quæ exercet extraordinaria in ordine ad familiam, cuius maritus eſt caput, acquirere bona in remuneratoriam donationem, cur non poterit in ordine ad ea, quæ extraordinariè exercet, in ordine ad alios acquirere propriè lucrum, illudque ſibi adaptare, cum quodamodò maritus ius non habeat ad extraordinarias operas, ſeù non conſueta obſequia.

Probatur iam ex profeſſo aſſertio. Bona, quæ ex extraordinarijs operibus vxor ſibi acquirit conſtante etiam matrimonio computantur inter bona paraphernalia; ſed bona paraphernalia fiunt propria ipſius vxoris, de illiſque poteſt pro libertate diſponere, ergo &c. Accedit, quod vxor non computatur, vt ſerua reſpectu mariti, ſed vt ſocia: ſocius autem non tenetur conferre ea, quæ extra ſocietatem acquiſiuit, & independenter ab illa.

3 Ob inſolita, & extraordinaria obſequia poteſt à marito recipere donationem irreuocabilitèr,

Assertio II. Probabilius eſt, vxorem exercentem opera extraordinaria, & obſequia, quæ aliæ vxores ſimilis conditionis non ſolent præſtare viris ſuis, nec familiæ, quæque non exigit ipſius conditio, dignam eſſe donatione remuneratoria, eamque, ſi recipiat, iuſte recipere non obſtantibus iuribus prohibentibus donationes

nes inter coniuges. Ita præter prælegatos DD. in præcedenti aſſertione *Decius conſ.102. verſ. nec obſtat quod alia, Corſetus tract. de poteſt. reg. q. 30. in fin. Roſella verb. vxor nu.6. Ioannes Garzia de donat. remun. nu. 28.*

Ratio ex eo deducitur, quià huiuſmodi obſequia non ſunt aliunde debita marito, & tamen ſecundum ſe ſunt digna remuneratione, ergo &c. Antecedens probatur, quià ex vi matrimonij vxor non intelligitur ſe obligaſſe viro, niſi ad ſolita obſequia, quæ regulariter ab vxoribus ſimilis conditionis ſolent præſtari viris ſuis, non ad ea, quæ huius dedeceant dignitatem, ergo illa inſueta, & extraordinaria obſequia non ſunt debita viro ex vi contracti matrimonij. Confirmatur à ſimili in ijs, quæ habentur *in l. interdum in fin. ff. de oper. libert.*, vbi ſic dicitur, *ſed ſi liberta quæ operas promiſit, ad eam dignitatem perueniat, vt inconueniens ſit præſtare patrono operas ipſo iure hæc interdicens*; ex quibus deducitur, quod ſi liberta dignificata eximitur ab oneribus promiſſis patrono à fortiori vxor magnæ dignitatis eximatur, ſeu non teneatur præſtare obſequia viro, quæ propriam dedeceant dignitatem.

Rationes euincentes intentum.

4 Quænam non teneatur vxor nobilis præſtare marito.

Hinc deducitur primò, quod vxor nobilis non teneatur lauare pedes mariti, nec eius caput, nec item condire cibos, aliaque ſimilia vilia miniſteria adimplere, quæ propterea, ſi ex ſuo beneplacito in fauorem viri, & familiæ exerceat, vtique meretur donationem, remuneratoriam. Secundò, quod non teneatur conſuere veſtimenta viri, & familiæ &c.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur vxorem omnia obſequia viro debere, ac proinde nulla eſſe remuneratione dignam, quandòquidem ex ſuperius dictis, quandò obſequia ſunt aliunde debita, nullam merentur remunerationem *Barbatius addit. ad Baldum l. ſi vxorem C. de condit. inſer.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quià verum non eſt, quod vxor omnia obſequia quamvis propriæ conditioni indecentia teneatur viro præſtare, non enim per matrimonium conſtituitur ipſius ſerua, ſed ſocia. Limitarem tamen cum *Sanchez lib 6. de matrim. diſp 6. n.14. in fin.* in hypotheſi, qua huiuſmodi obſequia eſſent neceſſaria, & maritus non haberet, quo conduceret aliam perſonam ad ſimilia obſequia, & famulatum, quia tunc vxor, ſi poſſet, teneretur ea obſequia quantumvis vilia ratione neceſſitatis præſtare.

Soluuntur oppoſita.

Minus obeſſe poteſt, ſi aſſeratur maiorem dignitatem ab initio contracti matrimonij extitiſſe in vxore, & nihilominus ſe aſtrixit tali matrimonio, ratione cuius poterat præſumere, quod præſtare debuiſſet huiuſmodi obſequia; Minus, inquam, obeſſe poteſt, quia, ex quo voluit contrahere tale matrimonium, ſe obligauit quidem ad onera matrimonij, non ad vilia miniſteria, quæ propriam dedecerent dignitatem; non enim neceſſario coniungitur onus ad coniugalia obſequia eum onere ad vilia miniſteria, nec ex eo, quod fœmina magis digna ſe matrimonio copulauerit cum minus digno cedere videtur propriæ dignitati, & conditioni proprij ſtatus.

PRÆNOTIO V.

An fructus dotis promiſſæ poſſint à marito donari vxori.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens dotem promiſſam, & nondum ſolutam non eſſe propriè dotem. 1.

Contraria ſententia probabilior. 2.

Stante iure interdicente donationes inter coniuges non poteſt, maritus fructus dotis promiſſæ donare vxori. 3.

Poteſt paciſci ab initio conſtitutionis dotis, & matrimonij contrahendi, vt non exigatur eidem dos, dum viuit vxor. 4.

In quo caſu fructus non cedunt marito. 5.

PRocedit hæc difficultas propoſita in præſenti titulo in ſuppoſitione, quæ, vel per vxorem ipſam, vel per Parentes ipſius dos non fuerit marito ſoluta, ſed ad ſummum promiſſa, qua in conſideratione nonnulli voluerunt non eſſe propriè dotẽ, & proinde valere abſolute conuentionem, vt mulier fructus habeat per textum *in l. Iulianus ff. de iure dotium*, prout ex Socino Iuniori notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c.2. n 8.*, vnde ſi valet conuentio, quod vxor quouſque dos promiſſa ſoluta non eſt, fructus faciat ſuos eo, quià dos propria non eſt, non video, cur conſtante iam matrimonio maritus non poſſit ex propria voluntate diſponere, vt fructus ipſi remaneant eiuſdem vxoris quoad plenum dominium.

1 Sententia aſſerẽs dotem nondũ ſolutã non eſſe dotẽ.

Nihilominus communius docent dotem promiſſam, & nondum ſolutam eſſe propriè, & vere dotem *Gloſa in l. cum poſt § 1. verbo habet dotem ff. de adminiſt. tut. Ripa in rub. ff. ſolut. matrim. n.58. Baldus in l. ſi pater verb. deſtinatis C. de ſponſ. Ioannes Buſchesius de leg. nupt. lib.3. n. 8. Campegius de dote part. 1. q 2. Andræas Gaillus pract. obſeruat. lib.2. obſeru.79. Menochius de præſumpt. lib 6. præſumpt. 1. num. 21. Valaſcus conſult. 3. num 1. Franciſcus Molinus de rit. nupt. lib. 3. q. 30. num. 10. Gaſpar Theſaurus*

2 Contraria ſententia probabilior.

qq. for.

qq. for. lib 2. q.73. num.2. Camillus Borellus in ſumma deciſ. part.3. tit.4. n. 341. Aloyſius Riccius in collect. deciſ. part. 4. collect 804. Rota Rom. apud Achillem de Graſſis deciſ.13. n. 2 de conſtit., nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem in iure dos promiſſa appellatur ſimpliciter dos *l ſi pro dote C. de dot. promiſ. l. ſi ſocer §. Paſim ff. ſol. matrimon. l. vnica §. accedit C. de rei vxor. act.*, & in eodem iure dos data, & tantum promiſſa à pari procedunt, & idem ius pro vtraque ſtatuitur *l. vltima C. de dot. promiſ. l. ſi Pater ignorans ff. ſolut. matrim. l. ſi quis tutoris C. de interd. matrim.* & vtraque eodem modo confertur *l. 1. §. 1. ff. de dotis collat. & l. 2. C. de collect.*, & ex eiuſdem dotis promiſſione mulier dotata dicitur *l. cum poſt mortem § 1. ff. de admini. tut. l 1. § accedit C. de rei vxor. act. l. 1. §. ſi ſub conditione ff. de dotis col* Nec obeſſe poteſt, quod dos ex ipſa nominis Ethimologia ſignificet actualem dationem, & dicta ſit à dando, & connumeretur inter donationes, donationes autem ſine traditione, & acceptione non ſubſiſtunt *l. abſenti ff. de donat. l. ſenatus § 1. ff. de donat. cauſa mort.*, vnde merito docent *Bartolus in l. iuris gentium in princip. ff. de pactis, Boſcheius de leg. nupt. l. 3. n. 8.*, quod dos ab executione nomen accipiat; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quantumvis dos ethimologiam deſumat à datione, & de iure gentium nonniſi in traditione haberetur; attento tamen iure ciuili quoad ſignificationem extenditur etiam ad dotem promiſſam, & ſignificatio etiam deſumitùr ab auctoritate, prout notat *Bartolus in l. omnes populi num. 59 ff. de iuſt. & iur.* Quibus pro notitia expoſitis ſit

3 Stante iure interdicente donationes inter coniuges maritus nō poteſt fructus dotis promiſſæ donare vxori.

Assertio. Probabilius eſt ſtante iure interdicente donationes inter coniuges maritum non poſſe fructus dotis promiſſæ donare vxori. Ità conſentiunt, quotquot ſuſtinent non poſſe donare fructus dotis traditæ *Fachineus in l. Iulianus ff. de iure dot. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dot. c 2. n. 29. & alij.*

Ratio deducitur *ex l. pro oneribus C. de iur. dot*, vbi dicitur, quod, ſi maritus permittat vxorem percipere fructus dotis, repetitionem habeat, quatenus mulier facta eſt locupletior, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem fructus dotis conſtante matrimonio pleno iure pertinent ad maritum, qui per cōſequens, ſicuti interdicitur bona ſua conſtante matrimonio donare vxori, ita interdicitur eoſdem fructus eidem vxori libere donare; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod fructus dotis, cum ſint in ordine ad onera matrimonij ſuſtinenda, & procedant ex bonis eiuſdem vxoris non videātur venire ſub interdicto donationis inter coniuges conſtante matrimonio; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, ex quo huiuſmodi fructus pleno iure pertineant ad eundem maritum, qui conſtante matrimonio gaudet pleno vſufructu bonorum dotalium, dicuntur proprij eiuſdem mariti, de quibus propterea non poteſt diſponere contra iuris interdictum, ſicuti non poteſt diſponere de bonis proprijs; nec releuat id, quod ſubditur, quod ſcilicet procedat ex bonis dotalibus vxoris, quæ quoad proprietatem ad ipſam pertinent; Non, inquam, releuat, quandòquidem licet dos quoad proprietatem ad ipſam vxorem pertineat, fructus tamen abſolutè pertinent ad ipſum maritum, adeòque &c.; ex quibus omnibus poſteà ſic infero, ergo etiam ipſe maritus conſtante matrimonio non poterit donare vxori fructus dotis promiſſæ. Hæc conſequentia ex præactis deducitur, quandòquidem in iure dos tradita, & dos promiſſa paria ſunt, ſibique æquiualent.

4 Poteſt paciſci, vt nō exigatur dos viua permanente vxore.

Non negauerim tamen, poſſe paciſci ab initio conſtitutonis dotis, & matrimonij contrahendi, vt non exigatur eadem dos viua exiſtente vxore, prout colligitur ex *d. l. Iulianus ff. de iur. dot.*, cuius hæc ſunt verba. *Iulianus ſcribit valere talem ſtipulationem, cum morieris, dotis nomine dari, quia & paciſci ſoles, ne ea viua excipiantur, quod non eſſe ſimile accepi; aliud enim eſt differre exactionem, aliud ab initio in id tempus ſtipulari, quo matrimonium futurum non ſit.* Sed modo difficultas eſt, an in hypotheſi talis pacti fructus, antequam mortua vxore dos ipſa ſic conſtituta exigatur, cedant marito, an ipſi vxori; Ex eo, quod dos ſit conſtituta cum tali pacto ſine vlla expreſſione oneris contribuendi interim fructus marito, probabilius ſentio, fructus eiuſdem dotis ſic conſtitutæ non cedere marito, nam ſicuti poteſt contrahi matrimonium nulla dote conſtituta, in quo caſu nulli fructus cederent marito, ità poteſt conſtitui, vt non niſi pro determinato tempore debeatur, ante quod propterea non debentur fructus, niſi de ijs fuerit expreſſè conuentum, nam fructus debentur à die debitæ dotis, dos autem ſtante tali pactione non debetur ante tempus conuentum; Neque hoc eſt donare conſtante matrimonio, ſed ante matrimonium conuenire de non ſubeundo onere dotis, niſi in tempore determinato.

5 In quo caſu fructus nō cedunt marito.

PRÆNOTIO VI.

An pactum, vt maritus lucretur dotem, ſi vxor præmoriatur ſine filijs, teneat, & quid ſentiendum ſit in hoc caſu, ſi dos fuerit tantum promiſſa.

SVMMARIVM.

Hoc pactum ſecundum ſe tenet, nec cadit ſub iure prohibente donationes inter virum, & vxorem. 1.

Tale pactum non importat donationem omninò gratuitam. 2.

Intellige, ſiue dos fuerit tradita, ſiue dumtaxat promiſſa. 3.

Conceſſo decennio ad ſolutionem dotis, ſi vxor moriatur ante illud, maritus non poteſt dotem exigere ante lapſum decennium. 4.

Nec ante illud decennium poteſt exigere lucrum dotis. 5.

RAtio dubitandi quoad primam partem in eo potiſſimum ſita eſt, quod, cum de iure communi decedente vxore ſine filijs, dos reuertatur ad hæredes eiuſdē vxoris, & non pertineat ad ipſum maritum, videtur pactum de ea lucranda in fauorem mariti, ſi vxor eidem præmoriatur ſine filijs, habere ſpeciem ſimplicis donationis, quæ per conſequens prohibetur à iure. Nihilominus ſit.

1 *Tenet, nec prohibetur hoc pactum.* ASSERTIO I. Huiuſmodi pactum ſecundum ſe tenet, nec cadit ſub iure prohibente donationes inter virum, & vxorem. Conſonat cum ijs, quæ ſupra diximus, nempè donationes præcedentes matrimonium inter coniuges futuros non irritari.

Ratio ex eo deducitur, quià, quantumvis per illud pactum conſtitueretur quodamodò donatio, non propterea hæc caderet ſub iure prohibente, quandòquidem donationes ſolummodò interdicuntur inter coniuges conſtante iā matrimonio, non autem, quæ antecedenter factæ ſunt, quantumvis contemplatione matrimonij; propter hanc rationē ſupra docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. V. prænot. 2. aſſert. 2.*, quod conſtitutio dotis facta per futurum maritum futuræ coniugi, nec relata ad tempus conſtantis matrimonij, abſolutè teneat, & irreuocabilis ſit, prout docent *Auguſtinus Barboſa collect. ad l. 1. C. de donat. ante nupt. Panormitanus in c. & ſi neceſſe de donat. inter vir. & vxor. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 8. nu 20.*, & expreſsè colligitur *ex l. ſi ſponſus 5. in princip. §. ſi verò l. inter eos ff. de donat. inter vir. & vxor.*, ſed illud pactum appoſitum in conſtitutione dotis intelligitur appoſitum antecedenter ad contractum matrimonij, vel præuiè ſaltem ad celebrationem eiuſdem, ergo & donatio, quæ per illud conſtituitur, erit præuiè ad ipſum matrimonium, adeòque &c.

2 *Tale pactum non importat donationem omninò gratuitam.* Probari poteſt ſecundo, quià illud pactum de collatione dotis poſt obitum vxoris transferenda quoad plenum dominium in maritum, nō eſt ex titulo merè gratuito, ſed oneroſo: ſiquidem matrimonium intantum initur, & celebratur, inquantum eſt illa ſponſio dotis, & alitèr non celebraretur; ſed pacta, quæ non procedunt ex titulo merè gratuito, ſed oneroſo non interdicuntur inter coniuges per ſuperius probata, ergò &c.

3 *Intellige, ſiuè dos fuerit tradita, ſiuè dumtaxat promiſſa.* ASSERTIO II. Ea, quæ dicta ſunt in præcedenti aſsertione, æquè verificantur, ſiuè dos fuerit tradita, ſiuè dumtaxat promiſſa *Gloſa in l. vnica §. accedit verb. fecerit C. de rei vxor. act. Angelus in §. dotes autem in verb. percipient auth de nupt. Rolandus à Valle de lucro dotis q. 5 num. 7. Tiraquel de retract. conuent. ad fin. tit. n 33. Mantica de tacit., & ambig. conuent. lib 12. tit. 4. num. 12. Coraſius in rubr., ff. ſoluto matrimon. in lectura 2. num. 21., & alij magis communitèr*. Quoad primam partem de dote conſtituta, & tradita ſufficientèr liquet ex præcedenti aſsertione.

Probatur iam quoad dotem ſimplicitèr promiſſam, quià vel dos promiſſa tradita non eſt ex mora, & culpa vxoris, vel promittentis, vel ſine mora, & culpa eiuſdem; quocunque modo non fuerit tradita, non officit iuri mariti acquiſito ex illo pacto, ergò &c. Minor quoad primam partem probatur, quià ſtante illa mora, & culpa vxoris, vel promittentis dos ipſa in odium ipſius habetur pro tradita *arg. l. iure ciuili, ff. de condit., & demonſtr. l. in executione 85. §. fin, ff. de verb. oblig. Petrus Barboſa in rub., ff ſolut matrim. part. 4. num. 4. Rolandus à Valle de lucro dotis quaſt. 7. Phanutius de lucro dotis verb. reſtituenda nu. 36., & ſeqq. Boerius deciſ. 22. num. 15. Andreas Gailus obſeruat. lib. 2. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 79. num. 6. Gaſpar Theſaurus qq. forenſ. lib. 2. q. 75. num. 2. Rota Roman. deciſ. 5. num. 4., & ſeqq. apud Ludouiſium* cæteroqui culpa vxoris, vel promittentis moroſè differentis traditionem, ſeù ſolutionem in ipſius fauorem cederet, & impunita maneret contra diſpoſitionem iuris *in l. in condemnatione 134. §. vnicuique, ff de reg. iur.* Quoad ſecundam vero partem ſic euincitur, primo quià dos tradita, & promiſſa in iure æquiparantur, nec differunt quoad ſubſtantiam. *Rationes ſuadentes aſſertum.*

Probatur ſecundo ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedentibus, quod ſcilicet maritus non poſſit donare vxori fructus dotis pro-

promiſsæ, quod non alia ratione dictum fuit, niſi quià dos data, & promiſsa in iure ſibi æquiualent, ergò ea, quæ dicuntur de dote data, æquè intelligenda ſunt de dote promiſsa, adeoque ſicuti tenet quoad dotem datam pactum, quod poſt mortem vxoris pleno iure tranſeat ad maritum, ità tenere etiam dicendum eſt quoad dotem promiſsam.

4 Conceſſo decennio ad ſolutionem dotis, ſi vxor decedat ante decenniū maritus nō poteſt exigere, niſi lapſo decennio.

Hic ſuboritur difficultas, an, ſi maritus conceſserit ſolum inducias quinquennij v. g., vel decennij ad ſoluendam dotem promiſsam, & vxor decedat, vel antè quinquennium, vel ante decennium conuentum ſtantè tali pacto, quod maritus poſt obitum vxoris lucretur dotem, poſſit idem maritus immediatè ab obitu vxoris exigere dictam dotem, an verò teneatur expectare ad quinquennium, vel decennium conuentum? Sentiendum eſt, non poſse ab obitu vxoris immediatè dotem promiſsam exigere, ſed teneri expectare ad tempus conuentionis *Valaſcus conſult. 3. num. 6. Rota Roman. apud Manticam deciſ. 337. num. 12. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 2. num. 48.* Ratio ex eo deducitur primo, quià dos ante diem peti non poteſt *l. 1. in fin., ff. quandò dies vſuſfruct.*, *& l. cedere diem, ff. de verb. ſignif.* Secundò, quià æquum non eſt, vt ratione pacti præcedentis maritus conſtante matrimonio, cuius onera ſuſtinet, non poſſit dotem conſequi promiſsam, & poſteà eodem pacto perſeuerante, diſſolutoque matrimonio, cuius propterea onera non ſuſtinet, poſſit eandem conſequi. Hanc rationem conſideraauit *Rota Rom deciſ. 337. apud Manticam, & Ferentillus ad deciſ. 431. Buratti.*

Alia hic etiam ſuboritur difficultas, an in hypotheſi præcedentis difficultatis, quantumvis ante præfinitum tempus non poſſit dotem exigere, poſſit tamen mortua vxore immediatè exigere lucrum dotis? Videtur prima fronte dicendum, vtique tale lucrum poſse exigere, quandòquidem maritus præſumitur ceſſiſse tali lucro viuente vxore intuitu, & contemplatione eiuſdem vxoris, cuius gaudet, dum viuit, obſequijs, qua propterea præmoriente videtur ceſsare cauſa ceſſionis, adeoque &c. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, nec poſse ante præfinitum diem exigere lucrum dotis. Conſentiunt omnes allegati in præcedenti difficultate. Ratio, quæ fuit pro eadem præcedenti difficultate adducta, maximè facit ad rem præſentem, quandòquidem æquitas non poſtulat, vt poſſit exigere lucrum diſſoluto matrimonio per obitum vxoris, dum nulla onera ſuſtinet; quod non poteſt petere, nec exigere conſtante matrimonio, cuius onera ſuſtinet, & proindè pactum, quod reſiſtit lucro viuente vxore,

5 Nec ante illud decennium poteſt exigere lucrū dotis.

reſiſtit etiam eadem defuncta, donec completum fuerit tempus conuentionis.

PRÆNOTIO VII.

An vxor lucretur donationem proptèr nuptias ſtante pacto de illius lucro, ſi maritus præmoriatur vxori, vbi hæc dotem non tradidit marito, ſed tantum promiſit.

SVMMARIVM.

Exponitur ſeries tituli. 1.
De iure antiquo communi poſita dote conſtituenda erat donatio proptèr nuptias. 2.
Attento iure antiquo, ſi nullum fuerit pactum de inducis ſolutionis dotis ad certum tempus, & per maritum non ſteterit, quominus ſoluatur, præmoriente eodem marito vxor non acquireret donationem proptèr nuptias. 3.
Soluta dote quoad partem præmoriente marito vxor acquirit donationem proptèr nuptias tantum quoad partem. 4.
Vxor non lucratur donationem etiam ſtante iure moderno, ſi dos non fuerit ſoluta. 5.
Si dos non fuerit ſoluta ex culpa mariti, vxor lucratur augmentum dotis. 6.
Dilata ex pacto ſolutione dotis, ſi maritus interim præmoriatur, vxor acquirit augmentum dotis.

Senſus præſentis difficultatis hic eſt. Initum fuit pactum in celebratione contractus matrimonialis inter Meuium maritum, & Seiam coniugem, vt, ſi Seia præmoriatur eidem Meuio nulla ex eo relicta prole, Meuius acquirat totam dotem; ſi vero viceverſa Meuius præmoriatur Seiæ nullo genito ex ipſa filio Seia acquirat donationem proptèr nuptias eidem factam per eundem Meuium. Dos per eandem Seiam fuit dumtaxat promiſsa eidem Meuio marito, non autem collata, nec tradita. Rebus ſic ſtantibus Meuius præmortuus eſt eidem Seiæ ante ſolutionem dotis promiſsæ. Hic iam controuertitur, an Seia non obſtante non ſolutione dotis per mortem Meuij ratione pacti cum ipſo initi lucretur totam donationem proptèr nuptias?

1 Exponitur ſeries tituli.

Pro clariori intelligentia huius difficultatis aduertendum eſt ex dictis *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalibus III. prænot. 16. num. 3.* de iure communi ſuppoſita dote neceſſario donationem proptèr nuptias à marito faciendam eſse, prout notant *Iulius Clarus lib. 4 recept. §. donatio q. 11. n. 1. Gloſa in auth. res data C. de donat.* ante

2 De iure communi antiquo ſuppoſita dote conſtituenda erat donatio proptèr nuptias

Digitized by Google

ante nupt. & expreſsè colligitur *ex d. auth. res data C de donat. ante nupt.* cuius hæc ſunt verba. *Dos data donationem propter nuptias meretur, præterea ſi pars mulieris dotem ſoluerit, ſiuè parata cum ex aduerſo recuſatur, hoc mulier conteſtatur, eamque ſit res mobilis ſignaculo impoſito recondat, aut ingrediens iudicium hoc petat fieri, vt parti viri denuntietur, & ſic nequaquam declinanda eſt donationis exactio.* Modo tamen vſus inualuit, vt ex neceſſitate hæc donatio proptèr nuptias etiam dote conſtituta non ſit ponenda, prout notarunt *Gloſa in auth. qualitas in gloſ. fin. C. de pactis conuent. Pariſius conſ. 95. n. 35. lib 2. Baldus in d. auth. dos data nu. 1. in fin. C. de donat. ante nupt. Iulius Clarus lib 4 recept. q. 11. num* 1. Ex quo notabili duo potiſſimum inſurgunt dubia ad præſentem titulum accommoda; primum an (ſtante iure antiquo communi diſponente, quod ſuppoſita dote ex parte vxoris conferenda ſit donatio proptèr nuptias ex parte mariti, ſuppoſitoque pacto, quod præmoriente vxore ſine filijs dos acquiratur marito, & præmoriente marito donatio proptèr nuptias acquiratur vxori) donatio ipſa proptèr nuptias acquiratur vxori præmortuo marito, ſi dos ipſa non fuerit actu tradita, ſed tantum promiſsa; ſecundum, an ſtante moderna conſuetudine, ſecundum quam abrogatum eſt ius conferendi donationem proptèr nuptias, quandò dos collata eſt, donatio ipſa proptèr nuptias acquiratur eidem vxori, quandò hæc non actu tradidit dotem, ſed tantum promiſit.

Vius modo viget in contractu.

Conſiderabilia ad præſens inſtitutum.

Aduertendum ſecundo potiſſimum conſideratione dignum hoc eſse, an tradita non fuerit dos ex mora, & culpa vxoris, vel Patris eius, an verò ſine culpa, & mora culpabili, ſed potius ex culpa mariti nolentis recipere; iuxtà etenim diuerſum hunc ſtatum procedere poſsunt diuerſa iura, & diuerſæ rationes; vlterius animaduerſione dignum eſt, an fuerit conuentio, ſeù pactum, quod dos ſoluenda non ſit niſi ad certum, & determinatum tempus, intra quod mortuus fuerit maritus, an verò nullum pactum de hoc præceſserit, ſed tantum dilata fuerit ſolutio dotis, vſque ad obitum mariti, & vlterius. Quibus ſic præſuppoſitis ſit

3 Non ſoluta dote tempore debito præmoriente marito vxor non acquireret donationem propter nuptias.

Assertio I. Attento iure communi antiquo ſcripto, ſi nullum præceſserit pactum de inducia ſolutionis dotis ad certum, & præfinitum tempus, & per maritum non ſteterit, quominus dos ipſa ſolueretur, præmoriente eodem marito vxor non acquireret donationem propter nuptias eidem factam per eundem maritum *Surdus de aliment. tit. 1. q. 42. nu 55. & ſeqq. Valaſcus conſult. 3. nu. 4. & 6. Afflictus deciſ 242. & 333. Guido Pap. deciſ. 274. Petrus Barboſa in rub. ff. ſolut. matrim. p. 4. num 7. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 2. nu 36.*

Rationes ſuadentes aſſertum.

Deducitur arg. à contrario deducto *ex d. auth. dos data C. de donatione propter nuptias*, vbi cum dicatur, quod, ſi mulier parata ſit dotem ſoluere, & ſi ex aduerſo recuſetur, ſignaculo impoſito recondat, non ſit declinanda donationis exactio, è contrario ſenſu euincitur, quod ſi pars aduerſa non recuſauerit recipere, & non ſolutio prouenerit ex culpa, & mora eiuſdem vxoris, ſeu parentum eius, vtique declinetur eiuſdem donationis exactio; ad quid enim apponere ad non declinandam hanc exactionem donationis illas conditiones, ſi parata mulier ſit ſoluere, & ſignaculo recondiderit, & proteſtata fuerit in iudicio, ſi etiam non præmiſſis talibus conditionibus non declinaret hanc donationis exactionem? Confirmatur *ex auth. de non eligend. 2. nubentes §. illud quoque*, vbi ſtatuitur, quod, ſi quæ mulier nihil omnino dotis, ſiue à ſe, ſiue à parentibus, ſiue ab extraneo promiſſæ dederit, nihilominus donationem propter nuptias acquirat; hoc idem habetur *in auth. ſed quæ nihil C. de pactis conuentis, & in auth. æqualiter C. eod. tit.*, vbi dicitur ſeruandam eſſe æqualitatem in dote, & donatione ante nuptiali.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices poſito hoc iure ſeruandi æqualitatem in dote, & donatione propter nuptias euidens deduci argumentum, quod, ſicuti maritus præmoriente vxore poteſt agere ad dotis conſecutionem, ità vxor præmoriente marito, & ſtante pacto de illo lucro poſſit agere ad conſecutionem illius donationis; cæteroqui non ſaluaretur æqualitas; Sed contrà, quia donatio propter nuptias non fit, niſi intuitu ſolutionis dotis, & proinde dilata eadem ſolutione nullum conſurgit ius ad donationem propter nuptias, prout notauit *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 2. n 36. in fin.*

4 Soluta dote quoad partem, nō quoad totū præmoriente marito vxor acquirit donationē quoad partem.

Ex ijs, quæ dicta ſunt in præſenti aſſertione deducere fas erit, quod ſi dos ſoluta fuerit marito tantum quoad partem, & non quoad totum, tunc præmoriente marito vxor acquirat donationem propter nuptias tantum quoad partem correſpondentem parti dotis ſolutæ non quoad totum, prout euincitur ex textu *in auth ſed quæ nihil C. de pact. conuent.*, & colligitur ex communi regula, quod ſicuti ſe habet totum quoad totum, ita ſe habet pars quoad partem *arg. l. quæ de tota C. de pactis*.

Assertio II. Attento iure hodierno conſuetudinario non ſcripto, ſecundum quod non neceſſario confertur donatio propter nuptias etiam poſita dote ex parte mulieris, poſitoque pacto, quod præmoriente vxore maritus lucretur dotem, & 5

præ-

Attento etiam iure moderno, & pacto inito, quod maritus lucretur dotē, & vxor donationē propter nuptias altero præmoriente, ſi dos non fuerit ſoluta vxor non lucratur donationem.

præmoriente marito vxor acquirat donationem propter nuptias, à fortiori, ſi dos fuerit tantum promiſſa, & non ſoluta, præmoriente marito vxor non lucratur donationem propter nuptias. In hanc aſſertionem propondere exiſtimo quotquot ſuſtinent præcedentem aſſertionem.

Ratio ex eo deducitur, quia quantumvis in hac hypotheſi donatio propter nuptias non conferatur ex neceſſitate ſuppoſita dote, vbi tamen aliud non exprimitur, ſi conferatur, intelligitur ex eadem cauſa conferri, qua antiquitus de iure conferebatur, ſed attento iure, & cauſa, ex qua conferebantur antiquitus donationes propter nuptias ex neceſſitate eædem non debebantur, quandò dos tantum promiſſa erat, & non ſoluta, ergo &c. Confirmatur, quia quandò donatio propter nuptias eſt de iure debita ſuppoſita dote eadem non acquiritur, ſi dos eadem non fuerit ſoluta, ergo multo minus acquiretur, quandò non eſt debita, ſed tantum ex beneplacito conſtituta, ſi dos ipſa non fuerit ſoluta.

Dices, ex quo modo donationes propter nuptias fiunt liberè, & non neceſſario non præſumuntur fieri in ordine ad dotem, ſed vel in ordine ad nobilitatem vxoris, cum vir ſit ignobilis, vel in ordine ad iuuentutem eiuſdem, cum vir eſſet ſenex, ergo etiam independenter à ſolutione dotis poterit vxor præmoriente marito eandem pleno iure acquirere. Sed contrà, quia data illa ſuppoſitione, quod illa donatio fieret intuitu nobilitatis, vel iuuentutis exiſtentis in vxore, & non in viro, illa donatio acquireretur ex alio titulo eidem vxori, quandòquidem illa eſſet remuneratoria, quæ propterea cum ſit ex cauſa non poteſt reuocari *Surdus deciſ. 166. nu. 22. Hondedeus conſ. 48. nu. 16. Clarus lib. 4. ſent. §. donatio q 4. nu. 5. Menochius de præſumpt. lib. 3. q. 12. Rota Romana deciſ. 113. nu. 14. part. 1. recent. Palatius Rubeus in rub. de donat. inter vir, & vxor. § 10. Socinus Senior in l. 1. num. 73. ff. ſolut. matrimon.*

6

Si dos non fuerit ſoluta ex culpa mariti vxor lucratur donationem propter nuptias.

Assertio III. Si dos promiſſa non fuerit ſoluta marito ex culpa, ſeu mora culpabili eiuſdem mariti, quatenus eandem exhibitam noluerit recipere, tunc, ſi vxor, vel parentes eius proteſtati fuerint, & dotem reconditam depoſuerint eadem vxor præmoriente marito lucrabitur donationem propter nuptias. Conſonat cum ijs, quæ ſupra diximus *prænot. 6. aſſert. 2. probat. 1.*

Ratio autem ea eſt, quià dos promiſſa, & exhibita, & ex culpa mariti nolentis recipere non ſoluta in odium nolentis recipere habetur pro ſoluta, & tradita *arg. l. iure Ciuili ff. de condit., & demonſtr. l. in executione §. fin. ff. de verb. oblig.* Confirmatur *ex d. auth. dos data C. de donat. ante nupt.*, vbi expreſsè hæc aſſertio euincitur.

Solum hic oritur difficultas, an ſi vxor, vel parentes eius parati fuerint dotem ſoluere, & per ipſos non ſteterit, quominus ſoluerint, non tamen dotem reconditam depoſuerint, nec officium Iudicis implorauerint, vt in præfat. *auth. dos data C. de donat. ante nupt.* præſcribitur, vxor acquireret donationem proptèr nuptias eidem à marito factam, ſi ille præmortuus fuerit? Probabilius exiſtimo ſiſtendo in foro externo conditiones illas prærequiri adhoc, vt vxor præmoriente marito acquirat donationem illam proptèr nuptias; in foro tamen interno ſufficere, quod vxor vel parentes eius parati fuerint ſoluere, & quod denuntiauerint etiam extraiudicialitèr animum ſoluendi. Ratio primæ partis eſt, quià illæ conditiones in iure præſcribuntur ad acquirendam pleno iure illam donationem proptèr nuptias. Ratio verò ſecundæ partis ex eo deducitur, quià ſtante pacto acquiſitionis illius donationis proptèr nuptias, ſi maritus præmoriatur nulla eſt ratio eximens à tali iure, vbi per coniugem, ſeù parentes eius non ſteterit quominus dos ipſa ſolueretur, & ſoluiſse, & paratam eſse ſoluere paria ſunt, ergò ſicuti, ſi ſoluerit dotem acquirit donationem, etiam acquirere præſumenda eſt, ſi parata fuerit ſoluere, loquendo in foro interno.

Dummodò depoſuerit, & officium iud eis implorauerit.

7

Delata ex pacto ſolutione dotis, ſi maritus interim moriatur vxor lucratur augmentū.

Assertio IV. Si facta fuerit conuentio in celebratione contractus matrimonialis, quod non ſoluatur dos, niſi ad certum, & determinatum tempus ſtante illo pacto, quod, ſi maritus præmoriatur vxori; eadem vxor lucretur donationem proptèr nuptias, & in tantum antecedentèr ad illud tempus maritus præmortuus fuerit, vxor lucrabitur illam donationem proptèr nuptias, quantumvis pro illo tempore, pro quo præmortuus eſt, dos ſoluta non fuerit. *Afflictus deciſ. 242. Guido Papa deciſ. 274. Oſaſcus deciſ. 21. num. 21. Petrus Barboſa in rub., ff. ſolut. matrimon part 4. num. 7. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote cap. 2. num. 37.*

Ratio ex eo deducitur, quià pendente dilatione appoſita per partes ad ſoluendam dotem nihil interim peti poteſt, quià non ceſſit dies ſolutionis; nec ex genere ſuo dos exigit ſolui in die celebrationis contractus, ſed ad beneplacitum contrahentium, ergò nulla mora imputari poterit vxori, quod dotem ipſam non ſoluerit, ergò proptèr eandem dilationem nullam poterit, ſeù debebit ſubire pœnam, adeoque non erit, cur priuanda ſit iure conſecutionis donationis propter nuptias, & ſicuti in ea hypotheſi ob non ſolutionem dotis intra terminum præſcriptum dilationis nullum peti poteſt ab

vxore

vxore intereſſe *arg. l. lecta, ff. ſi certum petatur circa medium, Afflictus d. deciſ. 242. & 333., & vtrobique Vrſillas Vezinus tom. 1. commun. opin. lib. 5. tit. 6. nu 30.* ità nulla peti poteſt pœna, adeoque neque priuatio iuris acquiſiti. Confirmari poteſt ex ijs, quæ docet *Guido Papa deciſ. 430., & 565.* nempe quoad hunc effectum acquiſitionis donationis proptèr nuptias dotem ipſam in ea hypotheſi cenſeri ſolutam, quandò maritus habuit fidem de dote, & aſſignauit terminos ad eandem ſoluendam.

PRÆNOTIO VIII.

An, ſi maritus conſtante iam matrimonio conſtituerit dotem vxori nobili, vel iuueni, dum ipſe eſſet ignobilis, vel ſenex dos ipſa ſic conſtituta teneat.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens conſtitutionem dotis ſic factam irreuocabilitèr non tenere. 1.
Sententia extendens ad alias donationes ex eodem titulo. 2.
Conſtitutio dotis facta per maritum ignobilem, vel ſenem conſtante matrimonio vxori nobili, & iuueni tenet, & irreuocabilis eſt. 3.
Soluuntur rationes oppoſita. 4.
Quantumuis vir ignobilis, & ſenex fuerit ditiſſimus, & fœmina pauper, conſtitutio tamen dotis per illum facta tenet. 5.
Si tamen hæc conſtitutio dotis fuerit excedens non teneret quoad exceſſum. 6.

QVamuis titulus comprehẽdat dumtaxat conſtitutionem dotis factam conſtante matrimonio à viro ignobili, vel ſene vxori nobili, vel iuueni, nihilominus ampliari poteſt ad quamcunque aliam donationem factam intuitu illius nobilitatis, vel iuuentutis, & quidem potior ratio difficultatis ex eo conſurgit, quod nobilitas, vel iuuentus vxoris videtur compenſari per diuitias ignobilis, ſeù ſenis.

1 *Sententia aſſerens irreuocabilitèr non tenere.* Quoad titulum dotis conſtitutæ per plebeium, ſeù ſenem vxori nobili, & iuueni Crauetta *conſ. 51. per totum, Clarus lib. 4. ſentent. §. donatio num 5. Fachineus controu iuris lib. 3. c. 80., & lib. 8. cap. 83. Baldus nouellus de dot. part. 10. nu. 7., & ſeqq* abſolutè ſuſtinent, dotem illam ſic conſtitutam irreuocabilitèr non tenere; qui ferè omnes ea potiſſimum ratione ducuntur, quià in toto iure ciuili à communi regula excludente donationes inter coniuges conſtante matrimonio non excipitur caſus, quo vir plebeius, ſeù ignobilis, & ſenex dotem, vel donationem conſtituerit vxori nobili, vel iuueni, & vtique fuiſſet exceptus, ſi foret excipiendus, cum frequens ſit, & in praxi crebrò contingat; Addunt, quod, ſi à communi regula exciperetur hic caſus ſecundum ſe frequens, facilè eluderentur leges prohibentes donationes inter virum, & vxorem, quandòquidem, vt benè notat *Clarus lib. 4. recept. §. donatio num. 5.* puellæ habentes maritos ſenes maxima cum facilitate extorquerent ab eiſdem maritis huiuſmodi dotium conſtitutiones, & donationes, nec difficiles eſſent mariti ad tales conceſſiones, ſiquidem, cum deficiant in viribus corporalibus, vt ſibi concilient vxores, ſupplere non recuſant in bonis fortunæ, quod eſt luere in ære, quod non poſſunt in corpore.

Quoad titulum aliarum donationum negant etiam tenere ex eo præcisè motiuo nobilitatis, vel iuuentutis *Mantica de tacit., & ambig lib. 21. tit 4. num. 19. verſ. item debet, Surdus conſ. 164. num. 33., & ſeqq. Ioannes Lupus rub. de donat. inter vir., & vxor. §. 32. num. 9.,* quantumvis vir eſſet ditiſſimus, qui alias inueniſſet vxores cum magna dote. Ratio ipſorum eſt, quià in hac ſuppoſitione compenſatur nobilitas, & iuuentus vxoris cum diuitijs viri ignobilis, & ſenis, vndè illa donatio non haberet vim, ſeù rationem remunerationis. Nihilominus ſit 2 *Sententia extendens ad alias donationes ex eodem titulo.*

ASSERTIO I. Conſtitutio dotis facta per maritum ignobilem, vel ſenem conſtante etiam matrimonio vxori nobili; vel iuueni tenet, & irreuocabilis eſt *Gloſa in l ſi voluntate C. de dot. promiſ. Tiraquel de nobilit. c. 18 nu 19. Valaſcus conſ. 5. n. 18. Mantica de tacit., & ambig. lib. 11. tit. 20. num. 24. lib. 21. tit. 4. num 17. Stephanus Gratianus tom. 5. diſcept. for. cap. 994. num. 3. Molina de iuſt., & iur. tract. 2. diſp. 289. num. 15. Sanchez lib. 6. de matrim diſp. 7. n. 3. verſ., ſed dicendum, Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 8. num. 33.,* qui innumeros alios allegat, tum ex iuris peritis, quam ex Theologis. 3 *Conſtitutio dotis ſic facta tenet, & irreuocabilis.*

Ratio facilè ex eo deducitur, quià ex præactis in iure prohibente donationes inter coniuges conſtante matrimonio non comprehenduntur donationes remuneratoriæ per textum *in l. quod autem §. ſi vir & vxor de donat. inter vir., & vxor.,* & conſentiunt omnes ferè DD., & huiuſmodi donationes remuneratoriæ non ſolum procedunt ex titulo præcedenti pecuniarum, ſed etiam honoris *Ioannes Lupus in rub. de donat. inter vir., & vxor. §. 32. num. 7. Mantica de tacit., & ambig. lib. 21. tit. 4. n. 18.*; ſed denegari non poteſt, quin *Eſt donatio remuneratoria.*

quin

quin conſtitutio dotis facta à marito plebeio, & ſene vxori nobili, & iuueni ſit donatio quaſi remuneratoria, quandòquidem, vt benè notat *Palatius Rubeus in rub. de donat. inter vir., & vxor.* §.10. dum vir plebeius, & ſenex dat dotem pecuniariam mulieri nobili, vel iuueni, ipſa mulier nobilis, & iuuenis dat nobilitatem, & iuuentutem viro, & vt notant *Gloſa in d. l. ſi voluntate C. de dotis promiſſione, & Gailus obſeruat. lib. 2. obſeru.* 40. *num.* 9. ipſa iuuentutis, & nobilitatis traditio eſt quædam quaſi dos.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur; quandòquidem ſufficientèr, & implicitè excipitur caſus ille conſtitutionis dotis factæ vxori nobili, vel iuueni à viro plebeio, & ſeni per textum *in l. quod autem* §. *ſi vir., & vxor de donat. inter vir., & vxorem*, vbi à communi iure prohibente donationes inter coniuges conſtante matrimonio excipitur donatio quælibet remuneratoria; non enim ſpecialis neceſſaria eſt exceptio in caſu particulari, quandò talis exceptio continetur in iure excipiente donationes remuneratorias. Ad illud, quod ſubditur, aſſerendum eſt illam facilitatem extorquendi à viro plebeio, vel ſene conſtitutionem dotis, vel alterius remunerationis imputandam eſſe conditioni vxoris nobilis, vel iuuenis, quæ ex quo ſuam nobilitatem, vel iuuentutem proſtituit eidem viro ignobili, & ſeni, ius habet inquirendi aliquam compenſationem, ſeù remunerationem.

5 Quantũ vis vir ignobilis, & ſenex fuerit ditiſſimus, & fœmina nobilis pauper tenet donatio.

ASSERTIO II. Quantum vir plebeius, ſeù ſenex fuerit ditiſſimus, & duxerit fœminam nobilem, & iuuenem indotatam, ſeù cum modica dote, ſi tamen eidem dotem conſtituerit, vel augmentum dotis, vel aliam donationem fecerit tenet abſolutè illa dos, ſeù augmentum dotis, ſeù donatio. *Stephanus Gratianus diſcept. for. c.* 994. *num* 10., *& ſeqq. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 7. n. 4. Caſtrus Palaus* §. 8. *num.* 5. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de do:. c. 8. n. 36.*, & alij magis communitèr.

Ratio ex eo deducitur, quià per diuitias mariti ignobilis, ſeù ſenis non fit iuſta compenſatio cum nobilitate, & iuuentute vxoris, ergò non eſt, cur non mereatur adhuc remunerationem, ſeù compenſationem per illam donationem, ſeù conſtitutionem augmenti dotis. Antecedens probatur, quià ex eo, quod vxor nobilis nupſerit ignobili, quantumvis diuiti denegari non poteſt, quin plurimum amiſerit de nobilitate, adeo vt, ſi maritus præmortuus fuerit, ſit longè deterioris conditionis ſecundum communem exiſtimationem; vndè facilè nubere non poterit æquè nobili, niſi magnam dotem conferat.

Limitatio Rugerij excluditur

Neque hic audiendus videtur *Conſtantius Rugerius de dot.* §. 5. *num.* 3., qui, quamuis ſecundum quid adhæreat aſſertioni noſtræ, ſecundum quid tamen ab eadem diſſentit; aſſerit enim, quod, ſi maritus non ſolum fuerit natiuitate ignobilis, ſed etiam vita, & moribus, & fœmina fuerit nobilis, vtique hæc digna ſit remuneratione, & compenſatione, quià adhuc eſt maxima inæqualitas inter vtrumque; ſi verò maritus fuerit ignobilis natiuitate, vita tamen, & moribus fuerit nobilis, tunc vxor, quantumvis nobilis digna non ſit remuneratione, & compenſatione, quià tunc compenſatur per hanc viri nobilitatem nobilitas vxoris, nec magna eſt inæqualitas inter eoſdem; Non, inquam, audiendus eſt, quià, quantumvis vir ſit illa nobilitate vitæ, & morum præditus, denegari non poteſt, quin vxor ſecundum communem hominum exiſtimationem plurimum amiſerit de nobilitate, & poſt mariti obitum non intelligatur deterioris conditionis.

6 Si tamen conſtitutio dotis fuerit excedens non teneret quoad exceſſum.

Hoc tamen vnum monendum hic cenſeo, quod, ſi donatio à viro ignobili, aut ſene facta vxori nobili, aut iuueni nimis fuerit excedens, non valeat irreuocabilitèr quoad exceſſum ſupra debitam compenſationem nobilitatis, aut iuuentutis *Baldus Nouellus de dote part.* 10. *n.* 10. *Bertrandus conſ.* 46. *in fin. lib.* 2. *Surdus conſ.* 164. *num.* 36. *Stephanus Gratianus diſcept. for. c.* 994. *num.* 13. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c.* 8. *num.* 37. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebantur, nempè actionem remuneratoriam commenſurandam eſſe cum meritis; vndè quoad eam partem, qua donatio, ſeù remuneratio excedit merita, non poteſt eſſe remuneratoria, ſed ſimplex donatio, quæ interdicitur inter coniuges conſtante matrimonio. Verum tamen eſt, quod, ſi remuneratio in modico excederet merita, ſemper haberetur pro remuneratoria, prout adnotarunt *Petrus Barboſa ad l quæ dotis num.* 60., *ff. ſolut. matrimon Nauarrus in Apolog. de reddit. q.* 1. *monito* 82. *num.* 6. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dot. cap.* 8. *num.* 37., & quidem non incongruè, quandòquidem, vt bene notat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 106. *art.* 6. gratitudo exigit, vt plus reddatur, quam acceptum ſit. Quantus verò requiratur exceſſus remunerationis ad merita ad hoc, vt ipſa remuneratio non habeatur ſimplicitèr pro remuneratione, ſed partim pro remuneratione, partim pro ſimplici donatione nonnulli apud *Ioannem Angelum Boſſium loc. cit.* aſſerunt, quod, ſi remuneratio excedat merita tantum in quarta parte, exceſſus habeatur pro modico, & donatio ipſa habeatur pro remuneratoria; Ego tamen conſultius remitterem arbitrio, & iudi-

cio

Digitized by Google

cio prudentum, qui conſideratis qualitatibus donantis, & donatarij, & meritorum iſtius cum præmio illius diiudicet, an exceſsus donationis fuerit talis, vt pretergrediatur limites remunerationis, an verò attenta æquitate intra tales limites contineatur.

PRÆNOTIO IX.

An confeſſio viri de dote recepta, quam recepiſſe minimè conſtat, cenſeatur donatio, & valida ſit talis donatio.

SVMMARIVM.

Status controuerſia expoſitus. 1.
Nulla pracedente promiſſione dotis in celebratione contractus confeſſio receptionis habetur pro donatione, & irreuocabiliter non tenet. 2.
Idem intellige de confeſſione receptionis augmenti dotis. 3.
Huiuſmodi confeſſio dotis recepta poteſt reuocari ad modum donationis. 4.
Si præmoriatur vxor marito illa confeſſio, nec nocet marito, nec haredibus. 5.
Maritus poteſt reuocare confeſſionem huiuſmodi, quantumuis fuerit lapſus terminus ad opponendam exceptionem de dote non numerata. 6.
Poteſt etiam reuocare, quantumuis eſſet facta per inſtrumentum guarentigiatum. 7.
Si in celebratione contractus matrimonialis dos fuerit conſtituta in determinata quantitate, & maritus ex interuallo confeſſus fuerit recepiſſe excludit quamcunque fraudis præſumptionem. 8.
Soluuntur argumenta oppoſita. 9.
Maritus facta confeſſione ex interuallo, quamuis non poſſit excipere transferendo onus probationis in vxorem, poteſt tamen excipere exhibendo ſe ad probationem. 10.

1 Status controuerſiæ expoſitus.

Contracto matrimonio inter Meuiũ, & Caiam, vel re vera nulla fuit conſtituta dos, vel minimè conſtat fuiſſe conſtitutam. Proceſſu temporis poſt initum coniugium maritus confeſſus eſt recepiſſe dotem, quam forte non recepit, vel non conſtat recepiſſe, vel in maiori quantitate ab ea, quam recepit. Contendunt hic DD., an illa confeſſio habeatur pro donatione, & an intelligatur prohibita in iure prohibente donationes inter coniuges conſtante matrimonio.

Hæc controuerſia æquè excitari poteſt, quandò in celebratione contractus matrimonialis nulla habita eſt tractatio de dote conſtituenda, vel quando facta eſt conuentio de eadem, ſed tantum fuit promiſſa in determinata quantitate, nec ſoluta; ſicque ſecundum duplicem hunc ſenſum duplex emanat ratio dubitandi; prima eſt quandò in celebratione contractus matrimonialis nulla dos promiſſa fuit, an illa confeſſio receptionis facta à marito inducat efficacem præſumptionem, quod re vera receperit, an potius, quod non receperit, ſed inducat, quod per eandem animum habuerit donandi, & ex ſe conſtituendi vxori dotem, quam non habuit. Secunda, quando in contractu matrimoniali facta eſt promiſſio dotis, vel in determinata quantitate, vel indeterminata, an talis confeſſio inducat præſumptionem numerationis, & in illa quantitate &c.

Quomodo ſit intelligenda.

2 Nulla præcedente promiſſione dotis confeſſio habetur pro donatione.

Assertio I. Nulla præcedente promiſſione dotis in celebratione contractus matrimonialis confeſſio receptionis dotis facta per maritum cenſetur facta animo donandi, ac proindè abſolutè reuocabilis eſt, nec abſolutè tenet *Gabriel conſ.* 163. *nu.*40 *lib.* 2. *Couaruuias var. lib.*1. *c.*7. *nu.*4. *verſ. primum, Menochius de præſumpt. lib.*3. *præſumpt.* 12. *num.* 58. *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom* 4. *c.* 693. *Baldus Nouellus de dote part* 10. *nu* 6. *& ſeqq. Rota Roman. deciſ.*485. *nu.*1. *part* 3. *diuerſ. deciſ.* 55. *nu.*8. *lib.* 3. *apud Puteum, deciſ.* 62. *num.* 2. *&* 3., *& deciſ.* 67. *n.*2., *& ſeqq. deciſ* 182. *n.*1. *apud Ludouiſium. Sanchez de matrimon lib* 6. *diſp.* 9. *nu.*5 *Ioannes Angelus Boſſius de dote c.* 8. *n.* 53., qui alios innumeros allegat.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Ratio ex eo deduci poteſt, quia, cum matrimonium contractum fuerit ſine vlla dotis promiſſione, nec conſtet de aliqua ſolutione facta per ipſam vxorem, niſi ex confeſſione mariti, non poteſt eſſe efficax præſumptio, quod illa confeſſio facta fuerit ſub ſpe futuræ numerationis; quia non eſt præſumendum, quod vxor velit ſoluere id, ad quod ſe non obligauit, ſed potius, quod ex nimio affectu, & blanditijs vxoris faſſus fuerit recepiſſe, quod non recepit, & hoc vtique ex animo donandi. Adde generalem regulam, ſecundum quam confeſſiones receptionis factæ inter perſonas ſuſpectas, & nimium inter ſe affectas habentur pro fraudulentis, & pro animo fraudandi leges per textum *in l. qui teſtamentum ff. de probat. l. cum quis decedens* §. *Titia ff. de legat.*3. Quis autem ambigat de ſuſpicione, & nimia affectione inter maritum, & coniugem conſtante matrimonio? Adde vlterius argumentum à ſimili, quia ſi teſtator in ſuo vltimo teſtamento fateatur ſe debere alicui aliquam determinatam ſummam, quam re vera non debet, cenſetur in dubio illam quantitatem illi perſonæ legare *l. qui vxori ff. de aur. & arg. leg.*, *& l. Lucius* §. *ſempronia ff. de legat.* 3. *l. Aurelius* §. *fin ff. de liber. leg.*, ergo etiam qui fatetur ſe debitorem eſſe ex dote, quam non recepiſſe

piſſe conſtat, præſumendus eſt, eam velle donare.

Neque hic audiendus eſt primò *Couaruuias var. lib.* 1. *c.* 7. *n* 4. aſſignans diſparitatem inter eum, qui fatetur debitum in vltima voluntate, & eum qui fatetur debitum ex dote, quam non recepit, ſitam in eo, quod qui fatetur debitum ex vltima voluntate, non poteſt præſumi fateri ſub ſpe futuræ numerationis, qui vero fatetur debitum ex dote recepta non præſumitur priuari ſpe futuræ numerationis. Non, inquam, audiendus eſt, tum quià ea, quæ dicuntur quoad vltimam voluntatem, in qua quis debitorem ſe declaret, procedunt etiam in contractibus, & in commercijs inter viuos, vt optimè adnotarunt *Bartolus in l. ſi is qui ff. de vulgar. & pupil. Gabriel conſ.* 163. *n.* 33. *Petrus Barboſa ad l.* 1. *ff. ſol. matrim. part.* 6. *n.* 31. *verſ. non placet*; tum quià, vt bene notat *Sanchez de matrimon. lib.* 6 *diſp.* 9. *n.* 5., ea, quæ dicuntur ex mente Coaruuię ad ſummum procederent, quandò teſtator laboraret in extremis, non autem quandò conderet teſtamentum, quo ſe debitorem conſtitueret, & confiteretur, dum eſt ſanæ mentis, & corporis, nullumque eſt periculum proximæ mortis, & tamen textus abſolutè ſupponit, quod illa confeſſio debiti ſit fraudolenta, & facta in præiudicium legis vetantis donationes.

Reijcitur ſenſus Coaruuiæ.

Neque ſecundo audiendus eſt *Petrus Barboſa ad d. l.* 1. *ff. ſolut. matrim. d. part.* 6. *n.* 31. *verſ. & ideo melius*, qui limitat aſſentionem noſtram in caſu, quo aliqua probabilis coniectura excluderet præſumptā fraudem; hanc autem probabilem coniecturam aſſerit, conſiſtere in eo, quod non exceperit de non numeratione, cuius exceptionis rationem iura tribuunt; Non, inquam, audiendus eſt, quia, quandò matrimonium contractum eſt nulla dote promiſſa, non adeſt fundamentum excipiendi de non numeratione; adeòque ſemper viget ratio præſumptionis, quod illa confeſſio facta fuerit ob nimium affectum in fraudem legis.

Excluditur etiam ſententia Barboſæ.

3 Idem intellige de confeſſione receptionis augmenti dotis,

Ea, quæ hactenus dicta ſunt de confeſſione receptionis dotis in integrum, proportionaliter intelligenda ſunt de confeſſione receptionis augmenti eiuſdem dotis. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebantur, quia ſcilicet præſumptio efficax eſt, quod illa confeſſio ob nimium affectum inter coniuges facta fuerit animo donandi, & in fraudem legis, quinimmò, vt benè notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c.* 8. *num.* 54. & 55. à fortiori deducenda eſt talis præſumptio in confeſſione receptionis augmenti dotis, ac in confeſſione receptionis eiuſdem dotis, quandòquidem dos ab initio matrimonij regulariter ſolet promitti, & poſteà ſolutis poſtquam autem ſoluta eſt, non ſolet augeri, ac proindè veriſimilior eſt confeſſio de recepta dote, quam confeſſio de recepto augmento. Sunt formalia verba eiuſdem Boſſij. Deindè valet argumentum in hoc à toto ad partem.

4 Hæc confeſſio reuocabilis eſt.

Ex quibus plura ad præſentem quæſtionem accomoda inferri poſſunt, & quidem primò, quod talis confeſſio, in qua iuxta dicta conſiſtit tacita donatio, poſſit, vel expreſsè, vel tacitè reuocari, ſicuti poſſunt reuocari cæteræ donationes ſimplices factæ inter coniuges conſtante matrimonio *Menochius de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 12. *n.* 69. *Velaſcus conſult.* 5. *nu.* 16. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c.* 8. *nu.* 58. *per textum in l.* 3. *C. de dote caut. non num.*, & ratio quidem euidens eſt, quià, ſi talis confeſſio habet vim ſimplicis donationis ſaltem tacitæ, & donationes ſimplices inter coniuges conſtante matrimonio interdicuntur, & nullius roboris ſunt, & ſi fiant, reuocabiles ſunt, non eſt, cur non poſſit reuocari talis confeſſio.

5 Si vxor præmoriatur marito illa cōfeſſio, nec nocet ipſi marito, nec eius hæredibus,

Infertur ſecundò, quod huiuſmodi confeſſio, nec noceat marito confitenti, nec eius hæredibus, ſi vxor præmoriatur eidem marito iuxta regulam cæterarum donationum ſimplicium inter eoſdem coniuges, prout notant *Mantica de tacit. & ambig. lib* 11. *tit.* 20. *nu.* 24. *verſ. inter eos*, *Molina de iuſt. & iure tom.* 2. *diſp.* 439. *n.* 9. *verſ. ſecundum*, *Valaſcus conſult.* 5. *nu.* 16. & 17. Dixi, *ſi vxor præmoriatur eidem marito*, ſi enim maritus præmoreretur poſt confeſſionem factam eidem vxori, tunc videretur illa confeſſio confirmari morte eiuſdem mariti, ſicuti confirmantur cæteræ ſimplices donationes, de qua re infrà vberius.

6 Maritus poteſt reuocare illam cōfeſſionē quātumvis lapſum ſit tēpus ad opponendam exceptionē de dote non numerata.

Infertur tertiò, quod idem maritus poſt confeſſionem factam receptionis dotis, ſeu augmenti eiuſdem dotis, poſſit eandem confeſſionem reuocare, quantumvis lapſum ſit tempus ad opponendam exceptionem de dote non numerata *Rota Romana deciſ.* 108. *n.* 17 *apud Buratum & deciſ.* 683. *in recentioribus*, *Farinacij n* 11. *part.* 2 *Mantica de tacit. & ambig lib.* 11. *tit.* 20 *n.* 21. *Menochius de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 12. *n.* 74. *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom.* 4. *c.* 693. *nu.* 12. Rationem adducit *Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de dote c.* 8. *num.* 60. ſitam in eo, quod quamvis lapſo tali tempore non poſſit amplius excipere de non numerata dote, poſſit tamen excipere de donatione vetita, & inualida, ſicque illam reuocare.

Infertur quartò, quod maritus poſſet illam confeſſionem, ſeu donationem tacitam reuocare, quantumvis illa confeſſio facta eſſet per inſtrumentum guarantigiatum, quod ſcilicet ex diſpoſitione iuris municipalis haberet vim rei iudicatæ

 Me-

Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 12. n. 70. & ſeqq. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 8. n 59. Ratio duplex huius illationis aſſignatur à Menochio loco citato. Prima, quià quandò principalis actio, ſeu confeſſio præſumitur ſimulata, etiam guarentigia, quæ eſt eiuſdem actionis expreſſio, cenſetur ſimulata. Secunda, quià poteſt opponi ſimulationi exceptio non ſolum ipſi confeſſioni, ſed etiam eidem guarantigiæ.

7 **Quamvis eſſet facta per inſtrumẽtũ guarentigiatum.**

8 **Conſtante de conſtitutione dotis ſine interuallo marito cõfitente recepiſſe habetur pro vera receptione.**

ASSERTIO II. Si dos in celebratione contractus fuit indeterminata quantitate conſtituta, & promiſſa, & de tali conſtitutione, & promiſſione conſtet confeſſio receptionis dotis facta per maritum ex interuallo, excludit quamcunque fraudis præſumptionem, & quod facta fuerit ſub ſpe futuræ numerationis, ſed habetur pro vera, & legitima, probatque dotem fuiſſe numeratam. *Caſtrenſis in l. in contractibus §. ſed quoniam C. de non num. pecun. Mantica de tac. & ambig. con. lib. 11. tit. 20. n. 12. Couarruuias var. lib. 1. c. 7. n. 5. verſic quandoque tamen, Menochius de præſumpt lib. 3. præſumpt. 12. nu. 53 Rota Rom. deciſ. 678 nu. 10. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 8. nu.* 141.

Rationes euincentes intentum.

Rationes plurimas ad hanc aſſertionem probandam adducunt DD. Nobis duplex, vel triplex ſufficiet, & fortior erit ſolutio argumentorum partis aduerſantis. Prima communiter deducitur ex textu *in d. l. in contractibus §. ſed quoniam C. de non num pecun.*, vbi ſic legitur *Illis etiam ſecuritatibus, quæ poſt confeſſionem inſtrumentorum de ſoluta dote, vel ex parte, vel in ſolidum exponuntur, nullam non numeratæ pecuniæ exceptionem penitus opponi*, quem textum communiter interpretantur DD. & præcipuè Iuriſperiti, vt ſignificent præceſſiſſe dotis promiſſionem ad eiuſdem dotis receptæ confeſſionem; & licet nonnulli à communi illa interpretatione declinent intelligentes per ly *dotalium inſtrumentorum* geminatam confeſſionem receptionis eiuſdem dotis, cum maritus prius ſemel confeſſus fuerit ſe dotem recepiſſe, & poſtea iterum ex interuallo; nihilominus ab alijs communiter reijciuntur, & quidem non incongruè, quia vt bene notat *Petrus Barboſa ad l. 1. ff. ſoluto matrimon part. 6. nu. 53. in fin. & ſeqq.* per ly *dotalium inſtrumentorum* venire non poſſunt inſtrumenta receptionis, ſeu confeſſionis de dote ſoluta, quandòquidem textus facit mentionem ſecuritatis receptæ, qui propterea non poteſt referri ad inſtrumenta receptionis, ſeu confeſſionis dotis receptæ, nam, quandò dos recepta eſt, non alia requiritur ſecuritas. Secundà ratio eſſe poteſt, quia ſtante præuia promiſſione dotis, & poſita confeſſione de receptione eiuſdem poſt contractum, & conſummatum matrimonium, fortior militat præſumptio pro ſolutione, & receptione verè poſita, quæ non militat, quandò dos præuie non fuit promiſſa, ergo eadem confeſſio habenda eſt pro vera ſolutione, non ad effectum ſpei futuræ numerationis. Antecedens probatur, quià, quandò dos promiſſa fuit, & iam contractum, & conſummatum matrimonium, maritus iam habet obligatam vxorem ex promiſſione, & iam fruitur optatis nuptijs, & delicijs eiuſdem, quandò vero dos non eſt, nec fuit promiſſa, quantumvis matrimonium fuerit conſummatum, non habet eandem vxorem obligatam. Hac ratione potiſſimum mouetur *Petrus Barboſa ad d. l. 1., ff ſolut. matrimon. part 6. num. 52. verſ. ratio autem*. Neque obeſse poteſt, ſi aſseratur, quod hac ratione omnis confeſſio facta à marito vxori conſtante, & conſumato matrimonio, vtique haberet vim ſolutionis, ſeu præſumptionem iuris pro eadem ſolutione; quandòquidem etiam in hoc caſu gaudet optatis nuptijs, & delicijs earundem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià adæquata ratio præſumptionis pro ſolutione non fundatur in ſola fruitione nuptiarum, ſed copulatiuè in eadem fruitione, & obligatione præuia, quæ ratio adæquata habetur, quandò dos promiſſa eſt, & conſummatum matrimonium, non quandò præcisè matrimonium conſummatum eſt, non verò dos præuiè promiſſa, vt ex ſe patet.

Nunc argumenta ex aduerſo oppoſita ſunt diſſoluenda. 9 **Soluuntur argumenta oppoſita.** Arguunt igitur primo *Aretinus in l. 2. §. creditum n. 27., ff. ſi certum pet., & Emanuel à Coſta in l. ſi ex cautione fallent 14. nu. 3 C. de non num. pecun.* adducendo textum *in l. vltima C. de dot. caut. non num.*, vbi ſic legitur. *In dotibus, quas dotes dotalibus inſtrumentis conſcribi moris eſt, cum adhuc nulla datio, ſed pollicitatio tantum ſubſecuta ſit, liceat non numeratæ pecuniæ exceptionem opponere.* Sed facili negotio occurri poteſt; ſi aſſeratur aſſertionem procedere, quandò præceſſit promiſſio dotis in matrimoniali inſtrumento, vel alio modo, & poſtea ſubſecuta eſt confeſſio de receptione; textus autem hic loquitur, quandò prius confeſſio præceſſit de receptione, & poſtea ſubſecuta eſt promiſſio.

Secundum argumentũ ſolutum.

Arguunt ſecundo ijdem DD. ex textu *in auth. de temporibus non ſoluta dotis §. ſi autem, & §. generalitèr*, vbi dicitur requiri decennium à confeſſione dotis receptæ, vt exceptio non numeratæ dotis poſſit opponi, ergò confeſſio receptæ dotis poſt promiſſionem non ſufficit ad concludentèr euincendam numerationem iam poſitam. Sed etiam facili negotio occurrere poſſumus huic argumento aſſerentes, ea, quæ dicuntur *in d. §. ſi autem* intelli-

genda

Digitized by Google

genda eſse, quandò in eodem inſtrumento dotali fit promiſſio, & confeſſio receptionis; ea autem, quæ dicuntur in aſsertione intelligi, quandò primo fit promiſſio dotis, & poſteà ex interuallo fit confeſſio receptionis eiuſdem; quandò etenim in eodem inſtrumento fit promiſſio, & receptionis confeſſio, non eſt fortis præſumptio receptionis, quandòquidem tunc maritus non gaudet optatis nuptijs, quandò vero fit ex interuallo gaudet perfectè eiſdem nuptijs, & ratione promiſſionis habet vxorem obligatam, vt ſupra dicebamus. Quæ verò dicuntur *in d. §. generalitèr* eodem ferè ſenſu ſunt intelligenda.

10 Poteſt excipere aſſumendo in ſe onus probationis. Hoc tamen vnum pro complemento aduertendum eſt, quod, quamvis maritus poſt factam confeſſionem receptionis ex interuallo ſuppoſita præcedenti promiſſione non poſſit amplius excipere de non numerata pecunia transferendo onus probationis de ſolutione in eandem vxorem, poſſit nihilominus, ſi velit, aſsumere in ſe ipſo onus probandi eandem dotem ſibi non fuiſse ſolutam, & debebit audiri *Antonius Faber lib. 5. C. tit. 10. defin 3. & 4. Gaſpar Antonius Theſaurus in addit. ad decif. 112 Petrus Barboſa in l. 1 part. 6. n. 55. verſ. addo quod, ff. ſolut. matrim.* Ratio ex eo deducitur, quià allegata iura negant quidem facti confeſſione receptionis dotis poſt præuiam promiſſionem poſse maritum excipere de non numerata pecunia transferendo onus probandi eam fuiſse numeratam in vxorem, non negant autem omne remedium marito eam recuperandi, ſi verè non fuerit numerata, adeo vt non poſſit probare, non fuiſse numeratam exiſtentibus validis coniecturis inducentibus eandem non numerationem.

PRÆNOTIO X.

An dos conſtituta per virum vxori minuat legitimam debitam aſcendentibus, vel deſcendentibus.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu procedat titulus. 1.

Si maritus ignobilis, vel ſenex conſtituerit ante contractum matrimonium dotem vxori nobili, vel iuueni dos ipſa deducenda eſt ex toto cumulo hæreditatis, & ſic minuit legitimam debitam aſcendentibus. 2.

Statuitur regula generalis ad hanc rem. 3.

Si fuerit conſtituta conſtante matrimonio ſine præuia promiſſione non minuit. 4.

1 In quo ſenſu procedat titulus. PRocedit potiſſimum titulus in iis caſibus, in quibus maritus, vel ratione remunerationis, vel ratione iuuentutis, vel nobilitatis vxoris poteſt iuxtà prædicta eidem dotem conſtituere; non enim locum habet quæſtio in donationibus ſimplicibus, quas iure obſtante maritus conſtante matrimonio non poteſt facere, cum etenim huiuſmodi donationes inualidæ ſint, perindè ſe habent, ac ſi non eſsent poſitæ; poteſt tamen titulus adhuc habere locum quoad huiuſmodi donationes, ſeù conſtitutionem dotis iuxtà communiorem ſententiam, quandò talis dotis conſtitutio eſset confirmata morte conſtituentis.

Nonnulla conſiderabilia. Pro clariori notitia præſentis quæſtionis, & maiori elucidatione eorum, quæ ex ipſa deduci poſsunt, videndum eſt primo, an illa dotis conſtitutio facta ſit ante contractum matrimonium, an verò poſt ipſum contractum, & conſummatum. Secundò videndum eſt, an maritus conſtituerit talem dotem ex cauſa omninò onerosa, an verò ex cauſa voluntaria, licet inuoluat rationem remunerationis. Tertiò videndum eſt, an talis dos deducenda ſit ex toto hæreditatis cumulo, in quo ſenſu minueret legitimam aſcendentibus, vel deſcendentibus debitam, an verò ſit extrahenda ab ea parte, de qua maritus poteſt liberè diſponere in præiudicium aſcendentium, vel deſcendentium.

2 Dos conſtituta à ſene, & ignobili ante contractũ matrimonium minuit legitimam debitam aſcendentibus. Assertio I. Si maritus ignobilis, vel ſenex conſtituerit ante contractum matrimonium dotem vxori nobili, & iuueni, dos ipſa deducenda eſt ex toto cumulo hæreditatis, & ſic minuit legitimam debitam aſcendentibus, vel deſcendentibus. Conſentit *Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 8. num. 2.*

Eſt contractus oneroſus. Ratio ex eo deducitur, quià illa conſtitutio dotis ſub his terminis eſt ex cauſa omninò neceſsaria, & contractus omninò oneroſus, ſiquidem maritus ignobilis, & ſenex conſtituit illam dotem, vt ipſa nobilitatem ſuam, & iuuentutem ſibi conferat, ſine qua non conferret, & ſic ſit quaſi compenſatio illius nobilitatis, & iuuentutis in fæmina cum conſtitutione dotis facta à marito, ſed ea, quæ debentur ex cauſa neceſsaria, & ex contractu oneroſo, ſunt extrahenda à toto cumulo hæreditatis tanquam æs alienum; & minuunt legitimam, vt eſt in confeſso apud omnes, quià ſemper legitima deſumitur deducto ære alieno, ergo &c.

3 Regula generalis ſtatuitur. Ex qua concluſione, & ratione pro ipſa deducta poteſt efformari generalis regula, ſecundum quam dicatur, quod dos conſtituta per maritum vxori minuat legitimam debitam aſcendentibus, vel deſcendentibus quotieſcunque illa dos eſt

ex cauſa neceſsaria, vel contractu oneroſo debita; ſic primo minuit, & eſt deducenda ex toto cumulo hæreditatis, quandò eſt debita ex onere eidem marito impoſito per Pontificem in diſpenſatione conceſsa ſuper conſanguinitate, vel alio impedimento dirimente, quatenus ſcilicet Pontifex ad inſtantiam futuri mariti diſpenſans ſuper impedimento ea lege diſpenſet, vt maritus conferat conſanguineæ, cum qua nubere intendit, dotem; tunc etenim illa dos eſt debita ex contractu cum Pontifice inito, ſicque non eſt gratioſa, nec ex cauſa voluntaria. Secundò minuit, & eſt deducenda ex toto cumulo hæreditatis, quandò maritus dotat vxorem, vel ex iure non ſcripto, ſeù conſuetudinario compellente, vel ex iure ſcripto, & municipali proptèr eandem rationem, quià ſcilicet illa dos, ſeù dotis conſtitutio eſt ex cauſa neceſsaria, & oneroſa. Tertiò minuit, & eſt deducenda ex toto cumulo hæreditatis, quandò eſt debita, eo quià ipſe maritus vxorem ante contractum matrimonium violauerit in ſuppoſitione, qua teneretur eandem dotare.

4 **Si fuerit conſtituta conſtante matrimonio ſine prçuia promiſſione non minuit**

Assertio II. Si dos fuerit conſtituta per maritum ignobilem, & ſenem vxori nobili, vel iuueni conſtante iam matrimonio, ſed nulla facta præuia promiſſione dotis non minuit legitimam, ſed extrahenda eſt dumtaxat ex parte, de qua maritus poteſt liberè diſponere in præiudicium aſcendentium, & deſcendentium. *Bartholomæus Socin. in l. 1. num. 73., ff. ſolut. matrim. Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 8. num. 2.*

Ratio ex eo deducitur, quià hæc conſtitutio dotis, quantumvis procedat quodamodo in vim remunerationis, non eſt tamen ex cauſa neceſsaria, ſed tantum ex cauſa voluntaria; quandòquidem cum nulla præceſserit promiſsio, & matrimonium ſine vllo onere fuerit initum, non inducit aliquam obligationem conferendi illam dotem ex iuſtitia; ſed quæ procedunt ex cauſa voluntaria, & non neceſsaria, cuiuſmodi ſunt donationes remuneratoriæ, non minuunt legitimam aſcendentibus, vel deſcendentibus debitam per ea, quæ docent *Ioannes Garzia de donat. remun. num 42. Sanchez de matrim. loc. cit.*

Nonnullæ illationes.

Proptèr hanc eandem rationem docent in primis *Suarez lib. 3 fori tit. 2. de las arras l. 1. num. 3. Gutierez 2. pract. qu.* 124. *num.* 2. *Barboſa l. ſi cum dotem* 23. §. *ſi pater num.* 11., *ff. ſolut matrim. Sanchez de matrim. lib. 6. diſp.* 36. *num.* 15. donationem arrarum iuxta morem hiſpanum, quantumvis ſit remuneratoria, non minuere legitimam huiuſmodi, ſed extrahendam eſse ex ea parte, de qua poteſt vir in præiudicium aſcendentium, vel deſcendentium diſponere: Secundò docent; quod, quandò vir dotat vxorem proptèr bonum pacis inter vtriuſque conſanguineos nullo inito concordiæ pacto, dos ipſa ſic conſtituta non minuat huiuſmodi legitimam, & ſit extrahenda ab ea parte, de qua poteſt diſponere; quandòquidem in vtroque hoc caſu, & ſimilibus procedit ex cauſa voluntaria, quæ ſecundum communiorem ſententiam non minuit legitimam.

PRÆNOTIO XI.

An valeant donationes inter coniuges, ex quibus donans non efficiatur pauperior.

SVMMARIVM.

Quot modis donans non efficiatur pauperior. *num.* 1.

Valent donationes inter coniuges, quibus donans non ſit pauperior. 2.

Maritus poteſt repudiare hæreditatem ad effectum, vt vxor ſubſtituatur, vel ab inteſtato ſuccedat. 3.

Maritus rogatus reſtituere hæreditatem vxori poteſt reſtituere ſine deductione quartæ Trebellianicæ. 4.

Tenet donatio facta per maritum rerum, quas ipſe maritus prodigus eſſet inutilitèr conſumpturus. 5.

Quomodo verificetur, quod teneat donatio rei alienæ facta per maritum coniugi. 6.

MVltis poteſt modis contingere, quod donans non efficiatur pauperior, quantumvis donatarius ex illa donatione ditior euadat; & primo hoc poteſt contingere, ſi maritus hæres inſtitutus repudiaret hæreditatem, vel legatum, vt ſuccedat vxor, cui, vel ex ſubſtitutione, vel ab inteſtato debetur hæreditas; non enim dicitur fieri pauperior, qui non acquirit, ſed tantum, qui de proprio patrimonio deperdit. Secundò, ſi aliquis legaret marito rem aliquam rogans, vt ipſe leget vxori. Tertiò, quandò donaret maritus prodigus res, quas eſset inutilitèr cæteroqui cõſumpturus; Quartò, quandò donaret rem alienam ad hunc effectum, vt recipiens poſset vſucapere, & alia huiuſmodi. 1 **Quot modis donans non efficitur pauperior.**

Assertio. Probabilius eſt, valere donationes inter coniuges, ex quibus donans non fit pauperior, quantumvis donatarius efficiatur ditior. In hanc conſentit *Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp.* 4. *per totum*, vbi pluribus caſibus enumeratis plenè ſuum ſenſum confirmat. 2 **Tenent donationes, quibus donans non fit pauperior.**

Ratio aſsertionis ex eo deducitur, quià

quiȧ finis præcipuus iurium prohibentium donationes inter coniuges eſt, ne coniuges ob nimium amorem, quo ſe diligunt, mutuo ſe ſpolient bonis ſuis per ea, quæ ſuprà latè indicauimus, ſed non poſsunt dici inuicem ſpoliari, quandò donans non fit pauperior, licet donatarius euadat ex illa donatione ditior, ergò &c. Hoc idem deducitur à contrario ſenſu *ex textu in c. fin. de donat. inter virum, & uxor.*, vbi dicitur *firmitatem non habere donationem, quæ conſtante matrimonio facta eſt; ex quo alter locupletior, alter pauperior efficitur*, ergò, ſi alter non fiat pauperior firmitatem habebit huiuſmodi donatio. Hoc idem expreſſè habetur *in l. ſi ſponſus, ff. de donat. inter vir., & uxor.*

3 **Maritus poteſt repudiare hæreditatem, vel legatū ad effectum, vt mulier ſubſtituta, vel ab inteſtato ſuccedat.**

Hinc in particulari deducitur in primo caſu propoſito, quod iuſtè poſſit maritus repudiare hæreditatem, & legatum ad eum effectum, vt mulier ſubſtituta, vel ab inteſtato ſuccederet in dicta hæreditate, vel legato. Ratio ex eo deducitur, quiȧ non fit pauperior, qui non acquirit, ſed tantum, qui acquiſitum deponit; qui autem repudiat hæreditatem, non acquirit, ſed non deponit acquiſitum; hoc expreſſè colligitur *ex l. qui autem 6., ff. quæ in fraud. credit. verſ. proindè, & reg. non fraudantur 177., ff. de reg. iur.*; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primo, quod legatum conſiſtens in ſpecie tranſeat ipſo iure in dominium legatarij poſt mortem legantis, adeoque, quod eidem renuntians priuet ſe dominio eiuſdem legati; Non, inquam, obeſſe poteſt, quiȧ per mortem legantis non acquiritur ipſo iure abſolutè legatum, ſed tantum conditionatè, ſi non repudiauerit, vndè cum poſtea repudiatur, fingitur non fuiſſe acquiſitum dominium *Gloſa in l. qui autem in verbo legatum, & ibi Bartolus poſt princip., ff. quæ in fraud. credit. Iaſon l. nihil. de act. § item, ſi quid nu. 121.*

Inſtantia aduerſus illationem propoſita, & diſſoluta.

Neque obeſſe poteſt ſecundo, ſi aſſeratur, quod quamuis poſt mortem teſtatoris, & legantis repudiando hæreditatem, vel legatum non priuet ſe aliquo iure in re, ſeù bonis aliquibus, quorum dominio actu gaudeat, priuet tamen ſe iure ad rem, ſeù re, ad quam habet ius radicatum, quod eſt quid ſecundum ſe pretio æſtimabile, adeoque poſſit dici, quod priuet ſe bonis ſuis, cum illud ius ad rem computetur inter bona pretio æſtimabilia. Non, inquam, obeſſe poteſt, quiȧ hoc ius ad rem, quod legatarius dicitur habere ante acceptationem legati propriè non computatur inter bona patrimonialia ipſius, cum nondum rem legatam acquiſierit abſolutè, nec quoad dominium, nec quoad poſſeſſionem, vndè illam repudiando non poteſt dici ſe ſpoliare rebus ſuis; ad quod confirmandum adduci poteſt id, quod ſatis communitèr, & quidem non incongruè dicitur, quod ſcilicet Prælatus, ſiuè Eccleſiaſticus, ſiuè regularis poſſit repudiare hæreditatem, ſeù legatum relictum ſuę Eccleſię, ſeù monaſterio, antequam adeatur hæreditas, vel acceptetur legatum, & vtique ſine beneplacito Apoſtolico, & hoc non alia ratione, niſi quiȧ illa hæreditas, ſeù legatum nondum eſt quæſitum *Abbas c. tuo num. 9. de his quæ fiunt à præl. Iaſon l. legatum ſeruo n. 20 ff. de legat. 1. Roſella verb. alienatio num. 10 Nauarrus c. ſi quandò de reſcriptis except. 7 num. 2. Spino ſpecul. teſtament. gloſ. 8. princip. num. 63. in fin.*, ex quo deduco, ergò repudiatio hæreditatis nondum aditæ, & legati nondum quæſiti non eſt ſpoliatio propriorum bonorum &c.

4 **Maritus rogatus reſtituere hæreditatem vxori poteſt reſtituere ſine deductione quartæ Trebellianicæ.**

Deducitur in ſecundo caſu propoſito, quod iuſtè poſſit maritus rogatus hæreditatem reſtituere vxori, illam reſtituere ſine deductione quartæ Trebellianicæ, quiȧ in hoc caſu propriè non donat, ſed exactius exequitur voluntatem rogantis, & licet ius habeat, ad Trebellianicá deducendam, non habet tamen neceſſitatem, nec ius acquirit in re ad eandem Trebellianicam, niſi eam actu deducat, vel expreſſè decernat deducere eo modo, quo vocatus ad hæreditatem non acquirit ius in re in eadem hęreditate, niſi eandem adeat, vel expreſſè ſtatuat adire; vndè, ſicuti poteſt repudiare hæreditatem in fauorem vxoris ſubſtitutę, antequam adeat, ita poteſt eandem reſtituere ſine deductione Trebellianiacę, antequam eandem Trebellianiacam deduxerit, vel ſtatuerit expreſſè deducere.

5 **Tenet donatio eorum, quæ eſſet inutilitèr conſumpturus**

Deducitur in tertio caſu propoſito, quod iuſta, & valida eſſet donatio eorum, quę maritus prodigus eſſet cęteroqui inutilitèr conſumpturus *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 47. in fine, Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 4. num. 4.* Ratio ex ijs deducitur, quę ſupra dicebamus, quiȧ ſcilicet ex ea donatione maritus non fit pauperior, cum illud, quod vxori donauit, fuiſſet inutilitèr inſumpturus.

6 **Quomodo verificetur, quod teneat donatio rei alienæ.**

Deducitur in quarto caſu propoſito ſecundum diuerſas conſiderationes poſſe continere veritatem conformem aſſertioni, & non continere; ſi etenim donans cæpit poſſidere rem alienam bona fide, & eadem bona fide perſeuerante contulerit vxori, quæ poſteà præſcripſerit, tunc *Gloſa in l. ſed, & ſi conſtante verbo rebus, ff. de donat. inter vir., & uxor.*, & quidem non incongruè arbitratur, tenere huiuſmodi donationem, quiȧ ex vno capite transfert per illam donationem rem in vxorem bona fide, & ex alio non fit pauperior, quiȧ non transfert rem ſuam, nec aliquod damnum ſubit, cum ratione bonæ fidei, poſtquam res præſcripta eſt, non teneatur reſtituere; quod, ſi dicatur per illam

dona-

Digitized by Google

donationem ſe ſpoliare iure ad illam acquirendam per præſcriptionem; ſtatim ſubdam, hoc non eſse deperdere de proprio patrimonio, ſed non acquirere, quod donans non poſset acquirere; Si verò donans non poſſidebat bona fide, & tranſtulit perſeuerante mala fide; tunc cum diſtinctione adhuc procedendum eſt, vel etenim res conſideratur attento iure ciuili, & tunc etiam, ſentio donationem ſubſiſtere, cum ad nihil eodem iure attento teneatur reſtituere, cum præſcriptio ſecundum idem teneat etiam cum mala fide; vel attento iure canonico, & tunc donatio huiuſmodi non tenet, cum eodem iure non currat præſcriptio cum mala fide, ſicque, cum ipſe teneretur reſtituere, fieret pauperior.

Ex illa regula generali poſita in aſſertione, & exemplificata in præcedentibus caſibus alij plures caſus ſimiles poſsunt deduci; in quibus, ſi donans non fiat pauperior, quantumvis donatarius efficiatur ditior, non obſtantibus iuribus interdicentibus donationes inter coniuges conſtante matrimonio poteſt iuſtè, & legitimè donare; ſi verò ipſe donans pauperior fieret, vtique validè non donaret.

PRÆNOTIO XII.

An in alijs caſibus ab enumeratis poſſit eſſe valida donatio inter coniuges.

SVMMARIVM.

Inter coniuges principes non recognoſcentes ſuperiorem tenent donationes facta conſtante matrimonio. 1.

Regulariter etiam tenent donationes inter coniuges, quandò donatarius non fit ditior. 2.

Donatio, quæ vxor donat viro gratia honoris, vel dignitatis adipiſcendæ, vel cauſa ſtudij tenet. 3.

Remiſſio, quæ maritus remittit vxori dotem promiſſam, vel partem eius, tenet. 4.

1 Tenēt donationes inter Principes etiā conſtante matrimonio.

ASSERTIO I. Inter coniuges Principes non recognoſcentes ſuperiorem valent donationes factæ etiam conſtante matrimonio *Nauarrus in ſumma c. 17. nu. 149. Molina tom. 2. de iuſtitia tract. 2. diſp. 289. §. in euentibus, Ludouicus Lopez lib. 2. de contract. c. 47. §. porro quoniam Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 3. n. 1.*

Expreſsè quoad Imperatorem, & Imperatricem colligitur *ex l. penult. ff. de donat. inter vir. & vxor.*, nec difficilis eſt ratio huiuſmodi aſſertionis, & iuris, cui innititur, quandòquidem ipſi ſunt ſupra leges, & quantumvis quoad directiuam ipſis quodamodò ſubdantur, poſſunt tamē ab illis ſe eximere, vel per diſpenſationem, vel per nouas leges; eo autem ipſo, quo inter ſe contrahunt, vel quaſi contrahunt quaſi legem ſibi conſtituunt. Eadem ratione, qua conceditur Imperatori, & Imperatrici poſſe ſibi ad inuicem donare, conceditur etiam Regibus, & Reginis, aliiſq; principibus non cognoſcentibus in temporalibus ſuperiorem, cum & ipſi poſſint ſibi leges conſtituere, & eorum contractus obtinent quaſi vim legum; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod huiuſmodi donationes inter coniuges non ſolum de iure ciuili interdicantur, ſed etiam de iure canonico, à quo nō poſſunt Principes temporales etiam nō recognoſcentes ſuperiorem ſe eximere, cum ius canonicum ſit ſupra eorum poteſtatem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in ijs, quæ ſpectant ad temporalem gubernationem, quantumvis Principes temporales habitu ſubdantur Pontificiæ poteſtati, actu tamen Pontificibus permittentibus plenam gubernationem in ijs, quæ ad ſpiritualia non pertinent, non ſubduntur; Deinde ius canonicum quoad hoc ſolum approbat ius ciuile, cui conformatur.

Rationes ſuadentes aſſertam.

2 Tenent quādò donatarius non fit ditior.

ASSERTIO II. Valent donationes regulariter inter coniuges, quandò donatarius ex illis non fit locupletior.

Expreſsè colligitur *ex l. ſi ſponſus verſ. conceſſa donatio ff. de donat. inter vir. & vxor*; hinc conformiter ad hanc aſſertionem, & ius pro ipſa adductum deducitur primo, vxorem poſſe iuſtè, & validè donare marito locum pro ſepultura; atque hic eſt caſus ſpecialis conceſſus *in d. l. ſi ſponſus*, & ſubditur illa ratio *Porrò hic non videtur fieri locupletior in ea re, quam Religioni dicauit*; Secundo vxorem viro, vel viceuerſa poſſe donare reditus ad capellaniam dotandam, ad oleum, & ceram emendam, ad illuminandum templum *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 48. num. 2.* Tertio valere donationes inter coniuges, quandò alter alteri donat, non vt apud donatarium res donata permaneat, ſed vt alteri donet per textum *in l. profectitia §. antepenult. ff. de iur. dot. Bartolus in l. cum filius ff. de donat. Tiraquel in l. ſi unquam verb. ſuſceperis liberos 172. C. de reuoc. donat. Crottus l. frater à fratre nu. 75 ff. de condit. indeb.*, eo quia donatarius non fit locupletior, ex quibus poterunt deduci aliæ ſimiles illationes.

3 Donatio facta ab vxore marito gratia honoris adipiſcendi tenet,

ASSERTIO III. Donatio, qua vxor donat viro gratia honoris, vel dignitatis adipiſcendæ, vel cauſa ſtudij valet *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 4. num. 1. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 3. n. 9.*

Expreſsè habetur *in l. quod adipiſcendæ ff. de donat. inter virum, & vxor.*, ex quo textu colligitur primò, quod teneat donatio,

Digitized by Google

natio, vel acquirendum feudum. Secundo ad titulum nobilitatis acquirendum. Tertiò ad impetrandum, vt adſcribatur alicui ordini equeſtri. Quartò, vt cingulum militarem acquirat. Quintò, vt promoueatur ad lauream doctoratus. Sextò ad ludos auctoritate publica præparandos, vel ad ſimilia honoris, & dignitatis inſignia acquirenda.

4 Remiſſio, qua remittat maritus vxori, vel dotem promiſsã, vel partem eiuſdẽ, tenet.

ASSERTIO IV. Remiſſio, qua maritus conſtante matrimonio remittit vxori dotem promiſſam, vel partem eius, tenet *Præpoſitus c. fin. nu. 7. de donat. inter vir. & vxor. Angelus verb. donatio 3. nu. 2. Silueſter verb. donatio 2. num. 3. Nauarrus in ſumma c. 17. num. 149.*

Colligitur expreſsè *ex l. ſi conſtante* 19. *C. de donat. ante nuptias*; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod remiſſio alicuius debiti inter coniuges non valeat per textum *in l. ſi ſponſus* 5. *verſ. ſi debitor viri ff. de donat. inter vir. & vxor.*, ergo neque valebit remiſſio dotis promiſſæ, vel partis eiuſdem factæ per maritum vxori conſtante matrimonio; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia diſpar omninò eſt ratio, quandòquidem remiſſio dotis non eſt niſi anticipata reſtitutio eius, quod fieri deberet ſoluto matrimonio, cum dos reſtituenda ſit vxori, ad quam pertinet dominium eiuſdem; remiſſio verò alterius debiti eſt abſoluta donatio, non debita, cum debitum ipſum ſit iuris abſoluti eius, qui habet creditum, adeòque &c. vndè meritò dicit *Barboſa in l. 2. part. 2 in princip. n. 1. ff. ſolut. matrim.*, quod debetur in diem verè debitum eſſe attento præſenti ſtatu *l. in diem C. de cond. indeb.*, & ſic eius remiſſio non eſt donatio prohibita.

Inſtantia propoſita, & diſſo luta.

Dices, ſi maritus in celebratione contractus matrimonialis de facto dotem conſtitutam vxori receperit, non poteſt durante matrimonio eandem reſtituere ſine nota ſimplicis donationis, & vtique prohibitæ, prout notat *Barboſa in d. l. 2. part. 2. in princip. n. 1. ff. ſol. matrim.* per textum *in l. vnica C. ſi dos conſtante matrim. & auth de nuptijs §. dotes col. 4.*, & tamen dos reſtituenda eſt ſoluto matrimonio, ergo, ſi maritus remittat conſtante matrimonio dotem ſibi promiſſam, vel partem eiuſdẽ, vtique non effugiet notam donationis ſimplicis, & prohibitæ non obſtante, quod ſoluto matrimonio teneretur eandem remittere. Sed contrà, ex quo iam dos ipſa tranſlata ſupponitur in ipſum maritum ad ipſum pertinent eiuſdem fructus, quos propterea ſimul cum ipſa dote non poteſt transferre; at quandò tantum promiſſa ſupponitur, quantumvis ſit debita, non eſt tamen adhuc quæſita, maximè, ſi promiſſio facta ſit ſine onere interuſuriorum, ac proindè &c.

PRÆNOTIO XIII.

An donationes inter coniuges non veros, ſed putatiuos teneant.

SVMMARIVM.

Conſiderabilia circa titulum. 1.
Si vterque fuerit conſcius nullitatis contractus, & ſecuta fuerit donatio, donans non poteſt repetere donatum ab alio; poteſt tamen fiſcus vendicare. 2.
Hoc ius vendicandi competit fiſco, quantumvis matrimonium non fuerit conſummatum. 3.
Fiſcus non acquirit rem donatam ante vendicationem, & ante ſententiam Iudicis. 4.
Si ſolus coniux donans fuerit conſcius nullitatis, & non donatarius, tenet donatio. 5.
Si ſolus donatarius fuerit conſcius nullitatis contractus, & non donans, donatio nec tenet. 6.
Si vterque bona fide contraxerit donatio inter ipſos non tenet. 7.
Si coniux donans fuerit conſcius nullitatis contractus, & donatarius ignarus ignorantia facti tenet donatio, ſi verò ignarus ignorantia iuris non tenet in foro externo, bona tamen in interno. 8.

SEcundum multiplicem conſiderationem poteſt dirimi præſens controuerſia, vel enim coniugium initum eſt vtroque coniuge arbitrante illud validum eſſe, quantumvis fuerit inualidum ex aliquo impedimento dirimente occulto: vel initum fuit vtroque coniuge conſcio nullitatis contractus, vel altero conſcio, altero penitus ignorante. Rurſus ignorantia nullitatis, vel in vtroque coniuge, vel in altero eorum dumtaxat ſupponitur eſſe ignorantia facti ſolummodò, vel ignorantia iuris, & non facti, vel ignorantia iuris ſimul, & facti. Quibus ſic ſuppoſitis ſit

1 Conſiderabilia circa titulum

2 Si vterque eſt cõſcius nullitatis donans nõ poteſt repetere, poteſt tamen fiſcus vendicare.

ASSERTIO I. Si vterque coniux conſcius fuerit nullitatis contractus, & alter alteri quid donauerit, donatum non poteſt repeti à donatore; poteſt tamen vendicare Fiſcus. In hanc omnes ferè conſentiunt, prout teſtatur *Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 2. n. 2.*

Expreſsè colligitur *ex l. cum hic ſtatus §. fin. in fin. ff. de donat. inter vir. & vxor.*, vbi expreſſis, & prægnantibus verbis hæc aſſertio deciditur; nec ius canonicum in hoc aduerſatur, quandòquidem ius canonicum ad ſummum tollit pœnas aduerſantes libertati matrimonij, non autem inualidat pœnas contrà ſcientes nulliter contrahentes.

Hic

Duplex ratio dubitandi.

Hic duplex circa hanc aſſertionem emanat difficultas. Prima eſt, an ius vendicandi rem donatam competat Fiſco, quandò matrimonium illud nulliter ſcientèr initum eſt ſolummodò conſummatum, an verò etiam quandò ſimplicitèr ratum eſt. Secunda, an ipſo iure deuoluatur res donata ad fiſcum independenter à quacunque ſententia, an verò ſolum interueniente Iudicis ſententia, & an nulla ſententia interueniente donatarius licitè, & iuſte detinere poſſit rem donatam.

3 Competit fiſco etiam matrimonio non conſummato.

Ad primam; attenta verborum forma, & proprietate, ſecundum quam hoc ius deuolutionis rei ad fiſcum concipitur, dicendum eſt idem ius competere fiſco, quantumvis matrimonium illud non fuerit conſummatum, ſed præcisè inualidè ſcienter initum *Ioannes Lupus rub. de donat.* §. 36. *nu* 7. Ratio eſt, quià in iure ſic diſponente dicitur *deſponſauerit, duxerit*; Deindè ſubditur *etiam ſponſalia improbanda, & quaſi ab indignis ea, quæ donata ſunt ablata fiſco vendicari*; deſponſare autem, ducere, & ſimilia verificantur præcisè in contractu, quantumvis nuptiæ non fuerint conſummatæ; & ſicuti improbantur ſponſalia, & donatum vendicatur fiſco, ita à fortiori improbandum eſt matrimonium nulliter initum, & donatum fiſco deuoluendum.

4 Fiſcus non acquirit ante vendicationē, & ſententiam Iudicis.

Ad ſecundam probabilius ſentio, rem donatam ad fiſcum non deuolui, niſi eandē rem vendicet, ipſique per ſententiam Iudicis applicetur *Angelus verb. donatio 3. n. 5. Silueſter eod. verb. donatio 2. q. 1. Tabiena verb. donatio 3. q. 3. num. 4. in fine, Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 2. n. 2. in fin.*; vnde antè talem ſententiam, & vendicationem donatarius rem ſibi donatam poteſt iuſte detinere. Ratio eſt ex vna parte, quià pœnæ non debentur ante ſententiam, niſi in impoſitione pœnæ expreſsè ſtatuatur, quod ipſo iure, & abſque declaratione incurrantur, quod non reperitur diſpoſitum in præſenti caſu; ex alia parte, cum donum fuerit ex falſa cauſa ſcientèr, & donans vtique ſciuerit, cenſetur donare abſolute, & transferrè illius rei dominium in donatarium.

5 Si ſolus donans fuerit conſcius nullitatis, & non donatarius tenet donatio.

Assertio II. Quandò ſolus coniux putatiuus donans fuit conſcius nullitatis matrimonij, & non donatarius, probabilius tenet donatio *Acoſta c. ſi Pater de teſtamentis in 6. part. 1. verb. vxorem num. 6. Couaruuias 4. decret. 2. part. c 7. §. 1. n. 8. in 2. edit. Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp.* 200., hanc veriorem appellat *Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 2. n. 4.*

Ratio ex eo deducitur, quià, cum donans ſupponatur conſcius nullitatis contractus, & nihilominus donet vxori ignoranti nullitatem, vtique intelligitur transferre dominium rei donatæ, & in perſonam vtique non incapacem acquirendi illius dominium, & in hoc valet regula ſupra attacta, quod ſcilicet ſoluens ex falſa cauſa, quam nouit eſſe falſam, cenſetur donare, & vtique non repetit per textum *in l. cuius per errorem ff. de reg. iuris, & l. 1. ff. de condit. indebit.*, Quod autem vxor illa putatiua non ſit incapax acquirendi illud dominium ex eo euincitur, quia iura prohibent ſolummodò donationes inter coniuges, & cum huiuſmodi iura ſint correctoria iuris communis, ſecundum quod quis pro ſua libertate poteſt donare cuicunque voluerit, ſunt ſtrictè interpretanda, & intelligenda quoad coniuges veros, & reales, non autem quoad non coniuges, vel ſi fortè coniuges ſunt, non ſunt tales, niſi ex errore, & putatiui.

Rationes ſuadentes in contum.

Alij probant hanc aſſertionem eo argumento, ſcilicet, quia in ea hypotheſi, qua ſolus donans fuerit conſcius nullitatis, & aliquid legauerit, tenet legatum per textum *in l. fin. ff. de legat. 1. & l. Præfectus ff de rit. nupt. & l. 2. § per contractum ff de his, quibus vt indign.*, ergo etiam tenebit donatio, quando ſolus donans fuerit conſcius nullitatis, & non donatarius, cum valeat argumentum ab vltimis voluntatibus ad donationes, niſi aſſignetur certa ratio diſparitatis *Euarardus in ſuis top. loc. 36. à contractibus ad vltimas voluntates.* Sed facile reſponderi poſſet huic argumento, quod legatum ideo teneat, quia firmatur morte legantis; non enim legatum tenet, niſi poſt mortem eiuſdem legantis; donatio autem, cum ſit inter viuos, & prohibita inter coniuges, nullam vim poteſt ſortiri, & ſolum poteſt obtinere effectum poſt mortem donantis, vndè antecedenter poteſt ſemper reuocari; Hoc diſcrimen optimè agnouit *Sanchez d. lib. 6. diſp. 1.* dum *num.* 2. abſolute aſſerit donationem ſimplicem inter virum, & vxorem validam non eſſe, & poſteà *num.* 12. aſſerit legatum inter virum, & vxorem valere; quamobrem non percipio ipſius conſequentiam, dum modo *diſp.* 2. *nu* 4. aſſerit valere argumentum à legato ad donationes inter viuos. Sed forte poſſet reſponderi, argumentum in eo dumtaxat ſenſu valere, quod, ſicuti legatum ex falſa cauſa ſcienter factum habetur pro valido, & pro vera donatione, quantum eſt ex parte eiuſdem falſæ cauſæ, ita donatio ex falſa cauſa facta à donatore conſcio talis falſitatis habeatur pro vera donatione, & quantum ex parte eiuſdem falſæ cauſæ teneat. Quod deinde legatum iſtud non teneat, niſi intercedente morte legantis; donatio verò in hac hypotheſi teneat etiā antecedenter ad mortem donantis; aliunde deſumit fundamentum; quia ſcilicet

Aliæ probationes.

na-

Digitized by Google

natura legati exigit, vt non debeatur, niſi poſt mortem teſtatoris, ſeu legantis; donatio autem ſecundum ſe non exigit ad ſui complementum mortem donantis, ſed poteſt immediatè compleri, niſi ius aliquod obſiſtat; non obſiſtit autem, niſi fuerit inter coniuges, quod non verificatur in præſenti hypotheſi, cum verè coniuges non ſint.

Ratio ſecundo ex eo deduci poteſt, quià in hac hypotheſi, nec ius irritat huiuſmodi donationes, nec fiſco deuoluit, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet ex iam dictis; quoad ſecundam ex eo euincitur, quia lex illa deuoluens huiuſmodi donationes fiſco eſt lex pænalis; ſed leges pænales non ſortiuntur effectum, niſi delictum fuerit vſquequaque completum, quod non eſt in præſenti caſu, ſecundum quod matrimonium non eſt initum cum ſcientia nullitatis reſpectu vtriuſque contrahentis, quam rationem conſideraſſe videtur *Sanchez d. lib. 6. de matrimon. diſp. 2. nu. 4.* dum aſſerit non obſtare textum *in l. cum hic ſtatus* §. *fin. in fin. ff. de donat. inter vir. & uxor* cum hic intelligatur ſolummodò, quandò vterque fuit conſcius nullitatis contractus matrimonialis, ſecus autem quandò ſolus donans fuit conſcius, non autem donatarius.

6 Si donatarius fuerit conſcius nullitatis, & non donans non tenet donatio.

ASSERTIO III. Quandò coniux putatiuus donatarius fuit conſcius nullitatis contractus matrimonialis, donator autem ignarus, & in bona fide, donatio nullius omninò roboris eſt, & reſtituenda eſt donanti, ſeù eius hæredibus, nec vllo modo ad fiſcum deuoluitur *Acoſta in cap. ſi pater de teſtament. in 6. part. 1. num. 11. Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 200. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 2 num. 7.*

Expreſsè colligitur ex textu *in l cum hic ſtatus* §. *fin. verſ. ſi quis ſponſam, ff. de donat. inter vir., & vxor*; nec incongruis rationibus hic textus, & aſſertio innititur, quandòquidem in primis donatio exigit omnimodam libertatem, cum procedat ex titulo omninò gratuito, & liberali; nihil autem eſt magis contrarium conſenſui libero, quam error *l. ſi quis per errorem, ff. de iuriſd. omn. iud.*; quotieſcunque autem donauit ex motiuo matrimonij penitus ignarus inualiditatis eiuſdem, non eſt ambigendum quin ex errore donauerit, adeoque &c. Deindè æquum non eſt, vt quis pænam ſubeat ex delicto, quod non commiſit, vt per ſe manifeſtum eſt; ſubiret autem pænam priuationis eorum, quæ contulit per donationem ſine culpa, cum ipſe conſcius non eſſet nullitatis contractus, ergò &c.

7 ASSERTIO IV. Si vterque coniux bona fide contraxerit ignarus nullitatis eiuſdem matrimonij donatio inter ipſos abſolutè non tenet *Abbas c. fin. n. 14. de donat. inter vir., & vxor. Acoſta c. ſi pater de teſtament. in 6. part. 1. verbo vxorem num. 18. Sanchez de matrimon lib. 6. diſp. 2. num. 9. in fin.*

Si vterque bona fide contraxerit donatio inter ipſos non tenet.

Antequam autem procedam ad probationem aſſertionis, hoc vnum aduerto, me non ſentire talem donationem eſſe inualidam ex iure interdicente, & irritante donationes inter coniuges, quaſi quod in hac hypotheſi ius illud irritans extendatur ad hunc caſum, in quo quamvis veri coniuges non ſint, quià tamen bona fide contraxerunt, & permanent in coniugio quoad hunc effectum habeantur, ac ſi eſſet veri coniuges, ac proindè donationes inter ipſos non teneant, niſi confirmentur morte donantis, ſicuti verificatur de cæteris donationibus inter veros coniuges; Non, inquam, propter hoc iuſ ſentio illam donationem fore inualidam; ſed ex defectu voluntatis in donante, quo propterea etiam mortuo poteſt reuocari donatio per ipſius hæredes, vt rectè adnotauit *Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 2. num 9.* Iuxtà hunc igitur ſenſum

Probatur primo ex textu *in l. cum hic ſtatus* §. *fin. verſ. ſi quis ſponſam, ff. de donat. inter vir., & vxor.*, vbi ſtatuitur, quod donationes factæ vxori putatiuæ reuertantur ad donantem non alia ratione, niſi quià voluntas donantis non fertur in extraneam, ſed ad vxorem, & per conſequens, cum illa vxor non ſit, non acquirit deficiente voluntate in donatore.

Ex quonâ capite ſit irrita illa donatio.

Probatur ſecundo ex ijs, quæ mox inſinuauimus, quià, cum donationes debeant eſſe liberæ, & à principio omninò voluntario, non poſſunt eſſe cum errore, quandòquidem hic omninò aduerſatur rationi voluntarij iuxtà allegatum textum *in l. ſi quis per errorem, ff. de iuriſd. omnium Iud.*, ergò &c.

Neque ijs, quæ dicta ſunt in hac aſſertione aduerſari poteſt textus *in l. ſi ex voluntate C. de donat. inter vir., & vxor.*, vbi dicitur. *Sed, ſi matrimonium iure non valuit, licet ipſo iure donatio tenuerit &c., quià tamen indigna perſona eius fuit, qui nec maritus dici poteſt, vtique actiones ſuper reuocandis his ſibi competunt*, ex quo textu duo inferuntur; primum, quod donatio etiam inter coniuges putatiuos ipſo iure teneat; ſecundum, quod reuocari poſſit, cum illa perſona non ſit ipſius maritus, quod coincidit cum donationibus, quæ fiunt inter veros coniuges, quæ ſunt reuocabiles; Non, inquam, aduerſari poteſt, quià in primis, vt benè notat *Sanchez d. diſp. 2. num. 9.* textus hic potius fauet aſſertioni noſtræ, quam eandem oppugnet; per ly etenim, *licet ipſo iure donatio tenuerit* importatur, ac idem ſonat, *licet videatur donatio tenere*, quod indicant ſubſequen-

Argumenta oppoſita, & diſſoluta.

Digitized by Google

ſequentia verba, *quià tamen indigna perſona eius fuit, qui nec maritus poteſt dici, vtique actiones ſuper reuocandis his, ſibi competent*; non enim poſſunt intelligi quoad reuocabilitatem donationum eo modo, quo adeſt reuocabilis donatio inter coniuges, cum in eodem textu dicatur, *Qui nec maritus dici poteſt*; intelligenda ſunt igitur de reuocatione ratione nullitatis abſolutæ, quæ propterea compati non poſſunt cum illis verbis præcedentibus, *licet ipſo iure alienatio tenueris*, niſi hæc intelligantur de illo apparenti valore, prout explicat *Sanchez loc. cit.* Deindè illa verba, *licet donatio ipſo iure tenuerit*, non ſtant determinatiuè, & abſolutè, quatenus determinent talem donationem abſolutè tenere, ſed permiſſiuè, quatenus idem importent, *ac dato etiam, quod teneret*, quod per conſequens non importat valorem.

8 Conſcio nullitatis donante, & ignaro ignorantia facti donatario tenet donatio, ſecus ignaro ignorantia iuris.

Assertio V. Si coniux donans fuerit conſcius nullitatis contractus matrimonialis, & donatarius ignarus ignorantia facti, vtique tenet donatio iuxtà dicta in præcedenti aſſertione ſecunda; ſi verò fuerit ignarus ignorantia iuris probabilius eſt in foro externo non tenere, benè tamen in foro interno. Quod, vt clarius intelligatur, aduerte, tunc intelligi ignorantiam iuris, & non facti, quandò quis nouit impedimentum, ignorat tamen eo ſtante non poſſe conſiſtere matrimonium; tunc verò intelligi ignorantiam facti, & non iuris, quando quis nouit tale impedimentum ex diſpoſitione iuris dirimere matrimonium, neſcit tamen tale impedimentum ſubeſſe; tunc intelligi ignorantiam iuris, & facti, quandò, nec ſcitur impedimentum adeſſe, nec ius exiſtente illo impedimento matrimonium dirimere. Hanc aſſertionem ſuſtinet *Acoſta cap. ſi pater de teſtam. in 6. part. 1. verb. uxorem num. 7.*, cui adhærere videtur *Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp 2. n. 6.* Quoad primam partem non eſt difficultas, cum iuxtà ipſam procedat aſſertio ſecunda, & rationes pro eadem adductæ.

Quoad ſecundam verò partem de nullitate donationis ſuppoſita ignorantia iuris in foro externo clarè deducitur, quod, ſi donatarius æquè, ac donans fuerit conſcius nullitatis contractus matrimonialis, & alter alteri donauerit, vtique per ſuperius probata non tenet donatio, ergò neque, ſi donans fuerit conſcius nullitatis contractus, & donatarius ignorans ignorantia iuris tenebit eadem donatio. Conſequentia probatur, quià ignorantia iuris nunquam præſumitur, niſi probetur, ergò in foro externo habebitur pro vera ſcientia. Confirmatur, quià quamvis ignorantia iuris, & non facti poſſit ſæpè iuuare ignorantem, ne bonis ſuis ſplietur, ſeù quod idem eſt ad damnum euitandum, non tamen poteſt iuuare ad lucrum acquirendum, prout habetur *in l. ſi adulterium §. 1. ff. ad leg. Iul. de adult.*, & *ibi Gloſ. verb. illicitum*, *Coarruuias 4 decret. 2. part c. 6. §. 2. num. 22.*

Quoad tertiam tandem partem, quod ſcilicet in foro interno teneat adhuc donatio, quantumvis in donatario fuerit ignorantia iuris, ex eo facilè deducitur, quià in foro interno attenditur præcisè veritas, non ſtatur præſumptionibus, ergò, ſi verè fuerit ignorans, non erit, cur priuandus ſit in foro interno illa donatione, quam habuit ab altero coniuge putatiuo, qui contulit cum vera ſcientia nullitatis.

PRÆNOTIO XIV.

An donatio inter coniuges confirmetur iuramento.

SVMMARIVM.

Quomodo poſſit concipi iuramentum. 1.
Donatio inter coniuges confirmatur iuramento confirmatorio, ſeù promiſſorio. 2.
Donatio expreſſa inter coniuges non confirmatur per ſolum iuramentum aſſertorium. num. 3.
Donatio tacita, ſeù confeſſio dotis receptæ firmatur iuramento confirmatorio, non aſſertorio præcisè. 4.
In vtraque extante ſimul iuramento confirmatorio, & aſſertorio firmatur. 5.
Donatio inter coniuges contra prius iuramentum de ſibi ad inuicem non donando non firmatur iuramento. 6.

IVxtà ſuperius dicta donatio inter coniuges conſtante matrimonio alia eſt expreſſa, quatenus alter alteri donat verè, & realitèr per expreſſum voluntatis actum, & de ſuo patrimonio aliquid explicitè transfert; alia eſt tacita, & implicità, quæ potiſſimum conſiſtit in confeſſione dotis facta per maritum de receptione eiuſdem, cum tamen alitèr non conſtet de ſolutione; in qua hypotheſi diximus per illam confeſſionem maritum intelligi tacitè donare illam dotem. De vtraque procedit modo titulus, an ſcilicet iuramento confirmetur. Pro cuius rei clariori notitia.

Aduertè iuramentum, quod poteſt apponi donationi, ſiuè tacitæ, ſiuè expreſſæ inter coniuges, poſſe duplicitèr concipi, vel ſcilicet confirmatoriè, ſeù promiſſorie, vel aſſertoriè; iuramentum primo modo acceptum reſpicit factum futurum, & tunc eſt in terminis donationis, de qua loquimur, quandò maritus fatetur, — 1 Quomodo poſſit concipi iuramentum.

Digitized by Google

fatetur, vel in inſtrumento, vel alitèr recepiſse dotem à propria vxore, & iurat ſe non contrauenturum confeſſioni per ipſum factæ, ſed ſoluturum, ſeù reſtituturum dotem, quam confeſsus eſt recepiſse; Iuramentum ſecundo modo acceptum reſpicit factum præteritum, vel præſens, & tunc eſt, quandò maritus fatetur ſe dotem ab vxore recepiſse, & ſimul iurat, ſe verè recepiſse. Hoc duplex iuramentum, quod exemplificatum fuit in tacita donatione per confeſſionem dotis receptæ, poteſt etiam interuenire in donatione expreſsa, quatenus alter coniugum per actum voluntatis expreſsum actu transferat in alterum rem aliquam titulo gratuito donationis, & iure iurando promittat, ſe eidem donationi minimè contrauenturum, nec ipſam reuocaturum, & ecce iuramentum confirmatorium, ſeù promiſsorium, vel quatenus iurat ſe donare animo verè donandi, & transferendi ex tunc dominium in donatarium, & ecce iuramentum aſsertorium. Porrò hoc vtrumque iuramentum, vel poteſt apponi diſiunctim, vnum ſcilicet ſine altero, vel coniunctim, vtrumque ſcilicet ſimul; tunc tantum ponitur iuramentum confirmatorium, ſeù promiſsorium, quandò fatetur, ſcilicet præcisè ſe dotem recepiſſe, & addat iuramentum de non contraueniendo illi confeſſioni; tunc tantum aſsertorium, quandò fatetur, & iurat ſe dotem recepiſse, non addit tamen iuramentum de non contraueniendo; tunc vtrumque ponitur, quandò & iurat recepiſse, & ſimul iure iurando promittit, ſe non contrauenturum confeſſioni, ſed ſoluturum ſine vlla contradictione. Porrò iuramentum, ſiuè promiſsorium, ſiuè aſsertorium, vel poteſt cadere ſolummodò ſuprà donationem, ſiuè tacitam, ſiuè expreſsam inter coniuges, vel poteſt cadere ſupra eandem donationem, quæ ſit contra prius iuramentum de non donando. His igitur pro notitia ſic explicatis.

2 Donatio inter coniuges cõfirmatur iuramento confirmatorio, ſeù promiſſorio,

Assertio I. Donatio expreſſa inter coniuges, quantumvis ſecundum ſe ſit inualida ex iure irritante, confirmatur tamen iuramento confirmatorio, ſeu promiſſorio. *Bartolus in l. ſi quis pro eo num. 17. ff. de fideiuſ. Abbas conſ. 95. num. 1. vol. vlt. & c. fin. de donat. inter vir. & vxor. Ioannes Lupus rub. de donatione §. ſi num. 1. Roſella donatio 1. nu. 40. Iulius Clarus recept. lib. 4. verb. donatio q. 9. verſ. ſed quid ſi in ipſa donatione, Cöarunias primo var. c. 7. num. 4. Gutier de iuramento prima part. c. 3. num. 7.*, & alij innumeri iuris periti allegati à *Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 11. n. 2. verſ. nec obſtat, & à Ioanne Angelo Boſſio tract. de dot. c. 10. nu. 77.* ex Theologis *Molina de inſt. tom. 2. tract. 2. diſp. 289. ad fin. Sanchez de matrim. loc. cit. Rebellus de obligat. inſt. part. 2. lib. 6. q. 10. ſect. 2. num. 13. Ludouicus Lopez lib. 2. de contract. c. 47. §. nunc vero agendum Manuel tom. 1 ſumma c. 92. num. 2. Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*, qui quamvis alloquatur dumtaxat de donatione tacita ex paritate tamen rationis trahuntur etiam ad ſanum ſenſum donationis expreſsæ.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Ratio ex eo deducitur primò, quià iuramentum, vbi non eſt contrà bonos mores, eſt obſeruandum, & firmat actum, circa quem verſetur, vt communiter ſuſtinent DD., ſed iuramentum de non contraueniendo donationi expreſsæ non eſt contra bonos mores, quandòquidem talis donatio non eſt ex genere ſuo prohibita, ſed tantum de iure ciuili, nec prohibitio eſt fauore publicæ vtilitatis, ſed priuato ipſorum coniugum, nec obeſse poteſt, ſi aſseratur primo, iuramentum non obligare quotieſcunque eſt de obiecto, quod ſecundum ſe illicitum eſt, & prohibitum per habentem legitimam poteſtatem prohibendi; donatio autem inter coniuges illicita eſt, & prohibita per iura habentia legitimam poteſtatem prohibendi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia iuramentum tantum non obligat, quandò eſt de obiecto illicito, quatenus eſt contra bonos mores naturales, & prohibito ratione deformitatis, quam obiectum inuoluit in ordine ad Deum; ſecus autem, quando eſt de obiecto tantum illicito, quatenus eſt contra bonos mores ciuiles dumtaxat, & prohibito non ratione deformitatis in ordine ad Deum, ſed tantum ratione alicuius damni in bonis naturalibus, quod poſſet conſurgere ratione nimiæ propenſionis, quam habent ad inuicem coniuges, ne ſcilicet ratione eiuſdem mutuo ſe bonis ſuis ſpolient, quod certe noxam aliquam moralem non infert.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Minus obeſſe poteſt, ſi aſſeratur iuramentum ſortiri naturam, & conditionem actus, cui adijcitur *l. fin. C. de non numer. pecun.*, ſed donatio inter coniuges, cui adijcitur illud iuramentum, ſecundum ſe non tenet, ergo nec iuramentum, quod adijcitur; Minus, inquam, obeſſe poteſt, quia iuramentum ſortitur quidem naturam primordialem actus, cui adijcitur, non verò accidentalem, prout latè conſiderant *Rolandus conſ. 6. num. 37. lib. 1. Coarrunias c. quamvis pactum prima part §. 4. n. 1. Gutierez de iurament. part. prima c. 37. n. 2. & 3.*; primordialis autem natura donationis inter coniuges non importat inualiditatem, cum independenter à iure ciuili eſſet valida.

Ratio vlterius adijcitur, quia huiuſmodi donationes inter coniuges morte donantis

nantis confirmantur, & fiunt omninò irreuocabiles, vt latius in ſubſequentibus prænotionibus probabimus, ergo non ſunt ex genere ſuo contra bonos morales, & naturales, ergo ſi iuramento promiſſorio firmentur erunt omninò validę, & irreuocabiles. Prima conſequentia probatur, quia, quod ex genere ſuo eſt contra bonos morales nunquam poteſt eſſe licitum, nec per mortem cohoneſtatur. Vltima verò ſic etiam euincitur, quià, ſi morte conualeſcit, non eſt, cur non conualeſcat etiam iuramento, cum hoc propter ſacramentum, quod inuoluit, fortius ſit ad conualidandos contractus.

3 **Donatio expreſſa inter coniuges nõ confirmatur per ſolum iuramẽtum aſſertorium.**

Assertio II. Donatio expreſſa inter virum, & vxorem conſtante matrimonio non confirmatur, nec redditur irreuocabilis per ſolum iuramentum aſſertorium *Coarruuias rub. de teſtam. 3. part. num. 14. concl. 3. Riminal. inſtit. de donat. §. 1. n. 268. Gutierez de iurament. part. 1. cap. 3. num. 2. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 11. num. 5. Petrus Barboſa ad l. 1. part. 6. n. 48. ff ſolut. matrim. Rota Rom decis. 925. apud Buratum, & alij magis communiter.*

Ratio ex eo deducitur primò; quia iuramentum aſſertorium nihil aliud eſt, quam donatio cum iuramento, quod ipſe donans habuerit veram voluntatem donandi, & non fictè, & iuramentum cadit non ſupra aliquod onus de futuro, ſed ſupra ipſam donationem poſitam de facto, vel de præterito, ſed donatio quantumvis facta cum vero animo donandi inter coniuges nõ tenet, nec eſt irreuocabilis, ergo nec redditur irreuocabilis, ex eo quod iuramento aſſertorio fuerit firmata. Conſequentia hæc probatur, quia iuramentum hoc non aliud inuoluit, quam inuocationem Dei, quod donatio fuerit vera; ſed donatio quantumvis vera non tenet, & vtique reuocabilis eſt, ergo &c.

Secundò, quia, intantum donatio iuramento firmata eſt confirmata, & valida, in quantum per non obſeruantiam committeretur periurium; ſed quandò iuramentum eſt præciſè aſſertorium per non obſeruantiam, ſeu per reuocationem donationis nullum committeretur periurium, ergo &c. Minor probatur, quià vel illa donatio fuit ficta, vel vera & realis, ſeu cum vero animo donandi; ſi ficta fuit, iam periurium commiſſum eſt in illo iuramento emiſſo, quo proteſtatus eſt ſe donaſſe, ſeu donare cum vero animo donandi, non committitur per reuocationem, quià iuramentum non extenditur ad non reuocandum; ſi vera & realis, ſeu cum vero animo donandi, & tunc iuramentum nullam vim, nec efficaciam tribuit eidem donationi, niſi quatenus confirmat eam eſſe veram, & realem,

4 **Donatio tacita, ſeù confeſſio dotis receptæ firmatur iuramento confirmatorio non aſſertorio.**

Assertio III. Donatio tacita, ſeù confeſſio dotis receptæ firmata iuramento promiſſorio tenet, & eſt irreuocabilis, ſecus ſi fuerit firmata tantum iuramento aſſertorio. Prima pars eſt *Baldi Nouelli de dote part. 10. num. 10. verſ. tamen quando Mantica de tac. & amb conieƈt lib. 21. tit 8. num. 51. Valaſci conſult. 5. nu. 10. Fachinei controu. iur. lib 8 c 77. Molina de iuſt. tom. 2. diſp. 439. nu 10. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 12. n. 4. Rebelli de oblig iuſt. part 2. lib. 6. q. 10. ſect. 2. num. 13. Gabriellis commun. lib. 3. tit de donat. concl. 3.* Secunda pars eſt *Baldi Nouelli d. part. 10. num. 10. verſ. nec obſtat dictum Cini, Iulij Clari lib. 4. recept. §. donatio q. 9. num 4. Fachinei controuerſ. iuris lib. 8. c 78. Menochij de præſumpt lib. 3. præſumpt. 12. n 48. Ioſeph Ludouici deciſ. 66. num. 11. Borelli in ſumma deciſ. tom. 2. tit. 3. num. 208. Ioannis Angeli Boſij tract. de dot. c. 10. nu. 80.* Tota aſſertio eſt *Immola c. cum contingat num. 89. de iure iur. Ioannis Lupi rub. de donat. §. 51. num 4. & ſeqq. Ioannis Gabriellis tom. 3. commun. lib. 3. tit. de donat. concl. 3. nu. 4. & ſeqq. Gutierez de iurament. 2. part. c. 3. n. 11. & ſeqq. Seraphini de priuil. iurament. priuileg. 71. num. 55. Coaruuij prima var. c. 7. nu. 4. Sanchez, & Boſij loc. cit.*

Non procedit aſſertio quoad primam partem in ea ſuppoſitione, quod confeſſio illa iurata de receptione dotis facta fuerit ſub ſpe futuræ numerationis, quandòquidem, vt bene notat *Molina tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 439. §. cum autem* in ea confeſſione, cum fiat ſub ſpe futuræ numerationis, includitur tacita conditio, ſi dos numeretur, & non aliter, quæ propterea, ſi non numeretur, & non purificetur conditio, æque irritatur confeſſio, & iuramentum. Procedit igitur ſolummodò in ſuppoſitione, quod illa confeſſio, ſeu donatio tacita facta fuerit animo donandi; vnde ſic

Rationes ſuadentes primam partem.

Probatur prima pars primo rationibus adductis pro probatione primæ aſſertionis, quæ vtique militant etiam pro hac parte, quandòquidem talis confeſſio receptionis dotis, ſeu tacita donatio non eſt contra bonos mores naturales, & morales, ſed dumtaxat contra ciuiles; iuramentum autem, quod non eſt contra bonos mores naturales, obligat ſub pæna periurij ad obſeruantiam promiſſionis; Deindè idem operatur in donatione tacita iuramentum, quod in expreſſa *arg. l. cum quid ff. ſi cert. pet. & l. de quibus in fin. ff. de legib.*

Secundo eadem prima pars euincitur, quia cum illud iuramentum promiſſorium ſeruari poſſit abſque culpa, conſtitueretur reus periurij vir, ſi illud non ſeruaret, ergo, ne conſtituatur reus talis culpæ ratione illius iuramenti, illa donatio tacita confirmabitur.

Pro-

Digitized by Google

Probatur iam ſecunda pars primò, quia qui confeſſus eſt talem dotem recepiſſe, & iurauit, cum non receperit, ſeu donationem fecit tacitam cum iuramento aſſertorio, quod idem eſt, nec tenetur obſeruare ratione periurij, nec ratione eiuſdem donationis tacitæ, ſeu confeſſionis, ergo &c. Antecedens quoad primam partem probatur, quia periurium non committitur non adimplendo, ſed in confitendo, quod receperit, cum non receperit, & periurium iam commiſſum eſt, ergo &c. Quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia illa confeſſio, cum habeat vim ſimplicis donationis & tacitæ, & vtique inter coniuges conſtante iam matrimonio nullam prorſus vim habet ſecundum ſe ſtante iure irritante quaſcunque donatione inter coniuges.

Rationes ſuadentes ſecundam.

Secundò, quia iuramentum non poteſt eſſe vinculum mendacij, falſitatis & ſimulationis, nec poteſt efficere, quod verum ſit id, quod non eſt verum, ſed tale eſſet, ſi in donatione tacita, ſeu in confeſſione dotis receptæ, cum ſit dumtaxat aſſertorium, obligaret ad ſoluendum confeſſum, quandòquidem efficeret, vt mendacium confeſſionis eius, quod non recepit, vim haberet, ergo &c. Ad hanc ſecundam partem confirmandam plurimum pollent ea, quæ dicta ſunt ad probationem ſecundæ aſſertionis poſitæ in hac prænotione, quæ vos recolite, & hic applicate.

5 Siuè in donatione expreſſa, ſiue tacita, ſi interuenerit iuramentũ cõfirmatoriũ ſimul, & aſſertoriũ firmatur donatio.

Assertio IV. Siuè in donatione tacita, ſiuè in expreſſa, ſi interuenerit ſimul iuramentum aſſertorium, & promiſſorium, obligatur donans ad obſeruandum & complendum donatum. Conſentiunt *Ioannes Gabriel tom. 3. commun. lib. 3. tit. de donat. concl. 3. nu 15. Seraphinus de priuileg. iuram. priuileg. 71. num 55. Ioſeph Ludouicus deciſ. 66. num 11. Baldus Nouellus de dote part 10. nu. 10. verſ. nec tunc habebit, Ioannes Angelus Boſſius de dote c. 10. nu. 85. & omnes ferè allegati in præcedentibus aſſertionibus.*

Ratio ex eo deducitur, quia, quamvis iuramentum aſſertorium non obliget per ſuperius latè probata, promiſſorium tamen, & confirmatorium reuera obligat, cum maritus per hoc iuramentum declaret, velle eſſe ſtabilem, & firmam illam donationem tacitam, ſeu confeſſionem receptionis; eamque adimplendo nullius periurij ſit reus, cuius reus fieret, ſi non adimpleret; nec obſtat, quod præceſſerit illud iuramentum aſſertorium, per quod conſtituitur reus periurij: Non obſtat, inquam, quia iuramentum promiſſorium non attingit illud aſſertorium præcedens, nec ad illud refertur, ſed ad obſeruantiam promiſſionis de futuro, quam vtique adimplere poteſt abſque peccato; nec poteſt dici, quod hoc iuramentum promiſſoriũ confirmet mendacium, & falſitatẽ iuratam in primo iuramẽto aſſertorio: Non, inquam, dici poteſt, quia in hac hypotheſi illa duo iuramenta duo reſpiciunt obiecta, alterum de præſenti, alterum de futuro; aſſertorium ſcilicet confeſſionem actualis receptionis, quæ tamen non eſt poſita; promiſſorium verò onus non contraueniendi, ſed ſoluendi, quod promiſſum eſt, ſeu quod confeſſum eſt fuiſſe ſolutum; hoc ſecundum poteſt ſtare ſine primo, & cum reſpiciat diuerſum obiectum à primo, illud non coadiuuat.

Confirmari poteſt eadem aſſertio, quià, ſi donationi tacitæ, ſeu confeſſioni de receptione dotis adiectum fuerit iuramentum aſſertorium, per illud iuramentum non confirmatur, ſed remanet in ſua natura, & eſt nulla, ſi tamen interueniat mors mariti illa donatione iurata non reuocata, vtique redditur valida, firma & non reuocabilis, vt tradit *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dot. c. 10. n. 85.*, & alij communius conſentiunt, quià, quantumvis illud iuramentum aſſertorium donationem illam tacitam non confirmet, non tamen deſtruit, nec minuit de ipſius natura, & per conſequens, ſicuti donatio ſimplex tacita, quandò non eſt reuocata, confirmatur morte donantis, vt eſt in confeſſo ferè apud omnes, & infra latius probabitur, ita donatio illa iurata iuramento aſſertorio, quandò non fuit reuocata, firmabitur morte naturali donantis, ergo etiam donatio illa tacita iurata iuramento aſſertorio, quantumvis illo iure iurando non remaneat confirmata, ſed remaneat in ſua natura, ſi interueniat iuramentum confirmatorium, ſeu promiſſorium illo firmabitur, & reddetur irreuocabilis. Conſequentia probatur, quia non minus aptum eſt ad firmandam donationem, ſiuè tacitam, ſiuè expreſſam iuramentum confirmatorium, ſeù promiſſorium, ac apta ſit mors naturalis donantis.

Rationes aſſertionis.

Assertio V. Donatio inter coniuges contra prius iuramentum ſibi inuicem non donandi non firmatur iuramento *Speculator tit. de empt. §. tertio loco num 14. verſ. & nota generale Bartolus in l. ſi quis pro eodem num. 9. ff. de fideinſ. Immola in c. cum contigat de iure iur. n. 81. Ioannes Lupus rub de donat. §. 50. n 6. Angelus verb iuramentum 5. nu. 15. Silueſter eod verb, iuramentum 4. q. 12. Gutierez de iuramento prima part. c. 1. n. 79. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 13. num. 2.*

6 Donatio inter coniuges cõtra prius iuramentũ non firmatur iuramento.

Ratio ex eo deducitur, quia iuramentum, quod eſt contra bonos mores non ſolum ciuiles, ſed etiam naturales nullo modo obligat, nec firmat contractus per ea, quæ ſupra fuerunt inſinuata, & probata,

Digitized by Google

bata, ſed huiuſmodi eſſet iuramentum, quod cederet ſupra illam donationem, quod non ſolum eſt contra ius ciuile prohibens huiuſmodi donationes, ſed etiã contra Religionem obligatam Deo per iuramentum nõ donandi, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, reuocantem procuratorem, quem conſtituit præſtito iuramento de non reuocando, periurum quidem eſſe ratione illius reuocationis contra iuramentum, reuocationem tamen tenere *Gloſa in c. fin. de procurat. nu. 6. verbo reuocatus*, item matrimonium initum contra ſponſalia iuramento ſtabilita validum eſſe per textum *in cap. ſicut de ſponſalib.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quiá diſpar eſt ratio in ijs caſibus allegatis, ac in caſu aſſertionis noſtræ, quam diſparem rationem, vt percipias, aduerte, alios eſſe actus de iure validos, quatenus nullo iure interdicente eliciuntur, & eorum valor præciſè à voluntate elicientis dependet, alios eſſe de iure inualidos, quibus ſcilicet iura obſiſtunt, nec pendent iſti à voluntate agentis propter eorundem iurium obſiſtentiam; actus primi generis, cum quoad ſui valorem non dependeant, niſi à voluntate operantis, nec indigeant ad ſui ſubſiſtentiam, & firmitatem iuramento, ſi eliciantur, non obſtante iuramento de illis non ponendis, vtique validi ſunt, quantumvis inducant periurium propter læſum iuramentum, cum vim ſuam habeant per ſolam voluntatem operantis independenter à iuramento; actus ſecundi generis, cum vim non habeant, niſi dependenter à iuramento, vtique, ſi præextiterit iuramentum de illis non eliciendis, non conualeſcunt, ſi poſteà eliciantur, & iuramento contrario firmentur. Primi generis ſunt reuocatio procuratoris contra iuramentum de non reuocando matrimonium initum contra ſponſalia iuramento firmata, cum hæc quoad ſuum valorem ſolum dependeant à voluntate operantis, nec vllo iure prohibeantur, & irritentur. Secundi generis ſunt donationes inter coniuges, quæ à iure vetantur, & irritantur, nec vllam vim habent, niſi dependenter à iuramento.

Rationes euincentes aſſertum.

PRÆNOTIO XV.

An donationes inter coniuges confirmentur morte naturali donantis.

SVMMARIVM.

Donationes inter coniuges regulariter firmantur morte donantis, 1.

Illa donationes non habent vim legati, ſed tertia cuiuſdam ſpeciei. 2.

Illa donationes non poſſunt eſſe in præiudicium legitima aſcendentium, vel deſcendentium. 3.

Poteſt ab illis detrahi falcidia. 4.

Vt firmentur tali morte huiuſmodi donationes requiritur, vt res donata fuerit tradita ante mortem donantis. 5.

Sufficit traditio ficta. 6.

Requiritur, vt prius decedat donans, quam donatarius. 7.

Requiritur, vt non excedat quingentos aureos abſque inſinuatione. 8.

Requiritur vlterius, vt donans perſeueret in eadem voluntate vſque ad mortem. 9.

Vt non teneat, ſufficit tacita reuocatio. 10.

Quandonam intelligatur ſufficiens tacita reuocatio. 11.

Donatio, ſi confirmatur morte donantis, retrotrahitur ad tempus donationis, & quomodo. 12.

HÆc etiam difficultas ſub hoc titulo propoſita examinari poteſt in ordine, vel ad donationem expreſſam, vel in ordine ad tacitam, quandò ſcilicet facta eſt confeſſio receptionis dotis per maritum, cum tamen nulla facta fuit, & confeſſionem illam præſtiterit non ſub ſpe numerationis, ſed animo donandi. Porro hic examinabitur, an in ſuppoſitione, quod huiuſmodi donationes cõfirmentur morte donantis, requiratur, quod donans permaneat in eadem voluntate donandi vſq; ad mortem. Secundo, hac occaſione etiam inquiretur, quandonam intelligatur tacitè reuocare, vel reuocaſſe huiuſmodi donationem. Tertio, ex ſuppoſitione, quod morte donatoris naturali huiuſmodi donationes confirmentur, an valor confirmationis retrotrahatur ad tempus eiuſdem donationis tam quoad dominium, quàm quoad fructus.

ASSERTIO I. Donationes inter coniuges regularitèr morte donatoris naturali confirmantur, & redduntur irreuocabiles. In hanc conſentiunt quaſi communitèr Iuris interpretes, & Theologi *Baldus l. ſi tibi C. de donat. ante nupt., & in l. res vxoris C. de donat. inter vir., & vxor. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 70. num. 1. Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 14. n. 1., & alij vniuerſim*. 1

I Regularitèr firmantur morte donantis.

Expreſsè colligitur *ex c. fin. de donat. inter vir., & vxor., & l. Papinianus, & l. cum hic ſtatus, ff. eodem tit.*; nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandòquidem, quandò intercedit mors donatoris non reuocata donatione ceſſat finis iuris irritantis huiuſmodi donationes, qui fuit, ne ſponſi, ſeù coniuges mutuo ob exceſſum amoris bonis ſuis ſe ſpolient; non mutuo autem ſe ſpoliant, quandò do-

Iura, & rationes pro aſſerto.

Digitized by Google

donatio vim tantum habet ab obitu donatoris. Confirmatur, quià iura non vetant, quominus coniuges ex vltima voluntate poſſint ſibi adinuicem aliqua conferre, vt ſupra probauimus, & in hoc conſentiunt omnes DD., tàm Theologi, quàm iuris periti, ergò, nec vetare cenſenda ſunt donationes, quæ vim tantum irreuocabilitatis ſortiuntur per obitum donatoris. Conſequentia probatur, quià huiuſmodi donationes æquiparantur relictis in vltima voluntate, quandòquidem ex quo donans contulit conſtante matrimonio illa dona, nec reuocauerit in vita, ſupponitur in illa voluntate donandi perſeuerare vſque ad mortem, & per conſequens ſortiri effectum donationis cauſa mortis.

Hic iam oritur difficultas, an illa donatio confirmata morte naturali donantis habeat vim legati rigoroſè, an verò tantum rationem cuiuſdam relicti, an contractus, an tertiæ cuiuſdam ſpeciei inter legatum, & contractum. Hæc difficultas excitatur ad eum potiſſimum finem, & effectum, vt dignoſcatur, an ſit in præiudicium legitimæ aſcendentium, vel deſcendentium, nec ne? an ex ipſa donatione ſic morte naturali donantis confirmata ſit detrahenda falcidia, nec ne? Sentio in rigore non habere vim legati, ſed tertiæ cuiuſdam ſpeciei *Molina lib. 1. de primog. cap. 12. num. 11. Tiraquel in l. ſi vnquam verb. libertis num. 122. C. de reuocan. donat. Ioannes Lupus rubr. de donation. §. 69. n. 3. Antonius Gomez 2. var. cap. 4. num. 23.* Ratio eſt, quià aliquid participat de legato, & in aliquo de natura eiuſdem non participat; participat in primis in hoc, quod cum morte naturali donantis confirmetur, eſt veluti donatio cauſa mortis; non participat, quià legatum non debetur, niſi adeatur hæreditas, cum ſit ſumendum de manu hęredis, hæc autem donatio vim habet ipſo iure independentèr à quacunque hæreditatis aditione.

2 Illæ donationes habent vim tertiæ cuiuſdam ſpeciei.

An verò hæc donatio, ſeù hæc tertia ſpecies ſit in præiudicium legitimæ aſcendentium, vel deſcendentium, quatenus ſit extrahenda ex tota maſsa hæreditatis, an verò non ſit in eorum præiudicium, quatenus ſolummodò ſit extrahenda ex ea parte bonorum, de quibus poteſt pro libertate diſponere; probabilius ſentio, non poſse eſse in præiudicium legitimæ aſcendentium, vel deſcendentium, prout rectè ſentiunt *Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 289. §. vt ad Luſitanum, Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 14. num. 3.* Ratio deducitur ex ſuperius dictis, quià ſcilicet donationes, quæ non procedunt ex aliquo titulo oneroſo, ſed merè liberali, & gratuito, minimè nocent legitimæ.

3 Illæ donationes non poſſunt eſſe in præiudicium legitimæ, aſcendentium, vel deſceendentium.

An verò ex eadem detrahenda ſit falcidia, maior eſt difficultas, quandòquidem ex mox dictis non habet vim ſimplicis legati; priuilegium autem detractionis falcidiæ eſt in ordine præcisè ad legata. Nibilominus probabilius ſentiendum exiſtimo ex illa donatione poſse etiam falcidiam detrahi, prout docent *Bartolus in l. cum hic ſtatus, ff. de donat. inter vir., & vxor. in init. nu. 2. Tiraquel in l. ſi vnquam in verb. libertis num. 121. C. de reuoc. donat. Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio qu. 9. verſ. ſciat autem.* Expreſsè colligitur *in l. cum hic ſtatus 33. in init., ff. de donat. inter vir., & vxor., & l. in donationibus C. ad leg. falcid.*, & congruæ certè rationi huiuſmodi iura innituntur, quià, quantumvis huiuſmodi donationes inter virũ, & coniugem, prout confirmantur morte naturali donantis, non habeant omnes conditiones legati, plus tamen habent de legato, & non ſolum à ratione eiuſdem deficiunt in eo, quod acquirantur etiam antecedentèr ad aditionem hæreditatis, à qua ſunt independentes; falcidia autem detrahitur attenta qualitate legati potiſſimum ſub ea conſideratione, ſecundum quam liberale eſt, & gratuitum, in qua ratione conueniunt illæ donationes.

4 Ex illis donationibus poteſt detrahi falcidia.

Hic alia etiam ſuboritur difficultas, an adhoc, vt huiuſmodi donationes confirmentur, & fiant irreuocabiles morte naturali donatoris, exigant aliquas ſpeciales, & determinatas conditiones? Quatuor enumerat conditiones adhoc requiſitas *Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 14. num. 5. verſ. quatuor tamen.* Prima eſt, vt præcedat in vita donantis traditio rei donatæ; ſecunda, vt donans prius decedat, quam occumbat donatarius. Tertia, vt donatio non excedat quingentos aureos abſque inſinuatione. Quarta, vt donans in eadem voluntate permaneat vſque ad mortem. Singulas ex his conditionibus expendo.

Conditiones requiſitæ, vt donationes firmentur morte naturali donantis.

Primam conditionem traditionis rei donatæ requiri communis fert opinio DD., & ita ſentiendum eſt *Gloſa in l. Papinianus in verbo mariti, ff. de donat. inter vir., & vxor. Salicetus in l. 2 num. 2. C. de dos. cauſa, Iaſon in l. ſi diuortio num. 8., ff. de verb. oblig. Ioannes Lupus rubric. de donat. §. 76. num. 1. Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio q. 9. verſ. ſciat autem, & alij innumeri apud Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 14. nu. 6.* Ratio ex eo deducitur, quià, cum ex genere ſuo donatio inter coniuges ſit inualida, non tradita re donata nihil eſset, quod confirmaretur; tradita autem re ſunt omnia, quæ requiruntur ad validam confirmationem; Neque obeſse poteſt textus *in d. l. Papinianus, ff. de donat. inter vir., & vxor.*, vbi non videtur exigi traditio, ſed ſufficere ſponſionem cum acceptatione. Ibi *Si ſtipulanti*

5 Prima conditio, vt firmetur morte naturali donantis.

lanti vxori ſuæ ſpondidiſſet; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià textus vult, non poſſe conueniri hæredem mariti, quantumvis ipſe maritus durante tali voluntate deceſſerit, quod indicat donationem non tenere, ſi facta non fuerit traditio, ſed dumtaxat ſponſio. Ibi - *Si ſtipulanti vxori ſuæ ſpopondiſſet non putabat conueniri poſſe hæredem mariti, licet durante voluntate maritus deceſſerit.*

6 Sufficit traditio ficta

Sed hic alia immediatè ſuboritur difficultas, an ad hoc, vt huiuſmodi donationes confirmentur morte donantis, requiratur traditio rei donatæ vera, & realis, an verò ſufficiat traditio ficta. Sentiendum arbitror, ſufficere traditionem fictam *Tiraquel tract. de iure conſtit. prima part. num. 51. Alexander de Neuo c. fin. n. 6. de donat. inter vir., & vxorem, Ioannes Lupus rub. de donat. §. 76. num. 2. Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 289. §. id circo autem,* & alij magis communitèr, vt teſtatur idem *Tiraquel loc. cit.*, qui omnes exemplificant in donatione cum clauſula conſtituti. Ratio ex eo deducitur, quià donatio ipſa, licet ſecundum ſe inualida, ſicuti morte donantis confirmatur, ita & ipſa traditio ficta morte eiuſdem firma, & valida conſtituitur, & licet *Baldus in l. ex teſtamento C. de fideicom.* velit, quod, quandò actus eſt omninò nullus clauſula inducens poſſeſſionem fictam ſit omninò nulla, ſeù nullius roboris; hoc tamen verificatur tantum, quandò actus nullas penitus habet vires, ſecùs quandò tales habet vires, vt licet pro nunc non ſubſiſtat, tractu tamen temporis accedente aliqua ratione conualeſcat, vt euenit in donationibus inter virum, & vxorem, quæ licet conſtante matrimonio ſint reuocabiles accedente tamen, vel iuramento confirmatorio, ſeù promiſſorio, vel morte donantis abſolutè conualeſcunt, & redduntur irreuocabiles. Hinc primo in particulari confeſſio dotis receptæ facta à marito conſtante matrimonio animó donandi tenet, quià tunc retentio apud maritum habetur pro traditione, nam, ſi de facto tradidiſſet, breui manu debuiſſet reuerti ad ipſum maritum, vndè habetur pro tradita, & recepta *Gloſa l. Papinianus in fin., ff. de donat. inter vir., & vxor. Felinus c. ſi cautio num. 77. de fide inſtrum. Roſella verb. donatio 1. num. 34. Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio q. 9. verſ. ſuat autem*; ſecundo donatio inter coniuges, cum clauſula conſtituti morte confirmata tenet, quod contingeret, quandò coniux donans nomine coniugis donatarij ſe poſſidere conſtitueret, quià per clauſulam conſtituti traditur ficta poſſeſſio *l. quod meo, ff. de acquirenda poſſeſ.*; tertio tenet etiam donatio, & confirmatur morte donantis, quandò donans facta donatione declarat ſe inquilinum nomine donatarij, quià tunc fictione iuris interuenit traditio, ſeù illa declaratio inducit rationem traditionis. Iuxtà ea, quæ illatiuè hæc dicta ſunt, poſſunt alia ſimilia inferri, quæ refert *Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 14. à nu. 14. vſque ad vigeſimum.*

7 Secunda conditio requiſita adhuc effectum.

Secundam conditionem prærequiri expreſsè colligitur *ex c. fin. de donat. inter vir. & vxor., & l. cum hic ſtatus 33. §. ſi diuortio, ff eod. tit.*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem ex allegatis iuribus non confirmantur huiuſmodi donationes, niſi intercedente morte donantis; quandò autem præcedit mors donatarij, iam intelligitur diſſoluta donatio, vndè ſubſequenti morte donatoris non poteſt firmari. Difficultas ſolummodò eſt in decernendo, quid ſentiendum ſit, quandò, vel ſimul eodem caſu perierunt, vel ignoratur, quiſnam ex eis prior obierit. In ordine ad primum aſſero, quod, quandò vterque eodem caſu perit, cenſeatur donatio firmari, adeoque hæredem donatarij pleno iure gaudere dominio rei donatæ. Expreſsè colligitur *ex l. ſi inter virum, ff. de reb. dub.* vbi ſic legitur. *Si ſimul tàm is, cui donatum eſt, quam is, qui donauerit, decedant magis placuit valere donationem.* Sed, an hoc etiam verificetur, quandò conſtaret eodem caſu vtrumque perijſſe, ſed prius donatarium, lis eſt intèr DD. Negant *Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 14. num. 21. verſ. primo tamen dico, Coaruuias 2. var. cap. 7. num. 5. Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 50. num. 6., & ſeqq.* Alij affirmant moti potiſſimum *ex d. l. ſi inter virum, ff. de rebus dubijs* vbi, poſtquam poſita fuerint recitata verba ſubditur eo *maximè, quod donator non ſupervivat*, & ſic notant illam particulam *eo maximè*, quæ implicatiua eſt, & importat, ſeù inuoluit etiam caſum appoſitum *arg. l. 1. §. ſi ex dodrante ad finem verſ., vel maximè, ff. de col. bon.* Adhæreo priori opinioni negatiuæ, quandòquidem ex eo, quod prius obierit donatarius, iam intelligitur annullata donatio, & præſumptiuè non intelligitur donans in eadem voluntate decedere, nam ſi ſciret mortem præcedentem coniugis, vtique præſumeretur reuocaturus, cum beneficium intendat conferre coniugi, non eius hæredi; nec obſtat allegatus textus *in l. ſi inter virum, ff. de rebus dubijs* in illa particula *eo maximè*, quià, licet ſit implicatiua, non refertur tamen ad implicandum caſum, quo expreſsè conſtet donantem ſupraiuiuere donatario, ſed tantum caſum, quo ſit dubium, an alter alteri ſupraiuixerit, vel vterque ſimul perierit. In ordine ad ſecundum, quandò in duerſis locis perierunt, & ex diuerſo caſu, & dubium eſt, quinam prior obijerit,

an

Digitized by Google

an ſcilicet donans, vel donatarius, tunc præferrem hæredes illius, qui rem donatam poſſident, adeo vt onus incumberet probandi non poſſidenti, eum, cuius hæredes poſſident, ſi fuerit donatarius, non prædeceſſiſse proptèr communem regulam, quod in dubio melior ſit conditio poſſidentis. *reg. in pari, ff. de reg. iur.*

8 Tertia conditio ad hunc effectũ requiſita.

Tertiam conditionem prærequiri expreſsè habetur *in l. donationes quas parentes C. de donat. inter vir., & vxor*. Sed, an in hypotheſi, qua donatio excederet illam ſummam, & mors donantis præceſserit ſine inſinuatione, careat viribus quoad totam ſummam, an verò tantum quoad exceſsum, dictum fuit alibi, nempè carere viribus tantum quoad exceſsum, & colligitur *ex d. l. donationes quas parentes*.

9 Quarta conditio ad hoc requiſita.

Quartam conditionem requiri, vt ſcilicet donans perſeueret in eadem voluntate vſque ad mortem, colligitur expreſſè ex textu *in cap. fin. de donat. inter vir., & vxor., & l. cum hic ſtatus 33., ff. eod. tit.* Difficultas ſolummodò eſt, an adhoc, vt huiuſmodi donatio non teneat, & non confirmetur morte donatoris, requiratur expreſsa reuocatio eiuſdem in vita donantis, an verò ſufficeret tacita? Videtur abſolutè dicendum requiri expreſsam reuocationem, & debere expreſsè de eadem reuocatione conſtare per textum in *d. cap. fin. de donat. inter vir., & vxor.* & expreſſius *in d. l. cum hic ſtatus verſ. pœnitentiam, ff. eod. tit.*, vbi ſic legitur, *vbi ſemel donatorem pænitnit hæredi reuocandi, poteſtatem tribuimus, ſi appareat defunctum euidentèr reuocaſſe voluntatem. Quod, ſi in obſcuro ſit, proclinior debet eſſe Iudex ad comprobandam donationem.* Nihilominus ſentiendum arbitror, quandòque ſufficere tacitam reuocationem, dummodò de ea euidentèr conſtet, & ea, in quibus fundatur hæc tacita reuocatio, eandem reuocationem concludentèr inferant; vndè, quod dicitur in allegato textu, *ſi appareat defunctum euidentèr reuocaſſe voluntatem*

10 Vt non teneat ſufficit tacita reuocatio.

non eſt intelligendum, quod per actum voluntatis expreſsum, & formalibus verbis ſignificatum reuocauerit, ſed quod actum elicuerit ex quo euidentèr euincatur, quod reuocauerit; ſicque expreſſum, & euidens in hoc non parificantur, nec dicuntur ad conuertentiam, cum omne expreſsum ſit quidem euidens, non autem omne euidens eſt expreſsum, ſed poteſt deduci concludentèr; ſic in particulari primo eſt ſufficiens, & euidens reuocatio illa, qua donans rem donatam alteri coniugi poſtea alienauerit, vel pignori dederit, vel ſpeciali hypothecæ ſubiecerit, prout expreſsè habetur *in l. cum hic ſtatus §. ſi maritus, & §. qui quaſdam res ff. de donat. inter vir., & vxor.*; nec incongruè hoc decernitur, quandòquidem, cum donans, quatenus viuit, habeat plenam poteſtatem reuocandi, & rem illam alienauerit, ſeù pignori dederit, ſeù hypothecauerit ſpecialitèr, vtique intelligitur per illas alienationes reuocaſse; Neque obeſse poteſt textus *in §. ſi rem, & §. ijdem reſcripſerunt inſtit. de legatis*, vbi dicitur, quod legatum non reuocatur per ſubſequentem obligationem, adeoque, quod neque donatio inter coniuges intelligatur reuocata per ſubſequentes alienationes, ſeù quaſi ſpecies alienationum; Non, inquam, obeſse poteſt, quià, vt notat *Gloſa in l. ſi maritus C. de donat. inter vir., & vxor.* diſpar omninò eſt ratio, quià legatum, vtpotè fauorabile ab initio valet, donatio autem, vtpotè odioſa ab initio non valet, & ſic mirum non eſt, quod legatum per ſubſequentem obligationem non reuocetur, reuocetur autem donatio inter coniuges. An autem æquè intelligatur reuocari donatio inter coniuges per generalem hypothecam ſubſequentem in omnibus bonis donatoris, vel per pignorationem generalem omnium bonorum eiuſdem, ſentio abſolutè quoad generalem hypothecam non reuocari *Ioannes Lupus rub. de donat §. 69. num. 4. Couaruuias rub. de teſtamentis 3. part. num. 19. verſ. quarto ex his, Molina tom. 2. de iuſt tract. 2. diſp 289. verſ. tacitè cenſetur*, quod videtur colligi, *ex d. l. maritus C. de donat. inter vir., & vxor.*, vbi ſpecialitèr dicitur reuocari rem donatam, ſi ſpecialitèr eandem rem hypothecauerit, quod nõ videtur ſequi quandò hypothecauerit generalitèr, cæteroqui incongruè excepiſset quoad ſpecialem; ſi regula procederet tam quoad ſpecialem, quàm quoad generalem; Quoad generalem vero pignorationem arbitror cum *Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 15. num. 5. verſ. cenſebitur autem reuocata*, intelligi reuocatam donationem, quandò facta eſt talis pignoratio pro maiori ſumma pecuniarum, ac valeant res oppignaratæ ſimul cum re donata, quia tunc donator non præſumeretur velle rem illam redimere, & recuperare. 10 Quandò nam intelligatur ſufficens tacita reuocatio.

Secundo ſufficienter intelligitur reuocatio donationis inter coniugatos, ſi ex diſplicentia inter ipſos ſequatur diuortium per textum *in l. cum hic ſtatus §. ſi diuortium ff de donat. inter vir. & vxorem*, non enim eſt præſumendum, quod coniux donator velit ſua bona conferre coniugi, à quo animum abdicauit, & corpus, vel qui per iniuriam à ſe ipſo ſe alienauit; Ob hanc eandem rationem intelligitur ſufficienter reuocari per coniugem donantem donatio, ſi coniux donatarius mores mutarit in præiudicium donantis, vt, ſi adulterium commiſerit

Ioannes Lupus rub. de donat. §.78. *num.*10., vel ſi fuerit ignoratus donanti aliquo ex modis traditis *l. fin. C. de reuoc. donat.*, vel ſi inter vtrumque interceſſerint graues inimicitiæ per textum in *l. cum hic ſtatus* §. *ſi diuortium ff. de donat. inter vir. & uxor.* quod etiam intellige, ſi inimicitiæ ortæ fuerint ex cauſa coniugis donantis, quia etiam tunc cenſetur ceſſare voluntas donandi.

12 Donatio inter coniuges, ſi confirmatur morte donantis retrotrahitur ad tẽpus donationis. ASSERTIO II. Donatio inter coniuges, ſi morte confirmetur, retrotrahitur ad idem tempus donationis non quidem quoad dominium, ſed quoad fructus perceptos. Conſentiunt *Gloſa in l. donationes quas parentes verbo referatur C. de donat. inter vir. & vxor.*, *Bartolus in l. ſequens quæſtio ff de legat. 2. Iulius Clarus lib. 4. recept.* §. *donatio q. 9. verſ. penult. Ludouicus Lopez lib. 2. de contract. c. 47. ad fin* §. *notandum eſt*, *Antonius Gomez 2. var. c. 4. n. 23. verſ. aduertendum*.

Quod retrotrahatur expreſsè colligitur in textu *l. donationes quas parentes C. de donat. inter vir. & vxorem*, vbi ſic legitur. *ad illud tempus referatur, quo donatio conſcripta fuit*. Quod vero non retrotrahatur quoad dominium ex eo facile liquet, quod per expreſſam, & veram realem donationem coniux durante matrimonio non poteſt rem donatam quoad dominium transferre in coniugem donatariũ, ergo multo minus per illam tacitam donationem, quę morte confirmatur: fictio enim iuris, quæ fundatur in præſumpta voluntate donantis, non poteſt quid magis operari, quam ipſa vera realis, & expreſsa voluntas donandi. Quod vero retrotrahatur quoad fructus tum ex eo colligitur, quod retrotractio, quæ à iure ſtatuitur, debet quoad aliquid operari; non operatur autem quoad dominium, vt mox probauimus, ergo quoad fructus; tum ex eo, quod res donata ſupponitur donatario per donantem tradita, & ſic eidem collata poſſeſſio; fructus autem ſequuntur rei poſſeſſionem.

Intellige quoad fructus perceptos.

PRÆNOTIO XVI.

An, ſicuti donatio inter coniuges confirmatur morte naturali donantis, ita confirmetur morte ciuili eiuſdem.

SVMMARIVM.

Mors ciuilis quomodo contingat. 1.
Aſportatione, ſeu exilio coniugis donantis; ſi hic fuerit maſculus, confirmatur donatio. 2.
Etiam confirmatur per ſeruitutem superuenientem. 3.
Confirmatur etiam per profeſſionem in Religione incapaci dominij. 4.
Per profeſſionem emiſſam in Religione capaci dominij non confirmatur. 5.

MOrs ciuilis multipliciter poteſt contingere, vel ſcilicet per aſportationem, ſeu exilium coniugis donantis; vel per addictionem eiuſdem in veram, & rigoroſam ſeruitutem, vel per ingreſſum, & profeſſionem eiuſdem in Religionem approbatam. 1 Mors ciuilis quomodo contingat.

ASSERTIO I. Aſportatione, ſeu exilio coniugis donantis, ſi hic fuerit maſculus, confirmatur donatio *Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 288* §. *donatio cauſa mortis, Tiraquel in l. ſi vnquam verb. libertis n. 122. C. de reuoc donat. Ioannes Lupus rub. de donat.* §. 71. *in princip.* 2 Confirmatur aſportatione, & exilio donantis.

Ratio ex eo deducitur, quià donatio inter coniuges cauſa mortis confirmatur hac morte ciuili, ſcilicet aſportatione, ſeu exilio mariti per textum expreſſum *in l. ſed ſi mors ff. de donat. inter vir. & vxor.*, ergo etiam donatio inter coniuges confirmabitur tali morte ciuili mariti donantis. Conſequentia probatur, quià donatio cauſa mortis æquiparatur ad inuicem cum donatione inter coniuges, nam ſicuti illa eſt reuocabilis in vita donantis, ità etiam iſta, ergo ſi illa confirmatur morte ciuili donantis, ita & iſta; Neque obeſſe poteſt textus *in l. res vxoris C. de donat. inter vir. & vxor.*, vbi videtur aſſeri morte ciuili non firmari donationes inter coniuges; Non, inquam, obeſse poteſt, quandoquidem textus ille intelligendus eſt, quandò vxor donauerit viro, quia tunc morte ciuili vxoris non confirmatur, quandòquidem allegati textus pro confirmatione huiuſmodi donationum loquuntur ſolummodò in fauorem vxorũ, & præcipuè textus *in d. l. res vxoris C. de donat. inter vir. & vxor.*, & ideò conſultò poſui in aſſertione illam particulam reſtrictiuam, *ſi donans inter coniuges fuerit maſculus*. Rationes pro aſſerto.

ASSERTIO II. Morte ciuili, quæ inducitur per ſeruitutem ſupervenientem, confirmatur donatio inter coniuges; ſi fuerit ſeruitus hominis. Nomine ſeruitutis pœnæ intelligo illam, qua quis damnatur ad metallum; nomine ſeruitutis hominis illam intelligo, qua quis alteri ſubijcitur. *Suarez alleg. 20. nu. 22. & ſeqq. Roſella verb. donatio 2. n. 34. Angelus verbo donatio 3. n. 4. Ludouicus Lopez lib. 2. de contractibus c. 47. verſ. tertio confirmatur, Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 17. num. 4.* 3 Per ſeruitutem ſuperuenientem etiam confirmatur.

Expreſsè colligitur ex textu *in l. cum hic ſtatus* §. *ſi donator ſeruus ff. de donat. inter vir. & vxorem*, & ratio, cur non confirmatur, quandò eſt ſeruus pœnæ, ſecus autem, quandò eſt ſeruus hominis, illa eſt, quam

Digitized by Google

quam adducit *Sanchez loc. cit.*, quia ſcilicet ſeruus pœnæ non habet dominium, à quo reuocari poſſit donatio, ſeruus autem hominis habet dominium, à quo poſſit reuocari.

4 *Per profeſſionẽ in Religione incapaci dominij confirmatur.*

Assertio III. Per profeſſionem in Religione incapaci dominij confirmatur donatio inter coniuges, ſi profeſſio per coniugem donantem legitimè fuerit facta, hoc eſt, vel ante conſummationem matrimonij, vel ſi poſt idem conſummatum, de licentia alterius coniugis *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 71. n. 1. & ſeqq. Roſella verbo donatio 1. n. 35. Ludouicus Lopez lib. 2. de contractib. c. 47. §. 3. confirmatur.*

Ratio ex eo deducitur, quia mors ciuilis quoad effectum poſſidendi bona in omnibus æquiparatur morti naturali, quandòquidem nec ſic profeſſus poteſt gaudere dominio, nec monaſterium, in quo profeſſus eſt, cum etiam ipſum ſit incapax, ergo per talem profeſſionem non facta prius reuocatione donationis, ſiue tacitè, ſiue expreſsè confirmabitur ipſa donatio; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur in ea hypotheſi eundem ſic profeſſum rapreſentari per Romanum Pontificem, vel per eos, qui ſuccederent ab inteſtato, eo modo, quo profeſſus in Religione capaci bonorum rapreſentatur per eandem Religionem; Non, inquam, obeſse poteſt, quia fert communis conſenſus, quod in ordine ad talem Religioſũ profeſsum in Religione incapaci dominij nemo eundem rapreſentet, & regularitèr eidem ſuccedunt in ordine ad bona, quæ detinet, illi tantum, qui veniunt ab inteſtato, perinde, ac ſi eſſet mortuus naturaliter, qui tamen nullum ius habent in ordine ad illam donationem, cum eam non reuocauerit ſic profeſsus, quinimmò quodamodò ciuiliter deceſſerit in ea voluntate.

5 *Per profeſſionẽ in Religione capaci non confirmatur.*

Assertio IV. Per profeſſionem emiſſam in Religione capaci dominij, & bonorum non confirmatur donatio facta per coniugem donantem ſic profeſſum alteri coniugi, niſi prout intercedit mors naturalis eiuſdem, ſiſtendo in iure communi. Conſentiunt magis communiter DD.

Ratio ex eo deducitur, quia, quamvis coniux donans ſic profeſſus ſit ratione profeſſionis incapax dominij, Religio tamen, in qua profeſſus eſt, non eſt incapax dominij, vndè omnia iura clamant, quod Religio, ſeù Monaſterium in omnibus eius bonis ſuccedat, & quod eadem Religio ipſum rapreſentet, eiuſque loco habeatur *c. in præſentia de probat. & auth. niſi rogati C. ad Trebel.*, & in hoc ſenſu communiter conſentiunt DD. non conuenire mortem naturalem, & ciuilem in ordine ad bona poſſidenda, quando Religio eſt capax dominij, quià hæc rapreſentat profeſſum, ergo per ſolam profeſſionem præcisè in Religione capaci dominij donatio facta per coniugem profeſſum durante matrimonio alteri coniugi non confirmatur, niſi quouſque interceſſerit mors naturalis eiuſdem.

Procedit de iure communi.

Dixi, *ſiſtendo in iure communi*, nam iuxtà diſpoſitionem municipalem huius ciuitatis Mediolanenſis, ſecundum quam perſona profeſſa habetur pro mortua naturaliter, maius poteſt eſſe diſſidium, an per talem profeſſionem confirmetur talis donatio, & quidem omnes, qui ſentiunt Religionem, in qua profeſſus eſt, in nullo iure ſuccedere ſtante tali ſtatuto, vtique etiam ſentient, nec rapreſentare eundem profeſſum in ordine ad talem donationem, ſicque hanc firmari intercedente morte ciuili eiuſdem per profeſſionem; Qui vero ſuſtinent illam diſpoſitionem ſtatutariam non officere iuri Religionis, vt nos alibi probauimus, vtique ſuſtinebunt, Religionem ipſam rapreſentare eundem profeſſum, quouſque naturaliter vixerit, adeòque donationem illam non confirmari, niſi intercedente morte naturali donantis.

DISQVISITIONES I.

A prima ad octauam prænotionem incluſiuè.

§. I.

An donatio facta ante nuptias, ſed eadem die, qua nuptiæ fuerunt initæ, teneat.

SVMMARIVM.

Refertur facti ſeries. 1.
Si facta fuerit animo ex tunc transferendi dominium, tenet abſolutè. 2.
Si facta fuerit relatè ad tempus matrimonij, non tenet. 3.
Vbi non conſtat, quo animo fuerit facta, præſumendum eſt pro valida donatione. 4.

1 *Factum tale.*

Disquisitio I. Stante præuio tractatu de contrahendo inter ſe matrimonio inter Titium & Seiam pro certa die Titius contulit eidem Seiæ pretioſa plurima titulo donationis, & eadem die poſtea inter eoſdem celebratæ ſunt nuptiæ. Orta hic fuit controuerſia, an illa collatio donorum, ſeu donatio abſolutè teneat, an vero quaſi facta inter coniuges irrita ſit, vel ſaltem reuocabilis.

 Con-

Digitized by Google

Conſiderabilia circa factum.

Conſiderandum hic eſt, an illa collatio, ſeu donatio facta fuerit animo ex tunc abſolutè transferendi dominium in coniugem donatarium, quantumvis contemplatione futuri matrimonij; an vero illa donatio ex animo expreſſo donantis relata fuerit ad tempus conſtantis matrimonij, adeò vt eiuſdem valor non incipiat, niſi à contracto matrimonio; an tandem ita facta fuerit, vt non conſtet, an fuerit animus ex tunc transferendi rei donatæ dominium, an vero ſolummodò relatè ad tempus contracti matrimonij. Quibus poſitis

2 Si facta fuerit animo ex tūc transferēdi dominium tenet abſolutè.

Reſpondeo primò, ſi ea collatio facta fuerit animo ex tunc transferendi dominium, donatio abſolutè tenet, & eſt irreuocabilis, quantumvis eadem die poſteà celebratæ fuerint nuptiæ inter donantem, & donatariam *Angelus verb. donatio 3. n. 6. Gloſa c. fin. verb. conſtante de donat. inter vir. & vxorem, Siluester verbo donatio 2. quæſtiuncula prima*. Expreſſè colligitur *ex l. inter eos 28. ff. de donat. inter vir. & vxor.*, vbi ſic legitur. *Inter eos, qui matrimonio coituri ſunt ante nuptias donatio facta iure conſiſtit, etiam ſi eodem die nuptiæ fuerint confectæ*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem ex prædictis donationes ante contractum matrimonium non interdicuntur à iure prohibente donationes inter virum, & vxorem, cum fiant pro tempore habili, & inter perſonas non interdictas donare; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum eadem die nuptiæ fuerint celebratæ, qua facta fuit donatio, perindè hæc ſe habeat, ac ſi facta fuerit cōſtantibus ijſdem nuptijs, & quod facta fuerit pro modico tempore præcedenti in eadem die inducat præſumptionem fraudis aduerſus legem prohibentem huiuſmodi donationem inter virum, & vxorem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum hic verſemur in iuribus odioſis, & exorbitantibus à iure communi ſtricta eſt facienda interpretatio, adeò vt non fiat extenſio vltrà tempus à iure præſcriptum ad effectum, vt illa donatio extra illud ſit inualida, & in odioſis computatio facienda eſt à momento in momentum.

3 Si facta fuerit relatè ad tēpus matrimonij iam initi non tenet.

Reſpondeo ſecundò, ſi ea collatio, ſeu donatio facta ſit relatè ad tempus matrimonij iam initi, vtique non ſubſiſtit, nec eſt irreuocabilis. Conſonat cum ijs, quæ ſupra, & alibi diximus, & conſentiunt in hoc omnes, vt teſtatur *Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 1. n. 6. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia collatio, ſeu donatio inter coniuges conſtante matrimonio non tenet, & eſt reuocabilis per ſuperius allegata iura, & præcipuè *in c. fin. de donat. inter vir. & vxor. & l. 1. & ſeqq. ff. eod. tit*, ergo etiam huiuſmodi collatio, ſeu donatio, quantumvis facta ante initum matrimonium, ſi tamen referatur ad tempus conſtantis matrimonij, erit irrita, & vtique per donatorem reuocabilis. Conſequentia probatur, quia pari paſſu procedunt aliquid fieri in tempore inhabili, & prohibito, & fieri pro tempore habili, ſed referri quoad ipſius effectum, & valorem ad tempus inhabile per textum *in l. in tempus ff. de hæred. inſtit. in l. eum qui ff. de iuriſdict. om. iud.*

4 Vbi non cōſtet, quo animo fuerit facta, præſumendū eſt pro valida donatione.

Reſpondeo tertiò, vbi non conſtat donationem factam eſſe animo transferendi ipſo iure, & immediate in coniugem donatarium rem donatam quoad dominium (quandò hæc facta eſt ante matrimonium licet eadem die, qua initum eſt idem matrimonium) an vero animo, vt ipſius donationis effectus referretur in tempus cōtracti matrimonij, probabilius eadem donatio tenet, & eſt irreuocabilis. Ità ſentire exiſtimo *Gloſam in c. finali verb. conſtante de donat. inter vir., & vxor. Angelum verb. donatio 3. num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia in dubio mentis donantis, ſeu in non expreſſione mentis eiuſdem res reducenda eſt ad terminos iuris, quandòquidem, vbi contrahentes non exprimunt, ius ſupplet defectum loquentium, ſed quandò contrahentes aliter non diſponunt, in donationibus inter coniuges factis antecedenter ad matrimonium licet eadem die, qua ipſum matrimonium celebratur, ius diſponit eaſdem donationes tenere per textum enuntiatum *in l. inter eos ff. de donat. inter vir. & vxor.*, ergo non conſtante expreſſè de mente donatoris ius diſponens donationem ante nuptias licet eadē die celebratas debet habere locum, adeòque &c. Confirmatur, quia in iuribus odioſis, & exorbitantibus à iure vniuerſali facienda eſt ſtrictiſſima interpretatio, adeò vt minus lædatur, quam fieri poſſit idem ius commune, ſed ius vetans donationes inter coniuges aduerſatur, & exorbitat à iure communi, ſecundum quod vnuſquiſque per donationem poteſt res ſuas transferre, ergo ita interpretandum eſt, vt præciſè contineatur in terminis, iuxtà quos loquuntur iura prohibentia; ſed iura prohibentia loquuntur præciſè in terminis donationum factarum inter coniuges, ſeu conſtante iam matrimonio, ergo &c.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

An donatio per coniugẽ conſtante matrimonio facta tertio, cum eo onere, vt diſſoluto matrimonio fiat alterius coniugis teneat.

VMMARIVM.

Exponitur in quo ſenſu accipiendus ſit titulus. 1.
Si ſit facta in fauorem vxoris, & depoſitata apud tertium, vſque ad obitum donantis, vtique per iſtum ante obitum eſt reuocabilis. 2.
Si vero fuerit in fauorem tertij quouſque donans vixerit, & poſt obitum eius in fauorem vxoris, vtique non eſt reuocabilis ſine cauſa. 3.
Si quos fructus fecerit, dum eſt depoſita in fauorem vxoris, cedunt eidem. 4.
Conditio', quod res depoſita fiat vxoris poſt obitum mariti non facit donationem irreuocabilem. 5.
Si vxor donataria in ea hypotheſi præmoreretur marito, vel cum illo moreretur, res donata eſſet hæredum donantis, non depoſitarij, nec hæredum vxoris. 6.

1 Facti ſeries exponitur.

DISQVISITIO II. Contracto matrimonio per verba de præſenti inter Caium, & Seiam, eoque forte etiam conſummato Caius eodẽ matrimonio adhuc conſtante donationem fecit cuidam tertiæ perſonæ puta Theodorico ſibi, & Seiæ coniugi ſuæ coniuncto ea adiecta conditione, vt poſt obitum eiuſdem Caij, per quem diſſoluitur matrimonium, res donata pleno iure tranſeat in Seiam, eiuſque fiat. Hic orta eſt controuerſia, an talis donatio teneat, & ſit irreuocabilis, an vero ſit irrita?

Articuli examinandi ſub hoc titulo.

Sub hoc titulo multiplex excitatur articulus examinandus. Primus eſt, an adhuc non diſſoluto matrimonio per obitum eiuſdem Caij illa donatio ſit per eundem reuocabilis ab eodem Theodorico, ſicuti ſi immediatè eſſet facta Seiæ vxori eiuſdem Caij. Secundus, an illa conditio, quod res donata diſſoluto matrimonio fiat vxoris ſuperſtitis obſit iuri prohibenti donationes inter coniuges conſtante matrimonio, quandòquidem videtur donatio illa cum illa conditione, ſeu onere facta in fraudem legis irritantis donationes inter coniuges. Tertius ex ſuppoſitione, quod illa donatio cum illa conditione teneat, an, ſi vxor donataria præmoreretur, vel eodem caſu cum marito moreretur donatio illa firmaretur abſolutè in fauorem Theodorici, an vero reſtituenda eſſet hæredibus eiuſdem mariti donantis.

2 Si ſit facta in fauorẽ ſolum vxoris, & depoſitata apud tertiũ vſque ad obitum donantis vtique eſt reuocabilis.

Reſpondeo primò ad primum, ſi illa donatio facta ſit præcisè in fauorem coniugis donatariæ, & quodamodò ſolum depoſitata in manus Theodorici vſque ad obitum ipſius Caij donantis vtique eſt reuocabilis per eundem Caium, nec ſimpliciter tenet; ſi verò facta fuerit in fauorem Theodorici, quouſque ipſe Caius donans vixerit, & in fauorem Seiæ coniugis, poſtquam ipſe Caius mortuus fuerit, probabilius eandem non poteſt Caius reuocare, niſi interueniente legitima cauſa reuocationis. In hanc conſentire debent quotquot ſuſtinent donationes inter coniuges reuocabiles eſſe, & alias donationes ab ipſis, ſi ſint inter viuos, eſſe irreuocabiles. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quià illa donatio perindè habetur, ac ſi immediatè facta eſſet coniugi donatariæ, quandòquidem, cum facta fuerit præcisè in fauorem coniugis, parum referre poteſt, quod fuerit depoſitata in manus Theodorici, cum hic nullum ius quæſierit in illa re, & ſolum detineat, vel nomine Caij donantis, vel Seiæ donatariæ, ſed donatio immediatè facta coniugi per alterum coniugem vtique reuocabilis eſt, nec ſimpliciter tenet, ergo &c. Confirmatur, quia, ſi ipſe coniux donans alteri coniugi rem donatam apud ſe detineat poteſt vtique reuocare donationem per reuocationem illius voluntatis, qua donauit, ergo etiam ſi rem donatam apud tertiam quandam perſonam depoſuerit vſque ad obitum, eam poterit reuocare, quandòquidem illa depoſitarius retinet nomine donantis.

3 Si vero facta ſit in fauorẽ tertij quouſq; donans vixeris, & poſt obitũ in fauorem vxoris nõ poteſt reuocari ſine cauſa.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ex vna parte donatio, quantumvis fuerit inter viuos poteſt eſſe limitata ad certum, & determinatum tempus, vel ad incertum, quatenus pendeat ab incerto euentu, & ex alia nihil eſt in ea hypotheſi, quod obſit veræ, & reali donationi irreuocabili intra illud tempus, quandòquidem eſt inter perſonas habiles, & à iure non interdictas ad donandum, & ad recipiendam donationem, ergo &c. nec illa conditio', quod res donata poſt obitum donatoris transferatur in coniugem ſuperſtitem officere poteſt irreuocabilitati intra illud tempus, quandòquidem illa conditio ſolum limitat ad tempus ius Theodorici donatarij, ità vt poſt obitum donatoris vlterius non protrahatur, non autem tribuit ius reuocabilitatis intra illud tempus, niſi legitima cauſa reuocandi interceſſerit.

Hic dubitabis, an ſi donatio facta fuerit præcisè in fauorem coniugis donatariæ, & depoſita apud Theodoricum vſque ad obi-

obitum Caij donatoris, & interim donatio, ſeù res donata fructus fecerit, an, inquam, illi fructus cederent Seiæ donatariæ, an vero hæredibus Caij donatoris? Videtur prima fronte dicendum, huiuſmodi fructus cedere hæredibus Caij, quandòquidem ex ſupra dictis adhoc, vt donatio confirmetur morte donantis, requiritur, vt res fuerit tradita donatario *Gloſa in l. Papinianus verbo mariti ff. de donat. inter vir. & vxor. Salicetus in l. 2. num. 2. C. de dote cauta, Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio q. 9. verſ. ſcias autem.*

4 Fructus, ſi quos fecerit, cedunt in fauorē vxoris.

Nihilominus ſentiendum eſt, huiuſmodi fructus cedere eidem vxori, quia iuxtà ſuperius dicta donatio morte donantis confirmata retrotrahitur ad idem tempus donationis quoad fructus, licet non quoad dominium per textum *in l. donationes, quas parentes C. de donat. inter vir. & vxor.*, vndè ad ea, quæ ex aduerſo dicebantur, dicēdum eſt, ipſam depoſitionem rei donatæ penes tertium depoſitarium ęquivalere actuali traditioni fictione iuris; ex prædictis autem ſufficit tacita traditio. Limitanda tamen eſt hæc reſponſio in hypotheſi, qua Caius donans expreſsè vellet donationem tranſire tantum in donatariam pro tempore mortis eiuſdem donantis, & non aliter, & ideo depoſuiſſet penes tertium, & non tradidiſſet eidem donatario, quia tunc re vera fructus cederent hæredibus donantis, non ipſi donatariæ, eo modo, quo fructus eiuſdem rei donatæ ante obitum donatoris, cederēt ei, in cuius fauorem etiam facta eſt donatio vſque ad mortem eiuſdem donantis ante eandem mortem, licet poſtea, & res donata, & fructus ex illo tempore ſubſequentes cederent iuxtà diſpoſitionem eiuſdem donatoris vxori donatariæ.

5 Conditio, quod res donata, & depoſita apud tertium tranſeat poſt obitū donantis ad vxorē non facit donationē irreuocabilem.

Reſpondo ſecundò, illa conditio, quod res donata diſſoluto matrimonio per obitum donantis tranſeat in vxorem donatariam, non officit irreuocabilitati eiuſdē donationis confirmatæ per obitum donantis *Tiraquel poſt leg. connubial. gloſ 8. de ſonmaryn num. 281. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 3. num. 8*, & alij magis communiter. Probatur, quia donatio relata in tempus ſoluti matrimonij, vt ſcilicet res donata fiat coniugis donatarij, quandò alter coniux donans obierit, tenet, & vtique irreuocabilis eſt poſt obitum eiuſdē coniugis donantis per textum *in l. ſed interim 12. §. ſed quod dicis ff. de donat. inter vir., & vxor.*, ergo etiam ſi donatio facta fuerit tertiæ perſonæ ad effectum, vt poſt obitum donatoris tranſeat pleno iure in coniugem donatariam, abſolutè tenebit, & per obitum eiuſdem donatoris reddetur irreuocabilis. Confirmatur, quia donationes inter coniuges cauſa mortis non interdicuntur iure prohibente donationes inter virum, & vxorem conſtante matrimonio per ea, quæ ſuprà latè probauimus; ergo neque prohibita cenſebitur donatio inter eoſdem coniuges, quæ tantum vim habeat irreuocabilitatis intercedente morte donatoris. Confirmatur ſecundò, quia, ſi facta fuerit immediatè donatio alteri coniugi conſtante matrimonio, & non fuerit reuocata per coniugem donatorem in vita eiuſdem, confirmatur per ipſius mortem, & redditur irreuocabilis, ergo etiam, ſi facta fuerit tertio ea adiecta conditione, vt poſt mortem donatoris cedat vxori donatariæ tenebit, & erit irreuocabilis intercedente morte eiuſdem donatoris.

Reſpondeo tertiò, ſi vxor donataria in ea hypotheſi præmoreretur marito, vel eodem caſu cum marito occumberet, probabilius eadem donatio cederet hæredibus eiuſdem mariti donatoris, nō Theodorico depoſitario, nec hæredibus vxoris defunctæ, niſi maritus eidem prædeceſſerit Conſonat in aliqua parte cum iis, quæ ſuperius diximus. Ratio ex eo deducitur, quia in ordine ad Theodoricum, vel ipſe ſe habet merè, vt depoſitarius, vel vt donatarius; ſit vt mere depoſitarius, nullum ius habet in illa re, cum detineat præcisè nomine donantis, nam per depoſitum nullum transfertur dominium; ſi vt donatarius, non eſt talis abſolutè, ſed limitatè ad tempus vitę donatoris, & non vlterius; neque dicas, quod, cum tunc defecerit perſona, in quam pleno iure tranſire deberet res donata, nempè vxor, donatio in ipſo Theodorico firmetur, nam limitatio videtur dumtaxat inducta intuitu vxoris; contra enim impugnaberis, quia, ex quo ipſe coniux donator limitauit in ordine ad Theodoricum donationem ad tempus vitæ propriæ, qua ceſſante migraret in vxorem donatariam, & non prouidit in caſu præcedentis obitus eiuſdem vxoris ad obitum proprium, præſumendum eſt, quod ipſa donatio in ordine ad ipſum Theodoricum poſt obitum donantis ceſſet, & quod propterea reducatur in maſſa totius hæreditatis, & fiat hæredis. In ordine vero ad coniugem donatariam, ſi hæc prædeceſſerit ad maritum, iam ex ſuperius dictis conſtat, cum non confirmetur morte donatoris, cum obitu eiuſdem donatariæ euaneſcere; ſi vero ſimul moriantur eodem caſu donans, & donataria, tunc menſuranda res eſt ad normam eorum, quæ ſupra diximus, conſiderando ſcilicet, quinam ſit in poſſeſſione rei donatæ, & ille vtique præferendus eſt, & ſpecialiter in hoc caſu præſumendum eſt, quod vxor fuerit in poſſeſſione, cum ipſa depoſitio ſit quædam traditio ficta. Hæc tamen verificantur ſolum, quandò illa collatio facta eſt Theodorico, tanquam

6 Si præmoreretur vxor marito, vel cū illo, res donata eſſet hæredum donantis.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

depo-

depoſitario in fauorem vxoris; quandò etenim collatio facta eſſet eidem, vt donatario, tunc non poteſt dici, quod vel fictè, vel vere fuerit tradita vxori, adeòque tunc potius videtur præſumendum in fauorem hæredum mariti donatoris.

---

§. III.

An ſit donatio prohibita inter coniuges illa, qua maritus volenti ſibi donare rogat donare propriæ vxori.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Iura ſibi obuiantia exponuntur. 2.
Prima conciliatio iurium allegatorum. 3.
Secunda conciliatio eorundem. 4.
Oblatio facta marito non demit donationi in fauorem vxoris, ſi importat donationem faciendam, ſecus ſi importat iam factam. 5.
Conciliantur textus oppoſiti, & quomodò. 6.
Reiciuntur alij modo conciliandi ſupra expoſiti. 7.

1 Exponitur ſtatus diſquiſitionis

DISQVISITIO III. Paratus erat Theodoricus dona aliqua pretioſa conferre Titio, quinimmò eadem ipſi obtulit; ipſe autem aſſerens, ſe illis non indigere, rogauit eundem Theodoricum, vt vxori ſuæ conferret, prout de facto hoc rogatu motus contulit. Quæſitum hic fuit, an illa donatio ſic concepta, & facta ſubſiſtat, an vero, vt potefacta inter coniuges cōſtante matrimonio intelligatur irrita, vel ſaltem reuocabilis.

2 Iura ſibi obuiantia.

Duo potiſſimum circa hoc quæſitum iura ſibi obuiantia inuenio; alterum *in l. ſi vir. 32 §. ſi vir. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Vbi ſic legitur. *Quod legaturus mihi, aut hæreditatis nomine relicturus es, potes rogatus à me vxori meæ relinquere, & non videbitur ea eſſe donatio*; alterum *in l. hæc ratio 3. in fin ff. de donat. inter vir. & uxor.*, vbi ſic legitur. *Si donaturum mihi iuſſero vxori meæ dare, nullius eſſe momenti Iulianus ſcribit. Perinde enim habendum, atque ſi ego acceperim rem meam factam vxori meæ dediſſem.*

Duplex ſenſus acceptatiōnis.

Tota ergo ratio præſentis dubitationis in eo conſiſtit, an in eo actu, quo maritus rem, quam ſibi exhibet donans, duplicem quodamodo actum habeat, alterum tacitum, quo tacitè acceptet donationem, alterum, quo ipſe donationem ſic tacite acceptatam transferat in vxorem, qui duplex actus, ſi interueniret, vtique videretur importare donationem inter coniuges; an vero vnicum dumtaxat actum, quo ipſe non acquirat rem donatam, ſed iubeat, vt donans immediatè rem donatam transferat in vxorem, qua in hypotheſi non ſe priuat ſuo patrimonio, ſed tantum ſibi rem oblatam non acquirit.

Nonnulli arbitrantur allegatos textus conciliare per hoc, quod textus *in l. ſi vir.* intelligendus ſit de legato, quia legatarius non ſit dominus rei legatæ, niſi poſt obitum legantis, ac proinde, ſi roget eundem legantem, ſeù offerentem legatum, vt voluntate mutata transferat in propriā vxorem, non dicitur proprie acquirere, & poſtea transferre, ac proinde nec ſe priuare ſuo patrimonio; textus vero *in l. hæc ratio* intelligendus ſit de donatione cauſa mortis, quia tunc donatarius immediatè acquirit rem donatam, licet reuocabiliter, ac proindè primo acquirat, & deindè iubendo transferri in vxorem quodamodo ipſe in eandem transferat; atque ſic conciliant *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 47. num. 22. Angelus verb. donatio 3. num. 31. Silueſter verb donatio 2. q. 2.* 3 Prima interpretatio iurium allegatorum.

Alij ſub alijs terminis allegatos textus explicant, & interpretantur; dicunt enim textum *in d. l. ſi vir.* intelligi dumtaxat, quandò quoad legatum repudiat præcisè, & rogat, vt transferatur in vxorem, quia tunc non propriè prius acquirit, ac proindè in ea hypotheſi tenet donatio; textum vero *in l. hæc ratio* intelligi, quando quoad donationem iubet eam ſibi paratam, & oblatam fieri vxori, quia in hac hypotheſi ipſe vir non repudiat donationem, ſed recipit, & eam fieri vxoris iubet *Coarruuias 4. decretalium 2. pars. c. 7. §. 1. nu. 11. Caldas in l. ſi curatorem verb. læſis nu. 117. verſ. 2. C. de in integ. reſtit.* 4 Secunda eorundem textuū cōciliatio.

Alij cognoſcentes diſcrimen inter ly *rogare*, & *iubere* aſſerunt in textu *in l. ſi vir.* non eſſe donationem inter virum, & vxorem, cum maritus rogando non transferat rem donatam in vxorem, cum rogando nullam inferat neceſſitatem; in textu vero *in l. ſi hæc ratio*, donationem inter ipſos inferri, quandòquidem iubendo inducit neceſſitatem, & propterea videtur ipſe prius acquiſiuiſſe, nam cæteroqui hanc neceſſitatem non potuiſſet inducere. *Antonius Gomez 2. var. c. 4 n. 24.* Quid igitur in hoc caſu concludendum? Videndum igitur eſt primò, an illa donatio iuxtà terminos, ſecundum quos concipitur in præſenti diſquiſitione, teneat, & ex ſuppoſitione, quod teneat, quomodo poſſint conciliari allegati textus, adeò vt non contrarientur reſolutioni.

Reſpondeo primò, probabilius eſſe, hanc donationem tenere, ſi oblatio facta marito importet ſolummodò donationem faciendam, ſecus vero, ſi importet donationem iam ipſi factam. Iuxtà hunc ſenſum arbitror loqui *Sanchez lib. 6. de*

ma-

Digitized by Google

5 Si oblatio facta marito importet ſolummodò donationem faciẽdam, vtique tenet donatio, ſecus ſi importet donationẽ iam factã.

matrimon. diſp.4. nu. 2. verſ. ſed hac relatio. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, quandò donatio eſt præciſè facienda marito, maritus ipſe nullum ius quæſiuit ad ipſam, ergo, ſi rogauerit ad vxorem transferri, non fiet donatio propria inter coniuges à iure interdicta. Conſequentia probatur, quia rogando, vt transferatur in vxorem, non ſe priuat aliquo, quod ſit ſui iuris, hoc eſt ſuo patrimonio. Confirmatur primò, quia, ſi maritus ſine aliqua præuia animi præparatione ad ſibi donandum roget aliquem, vt donationem transferat in propriam coniugem, illa donatio non computatur inter donationes inter coniuges interdicta, ergo, nec ſi paratum ſibi donare roget, vt donet propriæ vxori, donatio illa computabitur inter donationes inter coniuges prohibitas. Conſequentia probatur, quia, in tantum in caſu antecedentis illa donatio non cenſetur prohibita, in quantum res donata non cenſetur de patrimonio eiuſdem mariti, ſed etiam in caſu conſequentiæ donatio illa non cenſetur de patrimonio ipſius mariti, quandòquidem illa donatio non eſt facta, ſed merè facienda, ergo &c. Confirmatur ſecundò, quia, ſi legaturum ſibi roget maritus, vt leget vxori ſuæ, vtique tenet illud legatum, ſeù donatio *l. ſed ſi vir 32. §. ſi vir verb. quod legaturus ff. de donat. inter vir. & vxor.*, ergo, ſi ſibi donaturum roget, vt donat vxori ſuæ, tenebit donatio. Conſequentia probatur, quia, intantum tenet illud legatum, in quantum, vt docent *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 47. nu. 22. Tabiena verb. donatio 3. q. 1. nu. 2.* legatarius non acquirit ius ad legatum, niſi ad obitum legantis, ſed etiã in donatione, prout facienda donatarius non acquirit ius ad rem donatam, niſi quatenus ipſa donatio fuerit facta, ergo &c.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia vel illa donatio, prout intelligitur iam facta, eſt donatio inter viuos, vel cauſa mortis: quocunque ex his modis ſumatur, eſt propria donatio inter coniuges à iure prohibita, ergo &c. Minor probatur primò quoad donationem inter viuos, quia per ipſam immediatè transfertur dominium in donatarium, ac eſt acceptata, eo autem ipſo, quod maritus donatarius iubet transferri in vxorem rem ſibi donatam ſupponitur acceptaſſe, & acquiſiuiſſe, & immediatè in vxorem tranſtuliſſe; & ex eo, quod iubeat, infert neceſſitatem, quam vtique inferre non poſſet, niſi acceptaſſet, & acquiſiuiſſet, & hoc clare euincitur ex allegato textu *in l. hac ratio 3. ff de donat. inter vir. & uxor.*: Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum illa acquiſitio mariti ſubſequente immediatè translatione in vxorem ſit momentanea, in nulla conſideratione ſit habenda *l. fin. C. de bon. quæ ſib Soc. ſen. conſ. 53. n. 27 & ſeqq vol. 4. Rolandus conſ. 15 num. 35. & ſeqq. vol. 1.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia momentanea vtique habentur in conſideratione, quandò ex illis producitur aliquis iuris effectus *Barboſa in l. dotalem 62. num. 13. ff. ſolut. matrimon.*, & habetur *in l. 1. C. de poſſib hæred. inſtit.* Quoad donationem vero cauſa mortis etiam ex eo deducitur, quià per ipſam etiam transfertur immediatè dominium rei donatæ, licet reuocabilitèr *l. Senatus in princip. & l. ſi mortis cauſa rei donata ff. de donat. cauſa mortis*, hocque intercedit diſcrimen inter legatum, & donationem cauſa mortis, quod legatarius non acquirit dominium rei legatæ, niſi poſt obitum legantis, donatarius vero immediatè ſecuta traditione acquirit dominium rei donatæ licet reuocabiliter; atque hoc diſcrimen agnoſcunt etiam *Couaruuias rub. de teſtam. 3. part. n. 16. Acoſta c. ſi Pater prima part. verb legauit n 5. de teſtam in 6.*

Reſpondeo ſecundò, illos allegatos textus, qui ſibi videntur contrarij, poſſe optimè ſic conciliari, ſi dicatur textum *in l. ſed ſi vir § ſi vir ff. de donat. inter vir. & vxor.* intelligi, quandò nullum acquiſitum eſt dominium per maritum; textum vero *in l. hac ratio 3. ff. eod. tit.* intelligi, quandò iam acquiſitum eſt dominium per actum occultatum virtualiter duplicem, quo ſcilicet prius maritus acceptauit donationem, eamque breui quodamodò manu tranſtulit in vxorem donatariam. Hoc diſcrimen præcipuè agnoſcit, ſicque conciliat allegatos textus *Sanchez de matrimonio lib. 6. diſp. 4. num. 2. verſ ſed hac ſolutio in fin.* Hoc diſcrimen, hæcque conciliatio expreſsè colligitur ex contextu verborum, quibus vterque textus fuit conceptus; in primo enim dicitur *rogatus à me*, quod nullam acquiſitionem dominij inuoluit, cum non inferat neceſſitatem: in ſecundo dicitur, *ſi iuſſero*, quod inducit neceſſitatem *Albericus in ſuo diction. verb. iubere de verb. ſignificat.*

6 Conciliantur textus oppoſiti, & quomodò.

Ex quibus deducere poteris, quid reſpondeas ad præcitatas DD. conciliationes quoad illos textus, qui videntur ſibi contrarij. Primus enim modus conciliandi, ſi nude ſumatur, prout importat præciſè iuxtà primum textum *in l. ſed ſi vir §. vir* legatum, & quoad ſecundum *in l. hac ratio*, prout importat donationem cauſa mortis, non cohæret, cum eiſdem textibus, quandòquidem *in d. l. hac ratio 3.* ſermo habetur de donatione, & *in l. 4. ff. eod.* etiam comprehenditur legatum, dum dicitur *Idemque eſt, & ſi mortis cauſa traditurum mihi iuſſerim vxori meæ tradere.* Quamobrem ad ſummum hæc verificantur iuxtà ſenſum noſtrum expoſitum,

7 Reijciuntur alij modi conciliandi ſupra expoſiti.

qua-

Digitized by Google

quatenus ſcilicet primus textus intelligendus ſit, quandò maritus nullum ius acquiſiuit; ſecundus vero, quandò acquiſiuit, & ius illud poſteà contulit in vxorem. Secundus, & tertius modus conciliandi cohæret noſtræ explicationi.

---

§. IV.

An augmentum dotis factum conſtante matrimonio à viro ignobili, aut ſene vxori nobili, aut iuueni gaudeat dotis priuilegijs.

SVMMARIVM.

Proponitur ſub terminis particularibus factum. 1.
Sententia negans gaudere priuilegio. 2.
Sententia affirmans gaudere. 3.
Probabilius gaudet. 4.
Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ. 5.

1 Series facti expoſita. DISQVISITIO IV. Contraxerunt ad inuicem matrimonium Caius vir ignobilis, & ſenex cum Calidonia fœmina nobili, & iuuene. Dictum fuit in præcedentibus, poſſe eundem Caium ignobilem, & ſenem validè & licitè conferre vxori nobili, & iuueni donationem, vel dotem conſtituere, vel ſaltem augmentum dotis. De facto conſtituit eidem augmentum in ſumma mille aureorum. Quæſitum hic fuit, an tale augmentum ſic conſtitutum conſtante matrimonio gauderet omnibus priuilegijs, puta hypothecæ, prælationis &c. quibus gaudet eadem dos.

2 Sententia negãs gaudere priuilegio. Negant *Romanus conſ. 445. concl. penult. verſ. vnde inferendo tradidit*, *Couaruuias de ſponſal. part. 2. alleg. c. 3. &* §. 3. n. 4. *Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 7. num. 5. Ludouicus Lopez. 2. part. inſtruct. de matrimon. cap 41.*, qui omnes eam adducunt rationem, quià tale augmentum, vel fortè etiam dos conſtituta non habet propriè rationem dotis, cum nomine dotis rigoroſè ſumptæ veniat illa dumtaxat, quæ ab vxore confertur marito in ordine ad onera matrimonij ſuſtinenda; atque ad hanc opinionem confirmandam adducunt textum *in l. aſſiduis C. qui pot. in pign. habeantur, &* §. *his conſequens in auth. de æqualit. dot.*

3 Sententia affirmans gaudere. Affirmat vero *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 8. n. 40.* Rationem ex oppoſito adducit, quia ſcilicet hoc augmentum ſic conſtitutum præcipuè, cum ſit in compenſationem nobilitatis, & iuuentutis, habet propriè rationem dotis conſtitutæ, quandòquidem poſſet dici à muliere virtualitèr, & breui manu tradita ipſi marito, qui illam conſtituit. Quid ergo circa hoc quæſitum concludendum?

4 Probabilius gaudet. Reſpondeo, probabilius eſſe illud augmentum habere propriè rationem dotis, & ſortiri omnia dotis priuilegia. *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. & n. 169. Hondedeus conſ. 48. in fin.* Ratio per eundem Boſſium loc. cit. adductam valde efficax eſt ad hanc reſponſionem euincendam, quæ fortior redditur ex eo, quod talis conſtitutio augmenti non intelligatur eſſe donatio propter nuptias, cùm non detur intuitu dotis acceptæ, ſed intuitu nobilitatis, & iuuentutis, nec poteſt reſpectu mulieris dici donatio ſimpliciter, cum ſit compenſatio eiuſdem nobilitatis, & iuuentutis, & deteriorationis, cui cæteroqui vxor nobilis, & iuuenis poſt viri obitum remaneret obnoxia, & certè eo defuncto vxor non remaneret congruè dotata, & ità, vel non poſſet virum inuenire, vel æqualis conditionis; ſicque non eſt, cur illud augmentum non debeat ſortiri conditiones veræ dotis, eiuſque priuilegium. Confirmatur, quià, ſi vxor conſtante etiam matrimonio bona aliqua, vel titulo oneroſo, vel iure profectitio, vel aduentitio acquireret, eaque marito conſtitueret pro augmento propriæ dotis, non eſſet, cur illud augmentum non ſortiretur propriam rationem dotis, & priuilegia eiuſdem, hocque eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam illud augmentum conſtitutum à viro ignobili, & ſene etiam conſtante matrimonio mulieri nobili, aut iuueni veram rationem dotis ſortietur, & priuilegia eiuſdem acquiret. Conſequentia probatur, quia illud augmentum acquiritur titulo compenſationis, non mere donationis, ac proindè ità ſe habet, ac ſi titulo quodamodo oneroſo fuerit à viro traditum vxori, & per eandem vxorem breui manu collatum ipſo viro.

5 Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ. Ex iis patet, quid reſpondeas ad ea, quæ ex oppoſita opinione afferebantur; dic enim propter rationes mox adductas induere rationem veræ, & realis dotis. Ad textus *in l. aſſiduis C. qui potior in pign. habeantur, &* §. *his conſequens in auth. de æqualit. dot.* dicendum eſt, illos procedere de donatione propter nuptias, quæ confertur intuitu dotis acceptæ, quæ ex diſpoſitione iuris ciuilis debetur ad æqualitatẽ dotis, non de hoc augmento facto titulo compenſationis, & iuxtà hunc ſenſum intelligenda ſunt, ſi quæ diximus in quæſtionibus de pignor. & hypoth., & non aliter.

Neque aduerſus ea, quæ hactenus diximus, obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod augmentum dotis, quod habet priuilegia eiuſdem, dicatur illud, quod fit ex parte mulieris, non ab ipſo viro, cum hoc potius habeat rationem donationis propter

Digitized by Google

Inſtantia oppoſita, & diſſoluta.

nuptias *l. fin. C. de donat. ante nupt. § eſt, & aliud Inſtit. de donat. Abbat conſ.22. n.5. in fin. Natta conſ 253. nu. 7. Mantica lib.20. de tacit. & ambig. tit.4. nu.6. & 13. Campegius de dot. part.1. q.61.* Non, inquam, obeſſe poteſt, primo, quia huiuſmodi iura, & DD. procedunt dumtaxat de donatione propter nuptias facienda iuxtà dotis, & augmenti dotis quantitatem attenta diſpoſitione iuris ciuilis, vndè, vt bene notat *Ioannes Angelus Boſſius de dot. c.8. d. n.169. prope finem*, vt vir teneatur facere dictam donationem propter nuptias, neceſſe eſt, vt dos, & augmentum dotis procedat ex parte mulieris. Secundo dici poteſt iuxtà ſuperius dicta in hac hypotheſi illud augmentum dotis procedere ex parte mulieris, quandòquidem, cum illud ipſi datum fuerit titulo compenſationis, intelligitur primo eidem mulieri acquiſitum, & deindè per eandem mulierem breui manu ipſi marito traditum.

§. V.

An vxor conſtante matrimonio poſſit marito conſtituere dotem, ſeu augmentum dotis.

SVMMARIVM.

Exponuntur termini controuerſia. 1.

Si vxor nupſerit indotata eo, quia ſit pauper, ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit, poteſt conſtante matrimonio marito conſtituere dotem. 2.

Si augeret ſupra quod exigit vtriuſque conditio, exceſſus non haberet vim ſimplicis donationis. 3.

Quantumvis fuerit ab initio diues poteſt dotem conſtituere, vel augere. 4.

Etiam ſi habuerit bona ab initio, & non conſtituerit, poteſt conſtante matrimonio conſtituere. 5.

1 Status cõtrouerſiæ expoſitus.

DISQVISITIO V. In contractu matrimoniali inito inter Meuium, & Theodoricam nulla dos fuit per eandem Theodoricam conſtituta Meuio, vel ſolum modica & exigua. Conſtante iam matrimonio eodem Theodorica dotem ſibi conſtituit, vel auxit. Quæſitum fuit, an illa dotis, vel augmenti conſtitutio facta conſtante iam matrimonio teneat, an vero tanquam donatio inter coniuges nullius roboris ſit, & reuocabilis.

Varia conſiderabilia circa titulum.

Hic pro vberiori huius diſquiſitionis intelligentia plures rationes conſiderari poſſunt, ob quas Theodorica in contractu matrimonij dotem, vel non conſtituit marito, vel ſi conſtituit, modicam conſtituit. Primo potuit non conſtituiſſe in principio ante contractum matrimonium, quia pauper erat, nec habebat, quo conſtitueret. Secundò, quia quantumvis fuerit diues, noluerit dotem conſtituere, vel ſolum modicam conſtituerit ad effectum, vt maritus ſibi augmentum proportionatum aſſignaret, quod, cum non aſſignarit, nec ipſa dotem conſtituit, vel ſolum modicam. Tertiò, quatenus potuerit dotem conſtituere, & noluerit, & maritus ſpontè ceſſerit iuri dotis, ipſamque indotatam ſine vllo onere copularit. Hic ſuppoſitis.

2 Si ad pinguiorem fortunam deuenerit poteſt marito cõſtituere dotem.

Reſpondeo primò, ſi vxor nupſerit indotata, ſeù nullam dotem, vel modicam contulerit marito ob paupertatem, qua tempore nuptiarum premebatur, poteſt validè conſtante matrimonio, ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit, marito dotem conſtituere, vel augmentum, quo dos congrua conſtituatur *Baldus Nouellus de dote part. 6. priuil.14. nu.1. verſ. prætereà tunc, Sanchez de matrim. lib.6. diſp.7. n.1. Ioannes Lupus verb. de donat. § 15. n.1 & 2. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 11. tit. 22. nu. 2. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c.8. num 165. verſ. & primo ſi à principio.* Probatur primo *ex l. ſi conſtante, & l. fin. verſ. quare enim paulo poſt principium C. de donat. ante nupt. & §. eſt & aliud verſ. & primis quidem Inſtit. de donat.*, vbi dicitur, quod vxor dotata conſtante matrimonio poſſit augmentum dotis conſtituere, ergo à fortiori, quandò dotata non eſt, poterit ſibi dotem conſtituere, vel quandò modicam dotem habuit, illam augere vſque ad congruum, & proportionatum incrementum. Secundò, quia valdè veriſimile eſt, quod, ſi vxor in principio huiuſmodi bona, quibus nunc intendit dotem ſibi conſtituere, vel augmentum ipſius, habuiſſet, illa in dotem marito tradidiſſet, ergo modo præſumendum eſt conferre, vt ſuppleat defectum illius, quam contuliſſet, ſi habuiſſet. Tertiò, quia, ſi conſtante matrimonio non poſſet dotem illam conſtituere, hoc eſſet, quia, cum maritus eam duxerit ſine vllo onere dotis, videretur illa conſtitutio dotis, vel augmenti eiuſdem ſimplex donatio, quæ inter coniuges conſtante matrimonio eſt interdicta; ſed hæc ratio nullo modo obſiſtit, quia in primis illa conſtitutio dotis, ſeu augmenti eiuſdem datur in compenſationem propter onera matrimonij, quæ maritus cogitur ſuſtinere, & quamvis videatur iuri illius compenſationis ſpontè ceſſiſſe, ex quo voluntariè vxorem ſine dote duxit, non tamen ceſſit abſolutè, ſed in tantum, in quantum agnoſcebat eam pauperem, & vtique, ſi vxor bona habuiſſet, indotatam non accepiſſet *arg. l. cum deinde ff. de probat. & c. 1. de cler. non reſid.* Deindè illa donatio, ſeù conſtitutio dotis,

ſeù

augmenti ipſius, ſi eſt donatio, eſt remuneratoria beneficij à viro accepti eo quod ipſam indotatam duxerit; donatio autem remuneratoria inter coniuges tenet; & cum illa ſoluto matrimonio ſit reſtituenda vxori, vtique induit propriam rationem dotis, ſeù augmenti eiuſdem.

3 Si augeret ſupra id, quod exigit ipſorũ cõditio exceſſus non haberet rationẽ ſimplicis donationis.

Hic ſolum oritur difficultas, an, ſi conſtante matrimonio vxor, quæ nullam dotem marito conſtituit, vel ſolum modicam, poſtquam deuenerit ad pinguiorem fortunam, eandem conſtitueret, vel augeret ſupra quod exigit conditio vtriuſque contrahentis, ille exceſsus haberet rationem ſimplicis donationis, & non teneret, an verò haberet propriam rationem dotis, vel augmenti ipſius, & ſubſiſteret. Ioannes Angelus Boſſius *tract. de dote c. 8. num. 178. Baldus Nouellus de dote part. 6. priuil. 14. num. 2.* ſentiunt illam dotis conſtitutionem, vel augmenti eiuſdem in ea parte, ſecundum quam excedit congruam dotis quantitatem iuxtà exigentiam ſtatus vtriuſque coniugis, habere rationem ſimplicis donationis, & nullo modo tenere. Ioannes *vero Lupus rub. de donation.* § 53. *in fin.* valdè dubitat, & potius propendet in partem aſſerentem non habere rationem ſimplicis donationis, ſed rationem dotis, vel augmenti eiuſdem, cuius opinionem probabiliorem exiſtimo, cum illa dos, quantumvis excedens, ſit reſtituenda eidem vxori diſſoluto matrimonio.

4 Quantumuis fuerit diues poteſt poſteà cõſtituere, vel augere.

Reſpondeo ſecundo. Si vxor ab initio fuerit diues, & nulla conſtituta dote nupſerit, poteſt conſtante matrimonio eam eidem marito conſtituere, quinimmò etiam ſi à principio congruam dotem marito conſtituerit, poteſt conſtante eodem matrimonio augere, quantumvis maritus ipſe nullam eidem fecerit donationem proptèr nuptias æquivalentem doti, vel faciat æquivalentem eidem augmento. Conſentiunt *Baldus Nouellus de dote part. 6. priuileg. 14. num. 1., & 2. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 7. num. 1.*, & quotquot ſuſtinent, vxorem diuitem, quæ ſine promiſſione, & ſtipulatione dotis nupſit, poſse cogi ad conſtituendam marito dotem. *Gloſa in §. vltim. verb. onera auth. de non eligen. ſecundo nubente, Paleotus de dote num. 30. Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. ſi quis ex ijs num. 65. Melfeſius ad conſuet. Neapol. part. 5. de alimentis pract. qu. 13. num. 17. Carpanus ad ſtatut. Mediol. cap. 455. num. 12., & 44. Heringius de fideiuſ. cap. 7. num.* 458.

Rationes ſuadentes intentum.

Ratio ex eo deducitur primò, quià nullum ius vetat, dotem poſse conſtitui, quandò prius non fuit conſtituta, etiam conſtante matrimonio; ità fatentur omnes iuris periti non ſolum mox allegati, ſed alij etiam magis communitèr, ergò non eſt, cur, ſi poſt contractum matrimonium conſtituatur, non poſſit ſubſiſtere in ratione dotis, vel augmenti eiuſdem. Secundò, quià, ſi mulier, quantumvis diues, quæ nulla dote conſtituta nupſit poſt contractum matrimonium, dicat marito ſuo *Do tibi bona mea*, nulla expreſſa cauſa cenſetur dare titulo dotis, & vtique talis datio tenet in ratione dotis, vel augmenti eiuſdem *Baldus in l. nulla n. 2. C. de iure dot. & l. vlt. n. 10. C. de ſent. quæ ſine cert. quant. Bartolus in l. quod autem ff. de iur. dot. Ioannes Proſcheius de legit. nupt. lib. 6. nu. 22. Rolandus à Valle de lucro dotis q. 72. Carpanus ad Stat. Mediol. c. 2. q 8. n. 262. Maſcardus de probat. concl.* 215. *Menochius lib. 3. de præſumpt. præſumpt. 6. n.* 84, ergo, quia ſupponunt, mulierem habentem bona poſſe etiam poſt contractum matrimonium dotem, vel augmentum dotis marito conſtituere. Tertiò, quià talis dotis, vel augmenti eiuſdem conſtitutio non eſt ſimplex donatio, cum conferatur à muliere propter onera, ſeù in compenſationem onerum, quæ maritus ſuſtinere cogitur *l. ſi quis pro vxore §. ſi vxor ff. de donat. inter vir. & vxorem.* Quartò, quia maritus, ſeu hæredes ipſius diſſoluto matrimonio per obitum eiuſdẽ mariti tenentur illam eidem vxori conſtituenti reſtituere, ergo &c.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod maritus conſtante matrimonio non poteſt vxori dotem conſtituere, vt ſupra latè probauimus, ergo neque vxor conſtante matrimonio poteſt marito dotem conſtituere, neque augmentum ipſius, cum æquè donationes conſtante matrimonio prohibeantur marito, ſicuti vxori; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia diſpar omninò eſt ratio, quia in primis, quandò alia ratio compenſationis non interuenit, puta nobilitatis, vel iuuentutis dos à marito vxori conſtituta non poteſt habere, niſi titulum ſimplicis donationis, cùm non poſſit eſſe in ordine ad onera matrimonij ſuſtinenda; dos autem ab ipſa vxore marito conſtituta eſt compenſatiua, cum ſit in ordine ad onera matrimonij ſuſtinenda. Deindè, quandò conſtituitur ab vxore diſſoluto matrimonio eſt reſtituenda, quandò verò conſtituitur à marito non eſt vxori reſtituenda, prout rectè notauit *Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 7. n.* 1.

5 Etiam ſi habuerit, quo cõſtitueret ab initio, & maritus ceſſerit iuri ſuo, poteſt conſtante matrimonio cõſtituere.

Reſpondeo tertiò, quantumvis in initio vxor habuerit bona, quibus poſſet marito congruam dotem conſtituere, & noluerit, & maritus quodamodò eam ſibi copulando ſine promiſſione dotis ceſſerit iuri ſuo, nihilominus, ſi mutata voluntate poſt contractum matrimonium vxor dotem, vel augmentum dotis conſtituerit, tenet talis dotis, vel augmenti eiuſdem conſtitutio. Ità ſentire videtur *Baldus Nouellus de dote part. 6. priuil. 14. num. 2.*

Digitized by Google

Ioannes Angelus Boſſius de dot cap 8. *num.* 77., & alij magis communiter. Ratio ex eo deducitur primò, quia, quantumvis maritus ſic nubendo nulla facta promiſſione, ſeù ſtipulatione dotis ceſſerit iuri ſuo, non tollitur tamen, quin eadem vxor mutata voluntate poſſit dotem conſtituere in compenſationem illius ceſſionis, & in ordine ad onera matrimonij ſuſtinenda, quandòquidem multum intereſt mulieris habẽtis diuitias ſe gratam, & beneuolam marito exhibere, & hoc in ipſius vtilitatem reſultat, & fit ex iuſta cauſa gratitudinis, & compenſationis onerum matrimonij, prout probat idem *Baldus Nouellus loc. cit.* allegatis textibus *in l. fin. in princip. verſ. quare, & in l. ſi conſtante C. de donat. ante nupt.* Secundò, quia hæc etiam dos diſſoluto matrimonio eſſet eidem vxori reſtituenda.

---

§. VI.

An mulier diues, quæ ſine promiſſione, ſeu ſtipulatione dotis nupſit, poſſit cogi dotem marito conſtituere.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Sententia aſſerens poſſe compelli. 2.
Non poteſt compelli ad conſtituendum. 3.
Soluuntur argumenta oppoſitæ ſententiæ. 4.

1 **Factum in ſuis terminis.**

DISQVISITIO IV. Duxit Caius Simphoroſam Virginem diuitem, & diuitijs præpotentem, atque in celebratione contractus nulla facta eſt promiſſio, nec conuentio dotis. Conſtante iam matrimonio, vel etiam forte conſummato idem Caius agebat ad dotem ſibi per eandem Simphoroſam conſtituendam implorato Iudicis officio. Quæſitum hic fuit, an eadem Simphoroſa poſſet compelli per maritum ad dotem conſtituendam.

Poſſe compelli ad eandem conſtituendam docuerunt *Paleotus de dote num.* 30. *Laderchius conſ.* 117. *Sanchez de matrimon. lib* 9. *diſp.* 5. *n.* 9. *Carpanus ad Stat. Mediol. c.* 455. *nu.* 12. *&* 44. *Molfeſius ad conſuetud. Neapol. part.* 5. *de alim. præſtand. q* 13 *n* 17., & alij plures *apud Ioannem Angelum Boſſium tract. de dote c.* 8. *num.* 82., qui omnes aſſerunt poſſe compelli, vel ſi nolit, poſſe, vel à marito expelli, vel ei alimenta denegari. Rationes plurimas adducunt pro hac opinione confirmanda, & primò, quia maximè iniquum videtur, quod maritus alat vxorem, quæ renuit ſe dotare, cum commodè poſſit, Secundò, quia ex ge-

2 **Sententia aſſerẽs poſſe compelli.**

nere ſuo vterque coniux tenetur onera matrimonij ſuſtinere, cum commodè poſſit. Tertiò, quia, ſi quæ eſt ratio eximens vxorem ab onere poſt contractum matrimonium conſtituendi dotem marito, ea eſſet, quia, cum eam duxerit ſine dote, nec facta promiſſione dotis, debet ſibi imputare, quod eam duxerit indotatam, & quod à principio placuit non poſſe poſteà diſplicere, ſed hæc ratio nullo modo eandem vxorem eximit ab onere conſtituendi dotem eidem marito, quandòquidem ex eo, quod ipſam duxerit ſine dote, non ideò renuntiauit futuræ doti, quinimmò præſumitur tacitè de ea conueniſſe, cum cenſeatur ſe accomodaſſe communi conſuetudini, ſecundum quam dos aſſignatur ad onera matrimonij ſuſtinenda. His tamen non obſtantibus

Reſpondeo, probabilius eſſe, non poſſe compelli ad dotem erogandam, & ſi renuat erogare, vel conſtituere, nec poſſe expelli, vel alimenta eidem denegari. 3 **Non poteſt compelli ad conſtituendam.**
Bartolus in l. 2. *num.* 12. *ff. ſolut. matrimon. Phenucius de lucro dotis gloſ.* 10. *n.* 51. *Petrus Barboſa ad l.* 1. *part* 3. *num.* 49. *verſ. neque maritus ff. ſol. matrim. Mantica de tacit. & ambig lib.* 12. *tit.* 17. *num* 4. *& ſeqq. Ioannes Angelus Boſſius de dot. c.* 8. *n.* 83. Ratio ex eo deducitur, quia nec poteſt compelli formalitèr ex vi alicuius ſtipulationis, nec implicitè ratione initi matrimonij, nec cauſatiuè ratione iuris, quod acquirat maritus ipſam vxorem expellendi, vel denegandi alimenta, ergo &c. Antecedens patet, quia ratione ſtipulationis non poteſt compelli, quia nulla ſtipulatio, nullaque expreſſa promiſſio interceſſit de dote in illo contractu matrimoniali, vt ſupponitur; non ratione initi matrimonij, quia matrimonium ipſum non coniugitur neceſſario, vel ex aliqua iuris diſpoſitione cum conſtitutione dotis, quinimmò poteſt ſubſiſtere matrimonium ſine dote, ergo, cùm dos ſit quid à matrimonio diſtinctum, ex contractu matrimonij non neceſſario infertur conſtitutio dotis. Conſequentia tenet, quia ad poſitionem alicuius actus non ſequitur poſitio alterius contractus, qui ab ipſo actu poteſt eſſe remotus, & ſeparatus *l. pro hærede* §. 1. *l. Papinianus* §. *fin. l. cum bonis de acq. poſſeſ. l. quæſitum ff. de ſepulcr. violato*; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quamvis ex genere ſuo, & ex iure ſcripto matrimonium, & conſtitutio dotis ſint actus diſtincti, & ſeparati, ex iure tamen non ſcripto, & conſuetudinario regularitèr ſaltem loquendo ſint actus coniuncti, cum regularitèr dos ſequatur matrimonium maximè inter perſonas diuites, ſicque maritum ſupponi implicitè dotem voluiſſe in celebratione contractus matrimonialis iuxtà conſuetudinem; Non, in-

Rationes ſuadentes reſponſionem.

Digitized by Google

inquam, obeſſe poteſt, quia quantumvis, vt plurimum in matrimonijs dos interueniat, vt plurimum etiam de illa ſit ſtipulatio, vel promiſſio, qua propterea non intercedente, nec expreſſis verbis, nec ſignis implicitè inferentibus illam promiſſionem, non eſt, cur præſumatur tacitè volita, & conſtituta, nec in ſpecie, nec in genere. Accedit, quod conſtitutio dotis in facto conſiſtit per textum *in l. 1. C. de dot. caus.*; ea autem, quæ ſunt facti, non præſumuntur *l. quaecunque §. fin. ff. de publ. in rem act. & l. in bello §. facta ff. de capt. & poſt lim. reuerſ.* Accedit vlterius, quod, cum etiam ratione perſonarum eiuſdem, & ſimilis qualitatis, & conditionis dos non ſemper conſtituatur æqualis, ſed modo maior, modò minor, modo in pecunia, modo in rebus, ex contracto matrimonio non bene inferatur conſtitutio dotis, quandòquidem in ijs, quæ non conſiſtunt in indiuiſibili, regularitèr non intelligitur facta promiſſio, niſi interceſſerit expreſſa conuentio; non cauſatiuè ratione iuris expellendi, & non alendi, quia, vt notatur *in §. ſit itaque verſ. ſi quis auth. de nuptijs, & in §. quoniam autem variè auth. quibus modis natur. effic. legit.* maritus, qui mulierem ſui iuris duxit in vxorem nulla dote conſtituta non poteſt illam domo expellere, nec eidem denegare alimenta; & ipſe debet ſibi imputare, quod ſibi non præcauerit in celebratione contractus matrimonialis quærendo ſibi dotem conſtitui.

Ad hæc omnia comprobanda plurimum facit Statutum Mediolani c. 455. vbi decernitur, *vt non ſit, nec eſſe intelligatur dos, nec bona in dotem data, niſi expreſſè conſtiterit, vel appareat, & legitimè.*

4 Soluuntur argumenta oppoſitæ ſententiæ. Ex his habes quid reſpondeas ad argumenta oppoſitæ ſententiæ; ad primum etenim dic, non eſſe iniquum, maritum, qui duxit vxorem, quantumvis diuitem indotatam, teneri alere eandem de ſuo, quandòquidè ad hoc ſe obligauit ex propriæ voluntatis arbitrio; cum etenim potuerit in celebratione contractus ſibi proſpicere exigendo congruā dotem pro oneribus matrimonij, & nō proſpexerit debet ſibi imputare, quod inde oriatur onus alendi eandem vxorem, & non expellendi; Ad ſecundum dic, ad ſolum maritum ſpectare onera matrimonij ſuſtinere, quandò nulla dos conſtituta eſt vxori, vndè vxor in ea hypotheſi non tenetur, niſi ad obſequia erga maritum, & familiam. Ad tertium patet ex ſupradictis, quid dicendum, quia in primis contrahendo ſine conuentione, ſeu promiſſione dotis videtur propriè iuri ad eandem conſequendam renuntiaſſe; Deindè dato etiam, quod tacitè eidem non renuntiauerit, non propterea ſequitur, quod vxor ad eandem conſtituendam poſtea obligetur, quandòquidem nupſit ſine tali onere, & poteſt excipere, quod cum tali onere non nupſiſset.

---

§. VII.

An donatio cauſa mortis inter coniuges ea adiecta conditione, vt ſit irreuocabilis, teneat.

SVMMARIVM.

Senſus diſquiſitionis expoſitus. 1.
Donatio illa adiecto illo pacto irreuocabilitatis non tenet in ratione donationis cauſa mortis. 2.
Illa donatio adiecta illa conditione confirmatur intercedente morte donantis. 3.
Si illa conditio ſit limitata, & reuocari non poſſit, niſi donatarius præmoriatur, tenet. 4.

DISQVISITIO VII. Contracto matrimonio inter Caium, & Seiam Caius eodem conſtante donationem fecit eidem Seiæ de pluribus pretio æſtimabilibus, quam dixit, & voluit eſſe donationem cauſa mortis, ſed eam adiecit conditionem, vt illa donatio eſſet omninò irreuocabilis. Donationem cauſa mortis inter coniuges tenere latè ſupra probauimus & expreſsè colligitur *ex l. ſi cum ſeruum in fin. & l. ſeq. ff. de donat. inter vir. & vxor. l. ſed interim 11. §. ſed quod dicit ff. eod. tit.* Quæſitum eſt igitur, an illa donatio ratione pacti adiecti de non reuocando teneat, an vero tanquam irrita, & nullius roboris ſit præſumenda. 1 Senſus diſquiſitionis exponitur.

Ratio dubitandi potiſſimum conſurgit ex eo, an tale pactum de non reuocanda donatione illa cauſa mortis ſit contra, an vero dumtaxat præter eiuſdem donationis naturam; ſi etenim ſit contrà, per ipſum abſolutè deſtruetur eadem donatio; ſi verò præter, non vitiabitur donatio ipſa, ſed ad ſummum ipſa conditio, ſeu pactum non erunt conſiderabilia, niſi interueniant aliæ conditiones, per quas pactum illud adæquetur. Iuxtà hanc conſiderationem docuerunt plurimi, quod nos etiam alibi attigimus, ſocietatem, quantumvis ex genere ſuo non transferat periculum rei, quæ traditur in ſocietate in ſocium recipientem, poſſit tamen ex pacto obligari hic ad illud periculum in ſe ipſo aſſumendum, quia tale pactum non eſt contrà, ſed præter naturam contractus ſocietatis. Ratio dubitádi exponitur.

Reſpondeo primò, donationem illam adiecto illo pacto irreuocabilitatis non ſubſiſtere in ratione donationis cauſa mortis *Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 10. n. 2.* 2 Non tenet in ratione donationis cauſa mortis.

Digitized by Google

n. 2. Expreſsè deducitur ex textu *in l. vbi ita donatur ff. de donat. cauſ. mort.*, nec difficilis eſt probatio reſponſionis, nec ratio, cui innititur textus, quandòquidem poſita illa irreuocabilitate illa donatio tranſit in donationem inter viuos, nec habet, niſi nominationem donationis cauſa mortis, adeòque debet ſortiri conditiones donationum inter viuos, quæ ſi fuerint inter coniuges conſtante matrimonio reuocabiles ſunt: Neque arbitrandum eſt, illud pactum, ſeu conditionem illam appoſitam non eſſe contra, ſed tantum præter naturam illius donationis cauſa mortis, ac proindè ratione eiuſdem non vitiari; Non, inquam, arbitrandum eſt, quandòquidem ratio formalis contradiſtinctiua donationis cauſa mortis à donatione inter viuos eſt ſolum ratio reuocabilitatis, & irreuocabilitatis, & ſic illud pactum irreuocabilitatis transfert à donatione cauſa mortis ad donationem inter viuos; neque in hoc currit paritas de ſocietate cum periculo rei traslato per pactum in eum, qui recipit pecuniam, vel res titulo ſocietatis ad negotiandum, quandòquidem hoc non eſt contra naturam ſocietatis, cum adhuc dominium remaneat penes ſocium, qui pecuniam illam contulit; quod autem donatio ſit omninò irreuocabilis eſt contra donationis cauſa mortis naturam, adeòque &c.

3 Confirmatur intercedente morte donatoris. Reſpondeo ſecundò, illa donatio adiecta illa conditione, quod ſit irreuocabilis confirmatur intercedente morte donatoris, ſicuti cæteræ donationes inter coniuges *Gloſa in l. ita donatur verb. non valet ff. de donat. cauſa mortis*, cui adhærere videtur *Sanchez de matrimonio lib. 6. diſp. 20. n. 2.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia per illud pactum irreuocabilitatis donatio cauſa mortis tranſit in ſimplicem donationem inter viuos per textum *in d. l. vbi donatur ff. de donat. cauſa mort.*, ſed ſimplices donationes inter coniuges per ſuperius probata confirmantur morte donatoris, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illa conditio ſic adiecta irreuocabilitatis, cum ſit omninò contra iura irritantia donationes inter coniuges, omninò irritare eandem donationem, eandemque ita conſtituere, ac, ſi non eſſet poſita; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum illa conditio aduerſetur eiuſdem donationis conditionibus, habetur pro non adiecta, & potius ipſa irritatur, & vitiatur, quam irritet, & vitiet actum, circa quem apponitur, cum voluntas donandi præſumatur in ipſo donatore.

4 Si illa conditio ſit limitata, vt reuocari non poſſit, niſi donatarius, vel donataria præmoriatur, tenet. Reſpondeo tertiò, ſi illa conditio irreuocabilitatis non ſit abſoluta, ſed limitata, vt ſcilicet donatio reuocari non poſſit, niſi donatarius, vel donataria præmoriatur, probabilius eſt, eandem donationem tenere *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 77. in fin. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 10. n. 2. in fine.* Ratio ex eo deducitur, quia ſtante iure, ſeu diſpoſitione, quod præmoriente donatario res donata reuertatur ad donatorem non egreditur donatio limites donationis cauſa mortis, quandòquidem donatio inter viuos transfert dominium immediatè in donatarium, & vtique etiam irreuocabile, quantumvis præceſſerit mors ipſiuſmet donatarij, & manet ſimpliciter apud hæredes ipſius; donationes autem cauſa mortis, quantumvis factæ inter coniuges conſtante matrimonio tenent per ea, quæ ſupra latè commendauimus, ergo &c.

---

§. VIII.

An donatio facta per Socerum genero, aut nurui, confirmetur morte eiuſdem ſoceri.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis. 1.
Vnde deſumatur ratio dubitandi. 2.
Donatio facta cauſa mortis per ſocerum genero, vel nurui irrita eſt. 3.
Illa donatio facta per ſocerum genero, vel nurui confirmatur per mortem eius, qui repræſentat mortem donantis. 4.
Etiam ſi donans ſuperſtes ſit. 5.

DISQVISITIO VIII. Contracto matrimonio inter Octauium, & Calidoniam, eoque forte conſummato Titius Pater eiuſdem Octauij contulit titulo donationis cauſa mortis Calidoniæ dona plura pretio æſtimabilia, & deinde idem Titius Socer præmortuus eſt. Quæſitum hic fuit, an illa donatio per mortem eiuſdem Soceri abſolutè confirmetur, adeò vt abſolutè per illam reddatur irreuocabilis? 1 Factum in ſuis terminis.

Occaſionem tribuit huic quæſito textus *in l. mortis 54. in princip. ff. de donat. inter vir. & vxor.*, vbi deciditur, donationem Soceri cauſa mortis factam genero, vel nurui irritam eſſe, quia mortuo eodem Socero adhuc perſiſtit matrimonium inter coniugem donatarium, & filium, ſeu filiam donatoris; ex quo textu videtur induci, vel illam donationem non eſſe cauſa mortis, cum non confirmetur morte donantis, vel donationem inter coniuges ſubſiſtere, & firmari conſtante adhuc matrimonio. Pro quo recole ea, quæ ſupra *ſub hoc eodem titulo Contractus XV. de Matrimon. V. Prænot. I. aſſert. 7. diximus*, ſcilicet donationes factas per Socerum patrem mariti nurui, vel è contrà per So- 2 Vnde deſumatur ratio dubitandi.

Socerum Patrem vxoris genero reuocabilem eſse, & non tenere eo, quia in ea hypotheſi factum Patris cenſetur factum filij: ex quo videtur ſequi, quod, ſi donationes inter ipſos coniuges firmantur morte donantis, etiam donationes factæ per ſocerum genero, vel nurui morte eiuſdem ſoceri firmentur.

3 Reſpondeo primò, donatio cauſa mortis facta per Socerum genero, vel Nurui omninò irrita eſt, *Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 10. nu. 1. verſ. quod ſi quis obijciat.* Expreſsè colligitur *ex d. l. mortis* 4. *in princip. ff. de donat. inter vir & vxor.* Ratio reſponſionis, & textus colligitur ex eo quod ſubdit idem textus; ſocer enim reputatur eadem perſona cum filia, vel filio, cui gener, vel nurus nupſit, ſicque donatio per ipſum facta, vel genero, vel nurui reputatur facta, vel à marito, vel vxore, quorum ipſe eſt Pater; cumque donatio cauſa mortis confirmetur morte donantis, vtique intelligetur confirmata per mortem ſoceri donantis, ſicque donatio inter coniuges facta irreuocabiliter teneret conſtante etiam matrimonio, quod eſt contra ſuperius dicta; atque ob hanc rationem deciditur, & meritò in allegato textu illam donationem cauſa mortis à ſocero non tenere.

Donatio facta cauſa mortis per ſocerũ genero, vel nurui non tenet.

4 Reſpondeo ſecundò, illa donatio cauſa mortis facta à Socero, vel Genero, vel Nurui, vtique redditur irreuocabilis per mortem mariti, ſi vxor fuerit donataria Soceri patris eiuſdem mariti, vel per mortem vxoris, ſi maritus fuerit donatarius ſoceri Patris eiuſdem vxoris. Ab hac reſponſione arbitror, non diſſentire *Sanchez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia factum Patris ſupponitur factum filij, & ex alio capite in hac ſuppoſitione non ſequiritur illud abſurdum contra diſpoſitionem iuris, quod conſtante matrimonio donatio inter coniuges teneat, & ſit irreuocabilis, quandòquidem per obitum alterius coniugis, cuius Socer eſt Pater, matrimonium ipſum diſſoluitur, ergo tanquã donatio inter coniuges intercedẽte morte filiæ, vel filij donatoris intelligenda eſt abſolutè confirmata, & irreuocabilis.

Confirmatur per mortem eius, qui repreſẽtat perſonam donantis.

5 Hic oritur ſolummodò difficultas, an interueniente morte coniugis, cuius ſocer donator eſt Pater, & ſuperſtite eodem Patre, qui eſt ſocer coniugis donatarij, poſſit idem Socer donationem factam Genero, vel nurui reuocare. Probabilius ſentio, non poſſe reuocare, quia ipſa donatio in ea hypotheſi intelligitur completa, confirmata, & conſummata per mortem coniugis, cuius intuitu facta eſt illa donatio, quandòquidem donatio concipitur facta contemplatione ipſius, & per ipſum quodamodò translata in coniugem donatariam, ergo per mortem ipſius intelligitur completa in fauorem ipſius vxoris donatariæ, adeòque erit irreuocabilis.

Etiam ſi donans ſuperſtes ſit.

Solum hic aduertendum eſt, quod illa dona, quæ fuerunt à ſocero collata Genero, vel Nurui, cum intelligantur collata contemplatione filij, vel filiæ, qui, vel quæ nupſit Genero, vel nurui, intelligantur, ſeu præſumantur acquiſita filio, ſeu filiæ per ea, quæ diximus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalibus §. pranot. 12. num. 2.*, & per conſequens reſtituenda ſint hæredibus filij, vel filiæ, cuius ſocer eſt Pater per tradita *per Baldum in l. penult. §. ſeruos ff. ſolut. matrim. Bartolus in l. ex annuo ff. de donat. inter vir & vxor. Romanus conſ. 172. n. 1. Alexander in l. is qui quadringenta §. dos legata nu. 3. ff. ad leg. falc. Cagnolus in l. contractus n. 44. cum ſeqq. ff. de reg. iur.* Quidquid tamen ſit de donis collatis per conſanguineos mariti vxori, vel per conſanguineos vxoris marito, quando non conſtat eſſe donatio animo, vt transferatur pleno iure in vxorem, vel maritum comparatiuè, ſpecialis videtur militare ratio de donatis per ſocerum Genero, vel nurui; quandòquidem hæc accipiuntur, ac ſi eſſent ſingulariter donata per maritum vxori, vel per vxorem marito, & proptereà eodem iure videntur regulanda, adeò vt, ſi donata immediatè per maritum confirmantur morte eiuſdem, ità donata per ſocerum patrem mariti morte eiuſdem mariti teneantur confirmata.

Conſiderabile circa dicta.

---

§. IX.

An valeat donatio, quã coniuges ſibi mutuo donant ea lege, vt ſuperſtes ad alterius obitum eius bonis fruatur, donec vixerit.

S V M M A R I V M.

Factum in ſuis terminis. 1.

Talis mutua conuentio inter coniuges irreuocabiliter tenet. 2.

Quantumuis ſit in præiudicium aſcendentium. 3.

Etiam extante ſtatuto ſtatuente, ne fiant donationes cauſa mortis in præiudicium aſcendentium. 4.

Ad valorem huius donationis reciproca non requiritur actualis traditio. 5.

1 DISQVISITIO IX. Contraxerunt adinuicem matrimonium, illudque conſummarunt Titius, & Caia; poſtea conſtante eodem matrimonio conuenerunt ad inuicem, vt qui ex ipſis ſuperſtes fuerit ad alterum fruatur bonis præ-

Exponitur facti ſeries.

de-

Digitized by Google

defuncti, quouſque vixerit. Hic orta fuit controuerſia, an huiuſmodi mutua conuentio irreuocabiliter teneat, adeò vt ſuperſtes licitè durante ipſius vita gaudere poſſit bonis coniugis prædefuncti. Hæc controuerſia ſic nude excitata poteſt etiã examinari in ſuppoſitione, qua tale gaudimentum foret in præiuditium aſcendentium, vel deſcendentium. Ruſſus etiam in ſuppoſitione, qua aliquo iure municipali cautum eſſet, ne poſſet deſcendens in præiudicium aſcendentium diſponere, niſi de determinata bonorum ſuorum parte per donationem cauſa mortis, quod idem intellige, quandò ſtatutum caueret, ne quis per donationem cauſa mortis diſponeret, niſi de tertia parte in præiudicium aſcendentium, vel deſcendentium.

2 Talis mutua cõuentio irreuocabiliter tenet.

Reſpondeo primò, talis mutua conuentio, ſeu reciproca donatio inter coniuges etiam conſtante matrimonio irreuocabiliter tenet. *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 10. num. 12 Antonius Gomez l. 52. Tauri nu. 66. verſ. ſecundus eſt, Gutierez de iuramcut. prima par. c. 3. nu. 26. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 10. num. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia talis donatio reciproca, ſeu mutua conuentio habet omnes conditiones requiſitas ad veram donationem cauſa mortis, ſed donationes cauſa mortis inter coniuges tenent, ergo &c. Maior probatur, tum quia quoad effectum talis donatio non accipit vim, niſi intercedente morte alterius; tum quia refertur propriè ad mortem, tum quia mutuo conſenſu ante mortem reuocabilis eſt, ergo &c. Confirmatur, quia donationes mutuæ, cum ſint remuneratoriæ, abſolutè tenent per ea, quæ ſupra probauimus; hæc autem eſt mutua, adeòque &c. Confirmatur ſecundò, quia hæc non eſt ſimplex donatio gratuita, cum ſit cum retributione.

3 Quantumuis ſit in præiuditiũ aſcendentium.

Reſpondeo ſecundò, ea donatio reciproca, ſeu mutua conuentio tenet, quantumvis ſit in præiudicium aſcendentium. Ita DD. omnes præallegati pro prima reſponſione. Ratio ex eo deducitur, quia legitima debita aſcendentibus intelligitur de bonis, quæ remanent ex bonis prædefuncti, quæ non ſint debita, ſed omninò libera eidem prædefuncto, ſed, quandò donatio, ſeu conuentio eſt reciproca, bona prædefuncti ſunt alteri coniugi debita, nec omninò libera prædefuncto, ergo de ipſis non debetur legitima, niſi quatenus fuerint ab onere ſoluta, quo premuntur, & ſic, niſi quatenus coniux ſuperſtes vixerit.

4 Etiam extante Statuto cauẽte, ne ſiant donationes cauſa mortis in præiudiciũ aſcendentium.

Reſpondeo tertiò, etiam extante Statuto cauente, ne quis per donationem cauſa mortis poſſit diſponere in præiudicium aſcendentium, vel deſcendentium, niſi de certa, & determinata portione bonorum ſuorum talis mutua donatio, ſeù reciproca conuentio abſolutè tenet. Conſentiunt præallegati DD. Ratio ex eo deducitur, quia ius illud municipale ſic præcauens eſt correctorium iuris communis, adeòque ſtrictiſſimè interpretandum, ergo quantumvis diſponat, donatione cauſa mortis poſſe diſponere in præiudicium aſcendentium vltrà talem determinatam bonorum ſuorum partem, talis diſpoſitio non erit referenda ad donationem reciprocam, quæ potius habet rationem compenſationis, & remunerationis, ſed tantum ad donationem, quæ procedit ex mera liberalitate.

5 Nõ requiritur actualis traditio.

Hic ſolum remanet dubitandum, an ad valorem huius donationis reciprocæ cauſa mortis inter coniuges requiratur traditio? Affirmant *Silueſter verb. donatio 2. q. 4. Armilla verb. donatio n. 27. Coaruuias rub. de teſtam. 3. part. nu. 2. Manuel primo tom. ſumma c. 92. n. 1.*, qui forte procedunt deſumpto fundamento à cæteris donationibus. Negant alij, & certè probabilius, quia nullibi in iure reperitur diſpoſitum, quod requiratur talis traditio; tum quia, huiuſmodi donatio debetur, tanquam legatum, ſeu adinſtar legati; legatum autẽ acquiritur etiam ſine traditione, prout communiter docent DD. *Baldus in l. ſed & ſi mortis C. ad leg. falcid. Ripa l. 2. C. de legat. 1. Acoſta cap. ſi Pater de teſtam in 6. prima pars. verb. legauit n. 2. Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 188. verſ. dubium eſt.*

---

§. X.

An donatio cauſa mortis inter coniuges eueniente morte donatoris retrotrahatur ad tempus, pro quo facta eſt.

SVMMARIVM.

Factum exponitur in ſuis terminis. 1.

Si res non fuerit tradita, nec retrotrahitur quoad dominium, nec quoad fructus, ſi vero fuerit tradita, retrotrahitur quoad fructus, non quoad dominium. 2.

1 Factum tale.

DISQVISITIO X. Seius conſtante matrimonio, quod per verba de præſenti iniuit cum Calidonia, donationem eidem fecit cauſa mortis de pluribus bonis, quæ fortè etiam eidem contulit. Donatio hæc fuit completa, & conſummata interueniente morte eiuſdem Seij. Quæſitum fuit, an illa donatio conſolidata per mortem eiuſdem Seij intelligatur retrotrahi ad tempus, quo conſtituta eſt, an verò incipiat dumtaxat vim habere à die obitus donatoris, adeò vt dominium, ple-

plenum fictione iuris intelligatur ineſſe eidem vxori à tempore initæ donationis, an verò tantum incipiat à die mortis.

A quo deſumatur ratio dubitandi. Tota ratio dubitandi deſumitur à textu *in l. ſi mortis cauſa inter virum ff. de donat. cauſa mort.*, vbi ſic legitur *Mortis cauſa, ſi inter virum, & vxorem donatio facta ſit, morte ſecuta reducitur ad hoc tempus donatio, quo interpoſita fuit*, quem textum diuerſimodè explicant DD. Nonnulli arbitrantur, intelligi dumtaxat, quando interueniat pactum irreuocabilitatis, quia tunc iuxtà ſuperius dicta illa donatio tranſit in donationem inter viuos, atque ad hoc probandum adducunt textum *in l. ſed interim 12. in princip. ff. de donat. inter vir. & vxor.*, vbi ſic legitur. *Sed interim non ſiunt ſtatim res eius, cui donata ſunt, ſed tunc demum, cum mors inſecuta eſt: medio igitur tempore dominium apud eum remanet, qui donauit.* Alij aſſerunt textum, verificari quoad retrotractionem quoad fructus, non quoad dominium, atque ſic intelligunt *Coaruuias rub. de teſtament. part. 3. n. 5 Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 288. verſ. donatio cauſa mortis.* Quid ergo ſentiendum?

2 Quando nã, & quomodo retrotrahatur. Reſpondeo, cum diſtinctione, vel etenim res donata tradita fuit donatariæ, vel non tradita; ſi non fuerit tradita, donatio non retrotrahitur, nec quoad fructus, nec quoad dominium; in hoc locum habet textus *in d. l. ſed interim 12. in princip. ff. de donat. inter vir. & vxor.*; ſi vero fuerit tradita, retrotrahitur quoad fructus perceptos, non vero quoad dominium. Conſonat cum ijs, quæ ſuperius dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrim. V. pranot. 16. aſſert. 2.*, & in hoc conſentiunt *Coaruuias, & Molina loc. cit.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia nullus eſt aſſignabilis titulus, ratione cuius dominium, & fructus rei donatæ debeant ab initio donationis fieri vxoris donatariæ; non titulus donationis, quia hæc inter coniuges conſtante matrimonio non tenet, non ratione poſſeſſionis, quia, cum res donata non intelligatur tradita, non poteſt eſſe quoad poſſeſſionem pænes donatariam.

Rationes ſuadentes reſponsũ. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia dominium per donationem non poteſt eſſe translatum conſtante matrimonio inter coniuges, ex alia parte, ex quo res donata tradita eſt donatario, illius poſſeſſionem hic aſſecutus eſt; fructus autem ſequuntur poſſeſſionem rei; atque iuxtà hunc ſenſum intelligendus eſt textus *in d. l. ſi mortis cauſa inter virum ff. de donat. cauſa mortis.*

---

§. XI.

An teneat donatio, ſi vir donet vxori quid annuum ad alimenta.

SVMMARIVM.

Factum tale, & articuli circa ipſum examinandi. 1.

Talis donatio ex genere ſuo tenet. 2.

An illud annuum teneat ſolum in vita mariti, an etiam poſt decidatur. 3.

Tenet donatio, ſiue dos fuerit conſtituta marito ab vxore, ſiue non. 4.

Conſtituta dote, ſi donatio pro alimentis fuerit excedens, non tenet quoad exceſſum. 5.

Nulla conſtituta dote illud annuum taxandum eſt iuxtà ſtatum mariti. 6.

Illud annuum protrahendũ eſt, quouſque vxor aliunde habeat, quo viuere poſſit. 7.

Illud annuum firmatur per mortem mariti quamvis non ſit traditum, ſed dumtaxat promiſſum. 8.

DISQVISITIO XI. Contracto matrimonio inter Sempronium, & Calidoniam, & per eandem Calidoniam conſtituta, vel forte etiam non conſtituta dote Sempronius conſtante matrimonio quid annuum donauit Calidoniæ pro alimentis eidem debitis per eundem maritum. Quæſitum hic fuit, an talis donatio teneat, & ſit irreuocabilis. 1 Facti ſeries.

Circa hunc titulum plures emanant articuli examinandi; Primus eſt ſimpliciter, an talis donatio teneat. Secundus, an teneat, ſiue dos ſit conſtituta per eandem Calidoniam Sempronio, ſiue non ſit conſtituta. Tertius in ſuppoſitione, quod dos fuerit conſtituta, an teneat talis donatio, quantumvis excederet fructus dotis. Quartus in ſuppoſitione, qua nulla dos conſtituta eſſet adhoc, vt teneat donatio, quomodò regulanda ſit donatio, vt dignoſcatur, an excedat, vel non excedat, & in qua parte tunc exceſſus habeatur irritus. Quintus, an ad hoc, vt valeat talis donatio quoad illud annuum requiratur, vt illud ſit traditum, an ſufficiat, quod fuerit promiſſum. Sextus, ſi illud fuerit tantum promiſſum, an confirmetur morte donatoris. Articuli examinandi.

Reſpondeo primò, vtique talis donatio ſecundum ſe, & ex genere ſuo tenet. *Silueſter verb. donatio 2. q. 3. Armilla verb. donatio 26. Nauarrus in ſumma c. 18. nu. 149. Tabiena verb. donatio 3 q. 2. n 3. Ludouicus Lopez lib. 2. de contract. c 47. caſ. 8., & alij magis communiter.* Expreſse colligitur ex textu *in l. ex anno 16 ff. de donat. inter vir. & vxor.*, nec difficilis eſt ratio, quandoquidem 2 Talis donatio ex genere ſuo tenet.

Digitized by Google

dem alimenta ſunt debita per virum vxori conſtante matrimonio, ſicque illa donatio eſt ex genere ſuo compenſatoria, adeòque non eſt ſimplex donatio, ſed contractus permutationis, quo illa alimenta permutantur in illud annuum, quouſque vixerit &c.

Sed hic oritur immediatè difficultas, an illud annuum ſic donatum pro alimentis per virum vxori teneat dumtaxat pro tempore, pro quo vir donator viuit, an etiam eo prædefuncto ſuperſtite vxore donataria. Ex terminis, quibus concepta

3 An illud annuũ teneat ſolum in vita mariti, an etiã poſt.

eſt ipſa donatio, dirimenda eſt præſens difficultas, vel etenim facta eſt præciſè pro onere alimentorum alio non addito, vel facta eſt pro alimentis addita etiam expreſſione donationis cauſa mortis, vel aliquo alio addito, quod inferat mentem donatoris pro extenſione vſque ad obitum vxoris donatariæ; Sumpta donatione iuxtà primum ſenſum ſentio abſolutè eo vſque tantum tenere illam donationem, quouſque eidem debentur alimenta a marito, vel ab hæredibus ipſius; nec difficilis eſt ratio huius noſtræ opinionis, quandòquidem, quod ſubrogatur loco alterius non extenditur vltrà illud, ad quod ſubrogatur, & cum ſubrogetur pro alimentis, eo vſque illa donatio dumtaxat debebitur, quo debentur eadem alimenta. Hinc in particulari deduces, quod cum diſſoluto matrimonio, & reſtituta dote ceſſet in vxore ſuperſtite ius ad alimenta præſtanda ab hæredibus mariti, ceſſare etiam debeat ius ad illam annuam donationem. Secundò, quod vbi ſtatuto, ſeu iure municipali cautum eſt, quod vxor per annum luctus ſit alenda ex bonis mariti prædefuncti, poſſit merito per illum annum exigere illam donationem annuam loco eorundem alimentorum. Sumpta vero donatione iuxtà ſecundum ſenſum ſentio donationem illam extendi vſque ad obitum ipſius vxoris. Ratio eſt, quia ſi perſeueraret donatio vſque ad obitum dumtaxat viri, fruſtra eſſet addita clauſula donationis cauſa mortis, quandòquidem donatio cauſa mortis ſubſiſtit tantum quoad effectum poſt mortem donatoris, ergo, ſi per mortem donatoris deſineret, fruſtra fuiſſet addita illa clauſula; quod idem intellige quandò quid aliud eſſet additum, quod importaret extenſionem vltra mortem eiuſdem donatoris.

4 Siue dos fuerit ab vxore conſtituta marito, ſiue non, tenet donatio.

Reſpondeo ſecundò, præfata donatio facta à marito vxori conſtante matrimonio pro alimentis tenet, ſiue per eandem vxorem fuerit eidem marito dos conſtituta, ſiue non fuerit conſtituta. In hanc aſſertionem propendere exiſtimo quot quot ſuſtinent præcedentem reſponſionem; & quidem quandò dos conſtituta fuit per vxorem, non eſt dubitandum, quandòquidem tunc omni iure tenetur maritus vxori alimenta tribuere, ſicque poteſt aliquid ſubſtituere loco alimentorum. Probatur iam reſponſio, quandò vxor nullam dotem conſtituit, quia etiam ex quo eam duxit, tenetur alimenta ſubminiſtrare eidem vxori, & poteſt ad ea ſubminiſtranda officio Iudicis compelli, ergo loco ipſorum poteſt quid annuum ſubſtituere, quandòquidem, quandò quid eſt debitum parum referre poteſt, quod vno, vel altero modo contribuatur.

Reſpondeo tertiò, ſi per vxorem dos marito fuerit conſtituta, donatio pro alimentis, ſi fuerit excedens fructus dotis, & ſtatum eorundem coniugatorum, abſolutè non tenet quoad exceſſum *Tabiena verb. donatio 3. q.2. nu. 3. Ludouicus Lopez lib.2. de contract. c. 47. caſ. 8. Barboſa l. qua dotis 34. num. 69. ff. ſolut. matrim. Nauarrus in ſumma c.18. num.149.* Dixi copulatiuè, *ſi fuerit excedens fructus dotis, & ſtatum coniugatorum*, quandòquidem, ſi excederet tantum fructus dotis, non tamen ſtatum, & conditionem coniugatorum, vtique non eſſet inficienda etiam quoad exceſſum quoad fructus dotis; & quidem congrua ratione hoc ſtatuitur, quandòquidem maritus tenetur erogare alimenta propriæ vxori iuxtà decentiã proprij ſtatus; contingere autem poteſt, quod fructus dotis non ſint correſpondentes propter exiguitatem eiuſdem dotis alimentis debitis iuxtà exigentiam ſtatus ipſorum coniugatorum, & ſicuti ex ſuperius dictis, quandò nulla dos per vxorem conſtituta eſt marito, tenetur ipſe maritus iuxtà exigentiam, & decentiam proprij ſtatus eandem vxorem alere, & poteſt pro alimentis quid annuum validè aſſignare, ità quandò dos quidem conſtituta eſt, ſed exigua, & non ſufficiens tot fructus dare, quot ſufficiant ad alimenta congrua, tenebitur ſupplere defectum fructuum eiuſdẽ dotis vſque ad complementum congruorum alimentorum; eadem enim eſt ratio ſeruata proportione quoad totum, quandò nulla dos conſtituta eſt, ac quoad partem, quandò dos modica conſtituta eſt.

5 Si dos fuerit conſtituta, & donatio pro alimentis fuerit excedens nõ tenet quoad exceſſum.

Probatur iam reſponſio, quia exceſſus ille annui redditus ſupra fructus dotis, & congruum ſtatum coniugatorum non poteſt habere rationem, niſi ſimplicis donationis, quandòquidem non correſpondet alicui oneri, nec poteſt habere rationem compenſationis; ſed ſimplex donatio per allegata ſuperius iura inter coniuges conſtante matrimonio nullius roboris eſt, ergo &c. Confirmatur ex ſuperius dictis, quia donationes remuneratoriæ, ſi ſint excedentes in ea parte, qua excedunt, ſunt ſimplices, & vtique irritæ per textum *in c. relatum el 2. de teſtament.*

Rationes ſuadentes reſpõſum.

Ale-

Digitized by Google

Alexander de Neuo c. fin. n. 7. de donat. inter vir. & vxor. Tiraquel in l. ſi vnquam verb. donatione largitus n. 79. & ſeqq. C. de reuoc. donat. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 32. n. 9. ergo etiam donationes ex cauſa, quæ eandem cauſam exceſſerint in ea parte, in qua excedunt, erunt irritæ.

Intellige dummodò ille exceſſus ſit cōſiderabilis.

Hæc tamen, quæ dicuntur in hac reſponſione quoad illud exceſſum, intelligenda ſunt, quandò ille exceſſus eſſet conſiderabilis, & immodicus, prout notat *Barboſa in l. qua dotis 34. num. 66. ff. ſolut. matrimon.*, ſi enim eſſet modicus, & non conſiderabilis maximè, vbi agitur inter coniuges, pro nihilo eſſet reputandus, adeòque in rigore quoad ipſum non eſſet locus reuocationi.

6

Quandò nulla dos conſtituta eſt, illud annuū, ne excedat, taxãdum eſt iuxta ſtatū mariti.

Reſpondeo quartò, quandò nulla dos per vxorem conſtituta eſt marito, ad taxandum illud annuum aſſignantum vxori per maritum pro alimentis, ne excedat, habenda eſt ratio ad ſtatum coniugatorum ipſorum, ſeu potius mariti aſſignantis. Ratio eſt, quia non obſtante, quod vxor nullam dotem conſtituerit marito, debentur per eundem maritum eidem vxori congrua alimenta iuxtà conditionem, & ſtatum eiuſdem mariti, vt eſt in confeſſo apud omnes ſcribentes, ergo illud, quod aſſignatur annuum pro eiſdem alimentis, ſi excedens ſit, vel deficiens debet taxari ad normam eorundem alimentorum, quandòquidem, quod ſubrogatur pro alio ſapit naturam, & conditiones illius, cui ſubrogatur, & cum ſuppleat defectum ipſius, debet eſſe in ea quantitate, in qua eſſet illud, ſi adeſſet, & non deficeret.

Sed hic immediatè oritur difficultas, an in hac ſuppoſitione, qua vxor nullam dotem conſtituerit marito, nihilque aliunde haberet, quo congruè viueret, illud annuum aſſignatum eidem per maritum pro alimentis, eſſet protrahendum poſt obitum eiuſdem mariti vſque ad obitum ipſiuſmet vxoris. Ratio dubitandi ab eo deſumitur, quod communius tradunt DD., vxorem, quæ nupſit indotata, & poſt obitum mariti non haberet, quo commode, & congruè poſſet viuere, alendam eſſe ex bonis eiuſdem mariti, ne cum dedecore eiuſdem mariti, cuius fuit coniux, teneatur vitam turpem ducere, & oſtiatim emendicare *Innocentius c. per veſtras ad fin. de donat. inter vir., & vxor. Riminaldus conſ. 133. nu. 43. & ſeqq. Baeza de non melior. fil. c. 5. num. 2. Ludouic. Lopez 1. part. inſtruct. in 2. edit. c. 294. §. ſequitur, & alia quæſtio*, qui quamvis videantur dumtaxat loqui, quandò conſtat adhuc matrimonium, & non eſt diſſolutum per obitum eiuſdem mariti, trahendi tamen ſunt etiam, quandò matrimonium ipſum diſſolutum eſt, & vxor vidua non habet aliunde, quo poſſit viuere; cum maximè dedecens ſit, vt ipſa, quæ fuit ſocia, teneatur turpem vitam ducere, & oſtiatim mendicare, quod eſt id, quod conſiderant iura, & DD. dum cogunt maritum ad alendam vxorem indotatam; cæterum, quod hæredes mariti etiam poſt obitum ipſius teneantur alere vxorem indotatam, quæ aliundè non habeat, vnde viuat ſtatuunt iura municipalia *Mediol. in c. 312.* & lata *Carpanus ibi*; Sentio igitur in hac difficultate, vel hæredes mariti teneri eam alere cōgruenter, vſquequo habeat aliundè, quo commode poſſit viuere, vel illud annuum durare, vſquequo aliundè acquirat, quo viuat. Ratio ex eo deſumitur, quia illa aſſignatio pro alimentis ſuccedit loco alimentorum, ſed alimenta adhuc in ea hypotheſi debentur mortuo etiam marito, ergo, & illa aſſignatio.

7

Illud annuum protrahendum eſt vſquequo vxor aliunde habeat, quo viuere poſſit.

Reſpondeo quintò, ſi illud annuum traditum non fuerit, ſed tantum promiſſum, probabile eſt illud non tenere, niſi intercedente morte maritì aſſignatoris illius: Conſentiunt in hoc *Barboſa in l. qua dotis 34. num 67. ff. ſolut. matrimonio, Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 3. num 12. verſ. & idem Barboſa.* Verum tamen eſt, quod in hac hypotheſi interim eſſent per maritum eroganda vxori aſſignatariæ alimenta, quandòquidem conſtante matrimonio alimenta, vel æquipollens ſunt eroganda per maritum vxori. Ratio autem, cur non teneat illud annuum, quandò traditum non eſt, ſed tantum promiſſum ex eo deducitur, quia illa aſſignatio computatur inter cæteras donationes, quæ non firmantur, niſi intercedente morte donatoris. Non negauerim tamen longe probabilius eſſe talem aſſignationem ipſo iure tenere; quia non eſt mere donatio, ſed computatio, ſeu debitum ex cauſa.

8

Firmaretur morte mariti, quãvis non eſſet traditum, ſed tãtum promiſſū.

Reſpondeo ſextò, in ſuppoſitione, qua tale annuum aſſignatum per maritum pro alimentis non firmaretur, niſi intercedente morte donatoris, adhuc morte eiuſdem firmaretur, quantumvis illud annuum non eſſet traditum, ſed tantum promiſſum. *Sanchez de matrimonio lib. 6. dict. diſp. 3. n. 12. in fine.* Ratio ex eò deducitur, quia quantumvis cæteræ ſimplices donationes per ſuperius latè probata non firmentur morte teſtatoris, niſi fuerint cum actuali traditione, non tamen hoc requiritur, quandò id, quod diſpoſitum eſt, non eſt mera donatio, ſed debitum per modum compenſationis alicuius debiti, vt euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam ſuccedit loco alimentorum debitorum.

Digitized by Google

§. XII.

An pactum, quod fructus dotis tranſeant in augmentum dotis non obſtante, quod alimenta per maritum erogentur vxori, teneat.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens, quod quandò uxor ſe ipſam alit, teneat illud pactum. 2.
Ante contractum matrimonium pactum, quod fructus dotis tranſeant in augmentum dotis, & maritus alat vxorem, tenet. 3.
Sed tunc dos non ſubſiſteret in ratione dotis. 4.
Poſt contractum matrimonium pactum illud non tenet. 5.

1 **Status cōtrouerſiæ expoſitus.**

DISQVISITIO XII. Aſſignauerat Caia titulo dotis Sempronio marito ſuo duodecim mille libras Imperiales, & vel antecedenter ad matrimonium, vel ſubſequenter ad illud, pactum adiecit, vt fructus annui eiuſdem dotis tranſirent in augmentum eiuſdem dotis, & interim maritus teneretur alimenta congrua erogare eidem Caiæ vxori ſuæ. Quæſitum hic fuit, an illud pactum cum illa conditione ſubſiſteret.

A quo deſumatur ratio dubitandi.

Ratio dubitandi, quandò illud pactum adiectum eſt antecedenter ad contractum matrimonij, ex eo deſumitur, quod antecedenter ad matrimonium maritus ipſe per ſuperius probata poteſt dotem conſtituere vxori, ergo non eſt, cur antecedenter ad ipſum non poſſit conuenire, quod fructus dotis conſtitutæ per vxorem cedant in fauorem eiuſdem in augmentum ipſius dotis non obſtante quod maritus erogare debeat alimenta eidem vxori; ſi enim poteſt ex ſuo dotem integram conſtituere, cur non poterit ex fructibus dotis per eandem vxorem aſſignatæ conſtituere augmentum ipſius met dotis? Confirmatur, quia poteſt maritus vxorem ducere nulla facta promiſſione, ſeù ſtipulatione dotis, ergo etiam poteſt ducere facta conuentione de non acquirendis fructibus eiuſdem dotis conſtitutæ.

2 **Quandò vxor ſe ipſā alit, tenet illud pactum.**

Subſiſtere, & tenere pactum, quo fit conuentio, vt vxor ſe ipſam alat, & percipiat fructus dotis, vel quod ijdem fructus conuertantur in dotem, ipſamque augeant continuè expreſſe quoad primam partem tradunt *Baldus Nouellus de dote part.2. nu. 12. Surdus de aliment. tit. 7. q. 18. n. 7.*, & alij *apud Ioannem Angelum Boſſium tract. de dote c. 1 nu 94.*, & expreſsè colligitur *ex l ſi quis pro vxore ſua ff. de donat. inter vir. & vxor*; quoad ſecundam verò partem idem *Baldus Nouellus loc. citato, Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 2. q. 41. num. 1 & 4 Petrus Barboſa in rub. ff. ſolut. matrim part. 4. n. 12.*, & expreſsè colligitur *ex l ſi conuenerit 4. in fin. ff. de pact. dotal.*, vbi ſic legitur: *Et quid dicemus, ſi pactum conuentum interuenit, vt maritus fructus in dotem conuerteret, & mulier ſe, ſuoſque aleret, tueretur ve, & vniuerſa onerosa ſua expediret, quare non dicas conuentionem valere.* Quod pactum ſubſiſtere docent *Surdus de alimentis tit. 7. q. 18. nu. 9. & Petrus Barboſa loc. cit.* non ſolum, ſi fuerit initum ante matrimonium; ante quod ſponſus, & ſponſa poſſunt ſibi inuicem donare per textum *in l. 1., & l. cum in re C. de donat. ante nuptias*, ſed etiam poſt contractum matrimonium, cùm tale pactum non ſit gratuitum, ſed onerosum, & importet donationem reciprocam, quæ inter coniuges permiſſa eſt *l ſi ſponſus § ſi maritus, & §. ſi quis rogatus ff. de donat. inter vir. & vxor.* Difficultas ſolummodò eſt, quandò pactum eſt de fructibus dotis implicandis in augmentum dotis cum onere reſpectu mariti alendi vxorem.

Reſpondeo primò, ante contractum matrimonium pactum, quod fructus dotis tranſeant continuè in augmentum dotis, & interim maritus teneatur alere vxorem, tenet; ſed tunc non ſubſiſtit ratio dotis. Rationes adductæ in ratione dubitandi hanc reſponſionem quoad primam partem euidenter euincunt, nec donationes inter ſponſum, & ſponſam non adhuc conſtante matrimonio à iure interdicuntur per ſupra allegata iura, & præcipuè per textum *in l. 1. & l. cum in re C. de donat. ante nuptias.* Adde rationem, quia inire matrimonium cum pacto, vt nulla conſtituatur dos per coniuges, tenet, nec vlla conſurgit obligatio dotem conſtituendi, ergo etiam inire matrimonium cum pacto, vt nulli fructus dotis per maritum exigantur, ſed eidem doti accreſcant, tenebit, nec vlla conſurget obligatio fructus eoſdem contribuendi marito, quandòquidem tunc perinde eſſet, an, ſi nulla dos eſſet marito conſtituta. 3 **Ante contractū matrimonium illud pactum ſubſiſtit.**

Dixi, *ſed tunc non ſubſiſtit ratio dotis*, quandòquidem dos quotieſcunque conſtituitur ex ſua intrinſeca ratione ordinatur ad onera matrimonij ſuſtinenda *l. dotis fructus in princip. ff. de iure dot. l. pro oneribus C. eod. tit. l. ſi cum dotem §. ſin autem in ſeuiſſimo l. de diuiſione ff. ſolut. matrimon. l cum conuenerit, & l. cum Pater ff. de pact. dotal. & c. ſalubriter de vſuris, Mantica de tacit. & ambig lib. 12. tit. 3. nu. 3. Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 3. q. 41. Fontanella de pactis nupt. clauſ. 6. gloſ. 2. p. 2. Stephanus* [illegible] *Gra-* 4 **Sed non ſubſiſteret in ratione dotis.**

Digitized by Google

Gratianus diſcept. for. tom.2. c. 243. nu. 25.; vndè ceſſante illa ratione ordinationis ad onera matrimonij ſuſtinenda non poteſt in rigore ſubſiſtere ratio dotis.

Sed hic inquires, cur potius non irritetur huiuſmodi pactum remanente onere ſoluendi fructus dotis, tanquam ſi habeatur illud pactum pro non adiecto, quam irritetur ipſa dos in ratione dotis, & pactum illud tranſeat quodamodò in remiſſionem dotis; Reſpondeo ex eo prouenire, quia illud pactum abſolutè aduerſatur ſubſtantiæ dotis, adeòque illam irritat, non irritatur ipſum, ſed transfert ipſam dotem in remiſſionem fructuum eiuſdem dotis. Quod ſi dicas, quod hac ratione ſuperuacuè penitus eſſet illa dos conſtituta, quod non eſt aſſerendum, cum omnia, quæ in inſtrumentis apponuntur, debeant ſemper intelligi cum aliquo effectu; ſtatim impugnaberis, quia conſtitutio illius dotis, quæ tamen non eſſet talis, niſi denominatiuè ad eum effectum præcisè in ea hypotheſi debet intelligi conſtituta, vt ſit tanquam patrimonium eiuſdem vxoris, & quodamodò depoſitum ſub cuſtodia mariti, vt præmoriente ipſa vxore ius habeant filij, ſi ex illa fuerint progeniti, vt ſuam legitimam ſaltem in illis bonis acquirant.

Illud pactū aduerſatur ſubſtantię dotis.

5 Poſt contractū matrimonium pactū illud non tenet.

Reſpondeò ſecundò, poſt contractum matrimonium pactum illud, quod fructus dotis tranſeant continuo in augmentum dotis, & interim maritus teneatur alere vxorem, non tenet, nec in ratione dotis, nec in ratione donationis *Baldus Nouellus de dote part. 2. num. 12. in fine, & part. 7. priuileg 44. n 2. Antonius Hubertus de dotib. c. 1. n. 5. & ſeqq. Fontanella de pact. nupt. clauſ. 6. gloſ. 2. p. 2. Ioannes Angelus Boſſius de dote c. 1. num. 96.* Ratio primæ partis ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quia ſcilicet illud pactum aduerſatur ſubſtantiæ, & fini proprio contractus dotalis, qui eſt, vt inſeruiat ad ſuſtinenda onera matrimonij; verum tamen eſt, quod, cum illud pactum adijciatur poſt eandem dotem conſtitutam, quandòquidem ſupponitur prius dos ipſa collata, & matrimonium initum, & poſteà ex interuallo adiectum illud pactum, non poſſit iuri eiuſdem dotis officere, niſi eſſet cum remiſſione eiuſdem dotis, quod conſtante matrimonio non poteſt maritus præſtare, quia eſſet expreſſa donatio. Ratio ſecundæ partis ex eò deducitur, quod dicebamus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. V. prænot. 5. aſſert. 1.*, quod ſcilicet maritus non poſſit fructus dotis promiſſæ donare vxori *Fachineus in l. Iulianus ff de iur. dot. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 2. nu. 29.*, & clare colligitur *ex l. pro oneribus C. de iure dot.*, quæ, ſi verificantur, quandò dos promiſſa tantum eſt, verificari debent à fortiori quandò eadem tradita eſt, ſed per illud pactum poſt initum matrimonium, quod fructus dotis continuè cedant in augmentum eiuſdem dotis, & interim maritus teneatur alere vxorem, inducitur donatio eorundem fructuum dotis conſtante matrimonio, ergo &c. Vide, quæ plene diximus loc. cit.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

---

§. XIII.

An teneat pactum, vt ſocer, ſeu mulier promittens dotem teneatur alimenta præſtare ipſi vxori, donec dos ab ipſis detineatur, teneat.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum. 1.
Pactum illud ſubſiſtit, & licitum eſt. 2.
Non tamen ſubſiſteret quoad exceſſum. 3.

DISQVISITIO XIII. In celebratione contractus matrimonialis Caius pater Seiæ, vel eadem Seia conſtituit ſub promiſſione, ſeù ſtipulatione dotem octo mille librarum Imperialium Theodorico marito eiuſdem Seiæ eo adiecto pacto, vt, quouſque eadem dos permanſerit, vel apud eundem Caium Socerum, vel apud eandem Seiam vxorem teneatur eadem Caia ali, vel de bonis Caij, vel ex bonis proprijs ſine vllo onere alimentorum reſpectu Theodorici. Quæſitum fuit, an tale pactum ſubſiſteret. 1

Status cōtrouerſiæ expoſitus.

Reſpondeò, vtique tale pactum ſubſiſtere, & licitum eſſe *Campegius de dote part. 2. n. 1. verſ. aut facit pactum, Surdus de alimentis tit. 7. q. 18. n. 3 Antonius Hambertus de dotib. c. 1. nu. 5. Petrus Barboſa in rub. ff. ſolut. matrim. part. 4. n. 12. Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 1. n. 93.* Euincitur hæc reſponſio tum iuribus, tum rationibus; Iuribus quidem per textum *in l. vlti. ma in princip. de doli except. & in l penult. & vlt. ff. de in rem ver. & in l. ſi conuenerit 4. in fin. ff de pactis dot.* in quibus omnibus iuribus decernitur, quod teneat pactum, quod ſocer filiam alat, vel filia ſe ipſam, donec dos promiſſa genero perſoluatur. Rationibus primò, quia dos conſtituitur per ſuperius probata in ordine ad alendam vxorem, ſeù ad onera matrimonij ſuſtinenda, ergo onus illud alendæ vxoris ratione dotis reſpectu mariti poteſt licitè commutari cum onere reſpectu ſoceri, vel eiuſdem vxoris alendi ipſam, vel ſe ipſam, ſi dos genero non fuerit perſoluta. Conſequentia probatur, quia tunc actualis alimentatio, ſeù præſtatio alimentorum 2

Pactum illud ſubſiſtit, & licitum eſt.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

rum ſubrogatur pro fructibus eiuſdem dotis, & ſupplet effectum, ad quem requiruntur, ſeu aſſignantur huiuſmodi fructus, ergo non eſt, cur illud pactum, vt loco fructuum dotis ſuccedat in vxore, vel ſocero onus alendi eandem vxorem, non teneat. Secundò, quia nulla eſt repugnantia, quin fieri poſſit commutatio fructuum dotis cum alijs rebus adæquantibus ipſorum valorem, ergo nulla etiam erit repugnantia, quin fiat permutatio oneris ſoluendi fructus dotis cum onere, vt vxor alatur; vel ex bonis proprijs, vel ex bonis ſoceri. Tertiò ſpecialiter deducitur ex textu *in l. ſi conuenerit 4. in fin. ff. de pactis dotalibus*, vbi ſic legitur. *Et quid dicemus; ſi pactum conuentum interuenerit, vt maritus fructus in dotem conuerteret, & mulier ſe, ſuoſque aleret, & vniuerſa oneroſa ſua expediret, quare non dicas conuentionem valere.* Ex quibus verbis deduco, quod, ſi poteſt eſſe conuentio, quod maritus fructus dotis conuertat in dotem, & vxor teneatur ſe ipſam alere, cur non poteſt eſſe conuentio, quod vxor ipſa fructus dotis recipiat, eoſque vel in augmentum dotis conuertat, vel in aliud ſibi beneplacitum, & interim ſe ipſam proprijs impenſis alat?

Difficultas ſolummodò hic eſt, an, ſi fructus dotis excederent id, quod attenta conditione vtriuſque contrahentis importat conſueta, & congrua alimenta, ſubſiſteret illud pactum quoad exceſſum. Reſpondendum eſt abſolutè negatiuè, & in hanc reſponſionem arbitror conuenire, quot quot ſuſtinent donationes remuneratorias, & compenſatorias non ſubſiſtere quoad exceſſum, quos ſupra allegauimus. Ratio ex eo deducitur; quia ille exceſſus, cum non ſit ex cauſa alimentorum, non poteſt contineri, niſi in ratione ſimplicis donationis; ſed ſimplices donationes conſtante matrimonio inter coniuges non tenent per ſuperius allegata iura, ergo &c. Dixi *conſtante matrimonio*; nam antecedenter ad matrimonium, ſicuti maritus poteſt vxori dotem conſtituere ex ſuo, ità poteſt fructus dotis, vel in toto, vel in parte remittere, & ſicuti poteſt vxorem ducere indotatam, quantumvis hæc poſſit dotem conſtituere, cur non poterit etiam in parte remittere fructus eiuſdem dotis? Verum tamen eſt, quod, ſi in modico fructus dotis excederent alimenta, non eſſet curandum inter coniuges de modico illo exceſſu, adeòque & pactum illud conſiſteret.

3 **Non tamè ſubſiſteret quoad exceſſum.**

DISQVISITIONES II.

Ab octaua ad ceteras omnes de matrimonio V. prænotiones.

§. I.

An, ſi coniux leget coniugi, quæ prius ei donauerat, videatur à donatione receſſiſſe.

S V M M A R I V M.

Factum tale in ſuis terminis. 1.
Si fuerit præcisè ſub titulo legati intelligitur reuocata prior donatio. 2.
Argumenta contraria diſſoluta. 3.

DISQVISITIO I. Contracto matrimonio inter Seium, & Caiam idem Seius conſtante matrimonio donationes fecit Caiæ, quas forte eidem contulit. Ex interuallo idem Caius ſuum condidit vltimum teſtamentum, in quo bona, quæ contulerat Seiæ conſtante matrimonio, per legatum reliquit. Hic controuerſum fuit, an ratione illius legati cenſeatur Caius ab illa donatione receſſiſse, & hoc ad eum effectum, vt decernatur, an quoad fructus illa donatio intelligatur intercedente morte legantis, ſeù donantis retrotrahi. 1 **Facti ſeries expoſita.**

Donationes inter coniuges ante mortem donatoris poſſe reuocari latè probatum eſt in præcedentibus, & non ſolum per expreſſam, ſed etiam per tacitam reuocationem, vt allegatis exemplis demonſtratum eſt. Difficultas iam in præſenti in hoc conſiſtit, an per illud legatum factum de rebus donatis intelligatur donatio tacitè reuocata.

Sanchez *lib. 6. diſp. 15. num. 7. & ſeqq.* ex modo diſponendi, quo vtitur teſtator in ſuo vltimo teſtamento diuerſimodè rem dirimit; vel etenim vtitur verbis importantibus confirmationem donationis ſimpliciter, & tunc non cenſetur recedere à donatione præcedenti, ſed eam confirmare, prout habetur *in l. ex verbis C. de donat. inter vir. & vxor.*, vel vtitur verbis potius inducentibus legatum, & tunc videtur recedere à priori donatione per textum *in l. ſi quando ff. de legat. 1. & l. illud ff. de acquir. hæredit.* Nos ſiſtimus præcisè quandò id, quod fuerat donatum, relictum eſt in vltimo teſtamento ſub præciſo titulo legati.

Varij ſéſus Sanchez.

Res

2 Si fuerit relictũ ſub titulo legati reuocat priorẽ donationem.

Reſpondeo igitur, ſi fuerit præcisè relictum ſub titulo legati cenſeri reuocatam priorem donationem factam conſtante matrimonio. *Bartolus in l. ſi quando in initio num. 3. ff. de leg. 1. & ibi Paulus nu. 5. Ioannes Lupus rub. de donat. § 72. num 2. Sanchez de matrimonio lib. 6. diſp. 15. nu. 9.* Textus allegatus *in d. l. ſi quando ff de legat. 1.* hoc videtur expreſsè euincere, & vlterius ratione ſic euincitur, quia, ex quo tribuit expreſsè nouum titulum, videtur recedere à priori, maximè cum ſit in poteſtate ipſius recedere; ad quid enim ſtatuere, vt legatum, ſi voluiſſet ſubſiſtere in ratione prioris donationis? Deindè in dubio, an prior, an poſterior voluntas ſubſiſtat, poſterior ſemper eſt attendenda, quia poſteriora derogant prioribus, quandò eſt in poteſtate diſponentis derogandi, ſed vltima voluntas exprimit legatum, ergo ipſa debet præualere cum derogatione prioris.

Limitatio reſponſionis.

Limitarem tamen hanc reſponſionem in hypotheſi, qua legatum non eſſet conceptum ſub formalibus terminis, ſed ſub terminis indiferentibus, vel ad confirmandam donationem præactam, vel ad inducendum legatum; tunc enim potius præſumendum eſt pro cõfirmatione donationis; & ratio euidens eſt, quia non eſt præſumenda mutatio voluntatis, niſi illius fiat expreſſa derogatio, quia, quod ſemel placitum eſt, non eſt præſumendum diſplicere, niſi diſplicentia extrinſecùs exhibeatur; non exhibetur autem, quandò verba ſunt apta ad idem placitum confirmandum; & iuxtà hunc ſenſum intelligendus eſt textus *in d. l. ex verbis C. de donat. inter vir. & vxor.*

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in reſponſione, nonnulla militant argumenta à iuribus deducta, quæ nunc propono, & expendo; primum deſumitur *ex l. cum Pater §. pater filia ff de legat. 2.*, vbi dicitur, quod, ſi vir donauerit vxori ancillas, & poſteà eas legauerit eidem, partus earundem ancillarum viuente eodem marito fiant vxoris donatariæ; quod verum non eſſet, ſi illa donatio non ſubſiſteret in ratione donationis, ſed tantum in ratione legati, quandòquidem legatum tantum valet, & quoad dominium, & quoad fructus à morte legantis, nec retrotrahitur ad differentiam donationis, quæ quoad fructus retrotrahitur ad diem, qua conſtituta eſt eadem donatio, & tamen in hac hypotheſi teſtator diſponit in ſuo vltimo teſtamento ſub terminis formalibus legati. Secundum ex eo, quod tradit *Gregorius Lopez l. 4. verb. e la dieſſe tit. 11. parte 4.*, nempè virum legantem rem donatam non videri reuocare donationem, quod probat per textum *in d. l. cum Pater §. pater filia ff. de legat. 2.* Sed facilè occurrere poſſumus

3 Argumenta contraria diſſoluta.

his argumentis, & quidem ad primum dicendum eſt ea, quæ dicuntur *in d. l. cum Pater § pater filia* procedere ex ſpeciali iure, ſecundum quod proles quoad ſeruitutem ſequitur conditionem Matris, licet non quoad honores, & dignitates, ſecundum quæ ſequitur conditionem patris per ſuperius allegata iura, & rationes. Reſponderi poteſt etiam, & fortè melius cum *Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 15. n 9.*, quod quamvis intelligatur donatio per illud ſubſequens legatum reuocata, & quodamodò tranſijſſe in naturam legati, ex quo tamen legans non reuocauit fructus, videtur eoſdem remittere, ſeù remiſiſſe, præcipuè cum res donata ſupponatur tradita vxori donatariæ, & per conſequens in ipſam tranſlata poſſeſſio, fructus autem ſequuntur poſſeſſionem. Neque obeſſe poſſet, ſi aſſereretur, quod ſub legato minime includantur fructus viuo teſtatore percepti *l. quæſitum §. penult ff. de leg. 1.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem in hac hypotheſi non eſſent acquiſiti fructus ratione legati, ſed ratione prioris donationis ex præſumpta donatoris voluntate, quandòquidem, cum fructus illi intelligantur acquiſiti antecedenter ad mortem donatoris, & donator poſſeſſionem rei donatæ non reuocauerit, intelligitur etiam quoad fructus, qui poſſeſſionem ſequuntur, non reuocaſſe.

---

§. II.

An donatio inter coniuges ſicuti confirmatur iuramento, ita etiam firmetur homagio.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ, & quid ſit homagium. 1.
Doctores aſſerentes firmari homagio. 2.
Probabilius non firmantur homagio, ſicuti firmantur iuramento. 3.

DISQVISITIO II. In aliquibus regionibus inductum eſt, vt vbi regulariter per alios omnes actus firmantur iuramento, per nobiles firmentur homagio, quatenus iſti promittunt fidem, quæ nobilitatis iure, ac titulo paſſim contractibus accedit. Hoc ſuppoſito contracto matrimonio inter Titium & Caiam, eoque forte etiam conſummato Titius donationem fecit Caiæ coniugi ſuæ, eandemque firmauit homagio, hoc eſt fide, quæ titulo nobilitatis accedit contractibus, quod Hiſpani vulgò appellant *pleito omenaje*. Quæſitum hic fuit, an illa donatio muni- 1 Status cõtrouerſiæ, & quid ſit homagiũ.

Digitized by Google

ta homagio intelligatur abſolutè tenere, & fieri irreuocabilis, ſicuti ſi eſſet firmata iuramento.

2 Sententia aſſerẽs firmari homagio.

Firmari huiuſmodi homagio affirmant *Baldus conſ. 291. vol. 2. Peralta l. vnum ex familia in initio nu.23. ff. de leg. 2. Padilla in l. ſi quis maior num. 36. C. de tranſact.*, qui omnes ea ratione mouentur, quia homagium æquiualet iuramento, & in nobilibus ipſum conſtituitur loco iuramenti. His tamen non obſtantibus

3 Probabilius nõ firmantur homagio, ſicut firmãtur iuramento.

Reſpondeo, donationes inter coniuges non firmari homagio, ſicut firmantur iuramento *Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 11. nu. 9.* Ratio ex eo deducitur, quia iurare eſt Deum inuocare in teſtem promiſſionis, vel adimplementi eiuſdem; præſtare autem homagium eſt tantum inducere fidem viri nobilis; fides autem viri nobilis non ſic obligat, ſicuti obligat fides diuina, qua inuocatur Deus, vt teſtis, & priuilegia conceſſa iuramento, qua tale eſt, non extenduntur ad ea, quæ vim non habent iuramenti. Accedit, quod in tantum donatio firmatur iuramento de futuro, in quantum non implementum eiuſdem eſſet grauiter peccaminoſum propter iusiurandum, ſed non implementum donationis firmatæ homagio non eſt peccaminoſum, cum non lædat fidem diuinam, ſed tantum perſonæ nobilis, ergo &c. Accedit ſecundò, quod vt recte probant *Mores de maiorat. prima part. q. 22. nu. 11. Angulo de melior. lib. 1. gloſ. 8. num. 3. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 11. num. 10. verſ. nec eſt vera* melioratio tertij non fit irreuocabilis homagio, ſicuti fit irreuocabilis iuramento, ergo nec donatio inter coniuges fiet homagio irreuocabilis, ſicuti fit irreuocabilis, ſi fuerit iuramento firmata; ex quibus omnibus deduces, quod homagium nec ſit propriè iuramentum, prout latè probant *Gregorius Lopez in l. 5. tit. 15. part. 2. verb omenaje, & in l. 4. tit. 26. part. 4. verb. prometiendole, Auendano de exequendis mandatis 2. part. c. 27. num. 6. Padilla in l. ſi quis maior nu. 36. C. de tranſact. Gutierez auth. ſacramenta puberum num. 149. C. ſi aduerſus vendit.*, nec ſortiatur effectus, nec conditiones eiuſdem.

Rationes ſuadentes reſponsũ.

---

§. III.

An iuramentum contra iuramentum de non contraueniendo, quando prius iuramentum nullum ius tertio induxit, firmet donationem.

SVMMARIVM.

Facti feries expoſita. 1.
Sententia aſſerens firmari iuramento quando prius iuramentum factum eſt Deo, non homini. 2.
Donatum contra illud pactum ſic conceptum de non contraueniendo non firmatur iuramento. 3.
Soluuntur rationes oppoſita. 4.
Poteſt, qui ſic iurauit relate ad ſolum Deum petere relaxationem iuramenti. 5.

DISQVISITIO III. Quamvis in ſuperioribus dictum fuerit per iuramentum contrà prius iuramentum de non donando coniugi non confirmari donationem, poteſt tamen prius iuramentum conſiderari, prout eſt factum præcisè Deo, vel prout eſt factum alicui homini, cui intereſt, quod non fiat illa donatio. Hoc ſuppoſito Caius maritus Titiæ iuramentum fecit non homini, ſed Deo, ſe non facturum donationem vxori, quam tamen fecit, & iuramento confirmauit. Quæſitum fuit, an in hoc caſu per illud iuramentum factum Deo ſimplicitèr, & non homini donatio ita remaneat irrita, vt per iuramentum poſterius non firmetur.

1 Factum tale.

Affirmant confirmari donationem iuramento, quandò prius iuramentum factum eſt ſolum Deo, & non homini *Baldus c. veniens de iure iur. nu. 4. & l. duobus §. fin. ff. de iure iuran. Alexander conſ 16. num. 6. lib. 3. Ioannes Lupus rub de donation. §. 54. num. 6. Gutierez de iuramento prima part. c. 1. num. 78. Decius conſ. 535. num. 13* Rationem ex eo deducunt, quia, cum illud prius iuramentum ſit in ſolius iurantis vtilitatem, poteſt hic iuri ſuo cedere, & ſic contrauenire iuramento, quod tantum eſt in fauorem eiuſdem, contraueniendo poſteà non fieret reus periurij. Nihilominus

2 Sententia aſſerens firmari iuramẽto, quãdò prius iuramentũ factum eſt Deo, non homini.

Reſpondeo, etiam in hoc caſu donationem contrà illud pactum ſic conceptum de non contraueniendo non firmari iuramento *Coarruuias de pactis ſecunda part. §. 2. num. 4. verſ. ſecundum eandem Seraphinus de priuil. iuram. priuil. 75. nu. 61. Abbas c. intellecto nu. 6. de iure iur. Angelus verb. iuramentum 5. num. 15. Silueſter verb.*

3 Donatio contrà illud pactũ ſic conceptum de non contraueniendo non firmatur iuramento.

iura-

Digitized by Google

iuramentum 4. q. 12. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 13. nu. 6. verſ. ſed hæc limitatio. Ratio ex eo deducitur, quia illud ſecundum iuramentum, per quod aſſerunt aduerſarij firmari donationem factam contrà prius iuramentum ſoli Deo præſtitum de non donando vxori conſtante matrimonio, eſt omninò inualidum, ergo non poteſt firmare donationem, quæ eſt de iure inualida. Conſequentia probatur, quia iuramentum ſecundum ſe inualidum non poteſt actui, cui adijcitur, tribuere vim, quam non habet in ſe ipſo, ergo cum ſit inualidum non poteſt tribuere efficaciam donationi, cui adijcitur. Antecedens verò probatur, quia illud ſecundum iuramentum, per quod aſſerunt firmari donationem, eſt contrà fidem præſtitam Deo de non donando coniugi, ſicuti contrà eandem eſt ipſa donatio, adeòque eſt peccaminoſum, ſicuti eſt peccaminoſa ipſa donatio; non poteſt autem iuramentum vim obligandi conferre actui, qui ſecundum ſe peccaminoſus eſt, & periurium inducit; Confirmatur, quia actus ille donationis contra prius iuramentum præſtitum Deo de non donando non ſolum eſt contrà bonos mores ciuiles, quatenus eſt contra iura interdicentia huiuſmodi donationes ſub nullitate, ſed etiam contra bonos mores naturales, quatenus eſt contra fidem præſtitam Deo ſub iureiurando, ergo non poteſt firmari per ſubſequens iuramentum de non contraueniendo donationi iam poſitæ. Conſequentia probatur, quia iuramentum, quod eſt contra bonos mores naturales, nullius roboris eſt, & ad nihil obligat.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Hinc ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, reſpondendum eſt, & quidem, quantumvis illud iuramentum eſſet dumtaxat in ſolius iurantis vtilitatem, quia tamen fides obligata eſt Deo per ipſum iusiurandum non poteſt eidem iurans cedere vtiliter, niſi lædat ius Dei, in cuius iniuriam cedit illa ceſſio. Deindè illud iuramentum non ſolum eſt in vtilitatem ipſius iurantis, ſed etiam hæredum ipſius, adeòque &c.

5 Poteſt tamen, qui ſic iurauit relate ad ſolū Deum petere relaxationē iuramenti.

Solum hic remanet dubitandum, an ille, qui iurauit de non donando relato iuramento ad ſolum Deum, & non ad hominem, poſſit petere relaxationem iuramenti, & ſic donare, & donationem firmare iuramento. Reſpondendum eſt, vtique iuſtè poſſe petere, & obtinere relaxationem ab eodem iuramento, ſicque donare, & donationem alio firmare iuramento. Ratio ex eo deducitur, quia, cum iuramentum illud præmiſſum de non donando reſpiciat ſolum iurantis commodum, Eccleſia ad inſtantiam eiuſdem ſubtrahens materiam, ſupra quam cadit ipſum iuramentum, vtique ipſum iuramentum deſtruit quodamodò indirectè, & licet illud iuramentum cedat quodamodò etiam in vtilitatem hæredum, quia tamen ipſi ius non habent in bonis ſui principalis, niſi tantum in ſpe, quouſque viuit ipſe principalis, vtique non impediunt, quo minus ipſe principalis viuens poſſit de illis diſponere, ſi tamen per relaxationem iuramenti remittatur in ſuo primæuo iure.

---

§. IV.

An contractus inualidus firmetur iuramento contra prius iuramentum de non contrahendo, quandò is, cum quo contrahitur, non erat conſcius prioris iuramenti.

S V M M A R I V M.

Factum expoſitum. 1.
Sententia aſſerens firmari tali iuramento. 2.
Ille contractus non obſtante ignorantia prioris iuramenti reſpectu alterius non firmatur poſteriori iuramento. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 4.

DISQVISITIO IV. Contracto matrimonio Titij cum Caia ſtatuit in corde ſuo Titius de non contrahendo, ſeù de non donando eidem Caiæ; deinde cum eadem contraxit, quæ tamen erat penitus ignara iuramenti prioris eliciti ab eodem Titio, qui etiam iuramento firmauit contractum, ſeù donationem. Quæſitum hic fuit, an ſtante ignorantia vxoris contrahentis, ſeù donatariæ ille contractus, ſeù donatio firmetur iuramento contrà prius iuramentum de non contrahendo, ſeù de non donando. 1 Facti ſeries exponitur.

Aſſerunt, firmari huiuſmodi contractus, ſeù donationes, quandò alter eſt penitus ignorans iuramentum contrà prius iuramentum *Coaruuias de pactis 2. parte §. 2. num. 4. Villalobos in commun. opin. lit. I. num. 213. Gutierez de iuramento prima part. c. 1. num. 88.* Rationem huius opinionis eam exiſtimo eſſe, quia æquum non videtur, vt innocens, ſeù penitus ignarus iuramenti alterius in contractu ex ille fraudetur iure, quod ex eodem contractu percepit, nec æquum eſt, vt vnius contrahentis culpa alteri innocenti, ſeù ignoranti culpam officiat. Adde, quod ille, qui præmiſſo priori iuramento contraxit, vel donauit, præſumitur, quod doloſe tacuerit tempore alienationis, & 2 DD. aſſerente firmari tali iuramento.

contractus, vt alterum circumueniret; iura autem deceptis ſubueniunt, non decipientibus, ergo ex parte ipſius decipientis validus ſupponitur contractus, ſeù donatio, quantum poſſit ſubſequenti iuramento confirmari. His tamen non obſtantibus.

3 Reſpondeo, illum contractum, ſeù donationem non obſtante ignorantia prioris iuramenti reſpectu alterius contrahentis, ſeù donatarij non firmari poſteriori iuramento. *Seraphinus de priuil. iurament. priuileg. 75. nu. 51 Matienzo lib. 5. recopil at. tit. 10. l. 3. gloſ. 13. nu. 9. Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 13. num. 6. verſ. ſed merito cum Immola*. Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, nempè actum, circa quem verſatur ſecundum iuramentum omninò peccaminoſum eſſe, & importare periurium, ergo vt pote aduerſans diſpoſitioni iuris naturalis non poterit ſubſiſtere, nec poterit firmari poſteriori iuramento, quandòquidem, & ipſum ſecundum iuramentum, vt potè accedens actui, qui opponitur iuri naturali, & bonis moribus naturalibus inualidum eſt, & vim, quam non habet in ſe ipſo, non poteſt tribuere actui, cui adijcitur.

Non firmatur poſteriori iuramento.

4 Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam, quod, quandò contractus, vel donatio ſunt à iure inualida, parum referre poſſit alteri contrahenti, quod ex culpa alterius non fiat validus, ſeù confirmetur, quandòquidem ſibi imputare debet, quod non præcauerit, contrahendo validè, vel reuocando impedimentum, ex quo conſurrexit inualiditas; & ſicuti eidem non officitur ex eo, quod contrahens, ſeù donans contractu, ſeù donatione à iure inualido, ſeù inualida eundem contractum non firmet iuramento, ità nec eidem officitur, quod contrahat, ſeù donet inualide cum iuramento, quandò hoc iuramentum non poteſt firmare contractum, ſeù donationem propter aliud præcedens iuramentum, quod infirmat hoc poſterius cum ipſa donatione, ſeù contractu; ſemper enim valet dicere, quod contractus ille non ſubſiſtat, nec firmetur, cum iuramentum ipſum poſterius, vtpotè peccaminoſum, & aduerſans bonis moribus naturalibus nullum vim in ſe habeat, & propterea, nec poteſt vim actui inualido, cui adijcitur, conferre. Ad illud, quod additur, dicendum eſt ad ſummum verificari, quandò contrahens inualidè doloſe egit cum præiudicio alterius contrahentis, tunc etenim tenetur reparare damna, quæ ex tali dolo prouenerunt, ſecus autem, quandò bona fide egit; tunc enim ſtandum eſt contractui ſecundum ſe, qui cum ſit inualidus, nec poſſit firmari propter impedimentum prioris iuramenti per ſubſequens iuramentum, remanet in ſuo eſſe inualido, & inualiditas non prouenit ex malitia contrahentis, ſeù donantis, ſed ex natura actuum, ſeù ipſius donationis, & contractus propter additamentum eiuſdem prioris iuramenti.

Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

---

§. V.

An donatio inter coniuges morte confirmata retrotrahatur tam quoad fructus induſtriales, quàm quoad naturales.

SVMMARIVM.

Exponitur ſeries difficultatis. 1.
Quid ſint fructus induſtriales, & quid naturales. 2.
Fructus induſtriales retrotrahuntur. 3.
Confirmata donatione per mortem donatoris retrotrahuntur etiam fructus naturales. 4.

DISQVISITIO V., & vltima. Dictum eſt in præcedentibus donationes factas inter coniuges conſtante matrimonio, ſi confirmentur morte donatoris, retrotrahi ad tempus earundem donationum, non quidem quoad dominium, ſed tantum quoad fructus. Porro fructus ſunt in duplici differentia, alij ſunt fructus mere induſtriales, qui procedunt præcisè ex induſtria poſſidentis, alij mere naturales, qui ex natura ſua procedunt à re, cuius habetur poſſeſſio; alij mixti, qui partim procedunt ex induſtria, partim à natura. His igitur ſic ſuppoſitis Caius conſtante matrimonio contulit plura dona pretio æſtimabilia Febroniæ coniugi ſuæ, quæ non tantum erant fructifera ex natura ſua, ſed etiam maximè apta fructificare ex induſtria poſſidentis, & de facto conſtante matrimonio non ſolum percepit fructus naturales, ſed etiam induſtriales, & mixtos. Quæſitum hic fuit, an, ſi illa dona fuerint confirmata morte donatoris, intelligantur retrotracta non ſolum quoad fructus induſtriales, quos eadem Caia ex propria induſtria percepit, ſed etiam quoad fructus naturales, qui ex ipſis rebus proueniunt. 1

Factum tale.

2 Quid ſint fructus induſtriales, & quid naturales.

Quoad fructus merè induſtriales donationem retrotrahi non videtur in dubium reuocandum, quandòquidem non tam à re ipſa, quàm ex induſtria donatarij proueniunt, quinimmò ex ſola induſtria occaſione rei donatæ, & ſicuti, ſi depoſitarius occaſione rei depoſitæ ex propria induſtria aliquid lucratur, ſibi acquirit, non deponenti, quia non ſunt fructus rei, ſed ſolius induſtriæ, ità, ſi donatarius ex re ſibi donata ab altero coniuge aliquid acqui- 3

Fructus induſtriales retrotrahuntur,

rat

tat ex propria induſtria, cenſendus eſt ſibi ipſi lucrari, non marito donanti, quia illud eſt fructus induſtriæ; non enim denegari poteſt, quin maiorem, vel ſaltem æqualem habeat poſſeſſionem rei donatæ coniux donatarius, ac habeat depoſitarius rei apud ſe depoſitæ. Accedit, quod ex ſuperius dictis in tantum donationes inter coniuges à iure ſub nullitate vetantur & prohibentur, in quantum ex illis donator fit pauperior, ſed ex eo, quod donatarius lucra acquirat ex induſtria propria dependenter à re donata, donans non fit pauperior, quandòquidem illi fructus non ſunt ex proprio patrimonio, ſed ex induſtria donatarij, ſine qua non fuiſſent acquiſiti, ergo &c.

4 Etiam fructus naturales retrotrahuntur.

Reſpondeo, confirmata donatione per mortem donatoris non ſolum retrotrahuntur ad tempus, quo facta eſt donatio, fructus induſtriales, ſed etiam mixti, & naturales. In hanc aſſertionem propendere videntur *Gloſa in l. donationes quas parentes verb. referatur, & ibi Baldus in fin. C. de donat. inter vir. & uxor. Gloſa l. talis ſcriptura in fin. ff. de legat. 1. Hoſtienſis in ſumma tit. de donat. inter vir. & uxor. nu. 9. verſ. & quod dicit, Bartolus l. ſequens quæſtio ff. de legat. 2. Crottus l. ſi is qui pro emptore num. 15. ff. de uſucap. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 72. nu. 1. Couarruuias rub. de teſtam. 3. part. num. 5. Antonius Gomez 2. var. c. 4. nu. 13. verſ. aduertendum, Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 289. verſ. vt diſputatione praecedenti, Ludouicus Lopez lib. 2. de contract. cap. 47. ad fin. §. notandum eſt*, qui omnes indiſtinctè loquuntur de fructibus, qui propterea etiam indiſtinctè intelligendi ſunt, tam de induſtrialibus, quàm de naturalibus. Et iuxtà hunc ſenſum intelligenda ſunt etiam iura *in l. donationes, quas parentes C. de donat. inter vir. & uxor verſ. ſi vero vel non amplior, & l. cum pater §. pater filia ff. de legat. 2.*, quæ etiam iura procedunt ſine limitatione, vel quoad fructus naturales, vel quoad induſtriales, & propterea amplè, & illimitatè intelligenda ſunt quoad omnes. Probatur tamen alia ratione, quia, ſi ſolummodò retrotraheretur donatio quo ad fructus induſtriales fruſtratoria, & inutilia eſſent iura diſponentia de huiuſmodi retrotractione quoad fructus, quandòquidem independenter ab illis iuribus fructus merè induſtriales acquirerentur eidem donatario, nam fructus induſtriales ſequuntur induſtriam, non rem ipſam. Confirmatur, quia potius debet eſſe ius donatarij, quandò donatio ſecundum ſe inualida confirmatur morte donatoris, ac quandò per mortem eiuſdem non confirmatur, ſed potius donatore viuo reuocatur, vt ex ipſis terminis patet, ſed quandò morte donatoris non confirmatur, ſed potius eiuſdem viuentis voluntate reuocatur, fructus induſtriales pro tempore, quo res donata manſit penes donatarium, cedunt eidem, non donatori, ſiquidem non ſunt fructus rei, ſed induſtriæ, ergo, quandò donatio eſt confirmata morte donatoris, non ſolum fructus induſtriales cedunt eidem donatario, ſed etiam fructus mere naturales, cæteroqui iura diſponentia de huiuſmodi fructuum retrotractione ad nihil penitus inſeruirent. Atque hæc de donationibus inter coniuges dicta ſint ſatis. Reliqua, ſi quæ deſiderantur, recolenda ſunt apud iuris interpretes. Faxit Deus, vt dona, quæ recepimus Deo adiuuante in matrimonio ſpirituali cum Deo per gratiam, interueniente morte confirmemus, & plene poſſideamus per gloriam.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Finis huius ſeptimi voluminis ad laudem omnipotentis Dei, Deiparæ Virginis, & Doctoris Gentium.

INDEX RERUM

C. ſignificat Contractum, M. Matrimonium, P. Prænotionem, D. Diſquiſitionem, §. Paragraphum, n. numerum marginalem, p. paginam.

A

ABSENTIA diutina alterius coniugis non inducit ſufficientem certitudinem, ut alter poſſit ſecundo nubere C.15 M. 4 P.2. nu. 3. p 311

Abſentia quinquennalis ex iure ciuili antiquo præſcripta non ſufficit ibid. nu. 5. p.311

AFFINITAS in impetratione diſpenſationis in quacunque linea in primo, & ſecundo gradu exigit, ut exprimatur, an fuerit ex copula licita, vel illicita C. 15. P. 23. n 15. p.125

Affinitas indifferens eſt, ut contrahatur ex copula licita, vel illicita ibid. p.126

Affinitas, an duplex oriatur, exponitur in duplici caſu C. 15. D. 2. §. 30. n 2 & 3. p.282

Affinitas duplex, & duplici titulo eſt utraque exponenda in impetratione diſpenſationis C.15. D.2. §.31. nu. 2. p.283

Affinitas eſt genus ad ſe ipſam, vel ut oriatur ex copula licita, vel fornicaria C. 15. D. 2. § 36. n. 4. p.391.

AMASIUS fornicans cum vidua ſubijcitur indirectè, & in conſequentiam omnibus pœnis iuris, quibus directè afficitur eadem vidua fornicans per ordinem ad ſecundum maritum contrahentem cum ipſa C. 15. M 4. D. 1. § 18. n. 2. p.387

Amaſius fornicans cum vidua ſubijcitur directè omnibus pœnis illis, quibus directè ſubijcitur ſecundus coniux contrahens cum vidua, ſiue intra annum luctus, ſiue poſt, ibid nu.3 p.389

Amaſius viduus intra annum luctus fornicans cum virgine non incurrit infamiam ibid. nu 4. p.390

ARCHIEPISCOPUS nequit in legibus concilij Prouincialis diſpenſare quoad ſuos ſubditos C.15. P.11. num 42. p.57

Archiepiſcopus poteſt diſpenſare in legibus ſinodalibus ibid. n. 43. p.57

Archiepiſcopus in legibus ſinodalibus poteſt diſpenſare, quantumvis à ſede Apoſtolica fuerint approbata, non quando ipſis adiectum eſt robur Apoſtolicæ auctoritatis ibid. n. 44. p.58

Archiepiſcopus non poteſt in huiuſmodi legibus diſpenſare, ſi tranſierint in contractum in fauorem tertij ibid.

ARGUMENTUM à maiori ad minus, vel à ſimili in diſpenſationibus non valet, quando minus, vel ſimile non comprehenditur in maiori, & ſimili, tanquam pars in toto, nec in ſimili tanquam in connexo C. 15. P.6. n. 2. p.21

Argumentum à maiori ad minus valet, quando ratio expreſſa pro maiori æquè militat pro minori ibid. num. 7. p.23

Item, quando conceſſiones non proueniunt ab homine, ſed à iure ibid. n 8.

Item quando maius, & minus ſunt in eodem genere ibid num. 9.

Argumentum à matrimonio corporali conſummato ad ſpirituale per profeſſionem in omnibus non valet C.15. P. 10 n. 10. p.34

Argumentum à paternitate carnali ad ſpiritualem non valet C. 15. P. 23. n.13. p.123

AUGMENTUM dotis, vide Donatio propter nuptias uxor.

Augmentum dotis factum conſtante matrimonio à viro ignobili, aut ſene uxori nobili, & iuueni probabilius gaudet priuilegijs dotis C. 15. M.5 D 1. §.4. n.4. p.465

B

BENEDICTIONES non ſunt impertiendæ ſecundis nuptijs, & quare C.15. M 4 D.1. §. 1. num. 2. pag. 370

Benedictiones nuptiales poſſunt fieri in ſecundis nuptijs, ſi neuter ex coniugibus fuerit benedictus in primis ibid. n.2. p.370

Benedictiones poſſunt fieri in ſecundis nuptijs, ſi primæ nuptiæ reſpectu eorundem contrahentium fuerint irritæ, quamvis benedictæ C.15. M.4. D.1. §.2. n 3. p.371

Benedictiones poſſunt impertiri in ſecundis nuptijs, quando unus, qui contraxit primo inualide, contrahit ſecundo cum Virgine ibid. n. 3.

Benedictiones poſſunt impertiri, quandò qui fuit inualide coniugatus, contrahit cum alia etiam inualidè coniugata ibid. n. 4. p.372

Benedictiones non poſſunt impendi de nouo, quandò inualidè coniugatus cum una de nouo contrahit cum alia validè coniugata & benedicta ibid. n.5.

BIGAMIA ſimilitudinaria eſt diſpenſabilis à prælatis regularibus in ordine ad ſuos ſubditos C. 15. P. 12. n. 15. p.61

Bigamia vera, & interpretatiua etiam ſecundum aliquos ibid. num. 16.

CAV-

Digitized by Google

C

CAVSA diſpenſationis in impedimentis de iure diuino debet eſſe bonum commune ſaltem indirecte C.15 P 3.n.2. p.10.
Cauſa ſufficiens reſpectu vnius poteſt eſſe inſufficiens reſpectu alterius ibid. n.3. p.10
Cauſa, ob quas diſpenſatur inter magnates contrahendi in ſecundo conſanguinitatis gradu, ſunt bonum pacis, conſeruatio familiæ &c. C. 15. P 3. n 6. p.10
Cauſa, ob quas Pontifex quandoque diſpenſat cum inferioribus ad contrahendum in ſecundo conſanguinitatis gradu ibid. n. 9. p.11
Cauſa leuiores requiruntur, & ſufficiunt ad diſpenſandum in gradibus remotioribus ibid n.10. p.11
Cauſa ſufficiens ad diſpenſandum in impedimentis matrimonij eſt qualitas perſonæ C. 15. P. 3. n. 10. p.11
Explicatur, in quo conſiſtat hæc qualitas ibid. n. 11. p 11
Cauſa ſufficiens diſpenſationis eſt paupertas, & nobilitas in fœmina ibid. n.11.
Cauſa ad diſpenſandum poteſt eſſe qualitas temporum, & quomodò ibid. n. 16. p.13
Et etiam, ſi in locis circunſitis eſſet alia perſona non conſanguinea ſimilis conditionis ibid. n. 17. pag. 13
Cauſa diſpenſandi eſt neceſſitas ad conſeruandas diuitias in eadem familia ibid. n.19.
Cauſa aliæ ſufficientes ad diſpenſationem in impedimentis matrimonij exponuntur ibid. n. 20. p.14
Cauſa diſpenſandi ſuper impedimenta matrimonij eſt compoſitio pecuniaria in ordine ad bonum publicum ibid n 21. p.14
Cauſa pietatis eſt ſufficiens ad diſpenſandum, & quomodò ibid. n. 22. p.15
Cauſa pietatis non ſufficit, quandò fœmina habet dotem ſufficientem ad nubendum cum pari, non autem cum præpotente ibid. n. 22. p.15
Excipe in caſu, quo eſſet relicta hæreditas, & fœmina, & perſona præpotenti ſub conditione, vt inirent matrimonium ibid n.23.
Cauſa diſpenſationis eſt euentus rei, & quomodo ibid. n 25. p.15
Cauſa cohoneſtans diſpenſationem eſt ratio multitudinis, & quomodo ibid n 27. p.16
Cauſa diſpenſandi in iis, quæ ſunt iuris diuini, puta voti caſtitatis debet obſtare illius executioni ibid. n. 28. pag. 16
Cauſa quomodo obſtare poſſit executioni voti ibid.
Cauſa fauorabilis quos præſtet effectus in matrimonio C.15. P.5 n.3. p.20
Cauſa diſpenſationum duplex altera finalis, altera impulſiua C.15. P.8. n.1. p.25
Cauſa impulſiua ceſſante tempore petitionis ante conceſſionem non ceſſat diſpenſatio, ſi poſteà fuerit conceſſa, bene tamen ceſſante cauſa finali C. 15. P.8. n. 2. p.25
Cauſa etiam finali ceſſante dato iam reſcripto per ſuperiorem, ſed nondum executo per commiſſarium ceſſat diſpenſatio ibid. n. 3. p.26
Cauſa finali diſpenſationis ceſſante, eademque diſpenſatione abſolutè conceſſa, vel expedita per commiſſarium probabilius ceſſat diſpenſatio, ſi nondum fuerit deducta ad ſuum vltimatum finem ibid. n. 6 pag. 27
Etiam ſi deducta fuerit ad ſuum vltimatum finem, ſi hic patiatur diuiſionem ibid.
Cauſa finali ceſſante conſummata iam diſpoſitione in ſuo effectu vltimato non admittente ſucceſſionem non ceſſat diſpenſatio ibid. n 8. p.28
Cauſa diſpenſationis facienda ad contrahendum inter conſanguineos eſt paupertas fœminæ, quæ non habeat ſufficientem dotem ad contrahendum cum pari, niſi cum conſanguineo, qui conſtituat augmentum ſufficiens ad dotem congruam C. 15. P.16. n.11. p.160
Cauſa omnes, propter quas conceduntur diſpoſitiones in ordine ad impedimenta C.15. D 3. § 9 à n.6. ad 14. pag. 305
CLAVSVLA in reſcriptis, ſi preces veritati nitantur, *quomodò ſit intelligenda* C.15. P 21. n. 15. p.99
Clauſula in literis ſacra pænitentiaria Quatenus, ſi ita eſſe, & latorem ſtimulis carnis adeſſe agitatum, vt maximè dubitet continere non poſſe, *quomodò intelligenda* C.15. P.25. n. 16. p.139
Vide verbo Tentationes carnis, & Incontinentia.
Clauſula in literis ſacra pænitentiaria, Si ità eſſe per diligentem oratoris examinationem, ac poſt monita, & conſilia opportuna &c. *quomodò ſit intelligenda ibid.* p.141
Vide verb. Examen, Monitum, Commiſſarius.
Clauſula in eiſdem literis Eum à mutatione propoſiti abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta &c. *quomodò ſit intelligenda ibid. n.28* p.143
Clauſula iſta eſt conditionata, non abſoluta ibid.
Vide Verb. Diſpenſatio, Pænitentia, Commiſſarius, Confeſſarius.
Clauſula in eiſdem literis, Diſpenſando commutes in foro conſcientiæ tantum, *quomodò ſit intelligenda ibid n. 42.* p.148
Vide verb. Commiſſarius, Diſpenſatus, Diſpenſatio.
Clauſula, dummodò impedimentum inde prouenieus occultum ſit, *quomodò intelligenda ibid. n.48.* p 150
Vide verb. Notorium, Impedimentum.
Clauſula Diſpenſes prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiando in foro conſcientiæ tantum *quid importet ibid. n. 55.* p.153
Vide verb. Diſpenſatio.
Clauſula Diſpenſas prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiando in foro conſcientiæ tantum *quid importet ibid. n. 55.* p 153
Vide verb. Diſpenſatio.
Clauſula cum ipſis latoribus certioratis de nullitate prioris contractus diſpenſa *importat conditionem, & formam, non tamen rigoroſam ibid n. 57. pag.* 154
Vide verb. Diſpenſatio.
Clauſula, ſed præſentibus laceratis. Quas lacerare tenearis, neque latori reſtituas, quod ſi reſtitueris, nihil illi præſentes ſuffragentur *ibid.* p.155
Vide verb. Litera ſacra pænitentiaria.
Clauſula à tergo literarum Gratis vbique, *quid importet ibid. n 63.* p.156
Vide verb. Maior pænitentiarius, Commiſſarius.
Clauſula ſolita apponi in commiſſionibus diſpenſationum pro foro externo Dummodò mulier rapta non fuerit *non debet intelligi reſtrictiuè quand.*

ſci-

Digitized by Google

ſcilicet ſolum rapta fuit ad finem matrimonij contrahendi C 15. P.26. n.16. p.162

Vide verb. Raptus, rapta.

Clauſula Prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiando *poſita in commiſſione diſpenſationis pro foro externo ponitur ad cautelam, non ad neceſſitatem ibid n.18.* p.163

Clauſula generalis derogatoria Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs non obſtantibus *derogat decreto Concilij Generalis, quamvis de illo non fiat mentio ibid. n.19.*

COGNATIO ſpiritualis non exigit, vt exprimatur paternitas, & filiatio, ſed ſufficit, quod exprimatur nomine eiuſdem cognationis ſpiritualis C. 15. P.23. n. 13. p.123

Cognatio ſpiritualis non exigit in impetratione diſpenſationis exprimatur, an ſit contracta in baptiſmo, vel confirmatione ibid. p. 123

COMMISSARIVS ſacræ pænitentiariæ ad expediendas literas pro diſpenſationibus matrimonij quale examen debeat peragere C.15. P.25. n 19. p.141

Commiſſarius non tenetur exigere iuramentum oratoris de veritate dicenda ibid. n.20.

Commiſſarius in huiuſmodi examine debet inquirere grauitatem ſtimulorum carnis, extenſionem periculi incontinentiæ, inclinationem naturæ, fragilitatem complexionis &c. ibid n. 21.

Commiſſarius, ſi aliunde nouerit preces veritati non inniti, non debet acquieſcere dicto Oratoris ibid. n.22.

Commiſſarius, ſi nouerit ſolum falſitatem precum ex præcedentibus confeſſionibus non poteſt oratorem dimittere ibid. nu. 23. p.142

Commiſſarius, ſi aliunde nouerit veritatem narratorem poteſt omittere diligentem oratoris examinationem ibid. n. 24. p.142

Commiſſarius, ſi diſpenſarit ſine præuia cognitione, & examine, diſpenſatio non tenet, quamvis preces in ſe veræ ſint ibid. n.25 p.142

Commiſſarius quænam monita, & conſilia præſtare deberet ibid. n.26. p.143

Commiſſarius, ſi omittat huiuſmodi monita, non inualide diſpenſat, ibid. n. 27.

Commiſſarius attentis præſenti ſtilo ſacræ pænitentiariæ non poteſt expedire diſpenſationes, niſi in ſacramentali confeſſione ibid. n. 29. p.144

Etiam ſi non apponerentur clauſulæ, quæ modo apponuntur ibid. n.30.

Commiſſarius diſpenſans in ſacramentali confeſſione, ſed inualida, non inualide diſpenſat ibid n.31. p.145

Niſi eſſet inualida ex defectu integritatis circa rem diſpenſabilem ibid. n 32.

Commiſſarius in diſpenſatione pro foro interno non tenetur imponere pænitentiam menſtruæ confeſſionis, ibid. n. 33. p.146

Commiſſarius vltrà menſtruam confeſſionem tenetur aliquam aliam pœnam imponere ibid. n. 37. p 147

Commiſſarius literarum ſacræ pænitentiariæ non eſt reus culpæ, ſi aliquid acciperet ſponte oblatum iuxta conſuetudinem ibid. n. 64. p 157

Commiſſarius nequit aliquid accipere, tanquam pretium laboris impenſi in expeditione literarum ibid. n. 65. p.157

Commiſſarius nec poteſt accipere eſculenta, nec poculenta ibid. n. 66.

Commiſſarius pro expediendis diſpenſationibus pro foro externo eſt officialis ordinarij, cui dirigitur huiuſmodi litera C 15. P. 26. p.158

Commiſſarius ad diſpenſandum pro foro externo, ſi executus fuerit diſpenſationem ante conſtitutionem augmenti dotis promiſſi, ſit tamen certus de eadem ponenda, valide diſpenſauit C.11. P.26. n.13. p.161

Ad quam quantitatem debet aſcendere illud augmentum ibid. n. 14.

Commiſſarius pro foro externo in examine ſuper preces non debet ex neceſſitate procedere per modum Iudicij ibid. n 15. p.161

Commiſſarius non debet ex neceſſitate aſſumere informationes ſuper cauſas, quandò Pontifex diſpenſauit ſine cauſa C 15. P.26. n. 20. p.163

Commiſſarius non debet inſtituere inquiſitionem ſuper nobilitate, quandò in literis eiuſdem ſit mentio per modum narrationis, ſecus, ſi per modum conditionis ibid n 21. p. 164

Commiſſarius diſpenſans ſine cognitione cauſæ, quandò diſpenſatio ipſi commiſſa eſt expreſſo nomine diſpenſandi nulla facta mentione cognitionis cauſæ, valide diſpenſat C.15 D.1. § 4 n. 4. p.174

In hac hypotheſi ſupponitur cognitio in committente ibid.

Commiſſarius Cruciatæ non poteſt habilitare ad munera ſpiritualia natum ex matrimonio inualido, niſi etiam diſpenſauerit in impedimento matrimonij, & niſi de nouo contraxerint C.15. D.2. §.4 n 3. p.229

Commiſſarius non poteſt diſpenſare in voto in fauorem tertij ab illo acceptato. Vide Votum.

COMPOSITIO pecuniaria eſt ſufficiens cauſa ad diſpenſationem in impedimentis matrimonij C. 15. P. 3. n. 21. p.14

Compoſitio pecuniaria ſufficiens eſt pro diſpenſationibus ſuper impedimenta iuris Eccleſiaſtici C.15. D.1 §.9. num. 2. p 181

CONDITIO ſuſpenſiua, & reſolutiua quid ſint, & earum diſcrimina C. 15 D 2 §. 8. n. 3. p.234

Regula ad dignoſcendum, quandò conditio ſit ſuſpenſiua, & quandò reſolutiua ibid. num. 4. pag. 234

Conditio appoſita in permutatione beneficiorum, vt bona temporalia, quæ in illa permutantur, ſint omnino libera, & vbi eſſent aliqua non libera, non intelligatur facta commutatio, & non aliter, cum alitter &c. eſt reſolutiua, non merè ſuſpenſiua ibid. num. 5. pag. 235

Conditione illa pendente fructus medij temporis ſunt eius, in quem bona illa tranſierunt ibid. n 6. p.236

Conditio reſpectu viduæ non nubendi licita eſt C. 15. M. 4. P. 8. n. 2. p.335

CONFESSARIVS, qui ſit Magiſter in Theologia, & Doctor Canonum, qui non ſit ſimpliciter approbatus ab ordinario ad confeſſiones, ſed tantum ad certas perſonas, non poteſt exequi literas pænitentiariæ, niſi cum illis perſonis, ad quas eſt approbatus ſaltem directè loquendo C.15. P.25. n.9. p.136

Confeſſarius debet eſſe approbatus ab ordinario ad exequendas huiuſmodi literas, nec ſufficit publicum academiæ teſtimonium ibid. n.10. p.137

Confeſſarius vnus ſemel electus ad exequendas huiuſmodi literas poteſt omitti, & alius eligi, qui exequatur ibid n. 11. p.138

Digitized by Google

Confeſſario vno electo ex habilibus, qui nolit diſpenſare ex eo, quod reputat literas ſubreptitias, poteſt alter eligi, qui diſpenſat ibid. n.13. p.139

Confeſſarius electus, qui ex aliqua cauſa negauit executionem, non impeditur, quominus mutata voluntate poſſit poſteà exequi ibid. n. 14. p.139

Confeſſarius approbatus tantum ad maſculos diſpenſando cum eiſdem quaſi indirectè prodeſt feminis, cum quibus maſculi intendunt contrahere ibid. num. 15. pag. 139

Confeſſarius ex vi generalis facultatis diſpenſandi ſuper votis nulla facta expreſſione reſeruatorum non poteſt diſpenſare ſuper voto caſtitatis perpetuæ C. 15. D. 2. §. 19. n.3. p.258

Confeſſarius ex vi generalis facultatis diſpenſandi ſuper votis etiam cum expreſſione reſeruatorum poteſt diſpenſare etiam ſuper voto caſtitatis ibid. n. 4. p.259

CONFESSIO *non eſt neceſſaria ad conſequendum Iubilaum, quando non adeſt peccatum lethale C. 15. D.2. §. 25. n.2.* p.271

Intellige, niſi iniungatur, vt opus, ſeu vt pars operis ibid. n. 3. p.271

CONIVX, *qui non habito certo nuntio, nec alia morali certitudine de morte alterius conuolauit ad ſecundas nuptias non inualidè contraxit, ſi coniux re vera erat mortuus, ſecus inualidè C. 15. M. 4. P. 2. nu.12.* p.313

Coniux, qui ſic conuolauit non habito &c. grauiter peccauit ibid. n. 13. p.313

Coniux, qui ſine tali certitudine contraxit non poteſt petere debitum, tenetur tamen reddere ibid. n. 14.

Coniux ſine tali certitudine contrahens cum altero, qui etiam ſit dubius de morte prioris coniugis, nec ipſe poteſt petere, nec alter perſeuerante dubio, ſecus eo depoſito ibid. nu.16. p.314

Coniux, ſi habita morali certitudine de morte alterius ſecundas nuptias contraxerit, ſi verè alter non fuerit mortuus, & apparuerit, tenetur ad ipſum redire ibid. n. 17. p.314

In hoc caſu filij ſuſcepti ex ſecundis nuptijs habentur pro legitimis, & quomodò ſuccedant ibid. n. 18. p.314

Etiam ſi matrimonium illud inualidum non conualidetur per aliud ſubſequens validum ibid. nu 20. p.315

Coniux, de cuius obitu habita fuit moralis certitudo, ſi re vera fuerit mortuus, & reſurrexerit, non habet ius, vt ſibi reſtituatur alter coniux, qui ad ſecundas nuptias conuolauit ibid. n.21. p.216

CONTRACTVS *inualidus firmatus iuramento contra prius iuramentum de non contrahendo, quandò is, cum quo contrahitur, non erat conſcius prioris iuramenti, non tenet C.15. M.5.D.2.§ 4.n.3.* p.482

CONTRAHENTES *ſcienter cum impedimento dirimente carere debent ſpe diſpenſationis C. 15. P. 3. n. 26.* p.15

Intellige, ſiue illud impedimentum fuerit conſanguinitatis, ſiue alterius generis ibid. n.27. p.16

D

DISPENSANDI *poteſtas, ſiue ordinaria, ſiue delegata eſt ex ſe latè interpretanda C. 15. P.19. n. 1.* p.88

Diſpenſandi poteſtas delegata eſt ſtrictè interpretanda, quandò cedit in præiudicium tertij ibid. n. 2. p.89

Item quandò eſt limitata per conſuetudinem ibid. n. 3.

Diſpenſandi poteſtas delegata limitari debet intra ſeriem caſuum conceſſioni adeptabilium ibid n.4. p.89

Item vt non extendatur ad caſus, qui ſunt ſupra poteſtatem concedentis ibid. n.5.

Diſpenſandi poteſtas delegata ſtrictè eſt interpretanda, quandò eſt cum expreſſione certarum perſonarum ibid. n.6. p.89

Diſpenſandi poteſtas delegata extenditur etiā ad commutandum ibid. n 7. p.90

Diſpenſandi poteſtas includit etiam poteſtatem commutandi, non è contra, ibid n. 8. p.91

Diſpenſandi poteſtas delegata perſonalis expirat morte delegati C. 15. P.27. n.6. p.166

Secus, ſi fuerit realis ibid.

Diſpenſandi poteſtas delegata in impedimentis matrimonij, ſiue emanauerit à Summo Pontifice pro foro externo, ſiue à ſummo Pœnitentiario pro interno non expirat morte concedentis ibid. n.9. p.167

Diſpenſandi facultas cum expreſſione diſpenſandorum, & ad ipſorum inſtantiam eſt ſtrictè interpretanda C.15 D.2. §.3 n 2 p.226

Diſpenſandi facultas quoad illegitimos ſine expreſſione maiorum, vel minorum ordinum reſtringenda eſt ad minores ibid n. 3. p.227

Diſpenſandi facultas quandò non conſtat, ad cuius inſtantiam ſit conceſſa, eſt ſtrictè interpretanda ibid. num 4. p.227

Diſpenſandi facultas, quandò eſt conceſſa pro determinato perſonarum numero non tamen cum expreſſione eſt latè interpretanda ibid. nu.5

Diſpenſandi facultas generalis in votis facta per Pontificem ſine exceptione, & ſine expreſſione reſeruatorum probabilius non extenditur quoad votum caſtitatis perpetuæ C. 15. D.2. §.19 n.3. p.258

Diſpenſandi facultas generalis facta etiam expreſſione quoad reſeruata trahitur probabilius ad votum caſtitatis C.15. D. 2. §. 19 n.4. p.259

Diſpenſandi facultas quoad votum caſtitatis non trahit facultatem etiam diſpenſandi ſuper voto Religionis C.15. D 2. §. 20. n.3. p.260

Diſpenſandi facultas quoad reſeruata etiam caſtitatis addita particula &c. trahitur etiam ad votum Religionis ibid. n.5. p.261

Diſpenſandi facultas quoad vota reſeruata excepto caſtitatis, vel Religionis ad neutrum ipſorum trahitur C.15. D. 2. §.20 n.6. p.261

Diſpenſandi facultas quoad omnia vota reſeruata excepto voto triplicis peregrinationis probabilius trahitur ad votum caſtitatis, & Religionis C 15. D. 2. §. 21. n.4. p.262

Diſpenſandi facultas in certo aliquo gradu indefinita quoad perſonas extenditur ad eundem gradum duplicatum C.15 D.2. §. 32. n 5. p 284

Diſpenſandi facultas pro determinata perſona extenditur ad gradum duplicatum, ſi fuerit conceſſa in fauorem commiſſarij; non extenditur, ſi fuerit in fauorem petentis ibid. nu 7 p. 285

Diſpenſandi-facultas quandonam præſumatur, quod fuerit in fauorem commiſſarij, & quandonam in fauorem petentis ibid. n.8. p 285

Diſpen-

Digitized by Google

ta homagio intelligatur abſolutè tenere, & fieri irreuocabilis, ſicuti ſi eſſet firmata iuramento.

2 Firmari huiuſmodi homagio affirmant *Baldus conſ. 291. vol. 2. Peralta l. unum ex familia in initio nu. 23. ff. de leg. 2. Padilla in l. ſi quis maior num. 36. C. de tranſact.*, qui omnes ea ratione mouentur, quia homagium æquiualet iuramento, & in nobilibus ipſum conſtituitur loco iuramenti. His tamen non obſtantibus

Sententia aſſerês firmari homagio.

3 Reſpondeo, donationes inter coniuges non firmari homagio, ſicut firmantur iuramento *Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 11. nu. 9.* Ratio ex eo deducitur, quia iurare eſt Deum inuocare in teſtem promiſſionis, vel adimplementi eiuſdem; præſtare autem homagium eſt tantum inducere fidem viri nobilis; fides autem viri nobilis non ſic obligat, ſicuti obligat fides diuina, qua inuocatur Deus, vt teſtis, & priuilegia conceſſa iuramento, qua tale eſt, non extenduntur ad ea, quæ vim non habent iuramenti. Accedit, quod in tantum donatio firmatur iuramento de futuro, in quantum non implementum eiuſdem eſſet grauiter peccaminoſum propter iuſiurandum, ſed non implementum donationis firmatæ homagio non eſt peccaminoſum, cum non lædat fidem diuinam, ſed tantum perſonæ nobilis, ergo &c. Accedit ſecundò, quod vt recte probant *Meres de maiorat. prima part. q. 22. nu. 11. Angulo de melior. lib. 1. gloſ. 8. num. 3. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 11. num. 10. verſ. nec eſt vera* melioratio tertij non fit irreuocabilis homagio, ſicuti fit irreuocabilis iuramento, ergo nec donatio inter coniuges fiet homagio irreuocabilis, ſicuti fit irreuocabilis, ſi fuerit iuramento firmata; ex quibus omnibus deduces, quod homagium nec ſit propriè iuramentum, prout latè probant *Gregorius Lopez in l. 5. tit. 15. part. 2. verb omenaje, & in l 4. tit. 26. part. 4. verb. prometiendole, Auendano de exequendis mandatis 2. part. c. 27. num. 6. Padilla in l. ſi quis maior nu. 36. C. de tranſact. Gutierez auth. ſacramenta puberum num. 149. C. ſi aduerſus vendit.*, nec ſortiatur effectus, nec conditiones eiuſdem.

Probabilius nô firmantur homagio, ſicut firmâtur iuramento.

Rationes ſuadentes reſponsû.

§. III.

An iuramentum contra iuramentum de non contraueniendo, quando prius iuramentum nullum ius tertio induxit, firmet donationem.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Sententia aſſerens firmari iuramento quando prius iuramentum factum eſt Deo, non homini. 2.
Donatum contra illud pactum ſic conceptum de non contraueniendo non firmatur iuramento. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.
Poteſt, qui ſic iurauit relate ad ſolum Deum petere relaxationem iuramenti. 5.

DISQVISITIO III. Quamvis in ſuperioribus dictum fuerit per iuramentum contrà prius iuramentum de non donando coniugi non confirmari donationem, poteſt tamen prius iuramentum conſiderari, prout eſt factum præcisè Deo, vel prout eſt factum alicui homini, cui intereſt, quod non fiat illa donatio. Hoc ſuppoſito Caius maritus Titiæ iuramentum fecit non homini, ſed Deo, ſe non facturum donationem vxori, quam tamen fecit, & iuramento confirmauit. Quæſitum fuit, an in hoc caſu per illud iuramentum factum Deo ſimpliciter, & non homini donatio ita remaneat irrita, vt per iuramentum poſterius non firmetur. 1

Factum tale.

Affirmant confirmari donationem iuramento, quandò prius iuramentum factum eſt ſolum Deo, & non homini *Baldus c. veniens de iure iur. nu. 4. & l. duobus §. fin. ff. de iure iuran. Alexander conſ 16. num. 6. lib. 3. Ioannes Lupus rub. de donation. §. 54. num. 6. Gutierez de iuramento prima part. c. 1. num. 78. Decius conſ. 535. num. 13.* Rationem ex eo deducunt, quia, cum illud prius iuramentum ſit in ſolius iurantis vtilitatem, poteſt hic iuri ſuo cedere, & ſic contrauenire iuramento, quod tantum eſt in fauorem eiuſdem, contraueniendo poſteà non fieret reus periurij. Nihilominus 2

Sententia aſſerens firmari iuramento, quandò prius iuramentum factum eſt Deo, non homini.

Reſpondeo, etiam in hoc caſu donationem contrà illud pactum ſic conceptum de non contraueniendo non firmari iuramento *Couarruuias de pactis ſecunda part. §. 2. num. 4. verſ. ſecundum eandem Seraphinus de priuil. iuram. priuil. 75. nu. 61. Abbas c. intellecto nu. 6. de iure iur. Angelus verb. iuramentum 5. num. 15. Silueſter verb.* 3

Donatio contrà illud pactum ſic conceptum de non contraueniendo non firmatur iuramento.

iura-

Digitized by Google

iuramentum 4. q. 12. Sanchez de matrimon. lib. 6. diſp. 12. nu. 6. verſ. ſed hac limitatio. Ratio ex eo deducitur, quia illud ſecundum iuramentum, per quod aſſerunt aduerſarij firmari donationem factam contrà prius iuramentum ſoli Deo præſtitum de non donando vxori conſtante matrimonio, eſt omninò inualidum, ergo non poteſt firmare donationem, quæ eſt de iure inualida. Conſequentia probatur, quia iuramentum ſecundum ſe inualidum non poteſt actui, cui adijcitur, tribuere vim, quam non habet in ſe ipſo, ergo cum ſit inualidum non poteſt tribuere efficaciam donationi, cui adijcitur. Antecedens verò probatur, quia illud ſecundum iuramentum, per quod aſſerunt firmari donationem, eſt contrà fidem præſtitam Deo de non donando coniugi, ſicuti contrà eandem eſt ipſa donatio, adeòque eſt peccaminoſum, ſicuti eſt peccaminoſa ipſa donatio; non poteſt autem iuramentum vim obligandi conferre actui, qui ſecundum ſe peccaminoſus eſt, & periurium inducit; Confirmatur, quia actus ille donationis contra prius iuramentum præſtitum Deo de non donando non ſolum eſt contrà bonos mores ciuiles, quatenus eſt contra iura interdicentia huiuſmodi donationes ſub nullitate, ſed etiam contra bonos mores naturales, quatenus eſt contra fidem præſtitam Deo ſub iureiurando, ergo non poteſt firmari per ſubſequens iuramentum de non contraueniendo donationi iam poſitæ. Conſequentia probatur, quia iuramentum, quod eſt contra bonos mores naturales, nullius roboris eſt, & ad nihil obligat.

4 **Soluuntur rationes oppoſitæ.** Hinc ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, reſpondendum eſt, & quidem, quantumvis illud iuramentum eſſet dumtaxat in ſolius iurantis vtilitatem, quia tamen fides obligata eſt Deo per ipſum iuſiurandum non poteſt eidem iurans cedere vtiliter, niſi lædat ius Dei, in cuius iniuriam cedit illa ceſſio. Deindè illud iuramentum non ſolum eſt in vtilitatem ipſius iurantis, ſed etiam hæredum ipſius, adeòque &c.

Solum hic remanet dubitandum, an ille, qui iurauit de non donando relato iuramento ad ſolum Deum, & non ad
5 **Poteſt tamen, qui ſic iurauit relate ad ſolũ Deum petere relaxationẽ iuramenti.** hominem, poſſit petere relaxationem iuramenti, & ſic donare, & donationem firmare iuramento. Reſpondendum eſt, vtique iuſtè poſſe petere, & obtinere relaxationem ab eodem iuramento, ſicque donare, & donationem alio firmare iuramento. Ratio ex eo deducitur, quia, cum iuramentum illud præmiſſum de non donando reſpiciat ſolum iurantis commodum, Eccleſia ad inſtantiam eiuſdem ſubtrahens materiam, ſupra quam cadit ipſum iuramentum, vtique ipſum iuramentum deſtruit quodamodò indirectè, & licet illud iuramentum cedat quodamodò etiam in vtilitatem hæredum, quia tamen ipſi ius non habent in bonis ſui principalis, niſi tantum in ſpe, quouſque viuit ipſe principalis, vtique non impediunt, quo minus ipſe principalis viuens poſſit de illis diſponere, ſi tamen per relaxationem iuramenti remittatur in ſuo primæuo iure.

---

§. IV.

An contractus inualidus firmetur iuramento contra prius iuramentum de non contrahendo, quandò is, cum quo contrahitur, non erat conſcius prioris iuramenti.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum. 1.
Sententia aſſerens firmari tali iuramento. 2.
Ille contractus non obſtante ignorantia prioris iuramenti reſpectu alterius non firmatur poſteriori iuramento. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 4.

DISQVISITIO IV. Contracto matrimonio Titij cum Caia ſtatuit in 1 **Facti ſeries exponitur.**
corde ſuo Titius de non contrahendo, ſeù de non donando eidem Caiæ; deinde cum eadem contraxit, quæ tamen erat penitus ignara iuramenti prioris eliciti ab eodem Titio, qui etiam iuramento firmauit contractum, ſeù donationem. Quæſitum hic fuit, an ſtante ignorantia vxoris contrahentis, ſeù donatariæ ille contractus, ſeù donatio firmetur iuramento contrà prius iuramentum de non contrahendo, ſeù de non donando.

Aſſerunt, firmari huiuſmodi contractus, ſeù donationes, quandò alter eſt penitus ignorans iuramentum contrà prius iuramentum *Coaruuias de pactis 2. parte §. 2. num. 4. Villalobos in commun. opin. lit. I. num. 213. Gutierez de iuramento prima pars c. 1. num. 88.* Rationem huius 2 **DD. aſſerente firmari tali iuramento.**
opinionis eam exiſtimo eſſe, quia æquum non videtur, vt innocens, ſeù penitus ignarus iuramenti alterius in contractu ex ille fraudetur iure, quod ex eodem contractu percepit, nec æquum eſt, vt vnius contrahentis culpa alteri innocenti, ſeù ignoranti culpam officiat. Adde, quod ille, qui præmiſſo priori iuramento contraxit, vel donauit, præſumitur, quod doloſe tacuerit tempore alienationis, &

contractus, vt alterum circumueniret; iura autem deceptis ſubueniunt, non decipientibus, ergo ex parte ipſius decipientis validus ſupponitur contractus, ſeù donatio, quantum poſſit ſubſequenti iuramento confirmari. His tamen non obſtantibus.

3 Non firmatur poſteriori iuramento. Reſpondeo, illum contractum, ſeù donationem non obſtante ignorantia prioris iuramenti reſpectu alterius contrahentis, ſeù donatarij non firmari poſteriori iuramento. *Seraphinus de priuil. iurament. priuileg. 75. nu. 51 Matienzo lib. 5. recopil as. tit. 10. l 3. gloſ. 13. nu. 9. Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 13. num. 6. verſ. ſed merito cum Immola.* Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, nempè actum, circa quem verſatur ſecundum iuramentum omninò peccaminoſum eſſe, & importare periurium, ergo vt pote aduerſans diſpoſitioni iuris naturalis non poterit ſubſiſtere, nec poterit firmari poſteriori iuramento, quandòquidem, & ipſum ſecundum iuramentum, vt potè accedens actui, qui opponitur iuri naturali, & bonis moribus naturalibus inualidum eſt, & vim, quam non habet in ſe ipſo, non poteſt tribuere actui, cui adijcitur.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam, quod, quandò contractus, vel donatio ſunt à iure inualida, parum referre poſſit alteri contrahenti, quod ex culpa alterius non fiat validus, ſeù confirmetur, quandòquidem ſibi imputare debet, quod non præcauerit, contrahendo validè, vel reuocando impedimentum, ex quo conſurrexit inualiditas; & ſicuti eidem non officitur ex eo, quod contrahens, ſeù donans contractu, ſeù donatione à iure inualido, ſeù inualida eundem contractum non firmet iuramento, ità nec eidem officitur, quod contrahat, ſeù donet inualide cum iuramento, quandò hoc iuramentum non poteſt firmare contractum, ſeù donationem propter aliud præcedens iuramentum, quod infirmat hoc poſterius cum ipſa donatione, ſeù contractu; ſemper enim valet dicere, quod contractus ille non ſubſiſtat, nec firmetur, cum iuramentum ipſum poſterius, vtpotè peccaminoſum, & aduerſans bonis moribus naturalibus nullum vim in ſe habeat, & propterea, nec poteſt vim actui inualido, cui adijcitur, conferre. Ad illud, quod additur, dicendum eſt ad ſummum verificari, quandò contrahens inualidè doloſe egit cum præiudicio alterius contrahentis, tunc etenim tenetur reparare damna, quæ ex tali dolo prouenerunt, ſecus autem, quandò bona fide egit: tunc enim ſtandum eſt contractui ſecundum ſe, qui cum ſit inualidus, nec poſſit firmari propter impedimentum prioris iuramenti per ſubſequens iuramentum, remanet in ſuo eſſe inualido, & inualiditas non prouenit ex malitia contrahentis, ſeù donantis, ſed ex natura actuum, ſeù ipſius donationis, & contractus propter additamentum eiuſdem prioris iuramenti.

---

§. V.

An donatio inter coniuges morte confirmata retrotrahatur tam quoad fructus induſtriales, quàm quoad naturales.

SVMMARIVM.

Exponitur ſeries difficultatis. 1.
Quid ſint fructus induſtriales, & quid naturales. 2.
Fructus induſtriales retrotrahuntur. 3.
Confirmata donatione per mortem donatoris retrotrahuntur etiam fructus naturales. 4.

DISQVISITIO V., & vltima. Dictum eſt in præcedentibus donationes factas inter coniuges conſtante matrimonio, ſi confirmentur morte donatoris, retrotrahi ad tempus earundem donationum, non quidem quoad dominium, ſed tantum quoad fructus. Porro fructus ſunt in duplici differentia, alij ſunt fructus mere induſtriales, qui procedunt præcisè ex induſtria poſſidentis, alij mere naturales, qui ex natura ſua procedunt à re, cuius habetur poſſeſſio; alij mixti, qui partim procedunt ex induſtria, partim à natura. His igitur ſic ſuppoſitis Caius conſtante matrimonio contulit plura dona pretio æſtimabilia Feboniæ coniugi ſuæ, quæ non tantum erant fructifera ex natura ſua, ſed etiam maximè apta fructificare ex induſtria poſſidentis, & de facto conſtante matrimonio non ſolum percepit fructus naturales, ſed etiam induſtriales, & mixtos. Quæſitum hic fuit, an, ſi illa dona fuerint confirmata morte donatoris, intelligantur retrotracta non ſolum quoad fructus induſtriales, quos eadem Caia ex propria induſtria percepit, ſed etiam quoad fructus naturales, qui ex ipſis rebus proueniunt. 1 Factum tale. 2 Quid ſint fructus induſtriales, & quid naturales.

3 Fructus induſtriales retrotrahuntur. Quoad fructus merè induſtriales donationem retrotrahi non videtur in dubium reuocandum, quandòquidem non tam à re ipſa, quàm ex induſtria donatarij proueniunt, quinimmò ex ſola induſtria occaſione rei donatæ, & ſicuti, ſi depoſitarius occaſione rei depoſitæ ex propria induſtria aliquid lucratur, ſibi acquirit, non deponenti, quia non ſunt fructus rei, ſed ſolius induſtriæ, ità, ſi donatarius ex re ſibi donata ab altero coniuge aliquid acqui-

Digitized by Google

rat ex propria induſtria, cenſendus eſt ſibi ipſi lucrati, non marito donanti, quia illud eſt fructus induſtriæ; non enim denegari poteſt, quin majorem, vel ſaltem æqualem habeat poſſeſſionem rei donatæ coniux donatarius, ac habeat depoſitarius rei apud ſe depoſitæ. Accedit, quod ex ſuperius dictis in tantum donationes inter coniuges à iure ſub nullitate vetantur & prohibentur, in quantum ex illis donator fit pauperior, ſed ex eo, quod donatarius lucra acquirat ex induſtria propria dependenter à re donata, donans non fit pauperior, quandòquidem illi fructus non ſunt ex proprio patrimonio, ſed ex induſtria donatarij, ſine qua non fuiſſent acquiſiti, ergo &c.

4 Etiam fructus naturales retrotrahuntur.

Reſpondeo, confirmata donatione per mortem donatoris non ſolum retrotrahuntur ad tempus, quo facta eſt donatio, fructus induſtriales, ſed etiam mixti, & naturales. In hanc aſſertionem propendere videntur *Gloſa in l. donationes quas parentes verb. referatur, & ibi Baldus in fin. C. de donat. inter vir. & uxor. Gloſa l. talis ſcriptura in fin. ff. de legat. 1. Hoſtienſis in ſumma tit. de donat. inter vir. & uxor. nu. 9. verſ. & quod dicis, Bartolus l. ſequens quæſtio ff. de legat. 2. Crottus l. ſi is qui pro emptore num. 15. ff. de uſucap. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 72. nu. 1. Couarruuias rub. de teſtam. 3. part. num. 5. Antonius Gomez 2. var. c. 4. nu. 13. verſ. aduertendum, Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 289. verſ. vt diſputatione præcedenti, Ludouicus Lopez lib. 2. de contract. cap. 47. ad fin. §. notandum eſt*, qui omnes indiſtinctè loquuntur de fructibus, qui proptereà etiam indiſtinctè intelligendi ſunt, tam de induſtrialibus, quàm de naturalibus. Et iuxtà hunc ſenſum intelligenda ſunt etiam iura *in l. donationes, quas parentes C. de donat. inter vir. & uxor verſ. ſi vero vel non amplior, & l. cum pater § pater filia ff. de legat. 2.*, quæ etiam iura procedunt ſine limitatione, vel quoad fructus naturales, vel quoad induſtriales, & proptereà amplè, & illimitatè intelligenda ſunt quoad omnes. Probatur tamen alia ratione, quia, ſi ſolummodò retrotraheretur donatio quoad fructus induſtriales fruſtratoria, & inutilia eſſent iura diſponentia de huiuſmodi retrotractione quoad fructus, quandòquidem independenter ab illis iuribus fructus merè induſtriales acquirerentur eidem donatario, nam fructus induſtriales ſequuntur induſtriam, non rem ipſam. Confirmatur, quia potius debet eſſe ius donatarij, quandò donatio ſecundum ſe inualida confirmatur morte donatoris, ac quandò per mortem eiuſdem non confirmatur, ſed potius donatore viuo reuocatur, vt ex ipſis terminis patet, ſed quandò morte donatoris non confirmatur, ſed potius eiuſdem viuentis voluntate reuocatur, fructus induſtriales pro tempore, quo res donata manſit penes donatarium, cedunt eidem, non donatori, ſiquidem non ſunt fructus rei, ſed induſtriæ, ergo, quandò donatio eſt confirmata morte donatoris, non ſolum fructus induſtriales cedunt eidem donatario, ſed etiam fructus mere naturales, cæteroqui iura diſponentia de huiuſmodi fructuum retrotractione ad nihil penitus inſeruirent. Atque hæc de donationibus inter coniuges dicta ſint ſatis. Reliqua, ſi quæ deſiderantur, recolenda ſunt apud iuris interpretes. Faxit Deus, vt dona, quæ recepimus Deo adiuuante in matrimonio ſpirituali cum Deo per gratiam, interueniente morte confirmemus, & plene poſſideamus per gloriam.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Finis huius ſeptimi voluminis ad laudem omnipotentis Dei, Deiparæ Virginis, & Doctoris Gentium.

Digitized by Google

INDEX RERVM

C. ſignificat Contractum, M. Matrimonium, P. Prænotionem, D. Diſquiſitionem, §. Paragraphum, n. numerum marginalem, p. paginam.

A

ABSENTIA diuina alterius coniugis non inducit ſufficientem certitudinem, vt alter poſſit ſecundo nubere C. 15 m. 4 P. 2. nu. 3. p. 311

Abſentia quinquennalis ex iure ciuili antiquo præſcripta non ſufficit ibid. nu. 5. p. 311

AFFINITAS in impetratione diſpenſationis in quacunque linea in primo, & ſecundo gradu exigit, vt exprimatur, an fuerit ex copula licita, vel illicita C. 15. P. 23. n 15. p. 125

Affinitas indifferens eſt, vt contrahatur ex copula licita, vel illicita ibid. p. 126

Affinitas, an duplex oriatur, exponitur in duplici caſu C. 15. D. 2. §. 30. n 2. & 3. p. 282

Affinitas duplex, & duplici titulo eſt vtraque exponenda in impetratione diſpenſationis C. 15. D. 2. §. 31. nu. 2. p. 283

Affinitas eſt genus ad ſe ipſam, vel vt oriatur ex copula licita, vel fornicaria C. 15. D. 2. § 36. n. 4. p. 391.

AMASIVS fornicans cum vidua ſubijcitur indirecte, & in conſequentiam omnibus pænis iuris, quibus directè afficitur eadem vidua fornicans per ordinem ad ſecundum maritum contrahentem cum ipſa C. 15. M 4. D. 1. § 18. n. 2. p. 389

Amaſius fornicans cum vidua ſubijcitur directè omnibus pænis illis, quibus directe ſubijcitur ſecundus coniux contrahens cum vidua, ſiue intra annum luctus, ſiue poſt, ibid nu. 3 p. 389

Amaſius viduus intra annum luctus fornicans cum virgine non incurrit infamiam ibid. nu 4. p. 390

ARCHIEPISCOPVS nequit in legibus concilij Prouincialis diſpenſare quoad ſuos ſubditos C. 15. P. 11. num 42. p. 57

Archiepiſcopus poteſt diſpenſare in legibus ſinodalibus ibid. n. 43. p. 57

Archiepiſcopus in legibus ſinodalibus poteſt diſpenſare, quantumuis à ſede Apoſtolica fuerint approbata, non quando ipſis adiectum eſt robur Apoſtolicæ auctoritatis ibid. n. 44. p. 58

Archiepiſcopus non poteſt in huiuſmodi legibus diſpenſare, ſi tranſierint in contractum in fauorem tertij ibid.

ARGVMENTVM à maiori ad minus, vel à ſimili in diſpenſationibus non valet, quando minus, vel ſimile non comprehenditur in maiori, & ſimili, tanquam pars in toto, nec in ſimili tanquam in connexo C. 15. P. 6. n. 2. p. 21

Argumentum à maiori ad minus valet, quando ratio expreſſa pro maiori æquè militat pro minori ibid. num. 7. p. 23

Item, quando conceſſiones non proueniunt ab homine, ſed à iure ibid. n 8.

Item quando maius, & minus ſunt in eodem genere ibid num. 9.

Argumentum à matrimonio corporali conſummato ad ſpirituale per profeſſionem in omnibus non valet C. 15. P. 10 n. 10. p. 34

Argumentum à paternitate carnali ad ſpiritualem non valet C. 15. P. 23. n. 13. p. 123

AVGMENTVM dotis, vide Donatio propter nuptias vxor.

Augmentum dotis factum conſtante matrimonio à viro ignobili, aut ſene vxori nobili, & iuueni probabilius gaudet priuilegijs dotis C. 15. M. 5 D 1. §. 4. n. 4. p. 465

B

BENEDICTIONES non ſunt impertiendæ ſecundis nuptijs, & quare C. 15. M 4 D. 1. §. 1. num. 2. pag. 270

Benedictiones nuptiales poſſunt fieri in ſecundis nuptijs, ſi neuter ex coniugibus fuerit benedictus in primis ibid. n. 2. p. 370

Benedictiones poſſunt fieri in ſecundis nuptijs, ſi primæ nuptiæ reſpectu eorundem contrahentium fuerint irrita, quamvis benedicta C. 15. M. 4. D. 1. §. 2. n 3. p. 371

Benedictiones poſſunt impertiri in ſecundis nuptijs, quando vnus, qui contraxit primò inualide, contrahit ſecundo cum Virgine ibid. n. 3.

Benedictiones poſſunt impertiri, quandò qui fuit inualide coniugatus, contrahit cum alia etiam inualidè coniugata ibid. n. 4. p. 372

Benedictiones non poſſunt impendi de nouo, quandò inualidè coniugatus cum vna de nouo contrahit cum alia valide coniugata & benedicta ibid. n. 5.

BIGAMIA ſimilitudinaria eſt diſpenſabilis à prælatis regularibus in ordine ad ſuos ſubditos C. 15. P. 12. n. 15. p. 61

Bigamia vera, & interpretatiua etiam ſecundum aliquos ibid. num. 16.

CAV-

Digitized by Google

C

CAVSA diſpenſationis in impedimentis de iure diuino debet eſſe bonum commune ſaltem indirectè C.15 P 3.n.2. p.10.
Cauſa ſufficiens reſpectu vnius poteſt eſſe inſufficiens reſpectu alterius ibid. n.3. p.10
Cauſa, ob quas diſpenſatur inter magnates contrahendi in ſecundo conſanguinitatis gradu, ſunt bonum pacis, conſeruatio familiæ &c. C. 15. P. 3. n 6. p.10
Cauſa, ob quas Pontifex quandòque diſpenſat cum inferioribus ad contrahendum in ſecundo conſanguinitatis gradu ibid. n. 9. p.11
Cauſa leuiores requiruntur, & ſufficiunt ad diſpenſandum in gradibus remotioribus ibid n.10. p.11
Cauſa ſufficiens ad diſpenſandum in impedimentis matrimonij eſt qualitas perſonæ C. 15. P. 3. n. 10. p.11
Explicatur, in quo conſiſtat hæc qualitas ibid. n 11. p 11
Cauſa ſufficiens diſpenſationis eſt paupertas, & nobilitas in fœmina ibid. n.11.
Cauſa ad diſpenſandum poteſt eſſe qualitas temporum, & quomodò ibid. n. 16. p.13
Et etiam, ſi in locis circunſitis eſſet alia perſona non conſanguinea ſimilis conditionis ibid. n. 17. pag. 13
Cauſa diſpenſandi eſt neceſſitas ad conſeruandas diuitias in eadem familia ibid. n.19.
Cauſa aliæ ſufficientes ad diſpenſationem in impedimentis matrimonij exponuntur ibid. n. 20. p.14
Cauſa diſpenſandi ſuper impedimenta matrimonij eſt compoſitio pecuniaria in ordine ad bonum publicum ibid. n 21. p.14
Cauſa pietatis eſt ſufficiens ad diſpenſandum, & quomodò ibid. n. 22. p.15
Cauſa pietatis non ſufficit, quandò fœmina habet dotem ſufficientem ad nubendam cum pari, non autem cum prapotente ibid. n. 22. p.15
Excipe in caſu, quo eſſet relicta hæreditas, & fœmina, & perſona præpotenti ſub conditione, vt inirent matrimonium ibid n.23.
Cauſa diſpenſationis eſt euentus rei, & quomodo ibid. n 25. p.15
Cauſa cohoneſtans diſpenſationem eſt ratio multitudinis, & quomodo ibid n 27. p.16
Cauſa diſpenſandi in iis, quæ ſunt iuris diuini, puta voti caſtitatis debet obſtare illius executioni ibid. n. 28. pag. 16
Cauſa quomodo obſtare poſſit executioni voti ibid.
Cauſa fauorabilis quos præſtet effectus in matrimonio C.15. P.5 n.3. p.20
Cauſa diſpenſationum duplex altera finalis, altera impulſiua C.15. P.8. n.1. p.25
Cauſa impulſiua ceſſante tempore petitionis ante conceſſionem non ceſſat diſpenſatio, ſi poſteà fuerit conceſſa, bene tamen ceſſante cauſa finali C. 15. P. 8. n. 2. p.25
Cauſa etiam finali ceſſante dato iam reſcripto per ſuperiorem, ſed nondum executo per commiſſarium ceſſat diſpenſatio ibid. n. 3. p.26
Cauſa finali diſpenſationis ceſſante, eademque diſpenſatione abſolutè conceſſa, vel expedita per commiſſarium probabilius ceſſat diſpenſatio, ſi nondum fuerit deducta ad ſuum vltimatum finem ibid. n. 6 pag. 27
Etiam ſi deducta fuerit ad ſuum vltimatum finem, ſi hic patiatur diuiſionem ibid.
Cauſa finali ceſſante conſummata iam diſpoſitione in ſuo effectu vltimato non admittente ſucceſſionem non ceſſat diſpenſatio ibid. n 8. p.28
Cauſa diſpenſationis facienda ad contrahendum inter conſanguineos eſt paupertas fœminæ, quæ non habeat ſufficientem dotem ad contrahendum cum pari, niſi cum conſanguineo, qui conſtituat augmentum ſufficiens ad dotem congruam C. 15. P.16. n.11. p.160
Cauſa omnes, propter quas conceduntur diſpoſitiones in ordine ad impedimenta C.15. D 3. § 9 à n.6. ad 14. pag. 305
CLAVSVLA in reſcriptis, ſi preces veritati nitantur, *quomodò ſit intelligenda C.15. P 21. n. 15.* p.99
Clauſula in literis ſacræ pænitentiariæ Quatenus, ſi ita eſſe, & latorem ſtimulis carnis adeſſe agitatum, vt maximè dubitet continere non poſſe, *quomodò intelligenda C.15. P.25. n. 16.* p.139
Vide verbo Tentationes carnis, & Incontinentia.
Clauſula in literis ſacræ pænitentiariæ, Si ità eſſe per diligentem oratoris examinationem, ac poſt monita, & conſilia opportuna &c. *quomodò ſit intelligenda ibid.* p.141
Vide verb. Examen, Monitum, Commiſſarius.
Clauſula in eiſdem literis Eum à mutatione propoſiti abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta &c. *quomodò ſit intelligenda ibid. n.28* p.143
Clauſula iſta eſt conditionata, non abſoluta ibid.
Vide Verb. Diſpenſatio, Pænitentia, Commiſſarius, Confeſſarius.
Clauſula in eiſdem literis, Diſpenſando commutes in foro conſcientiæ tantum, *quomodò ſit intelligenda ibid n. 40.* p.148
Vide verb. Commiſſarius, Diſpenſatus, Diſpenſatio.
Clauſula, dummodò impedimentum inde proueniens occultum ſit, *quomodò intelligenda ibid. n. 48.* p 150
Vide verb. Notorium, Impedimentum.
Clauſula Diſpenſes prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiando in foro conſcientiæ tantum *quid importet ibid. n. 55.* p.153
Vide verb. Diſpenſatio.
Clauſula Diſpenſas prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiando in foro conſcientiæ tantum *quid importet ibid. n. 55.* p 153
Vide verb. Diſpenſatio.
Clauſula cum ipſis latoribus certioratis de nullitate prioris contractus diſpenſa *importat conditionem, & formam, non tamen rigoroſam ibid n. 57. pag.* 154
Vide verb. Diſpenſatio.
Clauſula, ſed præſentibus laceratis. Quas lacerare tenearis, neque latori reſtituas, quod ſi reſtitueris, nihil illi præſentes ſuffragentur *ibid.* p.155
Vide verb. Litera ſacra pænitentiaria.
Clauſula à tergo literarum Gratis vbique, *quid importet ibid. n 63.* p.156
Vide verb. Maior pænitentiarius, Commiſſarius.
Clauſula ſolita apponi in commiſſionibus diſpenſationum pro foro externo Dummodò mulier rapta non fuerit *non debet intelligi reſtrictiuè quandò ſci-*

Digitized by Google

ſcilicet ſolum rapta fuit ad finem matrimonij contrahendi C. 15. P. 26. n. 16. p. 162

Vide verb. Raptus, rapta.

Clauſula Prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiando *poſita in commiſſione diſpenſationis pro foro externo ponitur ad cautelam, non ad neceſſitatem ibid. n. 18.* p. 163

Clauſula generalis derogatoria Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs non obſtantibus *derogat decreto Concilij Generalis, quamvis de illo non fiat mentio ibid. n. 19.*

COGNATIO ſpiritualis non exigit, vt exprimatur paternitas, & filiatio, ſed ſufficit, quod exprimatur nomine eiuſdem cognationis ſpiritualis C. 15. P. 23. n. 13. p. 123

Cognatio ſpiritualis non exigit in impetratione diſpenſationis exprimatur, an ſit contracta in baptiſmo, vel confirmatione ibid. p. 123

COMMISSARIVS ſacræ pœnitentiariæ ad expediendas literas pro diſpenſationibus matrimonij quale examen debeat peragere C. 15. P. 25. n. 19. p. 141

Commiſſarius non tenetur exigere iuramentum oratoris de veritate dicenda ibid. n. 20.

Commiſſarius in huiuſmodi examine debet inquirere grauitatem ſtimulorum carnis, extenſionem periculi incontinentiæ, inclinationem naturæ, fragilitatem complexionis &c. ibid. n. 21.

Commiſſarius, ſi aliunde nouerit preces veritati non inniti, non debet acquieſcere dicto Oratoris ibid. n. 22.

Commiſſarius, ſi nouerit ſolum falſitatem precum ex præcedentibus confeſſionibus non poteſt oratorem dimittere ibid. nu. 23. p. 142

Commiſſarius, ſi aliunde nouerit veritatem narratorum poteſt omittere diligentem oratoris examinationem ibid. n. 24. p. 142

Commiſſarius, ſi diſpenſarit ſine prævia cognitione, & examine, diſpenſatio non tenet, quamvis preces in ſe veræ ſint ibid. n. 25. p. 142

Commiſſarius quænam monita, & conſilia præſtare deberet ibid. n. 26. p. 143

Commiſſarius, ſi omittat huiuſmodi monita, non inualide diſpenſat, ibid. n. 27.

Commiſſarius attentis præſenti ſtilo ſacræ pœnitentiariæ non poteſt expedire diſpenſationes, niſi in ſacramentali confeſſione ibid. n. 29. p. 144

Etiam ſi non apponerentur clauſulæ, quæ modo apponuntur ibid. n. 30.

Commiſſarius diſpenſans in ſacramentali confeſſione, ſed inualida, non inualidè diſpenſat ibid. n. 31. p. 145

Niſi eſſet inualida ex defectu integritatis circa rem diſpenſabilem ibid. n. 32.

Commiſſarius in diſpenſatione pro foro interno non tenetur imponere pœnitentiam menſtruæ confeſſionis, ibid. n. 33. p. 146

Commiſſarius vltrà menſtruam confeſſionem tenetur aliquam aliam pœnam imponere ibid. n. 37. p. 147

Commiſſarius literarum ſacræ pœnitentiariæ non eſt reus culpæ, ſi aliquid acciperet ſponte oblatum iuxta conſuetudinem ibid. n. 64. p. 157

Commiſſarius nequit aliquid accipere, tanquam precium laboris impenſi in expeditione literarum ibid. n. 65. p. 157

Commiſſarius nec poteſt accipere eſculenta, nec poculenta ibid. n. 66.

Commiſſarius pro expediendis diſpenſationibus pro foro externo eſt officialis ordinarij, cui dirigantur huiuſmodi literæ C. 15. P. 26. p. 158

Commiſſarius ad diſpenſandum pro foro externo, ſi executus fuerit diſpenſationem ante conſtitutionem augmenti dotis promiſſi, ſit tamen certus de eadem ponenda, validè diſpenſauit C. 11. P. 26. n. 13. p. 161

Ad quam quantitatem debet aſcendere illud augmentum ibid. n. 14.

Commiſſarius pro foro externo in examine ſuper preces non debet ex neceſſitate procedere per modum Iudicij ibid. n. 15. p. 161

Commiſſarius non debet ex neceſſitate aſſumere informationes ſuper cauſas, quandò Pontifex diſpenſauit ſine cauſa C. 15. P. 26. n. 20. p. 163

Commiſſarius non debet inſtituere inquiſitionem ſuper nobilitate, quandò in literis eiuſdem fit mentio per modum narrationis, ſecus, ſi per modum conditionis ibid. n. 21. p. 164

Commiſſarius diſpenſans ſine cognitione cauſæ, quandò diſpenſatio ipſi commiſſa eſt expreſſo nomine diſpenſandi nulla facta mentione cognitionis cauſæ, validè diſpenſat C. 15. D. 1. § 4. n. 4. p. 174

In hac hypotheſi ſupponitur cognitio in committente ibid.

Commiſſarius Cruciatæ non poteſt habilitare ad munera ſpiritualia natum ex matrimonio inualido, niſi etiam diſpenſauerit in impedimento matrimonij, & niſi de nouo contraxerint C. 15. D. 2. § 4. n. 3. p. 229

Commiſſarius non poteſt diſpenſare in voto in fauorem tertij ab illo acceptato. Vide Votum.

COMPOSITIO pecuniaria eſt ſufficiens cauſa ad diſpenſationem in impedimentis matrimonij C. 15. P. 3. n. 21. p. 14

Compoſitio pecuniaria ſufficiens eſt pro diſpenſationibus ſuper impedimenta iuris Eccleſiaſtici C. 15. D. 1. § 9. num. 2. p. 181

CONDITIO ſuſpenſiua, & reſolutiua quid ſint, & earum diſcrimina C. 15. D. 2. § 8. n. 3. p. 234

Regula ad dignoſcendum, quandò conditio ſit ſuſpenſiua, & quandò reſolutiua ibid. num. 4. pag. 234

Conditio appoſita in permutatione beneficiorum, vt bona temporalia, quæ in illa permutantur, ſint omnino libera, & vbi eſſent aliqua non libera, non intelligatur facta commutatio, & non aliter, cum aliter &c. eſt reſolutiua, non merè ſuſpenſiua ibid. num. 5. pag. 235

Conditione illa pendente fructus medij temporis ſunt eius, in quam bona illa transferuntur ibid. n. 6. p. 236

Conditio reſpectu viduæ non nubendi licita eſt C. 15. M. 4. P. 8. n. 2. p. 335

CONFESSARIVS, qui ſit Magiſter in Theologia, & Doctor Canonum, qui non ſit ſimpliciter approbatus ab ordinario ad confeſſiones, ſed tantum ad certas perſonas, non poteſt exequi literas pœnitentiariæ, niſi cum illis perſonis, ad quas eſt approbatus ſaltem directè loquendo C. 15. P. 25. n. 9. p. 136

Confeſſarius debet eſſe approbatus ab ordinario ad exequendas huiuſmodi literas, nec ſufficit publicum academiæ teſtimonium ibid. n. 10. p. 137

Confeſſarius vnus ſemel electus ad exequendas huiuſmodi literas poteſt omitti, & alius eligi, qui exequatur ibid. n. 11. p. 138

Digitized by Google

Confeſſario vno electo ex habilibus, qui nolit diſpenſare ex eo, quod reputat literas ſubreptitias, poteſt alter eligi, qui diſpenſat ibid. n.13. p.139

Confeſſarius electus, qui ex aliqua cauſa negauit executionem, non impeditur, quominus mutata voluntate poſſit poſteà exequi ibid. n. 14. p. 139

Confeſſarius approbatus tantum ad maſculos diſpenſando cum eiſdem quaſi indirectè prodeſt feminis, cum quibus maſculi intendunt contrahere ibid. num. 15. pag. 139

Confeſſarius ex vi generalis facultatis diſpenſandi ſuper votis nulla facta expreſſione reſeruatorum non poteſt diſpenſare ſuper voto caſtitatis perpetuæ C. 15. D. 2. §. 19. n.3. p.258

Confeſſarius ex vi generalis facultatis diſpenſandi ſuper votis etiam cum expreſſione reſeruatorum poteſt diſpenſare etiam ſuper voto caſtitatis ibid. n. 4. p.259

CONFESSIO non eſt neceſſaria ad conſequendum Iubilæum, quando non adeſt peccatum lethale C. 15. D.2. §. 25. n.2. p.271

Intellige, niſi iniungatur, vt opus, ſeu vt pars operis ibid. n. 3. p.271

CONIVX, qui non habito certo nuntio, nec alia morali certitudine de morte alterius conuolauit ad ſecundas nuptias non inualidè contraxit, ſi coniux re vera erat mortuus, ſecus inualidè C. 15. M. 4. P. 2. nu.12. p.313

Coniux, qui ſic conuolauit non habito &c. grauiter peccauit ibid. n. 13. p.313

Coniux, qui ſine tali certitudine contraxit non poteſt petere debitum, tenetur tamen reddere ibid. n. 14.

Coniux ſine tali certitudine contrahens cum altero, qui etiam ſit dubius de morte prioris coniugis, nec ipſe poteſt petere, nec alter perſeuerante dubio, ſecus eo depoſito ibid. nu.16. p.314

Coniux, ſi habita morali certitudine de morte alterius ſecundas nuptias contraxerit, ſi verè alter non fuerit mortuus, & apparuerit, tenetur ad ipſum redire ibid. n. 17. p.314

In hoc caſu filij ſuſcepti ex ſecundis nuptijs habentur pro legitimis, & quomodò ſuccedant ibid. n. 18. p.314

Etiam ſi matrimonium illud inualidum non conualidetur per aliud ſubſequens validum ibid. nu. 20. p.315

Coniux, de cuius obitu habita fuit moralis certitudo, ſi re vera fuerit mortuus, & reſurrexerit, non habet ius, vt ſibi reſtituatur alter coniux, qui ad ſecundas nuptias conuolauit ibid. n.21. p.216

CONTRACTVS inualidus firmatus iuramento contra prius iuramentum de non contrahendo, quandò is, cum quo contrahitur, non erat conſcius prioris iuramenti, non tenet C.15. M.5. D.2. §. 4. n.3. p.482

CONTRAHENTES ſcienter cum impedimento dirimente carere debent ſpe diſpenſationis C. 15. P. 3. n. 26. p.15

Intellige, ſiue illud impedimentum fuerit conſanguinitatis, ſiue alterius generis ibid. n.27. p.16

D

DISPENSANDI poteſtas, ſiue ordinaria, ſiue delegata eſt ex ſe latè interpretanda C. 15. P.19. n. 1. p.88

Diſpenſandi poteſtas delegata eſt ſtrictè interpretanda, quandò cedit in præiudicium tertij ibid. n. 2. p.89

Item quando eſt limitata per conſuetudinem ibid. n. 3.

Diſpenſandi poteſtas delegata limitari debet intra ſeriem caſuum conceſſioni adaptabilium ibid n.4. p.89

Item vt non extendatur ad caſus, qui ſunt ſupra poteſtatem concedentis ibid. n.5.

Diſpenſandi poteſtas delegata ſtrictè eſt interpretanda, quandò eſt cum expreſſione certarum perſonarum ibid. n.6. p.89

Diſpenſandi poteſtas delegata extenditur etiã ad commutandum ibid. n 7. p. 90

Diſpenſandi poteſtas inuoluit etiam poteſtatem commutandi, non è contra, ibid n. 8. p.91

Diſpenſandi poteſtas delegata perſonalis expirat morte delegati C. 15. P.27. n.6. p.166

Secus, ſi fuerit realis ibid.

Diſpenſandi poteſtas delegata in impedimentis matrimonij, ſiue emanauerit à Summo Pontifice pro foro externo, ſiue à ſummo Pænitentiario pro interno non expirat morte concedentis ibid. n.9. p.167

Diſpenſandi facultas cum expreſſione diſpenſandorum, & ad ipſorum inſtantiam eſt ſtrictè interpretanda C. 15 D. 2. §. 3 n 2 p. 226

Diſpenſandi facultas quoad illegitimos ſine expreſſione maiorum, vel minorum ordinum reſtringenda eſt ad minores ibid n. 3. p. 227

Diſpenſandi facultas quando non conſtat, ad cuius inſtantiam ſit conceſſa, eſt ſtrictè interpretanda ibid. num 4. p. 227

Diſpenſandi facultas, quando eſt conceſſa pro determinato perſonarum numero non tamen cum expreſſione eſt latè interpretanda ibid. nu.5

Diſpenſandi facultas generalis in votis facta per Pontificem ſine exceptione, & ſine expreſſione reſeruatorum probabilius non extenditur quoad votum caſtitatis perpetuæ C. 15. D. 2. §. 19 n. 3. p. 258

Diſpenſandi facultas generalis facta etiam expreſſione quoad reſeruata trahitur probabilius ad votum caſtitatis C.15. D. 2. §. 19 n.4. p.259

Diſpenſandi facultas quoad votum caſtitatis non trahit facultatem etiam diſpenſandi ſuper voto Religionis C.15. D 2. §. 20. n 3. p.260

Diſpenſandi facultas quoad reſeruata etiam caſtitatis addita particula &c. trahitur etiam ad votum Religionis ibid. n.5. p.261

Diſpenſandi facultas quoad vota reſeruata excepto caſtitatis, vel Religionis ad neutrum ipſorum trahitur C.15. D. 2. §.20 n 6. p 261

Diſpenſandi facultas quoad omnia vota reſeruata excepto voto triplicis peregrinationis probabilius trahitur ad votum caſtitatis, & Religionis C 15. D. 2. §. 21. n.4. p 262

Diſpenſandi facultas in certo aliquo gradu indefinita quoad perſonas extenditur ad eundem gradum duplicatum C.15 D. 2. §. 32. n 5. p 284

Diſpenſandi facultas pro determinata perſona extenditur ad gradum duplicatum, ſi fuerit conceſſa in fauorem commiſſarij; non extenditur, ſi fuerit in fauorem petentis ibid. nu 7 p. 285

Diſpenſandi facultas quandonam præſumatur, quod fuerit in fauorem commiſſarij, & quandonam in fauorem petentis ibid. n.8. p. 285

Diſpenſandi poteſtas ſuper affinitate trahitur ad poteſtatem diſpenſandi ſuper publica honeſtate C. 15 D. 2. § 36. num. 2. p. 290
Diſpenſandi poteſtas ſuper conſanguinitate, cur non trahatur ad diſpenſandum ſuper affinitate, & tamen poteſtas diſpenſandi ſuper affinitate trahatur ad diſpenſandum ſuper publica honeſtate ibid. n 3. p. 290
Diſpenſandi facultas ſuper affinitate trahitur ad publicam honeſtatem etiam non exiſtente affinitate ibid. num. 5. p. 291
DISPENSARE potens, ſi fuerit ſupremus admittens ſcienter impeditum ad actum intelligitur cum illo diſpenſare C. 15. P. 16. n. 1. p. 79
In dubio, an fuerit ſcientia impedimenti non præſumitur, ſed eſt probanda ibid. n. 2. p. 80
Diſpenſare potens, ſi ſit ſupremus, & admittat ſcienter impeditum ad actum vrgente neceſſitate non præſumitur abſolutè diſpenſare, ſed tantum pro ſtatu neceſſitatis, niſi ſit ex illis actibus, qui non admittunt ſucceſſionem ibid. n. 3. p. 80
Diſpenſare potens admittens ſcienter ad vnum non intelligitur diſpenſare quoad omnia ibid. n. 4. p. 80
Diſpenſare potens etiam ſi non ſit ſupremus admittens impeditum interueniente cauſa intelligitur cum illo diſpenſare ibid. nu 6. p. 81
Diſpenſare potens admittens impeditum ignoranter non intelligitur diſpenſare ibid. n. 7. p. 81
Diſpenſare valens etiam tacens, & conniuens cum ſcientia impedimenti cenſetur diſpenſare ibid. nu. 8. pag. 82
Diſpenſare potens cum alijs de iure ordinario, vel delegato ſimpliciter poteſt alijs committere, vt diſpenſent cum ſe ipſo C. 15. P. 17. n. 1. p. 83
DISPENSATIO quoad quid nominis C. 15. P. 1. n. 1. pag. 2
Diſpenſatio quoad quid rei ibid. n. 3.
Diſpenſatio differt ab irritatione, interpretatione, abrogatione, & à priuilegio ibid. n. 3.
Diſpenſatio regulariter exigit iuſtam cauſam ibid. n. 4. pag. 3
Diſpenſatio facta à ſuperiore in ſua lege ſine cauſa valida eſt ibid n. 5. p. 3
Diſpenſatio facta ab inferiori in lege ſuperioris ſine cauſa eſt inualida ibid. n. 6. p. 4
Diſpenſatio in votis facta ſine cauſa à Pontifice non tenet ibid. n. 7. p 4
Nec facta ab Epiſcopo in lege Pontificis ibid. n. 8. pag. 4
Diſpenſatio in lege propria ſine cauſa eſt peccaminoſa lethaliter ibid. nu. 9.
Et non ſolum afficitur culpa diſpenſans ſine cauſa, ſed etiam petens diſpenſationem ibid. n. 10. pag. 5
Diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris ſine cauſa reali, putatiua tamen, in rigore iuris non tenet, bene ex æquitate ibid n. 12. p. 6
Diſpenſatio facta ab inferiori ſine cognitione cauſæ non tenet ibid. n. 13. p 6
Diſpenſatio cohoneſtatur ratione temporis, & quomodo C. 15. P. 2. n. 2. p. 8
Diſpenſatio ceſſante neceſſitate poſt tempus non euaneſcit ibid. n. 3. p 8
Diſpenſatio cohoneſtatur etiam ratione perſonæ, & quomodo ibid. n. 4. p. 8
Etiam intuitu pietatis ibid. n. 5.
Etiam intuitu neceſſitatis, & vtilitatis ibid. n. 6. & 7.
Et pro euentu rei ibid. n. 8. p. 9
Et pro ratione multitudinis ibid. n. 9.
Diſpenſatio in ſecundo conſanguinitatis gradu non eſt facienda, niſi inter magnates C. 15. P. 3. n. 4. p. 10
Nomine magnatum veniunt Domini titulati, qui habent iura meri, & mixti imperij ibid. n. 5. p. 10
Diſpenſatio in tali gradu, quandóque fit per Pontificem etiam cum inferioribus ibid. n. 8. p. 11
Cauſa, ob quas diſpenſat cum inferioribus ibid. n. 9. p. 11
Diſpenſatio in cæteris impedimentis, & gradibus remotioribus fit ex leuiori cauſa ibid. n. 9. p. 11
Diſpenſatio in impedimento poteſt eſſe ob qualitatem perſonæ ibid. n. 10. p. 11
In quo conſiſtat hæc qualitas ibid. n. 11.
Diſpenſatio in impedimentis conceditur ob paupertatem, & nobilitatem fœminæ ibid. n. 11.
Diſpenſatio titulo paupertatis in fœmina nobili tenet, quantumvis eadem fœmina bonis renuntiauerit eo animo, vt facilius diſpenſationem obtineret ibid. n. 12.
Diſpenſatio non tenet ratione paupertatis in fœmina nobili, ſi renuntiauerit bonis ad effectum facilius impetrandæ diſpenſationis, ſi renuntiauerit cum pacto retrodationis ibid. n. 12.
Diſpenſatio abſolutè conceſſa titulo paupertatis in fœmina nobili, ſi vere extiterit tempore conceſſionis, tenet, nec irritatur ex eo, quod ante contractum fœmina facta fuerit diues ob hæreditatem ipſi obuenientem ibid. n 13. p. 12
Diſpenſatio non abſolutè poſita, ſed commiſſa ordinario ratione paupertatis non tenet, ſi fœmina ante expeditionem ordinarij deuenerit in pinguiorem fortunam ibid n 14. p. 13
Teneret tamen, ſi fœmina renuntiaret hæreditati, ſeu legato ibid n. 15. p. 13
Diſpenſatio ratione qualitatis temporum poteſt permitti inter conſanguineos in aliquo loco, quamvis in locis circumſitis eſſent aliæ perſonæ non conſanguineæ paris conditionis ibid. n. 17. p. 13
Diſpenſatio cauſa conſeruandi diuitias in eadem familia tenet ibid. n. 19. p. 14
Diſpenſatio ob titulum pietatis tenet, & quomodo ibid. n. 22. p. 15
Diſpenſatio ob titulum pietatis non teneret, quando fœmina haberet dotem nubendi cum pari, non autem cum præpotenti ibid.
Diſpenſatio facta fœminæ ſuper impedimento titulo paupertatis non tenet, ſi habeat parentes præpotentes, quos poſſit compellere ad conſtituendam ſibi congruam dotem ibid. n. 24. p 15
Diſpenſatio, prout eſt relaxatio iuris communis eſt ſtrictè interpretanda C. 15. P. 4. n. 2. p. 17
Diſpenſatio, vt ſit ſtrictè interpretanda, ſufficit, ſi ſit contra ius commune, nec requiritur, vt ſit in præiudicium tertij ibid n. 3. p. 17
Diſpenſatio conceſſa motu proprio non eſt ſtrictè interpretanda ibid. n. 4. p. 18
Nec item, ſi ſit clauſa in corpore iuris ibid. n. 5. pag. 18
Nec item, ſi ſit facta in fauorem communitatis ibid. n. 6. p. 18

Nec

Digitized by Google

Nec item, ſi ſit debita in aliquo conſenſu ibid. n. 7.

Nec item, ſi conſtet de ampla concedentis intentione ibid n. 8.

Diſpenſatio ſuper illegitimitate quoad ordines ſine expreſſione intelligitur tantum quoad minores ibid. n. 10. p. 19

Intellige, niſi ſit iam promotus ad minores ibid. n. 11. p. 19

Diſpenſatio ſuper illegitimitate ad ordines ſacros non intelligitur quoad beneficia, & dignitates ibid. n. 12. pag. 19

Diſpenſatio ſuper illegitimitate ad ordines ſacros extenditur etiam ad beneficium ſimplex ad effectum, vt ad eoſdem ordines promoueatur ibid. n. 12. p. 19

Diſpenſatio etiam in cauſis matrimonialibus eſt ſtrictè interpretanda C. 15. P. 5. n. 3. p. 20

Diſpenſatio non admittit extenſionem à maiori ad minus, nec à ſimili, niſi minus, vel ſimile comprehendatur in maiori, & ſimile tanquam pars in toto, vel in connexo C. 15. P. 6. n. 2. p. 21

Diſpenſatio impetrata ſuper gradu proximiori cum conſanguinitas eſſet in gradu remotiori prodeſt pro remotiori C. 15. P. 6. n. 6. p. 22

Diſpenſatio in dubio opinatiuo, quod cauſa non ceſſarit, non ceſſat C. 15. P. 9. n. 2. p. 29

Diſpenſatio non eſt exequenda in dubio ſuſpenſiuo, quod cauſa ceſſauit ibid. n. 3. p. 29

Diſpenſatio in dubio merè ſpeculatiuo, quod cauſa ceſſarit, poteſt exequi ibid. n. 5. p. 30

Diſpenſatio in radice matrimonij quid propriè ſit C. 15. P. 15. n. 1. p. 72

Diſpenſatio in radice matrimonij poteſt poni per Romanum Pontificem, vt proles ſuccedat, vt legitima ibid. n. 1. p. 73

Diſpenſatio in radice matrimonij eſſe non poteſt, quandò nullum præceſſit matrimonium ſaltem in figura ibid. n. 2. p. 74

Diſpenſatio in radice non exigit nouum contrahentium conſenſũ ſed permanentiã in primo C. 15. P. 15 n. 4. p. 75

Diſpenſatio in radice mortuis parentibus valet, vt proles inde ſuſcepta ſuccedat etiam in præiudicium tertij ibid. n. 5. p. 76

Diſpenſatio in radice quomodo præſumi poſſit ibid. n. 7. pag. 77

Diſpenſatio in radice tunc eſt, quando Pontifex apponit clauſulã, vt ex tunc, vel, vt per prius ibid. n. 8. p. 77

Item quando Pontifex legitimat matrimonium, ſeu declarat legitimum ibid. n. 9.

Item quandò poſt diſpenſationem vult prolem eſſe legitimam ab initio ibid. n. 19. p. 78

Item quando de plenitudine poteſtatis dicit ſe indulgere, vt in contractu matrimonij libere permanere valeant ibid. n. 11. p. 78

Diſpenſatio in radice non eſt, quando Pontifex diſpenſat per verba connotantia tantum tempus præſens, vel futurum ibid. n. 12. p. 78

Diſpenſatio non redditur ſubreptitia ex taciturnitate veri, ſi verum, quod tacetur non pertineat ad cauſam finalem, ſed tantum ad impulſiuam C. 15. P. 21. n. 4. pag. 95

Diſpenſatio etiam non redditur ſubreptitia, quandò tacetur verum pertinens ad cauſam finalem, quod tamen eſt notorium ibid. n. 5. p. 96

Vel quandò verum probaretur non ignoratum ibid. nu. 6. pag. 96

Vel quandò veritas, quæ reticetur, non pertinet ad ſubſtantiam diſpenſationis ibid. n. 7. p. 96

Diſpenſatio obtenta ſuper irregularitate ex homicidio non eſt ſubreptitia, ſi fuerit reticita qualitas Presbytericidij ibid n. 9. p. 97

Diſpenſatio ſuper voto Religionis, & perſeuerantia in eadem non eſt ſubreptitia, ſi fuerit reticita qualitas perſeuerantiæ ibid. n. 10. p. 97

Diſpenſatio impetrata reticita qualitate ex timore, quod ſi non reticeretur, Princeps non concederet, valida eſt, ſi ſit ex illis, quæ regulariter ſolent cõcedi, ſecus, ſi ex illis quæ exigunt ſpeciale mandatũ ibid n. 13. p. 99

Diſpenſatio eſt ſubreptitia, ſi ab alio, quam ab ipſo petente fuerit falſitas expoſita pertinens ad cauſam finalem ibid. n. 16. p. 100

Diſpenſatio non irritatur ex errore nominis perſonæ, cui impetratur ibid n. 17. p. 100

Diſpenſatio non vitiatur ex errore nominis Diœceſis ibid nu 18. p. 101

Diſpenſatio non irritatur, quandò falſum eſt expoſitum, ex quo facilliòr fit diſpenſatio, dummodò illa qualitas adiungatur cauſa demonſtrationis, non taxationis ibid. n. 19. p. 102

Diſpenſatio non eſt irrita, quandò conſanguineus ad contrahendum cum conſanguinea allegauit copulam, & ex illa ſcandala, cum tamen copula non fuerit ſecuta, immineant tamen ſcandala ibid. n 20. p. 102

Diſpenſatio non tenet, ſi tantum fuerit allegata copula, quæ non interceſſit ibid. n 21. p. 103

Diſpenſatio non tenet, ſi copula non fuerit commiſſa ante petitionem diſpenſationis, ſed ante executionem eiuſdem ibid. nu. 22.

Diſpenſatio commiſſa ordinario non ſolum prodeſt ei, in cuius fauorem conceditur pro copula præcedenti ad petitionem, ſed etiam pro ſubſequenti ibid. n. 23 p. 104

Diſpenſatio tenet, quantumvis copula fuerit habita ex fine illam conſequendi, licet talis finis non fuerit expreſſus ibid. n. 24. p. 105

Diſpenſatio tenet, quamvis vinculum certum fuerit expoſitum ſub dubio, dummodò interueniat legitima cauſa ibid. n. 25.

Diſpenſatio conceſſa à Pontifice abſque præuia petitione, quamvis impedimentum ſubſit, tenet ibid. n. 26.

Diſpenſatio non tenet, ſi fiat præuia petitione, & vitium ſubreptionis contingat expreſſione falſæ cauſæ finalis, quamuis dicatur motu proprio *ibid. n. 27.*

Diſpenſatio, ſi fiat etiam ad petitionem partis ex taciturnitate cauſæ finalis non irritatur, ſi addatur clauſula motu proprio *ibid n. 28.* p. 106

Niſi illa taciturnitas læderet ius tertij ibid. n. 29. pag. 106

Item niſi qualitas, quæ reticetur, importet inhabilitatem perſonæ, cui confertur gratia ibid. n. 30. pag. 106

Diſpenſatio ex taciturnitate veri, vel falſi expreſſione pertinentis ad cauſam finalem irritatur quoad totum, ſi falſitas, vel veritas tacita concernat totum ibid. n. 31. p. 106

Siue illa taciturnitas, & expreſſio proueniat ex dolo, ſiue ex ignorantia ibid n. 32.

Diſpenſatio non irritatur quoad totum, ſi falſitas, vel veritas reticita concernat tantum partem ſeparabilem ibid. n. 33. p. 107

Diſpenſatio irritatur tantum quoad partem, ſi falſitas, vel veritas reticita reſpiciat vnam partem reſcripti, quæ habeat connexionem cum alia, ſint tamen ſeparabiles ad inuicem quoad valorem, ſi error fuerit ex ignorantia, ſecus ſi ex dolo ibid n. 34.

Diſpenſatione duplici impetrata irritatur ſecunda non facta mentione primæ, ſi inter ipſas fuerit diſſonantia, ſecus non ibid. n.36. p.107

Niſi prima diſpenſatio eſſet ipſo iure nulla ibid. n. 39 p.108

Item niſi ſuperueniret noua cauſa, ex qua princeps præſumeretur conceſſurus ſecundam, quamvis noviſſet primam ibid n.38. p 109

Item niſi concedens poſteriorem gratiam amplam noſſet prioris limitationem ex eo, quod ex ſtilo Cancellariæ ſoleat talis limitatio apponi ibid. num. 39.

Diſpenſatio ſecunda ſuper delicto in eodem genere non tenet non facta mentione primæ ibid. n. 40.

Diſpenſatio ſecunda tenet ſuper delicto in diuerſo genere ibid. n. 41.

Diſpenſatio non exigit, quod omnia impedimenta ſimul exponantur ibid. n. 42. p.109

Niſi taciturnitas eſſet doloſa ibid. n. 43. p.111

Item niſi impedimenta eſſent connexa ibid. n. 44.

Item niſi iura præciperent omnia ſimul eſſe exponenda ibid n. 45. p.111

Diſpenſatio cum taciturnitate prioris negationis non eſt ſubreptitia C.15. P.22. n.1. p.112

Diſpenſatio facta, vel à superiori, vel ab æquali nulla facta mentione negationis habita ab inferiori non eſt irrita ibid. n.2. p.112

Diſpenſatio facta ab inferiori non facta mentione negationis habita à superiore tenet ibid. n.3.

Diſpensatio redditur inualida, ſi concurrentibus ſimul voto Religionis, & caſtitatis petatur prius diſpenſatio ſuper voto Religionis, & poſteà caſtitatis, ſiue è contra in ordine ad contrahendum matrimonium, & alterum taceatur ex dolo ibid n.4. p.113

Diſpensatio huiusmodi, quomodocunque petetur non in ordine ad matrimonium reticito altero non redditur inualida ibid. n. 5.

Diſpensatio ſuper homicidio quoad irregularitatem, quamvis vnum fuerit expreſſum tantum, & fuerint plura commiſſa, tenet ibid. n.6.

Diſpensatio ſeparatim ſuper ſingula homicidia teneret, ſi hæc inducerent diſtinctam irregularitatem ibid. n. 7. p. 114

Diſpensationes ſuper diſtinctis criminibus, & inuicem non communicantibus tenent, ſiue primo petita fuerit ſuper ſecundo non facta mentione primi, ſiue primo ſuper primo non facta mentione ſecundi, ſecus in communicantibus, & connexis ibid. nu. 9. pag. 114

Diſpensatio obtenta ad contrahendum cum conſanguinea prodeſt ad contrahendum cum eadem, ſi illa obtenta diſpensatus contraxerit cum alia non conſanguinea, & hac mortua velit cum illa contrahere C.15. P.22. n.10. p 115

Diſpenſatio obtenta ad contrahendum cum conſanguinea non prodeſt, ſi hac impetrata ex vi alterius diſpenſationis contraxerit cum alia conſanguinea, ſi hac mortua vellet poſteà contrahere cum prima ibid. n.11. p.116

Diſpensatio, ſi fuerit commiſſa Epiſcopo ſuper conſanguinitate, & diſpenſandus tranſierit pendente commiſſione ad alia vota cū non conſāguinea non tollit, quin hac mortua poſſit exequi commiſſio ab Epiſcopo, vt poſſit iterum contrahere cum conſanguinea ibid n 12. p.117

Diſpenſatio tenet iterata copula poſt commiſſam eandem diſpensationem, ſed ante executionem, quamvis iteratio non fuerit expoſita C.15. P. 22. n. 12. p 121

Secus, ſi poſt executionem diſpensationis iterata fuerit copula ibid. n 12. p.122

Diſpenſatio impetrata in gradu propinquiori cum ſit remotior tenet C.15. P. 23. n.16. p. 126

Diſpensatio non tenet expreſſo gradu remotiori cum ſit propinquior ibid. n.17.

Diſpensatio non tenet, ſi error contigerit in expreſſione ſtrictioris impedimenti, & gradus proximioris, cum tamen impedimentum fuerit in diuerſo genere minus ſtricto, & in gradu remotiori ibid n. 18. p.127

Diſpensatio tenet inter impeditos, quantum eſt ex vi diſpensationis non expreſſa copula, ſiue antecedenter habita, ſiue ſubſequenter ibid. n. 19. p 127

Diſpenſatio tenet, quandò habita fuit copula ex fine facilius impetrandæ diſpenſationis illo fine reticito, ſi aliæ fuerint cauſæ allegatæ ſufficientes ad diſpenſationem ibid n. 20. p.129

Si nulla alia fuerit cauſa exponenda eſt copula cum fine ibid n. 21.

Si alter tantum ex conſanguineis habuerit copulam ex fine facilius impetrandæ diſpenſationis tenet diſpenſatio, quamvis ille finis non fuerit expreſſus ibid. n.22. p.130

Diſpensatio obtenta ab altero in fauorem vnius prodeſt, quamvis hic mandatum non dederit ad impetrandum C. 15. P.24. n. 1. p.130

Diſpensatio impetrata ab vno altero ignorante prodeſt vtrique, ſi impedimentum afficiat vtrumque, ſi vnum tantum afficiat, vel vtrumque, ſed ſub diuerſa ratione neceſſe eſt, vt ab eo accipiatur qui tali vinculo eſt obſtrictus, vel ab vtroque, ſi vterque ſit obſtrictus ibid. n. 2. p 131

Diſpensatio etiam ante literarum expeditionem tenet in foro interno, non ſic in externo ibid. n. 3. p.131

Diſpensatio prius conceſſa oretenus, & poſteà literis expeditis tenet à puncto conceſſionis ibid. n 4 p.131

Diſpensatio mortuo concedente ante expeditionem literarum non exſpirat in foro interno ibid. n.5. p.131

Diſpensatio ex ſola probabili coniectura conc[illegible] eiusdem non eſt exequenda ibid. n. 6. [illegible]

Diſpensatio pro foro interno ex vi literarum [illegible] pœnitentiariæ non eſt expedienda, niſi in ſacra[illegible] confeſſione C. 15. P. 25. n.29. p.144

Etiam ſi non apponerentur clauſulæ, quæ nunc apponuntur ibid. n.30.

Diſpensatio huiusmodi, ſi expediatur in ſacramentali confeſſione, ſed inualida tenet ibid. num.31. pag. 145

Niſi eſſet inualida ex defectu integritatis circa rem diſpenſabilem ibid. n. 32. p.145

Diſpenſatio abſolute quoad votum caſtitatis, & Religionis non reſtringitur ad vnum tantum actum, niſi exprimatur, puta ad vnum matrimonium, ſed eo diſſoluto interuenire poteſt ad alia ibid. nu. 40. pag. 148

Diſpen-

Digitized by Google

Diſpenſatio, ſi fuerit ad vnicum tantum actum puta matrimonium prodeſt quoad alterum, ſi primum fuerit inualidum, vel ſi validum, ante conſummationem fuerit legitimè diſſolutum ibid. n. 42.

Niſi fuerit ſcienter initum ibid. n. 43. p. 149

Item niſi diſpenſatio conceſſa eſſet ex cauſa non ſe tenente ex parte eius, qui indiget diſpenſatione, ſed ex parte alterius ibid. n. 44.

Diſpenſatione impetrata pro foro interno, ſi ordinarius, vel Parochus nouerit impedimentum, & diſpenſationem nullo opponente poteſt diſpenſatum coniungere, aliquo verò opponente tenetur dimittere, donec impetretur diſpenſatio pro foro externo ibid. num 45. pag. 149

Diſpenſatio ad ineundum matrimonium cum impedimento affinitatis occultæ, quandò nondum initum eſt, legitimando prolem exinde ſuſcipiendam habilitat tantum eandem in foro interno, quandò eſt per ſacram pœnitentiariam ibid. nu. 55. p. 153

Limita in caſu pro foro externo, quo alter ex contrahentibus eſſet prorſus ignarus impedimenti ibid. n. 56.

Diſpenſatio non ſolum reualidat matrimonium in foro interno, ſed etiam in eodem prolem legitimam reddit ibid. n. 58. p. 154

Diſpenſatio conceſſa omnino gratis ſine ex cauſa, ſiue ſine cauſa in propria lege poteſt ante executionem reuocari etiam ſine cauſa C. 15. P. 27. n. 1. p 164

Secus ſi fuerit conceſſa titulo oneroſo ibid.

Diſpenſatio tollitur per renunciationem eius, qui impetrauit ibid. num 2. p. 165

Vide verb. Renuntiatio.

Diſpenſatio commiſſa perſonæ, vt tali expirat morte commiſſarij, ſecus ſi fuerit realis ibid. n. 6. p. 166

Diſpenſatio perſonaliter commiſſa non expirat per amiſſionem dignitatis commiſſarij ibid. n. 7. p. 167

Commiſſio, quandonam dicatur perſonalis, & quandò realis ibid. n 8.

Diſpenſatio ſuper impedimento matrimonij prodeſt diſpenſato egreſſo extra territorium diſpenſantis ibid. n 13. p. 168

Diſpenſatio conceſſa Epiſcopo Regulari ad teſtandum extenditur ad teſtamentum iam factum C. 15. D. 1. §. 1. n. 3. p. 169

Diſpenſatio ſuper principali, an, & quandò trahat diſpenſationem ſuper acceſſorio C. 15. D. 1. §. 3. per tot. pag 172. & 173

Diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris ex cauſa inſufficienti ſecundum ſe non tenet C. 15. D. 1. §. 5. num. 2. pag. 175

Diſpenſatio huiuſmodi ex cauſa ſecundum ſe inſufficienti reputata tamen ſufficiente à diſpenſante tenet ibid. num. 3.

Diſpenſatio non infirmatur ex eo, quod ſuperueniat cognitio cauſæ inſufficientis ibid. n. 4. p. 176

Intellige dummodò diſpenſatio non admittat tractum ſucceſſiuum ibid. n. 5. p. 176

Diſpenſatio impetrata ex cauſa nobilitatis ad contrahendum matrimonium ſubſiſtit, quamvis in vtroque deficiat nobilitas ex parte matris C. 15. D. 1. §. 6. n. 3. pag. 177

Diſpenſatio ob eandem cauſam nobilitatis non tenet, ſi adſit nobilitas ex parte matris, ſi deficiat ex latere Patris ibid. n. 4. p. 177

Diſpenſatio probabilius tenet, ſi dictum fuerit eſſe ex principalioribus, quamvis ſint ſolum tales propter diuitias ibid. n. 6. p. 177

Diſpenſatio probabilius non tenet, ſi dictum fuerit eſſe nobiles, cum tales non eſſent, ſed diuites ibid. nu. 7. pag. 177

Diſpenſatio obtenta ex eo, quod dictum fuerit fœminam innuptam remanſuram defectu dotis, cum tamen non præcisè ratione dotis, ſed ex capite deformitatis, grandæuæ ætatis, ſeu criminis ſimul cum modica dote proueniat timor nuptiarum non futurarum probabilius tenet C. 15. D. 1. § 7. n 3. p. 178

Diſpenſatio iuſtè conceditur ob prolem inter conſanguineos ſuſceptam nullo intercedente matrimonio C. 15. D. 1. §. 8. n. 3 p. 179

Diſpenſatio etiam tenet, ſi proles fuerit ſuſcepta conſtante matrimonio bona fide inito, ſecus, ſi mala fide ibid. n. 4. p. 180

Diſpenſatio etiam iuſtè conceditur, ſi matrimonium fuerit bona fide initum per vnum, & mala per alterum, ſi proles fuerit ex illo ſuſcepta ibid n. 5. p. 181

Diſpenſatio reſpectu beneficiarij ad percipiendos fructus in abſentia cauſa ſtudiorum latam admittit interpretationem C 15. D. 1. §. 15. n. 3. p. 189

Diſpenſatio huiuſmodi extenditur tam in ordine ad fructus præbendæ, quam reſidentiæ ibid.

Hæc diſpēſatio cedit in bonum publicum ibid. n. 4.

Diſpenſatio, quantumvis facta à legiſlatore eſt strictè interpretanda C. 15 D. 1. § 17 n. 4. p. 191

Intellige, niſi ſit conceſſa motu proprio ibid. n. 2.

Diſpenſatio ſuper voto, vel ſuper aliquo alio impedimento poteſt fieri à ſuperioribus etiam inuito eo, cum quo diſpenſatur extante cauſa neceſſaria ad bonum commune, vel ſpirituale diſpenſati C. 15. D. 1 §. 22. num. 4. p. 201

In hac diſpenſatione cum inuito non eſt neceſſe, quod diſpenſans prohibeat expreſsè voti materiam ibid. n. 3.

Diſpenſatio ſuper matrimonio inito ſcienter in gradu prohibito ſtante moderno ſtilo curiæ trahit ſecum etiam abſolutionem à cenſuris C. 15. D. 1. §. 29. n. 6 pag. 220

Diſpenſatio ſuper matrimonio inito ſcienter in gradu prohibito præciſo ſtilo curiæ non trahit ipſo facto abſolutionem à cenſuris ibid. n. 7. p. 221

Diſpenſatio ſuper tali matrimonio trahit ſecum facultatem ad abſoluendum à cenſuris ibid. n 8. p. 222

Diſpenſatio ſuperueniens reualidat præſentationem ad beneficium inualidam, ſi vitium, ob quod erat inualida, eſſet occultum, & præſentans habuerit animum verè præſentandi C. 15. D 2. § 6. n. 5. p. 231

Diſpenſatio huiuſmodi reualidat, quantumvis diſpenſans non habeat poteſtatem conferendi beneficium ibid. n. 6. p. 232

Diſpenſatio huiuſmodi etiam prodeſt ad hunc effectum, quantumvis vitium fuerit notum præſentanti, ſeu eligenti, dummodò hic perſeuerauerit in conſenſu vſque ad diſpenſationem ibid. n. 7.

Diſpenſatio ad hunc effectum non prodeſt, ſi præſentans, ſeu eligens ante diſpenſationem retractauerit præſentationem, ſeu electionem ibid. n. 8.

Diſpenſatio non prodeſt, ſi præſentans cognito vitio ſolummodò poſt diſpenſationem, reuocet præſentationem ibid. n. 9. p. 233

Digitized by Google

Diſpenſatio reualidat in radice electionem, ſeu præſentationem, ſi vitium fuerit occultum, & electus non fuerit inſtructus ibid. n. 10. p. 233
Diſpenſatio præuentiua quem effectum pariat C. 15. D. 2. §. 18. n. 4. p. 2'6
Diſpenſatio præuentiua reuocat impedimentum, prout ex tunc ibid.
Illuſtratur exemplis ibid n. 5. p. 257
Diſpenſatio non poteſt ſuffragari, niſi ad tempus, pro quo conceſſa eſt, quantumuis Pontifex æquè bene ad maius conceſſiſſet C. 15. D. 2. §. 26. n. 3. p. 273
Diſpenſatio pro matrimonio cuius expenſis ſit impetranda. Vide verb Expenſa.
Diſpenſatio cum errore communi circa gradum non eſt valida C. 15. D. 2. § 33. n. 4. p. 286
Diſpenſatio quoad publicam honeſtatem exigit, vt exprimatur, an fuerit ex matrimonio rato C. 15. D. 2. §. 25. n. 2. p. 289
Si tamen exprimatur primus gradus, & ſi non titulus tenet ibid. n. 5.
Notabilia circa diſpenſationes in forma pauperum C. 15. D. 3. §. 8. n. 1. p. 303
DISPENSATVS ſine cauſa ad ſui inſtantiam peccat, ſeu peccati reus conſtituitur ex eo, quod petierit ſine cauſa C. 15. P. 1. n. 10. p. 5
Diſpenſatus in vſu diſpenſationis ſine cauſa non committit diſtinctum peccatum ab ipſa iniuſta petitione ibid. n. 11. p. 5
Diſpenſatus ad teſtandum intelligitur diſpenſatus ad donandum cauſa mortis, & ad codicillandum C. 15. P. 4. n. 14. p. 19
Diſpenſatus ad oua tempore Quadrageſimæ intelligitur diſpenſatus ad lac, & caſeum C. 15. P. 6. n. 3. p. 22
Diſpenſatus ad beneficium cum cura animarum intelligitur diſpenſatus ad Sacerdotium ibid n. 4. p. 22
Diſpenſatus ſuper impedimento conſanguinitatis proximiori non intelligitur diſpenſatus ſuper remotiori, quandò vtrumque viget ibid n. 5. p. 22
Diſpenſatus à Pontifice in ſua lege ſine cauſa tutus eſt, & coram Deo, & coram Eccleſia C. 15. P. 7. nu. 1. pag. 24
Diſpenſatus in voto per Pontificem ſine legitima cauſa tutus eſt coram Deo, ſi fuerit in bona fide, ſecus, ſi in mala ibid n. 2. p. 24
Dispensatus per Superiorem in ſua lege ſine cauſa in bona fide ex ſuperueniente mala fide non priuatur iure dispensationis ibid n. 3. p. 24
Intellige, ſiue ſuperior dispenſans in ſua lege fuerit Pontifex, ſiue Epiſcopus in ſua ibid. nu. 4. pag. 25
Dispensatus quando pro tempore petitionis ante conceſſionem ceſſauit cauſa impulſiua, intelligitur rectè diſpenſatus, dummodo perſeuerauit cauſa finalis C. 15. P. 8. n 2. p. 25
Dispensatus per reſcriptum Superioris, ſed nondum executum per commiſſarium ceſſante cauſa finali non poteſt gaudere dispensatione ibid. n. 3. p. 26
Dispensatus per abſolutam conceſſionem, vel poſt expeditionem commiſſarij ceſſante cauſa finali eiuſdem gaudere non poteſt dispensatione, ſi non fuerit deducta ad ſuum vltimatum finem ibid. n. 6. p. 27
Item ſi deducta fuerit ad ſuum vltimatum finem, ſed hic patiatur diuiſionem ibid.
Dispenſatus conſummata iam diſpenſatione in ſuo vltimato effectu non admittente ſucceſſionem iuſtè gaudet effectu dispenſationis ibid. n. 8. p 28
Dispenſatus in voto Religionis ob cauſas, quibus ſolum ſubueniri poteſt per matrimonium, non poteſt ex vi illius diſpenſationis permanere in ſæculo ſine coniugio C. 15. P 15 n 29. p. 148
Dispenſatus pro foro tantum interno interrogatus à Iudice de impedimento non tenetur fateri C. 15. P. 25. nu. 46. 150
Diſpenſatus ſuper illegitimate natalium in ordine ad conſequendum vnum beneficium ſimplex illo obtento non poteſt aliud obtinere C. 15. D 2. § 11. n. 239.
Diſpenſatus ſuper ætate ad beneficium ſimplex eo obſtante non poteſt aliud conſequi ibid. n. 4. p. 240
Secus ſi fuerit abſolutè habilitatus ſuper ætate ibid n. 5. p. 241
DOCTOR Canonum ad exequendas literas ſacræ Pœnitentiariæ intelligitur laureatus in iure Canonico C. 15. P. 25. n. 1. p. 134
Doctor ad hoc munus non intelligitur licentiatus ſolum ibid. n. 3. p 135
Doctor laureatus in iure Cæſareo tantum non ſufficit ad hoc munus ibid n 2. p 134
Doctor Canonum poteſt literas ſacræ Pœnitentiariæ exequi, quamuis careat doctrina debita tali gradui ibid nu 6. p. 135
Doctor Canonum, qui vere non ſit talis, ſed reputatur pro tali non poteſt exequi literas pœnitentiariæ ibid. num. 7.
Doctor Canonum, qui vere fuerit inſignitus tali gradu, ſed occultè eo priuatus valide expediret ibid. n. 8. pag. 136
Doctor in Theologia non approbatus ab ordinario ad confeſſiones non poteſt exequi, quamvis ſit approbatus publico Academiæ teſtemonio ibid. n. 10. p. 137
Doctor Canonum. Vide verb Confeſſarius.
DOMICILIVM originis per quid conſtituatur C. 15. D 2. § 15. n. 2. p. 247
DONATIO ſimplex inter maritum, & vxorem conſtante matrimonio non tenet irreuocabiliter C. 15 M. 5. P. 1. n. 2. p. 424
Donatio huiuſmodi non eſt ſimpliciter nulla, ſed tantum reuocabilis ibid. n. 3.
Donatio hæc eſt valida in origine, ſed imperfecta propter reuocabilitatem ibid. n. 3.
Donatio huiuſmodi non eſt firma, nec irreuocabilis, quantumvis ſit facta ante benedictiones, & ante conſummatum matrimonium, dummodo fuerit ratum ibid. n. 5. p. 425
Donatio hæc eſt reuocabilis, quantumvis ſit facta poſt annum à conſummato matrimonio ibid. n. 6. p. 426
Donatio huiuſmodi eſt etiam reuocabilis, quamvis ſit facta per interpoſitas perſonas ibid. n. 7.
Donationes inter coniuges ſunt reuocabiles, quamvis non cohabitauerint ibid n. 8.
Donatio hæc eſt reuocabilis, quamvis facta fuerit à Patre mariti vxori, vel à Patre vxoris genero ibid. num. 9. p. 427
Donationes cauſa mortis inter coniuges de iure communi non interdicuntur ibid. n. 10. p. 427
Donationes remuneratoriæ quænam ſint C. 15. M. 5. P. 3. n. 1. p. 429
Donationes remuneratoriæ inter coniuges tenent, & irreuocabiles ſunt ibid. n. 3. p. 429

De-

Digitized by Google

Donationes remuneratoriæ, vt teneant irreuocabiliter, requirunt, vt merita, & obſequia, ob quæ fiunt, non ſint alio titulo debita ibid. n. 4.

Non requiritur tamen expreſſio eorundem, ſed ſufficit, quod præceſſerint ibid. n. 5.

Donatio remuneratoria, ſi excederet merita, eſſet reuocabilis quoad exceſſum ibid. n. 7. p. 430

Donatio ante nuptias poteſt remunerari conſtantibus nuptijs C. 15. M. 5. P. 3. n. 8. p. 431

Donatio propter nuptias de iure antiquo communi poſita dote conſtituenda erat C. 15. M. 5. P. 7. n. 2. p. 435

Donatio propter nuptias attento iure antiquo non acquireretur vxori præmoriente marito, ſi nullum fuerit pactum de inducia ſolutionis dotis ad certum tempus, & per maritum non ſteterit, quominus ſoluatur C. 15. M. 5. P. 7. n. 3. p. 436

Donatio propter nuptias non acquiritur vxori, niſi quoad partem, ſi dos ſoluta fuerit tantum quoad partem ibid. n. 4. p. 436

Donatio propter nuptias etiam non acquiritur vxori de iure moderno, ſi dos non fuerit ſoluta ibid. n. 5. p. 437

Donatio propter nuptias plenè acquiritur vxori mortuo marito, ſi dos non fuerit ſoluta ex culpa mariti ibid. n. 6. p. 437

Donatio propter nuptias acquiritur vxori, ſi differatur ſolutio dotis ex conuentione, & maritus interim præmoriatur ibid. n. 77.

Donationes inter coniuges valent, quibus donans non fit pauperior C. 15. M. 5. P. 11. n. 2. p. 444

Donatio facta per maritum coniugi eorum, quæ ipſe maritus prodigus eſſet inſumpturus inutiliter, tenet ibid. n. 5. p. 445

Donatio rei alienæ facta per maritum coniugi, quomodo verificetur ibid. n. 6.

Donationes inter coniuges non recognoſcentes Superiorem facta conſtante matrimonio tenent C. 15. M. 5. P. 12. n. 1. p. 446

Donationes inter coniuges regulariter tenent, quandò donatarius non fit ditior ibid. n. 2.

Donatio, qua vxor donat viro gratia honoris, vel dignitatis adipiſcendæ, vel cauſa ſtudij tenet C. 15. M. 5. P. 12. n. 3. p. 446

Donatio tacita, qua maritus remittit vxori partem dotis promiſſæ tenet ibid. n. 4. p. 447

Donatio inter coniuges non veros, ſed putatiuos, ſi vterque fuerit conſcius nullitatis, non poteſt reuocari. C. 15. M. 5. P. 13. n. 2. p. 447

Donatio inter coniuges non veros tenet, ſi ſolus donans fuerit conſcius nullitatis C. 15. M. 5. P. 13. n. 5. p. 448

Donatio non tenet, ſi ſolus donatarius fuerit conſcius nullitatis contractus ibid. n. 6. p. 449

Donatio non tenet, ſi vterque bona fide contraxerit ibid. n. 7. p. 449

Donatio inter coniuges confirmatur iuramento confirmatorio, ſeu promiſſorio C. 15. M. 5. P. 14 n. 2. p. 451

Donatio expreſſa inter coniuges non confirmatur per ſolum iuramentum aſſertorium ibid. n. 3. p. 452

Donatio tacita, ſeu confeſſio dotis receptæ confirmatur iuramento confirmatorio, non aſſertorio præcisè ibid. n. 4. p. 452

Donatio, ſiue tacita, ſiue expreſſa extante ſimul iuramento confirmatorio, & aſſertorio firmatur ibid. n. 5. pag. 453

Donatio inter coniuges contra prius iuramentum de ſibi adinuicem non donando non firmatur iuramento ibid. n. 6.

Donatio inter coniuges regulariter firmatur morte naturali donantis C. 15. M. 5. P. 15. n. 1. p. 454

Donationes inter coniuges non habent vim ſimplicis legati, ſed cuiuſdam tertiæ ſpeciei ibid. n. 2. p. 455

Donationes inter coniuges firmatæ morte naturali donantis non poſſunt eſſe in præiudicium legitimæ aſcendentium, vel deſcendentium ibid. n. 3. p. 455

Donationes illæ admittunt detractionem falcidiæ ibid. num. 4.

Donationes inter coniuges, vt firmentur morte naturali donantis requiritur, vt res donata fuerit tradita ante mortem donantis ibid. n. 5

Sufficit tamen traditio ficta ibid. n. 6. p. 456

Donatio inter coniuges, vt teneat, requiritur, vt prius decedat donans, quam donatarius ibid. n. 7.

Donatio inter coniuges, vt firmetur morte naturali donantis, exigit, vt non excedat quingentos aureos abſque inſinuatione ibid. n. 8. p. 457

Donatio inter coniuges exigit, vt donans perſeueret in eadem voluntate vſque ad mortem ibid. n. 9.

Donatio inter coniuges non firmatur morte naturali donantis, ſi fuerit tacite reuocata ibid. n. 10.

Quandonam intelligatur ſufficiens tacita reuocatio ibid. n. 11.

Donatio, ſi confirmatur morte donantis, retrotrahitur ad tempus donationis, & quomodò ibid. n. 12. p. 458

Donatio inter coniuges confirmatur aſportatione, ſeu exilio coniugis donantis C. 15. M. 5. P. 16. n. 2. p. 458

Donatio inter coniuges confirmatur etiam per ſuperuenientem ſeruitutem eiuſdem donantis ibid. n. 3.

Donatio inter coniuges confirmetur etiam per profeſſionem in Religione incapaci dominij, non ſic in Religione capaci ibid. n. 4. & 5. p. 459

Donatio facta ante nuptias, ſed eadem die, qua nuptiæ fuerunt initæ, ſi facta fuerit animo ex tunc transferendi dominium, tenet C. 15. M. 5. D. 1 §. 1. n. 2. p. 460

Donatio talis non tenet, ſi facta fuerit relatè ad tempus matrimonij ibid. n. 3. p. 460

In dubio, quo animo fuerit facta, præſumenda eſt pro valida ibid. n. 4.

Donatio per coniugem conſtante matrimonio facta tertio cum eo onere, vt diſſoluto matrimonio fiat alterius coniugis, reuocabilis eſt, ſi ſit facta in fauorem vxoris, & depoſitata apud illam tertiam vſque ad obitum donantis C. 15. M. 5. D. 1. §. 2. n. 2. p. 461

Donatio huiuſmodi non eſt reuocabilis ſine cauſa, ſi fuerit in fauorem tertij, quouſque donans vixerit, & poſt obitum eius in fauorem vxoris ibid. n. 3. p. 461

Donatio non redditur irreuocabilis ex conditione, quod res depoſita fiat vxoris poſt obitum mariti ibid. nu. 5. pag. 462

Donatio illa in hypotheſi, qua vxor præmoreretur marito, cederet ipſi marito, non heredibus vxoris ibid. n. 6.

Donatio inter coniuges prohibita non eſt, qua maritus volentem ſibi donare rogat donare propria vxori, ſi illa oblatio facta marito importet donationem faciendam, ſecus, ſi importat iam factam C. 15. M. 5. D. 1. §. 3. n. 5. p. 464

Donatio inter coniuges cauſa mortis ea adiecta conditione, vt ſit irreuocabilis, non tenet in ratione donationis cauſa mortis C. 15. M. . D. 1. §. 7. n. 2. p. 469

Dona-

Donatio illa adiecta illa conditione confirmatur intercedente morte donantis ibid n.3. p.470
Donatio facta cauſa mortis per ſocerum Genero, vel nurui non tenet irreuocabiliter C.15. M.5. D.1. §.8. n.3. p.471
Donatio illa facta per ſocerum Genero, vel Nurui confirmatur per mortem eius, qui repræſentat perſonam donantis ibid. n.4.
Etiam ſi donans ſuperſtes ſit ibid. n.5.
Donatio, qua coniuges ſibi mutuo donant ea lege, vt ſuperſtes ad alterius obitum eius bonis fruatur, donec vixerit, irreuocabiliter tenet C.15. M.5. D.2. § 9. n.2. p.472
Quantumvis ſit in præiudicium aſcendentium ibid nu.3. p.472
Etiam extante ſtatuto, ne fiant donationes cauſa mortis in præiudicium aſcendentium ibid. n.4.
Donatio illa ſic concepta inter coniuges non exigit actualem traditionem ibid. n 5.
Donatio cauſa mortis inter coniuges, ſi res non fuerit tradita, nec retrotrahitur quoad dominium, nec quoad fructus C.15. M.5. D.1. § 10. n.2. p.473
Si res fuerit tradita retrotrahitur quoad fructus, non quoad dominium ibid.
Donatio tenet, qua vir donat vxori quid annuum ad alimenta C 15. M 5 D.1. §.11. n 2. p.473
Donatio illius annui, an teneat ſolum in vita mariti, an etiam poſt deciditur ibid. nu 3. p.474
Donatio illa tenet, ſiue dos fuerit ab vxore marito conſtituta, ſiue non ibid. n.4.
Donatio illa pro alimentis, ſi fuerit excedens non tenet quoad exceſſum ibid n.5.
Donatio illa, vt non excedat, taxanda eſt iuxta ſtatum mariti ibid. n.6. p.475
Donatio illius annui, quandò vxor eſt pauper protrahenda eſt, vſqueque vxor aliunde habeat, quo poſſit viuere C.15. M.5. D.1. §.11. n.7. p.475
Donatio illa firmaretur morte mariti, quamvis res non eſſet tradita, ſed promiſſa ibid nu.8.
Donatio inter coniuges non confirmatur homagio ſicut confirmatur iuramento C. 15. M.5. D.2. §.2. nu.3. pag. 486
Donatio contra iuramentum de non contraueniendo non firmatur iuramento C.15. M.5. D 2. §.2. nu.3. pag. 480
Iuramentum illud de non contraueniendo, ſi ſit relatè ad ſolum Deum poteſt relaxari ibid n.5. pag 481
Donatio inter coniuges morte confirmata retrotrahitur tam quod fructus induſtriales, quam naturales C 15. M.5. D.2. §.5. n 3. & 4. 483
DOS à marito conſtituta vxori ante contractum matrimonij, vel augmentum dotis, ſi ſit relata cum limitatione ad tempus conſtantis matrimonij reuocabil eſt C.15 M.5. P.2. n 2. p.427
Dos à marito conſtituta, ſi non ſit relata ad tempus conſtantis matrimonij tenet, & irreuocabilis eſt C.15. M 5 P.2. n.3 p.428
Dos promiſſa, & nondum ſoluta eſt propriè dos C.15. M.5 P.5. n 2. p.432
Dos conſtituta per maritum ignobilem, & ſenem conſtante matrimonio vxori nobili, & iuueni tenet, & irreuocabilis eſt C.15. M.5. P.8. n.3. p.438
Dos ſic conſtituta tenet, quantumvis vir ignobilis, & fuerit ditiſſimus, & fœmina pauper ibid. n.5. p.439
Dos ſic conſtituta, ſi eſſet excedens, non teneret irreuocabiliter quoad exceſſum ibid. n.6.
Dos confeſſata nulla præcedente promiſſione dotis in celebratione contractus habetur pro tacita donatione, & irreuocabiliter non tenet C.15. M.5. P.9. n.2. pag. 440
Idem intellige de confeſſione receptionis augmenti ibid n 3. p.441
Dos confeſſata in data hypotheſi poteſt reuocari ad modum ſimplicis donationis ibid. n.4. p.441
Dos confeſſata, vt recepta, ſi præmoriatur vxor marito, nec nocet marito, nec hæredibus ibid. n 5.
Dos confeſſata per maritum, vt recepta poteſt reuocari, quantumvis fuerit lapſus terminus ad opponendam exceptionem de dote non numerata C.15. M.5. P.9. nu 6. p.441
Etiam ſi confeſſio eſſet facta per inſtrumentum guarentigiatum ibid. n.7. p.442
Dos confeſſata, vt recepta ex interuallo per maritum, quandò in conuentione contractus matrimonialis cōſtituta eſt in determinata quantitate excludit quamcunque præſumptionem fraudis ibid. nu.8. p.442
Dos conſtituta per maritum ignobilem, & ſenem vxori nobili, & iuueni ante contractum matrimonium minuit legitimam debitam aſcendentibus C.15. M.5. P.10. n.2. p.443
Dos conſtituta conſtante matrimonio non minuit ibid. num 4. p.444
DVBIVM aliud ſuſpenſiuum, aliud opinatiuum; ſuſpenſiuum item duplex aliud practicum, aliud ſpeculatiuum C.15 P.9. n.1. p.29
Dubium opinatiuum non tollit effectum diſpenſationis C.15. P.9. n.2. p.29
Dubium ſuſpenſiuum, quod cauſa ceſſarit, efficit, quod diſpenſatio non ſit exequenda ibid. n.4 p.30
Excipe, niſi commiſſarius indicaret cauſam non ceſſaſſe ibid. n 4. p.30
Dubium mere ſpeculatiuum non ſuſpendit diſpenſationis effectum ibid. n 5.
In dubio, ſiue iuris, ſiue facti, ſi fuerit opinatiuum, an res indigeat diſpenſatione, poteſt Epiſcopus declarare, vel diſpenſare C.15. D.2. §.12. n.6. & ſeq.

E

EPISCOPVS nequit validè ſine cauſa diſpenſare in lege Pontificis C.15. P.1. n.8. p.4
Epiſcopus diſpenſans ſine cauſa in ſua lege peccat letbaliter ibid n.9. p.4
Epiſcopus in arduis circa ea, quæ ſunt iuris naturalis diuini etiam dependentis ab humana voluntate nequit diſpenſare, nec in matrimonio rato, nec in votis ſolemnibus C.15 P.11. n 1. p.39
Epiſcopus regulariter non poteſt diſpenſare in votis ſimplicibus caſtitatis, & Religionis ibid. n.2. p.39
Impotentia diſpenſandi prouenit ex iure mere Eccleſiaſtico ibid. n.3. p.39
Epiſcopus in caſu neceſſitatis, & vbi ex mora imminet periculum incontinentiæ poteſt in voto ſimplici diſpenſare ibid. n 4. p.40
Ceſſante neceſſitate recurrendum eſt, ſi id, ad quod conceſſa eſt, ſit indiuiſibile ibid. n.5.
Epiſcopus poteſt diſpenſare, quandò adiri non poteſt
Pon-

Digitized by Google

Pontifex, licet poſſit adiri Legatus à latere C.15. P.11. num. 7. p 40

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis, quandò dubium eſt de valore voti ibid n 8. p 41

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto caſtitatis metu extorto ibid. n.9. p.41

Item ſi fuerit emiſſum ſub obligatione ſeruandi tantum ſub veniali ibid n.10.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto vouendi caſtitatem, & Religionem ibid. n.11. p.42

Item in voto temporaneo ibid. n. 12.

Item in voto arctioris Religionis, & quomodo ibid. num.13.

Item in voto perſeuerandi in Religione ibid. n. 14.

Item in voto ſumendi ſacros ordines ibid. n.15.

Item in voto non nubendi, quandò hoc non cederet in praiudicium tertij ibid. n. 16. p.43

Item in voto virginitatis ſimpliciter ſumpto ibid. nu. 17. p.43

Epiſcopus poteſt diſpenſare in operibus, in quibus commutatum eſt votum ibid. n. 18 p 44

Epiſcopus poteſt diſpenſare quoad vota caſtitatis, & Religionis, ſiue conditionalia pænalia ſint, ſiue mere conditionalia, ſiue ante, ſiue poſt conditionem adimpletam ibid. nu 21 p.45

Epiſcopus poſt matrimonium poteſt diſpenſare in voto caſtitatis ad effectum petendi debitum ibid. n 33. p.48

Epiſcopus non poteſt diſpenſare in voto caſtitatis in ordine ad aliud matrimonium contrahendum, quandò emiſſum fuit conſtante primo matrimonio altero coniuge inconſulto ibid. n. 24. p 49

Excipe, niſi votum fuerit tantum de non petendo debitum ibid. n 25. p 49

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto ad petendum debitum, quamvis matrimonium non fuerit conſummatum ibid. n.26. p 50

Epiſcopus poteſt etiam diſpenſare, quamvis votum fuerit emiſſum ante contractum matrimonium ibid. n.27. pag. 50

Epiſcopus poteſt etiam diſpenſare quoad petendum debitum cum eo, cui ſuperuenit affinitas ibid. p.51

Et etiam cognatio ſpiritualis ibid.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in affinitate ſuperueniente in vtroque coniuge ibid. n.29. p.52

Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper iuramenta promiſſoria Deo facta ibid nu 30.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto alternatiuo caſtitatis, & alterius operis non reſeruati etiam poſt electionem factam à vouente voti caſtitatis ibid n. 31 p.53

Intellige quandò non facta fuit noua promiſſio Deo materia reſeruata ibid. n. 32.

Procedit ſpeculatiuè non practicè ibid. n.33. p.54

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto alternatiuo materia reſeruata, & non reſeruata, quandò facta impoſſibili materia non reſeruata votum reductum ad eſt reſeruatum ibid. n. 34. p.54

Epiſcopus regulariter loquendo poteſt diſpenſare in pluribus votis, quæ ſeorſim ſumpta non conſtituunt ſecundum ſe caſtitatem perfectam, vnita tamen obligant ad caſtitatem perfectam ibid. n. 35 p.55

Epiſcopus in arduis circa legem ſuperioris nequit interpretari in ſua Diœceſi ibid. n.39. p.55

Epiſcopus nequit diſpenſare in legibus Pontificum, & Conciliorum, in quibus nec expreſsè permittitur, nec prohibetur diſpenſatio ibid. nu.37. p 55

Excipe in caſu vrgentis neceſſitatis ibid. nu. 38. pag. 56

Epiſcopus in legibus Pontificum, & Conciliorum, in quibus imperſonaliter permittitur diſpenſatio, nec tamen exprimitur, cui permittatur, poteſt diſpenſare ibid. n. 39. p.56

Niſi lex ad ipſum Epiſcopũ dirigeretur ibid. n.40.

Et niſi apponeretur pœna reſeruata Pontifici ibid. n. 41.

Epiſcopus nequit diſpenſare in legibus Concilij Prouincialis quoad ſuos ſubditos ibid n. 42. p.57

Epiſcopus poteſt diſpenſare in legibus ſinodalibus C.15. P.11. n.43. p.57

Epiſcopus poteſt diſpenſare in decretis ſinodalibus, quandò ſunt approbata à Pontifice, ſecus, ſi auctoritatis Apoſtolicæ robur fuerit adiectum ibid. nu. 44. pag. 58

Epiſcopus non poteſt in huiuſmodi legibus diſpenſare, ſi tranſierint in contractum in fauorem tertij ibid.

Epiſcopus poteſt immediatè diſpenſare cum ſe ipſo in ijs, in quibus diſpenſat cum alijs C.15. P.17. n.4. p.84

Epiſcopus in ijs, quæ iuris ordinarij ſunt, poteſt diſpenſare non obſtante quod recurſus habitus fuerit ad Romanum Pontificem, ab eoque ſibi cauſa commiſſa. C.15. P.18. n.1. p.85

Etiam ſi ex vi commiſſionis partim diſpenſarit, partim commutarit ibid. n. 2. p.86

Epiſcopus in ijs, quæ iuris ordinarij ſunt poteſt diſpenſare, quamuis diſpenſatio fuerit à Pontifice denegata ibid. n. 3. p. 86

Epiſcopus poteſt diſpenſare, ſiue eidem fuerit expoſita negatio Pontificis, ſiue non ibid. n.4. p.87

Epiſcopus poteſt etiam denegata à Pontifice diſpenſatione diſpenſare in ijs, in quibus eſt dignitati perpetuo annexa commiſſio ibid. n. 5. p.87

Epiſcopus in ijs, in quibus diſpenſat ex epicheia non poteſt diſpenſare ex cauſa, ex qua Pontifex recuſauit C.15. P.18. n. 6. p.87

Epiſcopus poteſt in iure municipali, & communi, in quo de plano diſpenſet cum ſuis, diſpenſare etiam cum peregrinis C 15 P. 20. n.1. p.92

Intellige, quandò obligatio iuris communis reſtringitur ad tempus, pro quo peregrini ibi morantur ibid

Dpiſcopus poteſt obligare peregrinos, & forenſes ad obſeruantiam legum loci ibid.

Epiſcopus non poteſt diſpenſare quoad peregrinos, & forenſes in votis caſtitatis, & Religionis, niſi ibi contraxerint habitationem domicilialem ibid. n. 2. pag. 93

Epiſcopus loci, vbi ſcholares habitant cauſa ſtudiorum, poteſt quidem cum illis diſpenſare quoad ſacramenta neceſſaria confeſſionis, & communionis, non autem quoad alia voluntaria ibid. n. 4.

Epiſcopus illius officialis cui diriguntur literæ diſpenſationum pro foro externo, nequit illas expedire C 15. P. 26. n.2. p.159

Etiam ſi vicarium ante expeditionem remouerit ibid. n. 3.

Epiſcopus denegans diſpenſationem ſuper denuntiationibus extante legitima cauſa ob bonum publicum vel priuatum contrahentium peccat C.15. D. 1. §.14. n. 3. 188

Secus, ſi non ſit legitima cauſa ibid.

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus ſi denegauit diſpenſationem non datur appellatio remiſſiue ibid n. 4.

Epiſcopus ex diſpoſitione iuris non poteſt differre conſecrationem vltra tres menſes. C. 15. D. 1. §. 18 nu. 2. pag. 192

Epiſcopus diſpenſatus, vt vltra tres menſes differat conſecrari, intelligitur diſpenſatus ad detinenda beneficia, quibus gaudet, ſi diſpenſatio ad protrahendam conſecrationem fuerit ex cauſa neceſſaria, ſecus ſi ex voluntaria C. 15 D. 1. §. 18. n. 6. p. 193

Epiſcopus Regularis diſpenſatus ad teſtandum non intelligitur ſolummodò diſpenſatus ad primum teſtamentum C. 15. D. 1. §. 19. n. 3. p. 195

Epiſcopus in illa hypotheſi poteſt primum reuocare, & condere ſecundum ibid.

Epiſcopus, ſi primum teſtamentum reuocarit, & ſecundum condiderit, ſed ſecundum non teneat in foro externo inſtauratur primum ibid. n. 5.

In foro interno coniectandum eſt iuxtà intentionem reuocantis ibid. n. 6 p. 196

Epiſcopus electus ad ordinandum Regularem ad ordines ſacros intelligitur etiam electus ad diſpenſandum cum eodem ſuper interſtitia C. 15. D. 1. §. 2. n. 3. pag. 171

Intellige, ſiue Epiſcopus ordinans, ſiue Prælatus Regularis eligens fuerit conſcius impedimenti ibid. n. 4. p. 171

Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper voto caſtitatis, & Religionis emiſſo ante pubertatem C. 15. D. 1 §. 11. n. 3. pag. 184

Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper voto caſtitatis elicito ex metu, quantumuis leui ibid. n. 4

Epiſcopus in dubio, an res egeat diſpenſatione poteſt diſpenſare, vel declarare rem non indigere diſpenſatione C. 15. D. 2. §. 12. n. 5. p. 242

Epiſcopus in dubio opinatiuo, ſiue fuerit iuris, ſiue facti poteſt declarare non indigere diſpenſatione ibid. n. 6. pag. 243

Tutius tamen eſſet, ſi diſpenſaret ad cautelam. ibid n. 7.

Epiſcopus loci, vbi ſcholaris forenſis ſtudet, non poteſt cum illo diſpenſare ſuper voto C. 15. D. 2. §. 13. n. 4. pag. 244

Epiſcopus loci, vbi ſcholaris forenſis ſtudet, cur poſſit illi miniſtrare ſacramenta Pænitentia, & Euchariſtia, non autem diſpenſare ſuper voto ibid. n. 5. p. 244

Epiſcopus illius loci in caſu neceſſitatis poteſt diſpenſare ibid. n. 7. p. 245

Epiſcopus loci poteſt diſpenſare ſuper voto cum alienigena, qui ſe tranſtulit illuc animo ibi permanendi, ſi poſtea animum mutauerit, licet de facto actu non mutauerit habitationem. C. 15. D. 2. §. 14. num. 3. pag. 246

Epiſcopus loci non poteſt diſpenſare ſuper voto cum eo, qui natus fuit incidenter in illo loco C. 15. D. 2. §. 15. n. 3. p. 247

Epiſcopus nec poteſt cum eo diſpenſare, quantumuis parentes ibi domicilium habuerint, quod poſt natiuitatem filij dereliquerint ibid. n 4. p. 247

Epiſcopus originis ſolum dat literas dimiſſorias pro ordinandis ibid. n. 5. p. 248

Epiſcopus non poteſt diſpenſare ſuper voto facto in fauorem tertij, ſi fuerit ab illo acceptatum, ſecus ſi adhuc non fuerit acceptatum. Vide verb. votum.

ERROR nominis perſonæ, cui impetratur, non irritat diſpenſationem C. 15. P. 21. n. 17. p. 100

Error nominis Diœceſis non vitiat diſpenſationem ibid. n. 18. p. 101

Error circa cauſam impulſiuam in voto eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis, & quomodò C. 15 D. 1 §. 12. n. 3. p. 185

Error communis circa gradum conſanguinitatis, vel affinitatis non ſuffragatur valori diſpenſationis C. 15. D. 2. §. 23. n. 4. p. 286

EVENTVS rei cohoneſtat diſpenſationem, & quomodo C. 15. P 3. n. 25. p. 15

EXAMEN, quod vi literarum ſacra pænitentiaria debet commiſſarius peragere, quale eſſe debet C. 15. P. 25. n 19. p. 141

Examen huiuſmodi debet ſolummodò peragi cum oratore non adhibitis teſtibus ibid.

Examen hoc non exigit iuramentum oratoris de veritate dicenda ibid. n. 20. p. 141

Examen huiuſmodi quanam debeat continere ibid. n. 21. pag. 141

Vide verbo commiſſarius.

Examen poteſt omitti, vbi aliunde certo conſtiterit de veritate precum ibid. n. 24. p. 142

Examen ſuper preces in commiſſionibus diſpenſationum pro foro externo non eſt neceſſario inſtituendum per modum iudicij C. 15. P. 26. n 15. p. 161

Examen ſuper cauſas non eſt neceſſario per commiſſarium faciendum, quandò Pontifex diſpenſat ſine cauſa ibid. n. 29. p. 163

Examen non eſt faciendum ſuper nobilitate, quandò ipſius fit mentio per modum narrationis, ſecus ſi per modum conditionis ibid. nu. 21.

EXPERIMENTVM in literis ſacra Pænitentiariæ præſcriptum quomodo faciendum C. 15. P. 25. n. 59. pag. 155

Experimentum hoc, an poſſit ex cauſa omitti ibid.

EXPENSÆ pro impetratione diſpenſationis vtroque conſentiente ad matrimonium debent eſſe communes vtrique coniugi C. 15. D. 2. §. 27. n 2. p. 274

Expenſa diſpenſationis pertinent ad ſolum ſponſum, ſi ſub ſpe matrimonij conſanguineam violauerit ibid. n. 3. p. 275

Intellige, niſi illa conſenſerit violationi ibid. n. 4. pag. 175

Expenſa diſpenſationis pertinent ad impetrantem, quandò ſine conſenſu alterius ad matrimonium impetrauit ibid. n 5. p. 275

Secus, ſi impetrata diſpenſatione altero ignorante conuentum poſteà fuerit de matrimonio contrahendo ibid. nu. 7. p. 276

Expenſa pro diſpenſatione iam facta remanent communes, ſi alter iuſtè reſiliat à fide data matrimonij ſine culpa alterius C. 15. D. 2. §. 27. n. 3. p. 276

Expenſa iam facta pro huiuſmodi diſpenſatione integrè debentur ab eo, qui dolosè contraxit cum animo ingrediendi Religionem, & ex eodem motiuo reſilijt ibid. nu. 4. p. 277

Expenſa integre debentur ab eo, qui facta conuentione de matrimonio, & non de expenſis diſpenſationis, dum alter procurat, ipſe reſilit ex motiuo non concurrendi ad eaſdem, ſi interim diſpenſatio emanauerit ibid. n. 5. p. 277

Expenſa integrè ſunt perſoluenda ab eo, qui cantam cul-

Digitized by Google

culpabilem præbuit alteri iuſtè reſiliendi ibid. n. 6. pag. 278
Expenſa debentur integrè per maſculum, qui fornicando cauſam dedit fœminæ reſiliendi ibid. n.7. p.278
Expenſa integrè debentur ab eo, qui poſt impetratam diſpenſationem iniuſtè reſilit ibid. n. 8. p 278
Expenſa integrè debentur à marito, qui fide data conſanguineam violauit, & poſteà ingreditur Religionem C.15. D.2. §.28. n.3. p.279
Expenſa in foro interno non debentur integrè ab eo, qui nulla fide data matrimonij virginem conſanguineam violauit, & deinde data fide matrimonij impetrata communibus expenſis diſpenſatione ingreditur Religionem ibid. n. 5. p.280
Expenſa debentur integrè ab eo, qui per vim conſanguineam violauit, & poſtea matrimonium promiſit, ſi Religionem ingrediatur impetrata iam diſpenſatione ibid. n.6. p.280
Expenſa in impetratione diſpenſationis inter conſanguineos debentur ab eiſdem ratione pacti impliciti C.15. D.2. §.29. n.4. p.281

F

FACVLTAS commutandi vota non extenditur ad iuramenta, in quibus eſt turpitudo ex parte recipientis C 15 D.2. §.2. n.3. p.225
Facultas, quæ eſt ad vota, & ad iuramenta ſimul extenditur ad iuramentum, in quo eſt talis turpitudo ex parte recipientis ibid. n. 5. p.226
FALSI expreſſio poteſt eſſe cauſa, vel impulſiua, vel finalis diſpenſationis C.15. P. 21. n.1. p.94
Falſi expreſſio irritat diſpenſationem, quandò pertinet ad cauſam finalem, ſecus quandò ad impulſiuam ibid. n. 14. p.99
Falſi expreſſio irritat totum reſcriptum, ſi totum concernat ibid. n.31. p 106
Siue proueniat ex dolo, ſiue ex ignorantia ibid. n.32. p.106
Falſi expreſſio irritat tantum quoad partem, ſi concernat tantum partem ſeparabilem ibid. n 33. p.107
FAMA, nec plenè, nec integrè probat mortem alterius coniugis ad effectum, vt alter poſſit ſecundo nubere C.15 M 4. P. 2. n. 6. p.311
Fama cum adminiculis certis plenè probat ibid. n. 7. pag 312
Quænam ſint adminicula certò probantia ibid n 8. p 312
FÆMINA pauper, & nobilis ratione paupertatis facile conſequitur diſpenſationem C.15 P.3. n.11. p.11
Fæmina, ſi facta fuerit pauper ex renuntiatione bonorum ad effectum faciliùs conſequendæ diſpenſationis validè illam obtinet ibid. n. 12.
Niſi renunciatio facta eſſet cum pacto retrodationis ibid.
Fæmina, quæ verè erat pauper pro tempore diſpenſationis abſolutè, poteſt contrahere, quantumuis ante contractũ deuenerit in pinguiorẽ fortunam ibid n 13. p.12
Fæmina, quæ verè erat pauper pro tempore commiſſionis factæ à Pontifice ordinario titulo paupertatis non poteſt validè contrahere, ſi ante expeditionem ordinarij deuenerit ad pinguiorem fortunam ibid. n.14. p.12
Si tamen renunciaret hæreditati, ſeu legato ante contractum tenet diſpenſatio ibid. n. 15. p.13
Fæmina, quamvis nihil habeat, ſi habet parentes diuites, quos poſſit compellere ad conſtituendam ſibi congruam dotem, non poteſt titulo paupertatis petere diſpenſationem ibid. n. 24. p.15
FILIVS legitimus, & naturalis excludit adoptiuum in ſucceſſione priuilegij C.15. D. 1. §.25 n.2 p.205
Filius adoptiuus non extantibus, nec legitimis, nec illegitimis naturalibus ſuccedit in priuilegio ibid. n. 4. pag. 205
Filius adoptiuus præfertur naturali illegitimo in ſucceſſione priuilegij ibid n.5. p.205
Filius adoptiuus regulariter non ſuccedit in feudis ibid. n. 6. p.206
Filius adoptiuus non præfertur illegitimo, quando hic eſt legitimatus ibid. n. 9. p.207
Filij adoptiui habent potiora iura, ac habeant illegitimi ibid. n.7.
Filius naturalis legitimatus per ſubſequens matrimonium ſuccedit in priuilegio, quamuis non acceſſerit expreſſus Principis conſenſus. C. 15. D. 1. §. 26. n. 3. pag. 209
Non tamen in feudo n. 4. p.210
Filius naturalis legitimatus per ſubſequens matrimonium præfertur in priuilegio conceſſo primogenito alteri legitimo nato poſt legitimationem ex alio matrimonio ſubſequenti ibid. n. 5. p. 210
Filius naturalis primogenitus præfertur in priuilegio alteri legitimo orto ex eadem Matre conſtante cum eadem matrimonio ibid. n.6. p.211
Filius naturalis legitimatus poſt ſubſequens matrimonium, ex quo ſuſcepta eſt proles legitima, non præfertur in priuilegio filio legitimo nato poſt eius legitimationem ibid. n.7.
Filius naturalis legitimatus per reſcriptum Principis non præfertur in priuilegio conceſſo primogenito filio legitimo etiam ſubſequenter nato ibid. n. 8. p.213
Filius primogenitus naturalis illegitimus, nullo exiſtente filio legitimo, quantumuis cum alijs illegitimis fuerit ſimul legitimatus per reſcriptum Principis præferendus eſt in priuilegio conceſſo primogenito C. 15. D. 1. §.27. n 4. p.216
Filius, qui in ſuo teſtamento præteriuit Matrem ex ſuppoſitione, quod in illa præteritione præiudicium ipſi non intulerit, ſi ſecundo non nubat, nec præiudicium infert, ſi nubat ſecundo C.15. M.4. D.2. § 21. n. 4. p.417
Filia, quæ fauore Patris renunciauerit bonis paternis, & maternis non excluditur à bonis, quæ proprio iure eidem ſpectant propter tranſitum Patris ad ſecunda vota C 15. M.4 D 2. § 22. n.2. p.417
Intellige, ſiue renunciauerit ante tranſitum Patris ad ſecunda vota, ſiue poſt ibid. n.3. p.418
Filia, ſi renunciauerit in fauorem Patris quibuſcumque iuribus ſibi quomodolibet competentibus excluditur à talibus bonis ibid n. 4. p.418
Filia, quæ per renunciationem excluſa eſt à bonis maternis propter fratrem morientem fratre admittitur excluſis fratribus conſanguineis C.15 M 4. D.2. §.23. n. 3. p.418
Filia, ſi excludatur à ſtatuto etiam ſuccedit in bonis paternis non extantibus maſculis ibid n.5. p 419
FISCVS poteſt vendicare donatum inter coniuges non veros, ſed putatiuos, quandò vterque fuit conſcius nullitatis C.15. M 5. P.13. n.2. p.447

Digitized by Google

Fiſcus habet ius vendicandi, quantumvis matrimonium non fuerit conſummatum ibid. n. 3. p.448

Fiſcus non acquirit rem, quæ fuit donata inter coniuges putatiuos conſcios nullitatis ante vendicationem, & ante ſententiam Iudicis ibid. n. 4. p.448

FORMVLA literarum ſcribendarum per confeſſarium, vel alios pro impedimento neutro machinante, quandò matrimonium adhuc non eſt initum. C. 15. D. 3. §. 7. n. 6. p.302

Formula literarum ſuper tali impedimento, ſi matrimonium iam fuerit contractum ibid. n 7. p.302

Formula literarum ſcribendarum pro affinitate ex copula licita in ordine ad contrahendũ ibid n 8 p.302

Formula literarum ſuper eodem in ordine ad iam contractum ibid. n. 9.

Formula literarum pro impedimento vtroque, vel altero machinante ibid n 10.

Formula literarum teſtimonialium tam pro paupertate, quàm pro gradibus C. 15. D. 3. §. 8. n. 2. p.303

G

GRADVS conſanguinitatis, affinitatis, & publicæ honeſtatis ſunt ſingillatim exponendi in impetrationibus diſpenſationum. C. 15. P. 23 n. 1. p.118

Gradus multiplicatus probabilius eſt exponendus ibid. n 2 p.118

Gradus duplex cum eadem, quantumvis fuerit inæqualis, vterque eſt exprimendus, nec ſufficit, ſi exprimatur proximior, ſi ſit coniunctio ex diuerſo titulo ibid. n. 3. p.119

Gradus remotior ſufficit, ſi exprimatur, quandò eſt ex eodem titulo ibid. n 4.

Requiruntur tamen ad licitum eſſe literæ declaratoriæ ſuper proximiori ibid. n. 5. p.120

Gradus proximior non eſt ex neceſſitate exprimendus, quamvis fœmina minus diſtaret à ſtipite ibid. n. 6. pag 120

Gradus proximior, nec etiam eſt exprimendus, quamvis alter diſtaret à ſtipite vnico tantum gradu ibid n. 7.

Gradus quotus ſit, eſt ſolummodò exprimendus in impetratione diſpenſationis, nec requiritur expreſſio lineæ in ſententia aſſerente de iure naturæ non eſſe prohibitum matrimonium in linea recta, vſque in infinitum C. 15. P. 23. n. 14. p 124

Gradus primus, & ſecundus in impetratione diſpenſationis quoad affinitatem eſt exprimendus, an fuerit, & ſit ex copula licita, vel illicita in quacunque linea C. 15. P 23 n. 15. p.125

Gradu propinquiori expreſſo, cum fuerit remotior, tenet diſpenſatio ibid. n. 16. p.126

Gradu remotiori expreſſo, cum ſit propinquior, non tenet ibid. n. 17.

Gradus proximior ex ſtilo curiæ eſt exprimendus in impetratione diſpenſationum. C. 15. D. 3. §. 10. n. 2. pag. 306

Gradus duplex, vel triplex quarto &c. quomodo intelligendus ibid. n. 3. p.306

GRATIA conceſſa abſolutè non expirat morte concedentis, quamvis literæ ſuper illa non fuerint expeditæ C. 15 P. 27 n. 11. p.167

Gratia conceſſa relatiuè ad commiſſarium adhuc tenet mortuo concedente ſeruatis conditionibus ibid. n. 12. pag. 168

Gratia non debet retorqueri in odium aggratiati. C. 15. D. 1. § 20. n. 5. p.198

H

HÆREDITAS mariti non extantibus filijs, vel renuntiantibus defertur agnatis ſuccedere volentibus ex ſucceſſorio edicto. C. 15. M. 4 D. 1. §. 6. n. 3. p.376

Hæreditas mariti extantibus filijs, & renuntiantibus, ſi extent aſcendentes iure accretionis non competit Matri, ſed aſcendentibus debetur ibid. n. 4.

Hæreditas mariti extantibus aſcendentibus, & renuntiantibus non accreſcit vxori, ſed debetur agnatis ibid. n. 5.

Hæreditas mariti debetur Matri iure accretionis, nec extantibus filijs, nec aſcendentibus, nec agnatis ibid. n. 6.

HOMAGIVM, quid ſit C. 15 M. 5 D. 2 § 2 n. 1. p.479

Homagio non firmantur donationes inter coniuges, ſicut firmantur iuramento ibid. n. 3 p 480

HOMICIDIA plura non inducunt plures irregularitates C. 15. P. 22. n. 6. p.113

Homicidium quodcunque, ſi induceret irregularitatem diſtinctam, ad obtinendam diſpenſationem non exigeret, quod ſimul cum alijs exponeretur, ſed poſſet ſeparatim exponi ibid. n. 7. p.114

HONESTAS publica probabilius in impetratione diſpenſationis exprimi debet, an proueniat ex matrimonio rato C. 15. P. 23. n. 14. p.124

Honeſtas publica ex matrimonio rato veſtitur ſacramento ibid.

Honeſtas publica in impetratione diſpenſationis exprimenda eſt, an fuerit orta ex matrimonio rato. C. 15. D. 2. § 35. n. 2. p.289

Honeſtas publica, ſi oriatur non ex matrimonio rato, ſed ex ſponſalibus, & in impetratione diſpenſationis expreſſus fuerit primus gradus, non tamen titulus, ſufficienter, & valide intelligitur diſpenſata ibid. n. 5. p.289

I

ILLEGITIMVS diſpenſatus ad ordines ſine expreſſione intelligitur tantum quoad minores. C. 15 P. 4. n. 10. p.19

Niſi iam fuerit promotus ad minores ibid n 11 pag. 19

Illegitimus diſpenſatus ad ordines ſacros non intelligitur diſpenſatus ad dignitates, & ad benefi[illegible] ibid. n. 12. p.19

Illegitimus diſpenſatus ad ordines ſacros [illegible] diſpenſatus ad beneficium ſimplex ad effect[illegible] ad eoſdem ordines promoueatur ibid. n. 13. p.[illegible]

Illegitimus ingreſſus Religionem diſpenſatus [illegible] non intelligitur diſpenſatus ad dignitates C 15. P 12. n 14. 60

Illegitimus legitimatus à Principe ſæculari non acquirit ius ad ſpiritualia C. 15 P. 14. n 1. p.70

Illegitimus ex adulterio coniugati cum coniugata tenetur exprimere adulterium ex vtroque latere. C. 15. P. 23. n. 8. p.120

Illegitimus tenetur etiam exprimere qualitatem fœminæ, ſi fuerit vinculo obſtricta, ratione cuius non poſſit contrahere cum coniugato, cum quo commiſit adulterium C. 15. P. 23. n. 9. p.121

Nec teneret diſpenſatio etiamſi in literis addita eſſet clauſula non obſtante *ibid. n 10.* p.121

Ille-

Digitized by Google

Illegitimus diſpenſatus ad ordines ſine addito intelligitur ſolum ad minores C.15. D.1. §. 16. n. 2. p.190
Illegitimus diſpenſatus in irregularitate ſine addito intelligitur diſpenſatus ad omnem effectum ibid. n.4. pag. 190
Illegitimus diſpenſatus ad beneficia non intelligitur diſpenſatus ad Canonicatum in Cathedrali C. 15. D.1. §.23. n.3. p.202
Illegitimus ortus ex concubitu cum moniali, ſi fuerit diſpenſatus ad eidem ſuccedendum ex illo iure acquiſito non efficit, quod mater poſſit eidem ſuccedere C. 15. D. 1 §. 24. n.3. p.203
Illegitimus diſpenſatus in ordine ad conſequendum vnum beneficium ſimplex eo obtento non poteſt aliud obtinere C. 15. D.2. §. 11. n.1. p.239
Illegitimus legitimatus à Romano Pontifice obtento vno beneficio ſimplici poteſt aliud conſequi ibid. n.3. pag. 240
IMPEDIMENTA alia ſunt iuris diuini, alia canonici C.15. P.3. n.1. p.9
Impedimenta iuris diuini exigunt pro cauſa diſpenſationis bonum commune ſaltem indirectè ibid. n.2 p.10
Impedimenta dirimentia iure humano non ſunt diſpenſabilia per Legatos à latere, vel per Nuntios, niſi ipſis ſit ſpecialiter conceſſum, vel niſi vrgeat neceſſitas C.15. P.13. n.2. p.67
Impedimenta, quandò plura concurrunt, non ſunt ex neceſſitate omnia ſimul exponenda C.15. P.21. n.42. pag. 109
Niſi taciturnitas eſſet doloſa ibid. n. 43. p.111
Item, niſi impedimenta eſſent connexa ibid. n. 44.
Item, niſi iura praciperent omnia eſſe ſimul exponenda ibid. n. 45.
Impedimenta conſanguinitatis, affinitatis, & publicæ honeſtatis pro diſpenſationibus ſunt exprimenda ſecundum gradus determinatos, in quibus ſunt C. 15. P. 23. n 1. p 118
Impedimentum quandonam dicatur occultum C. 15. P.25. n.48. p.150
Impedimentum adhuc dicitur occultum quoad effectum, vt poſſit diſpenſari in foro interno, quandò deductum eſt ad forum contentioſum, ſi finito iudicio non fuerit cognitum ibid. n.53. p.152
Etiam ſi non fuerit cognitum medijs depranatis ibid n 54. p.152
Impedimentum neutro machinante, vel vtroque, vel altero, quando dicatur C. 15. D.3. §.7. n.3. p.301
Impedimenta pro quibus habetur recurſus pro diſpenſationibus pro foro externo C. 15. D. 3. §.9. à num.1. ad 6. p.304
IMPERATOR probabilius in ijs, quæ exigunt plenitudinem poteſtatis, & quæ non ſunt per prorogationem inter volentes non poteſt diſpenſare in terris Eccleſiæ C.15. P. 14. n.5. p.71
Imperator nec poteſt legitimare in terris aliorum Regum ibid. nu.6.
Imperator poteſt diſpenſare, vt illegitimus ſuccedat etiam in bonis alteri quæſitis ibid. n.7.
INCONTINENTIÆ timor, ob quem conceduntur diſpenſationes per literas ſacræ Pænitentiariæ, debet eſſe grauis extenſiue, & in duratione C.15. P.25. n.27. pag. 140
Incontinentia, quæ timetur, debet eſſe frequens, & iterata ibid. n. 18. p.140
Incontinentiæ periculum prævalere debet incertitudini prolis C.15. M.4. D.1 §.9 n.3. p.380
IRREGVLARITAS aliqua etiam Papæ reſeruata eſt diſpenſabilis à Prælatis regularibus in ordine ad ſuos ſubditos C.15. P.12. n. 11. p.60
Irregularitas ex defectu corporis etiam, niſi pariat ſcandalum ibid. n.17. p.61
Irregularitas contracta ob ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, & exercitium eorundem ante legitimam ætatem eſt auferibilis à Prælatis regularibus in ordine ad ſuos ſubditos ibid. n. 18. p 61
Irregularitas multiplex non inducitur ex diſtinctis homicidijs C.15. P.22. n.6. p.113
Irregularitates plures, ſi inducerentur per diſtincta homicidia, poſſent ſeparatim per plures diſpenſationes tolli ibid. n. 7. p.114
IVRAMENTVM promiſſorium factum Deo eſt diſpenſabile ab Epiſcopo C 15. P.11. n.30. p.12
Iuramentum quomodò conueniat, ſeu diſconueniat cum voto ibid.
Iuramentum non ita reſeruatur Pontifici, ſicuti votum ibid.
Iuramentum, in quo eſt turpitudo ex parte recipientis, non poteſt relaxari per facultatem commutandi vota C.15. D.2. §.2 n.3. p. 225
Iuramentum quandonam confirmet contractum, & quandò non, ibid. n.4.
Iuramentum quot modis poſſit concipi C. 15. M.5. P.14. n.1. p. 450
Iuramentum confirmatorium firmat donationes inter coniuges ibid. n. 2. p. 451
Iuramentum aſſertorium præcisè non firmat, ibid. nu. 3. pag. 452

L

LEGATI à latere Pontificis, & nuntij Apoſtolici diſpenſantes in legibus Pontificijs ſibi commiſſis ſine cauſa inualide diſpenſant C.15. P.3. n.1. p.66
Legati, ſeu Nuntij non poſſunt diſpenſare in impedimentis matrimonij dirimentibus iure humano, niſi ſpecialiter ſit conceſſum, vel vrgeat neceſſitas ibid. n.2. p.67
Legati à latere, & Nuntij Apoſtolici poſſunt abſoluere à percuſſione enormi Clerici ibid. n.3. p.67
Non tamen quandò ſunt in præſentia Pontificis ibid n.4. p.67
Nec quandò ante regreſſum ſunt reuocati ibid. n.5. p.68
Legati à latere poſſunt abſoluere extra prouinciam, quandò abſolutio fit per iuriſdictionem voluntariam ibid. n. 6. p. 68
Legati à latere, ſeu Nuntij non poſſunt abſoluere extraneos extra prouinciam ibid. n. 7. p.68
Legati, ſeu Nuntij extraneos, qui extra Prouinciam grauiter Clericum percuſſerunt non poſſunt abſoluere, quandò abſolutio requirit iudicialem cauſæ cognitionem in foro externo ibid. n. 8.
Bene tamen quandò exigit ſolum voluntariam iuriſdictionem in foro interno ibid.
Legati à latere, ſeu Nuntij poſſunt abſoluere ſubditum, qui alibi deliquit, grauiter percutiendo Clericum ibid. nu.9. p 68
Item non ſubditos deliquentes in Prouincia ibid. n. 10. p.69

Item poteſt abſoluere excommunicatos à ſe extra prouinciam, ſi egreſſus fuerit animo redeundi, & abſolutio non exigat cognitionem iudicialem ibid. n. 11. p 69

Legati, ſeu Nuntij poſſunt etiam ſecum diſpenſare ibid. n. 12.

LEGATVM relictum à marito vxori ſub conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit, eidem debetur, quantumuis tranſierit ad ſecundas nuptias. C.15. M. 4. P. 9. n. 2. p.356

Excipe, ſi legans dixerit, ſi caſtè vixeris in domo mea ibid. n 3. p.356

Item ſi dixerit, ſi caſtè cum filijs meis commorata fuerit ibid. n. 4.

Legatum relictum viduæ, ſi caſtè, & honeſtè vixerit non amittitur per ſecundas nuptias, ſiue fuerit relictum à conſanguineis eiuſdem, ſiue ab alijs ibid. n. 8. pag. 358

Etiam ſi tranſierit ad tertias, & vlteriores ibid. n. 9. p.358

Intellige cum nonnullis reſtrictionibus ibid. n. 10. pag. 359

Legatum relictum fœminæ viduæ ea adiecta conditione, donec caſtè, & honeſtè vixerit nullo modo amittitur per ſecundas nuptias ibid n. 11.

Legatum relictum ſub conditione negatiua non nubendi debetur poſt mortem teſtatoris præſtita tamen cautione à legataria illud reſtituendi cum omnibus fructibus ab initio perceptis ibid n. 17. p.360

Hæc cautio debet eſſe fideiuſſoria, ſi poſſit haberi, aliter ſufficit iuratoria ibid. n. 18.

Legatum relictum ſub conditione negatiua, quamuis præſtetur cautio Mutiana non poteſt peti intra annum à die obitus teſtatoris, niſi ſpes nuptiarum deficiat ibid. n.19. p.360

Legatum annuum relictum ſub conditione temporanea non contrahendi ſecundas nuptias, ſi legataria non paruerit conditioni ad medietatem anni, legatum eidem habetur quoad omnes fructus illius anni, de æquitate tamen debetur tantum quoad fructus pro rata temporis conformi ibid n.21. p.361

Legatum relictum viduæ, ſi caſtè, & honeſtè vixerit amittitur per actus fornicarios voluntariè ab eadem admiſſos ibid. n.22. p 361

Legatum non amittitur, ſi per vim patiatur huiuſmodi actus, & per vim cadentem in conſtantem virum ibid. n. 23.

Legatum huiuſmodi amittitur per amplexus, & oſcula, & actus impudicos ibid. n.24.

Etiam ſi fuerit relictum ab alio à marito ibid. n. 25. p. 362

Legatum relictum vxori viduæ, ſi caſtè, & honeſtè vixeris, probabilius non amittitur per vnam fornicationem ibid. n. 27.

Multominus per vnicum oſculum ibid. n. 28.

Legatum factum vxori à priori marito vſusfructus omnium bonorum, ſi vixerit caſtè in viduitate ſua, & centum ſi nupſerit, debetur vxori ſecundum centum, ſi poſt inhoneſtam vitam nubat. C. 15. M. 4. D. 2. §. 17. n. 4. p 413

Legatum à marito factum vxori in dubio eſt contra eandem vxorem interpretandum. C. 15. M. 4. D. 2. §. 19. n.3. p.414

Legatum factum à conſanguineis vxoris ſub conditione caſtè, & honeſtè viuendi, an vxor acquirat, ſi poſt diſſolutum primum matrimonium nubat perſona infimæ conditionis C 15. M. 4. D. 2. §. 24. n. 2, 3, & 4. pag. 420

Legatum relictum pro maritandis fœminis honeſtis, & honeſtè viuentibus poteſt dari fœminæ, quæ ſemel fornicata eſt ibid §. 25 n.3. p.420

Etiam ſi fuerit conſanguinea teſtatoris ibid. n. 5. pag. 421

Legatum pro fœminis maritandis, vbi non conſtat de mente teſtatoris, poteſt dari fœminæ iam nuptæ C. 15. M. 4 D. 2. §. 26. n.3. p.422

Legatum, quod loquitur de fœminis non nuptis poteſt extendi ad nuptias, quæ adhuc non ſunt conſummatæ ibid n. 4. p 422

Legatum pro fœminis maritandis, vbi non fuerint nubiles, poteſt tradi nuptis ibid. n. 5.

LEGITIMA debetur filijs non ſolum in bonis paternis, ſed etiam maternis C. 15. M. 4. D. 2. §. 3. n. 2. pag. 396

LEGITIMATIO prolis per ſubſequens matrimonium non impeditur ex eo, quod inter ſuſceptionem eiuſdem ex concubina, & legitimationem eiuſdem mediauerit aliud verum matrimonium, ex quo legitima proles fuerit ſuſcepta C.13. D.1. §. 29. n 2. p.209

Legitimatio primogeniti per ſubſequens matrimonium tenet in ordine ad ſucceſſionem in priuilegio, quantumuis non acceſſerit expreſſus conſenſus Principis ibid. n. 3. p.209

Non tamen quoad ſucceſſionem in feudo ibid. pag. 210

Legitimatio per ſubſequens matrimonium inducit ius ad primogenia ibid. n. 4. p. 210

Legitimatio per ſubſequens matrimonium efficit, vt primogenitus ex concubina præferatur alteri filio legitimè nato, & procreato ex ſubſequenti matrimonio ibid. n.5. p.210

Legitimatio per ſubſequens matrimonium efficit, vt primogenitus ex concubina procreatus ante matrimonium cum eadem præferatur in ſucceſſione priuilegij alijs filijs progenitis ex eadem concubina conſtante cum eadem matrimonio ibid n. 6. p.211

Legitimatio per ſubſequens matrimonium poſt primum, ex quo alia proles legitima fuit ſuſcepta, non efficit, quod legitimatus præferatur in priuilegio ibid. n. 7.

Legitimatio per reſcriptum Principis etiam ante natiuitatem alterius legitimi non efficit, quod ſic legitimatus ſit præferendus in priuilegio ibid. n 8. p.213

Legitimatio naturalium per reſcriptum Principis quoad effectum ſuccedendi reuocatur per natiuitatem legitimorum ibid. n.9. p.214

Legitimatio per reſcriptum Principis quoad omnes filios illegitimos non tollit ius primogeniti quoad priuilegia C.15. D.1. §.27. n.4. p.216

Legitimatio. Vide verb. Proles.

LEX Pontificum, ſeu conciliorum, in quibus nec permittitur, nec prohibetur diſpenſatio, non eſt diſpenſabilis ab Epiſcopo C. 15. P. 11. n.37. p.55

Excipe in caſu vrgentis neceſſitatis ibid. n. 38. pag. 56

Leges Pontificum, & Conciliorum, in quibus impersonaliter permittitur diſpenſatio, non tamen exprimitur, cui permittatur, ſunt diſpenſabiles ab Epiſcopo ibid. n.39. p.56

Digitized by Google

Niſi lex ad ipſum Epiſcopum dirigeretur ibid. num 40.

Et niſi apponeretur pœna reſeruata Pontifici ibid. num.41.

Leges Concilij Prouincialis non ſunt diſpenſabiles ab Epiſcopis ſuffraganeis in ordine ad ſuos ſubditos, nec ab Archiepiſcopo quoad ſuos ibid. n. 42. p.57.

Leges ſinodales ſunt diſpenſabiles ab Epiſcopo ibid n.43. p.57

Leges ſinodales, etiam ſi fuerint approbatæ à Romano Pontifice ſunt ab Epiſcopo diſpenſabiles, niſi additum fuerit robur Apoſtolicæ auctoritatis ibid. n. 44. pag. 58

Leges ſinodales ſunt indiſpenſabiles ab Epiſcopo, ſi tranſierint in contractum in fauorem tertij ibid.

Lex generalis correctoria eſt ſtrictè interpretanda C.15. D 1. §.17. n.5. p.191

LITERÆ diſpenſationum ſacræ Pænitentiariæ non diriguntur, niſi ad Magiſtrum in Theologia, & Doctorem Canonum ex approbatis ab ordinario C. 15. P.25. n.1. p.134

Literæ ſacræ Pænitentiariæ poſſunt ex priuilegio aperiri, & exequi à Regularibus approbatis ab ordinario ad confeſſiones ibid. n. 4. p.135

Literæ huiuſmodi non poſſunt licitè ab alio, qui non ſit Magiſter in Theologia, vel Doctor Canonum, vel Regularis, ſi tamen aperiantur, non fruſtantur ſuo effectu, ſed poſſunt à Doctore in Theologia, vel Canonum expediri ibid.n.5. p.135

Literæ ſacræ Pænitentiariæ poſſunt expediri à Magiſtro in Theologia, & Doctore Canonum, quamvis careant Doctrina debita tali gradui ibid. n. 6. p. 135

Literæ ſacræ Pænitentiariæ non poſſunt expediri ab eo, qui verè non eſt Magiſter Theologiæ, nec Doctor Canonum, quamvis reputetur communiter talis, ibid. num. 7.

Literæ ſacræ Pænitentiariæ exigunt in commiſſario approbationem ab ordinario, nec ſufficit teſtimonium accademiæ ibid. n. 10. p. 137

Literæ ſacræ Pænitentiariæ. Vide verb. Confeſſarius.

Literæ ſacræ Pænitentiariæ poſt exhibitionem ſunt per commiſſarium lacerandæ C. 15. P. 25. n. 60. p.155

Finis dilacerationis eſt, ne delicta detegantur ibid.

Literæ poſt diſpenſationem non ſunt reſtituendæ latori ibid. n.61. p.155

Literæ, ſi reſtituantur non irritatur diſpenſatio ibid. n.62.

Literæ commiſſionum pro diſpenſationibus in foro externo. Vide verb. officialis. Diſpenſatio.

Literæ Datariæ proſunt pro vtroque foro C.15. D.3. §.6. n.4. p.299

Literæ Datariæ pro diſpenſationibus, ſi non fuerint præſentatæ ordinario, nec proſunt pro foro interno ibid. n. 5. p.299

Nec ſufficit, ſi præſententur poſt initum matrimonium ibid. n. 6. p.300

Literæ Datariæ, ſi poſt initum matrimonium præſententur ordinario, non impediunt quominus poſteà poſſit iterum validè iniri ibid. n. 5. p.300

Literæ ſacræ Pænitentiariæ, in quibus caſibus expediantur C.15 D.3 §.7.n.1. p.301

Literæ ſacræ Pænitentiariæ non dantur, niſi pro caſibus occultis ibid. n.2.

Literæ pro impetrandis diſpenſationibus pro foro interno. Vide formulæ literarum.

M

MAGISTER in Theologia ad exequendas literas ſacræ Pænitentiariæ pro foro interno eſt Doctoratus in tali ſcientia C. 15. P. 25. n. 1. p.134

Magiſter ad hoc munus non eſt licentiatus in Theologia, & iure Canonico ibid. n. 3. p. 135

Magiſter in Theologia poteſt expedire literas ſacræ pænitentiariæ, quamvis careat doctrina debita tali gradui ibid. n.6. p.135

Magiſter in Theologia non vere talis, ſed qui communiter reputetur pro tali, non poteſt exequi literas pænitentiariæ ibid n.7. p.135

Magiſter in Theologia, qui verè fuerit inſignitus tali gradu, ſed occultè illo priuatus validè expedit huiuſmodi literas ibid. n. 8. p 136

Magiſter in Theologia debet eſſe approbatus ab ordinario, nec ſufficit publicum Academiæ teſtimonium ibid. n. 10 p. 137

Magiſter in Theologia. Vide verb. Confeſſarius.

MAGNATES, qui poſſunt diſpenſari in ſecundo conſanguinitatis gradu, ſunt Domini titulati, qui habent iura meri, & mixti imperij C.15. P.3. n 4. & 5. p.10

MAIOR PÆNITENTIARIVS, nec per viam compoſitionis poteſt aliquid accipere, nec ſponte oblatum pro diſpenſationibus in foro interno C. 15. P. 25. n 62. p. 156

Maior pænitentiarius poſt expeditam diſpenſationem non delinqueret, ſi aliquod poſteà reciperet titulo gratitudinis ibid.

Maior pænitentiarius non poteſt accipere, nec eſculenta, nec poculenta ibid. n 66.

Maior pænitentiarius non poteſt aliquid accipere pro diſpenſatione in foro interno, ſi impetrata diſpenſatione in Dataria pro vtroque foro reticita fuerit qualitas diſpenſabilis per ſacram pænitentiariam, in qua poſtea fiat per diſpenſatio ibid n.67. p. 157

MARITVS pauper ſuperſtes vxori diuiti habet ius in quarta bonorum parte vxoris C. 15 M 4. D. 1. § 8. n. 2. p.378

Maritus inops ſuperſtes vxori non ſolum ſuccedit in quarta dotis parte, ſed etiam aliorum bonorum vxoris prædefunctæ ibid. n.4.

Maritus tranſiens ad ſecundas nuptias tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij portionem illam, quam acquiſiuit ex bonis alterius coniugis ex eo, quod filia excluſa ſit per ſtatutum à ſucceſſione parentum C. 15. M. 4 D. 2 § 14. n.3. p 409

Maritus non poteſt fructus dotis ſibi promiſſæ irreuocabiliter donare vxori C.15. M. 5. P. 5 n 3 p.433

Maritus poteſt paciſci ab initio conſtitutionis dotis, & matrimonij contrahendi, vt non exigat dotem, dum viuit vxor ibid. n. 4. p 433

In quo caſu fructus non cedunt marito ibid. n. 5.

Maritus, ſi conceſſerit decennium ad ſolutionem dotis extante pacto, quod maritus præmoriente vxore ſine filijs lucretur dotem non poteſt dotem exigere ante lapſum decennij, ſi vxor ante illud moriatur C. 15. M. 5. P. 6 n 4. p. 435

Maritus ante illud decennium non poſſet exigere lucrum dotis ibid. n. 5.

Ma-

Digitized by Google

Maritus ſenex, & ignobilis poteſt validè, & irreuocabilitèr conſtituere etiam conſtante matrimonio dotem vxori nobili, & iuueni C. 15. M. 5. P. 8. n. 3. p. 438

Maritus, ſi confeſſus fuerit ex interuallo dotem recepiſſe, quandò in celebratione contractus matrimoniales dos determinata conſtituta eſt, ſeu promiſſa præſumitur verè recepiſſe C. 15. M. 5. P. 9. n. 8. p. 442

Maritus facta confeſſione ex interuallo, quamuis non poſſit excipere transferendo onus probationis in vxorem, poteſt tamen excipere exhibendo ſe adprobationem ibid. n. 10. p. 443

Maritus poteſt repudiare hæreditatem, vel legatum ad effectum, vt mulier ſubſtituta, vel ab inteſtato ſuccedat C. 15. M. 5. P. 11. n. 3 p. 445

Maritus rogatus reſtituere hæreditatem vxori poteſt reſtituere ſine deductione Trebellianica ibid. n. 4.

Maritus rogans volentem ſibi donare, vt donet propria vxori, non intelligitur donare reuocabiliter, ſi illa oblatio importet ſolum donationem faciendam, ſecus ſi importet iam factam C. 15. M. 5. D. 1. § 3. n. 5. p. 464

Maritus, ſi leget coniugi, quæ prius ei donauerat ſub titulo legati, intelligitur reuocare priorem donationem C. 15. M. 5. D. 2. § 1. n. 2. p. 479

MATRIMONIVM ratum non eſt indiſſolubile in ordine ad quamcunque potentiam C. 15. P. 10. n. 3 p. 33

Matrimonium ſtrictè indiſſolubile eſt tantum conſummatum ibid. nu 4. p. 33

Matrimonium corporale conſummatum in omnibus non æquiparatur ſpirituali per profeſſionem C. 15. P. 10. n. 10. p. 35

Matrimonium ratum non eſt diſpenſabile ab Epiſcopo C. 15. P. 11. n. 1. p. 39

Matrimonium non inualidatur ex eo, quod contrahatur coram Parocho loci, à quo mulier eadem die contractus eſt receſſura C. 15. D. 2. §. 16. n. 2 p. 250

Matrimonium illud ſic contractum, ſi fuerit inualidum, & ſit iterandum eadem die, quo contrahens receſſit ab illo loco poteſt reiterari coram Parocho eiuſdem loci, à quo receſſit C. 15. D. 2. §. 16. n. 3. p. 250

MONITA, & conſilia quænam ſint præſtanda per commiſſarium oratori petenti diſpenſationem à ſacra pænitentiaria C. 15. P. 25. n. 26. p. 143

Monita huiuſmodi, ſi ommittantur, non irritant diſpenſationem ibid. n. 27.

MORS ciuilis quomodò contingat C. 15. M. 5. P. 16. n. 1. p. 458

Mors ciuilis contingit aſportatione, & exilio ibid. n. 2 pag. 458.

Mors ciuilis contingit per ſeruitutem ſuperuenientem ibid. n. 3.

Mors ciuilis contingit per profeſſionem in Religione ibid.

N

NOTORIVM quomodò dicatur C. 15. P. 25. n. 48. pag. 150

Notorium triplex, aliud notorietate iuris, aliud notorietate facti, aliud confeſſione rei in iudicio ibid.

Notorium ſufficienter dicitur ad effectum, vt nequeat ſuper illo diſpenſari, ſi pluribus innotuerit, & deindè ex dicto ipſorum innotuerit maiori parti vicinia ibid. n 50. p. 151

Notorium dicitur, quandò conſtat maiori parti viciniæ ibid.

Notorium eſt, quandò deductum eſt ad forum contentioſum ibid. n. 51. p. 151

Quandonam res dicatur deducta ad forum contentioſum ibid. n. 52. p. 152

NOVITII quoad vota emiſſa ante ingreſſum in Religionem, & in anno probationis nequeunt diſpenſari à ſuis prælatis ante profeſſionem, ſed ſolum vota illa poſſunt ſuſpendi vſque ad illam C. 15. P. 12. n. 21. & 22. p. 62

Nouitij ante profeſſionem nequeunt etiam diſpenſari ab eiſdem ſuper alijs notis contractis puta infamia iuris, bigamia &c. ibid. n. 23. p. 62

Nouitij poſſunt à prælatis Regularibus abſolui à caſibus reſeruatis, & cenſuris, alijſque, quæ ſe habent per modum actus ibid. n. 24. p. 63

Nouitius diſpenſatus, vt ante annum probationis, vel ante decimum ſextum annum emittat profeſſionem, poteſt intra bimeſtre ad illud tempus profeſſionis emittendæ iuxta diſpenſationem renuntiare bonis ſuis C. 15. D. 1. §. 20. n. 3. p. 197

Nec tunc fieret extenſio diſpenſationis ibid. n. 4. pag. 198

NVNTIVS certus de iure requiritur ad probandam mortem alterius coniugis ad effectum, vt alter poſſit ſecundo nubere C. 15. M. 4. P. 2. n. 9. p. 312

Nuntius certus importat determinatam perſonam ibid. nu 10.

NVPTIÆ ſecundæ quocunque iure licitæ ſunt C. 15. M. 4. P. 1 n. 2. p. 309

Nuptiæ ſecundæ contrahi non poſſunt, niſi conſtante de morte alterius coniugis C. 15. M. 4. P. 2. n. 1. p. 310

Nuptiæ ſecundæ quoad certitudinem mortis alterius coniugis. Vide verb. Abſentia, Fama, Nuntius, Mors, Teſtis, Vxor.

Nuptiæ ſecundæ, cur interdicantur benedici C. 15. M. 4. D. 1. §. 1. n. 2. p. 370

Nuptiæ ſecundæ poſſunt benedici, ſi neuter coniux in primis fuerit benedictus ibid. n 3

Nuptiæ ſecundæ poſſunt benedici, quandò primæ irritæ fuerunt benedictæ reſpectu eorundem contrahentium C. 15. M. 4. D. 1 § 2. n. 3. p. 371

Nuptiæ ſecundæ etiam poſſunt benedici, quandò qui inualidè in primis contraxit, & fuerit benedictus, ſi poſtea contrahat cum virgine ibid. n. 3. p. 372

Nuptiæ ſecundæ poſſunt benedici, quandò qui inualidè contraxit cum alia, modo contrahit cum altera inualidè coniugata ibid. n. 4.

Nuptiæ ſecundæ non ſunt benedicendæ, quandò inualidè coniugatus contrahit cum alia validè coniugata, & benedicta ibid. n. 5.

O

OBREPTITIO, & ſubreptitio quomodo differunt in reſcriptis C. 15. P 21. n 2. p. 95

Obreptio. Vide verb. Diſpenſatio, Subreptio, Reſcriptum. Taciturnitas veri, Falſi expreſſio.

OFFICIALIS Epiſcopi, cui diriguntur literæ diſpenſationum pro foro externo eſt Vicarius generalis eiuſdem Epiſcopi C. 15. P. 26. n. 1. p. 158

Officialis, ſi ante expeditionem literarum fuerit promotus ad Epiſcopatum non poteſt illas expedire ibid. num 4. p. 159

Intellige niſi commiſſio eſſet perſonalis ibid. n. 5.

Digitized by Google

Officialis ad hunc effectum eſt etiam Vicarius capituli Sede vacante, ſiue in literis dictum fuerit Vicario, ſeu Officiali talis Diœceſis, ſiue Officiali Epiſcopi illius Diœceſis ibid. n. 6. p. 159

Officiales Prælatorum *habentium ſuum territorium, & iuriſdictionem priuatiuè quoad Epiſcopos ſunt capaces exequendi huiuſmodi commiſſiones ibid. n.7.*

Officialis, ſi fuerit duplex æque principalis, vterque poteſt exequi, ſi vero vnus fuerit principaliter, ipſe ſolus ibid. n.8. p.159

Officialis vnius Diœceſis, cui directæ ſunt literæ poteſt eaſdem exequi, quantumvis contrahere volentes ſint diuerſæ Diœceſis ibid. n.9. p.160

Officialis alterius Diœceſis non nominatæ, cuius alter ex contrahentibus eſt ſubditus, non poteſt literas commiſſionis exequi ibid. n.10. p.160

Officialis, qui ex vi commiſſionis diſpenſauit in matrimonio inualido, ſi omiſit decernere prolem ſuſceptam legitimam, poteſt ex interuallo decernere. C.15 *D*. 3. §.3. n. 3. p.294

Officialis capta cauſa, ſi non perfecerit, non poteſt per legitimationem prolis ab alio perfici, niſi ipſe remoueatur ab officio ibid. n. 4. p.295

Hoc non valet in foro interno quoad commiſſarium ibid. n.5.

Officialis non poteſt decernere ſuper legitimatione prolis, niſi interpoſita diſpenſatione ſuper matrimonio C.15. *D*.3. § 4. n.3. p.296

Officialis, ſi ordine inuerſo prius decreuerit ſuper legitimatione prolis, poſtea diſpenſauerit ſuper impedimento, diſpenſatio tenet, & proles cenſetur legitimata C 15. *D* 3. §.4. n.4. p.296

ORDINES *ſacri poſſunt ex diſpenſatione Generalium à regularibus ſuſcipi extra tempora à iure ſtatuta tribus diebus Dominicis, vel Feſtiuis* C.15. P.12. n.19. *pag.* 61

P

PACTVM*, vt maritus lucretur dotem, ſi vxor præmoriatur ſine filijs, tenet, & obligat.* C. 15. *M* 5. P. 6. n.1. p.434

Pactum illud non importat donationem omnium gratuitam ibid n.2 p.434

Intellige, ſiue dos fuerit tradita, ſiue tantum promiſſa ibid. n. 3.

Pactum initum ante contractum matrimonium, quod fructus dotis transeant in augmentum dotis, & maritus alat vxorem, tenet C. 15. *M*. 5. *D*.1. §. 12. n. 3. *pag.* 476

Sed tunc dos nõ ſubſiſteret in ratione dotis. ib. n.4.

Pactum illud initum poſt contractum matrimonium non tenet irreuocabiliter ibid. n.5. p.477

Pactum, vt ſocer, ſeu mulier promittens dotem teneatur alimenta præſtare vxori, donec dos ab ipſis tradatur, licitum eſt, & ſubſiſtit. C. 15. *M*. 5. *D*. 1. §.13. n.2. p.477

PAROCHVS *loci, à quo fœmina eadem die contractus eſt receſſura, validè aſſiſtit ipſius matrimonio.* C.15. *D*.2. § 16 n.2. p.250

Parochus loci, coram quo fœmina contraxit, ſed inualide, & poſtea eadem die receſſit, ſi iterum eadem die matrimonium ſit iterandum extra Parochiam, poteſt validè aſſiſtere ibid. n. 3.

Parochus, qui ob vitium occultum incapax eſt beneficij Parochialis, *ſi alias habeat conditiones requiſitas poteſt validè expedire literas ſacræ pænitentiariæ.* C. 15. *D*.3. §.1. n.2. p.291

Etiam ſi fuerit tali vitio affectus, vel antecedenter ad electionem, vel ſubſequenter ibid. n.4. pag 292

Parochus, vel confeſſarius quænam debeant inueſtigare circa impedimentum Nutro, vel altero, vel vtroque machinante. C. 15. *D* 3. § 7. n.4. p.301

PARTICVLA, donec, *reſtringit diſpoſitionem cum perſeuerantia vſque ad tempus, cui eſt adiecta* C.15. *M*.4. *P*.9. n. 13. p.319

Particula donec *æquiualet particulæ* quandiu, quouſque, vſquequo *ibid. n* 14. p.360

Particula dummodo *importat perſeuerantiã, & perpetuitatem ibid n. 15.* p.360

Particula donec *facit legatum annuum ibid. nu. 16. pag.* 360

PATER *rogatus ab auo reſtituere hæreditatem filijs, ſi tranſeat ad ſecunda vota, tenetur ſatiſdare.* C. 15. *M*.4. *P*.6. n.20. p.351

PAVPERTAS, *& nobilitas perſonæ in fœmina poteſt eſſe ſufficiens cauſa diſpenſationis in impedimentis matrimonij* C. 15. *P*. 3. n 11. p 11

Paupertas orta ex renuntiatione bonorum facta à fœmina nobili ad effectum facilius impetrandæ diſpenſationis ſufficit ad validitatem eiuſdem. C. 15. *P*. 3. n. 12 *pag.* 11

Excipe niſi renuntiatio facta fuerit cum pacto retrodationis ibid.

Paupertas verè exiſtens in fœmina nobili pro tempore diſpenſationis abſolute eſt ſufficiens ad validitatem eiuſdem diſpenſationis, quæ non irritatur ex eo, quod ante contractum fœmina facta fuerit diues per hæreditatem obuenientem ibid. n. 13. p. 12

Paupertas, quæ extitit tempore commiſſionis ad diſpenſandum, non tamen amplius eſt pro tempore expeditionis, non eſt ſufficiens ad validè contrahendum ibid n 14. p 12

Paupertas fœminæ non eſt ſufficiens cauſa ad obtinendam diſpenſationem, ſi nihil habeat, quod conferat, habeat tamen parentes diuites, quos poſſit compellere ad conſtituendam ſibi congruam dotem. C. 15. *P*. 13. n.24. p.15

Paupertas fœminæ non habentis dotem congruam poteſt eſſe ſufficiens motiuum diſpenſandi ad contrahendum cum conſanguineo, qui velit conſtituere augmentum, quod cum dote incongrua conſtituat congruam C. 15. *P*.26. n. 11. p.160

Et diſpenſatio tenet, quantumvis alter ab ipſo conſanguineo augmentum illud conſtituat ibid. n. 12. p 161

PÆNITENTIA *à ſuperiore impoſita poteſt mutari ab inferiori* C. 15. *P*. 11 n.20. p.45

Pænitentia menſtrua confeſſionis, quæ imponitur in literis ſacræ pænitentiariæ pro diſpenſandis, non eſt reſtrictiua, ſed arbitraria C.15 *P*.25. n. 33. p.146

Pænitentia menſtrua confeſſionis, ſi imponatur per commiſſarium, adimpletur, ſi pro quolibet die cuiuslibet menſis fiat confeſſio ibid n. 34. p.146

Pænitentia menſtrua confeſſionis, ſi fuerit omiſſa pro aliquo menſe, non eſt ſupplenda in alio confitendo bis in eodem ibid. n. 35. p 147

Pæ-

Digitized by Google

Pænitentia menſtrua confeſſionis ſufficienter adimpletur per vnicam confeſſionem in aliquo menſe quantumvis eadem eſſet facienda ex alio titulo ibid. n.36. pag. 147

Pænitentia, in quibus commutari poteſt votum caſtitatis, & Religionis ex vi literarum ſacræ pænitentiariæ enumerantur ibid. n.38. p.147

PŒNÆ contra ſecundo nubentes intra annum luctus C.15. M.4. P.3. n.1. p.317

Pœnæ huiuſmodi afficiunt ſolummodò fœminas ſecundo nubentes intra annum, luctus, non maſculos ibid. n.2. pag. 319

Pœna infamiæ afficit viduam tranſeuntem ad ſecundas nuptias intra annum luctus, & maſculum cum ea nubentem ibid. n. 3.

Pœna infamiæ ipſo iure incurritur ibid n.4. p. 317

Annus luctus in ordine ad pœnas connumerandus eſt à die obitus prioris mariti, non à die ſcientiæ ibid. n. 5. p.318

Pœna infamiæ non tollitur ex eo, quod vxor fuerit minor, ibid n.6. p.318

Pœna ſecunda contra ſecundo nubentes intra annum luctus eſt priuatio cuiuſque hæreditatis, & legati, donationis cauſa mortis, ſucceſſionis ab inteſtato vltra tertium gradum ibid n 7. & 8. p.318

Pœna tertia contra ſic nubentes eſt, quod vxor non poſſit dare ſecundo marito vltra tertiam bonorum ſuorum partem ibid n 11. p 319

Hæc pœna vetatur, ſi prior maritus facultatem fecerit vxori tranſeundi ad ſecundas nuptias, ſi tranſierit poſt annum luctus ibid n. 13.

Pœna quarta contra nubentes intra annum luctus eſt priuatio quorumcunque relictorum à priori marito in vltima ipſius voluntate, iocalium, ſponſalitiæ largitatis, & donationis propter nuptias ibid. n.20. 22. & 23 p.323

Illa bona deferuntur ad hæredes mariti ab inteſtato ibid. n. 24. p. 324

Pœna quinta eſt, vt teneatur dare medietatem bonorum filijs prioris matrimonij actu, nec retento eorum vſufructu ibid n. 27. & 28. p. 324

Pœna contra ſecundo nubentes intra annum luctus. Vide verb Vxor.

Pœna contra ſecundo nubentes abſolute etiam extra annum luctus C 15. M 4. P.5. n 1 p.330

Pœna contra ſecundo nubentes etiam poſt annum luctus, eſt, quod coniuges nequeant ſibi adinuicem tradere pluſquam vxor tradiderit vni ex filijs prioris matrimonij cui minus tradidit. C. 15. M. 4. P. 5. n. 1. pag. 330

Hæc pœna æquè afficit vxorem, ac maritum ibid. num 2.

Pœna hæc contra parentes ſecundo nubentes etiam poſt annum luctus, in ordine ad filios prioris matrimonij æquè intelligenda eſt contra Auum, & Auiam ſecundo nubentes in ordine ad Nepotes ibid. n.9 p.332

Pœna contra coniuges abſolutè ſecundo nubentes poſt annum luctus eſt quod priuentur proprietate omnium bonorum, quæ conſecuti ſunt ab altero coniuge ibid. n. 13 p.333

Æquè intelligitur de vxore, ac de marito ſecundo nubente ibid. n.14.

Pœna hæc extenditur ad ea, quæ acquiſiuit ex vltima voluntate, ſiue ex titulo donationis, ibid. n.24. p.336

Item ad bona, quæ data ſunt in augmentum dotis ibid. n. 25.

Item ad donationes propter nuptias ibid. n. 26.

Item ad arras, & iocalia ibid. n.27.

Item ad donata inter viuos ibid. n. 30. p.337

Pœna contra vxorem ſecundo nubentem eſt priuatio tutelæ filiorum prioris matrimonij C.15. M.4. P.6 n.1. pag. 345

Hæc pœna non afficit Patrem ibid. n.2.

Pœna hæc extenditur etiam ad priuationem muneris curationis ibid. n 3.

Pœna contra vxorem binubam eſt amiſſio educationis filiorum prioris matrimonij ibid. n. 8. p.347

Pœna contra vxorem binubam eſt priuatio iurium, & priuilegiorum honoris, & dignitatis, quibus gaudebat ratione prioris matrimonij ibid n. 13. p.349

Pœnæ conuentionales quoad ſecundo nubentes quænam ſint C.15. M.4. P.8. n.1. p.353

Pœnæ conuentionales debentur aduerſus contrahentes ſecundas nuptias ibid. n. 2. p.353

Pœnæ conuentionales contra ſecundo nubentes, vbi non ſubſiſterent, non firmarentur iuramento ibid. n.3 pag. 354

Pœna impropria. Vide Legatum.

Pœnæ contra nubentes intra annum luctus ſublatæ ſunt per ius canonicum C.15. M.4 P 10. n. 1 p.363

Enumerantur pœnæ correctæ ibid. à n.2 vſq ad 5.

Pœna, quod filij non teneantur contribuere alimenta matri tranſeunti ad ſecundas nuptias intra annum luctus non intelliguntur correcta ibid. n.6. p.365

Nec quoad amiſſionem veſtium lugubrium, nec lectus ibid. n.7 & 8. p.365

Pœnæ contra ſecundo nubentes indultæ in fauorem filiorum non ſunt correctæ per ius canonicum, C.15. M 4. P.11. n.1. p.366

Enumerantur pœnæ, quæ non ſunt correctæ ibid. à n. 2. vſq ad fin. p 367

Pœnæ municipales, & conuentionales non intelliguntur correctæ per ius canonicum C.15. M. 4. P. 12. à n. 1. vſq. ad finem. p.368

Pœna impropria de non lucrando impoſita per teſtatorem vidua ſub expreſſa conditione non tranſeundi ad ſecundas nuptias non eſt correcta per ius canonicum C.15 M.4. P.13. n.1. p.368

Intellige, ſiue legatum fuerit relictum à marito vxori, ſiue ab vxore marito ſub illa conditione ibid. n.2. p.369

Etiam ſi fuerit legatum ab alijs à marito ibid. num. 3.

Pœna impropria ſub conditione illa in vtroque foro afficit tranſeuntem ad ſecundas nuptias etiam ante Iudicis ſententiam ibid n. 4 p 369

Pœna conuenta in inſtrumento matrimoniali, quod donata adinuicem teneant, ſi non tranſierint ad ſecundas nuptias non eſt correcta ibid n 5. p.369

Et ſi hæc dona fuerint recepta per tranſeuntem ad ſecundas nuptias ſunt reſtituenda ibid n.6.

Pœnæ iuris contra vxores ſecundo nubentes intra annum luctus intelliguntur correctæ, quantumvis eadem vxores paulo poſt obitum prioris mariti tranſirent ad ſecundas nuptias C.15. M.4. D.1. §.§.9. n.3. p.380

Pœnæ ciuiles correctæ per ius canonicum non amplius obligant, nec in foro externo, nec in interno ibid. §.10. n. 3. p.381

Digitized by Google

Pœna in auth. cui relictum C. de ind. viduit. tol. non intelligitur correcta per ius canonicum, & vidua ſecundo nubens amittit legatum, ibid. §.11. n.5. p.382
Pœna, quā mulier ſuſcepta tutelā præſtito iuramento de non tranſeundo ad ſecundas nuptias, ſi ad eaſdem tranſit non petito tutore ſubditur omnibus iuribus ciuilibus contra tranſeuntes ad ſecundas nuptias intra annum luctus non intelligitur correcta per ius canonicum, ibid. §.12. n.3. p.382
Pœna ſecundarum nuptiarum contra nubentes intra annum luctus afficiunt uxorem fornicantem intra annum luctus, ibid. §.13. n.2. p.383
Pœna contra ſecundo nubentes intra annum luctus non afficiunt uxorem fornicantem poſt annum luctus. C.15. M.4. D.1. §.15. n.4. p.386
Pœna contra nubētes poſt annū luctus afficiunt fornicantē poſt annū eiuſdē luctus. C.15. M.4. D.1. §.15. n.5. p.386
Pœna contra viduas fornicantes afficiunt etiam viduas admittentes actus inhoneſtos præparatorios ad fornicationem. C.15. M.4. D.1. §.17. n.4. p.388
Pœnæ contra viduas fornicantes intra annum luctus non intelliguntur correctæ per ius canonicum, ſicuti pœna contra ſecundo nubentes intra annum luctus. C.15. M.4. D.1. §.20. n.3. p.391
Pœna ſecundo nubentium ceſſant, quandò coniux ſuperſtes ſecundo nubit ex facultate coniugis prædefuncti. C.15. M.4. D.2. §.6. n.2. p.399
PEREGRINI degentes per breue tempus in Diœceſi Epiſcopi poſſunt ab eodem Epiſcopo diſpenſari in iis, in quibus Epiſcopus cum ſuis diſpenſat de plano. C.15. P.20. n.1. p.92
Intellige, quando obligatio iuris communis reſtringitur ad tempus, pro quo peregrini ibi morantur. C.15. P.20. n.1. p.92
Peregrini, & forenſes poſſunt obligari per Epiſcopum ad obſeruantiam legum loci, ibid.
Peregrini, & forenſes non poſſunt diſpenſari quoad vota, & iuramenta, niſi contraxerint habitationem domicilialem, ibid. n.2. p.93
Peregrinus, ſeu forenſis, qui ſe tranſtulit in aliquam ciuitatem cum animo ibi permanendi poteſt ab Epiſcopo illius loci diſpenſari ſuper voto, quamvis animum mutauerit, dummodo actu ibi non reliquerit habitationem. C.15. D.2. §.14. n.3. p.246
PONTIFEX regulariter ſolū diſpenſat inter magnates in ſecundo conſanguinitatis gradu. C.15. P.3. n.4. p.10
Pontifex ex cauſa poteſt etiam diſpenſare cum inferioribus contrahendi in ſecundo conſanguinitatis gradu. ibid. n.8. p.11
Cauſæ, ob quas Pontifex diſpenſat etiam cum inferioribus, ibid. n.9
Pontifex quandonam poſſit in iis, quæ iuris diuini ſunt, diſpenſare. C.15. P.10. n.1. p.31
Pontifex poteſt ex legitima cauſa diſpenſare in matrimonio rato, vt diſſoluatur, ibid. n.2. p.32
Pontifex diſpenſando in matrimonio rato non irritat directè ſacramentum, ſed deſtruit materiam ſacramenti, ibid. n.5. p.33
Pontifex non poteſt diſpenſare in matrimonio conſummato ex præcepto Chriſti Domini, ibid.
Pontifex ex iuſta cauſa non ſolum poteſt diſpenſare in voto ſolemni annexo ſacris ordinibus, ſed etiam in voto ſolemni annexo profeſſioni, ibid. n.7. p.34
Pontifex poteſt efficere, quod quis deſinat eſſe Religioſus profeſſus, non tamen, quod ſubſiſtat profeſſio ſine voto caſtitatis. C.15. P.10. n.11. p.35
Pontifex non diſpenſat in voto ſolemni caſtitatis ſine vrgentiſſima cauſa, ibid. n.14. p.36
Pontifex nō poteſt diſpēſare in iis, quæ ſunt iuris diuini independentis ab humana volūtate. C.15. P.10. n.15. p.36
Bene tamen interpretari, ibid.
Pontifex poteſt diſpenſare in radice matrimonii inualidi de iure canonico, vt proles poſſit ſuccedere in omnibus, perinde, ac ſi ex matrimonio valido eſſet ſuſcepta. C.15. P.15. n.1. p.73
Pontifex poteſt ius poſitiuum abolere etiam quoad præterita, ibid. p.73
Pontifex non poteſt diſpenſare in radice matrimonii, quandò nullum matrimonium præceſſit ſaltem in figura, ibid. n.2. p.74
Pontifex, ſi diſpenſet, vt ineatur matrimonium, quod non fuerat initum, proles antecedenter ad matrimonium in figura ſuſcepta non redditur legitima ad ſuccedendum ibid. n.3.
Pontifex probabilius non poteſt diſpenſare in radice matrimonii, quando matrimonium irritum eſt impedimento dirimente de iure diuino indiſpenſabili à Pontifice ibid. n.6. p.76
Pontifex quandonam intelligatur diſpenſare in radice matrimonii. C.15. P.15. n.7. p.77
Pontifex non intelligitur diſpenſare in radice, quandò diſpenſat per verba connotantia tantum tempus præſens, vel futurum, ibid. n.12. p.78
Pontifex admittens ſcienter impeditum iure naturali diuino non intelligitur diſpenſare ſine cauſa. C.15. P.16. n.5. p.81
Pontifex, & alii ſupremi poſſunt ſecum immediatè diſpenſare, ſicuti cum aliis. C.15. P.17. n.2. p.83
Etiam in iis, quæ iuris diuini ſunt, & ex præſumpta voluntate Dei cum aliis diſpenſant, ibid. n.3. p.84
Pontifex poteſt diſpenſare contra aliquas ordinationes Apoſtolicas ex iuſta cauſa, & quandò. C.15. D.2. §.9. nu.3. p.236
Pontifex intercedentibus legitimis cauſis probabilius poteſt ſe ipſum abſoluere à iuramento obligatorio, quod præſtitit, ſiue ante, ſiue poſt papatum. C.15. D.2. §.10. n.5. p.238
Pontifex poteſt renunciare Papatum, quam acceptauerat, ibid. n.5.
PRÆLATI Regulares regulariter poſſunt in iis diſpenſare quoad ſuos ſubditos, in quibus Epiſcopus quoad ſuos. C.15. P.12. n.1. p.59
Prælati regulares diſpenſant cum ſuis ſubditis in iis, in quibus Epiſcopi quoad ſuos diſpenſant ex vi Trident. ibid. n.2.
Prælati regulares diſpenſant etiam in votis emiſſis, ſiue in Religione, ſiue ante, ibid. n.3. p.59
Etiam in votis iuratis, ibid. n.5.
Etiam in iis, in quibus non patet aditus ad Pontificem, ibid. n.6.
Prælati Regulares nequeunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in iis, in quibus Epiſcopi diſpenſant ex vi ordinationis ibid. n.7.
Prælati regulares maximè Generales diſpenſant cum ſuis ſubditis ſuper interſtitia, ibid. n.8. p.59
Prælati Regulares non poſſunt abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi occulta, ibid. n.9. p.60
Prælati regulares ex vi priuilegiorum circa aliqua

plura poſſunt quoad ſuos ſubditos, quæ non poſſunt Epiſcopi quoad ſuos, ibid. n. 10. p.60
Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate etiam Papæ reſeruata, ibid. n. 11.
Etiam in inhabilitate, & infamia, ibid. n. 12.
Etiam ſuper defectu natalium ibid. n. 13.
Prælati regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper bigamia ſimilitudinaria, ibid. n. 15. p.61
Etiam in irregularitate ex defectu corporis, niſi pariat ſcandalum, ibid. n. 17. p.61
Prælati regulares poſſunt diſpenſare, ſeu abſoluere à ſuſpenſione, & irregularitate contracta ob ſuſceptionem ſacrorum ordinum ante legitimã ætatẽ ibid n. 18.
Prælati regulares Generales poſſunt diſpenſare quoad ſuos ſubditos, vt valeant ſuſcipere ſacros ordines extra tempora à iure ſtatuta tribus diebus Dominicis, vel feſtiuis, ibid. n. 19. p.61
Prælati regulares facultates, quas habent, poſſunt committere ſuis ſubditis, ibid. n. 20. p.61
Prælati regulares nequeunt abſolute irritare vota nouitiorum, vel emiſſa ante ingreſſum, vel in anno probationis, ſed tantum ſuſpendere vſque ad profeſſionem, quæ emiſſa tolluntur, non emiſſa in egreſſu reuiuiſcunt, ibid. n. 21. p.62
Prælati regulares nequeunt etiam cum eiſdem non tyris diſpenſare ſuper alijs notis contractis, puta infamia iuris &c. ibid n. 23. p. 62
Prælati regulares poſſunt abſoluere nouitios à caſibus reſeruatis, & à cenſuris alijſque, quæ ſe habent per modum actus, ibid n. 24. p.63
Prælati regulares poſſunt diſpenſare cum laicis ſuper votis exceptis quinque reſeruatis, ibid. n. 25. p 63
Etiam à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ibid. n. 26. p.63
Excipiendi tamen tunc ſex caſus in tota Italia, ibid. p. 63
Prælati regulares poſſunt immediate cũ ſe ipſis diſpẽſare in ijs, in quibus diſpẽſant cũ alijs. C. 15. P. 17. n. 4. p. 84
PRINCEPS ſæcularis modo non diſpenſat in radice matrimonij inualidi, vt proles ſuſcepta ſuccedat, bene tamen poteſt diſpenſare, vt non obſtante inualiditate ſuccedat. C. 15. P. 14. n. 2. p 70
Princeps non habens ſuperiorem de rigore iuris ſolũ poteſt diſpenſare ſuper natalibus. C. 15. P. 14. n. 3. p. 70
Princeps omnes ex cõſuetudine præſcripta habentes iura mixti imperij diſpenſant ſuper natalibus, ib. n. 4 p. 71
Princeps ſæcularis etiam fidelis poteſt infidelibus ſibi ſubditis ſtatuere impedimenta dirimentia matrimonium, & in illis diſpenſare, ibid. n. 8. p.71
Princeps, quantumuis ſæcularis diſpenſans in ijs, in quibus poteſt de iure, vel de conſuetudine ſupponitur diſpenſare ex iuſta cauſa, ſi diſpenſat motu proprio, ſecus ſi ad inſtantiam partis, ibid. n. 9. p.72
PRIVILEGIVM, quod non ſit contra ius commune eſt latè interpretandum C 15. P. 4. n 9. p.18
Priuilegium conceſſum filijs non trahitur ad adoptiuos extantibus filijs legitimis, & naturalibus. C. 15. D 1. §. 25. n. 2. p.205
Priuilegium conceſſum filijs non extantibus naturalibus, nec legitimis, nec illegitimis trahitur ad adoptiuos, ibid. n. 4. p 205
Priuilegium huiuſmodi non extantibus legitimis naturalibus, ſed tantum illegitimis cum adoptiuis trahitur ad adoptiuos, ibid n. 5. p 205
Priuilegium huiuſmodi extantibus cum adoptiuis illegitimis, ſed legitimatis trahitur ad legitimatos cum excluſione adoptiuorum, ibid. n. 9. p.207
Priuilegium conceſſum primogenitis debetur primogenito legitimo per ſubſequens matrimonium, quamvis non acceſſerit expreſſus Principis conſenſus. C. 15. D. 1. §. 26. n. 3 p.209
Excipe quoad ſucceſſionẽ in feudo, ibid n. 4 p.210
Priuilegium conceſſum primogenito debetur legitimato per ſubſequens matrimonium cum excluſione alterius legitimi nati poſt legitimationem ex alio matrimonio ſubſequenti, ibid. n. 5. p.210
Priuilegium conceſſum primogenito debetur primogenito ex concubina procreato ante matrimonium cum eadem, quamvis ex eadem poſt initum matrimonium procreati ſint alij filij legitimi, ibid. n. 6. p.211
Priuilegium conceſſum primogenito non competit illegitimo legitimato poſt ſubſequens matrimonium poſt alium filium natum legitimè ex alio præcedenti matrimonio, ibid. n. 7.
Priuilegium conceſſum primogenito non competit legitimato per reſcriptum Principis in præiudiciũ alterius poſtea nati ex legitimo matrimonio, ibid. n. 8. p.213
Priuilegium conceſſum primogenito nullo extante filio legitimo, & ſolum naturalibus illegitimis, ſi isti omnes ſimul legitimãtur per reſcriptum principis probabilius debetur primogenito. C. 15. D 1. §. 27 n. 4. p.216
Priuilegium Pontificis factum determinatæ perſonæ cum expreſſione patriæ eiuſdem, ſed cum errore eiuſdem Patriæ probabilius tenet. C. 15. D 2. § 1. n. 4. p.223
Priuilegiũ huiuſmodi cum expreſſione perſonæ intelligitur cum demonſtratione perſonæ ad reſtrictionẽ, ibid.
Priuilegium conceſſum Indis noui orbis, vt poſſint nubere in tertio, & quarto gradu extenditur, quando gradus propinquior ſtipitis eſt primus, quando alter eſt tertius, vel quartus. C. 15 D. 2. §. 34. n. 2. p.287
Priuilegiũ Pauli III. quoad Indos noui orbis intelligitur etiam quoad cognationem adoptiuam, ibid n. 4. p. 288
Priuilegium huiuſmodi quoad Indos non indiget literis declaratorijs pro gradu proximiori. C. 15. D. 2. §. 34. n. 5. p.288
Priuilegium ſocietatis Ieſu, vt confeſſarij eiuſdem etiam non Magiſtri in Theologia poſſint literas pœnitentiariæ expedire de facultate ſuorum Superiorum. C. 15. D. 3. §. 2. n. 1. p.293
Priuilegium hoc per communicationem extenditur ad alios ordines, ibid. n. 2.
Requiritur tamẽ deputatio Generalis, ib. n. 5. p. 294
PROLES, ſi fuerit concepta ante diſpenſationem, nata tamen poſt expeditionem literarũ, & poſt matrimoniũ initum habetur pro legitima C. 15. D. 3. §. 5. n. 3. p.297
Proles, ſi concepta fuerit ante diſpenſationẽ, & nata poſt literas expeditas ante tamen matrimonium habetur pro naturali, & per matrimonium legitimatur. C. 15. D. 3. §. 5. n. 4. p.298
Proles, ſi concepta fuerit ante petitionem diſpenſationis, & nata poſt literas præſentatas ordinario, ante tamen earũ expeditionẽ non habetur pro naturali, & non legitimatur per ſubſequens matrimoniũ, ibid. n. 5. p.298

Q.

QVARTA funeralium, cur debeatur Parocho loci, vbi ſcholaris forenſis moritur, & Epiſcopus illius loci non poſſit diſpenſare cum illo ſuper voto. C. 15. D. 2. §. 13. n. 6 p.245

Qua-

Digitized by Google

Quarta bonorum pars mariti ex vi auth. præterea C. vnde vir & vxor, *ſi fuerit per vxorem recepta non amittitur per tranſitum ad ſecundas nuptias. C. 15. M. 4. D. 1. § 3. n. 3.* p. 373

Quarta illa bonorum pars amittitur per tranſitum ad ſecundas nuptias, ſi non fuerit tradita, nec reſeruatum ius ad ipſam ibid. n. 4.

Quarta illa bonorum pars non amittitur per tranſitum ad ſecundas nuptias, ſi fuerit reſeruatum ius ad ipſam ibid. n. 5.

Quarta illa bonorum pars debetur vxori inopi non extantibus filijs, extantibus tamen aſcendentibus C. 15. M. 4. D. 1. §. 4. n. 2. p. 374

Quarta illa bonorum pars eſt reſeruanda ipſis aſcendentibus ibid. n. 3.

Quarta illa bonorum pars pleno iure acquiritur eidem vxori, non extantibus filijs, nec aſcendentibus ibid. §. 5. n. 3. p. 375

Quarta illa bonorum pars debetur vxori inopi, quamuis maritus illam præterierit in teſtamento ibid. n. 4.

Quarta illa bonorum pars ei debetur quoad complementum, quandò maritus eidem aliquid in teſtamento reliquit, minus tamen illa ibid. n. 5.

Quarta illa bonorum pars non debetur vxori inopi ſuperſtiti, ſi hæc habeat patrem diuitijs præpotentem C. 15. M. 4. D. 1. §. 7. n. 3. p. 377

Et poteſt compellere patrem ad alimenta ſibi præſtanda ibid. n. 4.

Quarta bonorum pars debetur de bonis vxoris diuitis marito pauperi ſuperſtiti. C. 15. M. 4. D. 1. §. 8. n. 2. pag. 378

R

R*APTVS etiam vltra finem contrahendi matrimonium impedit effectum diſpenſationis, C. 15. P. 26. n. 16.* p. 162

Raptus conſanguineæ impedit, ne diſpenſatio teneat ſuper conſanguinitate, ſi cum conſanguinitate non fuerit expreſſus raptus ibid. n. 17. p. 162

REGVLARES ex conceſſione Pontificum poſſunt diſpenſare quoad ius petendi debitum inter coniuges obſtrictos voto caſtitatis. C. 15. P. 11. n. 28. p. 51

Regulares poſſunt commutare, & diſpenſare ſuper votis, quantumuis fuerint iurata, dummodo non ſint ex quinque reſeruatis. C. 15. P. 12. n. 27. p. 63

Regulares poſſunt diſpenſare in illis omnibus caſibus, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis in votis caſtitatis, & Religionis. C. 15. P. 12. n. 28. p. 64

Excipe in caſibus, in quibus Epiſcopus diſpenſat ex neceſſitate, ibid n. 29. p. 64

Regulares non ſolum poſſunt diſpenſare quoad ſubditos illius Diœceſis, in qua degunt, ſed etiam quoad forenſes, accedentes ad ipſos pro peccatis expiandis, ibid. n. 30. p. 64

Regulares probabilius nequeunt in ijs votis diſpenſare extra ſacramentum, ibid. n. 31. p. 65

Regulares ex commiſſione Prouincialis *poterant diſpenſare ſuper petitione debiti in ijs, qui cum voto ſimplici caſtitatis contraxerant, & in ijs, qui poſt matrimonium contraxerint affinitatem, modo probabilius non poſſunt, ibid. n. 32.* p. 65

Regulares noſtræ congregationis poſſunt aperire literas ſacræ pænitentiariæ, & exequi, ſi fuerint approbati ab ordinario ad confeſſiones. C. 15. P. 25. n. 4. p. 135

Regularis ſtante ſtatuto in ſua Religione, quod nullus gaudeat iure ſuffragij, niſi ſit Subdiaconus, & in ea ætate, qua poſſit tali ordini initiari, ſi fuerit diſpenſatus, vt ante ætatem poſſit promoueri ad talem ordinem non gaudet iure ſuffragij, ſi vtraque qualitas requiratur copulatiuè. C. 15. D. 1. §. 3 n. 5. p. 172

Si verò qualitas ætatis requiratur ſolum propter ordinem gaudet tali iure, ibid. p. 173

Quomodo poſſit præſumi, quod ætas exigatur propter ordinem, vel independenter ab illo, ibid. n. 6. p. 173

Regularis, ſi fuerit diſpenſatus à Pontifice ad teſtandum condito primo teſtamento poteſt illud reuocare, & ſecundum condere. C. 15. D. 1. §. 19. n. 3. p. 195

Regularis, ſi reuocato primo nouum condiderit, ſed inualidum reſtauratur primum in foro externo, ibid. n. 5. p. 166

Regularis, ſi ex facultate Pontificis condiderit primum teſtamentum, deinde illud reuocauit per ſecundum, quod ſit inualidum, ſi reuocatio facta ſit in odium primi in foro interno ſuccedit Religio. C. 15. D. 1. §. 19. n. 6. p. 196

Si reuocatio facta ſit in fauorem ſecundi, & teſtamentum ſecundum ſit inualidum in foro externo debet ſuccedere primus, ibid.

In dubio an reuocatio primi facta fuerit in odium eiuſdem, nec ne, præfertur ius certum Religionis ibid. p. 197

Regulares ex vi priuilegiorum non poſſunt diſpenſare in matrimonio ſcienter, vel ignoranter contracto cum impedimento affinitatis. C. 15. D. 2. §. 15. n. 4. p. 230

Regulares poſſunt expedire literas ſacræ pænitentiariæ etiam datas ante eorum approbationem ab ordinario, dummodò præceſſerit approbatio ad expeditionem C. 15. D. 3. §. 2. n 4. p. 293

RENVNTIATIO diſpenſationis ab eo, qui impetrauit, tollit effectum eiuſdem diſpenſationis. C. 15. P. 27. n. 2. p. 165

Renuntiatio diſpenſationis quoad votum, & iuramentum efficit, ne renuntians mutata voluntate poſſit amplius ea gaudere ibid. n. 3. p. 166

Renuntiatio in ijs, quæ non pendent à voluntate renuntiantis non tollit, quin renuntians poſſit gaudere diſpenſatione, ſi Superior non acceptarit renuntiationem, ſecus ſi acceptarit ibid. n. 4.

Renuntiationis acceptatio ſpectans ad committentem, ibid. n. 5. p. 166

RESCRIPTA alia gratiæ, alia iuſtitiæ, & quid vtraque. C. 15. P. 21. n. 3. p. 95

Reſcripta non redduntur ſubreptitia ex taciturnitate veri pertinentis ad cauſam impulſiuam, ibid. n. 4. pag. 95

Nec ſi pertineat ad cauſam finalem, ſi illud verum eſt notorium ibid n. 5. p. 96

Reſcripta. Vide verb. Diſpenſatio, Taciturnitas veri Falſi expreſſio, Obreptio, Subreptio.

Reſcriptum redditur inualidum ex taciturnitate qualitatis, quam iura præcipiunt exprimi. C. 15. P. 21. n. 11. p. 98

Et etiam, ſi illa qualitas ex ſtilo Curiæ eſſet exprimenda ibid. n. 12.

Reſcriptum directum ad ordinarium pro diſpenſatione non ſolum prodeſt ei, in cuius fauorem conceditur

Digitized by Google

pro copula præcedenti ad petitionem, ſed etiam pro ſubſequenti. C. 15. P. 21 n.23 p 104
Reſcriptum Pontificis vitiatur ex falſa latinitate C 15. D.1. §.28. n 3. p.217
Reſcripta etiam aliorum Principum, quæ ex ſtilo Curiæ tranſeunt per multas manus ex tali falſa latinitate vitiantur ibid. n. 4. p. 217
Reſcripta huiuſmodi etiam vitiantur, quamvis falſa latinitas contingeret in vno tantum articulo, ibid. n. 5. p.218
Reſcripta etiam expectatiuæ gratiæ ob ſimilem errorem irritantur ibid. n. 6. p.218
Excipe, ſi falſitas non ſit certa, ſed dubitabilis, ibid. n.8. p.218
Item ſi falſitas contingeret in vna tantum litera ibid. n. 9.
Reſcriptum irritatur ex tali cauſa, quantumvis de mente Pontificis conſtaret, ibid. n. 10. p.219
Reſcriptum Pontificis non irritatur, ſi falſitas contingeret defectu orationis, vel dictionis ibid. n.11. p.219

S

SVBDIACONVS diſpenſatus, vt poſſit nubere, non eximitur ab onere recitationis horarum canonicarum. ſi habitum non depoſuerit C.15. D.1. §. 21. n 3. pag. 199
Subdiaconus impetrata diſpenſatione ad nubendum, ſi habitum depoſuerit, nec adhuc nuptias contraxerit, non eximitur à tali onere, ibid. n.4.
Subdiaconus, quantumvis depoſito habitu ex vi illius diſpenſationis tranſierit ad nuptias non eximitur ipſo iure à tali onere ibid. n. 6. p. 200
Subdiaconus, qui contracto prius matrimonio, poſtea clam ſuſcepit illum ordinem, tenetur ad recitationem horarum canonicarum, ibid. n. 8.
SVBREPTIO, & obreptio quomodo differant in reſcriptis. C. 15 P.21. n.2. p 95
Subreptio. Vide verb Diſpenſatio, Reſcriptum, Taciturnitas veri, Falſi expreſſio.
SVBROGATVM ſapit naturam eius, cui ſubrogatur quoad fauorabilia, non quoad odioſa. C.15. P.11. n.19. pag. 45
SVBSTITVTIO pupillaris expreſſa quid ſit, & quid tacita C.15. M 4. P.6. n. 12. p.348
Subſtitutio exemplaris quid ſit ibid. n. 18. p.350
STATVTVM Mediolani 302., quod nulla mulier aſcendens ſuccedat deſcendenti ab inteſtato exiſtentibus agnatis maſculis vſque ad ſeptimum gradum, ſed ſolum habeat vſumfructum illius partis, quam habitura fuiſſet de iure communi in dicta pæna amiſſionis etiam illius vſusfructus, ſi tranſierit ad ſecunda vota, ſecus habet etiam ſi nupſerit ante caſum ſucceſſionis. C 15. M.4. P.7. n.2. p.351
Statutum Mediolani 302 Vide verb Vxor.
Statutum Mediolani 242., quod mulieres bona fama non poſſint carcerari, ibid. n.1. p.351
Hoc Statutum non habet locum quoad mulierem tranſeuntem ad ſecunda vota, ſi remanſerit debitrix ex tutela filiorum ibid. n.6. p.353
Statutum excludens fœminas à ſucceſſione parentum non excludit eaſdem à ſucceſſione Emphyteuſis conceſſæ parentibus pro ſe, & filijs ſuis, ſeu filiabus non extantibus maſculis. C.15. M.4. D.2. §.18. n.4. p 414

T

TACITVRNITAS veri, vel falſi expreſſio poteſt eſſe, vel cauſa impulſiua, vel motiua diſpenſationis. C.15. P 21. n.1. p 94
Taciturnitas veri reddit cauſam ſubreptitiam, ſi pertineat ad cauſam finalem, ſecus ſi tantum ad impulſiuam ibid n. 4. p.95
Taciturnitas veri quoad cauſam finalem, non irritat diſpenſationem, quandò illud eſt notorium ibid. n. 5. pag. 96
Taciturnitas veri quomodo conijci poſſit, quod conferat, vel retrahat à diſpenſatione ibid. n. 8. p. 97
Taciturnitas qualitatis, quam iura præcipiunt exprimi, inualidam reddit diſpenſationem ibid. n. 11. p.98
Et etiam, ſi illa qualitas ex ſtilo Curiæ eſſet exprimenda ibid. n.12. p.96
Taciturnitas veri. Vide verb. Diſpenſatio, Reſcriptum, Obreptio, Subreptio.
Taciturnitas veri, vel falſi expreſſio irritat totum reſcriptum, ſi totum concernat C.15. P.21. n.31. p.106
Taciturnitas veri, vel falſi expreſſio irritat tantum quoad partem, ſi partem tantum contingat ſeparabilem ibid. n. 33. p. 107
TEMPVS quandoque cohoneſtat diſpenſationem, & quomodo C.15. P.2. n. 2. p.8
Tempus etiam poteſt conferre cauſam ad diſpenſandum in impedimentis matrimonij, & quomodo. C. 15 P.3. n. 16. p.13
TENTATIO carnis, quæ pro cauſa finali aſſignatur in literis ſacræ pænitentiariæ pro diſpenſationibus debet eſſe grauis ex obiecto, & quomodo C. 15. P.25. n. 16. p.139
Tentatio carnis debet eſſe talis, vt non poſſit per ordinaria remedia ſuperari ibid. p. 140
TESTANDI poteſtas conceſſa Epiſcopo Regulari extenditur ad teſtamentum ab ipſo factum. C. 15. D.1. §. 1. n. 3. p 169
Teſtamentum iam conditum à perſona impotente ad teſtandum redditur validum per facultatem ſubſequenter ei factam ad teſtandum ibid.
Teſtamentum non tenet, niſi interccedente morte teſtatoris, ibid.
TESTIS vnus teſtificans de morte alterius coniugis, vbi eſt diſtantia conſiderabilis, ſufficit, vt alter ſecundo poſſit nubere. C. 15. M. 4. P. 2. n.11. p.312
TVTELA filiorum amittitur à Matre per tranſitum ad ſecundas nuptias C.15. M.4. P.6. n.1. p.345
Tutela filiorum non amittitur per Patrem tranſeuntem ad ſecundas nuptias ibid. n. 2.
Tutela filiorum non amittitur per Matrem per ſola ſponſalia ibid. n.4. p 346
Tutela filiorum amittitur à Matre binnuba, quantumvis ſecundum matrimonium non fuerit conſummatum ibid. n.5.
Tutela filiorum amittitur per ſecundum matrimonium vxoris, quantumvis fuerit irritum, dummodò conſummatum ibid. n.6.
Tutela filiorum amittitur à Matre per ſecundas nuptias, quantumvis fuerit teſtamentaria ibid. n. 7.

VO-

Digitized by Google

V

VOTVM ſolemne caſtitatis eſt diſpenſabile ex iuſta cauſa à Romano Pontifice. C.15. P.10. n.7. pag. 34
Votum ſacris ordinibus annexum non eſt ſubſtantialiter ſolemne, ſed tantum accidentaliter ibid. n. 8. p.34
Votum ſolemne obligat de iure diuino, & naturali ibid. num. 9.
Votum caſtitatis eſt de eſſentia profeſſionis Religioſæ. C.15. P.10. n 11. p.35
Votum ſolemne caſtitatis non eſt diſpenſabile, niſi ex vrgentiſſima cauſa, ibid. n. 14. p 36
Vota ſolemnia non ſunt diſpenſabilia ab Epiſcopo. C.15. P. 11. n.1. p.39
Vota ſimplicia caſtitatis, & Religionis non ſunt regulariter diſpenſabilia ab Epiſcopo, ibid. n. 2. p.39
Votum ſimplex caſtitatis eſt diſpenſabile ab Epiſcopo in caſu neceſſitatis, & vbi ex mora imminet periculum incontinentiæ, ibid. n. 4. p 40
Ceſſante neceſſitate recurrendum eſt ad Romanum Pontificem, ſi id, aliquod conceſſa eſt, ſit diuiſibile ibid. nu. 5.
Votum eſt diſpenſabile ab Epiſcopo, quandò adiri non poteſt Pontifex, licet poſſit adiri Legatus à latere. ibid. n. 7.
Votum caſtitatis ſimplicis eſt diſpenſabile ab Epiſcopo, quandò eſt dubium de valore eiuſdem ibid. n.8. p.41
Votum metu extortum eſt diſpenſabile ab Epiſcopo ibid. num.9.
Votum caſtitatis ſimplex emiſſum ſub obligatione ſeruandi tantum ſub veniali eſt diſpenſabile ab Epiſcopo, ibid n. 10.
Votum vouendi caſtitatem, & Religionem eſt ab eodem diſpenſabile ibid. n. 11. p.42
Votum temporaneum caſtitatis eſt ab eodem diſpenſabile ibid. n.12.
Votum etiam arctioris Religionis, & quomodo ibid. n.13.
Votum perſeuerandi in Religione eſt ab eodem ex cauſa diſpenſabile ibid. n.14.
Votum item ſumendi ſacros ordines, ibid. n 15.
Votum item non nubendi, ſi non cedit in præiudicium tertij, ibid. n.16. p 43
Votum virginitatis ſimpliciter ſumptum eſt ab eodem diſpenſabile ibid n.17.
Vota pœnalia, & conditionalia caſtitatis, & Religionis ſunt ab Epiſcopo diſpenſabilia, ibid n. 21. p. 45
Votum conditionale ante adimpletam conditionem non inducit perfectam obligationem ibid. p.46
Votum conditionale poſt adimpletam conditionem deficit à perfectione voti, ibid.
Votum caſtitatis ab altero coniuge emiſſum conſtante matrimonio altero coniuge inſcio non poteſt ab Epiſcopo diſpenſari ad effectum contrahendi aliud matrimonium ibid. p. 49
Votum non petendi debitum, ſeu votum caſtitatis quoad hunc effectum non petendi debitum poteſt diſpenſari etiam ſi matrimonium non fuerit conſummatum. C.15. P.11. n.26. p.50
Etiam ſi fuerit emiſſum ante contractum matrimonium, ibid. n. 27. p.50
Vota etiam iurata ſunt diſpenſabilia à Prælatis regularibus in ordine ad ſuos ſubditos. C.15. P.12. n.5. p.59
Vota nouitiorum emiſſa, vel ante ingreſſum, vel in anno probationis ante profeſſionem non tolluntur ab eorum prælatis, ſed tantum ſuſpenduntur. C.15. P. 12. n.2. pag. 62
Vota caſtitatis, & Religionis ſimplicia poſſunt à Regularibus diſpenſari in ijs omnibus caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus cum ſuis, ibid n.28. p.64
Excipe in ijs, in quibus Epiſcopus ſolum diſpenſat ex neceſſitate ibid. n.29. p.64
Vota caſtitatis, & Religionis non ſunt ſecundum ſe diſpenſabilia per compoſitionem pecuniariam, C.15. D.1. §.9. n.3. p.181
Vota huiuſmodi ſunt commutabilia in eleemoſinam pecuniariam, quæ cedat in æquale obſequium Chriſti, ibid. n. 4. p.182
Votum caſtitatis, & Religionis emiſſum ante pubertatem obligat. C.15. D.1.§ 19. n 2. p.182
Votum illud ante pubertatem emiſſum eſt ſecundum ſe diſpenſabile, ibid. n. 4. p. 182
Votum poteſt diſpenſari, quamvis acquiſita pubertate non fuerit petita diſpenſatio ibid. n.5.
In dubio, an ratificatio illius voti poſita fuerit poſt pubertatem præſumitur pro non ratificatione, ibid. n. 6. p.183
Votum illud in tali dubio eſt irritabile per Patrem, ibid n.7. p.184
Votum elicitum in anguſtia, vel furore poteſt diſpenſari ibid n. 8. p 184
Votum illud, ſi poſt pubertatem fuerit confirmatum, non poteſt ſine cauſa diſpenſari ibid. n. 9. p.184
Votum illud emiſſum ante pubertatem probabilius eſt per Epiſcopum diſpenſabile. C.15. D.1.§.11. n.3 p.184
Votum caſtitatis elicitum ex metu, quantumvis leui eſt per Epiſcopum diſpenſabile ibid. n.4.
Votum exigit ad obligandum indiſſolubiliter plenam libertatem, & deliberationem ibid. n 5. p 185
Votum elicitum cum errore circa cauſam impulſiuam eſt diſpenſabile. C.15. D 1 §.12. n.3. p.185
Votum eſt diſpenſabile ex difficultate ipſum adimplendi, etiam ſi talis difficultas proueniat à malo habitu. C.15 D.1. §.13. n.3 p.187
Intellige, ſi non poſſit facile eidem difficultati occurri, ibid.
Votum poteſt fieri immediate Deo, & mediate tertio, & è contra. C. 15. D. 2 §. 17. n.2. p.252
Votum ſi adhuc non fuerit acceptatum à tertio, in cuius fauorem factum eſt, poteſt ab Epiſcopo auctoritate ordinaria diſpenſari, ibid. n 7. p 253
Votum illud non adhuc acceptatum poteſt etiam diſpenſari à commiſſario auctoritate delegata ibid. n.8. p.253
Intellige, ſiue factum fuerit immediate Deo, & mediatè tertio, ſiue è contra. ibid n 9. p. 254
Quantumvis promiſſio cum iuramento, ſeu voto fuerit relata ad aliquem Sanctum, ibid n.10.
Votum illud, ſi fuerit acceptatum à tertio, nec Epiſcopus auctoritate ordinaria, nec commiſſarius delegata poteſt ſuper illo diſpenſare ibid. n.11
Niſi promiſſio eſſet facta ſoli Deo ibid n.12.
Vota omnia etiam reſeruata Pontifici poſſunt commutari in profeſſionem ſolemnem Religionis. C. 15. D. 2. § 22. n 4. p.263
Votum peregrinationis Hieroſolimitanæ ſtante moderno iure poteſt commutari in votum peregrinationis Romanæ ibid. n.5. p.264

Votum

Digitized by Google

Votum peregrinationis compoſtellana poteſt commutari in Romanam, ibid n.6. p.265

Votum caſtitatis poteſt mutari in votum Religionis, non è contra ibid. n.8.

Votum emiſſum à magno Principe de Redemptione terræ Sanctæ à poteſtate Saracenorum probabilius non poteſt commutari in profeſſionem Religioſam ibid n.8. pag. 266

Vota elapſo tempore Iubilæi, ſi non fuerint adimpleta opera iniuncta non poſſunt ex vi illius diſpenſari. C.15.D.2.§.23. n 2. p.266

Vota elapſo tempore Iubilæi, quorum diſpenſatio, vel ex obliuione, vel ex alia cauſa non fuit petita, poſſunt diſpenſari, ſi opera iniuncta fuerint adimpleta, ibid. n.4. p.267

Vota commutata, ſeu diſpenſata tempore Iubilæi ante executionem operum cum animo tamen illa exequendi, non amplius reuiuiſcunt, ſi opera non exequantur, ibid. §. 24. n.4. p. 268

Votum diſpenſatum tempore Iubilæi, quandò non aderat animus ipſum conſequendi, adhuc viget, quantumvis durante eodem Iubilæo animus ille fuerit reuocatus, & Iubilæum acquiſitum C.15. D.2 §.24.n.5. p.269

Votum non diſpenſatum pro tempore Iubilæi, quandò cætera opera iniuncta ſunt adimpleta non tamen habita confeſſio, cum non adeſſet peccatum lethale, poteſt eo elapſo diſpenſari. C.15. D 2. §.25. n.6. p.271

VXOR ſecundo nubens inter annum luctus afficitur infamia iuris C.15. M 4. P.3 n 3. p 317

Vxor ſecundo nubens intra annum luctus redditur incapax cuiuſcunque hæreditatis, legati, & donationis cauſa mortis, ibid.n.7. p 318

Et etiam ſucceſſionis ab inteſtato vltra tertium gradum, ibid n.8.

Hæreditas, qua priuatur coniux ſic ſecundo nubens, defertur ad cohæredes non ad fiſcum, ibid. n 9. p.319

Vxor ſic ſecundo præpropere nubens, an priuetur hæreditate ab extraneo relicta remiſſione ibid n.10. p 319

Vxor intra annum luctus tranſiens ad ſecunda vota non poteſt ſecundo marito dare in dotem, nec ex vltima voluntate vltrà tertiam bonorum ſuorum partem C.15. M 4. P.3. n.11. p.319

Vxor ſic nubens ſecundo intra annum luctus ex vi l. 1. C. de ſecundis nuptijs non prohibetur donare inter viuos ſecundo marito vltra tertiam bonorum partem ibid. n.12. p.320

Vxor habita facultate à priori marito tranſeundi ad ſecundas nuptias vitat hanc pœnam, ſi tranſierit poſt annum luctus, ibid. n.13. p. 320

Tertia bonorum pars quomodo ſit deducenda ibid. n. 15. p.321

Vxor præmortuo ſecundo marito, cui nupſit, intra annum luctus primi poteſt tertio marito, cui nupſit poſt annum luctus ſecundi relinquere vltra tertiam bonorum partem, ibid. n 19. p.323

Vxor nubens intra annum luctus priuatur omnibus ſibi relictis à priori marito in vltima ipſius voluntate ibid. n. 20. p.323

Vxor ſic nubens alijs ſibi donatis à priori marito extra vltimam voluntatem ibid. n.21. p 323

Vxor ob talem tranſitum ad ſecundas nuptias priuatur iocalibus ſponſalia largitate, & donationibus propter nuptias, ibid. n.22. & 23. p.323

Illa bona deferuntur ad hæredes mariti ab inteſtato, ibid. n.24. p.323

Vxor ob talem tranſitum priuatur talibus bonis etiam quoad vſumfructum ibid. n. 25.

Vxor ſic nubens priuatur talibus bonis ipſo iure, ibid. num 26.

Vxor tranſiens ad ſecunda vota intra annum luctus tenetur dare medietatem bonorum filijs prioris matrimonij actu. ibid. n.27. p.324

Nec poteſt illorum vſufructu gaudere, ibid. n.28.

Decedente altero ex filijs prioris matrimonij pars eiuſdem quoad hæc bona accreſcit ſuperſtitibus, omnibus decedentibus illa medietas plene redit ad matrem, ibid. n 29. p. 324

Vxor tranſiens ad ſecunda vota intra annum luctus euitat prædictas pœnas, ſi prius matrimonium fuit inualidum C.15. M 4. P.4. n.2. p.325

Vxor euincitur ab huiuſmodi pœnis, ſi antecedenter ad ſecundas nuptias, ad quas feſtinauit, nouerit matrimonium prius fuiſſe inualidum. C.15. M 4. P.4 n.3. pag. 326

Vxor non euitat pœnas iuris, ſi prius matrimonium fuit validum, & ſecundum ad quod feſtinauit, inualidum, ibid. n.4. p.326

Vxor euitat has pœnas, ſi vtrumque fuerit irritum, ibid. n.5. p. 326

Vxor non incurrit has pœnas, ſi intra annum luctus fornicetur, ibid. n 6. p.237

Vxor non euitat has pœnas ex eo, quod matrimonium primum, vel ſecundum non fuerit conſummatum, ibid n. 8. p.327

Vxor tranſiens ad ſecundas nuptias etiam poſt annum luctus non poteſt, nec in dotem, nec alio titulo tradere ſecundo coniugi pluſquam dederit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus tradidit. C. 15. M. 4. P.5 n. 1. p.330

Illud minus computandum eſt ad id, quod contulit vni ex filijs ex quocunque titulo gratuito ibid. n.3.

Vxor. ſi ex priori matrimonio nulla fuerit relicta proles, vel hæc facta fuerit incapax poteſt relinquere ſecundo marito, quidquid voluerit ibid n 4.

Vxor, ſi plus reliquerit ſecundo marito, ac reliquerit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus relictum eſt, illud relictum ſecundo marito vitiatur tantum quoad exceſſum ibid. n.5.

Exceſſus ille non ſolum poteſt reuocari per filios quoad proprietatem, ſed etiam quoad fructus, ibid. n.6. p.331

Illud, quod relinqui poteſt ſecundo marito intelligendum eſt comprehenſa etiam legitima debita filijs prioris matrimonij, ibid. n 8. p.331

Vxor, quæ mortuo primo marito, vel maritus, qui mortua prima vxore reliquit filiæ prioris matrimonij determinatam ſummam cum clauſula, vt plus habere non poſſit, & reliquum ſecundo coniugi inualide contulit quoad exceſſum ibid. n. 10. p.332

Vxor, ſi plus contulerit ſecundo marito, ac debeat etiam ſtante ſtatuto, quod maritus lucretur dotem, poſſunt filij prioris matrimonij reuocare mortua matre exceſſum C.15. M.3. P.5. n.12. p.332

Vxor eo ipſo, quod tranſit ad ſecunda vota amittit proprietatem omnium bonorum, quæ conſecuta eſt à coniuge prædefuncto, ibid. n.13. p.333

Idem

Digitized by Google

Idem intelligitur de marito tranſeunte ad ſecunda vota, ibid. n 14.

Vxor binnuba non poteſt quoad bona titulo lucratiuo acquiſita à primo marito meliorare conditionem vnius ex filijs, ibid. n. 17. p.333

Vxor binnuba nec etiam poteſt meliorare conditionem vnius ex filijs in bonis, quæ ex ſucceſſione filij prioris matrimonij habuit, ibid. n. 18. p 334

Vxor binnuba ſi alienauerit bona acquiſita à primo coniuge, non poſſunt filij prioris matrimonij ea reuocare ipſo viuente, ibid. n.19.

Vxor binnuba, ſi ea bona conſumpſerit tenentur hæredes eiuſdem æſtimationem illorum tradere filijs primi matrimonij, ibid. n. 20.

Vxor, ſi ante tranſitum ad ſecundas nuptias bona aliqua à primo marito acquiſita alienauerit, & deinde ſecundo nupſerit, filij prioris matrimonij poſt obitum matris poſſunt bona illa reuocare, ibid. n. 22. p.335

Etiam ſi non ſint hæredes Patris, ibid. n. 23.

Non tamen poſſunt ea reuocare, ſi fuerint hæredes Matris binnubæ, ibid. n. 23. p.335

Vxor, quænam ex vi huius diſpoſitionis determinatè amittat, enumerantur, ibid. à n.24. vſque ad 30.

Vxor binnuba amittit legatum à marito relictum, quamuis facta fuerit facultas diſponendi de eodem libere ibid. n.31. p.337

Vxor poteſt conſequi legatum relictum à priori marito ante ſecundas nuptias præſtita tamen cautione de illo cum fructibus reſtituendo caſu &c. ibid. n 32. p.337

Vxor binnuba ammittit etiam bona, quæ conſecuta eſt eſt ſucceſſione ab inteſtato alicuius filij prioris matrimonij, ibid. n.33.

Etiam ſi bona illa filius acquiſierit ab Auo, vel Auia, ibid. n.34

Non tamen, ſi filius ſucceſſerit Auo, vel Auia titulo oneroſo, ibid. n.35. p.338

Vxor binnuba tenetur bona, in quibus ex ſubſtitutione pupillari Patris ſucceſſit filio prædefuncto reſeruare filijs prioris matrimonij ibid. n.36. p.338

Vxor binnuba acquirit pleno iure ea, quæ ſibi ex teſtamento filij obueniunt, ibid. n.37. p.339

Vxor binnuba tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij ea, quæ Pater viuens aſſignauit filiæ communi ad nubendum, & hæc prædeceſſerit abſque deſcendentibus mortuo etiam Patre conſtituente, ibid. n.38. p.339

Vxor binnuba non tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij ea, quæ ipſa eidem filiæ conſtituit in dotem ſimul cum bonis mariti, ibid. n.39.

Vxor binnuba amittit bona, quæ conſecuta eſt ex ſucceſſione filij prioris matrimonij, ſiue immediatè, ſiue mediate, ibid. n. 40.

Vxor binnuba non amittit bona à priori marito acquiſita, ſi nulla ab eo ſuſcepta fuerit proles, vel ſi habita, prædeceſſerit etiam poſt ſecundas nuptias, ibid. n.41. & 42. p. 340

Vxor binnuba acquirit proprietatem bonorum, quam amiſſerat mortuis filijs prioris matrimonij, ibid. n 40.

Vxor binnuba acquirit proprietatem bonorum ſibi per priorem maritum relictorum ex obitu vltimi filij, etiam ſi hic in illa ſibi inſtituerit hæredem, ibid. n.44. pag. 341

Vxor binnuba acquirit proprietatem bonorum ſibi per priorem maritum collatorum, ſi filij prioris matrimonij conſenſerint ſecundis nuptijs, ibid. n.45. p.341

Non ſufficit conſenſus tacitus filiorum, niſi alia concurrat circumſtantia, ibid. num. 46, & 47. pag. 342

Requiritur conſenſus omnium filiorum, ibid. n.48.

Et filij debent eſſe puberes, nec ſufficit aſſiſtentia tutoris, ſi ſint impuberes, ibid. n.49, & 50.

Vxor non amittit bona ſibi à priori marito collata, ſi ipſe maritus facultatem fecerit tranſeundi ad ſecundas nuptias, ibid. n.52. p 343

Vxor binnuba non euitat pœnas iuris ſtatutas contra nubentes intra annum luctus, ſi intra illum annum præpropere nubat ex eo, quod à priori maritum facultatem habuerit tranſeundi ad ſecundas nuptias ibid n 53. p.344

Vxor binnuba, an euitet pœnas, ſi nupſerit ex facultate Principis, *ibid n 54* p.344

Vxor tranſiens ad ſecundas nuptias ipſo iure priuatur tutela filiorum prioris matrimonij C. 15. M. 4. P. 6. n 1. p.345

Vxor binnuba amittit etiam munus curatricis in ordine ad eoſdem filios, ibid n.3.

Vxor non amittit tutelam filiorum prioris matrimonij per ſola ſponſalia, ibid. n 4. p. 346

Vxor binnuba amittit tutelam filiorum, quantumuis ſecundũ matrimoniũ non fuerit conſummatũ, ibid n.5.

Vxor amittit tutelam, quantumuis ſecundum matrimonium fuerit irritum, conſummatum tamen, ibid. n.6.

Vxor binnuba amittit tutelam filiorum, quantumuis hæc fuerit teſtamentaria, ibid. n.7.

Vxor binnuba amittit educationem filiorum prioris matrimonij, ibid n. 8. p.347

Vxor binnuba nubens ſecundo contra iuramentum præſtitum de non nubendo in ſuſceptione tutelæ non reddita ratione tutelæ incurrit omnes pœnas contra nubentes intra annum luctus, ibid. n.10. p.347

Vxor binnuba excluditur à tacita ſubſtitutione pupillari, ibid. n.11. p.348

Subſtitutio pupillaris expreſſa quid ſit, & quid tacita, ibid. n. 12. p 348

Vxor binnuba amittit iura, & priuilegia honoris, & dignitatis, quibus gaudebat ratione prioris matrimonij, ibid. n, 13. p 349

Vxor binnuba non poteſt etiam titulo ingratitudinis reuocare donationem factam filijs, ibid. n.15. p.349

Vxor binnuba, ſi fuerit pauper, & filij diuites priuatur iure exigendi ab eiſdem dotem, ibid. n. 14.

Vxor binnuba nequit exemplariter ſubſtituere filio mente capto, ſurdo, & muto, ibid n.17. p.350

Vxor binnuba ſtante ſtatuto Mediolani 302. quod priuetur per ſecundas nuptias vſufructu illorum bonorum, quæ poſſet conſequi de iure communi habet locum etiam ſi tranſierit ad ſecundas nuptias ante caſum ſucceſſionis. C.15. M.4. P.7. n.2. p.351

Vxor binnuba etiam ſtante præfato ſtatuto non remanet excluſa à tali vſufructu, ſi ſecundus maritus obierit ante caſum ſucceſſionis, ibid n.3. p.352

Vxor binnuba ſtante tali ſtatuto priuatur tali vſufructu, etiam ſi ſecundæ nuptiæ fuerint irritæ, ibid n 4.

Vxor binnuba etiam ſtante tali ſtatuto non priuatur tali vſufructu, ſi tranſierit ad ſecunda vota de conſenſu prioris mariti, vel filiorum, ibid. n.5. p.352

Vxor binnuba tranſiens ad ſecunda vota, & remanens debitrix ex tutela filiorum poteſt carcerari non obſtante ſtatuto Mediolani 243. ibid. n.6. p.343

Vxor

Digitized by Google

Vxor tranſiens ad ſecundas nuptias, ſi receperit quartam ſibi debitam ex vi auth. præterea C. vnde vir & vxor *eandem non amittit, ſed tenetur reſeruare filijs prioris matrimonij. C.15. M.4. D.1. §.3. n 3.* p 373
Vxor tranſiens ad ſecundas nuptias amittit illam quartam bonorum partem, ſi non fuerit tradita, nec reſeruata in tranſitu ad eaſdem nuptias, ibid. n 4. p.373
Vxor ſic tranſiens non amittit, quantumvis illa quarta pars non fuerit tradita, fuerit tamen reſeruatum ius ad ipſam, ibid. n. 5.
Vxor habet ius ad illam quartam bonorum partem, ſi fuerit inops etiam non extantibus filijs prioris matrimonij, extantibus aſcendentibus. C. 15. M. 4. D 1. §. 4. n. 2. p 374
Vxor tenetur illam quartam bonorum partem reſeruare eiſdem aſcendentibus, ibid n.3.
Vxor non extantibus, nec filijs, nec aſcendentibus lucratur pleno iure illam quartam bonorum partem, ibid. §.5. n.3. p.375
Vxor poteſt exigere illam quartam bonorum partem, quamvis maritus illam præterierit in teſtamento, ibid. n.3.
Vxor inops poteſt agere ad complementum illius quartæ, quandò maritus aliquid eidem reliquit in teſtamẽto, minus tamen illa quarta, ibid. n. 5.
Vxor pauper ſuperſtes marito non habet ius ad illam quartam bonorum partem, ſi habeat Patrem diuitijs præpotentem, ibid. §.7. n 3. p.377
Vxor pauper poteſt compellere Patrem ad alimenta ſibi præſtanda, ibid. n. 4.
Vxor fornicans intra annum luctus non euitat pœnas iuris contra ſecundo nubentes intra annum eiuſdem luctus. C.15. M 4. D 1 §. 13. n 2. p.383
Vxor fornicans intra annum luctus etiam in foro conſcientiæ incurrit pœnas iuris ante ſententiam. C. 15. M.4. D.1 §.14. n.3. p 384
Vxor fornicans poſt annum luctus non ſubijcitur pœnis contra nubentes intra annum luctus. C. 15 M 4. D.1. §. 15. n. 4. p 386
Vxor fornicans poſt annum luctus ſubijcitur pœnis contra nubentes poſt annum eiuſdẽ luctus, ibid. n. . p 386
Vxor vidua ſemel fornicans non amittit dotem, ſiue fornicata fuerit intra annum luctus, ſiue poſt C.15. M 4. D.1. §. 16. n.3. p 387
Vxor vidua per ſolos actus inhoneſtos præparatorios ad fornicationem incidit in pœnas, in quas incideret fornicans. C.15. M.4. D 1. §.17. n. 4. p.388
Vxor binnuba tenetur iura filiæ reſeruare renunciatario, quandò eadem filia ante profeſſionem eiſdem iuribus renunciauit in fauorem illius. C. 15. M. 4. D.2. §. 2. n. 3. p 394
Vxor binnuba tenetur legitimam relinquere filiæ, ſeu Monaſterio, ſi ipſa filia nihil diſpoſuerit, ib. n.3. p 395
Vxor binnuba tenetur reſeruare legitimam filiæ profeſſæ renunciatario, cui illa ceſſit ante profeſſionẽ ibid n 4.
Vxor binnuba ſtante ſtatuto, quod mulier nequeat fraudare ſuos deſcendentes vtriuſque ſexus, ſed eiſdem relaxare totam hæreditatem dempta ſeptima parte, de qua poſſit diſponere ad pias cauſas, ſi vnam habeat tantum filiam profeſſam tenetur eidem relaxare hæreditatem C.15. M.4. D.2 §.4. n 3. p.397
Vxor binnuba quæ ex primo matrimonio prolem non habuit, cum non fuerit conſumatum, habuit tamen ab eodem marito antecedenter ad illud matrimonium filios tenetur bona, quæ ab eodem primo marito habuit reſeruare eiſdem filijs. C.15. M 4 D.2 §.5. n 3. p.393
Vxor binnuba, ſi ſucceſſerit filio ab inteſtato in ijs, quæ ipſe filius habuit à Patre, tenetur ea reſeruare filijs prioris matrimonij, ibid. n.6. p.401
Mater binnuba, ſi ſucceſſit filio ex præſcripto legis non tenetur ea reſeruare filijs prioris matrimonij ibid n.7.
Vxor binnuba, quæ ex vi ſtatuti tribuentis eidem, vel vſumfructum totius augmenti dotis, vel dimidium proprietatis eiuſdem elegit medietatem augmenti non tenetur illud filijs prioris matrimonij reſeruare. C.15. M. 4. D.2. § 8. n.3. p.403
Vxor binnuba ex ſuppoſitione, quæ teneretur illam medietatem augmenti reſeruare filijs prioris matrimonij, non teneretur illam reſeruare, ſi filijs conceſſerint, vt libere habeat. C. 15. M.4. D.2. §.9. n. 3. p 405
Vxor binnuba, quæ proprio, & filiorum nomine obtinuit in iudicio mulctam aduerſus homicidam mariti, ſi illa mulcta fuerit propter damna [illegible] & aliarum expenſarum tenetur illam reſeruare filijs prioris mariti. C 15 M 4. D.2 § 10. n.4. p 405
Si fuerit pro iniuria diuidenda eſt inter Matrem & filios, ibid. n. 5. p.405
Vxor binnuba pupillariter ſubſtituta à marito filio impuberi pleno iure conſequitur ea, quæ filius aliunde acquiſiuit. C.15. M.4 D 2. §. 11. n. 2. p.405
Vxor binnuba, ſi ex teſtamento coniugis bona conſecuta fuerit, quæ non ſint bona mariti, non tenetur ea reſeruare filijs prioris matrimonij, ibid. n.3. p. 406
Vxor binnuba, ſeu eius hæredes tenentur fructus pendentes à proprietate debita filijs prioris matrimonij eiſdem tribuere. C.15. M.4. D 2. § 12. n.3. p.406
Non ſic fructus iam perceptos, ibid. n.4.
Vxor ſecundo nubens ſubiacet pœnis, quas priori viro promiſit, ſi ad ſecundas nuptias tranſiret. C. 15. M 4. D.2 § 16. n 5. p.412
Vxor, cui à priori marito legatus eſt vſusfructus omnium bonorum, ſi caſtè vixerit in viduitate ſua, & centum, ſi nupſerit, acquirit centum, ſi nubat poſt inhoneſtam vitam. C 15. M.4 D.2. §.17. n.4. p.413
Mater binnuba eximitur ab illis pœnis accedente conſenſu filiorum puberum, ibid. n. 4. p 416
Vxor binnuba præterita à filio in ſuo teſtamento ex ſuppoſitione, quod nõ lædatur ex illa præteritione, quandò non nubit ſecundo, nec læditur, ſi nubat ſecundo C.25. M. 4. D. 2. §. 21. n.4. p.[illegible]
Vxor præſtitit conſuetis obſequijs marito; quidquid acquirit extraordinarijs operibus ſibi acquirit. C 15. M.5. P.4. n.2. p.431
Vxor, ſi præſtat extraordinaria opera in fauorem mariti poteſt irreuocabiliter recipere donationem remuneratoriam, ibid n. 3.
Vxor nobilis quænam teneatur præſtare marito, ibid. n.4. pag 432
Vxor ſoluta dote quoad partem præmoriente marito acquirit donationem propter nuptias tantum quoad partem, ibid. n. 4. p.436
Vxor non lucratur donationẽ propter nuptias ſtante etiã iure moderno, ſi dos non fuerit ſoluta, ibid n.5. p.437
Vxor debet, quæ ſine promiſſione, ſeu ſtipulatione dotis nupſit non poteſt compelli conſtante matrimonio ad conſtituendum. C.15. M.5. D.1. §. 6. n. 3. p.408

FINIS.

Digitized by Google